www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CLII.

S. BRUNO CARTHUSIENSIUM INSTITUTOR.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE-DU-MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1879

www.libtool.com.cn

BR
60
.M4
t. 152

CLICHY. — EX TYPIS PAULI LUPONT, 12, VIA DICTA BAC-D'ASNIÈRES. 1053.8.79.

SÆCULUM XII.

www.libtool.com.cn

S. BRUNONIS

CARTHUSIANORUM INSTITUTORIS

NECNON EJUSDEM SÆCULI

PRÆCIPUORUM CARTHUSIENSIUM PATRUM

OPERA OMNIA

EX VARIIS ET MELIORIS NOTÆ EDITIONIBUS NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1879

www.libtool.com.cn

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLII CONTINENTUR.

SANCTUS BRUNO CARTHUSIENSIUM INSTITUTOR.

Acta S. Brunonis. *Col.* 9
Commentarium in Psalmos. 637

www.libtool.com.cn

SANCTUS BRUNO

ORDINIS CARTHUSIANORUM INSTITUTOR.

SANCTA BRUNONIS ACTA

(*Acta SS. Bolland.* Octobr. t. III, die 6.)

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. *Quæ Vitæ seu Acta edenda sint : diversa, e quibus hæc aut confecta fuere, aut illustrabuntur, seu subsidia seu documenta, horumque unum ad Actorum calcem etiam edendum.*

Etsi ante sæculi sexti decimi initium nullus plane omnem Vitæ S. Brunonis, anno ex dicendis 1101 defuncti, seriem, moresque et gesta ex instituto litteris consignarit, non defuerunt tamen e celeberrimo, quem sanctissimus hic patriarcha instituit, Ordine viri, doctrina juxta ac pietate spectabiles, qui multo etiam citius, quæ de Carthusiæ principis aliarumve nonnullarum initiis ac fundatoribus comperta habebant, diligentissime in chartas, si non in vulgus (neque enim id forte summa eorum sivisset modestia) publice edendas, certe cum futuris deinceps instituti sui sectatoribus privatim intra domuum secessus in exemplum communicandas, conjecerint, in iisque summa saltem vitæ, a sancto Fundatore suo actæ, capita delibarint. Quam id veritati consonet, argumento est Brevis apud Marteneum Veterum Scriptorum tomo VI inserta ordinis Carthusiensis Historia, in cujus Prologo hæc leguntur : « Licet quinque primi Priores (Majoris Carthusiæ) hic inferius descripti in pluribus Chronicis reperiantur, tamen successores eorum, nescio qua de causa, taliter sunt oblivioni traditi, quod nulla penitus ex eis memoria per aliquam scripturam habeatur. »

2. Cum enim, qui hæc memorat, auctor anonymus sub sæculi quinti decimi initium, uti num. 17 docebo, scripserit, Chronica sane, quorum mentionem verbis recitatis facit, diu ante sæculum sextum decimum fuerint elucubrata: ad hæc eadem, quoniam haud dubie de quinque primorum Carthusiæ priorum gestis utcumque tractarint, summa saltem rerum, ad Brunonem spectantium, capita delibasse, indubitatum apparet, uti etiam a Carthusianis scripta fuisse, maxime, cum in solis fere Carthusianorum domibus fuerint inventa, diuque in hisce omnino fere inedita latuerint. Porro e Chronicis hujusmodi quæ hoc nomine idcirco, quod res per tempora A sua digestas exhibeant, vocari non immerito potuere, aliterque nihilominus nuncupata etiam reperiuntur, duo potissimum ad cognitionem meam pervenere, contractius unum, prolixius aliud. De amborum, utpote in quibus non pauca, quæ de S. Brunone narrantur, fundamentum habent, ætate auctoritateque juverit lectorem edocuisse ab ipso statim initio hujus Commentarii, in quo Sancti ejusdem gesta omnia discutienda, illustrandaque sunt.

3. A Chronico contractiori incipio. Labbeus Bibliothecæ Novæ librorum mss. tom. 1, pag. 638 et binis seqq. inter Opuscula Historica e codice ms. S. Remigii Remensis recenset quinque elogia diversa, quorum primo res præcipuæ a S. Brunone gestæ, B reliquis vero, quæ ad quatuor ejus proximos in Carthusiæ majoris prioratu successores pertinent, summatim continentur. Elogiis in capite præfigitur hic titulus : « De institutionibus ordinis Carthusiensis : » verum cum in librorum Syllabo, quem præfatus librorum mss. tomus præfert, post hæc verba, « De Institutionibus ordinis Carthusiensis, » statim ponatur, » sive de S. Brunone, de Landuino, de Petro Francisco, de Joanne Tusco, ac Guigone a sancto Romano, primis Carthusiæ prioribus, » nescio, an pro « institutionibus » legendum potius non sit « institutoribus. » Verum sitne ita, an secus, parum refert, ac proin, breviter hoc notato, ad rem ipsam redeamus, nuncque in tempus, quo dicta elogia scripta sint, inquiramus. Launoius Dissertatione de vera causa secessus S. Brunonis in eremum C cap. 1, § v illud ipsum etiam S. Brunonis elogium, quod Labbeus loco mox cit. exhibet, e ms. statutorum et consuetudinum, a Guigone, quinto Carthusiæ Majoris priore, scriptarum, ordinis Carthusiensis codice in medium adducit, aitque, hunc, in quo pariter, quæ loco cit. apud Labbeum, proximorum quatuor sancti nostri in Carthusiæ Prioratu successorum elogia exstant, Parisiis apud Carthusienses asservari.

4. Hinc porro auctor Carthusiensis anonymus, qui Annalium ordinis sui librum quartum, luce

68

publica hactenus, licet excusum non donatum, mecumque nihilominus a Patribus Carthusianis pro summa eorum humanitate communicatum, elucubravit, num. 101 conjicit, codicem illum, quem Carthusia Parisiensis asservat, scriptum fuisse tantum post annum 1257, circa quem Carthusia hæc primum fuit fundata, necdumque Statuta Rifferii, quæ antiqua vocantur, fuerant præscripta. Verum mox affirmat, et merito quidem, quæ in eodem codice de S. Brunone tribusque primis post hunc Carthusiæ prioribus reperiuntur, litteris mandata fuisse tempore Guigonis, quinti Carthusiæ prioris, idque constare ex alio ordinis Carthusiensis earumdem consuetudinum codice ms., a venerando Carthusiæ Montis-Dei Patre priore ad eum in Carthusiam transmisso, qui, quæ in codice Parisiensi de Sancto nostro proximisque ejus quatuor in Carthusiæ Majoris prioratu successoribu selogia occurrunt, pariter complectitur, eorumque omnium, qui in ordine nunc reperiantur, antiquissimus est, utpote in Majori Carthusia exscriptus, atque in domum Montis-Dei a Gaufredo, ejusdem proto-priore, anno, quo fundata hæc fuit, Çhristi 1136 transportatus, uti liquet ex ipso illo codice, ad cujus calcem hæc leguntur : « Ex eremo Çarthusiæ olim, modo eremi de Monte-Dei ab anno MCXXXVI. » Et inferius : « Gaufredus, Prior de Monte-Deihabuit ex dono domni Guigonis. »

5. Ita fere quantum ad substantiam laudatu annalista Çarthusiensis anonymus, qui præterea, S. Brunonis elogium, in codice suo antiquissimo des scriptum, elogioque, quod Labbeus loco supra cits exhibet, apprime, uti ex ejusdem scriptoris dictieruitur, consonum, cui, ejusdem sancti elogio, quos. Launoius e codice Parisiensi excerpsit, unum essed paucis additis, atque idem, affirmat, trium dein aliorum priorum, Londuininimirum, Petri Franci, seu Francisci, et Joannis Tusci, qui proxime post S. Brunonem Çarthusiam rexerunt, elogia integra, quæ et ipsa cum eorumdem elogiis, apud Labbeum loco supra cit. exstantibus, adamussim congruunt, e codice suo antiquissimo transcribit, ac mox, ne quis hujus, quod elogium, Guigoni adornatum, adnotato etiam hujus obitu, qui anno 1137 contigit, pariter contineat, antiquitatem supra adstructam forsan neget, ita prosequitur : « Hæc ibi de quatuor primis Çarthusiæ prioribus, statimque in eodem folio (verso scilicet) sub finem alterius (secundæ nimirum) paginæ eodem charactere, quo totus codex exaratus est, nulloque interjecto linearum spatio, sequebatur indiculus capitulorum consuetudinum Guigonis, qui in tribus paginis sequentibus continuatus fuerat.

6. « Sed postea priores lineæ hujus indiculi, quæ residuum alterius paginæ primi folii immediate, ut mox diximus, post breve elogium Joannis Tusci (quarti Çarthusiæ Majoris prioris) complebant, a recentiori manu, quæ nihilominus videtur vetustissima, obliteratæ (id est expunctæ) fuerunt, e earum loco initium Breviarii Vitæ Guigouis superscriptum, quæ Vita eadem recenti manu continuata fuit in altero folio dimidiato, quod facile deprehenditur præcedenti folio, in quo sunt elogia præfatorum quatuor priorum, » alterique sequenti, in quo prædictus capitulorum indiculus continuatus fuerat, « intersertum fuisse. Unde patet, dictum Guigonis elogium post illius mortem in præfatum codicem fuisse interjectum » seu illatum. Hactenus, si pauca exceperis, quæ, aliis characteribus adhibitis, claritatis causa adjeci, laudatus Ordinis Carthusiani annalista anonymus. Ex his porro, aliisque supra in medium adductis est consequens, et sæpius jam memoratum, etsi etiam Guigonis quinti Carthusiæ Prioris elogium contineat, Montis Dei codicem, et quatuor primorum Carthusiæ priorum elogia, quæ hic Labbeusque loco supra cit. suppeditat, ipsomet Guigone in vivis adhuc superstite, seu ante annum 1138, quo hic vivere jam desierat, fuisse conscripta. Jam vero, cum res ita sit, summam sane hæc, quorum complexum ego deinceps annalistæ Carthusiani anonymi plus semel jam laudati exemplo « quatuor primorum Carthusiæ priorun Chranicon » appellabo, simplicique Chronici nomine jam supra distinxi, fidem apud omnes merentur, utpote in litteras conjecta ab auctore, etsi non certo noto, rebus tamen, quæ in iis narrantur, synchrono ac verosimiliter ipsomet Guigone, primævarum Carthusiæ Consuetudinum, quibus eadem præfignntur, scriptore, qui equidem, si quæ de quatuor primis Carthusiæ Prioribus aé nominatim S. Brunone in Chronico illo referuntur, non scripserit, verosimillime saltem viderit ac approbarit.

7. Quapropter ut in ipso statim Commentarii hujus limine quoddam Vitæ Sancti nostri compendium, cui tuto fidi queat, studioso lectori exhibeam, S. Brunonis elogium, Chronico illi inclusum, eaque, quæ in hoc de illo narrantur, complectens, huc modo transcribo, quale apud Labbeum loco sæpissime jam cit. exstat. Sic habet : « Magister Bruno, natione Teutonicus ex præclara urbe Colonia, parentibus non obscuris [*al. additur* natus], litteris tam sæcularibus quam divinis valde munitus, ecclesiæ Remensis, quæ nulli inter Gallicanas secunda est, canonicus et scholarum magister, relicto sæculo, eremun Carthusiæ fundavit, et rexit sex annis. Qui, cogente papa Urbano, cujus quondam præceptor fuerat, Romanam perrexit ad curiam, eumdem Papam solatio et consilio in Ecclesiasticis negotiis juvaturus. Sed cum tumultus et mores curiæ ferre non posset, relictæ solitudinis et quietis amore flagrans, relicta curia, contempto etiam archiepiscopatu Rhegiensis ecclesiæ, ad quem, ipso Papa volente, electus fuerat, in Calabriæ eremum, cui Turris nomen est, successit [*al. melius*, secessit], ibique, laicis et clericis quamplurimis adunatis, solitariæ vitæ propositum, quandiu vixit, exercuit. ibique defunctus humatus est post egressum Carthusiæ undecimo plus minus anno. »

www.libtool.com.cn

8. Elogium hoc in Commentarii hujus decursu usui non raro erit; notandum autem de cætero est, quatuor ultimas ejus voces, etsi in Carthusiæ Parisiensis codice, e quo illud Launoius in Dissertationem suam supra laudatam intulit, non inveniantur, retinendas tamen esse, cum et a Labbeo in codice Remensi S. Remigii, et ab Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctore anonymo, tum in jam supra memorato codice, reliquis omnibus antiquiore, tum etiam in aliis, uti is ipsemet testatur, fuerint repertæ, exigique ad sensus complementum videantur. Ad alterum e duobus Chronicis, quod plura adhuc de S. Brunone suppeditat, quodque quale sit, et quando scriptum, hic etiam discutiendum, jam progredior. Aliud hoc non est, quam Carthusiani opus seu tractatus, de quo in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione num. 57 et aliis pluribus Joannes Columbi, Societatis nostræ sacerdos, fuse disserit, recte ibidem num. 61 probans, Tractatum illum concinnatum non fuisse a Guillelmo de Elbura seu de Yporegia, aut, si mavis, ab auctore tractatus de Origine et veritate perfectæ religionis, sive is revera, ut Columbi putavit, Guillelmus de Elbura sit, sive Boso, decimus septimus Carthusiæ Majoris prior, ut pluries jam laudatus annalista anonymus, qui Carthusiensium Annalium librum quartum hactenus non vulgatum scripsit, num. 55 contendit, seque postea probaturum promittit.

9. Quis interim fuerit, aut quod nomen habuerit alter ille Carthusianus, qui tractatum seu Chronicon, a Columbio memoratum, contexuit, nulla ratione comperire quivi, nullumque is operi titulum præfixit; unde factum, ut id ab aliis quidem « Chronica de exordio Ordinis Carthusiensis, » ab aliis vero « Tractatus de narratione historiæ inchoationis et promotionis Ordinis Carthusiensis » fuerit vocatum. Et apte quidem tam hoc, quam illo titulo potuit insigniri; etenim, ut laudatus Columbi (neque enim opus illud integrum ad manum habeo) num. 49 de Carthusianorum initiis docet, in duas partes diversas est divisum, quarum altera complectitur Ordinis Carthusiensis inchoationem, altero S. Brunonem proximosque ab eo quatuor Carthusiæ Majoris Priores, suo quosque Ordine positos, elogiisque præterea etiam ornatos, uti, quantum ad hoc postremum, intelligo ex littéris, Colonia Agrippina ad me datis ab Augustino Albenbruck, Societatis nostræ sacerdote, cum idem opus, apud Carthusianos ibidem exstans, rogatu meo hic fuisset scrutatus. Ego id a parte præcipua, quæ quinque primos Carthusiæ Priores, servato, quo Carthusiam rexere, temporis ordine, exhibet, « Primorum quinque Magnæ Carthusiæ Priorum Chronicon » deinceps appellabo, quemadmodum etiam ante me jam factum video in ms. quæ penes me est, de S. Brunone Diatriba Chronologico-diplomatica, quam F. Michael Morckens, Ordinis Carthusiensis Coloniæ Agrippinæ alumnus, concinnavit, atque ad decessores meos anno 1727 transmisit.

10. Vir hic religiosus, scientia non minus, ut vel solum hoc opus abunde probat, quam pietate insignis, integrum in id intulit S. Brunonis elogium, descriptum e præfato, uti id vocat aliique nihilominus aliter, ut jam docui, appellant, primorum quinque Magnæ Carthusiæ Priorum Chronico, seu antiquissimo hujus exemplari, ante annos, uti ex characteribus autumat, facile quadringentos exarato, quod in Carthusianorum Coloniensium bibliotheca asservatur, huic olim a Petro Rinckio, insigni Carthusiæ Coloniensis benefactore, donatum, integrumque ac sincerum ex collatione cum antiquissimo Carthusiæ Majoris exemplari deprehensum. Illud ego Sancti nostri elogium, Vitæ antiquioris titulo insignitum, numerisque pro more nostro distinctum, additis etiam, ubi congruum fuerit, ad calcem Annotationibus, Commentario huic subjuncturus idcirco sum, quod scriptum aliud antiquius, in quo plura de Brunone recenseantur, non invenerim. Et lector quidem, quam multa de sancto Ordinis Carthusiensis Institutore dictum elogium suppeditet, facile id evolvendo deprehendet; quam vero idem antiquum sit, patescet ex iis, quæ de Chronici, ex quo desumptum est, antiquitate jam dicam.

11. Hoc jam inde ab anno circiter 1151 seu sub Basilio, qui Carthusiæ ab hoc anno ad annum 1173 præfuit, scriptum esse, Joannes Columbi, pluries jam laudatus, in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione num. 57 et tribus seqq. contendit. Hanc autem suam opinionem probare nititur ex eo, quod auctor Chronici anonymus, postquam præfatus est, sese « De antiquis sapientibus et sanctis fundatoribus, ac promotoribus Ordinis Carthusiensis » tractaturum, solos in hisce Brunonem, Landuinum, Petrum, Joannem et Guigonem reponat, Antelmumque septimum et Basilium octavum Carthusiæ Priorem, qui tamen, ut dilucide ostendit, antiquis Ordinis Carthusiensis fundatoribus ac promotoribus accensendi merito sunt, silentio prætereat. Unde, cum fieri id abs illo existimet, quod hi, cum scriberet, antiqui non essent, scripsisse eum jam inde ab anno circiter 1151 sen sub Basilio, octavo Carthusiæ Priore, concludit. Verum quid si auctor Chronici anonymus, cum jam Brunonem aliosque quatuor mox nominatos recensuisset, quo minus Antelmum pariter ac Basilium recenseret vel morte vel aliis gravibus intervenientibus causis fuerit impeditus? Quid si antiquarum seu primævarum Consuetudinum, a Guigone scriptarum, liber (hunc enim is scriptor anonymus sub finem Vitæ S. Brunonis edendæ pro emortuali hujus anno figendo laudat) ad modum Codicis Montis Dei antiquissimi, aliorumque plurium, qui num. 4 et 5 memorati sunt, easdemque Guigonis Consuetudines continent, solos quinque primos Carthusiæ priores in capite prætu-

www.libtool.com.cn

lerit, hosque proinde solos ille in antiquis Ordinis Carthusiensis fundatoribus ac promotoribus habuerit, aut certe Antelmum et Basilium, quod nec ibidem memoratos invenerit, nec aliunde forte sat cognitos habuerit, silentio prætereundos duxerit?

12. Ut ut sit, Chronicum, de quo hic, serius, quam anno circiter 1151, scriptum esse, mihi sane verosimllimum, ne dicam indubitatum, apparet. Etenim ejus auctor in Sancti nostri elogio seu Vita antiquiori num. 2 « Universitatis » nomine insignit academiam Parisiensem, quæ, etsi jam ab anno circiter 1151 societatem quamdam constituere inceperit, magistris, omni scientiarum genere instructis, ingentique ad horum lectiones confluentium discipulorum multitudine floreret, « Universitatis » tamen nomine, quidquid contra in universitatis Parisiensis Historia Bulæus arguat, ante inchoatum sæculum decimum tertium condecorata non fuit, uti Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, pag. 80 docent, atque apud omnes prope eruditos modo in confesso est. Ad hæc idem auctor, Carthusiæ Majoris, ut jam dixi, alumnus, in Vita Sancti edenda num. 20 meminit Chartularii, quod, cum scriberet, in Carthusia Majori exstiterit, quam jam inde ab anno circiter 1151 tot instrumentis, quot ad Chartularium conficiendum suffecissent, instructam fuisse, parum credibile apparet.

13. Et vero, cum Carthusiæ, Carthusiæ principi vicinæ, quales sunt domus Portarum, Majorævi, Durbonis, Allionis et Vallis S. Hugonis, paulo ante annum 1250, uti ms. de Vita S. Brunonis Tractatus, a Patribus Carthusianis hujatibus mecum communicatus, num 24 prodit, de documentis suis in Chartularia, quæ integra hodieque exstant, cogendis primum solliciti fuerint, eamdem tunc et Carthusiæ Majori curam primum fuisse susceptam, verosimile evadit. Hinc porro jam consequitur, ut Chronici, in cujus hic ætatem inquirimus, auctor anonymus, utpote Chartularii, quod, cum scriberet, in Carthusia Majori exstiterit, mentionem ex dictis faciens, ante annum circiter 1250, contra ac Columbius statuit, verosimiliter non scripserit. Verum quanto quidem tempore serius chronologus ille scriptioni manum admovit?

14. Cum Guillelmus de Yporegia, cui Joannes Columbius Tractatum de Origine et Veritate perfectæ religionis in Dissertatione de Carthusianorum initiis num. 55 attribuit, hunc anno 1313 ex mente ejusdem Columbii exararit; Boso autem, cui dictus Tractatus reipsa forte adscribendus, anno 1313 obierit, oportet sane, ut hic ante annum 1314 sit contextus. Quare, cum ejus auctor, quiscumque demum is sit, lucubrationi suæ (adi Joannem Columbi Dissert. jam sæpius cit., num. 55 et 61) integrum, de quo hic, primorum quinque Carthusiæ Priorum Chronicum inseruerit, consectarium omnino est, ut hoc auctor ante annum 1314 conscripserit. Quod quidem quamvis sat certum appareat, non suppetit tamen præterea, quo quot annis ante id fecerit, tuto determinem.

15. Nihil interim obstare videtur, quo minus id abs illo annis circiter quinquaginta aut etiam sexaginta ante dictum annum 1314 factum credatur: imo vero etsi quis scriptionem illam, seu Chronici, de quo hic, lucubrationem ante annum circiter 1250, aut etiam ante annum circiter 1230 figendam contenderet, falsi eum certo convincere non possem, quod, jam tum in Carthusia Majori Chartularium non exstitisse, indubitatum omnino non sit; quod tamen, ut ante neutrum hunc annum lucubrationem illam locandam, posset probari, omnino requiritur, aliis prorsus omnibus, quibus res certo evincatur, argumentis, quantum opinor, deficientibus. Atque hæc sunt, quæ pro Chronici, primos quinque Carthusiæ Majoris priores, horumque ex parte gesta ordine recensentis, ætate utcumque determinanda occurrunt. Id autem nec ante sæculum tertium decimum, nec post annum 1314 scriptum esse, ex omnibus jam dictis certum apparet; quanto autem tempore ante hunc annum factum id sit, plane incertum, nec quidquam occurrit, quo monumenti illius ætatem propius determinem.

16. Verum etsi res ita sit, subsecutis nihilominus temporibus id ita Carthusianis fuit probatum, ut, si quæ in libris, quos scribebant, vel de Ordinis sui origine vel de S. Brunone primisve post hunc quatuor Carthusiæ Prioribus commemoranda ex occasione habuerint, ea ut plurimum, quæ reipsa commemorarunt ex eodem excerpserint, iisdem etiam fere, quibus hujus auctor, verbis non raro usi. Ac primo quidem hos inter memorandus est, qui monumentum illud in suum de Origine et Veritate perfectæ religionis tractatum intulit, auctor supra plus semel laudatus, sive is Guillelmus de Yporegia sive Boso sit. Huic accedit Priorum Ordinis Carthusiensis chronologus, a Columbio in Dissertatione de Carthusianorum initiis num. 54 memoratus, qui, uti ibi hic scriptor indicat, horrendum, quo sese Parisiis homo redivivus damnatum publice e feretro proclamarit, prodigium iisdem plane, quibus id in quinque primorum Carthusiæ Priorum Chronico, seu in antiquiori Sancti nostri Vita, ex hoc edenda, num. 1 et seqq. fit, verbis exponit alio etiam, quam quo hæc occurunt, operis sui loco ita memorans: » In brevi exaudita est oratio Joannis Birelli, Prioris Carthusiæ, et conventus, atque Amedeus Viridis, comes Sabaudiæ, filium de uxore, quæ sterilis putabatur, suscepit, qui, etiam Amedeus vocatus, nunc comes Sabaudiæ est effectus. »

17. Ex his autem verbis consequitur, ut dictus chronologus eo temporis spatio, quod ab anno 1383 ad annum 1391 effluxit, indubie scripserit; priori enim e binis hisce annis Amedeus Viridis, posteriori vero ejus filius Amedeus itidem vocatus, e vivis, ut Columbius loco cit. docet, excessit. Hæc ipsa interim verba, jam mox recitata, in brevi Ordinis Carthusiensis Historia apud Marteneum tomo VI Scripto-

www.libtool.com.cn

rum veterum, col. 189 etiam leguntur, hæcque nihilominus ab auctore ad annum usque 1409 producitur; quam ob rem, cum Priorum Carthusiæ gesta ordine Chronico insuper exhibeat, consectarium omnino videtur, vel ut ipsum sit Carthusiensium Priorum e Columbio mox adducti chronologi opus, quod hic ipsemet additamentis, gesta a tempore, quo prius scripserat, complectentibus, dicto anno 1409 aut etiam serius, nulla facta in iis, quæ prius scripserat, mutatione, auxerit; vel ut a scriptore altero et ex Priorum Carthusiensium laudati a Columbio chronologi opere (ipsis hujus verbis servatis intactis) et ex notitiis scriptisve aliunde acceptis eodem dicto anno 1409 aut etiam serius fuerit compilata.

18. Ut ut sit, et hujus equidem operis, in quod hæc, quod infra laudandum adhuc sit, observare libuit, auctor anonymus ex quinque primorum Carthusiæ Priorum Chronico, quod sibi præluxisse, non obscure in Prologo innuit, integrum Sancti nostri elogium, quod Vitæ antiquioris nomine edendum jam monui, paucis dumtaxat mutatis, ad verbum fere descripsit, uti etiam, quæ exhibet, aliorum quator proximorum post S. Brunonem Carthusiæ Priorum, uti iterum ex litteris, quas ad me Colonia Agrippina dedit Augustinus Aldenbrück, quasque num. 11 laudavi, intelligo. Nec immerito loco hoc recenseri possent non pauci alii, hosque inter Henricus Kalkar, Ordinis Carthusiensis scriptor eruditus anno 1408 e vivis sublatus, qui, cum ex occasione damtaxat de Sancto nostro egerunt, ex antiquiori illo monumento, licet ipsis hujus verbis non omnes usi, nonnulla excerpsere. Verum cum id operæ pretium non putem, ad illos progredior, qui tandem sub sæculi sexti decimi initium res omnes, a S. Brunone gestas, ex instituto pertractare sunt aggressi, scribendorum materiem, quam et ipsi non alienis, sed propriis verbis expresserint, e binis, de quorum ætate jam actum antiquis Chronicis, aliisque insuper, ut dubitandum non est, monumentis tum antiquioribus, tum recentioribus edocti.

19. Quatuor hic præcipue memorandi sunt, quos inter primum locum tenent Carthusianus anonymus et Zacharias Benedictus, Carthusiæ S. Andreæ de littore Venetiis alumnus, quorum ille stylo soluto, hic ligato, sancti Patris sui gesta est complexus. Prioris lucubratio publici juris facta est anno 1508, quo eam excuso tunc a se S. Brunonis in S. Pauli Apostoli Epistolas Commentario Bertoldus Remboldus, Parisiensis typographus. præfixit; posterioris vero, etsi ante annum 1524, quo eam ad S. Brunonis Operum, typis a sese Lutetiæ tunc editorum, calcem Judocus Badius adjecit, in lucem don prodierit, ab actore tamen jam inde ab anno itidem 1508 fuerat concinnata, uti luculenter ostendit, quam ibidem in capite præfert, Epistola dedicatoria, Francisco du Puits, Ordinis Carthusiensis Priori Generali, « Quinto Kalend. Maii 1508 » inscripta. Non diu admodum post binos illos Sancti biographos idem hic Ordinis Carthusiensis Generalis Franciscus du Puits, Latine a Puteo, seu de Puteo aut etiam, ut ab aliis (varie enim Gallicum id cognomen Latino idiomate potest non inepte efferri) scriptum invenio, Puteanus oratione aperta solutaque, ut Corthusianus anonymus proxime memoratus fecerat, sancti Patris sui Vitam, uti Theodorus Petræus in Bibliotheca Carthusiana, Morotius in Theatro chronologico aliique docent, conscripsit; e qua item, ut iidem testantur, haud ita multo post Petrus Blomenvenna, Carthusiæ Goloniensis alumnus multisque annis moderator, auctiorem deinde, additamentis aliunde acceptis, fecit, typisque in sede sua Coloniæ Agrippinæ vulgavit.

20. Puteani lucubratio, quæ auctoris sui nomine insignita nuspiam reperitur, esse videtur ea ipsa S. Brunonis Vita, quæ anno circiter 1515 Casileæ litteris Gothicis absque auctoris nomine excusa, iteratisque deinde typis Lutetiæ una cum supra memorata Zachariæ Benedicti lucubratione metrica ad operum S. Brunonis calcem a Judoco Badio absque auctoris itidem nomine fuit adjecta, Prologum habens sibi præfixum cujus hoc initium : « Non solum Dominum in Sanctis, » etc., itaque inchoata: « Temporibus Gregorii septimi, Romani pontificis,» etc. At vero difficultas, quæ hic se offert, sermonis seriem interrumpere me cogit. Vitam sancti, quæ Puteanum habet auctorem, Parisiis apud Joannem Parvum prelo fuisse datam, Possevinus in Apparatu Sacro tradit; quare, cum præterea Launoius in Dissertatione de causa secessus S. Brunonis in eremum cap. 5. circa medium affirmet, in Vita, a Puteano scripta, cum anno 1082 Sancti nostri in eremum secessum componi, hicque nihilominus in Sancti Vita, Basileæ excusa anno 1084 diserte innectatur erit fortassis nonnemo, qui suspicetur, Puteani hanc fetum non esse.

21. Verum eadem Vita, quæ Basileæ ac deinde Parisiis apud Judocum Badium fuit impressa, ibidem apud Joannem Parvum fuerit fortassis recusa, aut, si res secus habeat, Possevinus forte in assignando Vitæ, per Puteanum concinnatæ, typographo errarit; quod ultimum sane mihi verosimillimum idcirco apparet, quod, facta Parisiis in bibliothecis tum publicis, tum privatis, diligentissima indagine, nulla plane, uti ex litteris ab amico inde acceptis disco, S. Brunonis Vita, quæ apub Joannem Parvum sit excusa, inveniri potuerit. Quod autem ad Launoium pertinet, Vitam is, quæ a Puteano scripta non esse, pro biographi hujus lucubratione verosimiliter per errorem acceperit, eo facilius committendum, quod, ut jam monui. Vita, a Puteano elucubrata, auctoris sui nomine insignita non reperiatur. Ut ut sit, Vitam Sancti nostri, Basileæ onno circiter 1515 excusam, Puteani esse fetum, multa suadent. Primo enim tabula, prodigiosam hominis, qui se damnatum publice Parisiis declararit, anastasim, Brunonis hinc conversionem, secessum in Carthusiæ solitudinem alia-

www.libtool.com.cn

que nonnulla hunc prægressa repræsentans, quæ ordinis Carthusiensis Statutis ac Privilegiis, Francisci a Puteo, seu, ut brevius loquar, Puteani jussu Basileæ anno 1510 apud Joannem Amorbachium excusis, præfixa est, Basileensi Sancti nostri Vitæ pariter præfigitur.

22. Secundo verosimillimum apparet, Puteanum, utpote plurinum anno 1514 aut etiam paulo citius, ut Sanctorum albo Bruno adscriberetur, laborarit, litteris hujus Vitam tunc mandasse, eamque, cum jam illi, Leone X summo pontifice annuente, honores cœlitibus proprii dicto anno 1514 cœpisssent deferri, typis haud multo post excudendam curasse. Tertio cum de vita S. Brunonis Basileensi sermo est, Puteanianam intelligi, Carthusianorum obtinet traditio, uti subministrata a Josepho Phily, reverendissimi patris et capituli generalis ordinis Carthusiensis scriba, notitia me docet, certumque apparet ex Theodoro Petræo, scriptore Carthusiano supra adhuc laudato, utpote qui in suis ad Dorlandi Chronicon Elucidationibus pag. 12 Puteani fetum vocet S. Brunonis Vitam, ad cujus calcem supra centum et sexaginta funebres, de quibus mox, tituli, seu, uti hos appellat, epitaphia adjiciuntur, quæ tanto numero soli Sancti Vitæ, quæ Basileæ excusa est, adjecta reperiuntur. Quarto ad utimo Vita, quam Blomenvenna, ut jam docui, partimex Vita, a Puteano scripta, contexuit, tantam cum Vita Basileæ excusa, uti ex utriusque collatione liquet, similitudinem habet, ut vel hanc ex illa, vel illam ex haci pro parte saltem contextam esse, sit necesse. Quare, his omnibus perpensis, nullus dubito, quin Vita, quæ Puteanum habet auctorem, ea ipsa sit, quæ anno circiter 1515 in lucem typis Basileensibus prodiit.

23. Inceptum itaque de Sancti Vitis, seculi sexti decimi initio conscriptis, sermonem jam prosequor. E quatuor jam recensitis sola mihi deest, quam Carthusianus anonymus adornavit, typisque Bertholdus Remboldus Lutetiæ excudit; e tribus vero reliquis, quarum nulla, longo temporis intervallo, quo earum auctores a sancti obitu scripserunt, spectato, ab antiquitate commendari potest, solam Puteanianam, in capita et numeros de more divisam, e Basilensi primæ editionis exemplari recudam, prætermissis aliis duabus vel idcirco, quod altera quidem ludi dumtaxat poëtici, non Vitæ, historice ac sincere scriptæ, speciem præferat, altero vero parergis superfluis, digressionibusque nimium longis ac frequentibus lectori multum tædii, voluptatis fere nihil esset allatura; ut autem Vitæ, a Blomenvenna concinnatæ, desiderium, si quis forte eo teneatur, ferri queat facilius, Vitæ, a Puteano exaratæ Vitam alteram, quæ, sæculo sexto decimo jam senescente, et ex hac, et ex auctiori Blomenvennæ lucubratione a Surio concinnata est, quæque proinde, quidquid in hac memoratu dignum occurrit, haud dubie continet, subjungam, simulque excerpta e Blomenvennæ, uti et e Zachariæ Benedicti lucubrationibus verba, ut ea, quæ Puteanianæ et Surianæ Vitæ sunt rarius alleganda veniant, commentario huic, si quando congruum id fuerit, intexam, aut certe, si quid, quod a Vitis edenis absit notarique mereatur, suppeditent, in Annotationibus, quas hisce subjecturus sum, inobservatum haud præteribo.

24. Tres itaque tantum Sancti nostri Vitas diversas, quarum duæ recentiores, unaque antiquior supra memorata, nec tamen minus quam centum amplius post ejus obitum annis scripta est, recudam; quibus cum præterea varios, quos tandem gloria posthuma seu quoddam potius hujus supplementum, e diversis notitiis scriptisve collectum excipiet, Titulos funebres, sectionibus diversis, quarum quælibet plures ex his contineat, ad annotationum subinde addendarum commodum discretos, ac suis quosque numeris distinctos, e Basileensi Sancti Vita eo ordine, quo ad hujus calcem reperiuntur, adjuncturus etiam sim, lectorem modo hujus consilii mei rationem et quid horum nomine veniat, hic adhuc edoceri convenit. In more olim, etiam ætate S. Brunonis, positum erat, ut monachi, cum quis ex insignioribus monasterii sui viris obiisset, schedam seu epistolam encyclicam, mortis ejus nunciam, quæ fere membranis in longum porrectis constabat, quæque quod non plicata, sed Romanorum voluminum instar voluta esset, Rotuli seu Rolli nomine distinguebatur, per unam e suis, qui propterea Rotularius aut Polliger appellabatur, ad monasteria, Ecclesias aut personas, quibuscum erant aut societate aut amicitia aliove singulari modo conjuncti, submitterent, pactas, ordinariasve seu statutas preces pro defuncti anima postulantes; responsoriæ autem, quæ ad hujusmodi epistolas, a personis, ad quas hæ missæ erant carmine plerumque, ac subinde etiam oratione soluta dabantur, rotuloque allato aut etiam chartæ separatæ, prout res ferebat, inscribebantur, Titulorum funebrium nomine veniebant. Hæc omnia fere aut certe non multum abludentia colliguntur ex iis, quæ Cangius, varios citans scriptores, in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad vocabula *Rotulus*, *Titulus* et *Brevia mortuorum* in medium adducit.

25. E more itaque jam descripto religiosi Calabrinæ eremi incolæ, cum in hac S. Bruno obiisset, epistolam encyclicam, mortis ejus nunciam, ad Italiæ, Galliæ et Angliæ monasteria ac Ecclesias, et quidem contra morumplerumque tunc usitatum alias etiam nonnullas, quam quibuscum societate erant conjuncti, per unum e suis, uti ipsa illa epistola, suo loco proxime ante Titulos funebres etiam edenda, fidem facit, quaquaversum miserunt, plurimasque responsorias, *Titulorum funebrium* nomine propterea deinceps hic distinguendas, acceperunt. Fuerunt illi, uti est ms. S. Brunonis Vita, a Carthusiano Ligetensi anonymo e funebribus, de quibus hic ejus titulis præsertim contexta atque ad majores nostros a Federico Floueto, Societatis nostræ sacerdote. submissa, intelligo, in Calabrina S. Stephani eremo, cum hæc a Cisterciensibus, qui eam, sexaginta cir-

www.libtool.com.cn

citer post obitum S. Brunonis annis ad se translatam, diutissime obtinuerant, ad Carthusianos tandem anno 1514 rediisset, hoc ipso circiter tempore ab hisce inventi, qui prelo dignos duxere, reque ipsa ad Vitæ sancti, quæ haud ita multo post Basileæ fuit excusa, calcem adjecere; nec sane immerito. Etenim sancti gestis, uti ex commentarii hujus decursu patescet, illustrandis non parum conducunt; etsi autem versibus insulsis maleque tornatis plerique constent, plurimi tamen ex iis nonnulla ad sanctum speciatim spectantia edocent, aut si, quod etiam non raro fit, modo generali nimium sint concepti, Brunonem saltem, si nonnullos exceperis, ab eruditione eximia, humilitate aliave virtute commendant, ut etiam plerumque tum, quanto hic in pretio apud omnes fuerit, argumento sint. Hinc itaque ego non præcipuos tantum, ut Surius in sancti Vita, a se contexta, fecit, sed omnes et singulos, veluti pretiosa antiquitatis monumenta, ab ipso statim felici S. Brunonis e vivis excussu scripta, recudam, maxime quod a multis, ut intelligo, avide desiderentur, Basileensisque seu Puteaniana sancti Vita, ad cujus calcem dumtaxat reperiuntur, paucorum in manibus versetur.

26. Porro cum edendæ S. Brunonis Vitæ, non excepta etiam illa ipsa, quæ ex primorum quinque Carthusiæ priorum Chronico excerpenda, tantæ antiquitatis merito, uti ex jam dictis pronum est colligere, non gaudeant, ut fidem per se facere possint; imo vero cum vel idcirco, quod ab auctoribus synchronis aut subæqualibus scriptæ non sint, ambigi non immerito queat, an quælibet earum asserta veritati certo consonent, non parum sane in hoc commentario laborandum erit, ut, quæ inter illa sunt, vera a falsis, certa a dubiis, probabilia ab improbabilibus, verisimiliaque ab iis, quæ verisimilitudine destituuntur, secernam. Atque hoc quidem ut effectui mandem, adhibiturus frequenter sum, non tantum supra huc transcriptum e primorum quatuor Carthusiæ priorum chronico sancti elogium, titulosque funebres, de quibus jam dictum, verum etiam nonnulla, tum scripta alia antiqua, ab auctoribus, qui aliquid saltem ex occasione de S. Brunone memoriæ prodidere, elucubrata, tum diplomata seu chartas instrumentave publica, de quorum omnium auctoritate ac fide tunc dicam, cum in medium adducenda seu citanda erunt; laborem autem omnem non parum sublevabunt nonnulli, qui de S. Brunone, adductis non solum documentis antiquis, verum etiam, quæ ex hisce formare potuerunt, argumentis, vel ex instituo, vel, si ex occasione tantum, sermone saltem prolixiore tractarunt. scriptores recentiores. Et locum quidem hos inter non infimum tenebunt Surianus in suis ad Surianam S. Brunonis Vitam Annotationibus, Mabillonius tum alibi, tum maxime in Annalibus ecclesiasticis, Hercules Zanotti in sua Italice scripta S. Brunonis Historia, anno 1741 Bononiæ excusa atque a reverendissimo domino, Carthusiæ Maverbacensis in Austria abbate, anno 1761 nobis submissa.

27. Nec minus usui erunt Carthusianus anonymus, qui librum quartum Annalium Carthusiensium, modo quidem excusum, hactenusque tamen, at jam supra monui, publici juris non factum, composuit, Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores, præcipue tom. IX, in Vita S. Brunonis, Camillus Tutinus in Ordinis Carthusiensis, etsi interim hoc opus ad manum non habeam, nisi mutilum, Historiæ Prospectu, Morotius in sacri Carthusiensis Ordinis Theatro chronologico, Joannes Columbius in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione, Innocentius le Masson lib. I Annalium Carthusiensium, aliique in decursu nominandi non pauci. Citandum interim a me, veluti visum inspectumve, studiosus lector non exspectet Severum a Neapoli, seu de Trafaglionibus, qui præter alia, quæ ad propositum nostrum suggeri ab eo suspicor, multa etiam, ut Surianus in suis ad S. Brunonis Vitam Annotationibus pag. 197 et seq. docet, monumenta ac diplomata, ad S. Brunonem remque Carthusianam spectantia, e tenebris in lucem protulit; hic enim scriptor penes nos non exstat; in aliis autem bibliothecis, quas hic scrutandas curavi, inveniri non potuit, nec in regionibus remotis quærendum duxi, maxime quod ejus defectum magna saltem ex parte suppleri putem ex tribus diversis mss. de S. Brunone tractatibus, supra jam memoratis, quorum unus, qui Chronologico diplomatica de S. Brunone Diatriba inscribitur, multaque antiqua documenta ac diplomata complectitur, a Michaele Morkens. Carthusiæ Coloniensis alumno, ad decessores meos anno 1727 fuit transmissus; alter, qui non pauca, in non vulgato hactenus moxque iterum laudato Annalium Carthusiensium libro quarto pariter accurrentia, suppeditat, a Carthusianis hujatibus nobiscum est communicatus; ac tertius denique, qui potissimum, ut jam monui, e funebribus Sancti Titulis a Carthusiano Ligetensi anonymo est contextus, a P. Federico Floueto ad majores nostros dono anno 1658, ut pariter jam monui, fuit submissus.

28. Hisce porro addi etiam potest Vitæ S. Brunonis, quod multa eruditione est refertum, Compendium Historico-chronologico-criticum, a Carthusiæ Parisiensis alumno, qui nomen suum subticeri omnino vult, mecum haud ita pridem communicatum. Atque ita, studiose lector, modo habes præsenti § memorata adjumenta præcipua, quibus ad illustranda examinandaque S. Brunonis Acta in hoc commentario sum usurus. Ceterum sciendum est, indiscriminatim a me et absque et cum aspiratione Carthusiæ et Carthusiani vocabula exarari, quod ita factitatum inveniam a plerisque me prægressis scriptoribus, quos ego erroris arguere non ausim. Licet enim vocabulum *Cartus*, ut Puteanus in exhortatoria sua, Vita Sancti a se contextæ adjecta, de qua in ultima ad hanc Annotatione dicam, oratione vult, vere

www.libtool.com.cn

esset vox Hebraica, *perfecte vocatus* significans, A
reque ipsa vacabulum Hebraicum *Cartham* Hieronymus de nominibus Hebraicis (adi Parisiensem anni 1699 operum sancti hujus Patris editionem tom. II, col. 27) *vocationem perfecit* Latine interpertetur, consequens tamen propterea non est, ut vel a *Cartus* vel a *Cartham* Hebraicis vocabulis *Cartusiæ* et *Carthusiani* nomina nomenclationem acceperint. Rem ipsam modo aggrediamur,

§ II. *Nobile Sancti genus, patria, tempus natale.*

Nobili gene.e ortum esse S. Brunonem, omnes ejus Vitæ edendæ unanimi consensu tradunt, idque indubitatum apparet: etenim breve ejus elogium, quod e quatuor primorum Carthusiæ Priorum Chronico num. 7 recitavi, ita habet: « Magister Bruno, natione Teutonicus, ex præclara urbe Colonia, parentibus non obscuris » (natus *scilicet, uti alias additur*)... « eremum Carthusiæ fundavit. » Ad hæc stirpis, e qua editus est Bruno, nobilitati testimonium etiam præbet Ecclesia S. Mariæ Rothomagensis utpote in titulo suo funebri, ad Corthusianes Calabrinos anno 1102 misso, qui inter titulos hujusmodi ad Vitarum calcem, ut dixi, edendos locum 146 obtinet, de Sancto sic loquens :

« Ipse fuit sapiens, vir nobilis, indole fulgens. » Nec contra generis, e quo ortus est Sanctus, nobilitatem argui merito potest ex Manasse Simoniaco, post Gervasium anno 1067 vita functum, Remensuim archiepiscopo, qui in Apologia sua, pluries infra laudanda, de Brunone (adi Mabillonium Musei Italici tom. I, part. II, pag. 121) ita loquitur : Cujus (Brunonis videlicet) societatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita et libertate penitus ignoramus; » licet enim hisce verbis, ingenuusne esset Sanctus, dubitare se Manasses indicet, e vehementissimo dumtaxat, quo in Brunonem, moribus suis pesssimis adversum, ferebatur, odio id facit. Verum sunt nonnulli, qui, generis, e quo ortus est Bruno, nobilitatem penitus rimari conati, eum e nobilissima illa Coloniensi familia, quam « de Hartenfaust seu de Duro Pugno » incolæ indigitant, aliisque nobilissimis item, quas hic infra nominant, familiis trahere originem, scripserunt.

30. Etsi res, uti ex dicendis intelliges, admodum sit incerta, qui tamen et a quibus tradatur, cum id D futurum putem non ingratum, lectori exhibeo. Erhardus Winheim, Corthusiæ Herbipolitanæ alumnus, in opere suo, quod « Sacrarium Agrippinense» inscripsit, annoque 1607 typis Coloniensibus vulgavit, pag. 212 ita scribit: « Ad initiatorem (Ordinis Carthusiensis) igitur quod attinet, S. Brunonem, duxit is originem ex nobili prosapia Hartenfaust, una e quindecim Romanis per S. Maternum et Trajanum imperatorem in urbis (Coloniensis scilicet) præsidium ductis familiis, quemadmodum quatuor suorum genti.itiorum arma ex Chronico Coloniensi testantur. » Teodorus Petræus, Cartusiæ Coloniensis alumnus, in suis ad Chronicon Carthusiense Petri Dorlandi, quod e tenebris eruit typisque anno 1608 vulgavit, elucidationibus ita observat: « Habuit vero (S. Bruno nimirum) parentes et genere et virtute inter Ubios cumprimis claros, ex illa nimirum nobilissima Romanorum prosapia oriundos, qui Agrippinæ novam deduxere coloniam, quam etiamnum de Duro Pugno incolæ indigitant. » Hæc illi: ac posterior quidem, cum ambos S. Brunonis parentes nobilissima, quæ de Duro Pugno dicitur, familia oriundos affirmet, sanctum tam ex parte patris quam ex parte matris e familia de Duro Pugno oriundum seu Hartefaustanum facit; prior vero, cum sanctum, nulla facta parentum ejus mentione, e familia de Hartenfaust, seu de Duro Pugno trahere originem, dumtaxat tradat, fueritne id ex parte patris, an matris, aut etiam an ex utriusque parte simul, non B definit.

31. Distinctius locuti fuere, qui ante Petræum et Winheimium floruere, Petrus Blomenvenna et Stephanus Brolmannus, Ubiorum, qui medio circiter sæculo sexto decima floruit, antiquarius, a Gelenio in opere de Coloniæ Agrippinensis magnitudine ab ipso statim initio alibique non raro laudatus, quorum alter Sanctum ex parte patris, alter ex parte matris familia Hartefaustanum facit. Prioris verba, quæ Vitæ sancti, a se non admodum diu post annum 1515 typis Coloniensibus editæ, hicque a nobis, ut jam supra monui, non recudendæ, Prologo mox subdit, hæc sunt : « Beatus Bruno, sacri Carthusiensis ordinis initiator, natione Teuthonicus, ex insigni C civitate Colonia, quæ antiquitus Agrippina a Marco Agrippa, genero Octaviani, dicebatur, de parentibus tam genere quam virtute claris duxit originem. Imperator quippe Trajanus et senatus Romanorum nobiles illuc olim Romanos pro incolatu civitatis terræque custodia direxerant; quibus matrimonialiter vicini nobiles conjungebantur. Ex quibus una tribus dicta fuit De Sapientibus, ex Romanis vero una appellabatur de Duro Pugno. De his ortus est beatus Bruno ex parte patris. Ex parto vero matris sanguinem traxit de tribu nobili Romanorum, de Parva Cogitatione nuncupata, ex familia, quæ postmodum de Rubro Stessen dista est. »

32. Posterioris vero, quæ hic, teste Morkensio, de nobilibus sancti natalibus interrogatus, reposuit ista : « Aimilius seu Sapiens cognominatus fuit S. Bruno, ex xolonia Agrippinensi oriundus ex patre de familia Romana-Franeica et patricia Aimilia et Sapientum (Vonden Weisen) quæ tradux et causa cognominis est; ac matrem habuit patriciam ex Catonum familia, quæ vernaculo Francico idiomate (Vonder Hartenfaust) de Duro Pugno vocata est, cum esset Catonum sub Ubio-Romanis; aviam maternam ex patricii Aimiliorum (Vonden Cleingedancken) de Parva-Cogitatione Francis; proaviam ex hujus quadam traduce familia de Rubea-Stessa (Vonder Roder-Stessen.) Cum longius descendisset linea, matrimonia contracta sunt, et ex hac quidam eques egregiis facinoribus in Cruciada regum dono capite Æthiopis coronato scutum auxerat. » Ita Blo-

menvenna et Brolmannus, quorum alter præterea sanctum ex parte matris Stessenum, alter ex parte patris Aimilianum facit; an omnia autem et singula (quod absit! ut putem) tum Brolmanni, tum Petræi, Blomenvennæ et Wieheimii asserta, verbis jam recitatis inclusa, veritati consonent, examinare hic non lubet sed tantum, an sanctus ex nobilissimis, quæ verbis recitatis nominantur, familiis, ac præcipue an ex Hartefaustana, cui eum scriptores quatuor laudati unanimi consensu attribuunt, oriundus recte asseratur.

33. Ac Petræus quidem, et Winheimius, nullum plane, quo, Hatefaustanam sancti originem probent, monumentum antiquum laudant, nedum adducunt in medium. Nec melius firmat Blomenvenna, quæ de Hartefaustano sancti ex parte patris, Stesseno vero ex parte matris ortu memoriæ prodit. Quod autem ad Brolmannum pertinet, ea quidem hunc, quæ de santi genere profert, e domus, a Gelenio, de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine lib. III, syntagmate 19 memoratæ, quæ ad Rubeam Stessam dicitur, quæque, quod in ea Sanctus progenitus feratur, sacram ejus imaginem, portæ affixam, præfert, monumentis antiquis eruisse, Morkensius in ms., quam jam supra laudavi, Chronologico-diplomatica de S. Brunone Diatriba affirmat; verum quæ qualiave hæc sint, non edicit. Ad hæc ipsemet quidem Brolmannus, quo, quod Sancto attribuit, genus probet, apud Morkensium scribit : « More nobilium Germanorum habuit (videlicet S. Bruno) quatuor insignia, quibus illustre genus suum familiamque ostenderet ac propugnaret, 1. De Sapientibus (Von den Weisen) qui habuerunt cæruleum leonem in candido campo salientem ; 2. De Duro Pugno (Von der Hartefaust) qui scutum album ornaverunt duobus brachiis rubeis et cancellatis, manu in modum pugni cantracta, quasi ad luctam ; 3. De Parva-Cogitatione (Von den Kleingedancken), quibus clypens erat rubeus cum nivea trabe, contorta per ambages ; 4. De Rubea-Stessa (Von der Roder-Stessen), quorum clypeus in campo rubeo habebat duas trabes contortas, et hinc inde duo Æthiopum capita coronata. »

34. Verum gentilitia insignia, quæ hic Brolmannus memorat, quæque una cum sancti imagine etiam Vita, a Blomenvenna conscripta penesque me exstans, ad calcem exhibet, propria fuisse S. Brunoni, seu ei ob genus, ex quo ortus esset, competiisse, nulla ratione verosimile apparet. Etenim gentilitia, qualia memorat Brolmannus, nuncque in usu sunt, insignia tum primum, cum Christiani, quod demum sub finem undecimi, ac initio duodecimi sæculi factum, bellum sacrum in Oriente contra infideles suscepere, sunt oborta, ut Muratorius tom. IV Antiquitatum Italiæ col. 689 et seq. e variis auctoribus recte docet ; Bruno autem, uti ex infra dicendis patescet, omni dubio procul ante annum 1050 natus est, ut proin hujusmodi insignia nec parentibus ejus, nec ipsimet competierint. At vero Commentarios Rerum civilium, quos Brolmannus. Res Colonienses illustrans, composuerit, apud Morkensium laudari etiam invenio ; quare cum in hisce, generi, quod Sancto attribuit, probando accommodata forsan abs illo suppeditari putarem, nec tamen Commentarios illos, uti nec antiqua, ut jam innui, domus, ad Rubeam Stessam dictæ, monumenta, ex quibus, quæ de sancti genere Brolmannus tradit, eruere hic potuerit, ulla ratione nossem, Coloniam litteras dedi, quibus ab Augustino Aldenbruck, Societatis nostræ sacerdote, petii, ut, si quid, quod ad Hartefaustanum aliudve sancti genus demonstrandum conduceret, vel de monumentis illis, vel de Brolmanno scriptisque ab eo Commentariis, vel etiam de familia familiisve, ex quibus Sanctus oriundus ab hoc scriptore asseritur, compertum haberet, indagandove assequi posset, totum id ad me scribere dignaretur.

35. Ac petitioni apprime sane satisfecit vir, de Museo nostro optime meritus, datis hunc in finem ad nos duabus epistolis, in quarum prima de Brolmanno quidem scriptisque ab eo Commentariis ita loquitur : « Magnam is operam in colligendis urbis (Coloniensis nimirum) monumentis antiquis posuit, sed nihil ex iis publici juris factum præter Epideigma, continens tabellas diversas æri incisas et Præfatione aut dedicatione in aversa parte inscriptas. Ejusdem rerum civilium Commentarii mss. ubi lateant, Superi norint : crediderim ego inter amicos et hæredes ab ejus obitu divisos, meque ante XXII annos librum illius primum, qui de Ubiorom origine et antiquis sedibus, apud P. Hartzheimium P. M. vidisse ; » de genere vero seu familiis, ex quibus Sanctus originem traxisse traditur, sic scribit : « Quod ad splendorem generis S. Brunonis demonstrandum faciat, nihil aliud superest, quam constans traditio et fama publica. Certum-quidem est, familias illas (a Brolmanno supra memoratas) hic Coloniæ floruisse, prout plurima testantur monumenta, quæ in variis ædibus tum sacris, tum profanis etiamnum visenda supersunt una cum eisdem scutis ac tesseris geutilitiis, quæ Morkensius, Brolmannus, Gelenius adducunt. At nullo sat firmo documento præter traditionem prædictam commonstrare huc usque possum ex iisdem familiis ortum fuisse S. Brunonem. »

36. Quod porro ad domus, in qua Sanctus Coloniæ Agrippinæ natus fertur, monumenta antiqua, ex quibus, quæ de Brunonis genere tradit, Brolmannus hauserit, jam pertinet, « Domum, inquit, quæ primis eum (S. Brunonem nimirum) cunis excepit, ante dies aliquot denuo adii ; at veterem illam et antiquissimi operis, quam adolescens sæpe, deinde hic loci politioris litteraturæ magister iterum perlustraveram, frustra in moderna ad sæculi hujus genium annis abhinc aliquot composita requisivi. » Ac deinde, interpositis nonnullis, quæ, cum de gloria sancti posthuma tractabo, opportunius describentur, Hunc in modum prosequitur : « A quibus (domus, in qua Sanctus natus dicitur, dominis ac inquilinis) et

www.libtool.com.cn

fenestris anti quisnovæ substitutæ sunt, parum pensi habitis scutis et inscriptionibus, quæ in antiquis, ut nullus dubito, licuisset reperire. Cupra portam visitur S. Bruno, et in tabulato superiore cubiculi (quod scilicet Brunonem inhabitasse volunt) cernitur idem Sanctus, scutis quatuor (illis videlicet, quæ Brolmannus supra memorat) circumdatus. Sed opus illud ducentos et quinquaginta annos ætate sua vix reor excedere. » Et quatuor quidem, quod hic monendum, scuta illa e Blomenvenna aut Morkensio, apud quos exstant, æri incisa lectori exhibiturus hic fuissem, si e familiis, quarum sunt, genus ducere S. Brunonem, ulla ratione constaret. Verum rem secus habere, ex dicendis magis magisque patescet.

37. Laudatus Augustinus Aldenbruck verbis proxime recitatis etiam adjecerat, sese, quo certiora ad me perscribere posset, curaturum præterea, ut, an quidquam, nobili S. Brunonis generis definiendo aptum, in tabulariis publicis, quæ Coloniæ die schrein, scrinia appellantur, fortassis inveniretur, ab amicis, quibus ea, data occasione, aperienda scrutandaque sperabat, certior redderetur; cum autem id factum fuisset, secundam e duabus supra dictis scripsit epistolam, hisce maxima ex parte verbis conceptam : Amicorum ope consecutus sum, ut in præcipuis id genus (quæ coloniæ scilicet die schrein, scrinia vocantur) tabulariis vetustiores chartæ omnes, quæ De Rubea-Stessa agebant, perlustratæ sedulo fuerint atque excussæ; sed nihil ex iis erui aliud potuit, quam ab annis sexcentis et amplius præcipuæ nobilitatis urbicæ duo fuisse stemmata, quorum unum nomine Alborum, alterum Rufforum insignitum fuerit. Verum frustra hisce e chartis familia et liberi petuntur, cum in antiquissimis sola deprehendantur nomina Alborum seu de Albis et Rufforum, sequiori deinde ævo additum subinde reperiatur unius alteriusve filii nomen in hunc fere dumtaxat modum : Superne De albis; infra Hilliger, etc., filii. Ex quibus id unum confici existimem, S. Brunonem a parente potius nomen de Albis, Von den Weisen, quam Æmili aut Sapientis, prout Brolmannus ex recensione Morkeusii censuit, aut potius auguratur, traxisse. »

38. Atque hæc sunt, quæ laudatus Augustinus Aldenbruck ad quæsita, a nobis sibi proposita supraque expressa, rescripsit; ex illis autem pro Hartefaustana Aimilianave Sancti origine determinanda nihil omnino potest erui. Primo enim, cum quo loco modo Rerum civilium Commentarii, a Brolmanno scripti, lateant, sesse ignorare, num. 35 prodat, sitne in iis, unde hic auctor assertum a se Sancti genus probet, quid comprehensum, relinquitur æque ac ante incertum ; quod autem ad scuta et inscriptiones, in antiquis domus Stessanæ, quæ S. Brunoni natalis perhibetur, fenestris expressa pertinet, sæculo ea quinto decima, aut etiam ipsa imagine, quæ S. Brunonem, quatuor scutis gentilitiis, a Brolmanno supra enumeratis, circumdatum, in superiori cubiculi, quod Sanctus inhabitarit, tabulato repræsentat, quæque (ad num. 36) ducentorum dumtaxat et quinquaginta circiter annorum videtur, ætate fuisse superiora, nullo plane, quantum scio, argumento potest probari; ut proinde, etsi etiam iisdem, quod tamen neutiquam constat, clarissime Hartefaustanam Aimilianamve Sancti originem fuisse expressam daretur, certa tamen hæc propterea, ut consideranti patebit, minime evaderet, Quare cum nec ex publicis, uti laudatus Aldenbruck num. præcedenti indicat, civitatis Coloniensis tabulariis, nec ex aliis, quod sciam, obviis notæ auctoritatis ætatisque monumentis ullo modo confirmetur, restat, ut in solo num. 35 allegata publica fama constantique traditione sit fundata, ac proin ut plane sit incerta, cum traditio, que testimoniis a re, circa quam versatur, trium ut minimum sæculorum spatio remotis, dumtaxat fulcitur, fidem indubitatam, uti ex se patet, facere non possit, talisque sit, uti ex jam dictis liquet, Coloniensium de Hartefaustana Aimilianave Sancti origine traditio.

39. Nec est, cur ex Gelenio de Colontæ Agrippinensis Magnitudine lib. III, syntagmate 19 et Brolmanno apud Morkensium opponas, domum, quæ ad Rubeam Stessam hodieque dicitur, ad S. Brunonis, qui et in ea natus sit, parentes pertinuisse, ac proin horum saltem alterum e familia Hartefaustana, Stessanæ cognatione jam tum conjuncta, exstitisse ; præterquam enim quod illud sola traditione, quæ mox dicta præstare non videtur, innitatur, qui, quæso, probabis, domum illam (quod tamen, ut inde quidquam eliciatur, requiritur) aut fuisse, antequam ad Sancti parentes pertineret, a Stessanis, a quibus et nomen tunc acceperit, possessam, aut, si possessa ab hisce jam tum fuerit, ad Sancti parentes cognationis, quæ hos inter et illos intercederet, causa transiisse ? Ad hæc Gelenii, qui similia credidisse potest, auctoritas, ut eadem pariter credam, minime sufficit ; hic enim scriptor, quod etiam fere, ut modo intelligo, de Brolmanno dicendum, quæcumque ad Ubiæ gentis magnitudinem facerent, promiscue, nullo discrimine, delectu nullo habito, corrasisse dignoscitur. Omnibus itaque accurate perpensis, Hartefaustanusne familia Sanctus, seu potius, ut generatim loquar, quo determinato illustri genere natus sit, deficientibus, quibus id tuto assignetur, monumentis antiquis satisque idoneis, plane est dubium ; ut Surius sane in ejus Vita, contra ac a Blomenvenna, e quo hanc, ut dictum, partim composuit, fieri videbat, a definienda nobili Sancti origine prudenter abstinuerit, cumque parentes habuisse et genere et virtute claros, num. 1 dumtaxat scripserit. Blomenvennam nihilominus, quam Surium Ferdinandus princeps elector Coloniensis, seu potius qui datam hujus nomine anno 1624 ad clerum Coloniensem de celebranda S. Brunonis festivitate epistolam encyclicam, quam integram Gloriæ posthumæ intexam, scripsere, sequi maluerunt, hisce hi ea verbis usi : « Sanctus Bruno, magnum Ecclesiæ decus et ornamentum, civis Coloniensis, Coloniæ nobili Hartenfaust familia natus et educatus. » Verum hi tantæ auctoritatis, uti per se liquet, esse non possunt, ut hic audiendi sint.

40. Idem etiam de Hieracensi (fuerit hic haud dubie, uti ex Ughello tom. IX Italiæ Sacræ de episcopis Hieracensibus colligo, Octavianus; anno 1591 vita functus) episcopo dicendum, qui, ut Severus a Neapoli apud Surianum in illustrata Sancti nostri Vita pag. 86 testatur, in collecto a sese archiepiscoporum Rhegiensium in Calabria Catalogo, cui post Arnulphum S. Bruno, tanquam electus ecclsiæ hujus præsul, inseritur, fuisse hunc e familia Alcuina seu Alchanirina natum, memoriæ prodit. Quibus enim e monumentis Catalogum illum collegit Octavianus? An ex antiquis? Id quidem cum Suriano loco cit. crediderim. Ast an etiam ex tam antiquis, ut fidem indubiam ex sese facere fuerint nata? Id enim vero nec Surianus affirmat, nec absque fidei minime suspectæ testimonio facile in animum induxero. Ut ut sit, certe Ughellus, a quo tom. IX Italiæ in archiepiscoporum Rhegiensium Catalogo post Arnulphum S. Bruno, tanquam electus hujus in sedem illam successor, pariter rensetur insignique præterea elogio ornatur, nullam plane de Alcuina seu Alchanirina sancti origine mentionem facit. Atque hæc de Brunonis genere, quod nemo facile definiat, dicta sufficiant; ad solum ejus natale sermonem modo converto. Qui unanimi consensu, Sanctum nobili genere ortum, iidem, in Germania Coloniæ Agrippinæ etiam natum omnes ejus asserunt biographi. Et sane hanc eorum assertionem veritati esse apprme consonam, satis liquet vel ex solo primorum quatuor Carthusiæ Majoris Chronico, ante annum, ut jam docui, 1137 concinnato, fideque dignissimo, quod in S. Brunonis elogio, num. 7 huc transcripto, opportune ad institum præsens ita habet: « Magister Bruno, natione Teutonicus, ex præclara urbe Colonia parentibus non obscuris natus..., eremum Carthusiæ fundavit. »

41. Accedit porro Sigeberti Gemblacensis, anno 1313 e vivis sublati, quæ iisdem fere verbis solum Sancti natale Coloniæ Agrippinæ collocat, Chronographia, uti etiam Petrus venerabilis, anno 1156 vita functus, qui magistrum Brunonem lib. II Miraculorum, cap. 28, Coloniensem appellat. At vero Sanctus noster a duobus scriptoribus sibi coævis, quorum alter Chronicon Malleacense, a Labbeo tom. II Bibliothecæ novæ mss. editum, alter Fragmentum Historiæ Franciæ a tempore Roberti ad mortem Philippi I regis, a Chesnio tom. IV Scriptorum Franciæ insertum, conscripsit, Remensis etiam apellatur. Amborum verba huc transcribo. Prioris tom. Labbei cit., fol. 205 hæc sunt: « Fulbertus docuit Berengarium, canonicum sancti Martini. Qui item Brunonem Remensem et alios multos hæredes philosophiæ reliquit; » posterioris tomo Chesnii itidem cit., fol. 89 ista: « Hoc tempore tam in divina, quam in humana philosophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum episcopus, Guido Langobardus, Maingaudus Teutonicus, Bruno Remensis, qui postea vitam duxit eremiticam. » Ad hæc inter funebres Sancti titulos duo occurunt, quorum altero, inter edendos trigesimo secundo, *Bruno* expresse *Gallicus* vocatur, altero Gallus, fuisse, sat aperte innuitur. Prior, qui ecclesiæ S. Mariæ Carnotensis scholarium est, sic habet:

Quam Phœbe Phœbo, quam cætera sidera lunæ,
Tam totus mundus adsit tibi, Gallice Bruno;

Posterior vero, qui sancti Gervasii Falesiæ in Northmannia est, locumque inter recudendos 114 obtinet, ita sonat:

Gallia multorum mater nutrixque virorum,
Isti quando pares es habitura mares?
Iste tuus quondam doctrinæ præbuit undam
Gentibus et cleris, etc.

42. Hinc porro, cum præterea Gallum fuisse S. Brunonem, alii etiam ejus, quos hic recensere, operæ pretium non est, Tituli funebres indicare videantur, non nemo forte existimabit, e Gallia eum fuisse oriundum, nec Coloniæ Agrippinæ, sed Remis natum; verum cum monumenta antiqua non collidenda, sed, si fieri queat, componenda inter se sint; Sanctus autem alia etiam quam ortus ratione Gallus, aliaque item quam nativitatis Remensis dici potuerit, reipsa id ita in Chronico Malleacensi, allegato e Chesnio Fragmento historico Titulisque funebribus factum esse, credendum est, ne alioquin monumenta hæc antiqua pugnare dicenda sint cum antiquissimo quatuor primorum Carthusiæ Priorum Chronico seu excerpto ex hoc Sancti elogio, quod nullo plane modo, utpote Brunonem ratione Teutonicum et Coloniæ Agrippinæ netum, disertissime docens, veritati consonum potest intelligi, nisi reipsa hic Coloniæ Agrippinæ natus sit. Sanctus itaque Remensis quidem a Chronici Malleacensis dictique Fragmenti historici scriptoribus dictus fuerit, quod hisce non tam ex patria, quam ex studiis, quibus Remis tum discendo, tum docendo diutissime vocaverat, et ex dignitatibus, quam ibidem obtinuerat, notus esset; pro gallo vero in Titulis funebribus habitus fuerit vel simili fere de causa, vel quod in Gallia potissimum educatus fuisset; quod postremum eo minus rejiciendum est, quod in Titulo funebri 115, qui S. Mariæ Tornacensis est, Coloniæ natus et in Gallia educatus dicatur. En illum:

Quem genuisse Colonia, Francia vult aluisse,
Gloria, Bruno Pater, genti communis utrique
Ascensu facili sociatur ad agmina cœli.

43. Atque ita, omnibus rite expensis, S. Brunonem Coloniæ Agrippinæ natum esse, extra omnem controversiam arbitror; verum multum abest ut annus ejus natalis tam certo definiri queat. Hunc interim post annum Christi 1050 Bailletus ad 6 Octobris col. 83 collocat; ast eumdem decem ut minimum annis maturandum, Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, pag. 233, aliique plures observant; et recte quidem, ut vitæ, a Sancto ductæ, series ostendit. Etenim S. Bruno uti infra ostendam, occasione turbarum, quas in Ecclesia Remensi Manasses archiepiscopus excitarat, anno 1076 aut sequenti scholarum, quam in hac gerebat præ-

www.libtool.com.cn

fecturam dimisit; quod proinde, si post annum demum 1050, ut Bailletus vult, natus sit, anno ætatis suæ vigesimo quinto aut certe vigesimo sexto fecerit. Quare, cum simul, antequam hoc faceret, multis jam annis, ac proin duodecim saltem aut quindecim, scholas Remenses rexisset, censequens erit, ut celeberrimarum harum scholarum præfecturæ jam inde ab anno æstaiis suæ duodecimo, aut ad summum quinto decimo, quod nemo sanæ mentis admittet fuerit admotus. Brunonem autem multis annis scholarum Remensium præfecturam. priusquam hanc abdicaret, gessisse, ex iis, quæ Marlottus Historiæ metropolis Remensis lib. I, p. 115 scribit, simulque ex iis, quæ de anno, quo Sanctus præfecturam illam dimisit, jam dicta sunt, dilucide consequitur: Brunonem enim scholarum Remensium caput seu rectorem jam inde ab anno 1056 constitutum a Gervasio archiepiscopo fuisse, loco cit. is scriptor tradit, nec multum a vero eum aberrare, ex infra dicendis de tempore, quo Bruno Remis docere primum inceperit, dilucide patescet. Sanctum interim Remensibus scholis diu præfuisse, aliunde in antecessum nunc proin. Atque adhoc quidem opportune hic succurrit, qui e funebribus Sancti Titulis septuagesimus tertius est supra centesimum. In hoc enim Nolienses monasterii S. Vincentii canonici Regulares qui, « visa schedula, quæ Brunonis incomparabilis philosophi obitum patefecit, » ingemuere, diu hunc Remensium scholarum præfecturam gessisse, disertis verbis affirmant, ita loquentes: « Bruno... veram scientiam et prudentiam liberalium artium, nec non cæteras Cardinales virtutes habuit et servavit, quas in bono fine sonsummavit. Dudum siquidem ecclesiæ sedis Remensium summus didascalus, utpote in psalterio et cæteris scientiis luculentissimus, et columna totius metropolis diu exstitit.

44. Ad hæc Sanctum, cum Remensium scholarum præfectura sese abdicavit, non viginti quinque dumtaxat aut viginti sex annorum, quod, ut dictum, ex Bailleti opinione consequitur, sed provectioris ætatis fuisse, in Vita Urbani II papæ, Mabillonii et Ruinartii Operum Posthumorum tom. III inserta, pag. 6 et 7 posterior eibinis hisce scriptoribus efficacissime e variis funebribus Sancti nostri Titulis probat. Verba ejus proinde, Titulos simul, e quibus partim hæc deprompta sint, suo singulis numero apposito, designans huc transcribo. Sic habent. « Hunc (S. Brunonem videlicet) « Gemmam sophiæ » appellant (*Titulo* 74) canonici sanctæ Mariæ Blesensis; « Lucem ecclesiarum » (*Titulo* 82) monachi Bellovacenses sancti Luciani; « Clarissimum sophistam» (*Titulo* 107) Miciacenses sancti Maximini; « Doctorem doctorum » (*Titulo* 77) Bernacences; « Magistrorum decus, remigium turbæ Remensis » (*Titulo* 109) Parisienses sanctæ Mariæ Majoris ecclesiæ canonici; hunc « Doctrinæ præbuisse undam gentibus et cleris, » alunt (*Titulo* 114) sancti Gervasii Valesienses; « Cunctos superasse toto in orbe magistros « (*Titulo* 64) sancti Timothei Remenses; » Ejus doctrina tot factos esse sapientes, quot mens » nescit » (*Titulo* 131) sanctæ Mariæ Spulingenses; et monachi sancti Nicolai Andegavensis, « Ejus « doctrinam toto fulgere in orbe, » unde ejus « Sequaces » esse optant (*Titulo* 78) canonici cathedralis ecclesiæ sanctæ Crucis Aurelianensis, Nimius essem in cæteris ejus elogiis recensendis. At omittere non licet canonicorum Andegavensis ecclesiæ cathedralis sancti Mauricii testimonium, quo Brunonem asserunt magistrum fuisse non puerorum aut minorum clericorum, sed virorum gravium et jam doctorum, qui sub eo divina, id est, Theologiam addiscebant. Quod sane arguit, eum jam tunc maturæ ætatis fuisse, cum Remis ante suum secessum doceret. »

45. Ita ille, qui deinde e canonicorum ecclesiæ cathedralis Andegavensis Titulo, qui inter recudendos locum 166 tenet, versibus aliquot, qui sic habent:

Ejus et eximia celebratur ubique sophia,
Plusquam Maronis laudatur lingua Brunonis,
Gloria Platonis vilescit laude Brunonis.
Hic præcellebat doctoribus, faciebat
Summos doctores, non instituendo minores.
Doctor doctorum fuit hic, non clericulorum.
Nam nec honestates verborum, nec gravitates
Sumpsit Brunonis nisi Vir magnæ rationis.
Nuncia egregiam Divina docendo sophiam,

lectori exhibitis, ita mox post pauca, quæ huc minus faciunt, prosequitur: « Jam vero quis dixerit, tantum virum, quem omnes ferme Galliarum, Angliæ et Italiæ ecclesiæ veluti celeberrimum scientiarum magistrum certatim commendarunt, has laudes annos viginti aut paulo plus aut minus natum promeruisse? Quis, inquam sibi in animum induxerit, Brunonem ea ætate diu scholas adeo celebres cum tanta eruditionis et doctrinæ fama rexisse, ut post viginti (circiter nimirum) secessionis annos mors ejus tanquam omnium doctorum magistri a plerisque orbis Christiani ecclesiis celebrioribus deplorata fuerit? » Hactenus Ruinartius: et sane, cum Sanctus in tot adductis ab eo Titulis funebribus tam variis tamque profusis, quas, brevi spatio ætateque juvenili haud facile merendas, Remenses scholas docens aut harum præfecturam gerens meruerit, laudibus ornetur, argumento id est per quam valido, fuisse illum, cum hanc anno 1076 aut seq., ut dictum, dimisit, viginti quinque aut viginti sex annis majorem, ac proin ante sæculum undecimum, media sui parte jam elapsum, seu ante annum 1050 esse natum.

46. Verum quanto quidem citius id evenit? Zanotti (adi num. 26) in contexta a se Sancti Vita pag. 3 duo affert e Calabriæ monumentis, quæ laudat, testimonia diversa, quæ S. Brunonem nonagenario majorem obiissé, produnt. Alterum quod Epigramma vocat, quodque speluncæ, in qua Sanctus in Calabria habitarit, fuerit inscriptum, duobus constat his versiculis:

Jam nonaginta duos vitæ compleverat annos,
Cum Superos fragili carne solutus adit;

www.libtool.com.cn

alterum, quod e ms. antiquissimo, ut ait, fuerit desumptum, de Brunone sic habet : Obiit « Pridie Nonas octobris anno ab orbe redempto millesimo centesimo secundo, mense octavo, ætatis su ævero anno nonagesimo secundo. » Cum ergo Sanctus, uti infra suo loco probabitur, omni dubio procul anno 1101 vita functus sit, anno circiter 1008 natus indubie fuerit, si binis illis adductis, quorum altero Sanctus, cum jam nonaginta duos vitæ annos implesset, altero, cum jam nonagesimum secundum vitæ annum ageret, obiisse traditur, testimoniis sit standum. Verum hæc e fontibus adeo antiquis, ut fidem indubiam mereantur, profecta mihi non videntur : licet enim alterum e ms. antiquissimo Zanotti indicet depromptum, quantæ tamen antiquitatis hoc fuerit, non adjungit, dubitareque proinde sinit, an sæculo quarto decimo, aut etiam quinto decimo exstiterit antiquius; quod utrumque a Sancti nostri ætate est remotius, quam ut scriptis de eo tunc confectis sua queat certa constare fides.

47. Et vero ipsemet Zanotti ms, illud, ut ut antiquissimum, magni aut fecit : etsi enim etiam, quo ab errore chronico quantum ad annum Christi 1102, cui Sancti obitum illigat, habeatur immune, Christi annos in illo ab Incarnatione, prout hæc Nativitatem prœcessit, numerari affirmet, recitatis tamen, quæ jam huc transcripsi, binis testimoniis, mox subdit, probabile non esse, Sanctum ad tantam, quanta in hisce asseritur, ætatem pervenisse, additque etiam, id ita idcirco sibi videri, quod non appareat, qui is in ætate tam provecta (sic enim anno 1084, quo ex dicendis Carthusiæ eremum primum ingressus est, sextum supra septuagesimum ætatis suæ annum jam egisset) austerum adeo, quale tum in Carthusia Majori, tum in Calabria duxit, vitæ genus ducere, labores et ærumnas, itinerumque, quibus se dedit, incommoda sufferre potuisset. Ita fere quantum ad substantiam Zanotti, et recte sane. Atque hinc est, cur et eorum, qui Sanctum anno 1020 natum statuunt, opinio mihi displiceat : in hac enim ille, cum anno 1084 in Carthusiæ eremum secessit, annorum quatuor supra sexaginta exstiterit ; qua pariter ætate rigidissimæ gravissimisque incommodis obnoxiæ vitæ, quam tunc primum fuerit amplexus, ducendæ fuisse parem, minus credibile apparet.

48. Quapropter cum Sanctus equidem, ut supra ostensum, major, quam viginti quinque aut viginti sex annis, cum anno 1076 aut sequenti Remensium scholarum præfectura sese abdicavit, haut dubie exstiterit. nativitas ejus circa annum 1030 aut paulo serius hunc annum inter et annum 1040 collocanda videtnr. Ita enim, cum in Carlusiam secessit, annorum dumtaxat quinquaginta circiter exstiterit ; qua ætate plures fuisse et adhuc reperiri viros, vegetos adhuc ac robustos, durissimisque laboribus ferendis idoneos, experientia habetur compertum. Ita etiam poterit intelligi, qui factum sit, ut Bruno, cum Remensium scholarum præfecturam anno 1076 aut sequenti dimisit, hanc jam dudum. id est, annis quindecim circiter, ut supra dictum, aut saltem duodecim, imo jam inde ad anno 1056, si Marlottus loco supra cit. recte notet, gessisset, eamque, qua tunc inclaruisse. a Guiberto de Novigento, auctore coævo infra sæpissime laudando, diserte asseritur, variisque in Titulis funebribus supra citatis innuitur, nominis celebritatem jam acquisivisset. Et sane Sanctum, cum Carthusiæ eremum est ingressus, quin quagenarium circiter aut eo etiam paula majorem fuisse, ac proin tempore jam assignato natum esse, utcumque etiam suadet modus, quo de eo, veluti de viro longe gravissimo, ætatisque plane maturo, serma fit tum in variis Titulis funebribus supra laudatis, tum in vita S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, apud nos tom I Aprilis inserta, in qua auctor synchronus Guigo, quintus Carthusiæ Majoris prior, num. 11 de S. Brunone, ad sanctum hunc episcopum paucis diebus, antequam Carthusiam ingrederetur, veniente, ita loquitur : « Adest magister Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum. »

49. Accedit, in diversis ecclesiis jam tum, cum Sanctus anno 1084 in eremum secessit, celebres floruisse viros, quos hic discipulos habuisset, hosque inter Odonem de Castellione, qui anno 1088 ad summum pontificatum fuit evectus, nomenque Urbani II assumpsit. Nec hic præterire possum antiquum Carthusiæ Montis Dei in Picardia codicem, in quo S. Bruno septuagenarius obiisse legitur, ut Jacobus Marrinius, Carthusiæ hujus alumnus, apud Morkensium in ms. hujus Chronologica-diplomatica de S. Brunone Diatriba, § 1 testatur ; si enim codex ille recte notet, Sanctus utique, utpote anno 1101 vita functus, anno circiter 1030 natus fuerit. Verum cum de codicis illus ætate nihil vel a Martinio, vel a Morkensio additum inveniam, rem alio adhuc argumento, quod mihi omnium validissimum apparet, juverit firmasse. Sanctus verosimiliter, uti infra probabo, ante annum 1050 Berengario in philosophia magistro usus est ; quare cum hanc verosimillime non prius exceperit, quam cum septemdecim circiter annorum esset, hique ab anno 1050 ordine retrogrado computatati deducant ad annum circiter 1030, Sanctum circa hunc ipsum annum natum esse, consequitur. Atque hinc precipue simulque ex aliis supra in medium adductis probabilissimum sane apparet, Sanctum anno circiter 1030 aut paulo serius hunc annum inter et annum 1040 natum esse; quod cum sufficienter modo probatum putem, ad alia progredior.

§ III. *Qualis Sanctus in pueritia fuerit, canonicusne S. Cuniberti, et qua ætate esset, cum litteras discendi causa Gallias adiit, et an ibi Berengarium in philosophia magistrum hobuerit.*

Blomenvenna in contexta a se Vita de Sancto, adhuc puero, ita loquitur : « Hujus a cunabulis mater sapientia lactabat infantiam, et semper in profectu ætatis proficere ad meliora edocuit. Hic

etiam, dum puer esset, nihil puerile gessit in opere, sed quasi futuræ religionis speciem ostentans, plurium monachorum institutor a Domino parabatur, Sortitus est autem a Domino animam bonam, laudabilem indolem, ingenium docile, memoriam tenacem, voluntatem affectuose inclinatam ad optima.» Eadem in edenda Sancti Vita habet Surius, a Blomenvenna, quem hic quantum ad substantiam ad amussim expressit, in verbis, quibus utitur, dumtaxat diversus. Atque hæc quidem omnia, etiamsi expresse vel scriptoris vel monumenti antiqui testimonio confirmari haud queant, verosimillima universim apparent; quod vero nominatim ad eximias, quibus Sanctus adhuc puer effulserit, animi dotes pertinet, veritati sane id esse consonum, subsecuta ejus per totam vitam gesta dubitare non sinunt, luculenterque ex dicendis patescet. Verum enimvero leviora hæc sunt; graviora longe, difficultatibusque pene inextricabilibus implicata modo sequuntur. Blomenvenna verbis, proxime ex eo jam recitatis, hæc subdit: « Verum scholis Parisiensibus traditus, liberalibus artibus imbuendus, ultra coævos proficiens et inter primos philosophos habitus scholarum magister est effectus. » Sanctus ergo secundum Blomenvennam, cui Surius etiam cosonat, litteris liberalibusque artibus Parisiis, celeberrima Galliarum civitate, fuerit imbutus.

51. Ac Sanctum quidem litteris operam daturum Coloniam Agrippina Gallias petiisse, apud omnes in confesso est, nec ulla ratione potest revocari in dubium, uti ex dicendis quisque facile intelliget. Verum quæri hic potest, qua ætate Gallias adierit, num nallam ante in patria litteris operam navarit, num prævie S. Cuniberti canonicum non egerit, et num tandem vere Parisiensem urbem petierit studiisque suis consecrarit. Et primo quidem Brunonem in patria, antequam in Galliam proficisceretur, litterarum Grammaticæque rudimentis fuisse imbutum, verosimillimum apparet: verum an altioribus etiam scientiis? Id sane, dum locum, quo ibi Bruno studuerit, assignant, innuere videntur Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, p. 233. Etenim hic Sanctum non tantum in collegiata S. Cuniberti ecclesia, et litteris tam divinis quam humanis optime imbutum, et magna cura educatum fuisse, scribunt, vecum etiam citant in margine Labbeum Bibliothecæ Novæ tom. I, p. 638, seu Sancti nostri elogium, ex hoc Labbei loco num. 7 huc transcriptum, in quo tamen ad eorum propositum nihil occurrit, quam « litteris tam sæcularibus quam divinis valde munitum fuisse Brunonem; » quæ elogii verba, ut consideranti patebit, intelligenda præcipue sunt de altioribus sicentiis Philosophia et Theologia, quas Sanctus aliquando calluerit, quasque interim eum Coloniæ, antequam Gallias adiret, non didicisse, ex ætate minus provecta, qua tunc fuisse, infra probabitur, certum apparet. Quod autem ad locum, quo Sanctum Coloniæ educatum litterisque imbutum aiunt, hunc etiam Sancti apud Labbeum elogium neutiquam exprimit.

52. Oportet ergo, ut scriptores illi, quæ loco cit. de re illa litteris mandarunt, unice hauserint et prolixa, quam ibidem pro se una cum Sancti elogio dumtaxat citant, quamque Mabillonius Musei Italici tom. I. part. II, pag. 119 et seqq. exhibet, Manassis archiepiscopi Remensis Epistola, ad Hugonem Diensem, Sedis Apostolicæ in Gallia legatum, data, in qua ita loquitur: « Bruno nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis, in regno Teutonicorum positi, canonicus est. » Et sane Sanctus, quem ex hisce Manassis verbis Coloniæ in Collegiata S. Cuniberti ecclesia canonicum fuisse, constat, verosimillime etiam, ex parte saltem, et in hac educatus, et litteris fuerit excultus, si modo jam inde ab eo tempore, quo in Galliam sese nondum contulerat, Coloniæque juvenis adhuc degebat, Cunibertinis canonicis fuerit adscriptus. Verum sunt, qui sanctum tum demum, cum anno circiter 1076 aut sequenti improbis Manassis archiepiscopi moribus Remos deserere fuisset coactus, canonicatu in collegiata S. Cuniberti Ecclesia donatum fuisse, contendunt, idque idcirco quod Sanctus anno 1079, quo præfatam epistolam Manasses scripsit, Cunibertinæ Ecclesiæ canonicus ratione obtenti in hac in adolescentia canonicatus vocari nequivisset, cum tunc beneficio hujusmodi, utpote a pluribus jam annis Ecclesiæ Remensis canonicus factus, sese haud dubie abdicasset. Res sane mihi sat verisimilis apparet.

53. Attamen fieri potest, ut Manasses locutus fuerit de Sancto, veluti de Cunibertinæ Ecclesiæ canonico, quod, etsi non amplius tunc, aliquando tamen in hac canonicatum obtinuisset, eumque, utpote pravis suis moribus contrarium, pro canonico Remensi habere ex odio nollet; quod ut facilius credi queat, faciunt, quæ jam recitatis proxime subdit, hæc verba: « Cujus (Brunonis nimirum) societatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita et libertate penitus ignoramus; et quia, quando apud nos fuit, multis beneficiis a nobis in eum collatis, male et nequiter tractati sumus. » Ita quippe, ut Sancto apud Sedis Apostolicæ legatum invidiam conflet, Manasses hic loquitur. Ad hæc Sanctus a Cunibertino canonicorum collegio, in quo primum vitæ, ad canonum præscriptum exigendæ, sese dederat, Cunibertinus canonicus, etsi ad aliud canonicorum collegium jam transiisset, dici forsan adhuc potuerit, quod pro tempore, quo Remis versaretur, possessi in Ecclesia Cunibertina canonicatus fructibus dumtaxat renunciasset, ipso interim canonicatu canonicique Cunibertini titulo retento, ut ad hunc, si quando Remensi excidisset, redire potuisset. Duo certe diversa hunc in modum, maxime si legitima, ut fieri potuit, auctoritas intervenerit, beneficia possidendo in canones peccaturus Sanctus fuisse non videtur. Hisce itaque consideratis, eorum opi-

nio, qui Brunonem, antequam Gallias adiret, Colo- A berrima tunc Remensi schola addixit, ut aliis in niæ in collegiata S. Cuniberti ecclesia canonicum exstitisse, autumant, non omnino improbabilis apparet, ac proin Historiæ litterariæ Franciæ scriptores, dum sanctum, antequam Gallias peteret, et Ecclesiæ Cunibertinæ canonicum faciunt, et in hac fuisse educatum, affirmant, erroris indubitati arguere non ausim, licet interim contrarium æstimantium opinio probabilior appareat.

54. Et hæc quidem probabilior multo erit, si ad id, ut Sanctus Ecclesiæ Cunibertinæ canonicus esse potuerit, provectior fuerit quam quatuordecim aut quindecim annorum ætas requisita. Sanctus enim, cum id circiter ætatis esset, aut adhuc junior, Colonia in Galliam litteras discendi ergo profectus jam fuisse, Remisque studuisse videtur. Funebris enim B Titulus, inter recudendos 56, quo S. Mariæ Ecclesiæ metropolitanæ Remensis canonici Sancto parentarunt, sic habet :

Quem tenerum docuit mater Remensis alumnum,
Propositi tenuisse fidem lætata Brunonem,
Migrantem ad Dominum lacrymis precibusque salutat.

Per tenerum autem alumnum quatuordecim aut quindecim annorum, aut etiam paulo junior adolescens hic intelligendus videtur. Ita autumo tum quod adjectivum tener, dum ætatem afficit, ad paucos hanc annos per se contrahat, tum quod Sanctus Remis litteras humaniores didicerit, annoque circiter 1047 philosophiam, cum verosimiliter annorum circiter septemdecim dumtaxat esset, Turonis audire C inceperit. Et hoc postremum quidem infra probabo; Sanctum autem Remis humaniores litteras didicisse, fidem facit apud Mabillonium Præfatione in sæculi VI Bened. part. II, num. 85 Baldricus abbas Burguliensis auctor coævus; ibi enim in carmine ad Godefridum Remensem nondum edito de S. Brunone sic canit :

Et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno studebat,
Bruno Latinorum tunc studii speculum.

Hic autem per Latinorum tunc studium non philosophiam aliasve altiores scientias, sed litteras humaniores, quibus linguæ grammaticæque Latinæ studium comprehenditur, verosimillime, intelligit.

55. Et vero Sanctum, qui, cum juvenis admodum, ut dictum, Remis studuerit, verosimillime, ante- D quam hoc faceret, nec Parisiis, nec in alia Galliarum civitate litteris operam dederit, politiori litteratura seu humanioribus litteris sese Remis excoluisse, ipsimet Historiæ litterariæ Franciæ scriptores loco supra cit. non obscure docent, poesi illum æque ibidem, quam aliis scientis, ut ævi, quo vivebat, mos ferebat, incubuisse, asseverantes, ut verosimillime, dum pro scientiis, a Brunone Coloniæ Agrippinæ haustis, ejus apud Labbeum exstans elogium loco supra cit. laudant, minus ex hoc, quam verbis suis indicent, deductum voluerint, aut certe, quid ex eo consequeretur, minus perspexerint. Porro Sanctus tanto ardore tantoque successu humanioribus litteris seu linguæ Latinæ studio sese totum in cele-

exemplum proponeretur. Ita ex ultimo, e duobus proxime huc transcriptis Baldrici, abbatis Burguliensis, versiculis colligendum videtur : « Bruno Latinorum tunc studii speculum. » Ad hæc quantum Sanctus nominatim in poetica facultate progressum fecerit, sufficienter ostendit vel solum ab eo compositum atque tum alibi sæpius, tum Parisiis a Judoco Badio cum cæteris sancti Viri Operibus anno 1524 excusum Paræneticum ad cœlestia capessenda Epigramma, utpote in cujus versibus, ut ut ad artem omnino non exactis, ea tamen quam in aliis pene omnibus poetis sæculi XI, quo Sanctus floruit, frustra quæras, et venustas et elegantia mirifice elucet.

56. Integrum id speciminis loco huc transcribo. Sic habet :

Mortales Dominus cunctos in luce creavit,
Ut capiant meritis gaudia summa poli.
Felix ille quidem, qui mentem jugiter illuc
Dirigit atque vigil noxia quæque cavet !
Nec tamen infelix, sceleris quem pœnitet acti,
Quique suum facinus plangere sæpe solet.
Sed vivunt homines, tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret,
Cum doceat sensus, viventes morte resolvi,
Atque erebi pœnas pagina sacra probet;
Quas qui non metuit, infelix prorsus et amens
Vivit et extinctus sentiet ille rogum.
Sic igitur cuncti mortales vivere curent,
Ut nihil inferni sit metuenda patus.

Nec minus Sanctus, uti ex dicendis pronum erit colligere, altioris ordinis scientiis, quam poetica facultate sese studuit imbuere. Verum ubi hasce ac nominatim quidem philosophiam didicit? Pro civitate Parisiensi stant non modo Blomenvenna verbis num. 50 huc transcriptis, Surius in Sancti Vita, aliique Ordinis Carthusiensis scriptores non pauci, verum etiam, quos omnes nominare non vacat, alii nonnulli, ac nominatim in Universitatis Parisiensis Historia, anno 1665 a se edita, tom I, pag. 467 et seq. Cæsar Egassius Bulæus, qui, licet Sanctum Parisiis philosophiæ incubuisse, aperte ibidem non edicat, satis tamen id indicat, quique, quod reliqui non faciunt, opinionem suam, qua præterea Sanctum Parisiis docuisse, autumat, probare etiam nititur.

57. Ac ad id quidem tres conjecturas adhibet diversas, Omnium postremam, cum tantum eo tendat, ut Sanctum Parisiis, quod infra dumtaxat discutiendum, docuisse probet prætermitto, solumque duas reliquas examino. Harum posterior « petitur (verba sunt Bulæi) ex auctore anonymo, qui Historiam a Roberto ad mortem usque Philippi I perduxit, quique Brunonem novit aut nosse potuit. Ille autem iis eum accenset, quos prope certum est studuisse et docuisse Parisiis. « Hoc tempore, » inquit, nempe circa annum 1060, » tam in divina, » quam in humana philosophia floruerunt Lanfran- » cus Cantuariensis episcopus, Guido Langobardus, » Manigaudus Teutonicus, Bruno Remensis, qui

www.libtool.com.cn

« postea vitam duxit eremiticam. » Nemo autem dixerit, Viros illos docuisse Remis. » Ita ille, qui, quamquam Sanctum philosophiæ Parisiis incubuisse, expresse non edicat, satis tamen id innuit, cum, Parisiis studuisse eum, prope certum esse velit, simulqué, quo rem evincat anonymi textum, quo Sanctus in philosophia floruisse, asseritur, in medium adducat. Verum unde, quæso, Brunonem non alibi quam Parisiis philosophiæ incubuisse, aut etiam scientiam hanc docuisse, certum esse potest?

58. Sane Brunonem philosophiam Remis docuisse, ex infra dicendis ac nominatim ex ipso, quod hic Bulæus laudat, Fragmento historico verosimilius apparet, ut proinde contrarium sit incertum, debeatque vel hinc Bulæi conjectura, de philosophia a Brunone Parisiis excepta, pro admodum incerta haberi; an vero de aliis, quos anonymus a Bulæo adductus laudat, certior sit, aliis examinadum relinquo, et ad alteram scriptoris hujus conjecturam jam venio. « Hæc est ex Chronici Malleacensis (verba iterum sunt Bulæi) manuscripto codice, qui servari dicitur Parisiis in bibliotheca Puteana, quique ab auctore conscriptus est circa annum 1160, et in lucem editus a Philippo Labbeo. In eo autem leguntur hæc verba ad an. 996 : « Gerbertus docuit » Fulbertum, Carnotensem episcopum. Hic iterum » Fulbertus docuit Berengarium canonicum S. Mar- » tini. Qui item Brunonem Remensem et alios mul- » tos hæredes philosophiæ reliquit. Bruno quidem » perfectus philosophus et eremita apud Calabriam » multorum monachorum Pater obiit in Christo. » At ubi Berengarus eum hæredem philosophiæ reliquit? Certe ubi ipse docebat; at non legitur docuisse Remis, sed Turonis, et præsumitur docuisse Parisiis post mortem Fulberti Carnotensis præceptoris sui. Itaque verisimile est, Brunonem eum (in philosophia nimirum) Lutetiæ audivisse. »

59 Hactenus Bulæus, contendens videlicet, non tantum Sanctum nostrum philosophiæ placita Parisiis excepisse, verum etiam ibidem in hisce magistro usum esse Berengario, Turonensi S. Martini canonico » viro illo ex sparso hæreseos suæ, qua realem Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam negavit, Calvinoque et ejus sequacibus prælusit, veneno per omnem late Europam notissimo. Verum cum Berengarius (adi Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IX, pag. 140) Parisiis docuisse nuspiam legatur, sitque proinde, uti ipsemet Bulæus verbis recitatis satis indicat, an ibidem revera ille unquam docuerit, admodum dubium, cur Turonis hunc, ubi docuit, a Sancto in philosophia auditum fuisse, e recitatis Malleacensis Chronici verbis potius non intulit? Sane cum Berengarius, a Lanfranco variis disputationibus devictus, et a discipulis propterea desertus, Parisios et scholas dimittere, Turonasque repetere, ex ipsiusmet Bulæi opinione sub annum 1038 fuerit coactus, nequiit profecto Sanctum in philosophia ibidem habere discipulum, utpote qui tunc, anno demum, ut docui, 1030 circiter natus, decimum ætatis suæ annum nondum attigisset. Ruit itaque et altera, qua Parisiis a Brunone philosophiam fuisse exceptam probetur, formata a Bulæo conjectura. Et vero Sanctum non Parisiis, sed Remis vel Turonis philosophiæ incubuisse, dicendum ; Remis quidem, si Berengarius in scientia illa magister ei non obtigerit, Turonis vero, si obtigerit.

60. Ac horum quidem primum idcirco placet, quod Sanctum diu Remis studuisse et docuisse, et ex jam dictis et ex porro dicendis certum omnino sit; postremum vero, quod utique, si revera Sanctus, ut Chronicon Malleacense tradere videtur, in philosophia Berengarium audierit, factum id esse ibi, ubi hic docebat, verosimillimum appareat. Ut itaque Remisne, an Turonis philosophiæ placita Bruno exceperit, definiri utcumque queat, habueritne hic in philosophia Berengarium [magistrum, est indagandum. Ac Sanctum quidem in philosophia magistro usum esse Berengario, mea est opinio, quam ut probem, primo eos, qui illi adversantur aut certe non favent, convenio. Marlottus postquam Historiæ metropolis Remensis tom. II, pag. 135 S. Brunonem dixit præceptorem, in philosophia videlicet, nactum fuisse Berengarium, S. Martini Turonensis canonicum, statim addit, « si chronographo Malleacensi, Brunonis coætaneo, credatur.» Mabillonius fidei professioni S. Brunonis, quam tom. IV Veterum Analect, pag. 400 edidit, annotationem hanc præfixit : « Deoduini epistolæ propter argumenti affinitatem subjicere visum est S. Brunonis fidei professionem, quam morti proximus edidit, damnata hæresi Berengarii, cujus discipulus fuerat, si fides est Chronico Malleacensi. » Duo itaque viri illi eruditi, Marlottus nempe et Mabillonius, quidquid Chronici Malleacensis auctor verbis num. 58 a Bulæo adductis scribat, pro indubitato non habuere, Brunonem in philosophia magistro usum umquam esse Berengario. Nec tantum rem hanc dubiam, verum etiam a vero alienam autumavit Mabillonius.

61. Etenim Præfatione in Sæculum VI Benedictinum num. 7 circa medium sic scribit : « De hac propagatione (doctrinæ et eruditionis) agens sancti Maxentii chronographus, eam, tanquam e fonte, repetit a Girberto seu Gerberto monacho Aurilia- censi, qui Fulbertum Carnotensem docuisse dicitur. Fulbertus vero, ait, ille, « docuit Berengarium » canonicum sancti Martini : qui item Brunonem Re- » mensem et alios multos heredes philosophiæ reli- » quit : » quo ex loco nonnulli colligunt, Brunonem, sacri Carthusiani Ordinis institutorem, Berengarii discipulum exstitisse. Verum præterquam quod illius Maxentiani chronographi auctoritas tanti non est, ut id adstruere valeat, certe ipsa chronographi verba longe aliter interpretanda videntur. Hæc enim verba, « qui item Brunonem Remensem » etc. non ad Berengarium referenda sunt, sed ad Fulbertum, qui Berengarium docuit, quii tem Brunonem Remen-

www.libtool.com.cn

sem. Deinde ipsamet verba non evincunt, Fulbertum, nedum Berengarium, auditorem habuisse Brunonem, sed tantum Brunonem et alios multos, sive a Fulberto, sive a Berengario hæredes philosophiæ relictos fuisse, a quocumque demum præceptore eruditi fuerint illi, id est, Bruno aliique philosophiæ heredes. Certe Brunonem jam clericum et Coloniensem canonicum, ac proinde litteris excultum, ex urbe Colonia in Remorum civitatem accessisse, constat; at longe verosimilius est, eum a Notgero, Leodicensi episcopo, ejusque discipulis institutum fuisse. Hujus rei testis est locupletissimus Manasses, Remorum archipræsul, in Apologia sua, ubi de Brunone, qui ejus moribus adversabatur, hæc habet : « Bruno nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti in regno Teu- « tonicorum positi canonicus est, » etc. Id observare visum est hoc loco de viro sanctissimo, qui, etsi Berengarii discipulus fuisset, longe ab ejus errore abhorruit, ut probat ipsius confessio de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, quam alias retulimus. Sed interest verum a falso discernere, et nubeculam illam, si qua erat, a tanto lumine removere. »

62. In altera deinde in Sæculum VI Benedictinum Præfatione, quo opiniorem suam confirmet, num. 85 sic scribit : « Hunc Godefridum (Remensem, qui S. Brunoni in scholarum magisterio a Manasse, Remensium archiepiscopo, Remis fuit suffectus) viventem ac mortuum laudavit Baldricus abbas, qui cum Remis genitum, litterisque institutum cum Brunone fuisse dicit. Ita enim canit ille in carmine nondum edito *ad Godefridum Remensem.*

Nobilis urbs Romæ soror inquam, et Roma [secunda
Te genuit, peperit promeruitque sibi.
Hæc te doctrinæ totius nectare fultum
Adscivit studiis præposuitque suis.
Gallia tunc etiam studiis florebat opimis,
Florebatque tuo Gallia plus studio.
Ad te currebant examina discipulorum
Et refovebantur melle parentis apes.
Et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno studebat,
Bruno Latinorum tunc studii speculum.
Ipsis temporibus studuitque senex Herimannus,
Et mundo studii clara lucerna fuit.
Tu fueras juvenis, fueras et acutior illis.
Tertius ergo venis, jam quoque primus eras.
Gervasio princeps, princeps tuus elle Manasses
Successit, qui te promovet ad studium.

Ex his intelligitur, quod in priori Præfatione (loco nempe proxime ante hunc supra huc transcripto) ostendimus, Brunonem Remis operam litteris (in philosophia videlicet) dedisse, non Turonis sub Berengario magistro, ut quidam ex Chronico Mallia censi male intellecto persuadere volunt ; et quidem non solum cum prædicto Godefrido, sed etiam cum Herimanno seniore, quem Gozechinus scholasticus pri mum laudat inter illius sæculi sapientes et auctoritate præstantes, qui, relictis inferioribus studiis, in theologiæ otium concesserant. »

63. Hactenus Mabillonius : verum hæc, ut jam supra docui, Baldrici, abbatis Burguliensis, verba, « et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno studebat, Bruno Latinorum tunc studii speculum, » quæ potissimum, quod Mabillonius contendit, conficere deberent, in sensu naturali et magis obvio accepta significare dumtaxat videntur, Brunonem Remis litteris humanioribus operam dedisse. Si autem per « Latinorum studium » a Baldrico litteras humaniores non fuisse intellectas, præfacte velis, esse equidem non videtur, cur hic auctor magis debeat intelligi de philosophicis, quam de theologicis studiis quibus Bruno Remis animum excoluerit, Quod si ergo reipsa in toto huc transcripto textu de theologia dumtaxat, in quam sanctus Remis una cum Godefrido Remensi et Herimanno seniore incubuerit, Baldrico abbati sermo sit, quid, quæso, inde habebitur pro opinione, qua sanctum, non Turonis apud Berengarium, sed Remis philosophiam excepisse vult Mabillonius? Scriptori huic nihilominus consensere deinde Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IX, page 233, ita in inferiori paginæ hujus margine notantes : « Ex errore et ex Chronici Malleacensis sensu male intellecto factum est, ut, Brunonem Turonis sub Berengario studuisse, quidam auctores scripserint. Remis id fuisse, Baldricus, Burguliensis abbas, diserte (loco nempe a Mabillonio supra adducto) affirmat. » Ita illi; sed dispiciamus modo, an, qui sanctum sub Berengario Turonis studuisse, seu philosophiæ placita excepisse scripserunt, indubie errarint, ac Malleacense Chronicon male intellexerint, seu potius an hoc verbis num. 61 datis sat felici successu interpretetur Mabillonius. Primo hic scriptor ait : « Hæc... (Chronici Malleacensis) verba, « qui item Brunonem Remen- « sem, » etc., non ad Berengarium referenda sunt, sed ad Fulbertum, qui Berengarium docuit, qui item Brunonem Remensem. » Fulbertum ergo, non Berengarium, ex hac Mabillonii interpretatione magistrum in philosophia Sanctus habuerit. Verum hoc, nisi simul Chronici Malleacensis auctorem erroris arguere velimus, nequit admitti.

64. Fulbertus enim, de quo loquitur, fuit Carnotensis episcopus ; hic autem, ut Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. VII, pag. 265 dilucide ostendunt, e vivis excessit anno 1029, quo Sanctus vel non natus, vel certe præ ætate nimium adhuc imbecilla philosophiæ lectionibus excipiendis intelligendisque idoneus nondum erat, uti ex iis, quæ de natali Brunonis anno supra dicta sunt, pronum est eruere. Et vero sancto Fulbertum Carnotensem esse non potuisse in philosophia magistrum, ipsemet Mabillonius forsitan observarit. Ita suspicor, quod Chronici Malleacensis interpretationi, de qua jam dictum, alteram hanc proxime subjungat : « Deinde ipsamet (allegata Chronici Malleacensis) verba non evincunt. Fulbertum, nedum Berengarium, audito-

www.libtool.com.cn

rem habuisse Brunonem, sed tantum Brunonem et alios multos, sive a Fulberto, sive a Berengario « Heredes philosophiæ » relictos fuisse; a quocumque demum præceptore eruditi fuerint illi, id est, Bruno, aliique philosophiæ heredes. » Ab opinione sane qua Sanctus apud Turonas sub Berengario studuisse, statuitur, eruditi omnes facile discedent, si alter hic, quo Mabillonius utitur, Chronici Malleacensis interpretandi modus locum debeat habere. Verum res, ut mihi equidem apparet, verosimillime secus habet; quod ut probatum dem, ipsa recito Malleacensis Chronici verba, non ea tantum, quæ Mabillonius loco supra cit. transcripsit, verum etiam, quæ hisce præmittuntur, aliquot alia, textum aliquanto prolixiorem constituentia, qui sic habet: Girbertus vero natione Aquitanus, monachus Aureliacensis sancti Geraldi ecclesiæ,... ab imperatore papa Romanorum sublevatus est propter philosophiæ gratiam: mutatum est nomen ejus pristinum et vocatus est Silvester. Girbertus enim docuit Fulbertum Carnotensem episcopum, qui post Leobinum exstitit episcopus. De quo multa scripta vel in pagina, vel in cantu sanctæ ecclesiæ remanserunt. Hic iterum Fulbertus docuit Be rengarium canonicum sancti Martini. Qui item Brunonem Remensem et alios multos heredes philosophiæ reliquit. »

65. Ordine hic, quo floruerunt, recensentur nonnulli, ut consideranti patebit, philosophiæ doctores seu magistri, quorum alii aliis scientiam hanc tradidere ; quare, cum Berengarius, uti apud omnes in confesso est, philosophiæ doctor seu magister etiam exstiterit, hæc chronographi Malleacensis verba: « Qui item Brunonem Remensem et alios multos heredes philosophiæ reliquit, » non ad Fulbertum, ut vult Mabillonius, sed ad Berengarium referenda sunt, itaque debent intelligi, ut significent, hunc ipsummet S. Brunoni philosophiæ scientiam tradidisse. Et vero, ut ita intelligantur, naturalis etiam maximeque obvius quem offerunt, sensus exigit, quemadmodum, quantum opinor, quisque facile fatebitur. qui præjudiciis vacuus exstiterit. Mabillonius quidem, ut sanctam philosophiam a Berengario doctum non fuisse, ac proin hæc verba, « Qui item Brunonem Remensem, » etc., eo modo, quem assignat, exponenda evincat, in probationem adhuc addit, « Brunonem, jam clericum et Coloniensem canonicum, ac proinde litteris excullum, ex urbe Colonia in Remorum civitatem accessisse, » idque constare ex hisce (adi num. 52) Manassis Remorum archipræsulis de S. Brunone verbis, » Bruno nec noster clericus, nec noster natus, aut renatus est, sed sancti Cuniberti, in regno Teutonicorum positi, canonicus est, » etc. Verum litteris, quæ altioris, ut philosophia, ordinis sint, nondum sanctum, cum Colonia Remos adiit, excultum fuisse, supra docuimus, nec id constare potest ex allegatis a Mabillonio Manassis archiepiscopi verbis, cnm ex hisce, ut jam supra dictum, potius appareat, sanctum nostrum, antequam litteras discendi causa Remos adiret, S. Cuniberti canonicum non exstitisse, sed tum demum, cum anno 1076 aut sequenti Remis excedere fuisset compulsus.

66. Nullum itaque ex argumentis, quibus Mabillonius, modo vel uno vel altero a se assignato Chronici Malleacensis, quæ prolixe nunc discus sa sunt, verba explicanda esse, probatum vult, rem certo evincit, ac proin sensui naturali magisque obvio, quem hæc offerunt, adhærens, ita ea pergo accipere, ut Berengarium S. Brunoni philosophiæ placita tradidisse, significent: quod proinde re ipsa etiam factum, pro verosimillimo habeo, Chronici Malleacensis, quod auctorem Sancto nostro fere æqualem habet, auctoritate impulsus. Addit quidem (vide num. 61) etiam Mabillonius, tanti hanc non esse, ut Chronicon illud iis, quæ adstruit, fidem indubitatam facere possit, reque ipsa nonnulla, quæ memoriæ prodit a veritate aliena, deprehensa sunt, tum a Labbeo, a quo primum publici juris factum est, tum post eum ab Historiæ litterariæ Franciæ scriptoribus tom. XII, pag. 79 et sequenti. Verum, etsi id ita sit, verosimillimum tamen adhuc apparet, quod de tradita S. Brunoni a Berengario philosophia affirmat. Ea enim, in quibus Chronici illius auctor a veritate deviasse notatur, ab ætate ejus longius abfuere; in iis autem, quæ vel tempore suo vel non diu ante gesta sunt, vix unquam a Labbeo, qui tamen errores ejus sedulo adnotavit, errasse notatur, ut proinde, cnm synchronus aut certe pene æqualis Sancto nostro exstititerit, in iis utique, quæ de audita ab hoc sub Berengario philosophia tradit, errasse existimandus non sit, neque vero errasse, a Labbeo notatnr. Quare, si non omnino certum, verosimillimum equidem, omnibus consideratis, est, Sanctum nostrum a Berengario philosophiam doctum fuisse.

67. Hinc porro jam consequitur, ut eam, non Parisiis, quod hic etiam probandum erat, sed Turonis cum in hac civitate, non autem (uti modo inter recentiores criticos satis convenit) in alia, Berengarius docuerit, verosimillime exceperit. At vero, inquies, Berengarius impia sua, qua alios etiam inficere conabatur, hæresi infamis juxta ac periculosus erat, ac proin existimandum non apparet, vel sancti parentes, vel eos, qui illius adhuc juvenis curam gerebant, commissuros fuisse, ut Sanctum, magistri hujusmodi disciplinæ traditum, venenatæ Impiæque doctrinæ hauriendæ discrimini exponerent. Verum Berengarius non statim, cum scholas Turonenses regere cœpit, in hæresim fuit prolapsus, nec statim, cum hæreseos suæ virus spargere cœpit, passim pro hæretico ab omnibus fuit habitus. Et Hugo quidem Lingonensis episcopus, Berengarii olim condiscipulus, primus fuit, qui ab eo, (adi Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. VIII, pag. 202) in eucharistiæ sacramento et realitatem et transubstantiationem negari, detexerit, quique haud ita dudum post, quo errantem in viam reduceret, pulchram ad eum dedit epistolam ; quare cum hæc (adi iterum

www.libtool.com.cn

laudatos scriptores loco cit.) non citius, quam paulo ante Octobrem anni 1049 scripta fuerit, consequens est, ut verosimillime prava Berengarii doctrina anno dumtaxat proxime hunc antecedenti, quo etiam hæc aut tantum paulo citius turbas in ecclesia excitasse videtur ab Hugone Lingonensi episcopo fuerit detecta. Jam vero, cum id ita sit, nihil sane sancti parentes, tutoresve impedire debuit, quo minus eum anno 1047, quo ex supra dictis septemdecim circiter annorum jam esse potuit, Turonas mirterent philosophiæ placitis a Berengario imbuendum. Imo vero non satis video, cur eo etiam anno 1048 aut sequenti, cum anno demum 1050 a Leone IX Papa in concilio Romæ celebrato Berengariani errores fuerint damnati, mitti non potuisset.

68. Nec porro Brunoni aut ejus filiis dedecori verti debet, quod is hominem de fide non recte sentientem, nec tamen ut hæreticum damnatum in philosophia audierit; etsi enim id ita ex jam dictis appareat, dubitandum tamen non est, quin a Berengario saltem tunc, cum in concilio Romano damnatus primum hic fuisset, recesserit. Ita autumo vel ex eo, quod ab impia ejus hæresi maxime abhorruerit, ut fidem facit, tum, quas fecit, infra hic memorandas in psalmum XXI et in cap. XI, epist. I ad Corinth. commentationes, tum, quam morti proximus emisit, fidei professio, a Mabillonio, tom. IV Analect., pag. 400 et seq. relata infraque huc transcribenda. At vero quoniam hic de fidei professione, a sancto morti proximo emissa, sermo incidit, unam hic adhuc moreri lectorem, necesse est. Cum in professione illa Bruno statim hisce vocibus : « Credo sacramenta, quæ catholica credit et vereratur Ecclesia, » subjungat : « Et nominatim, quod consecratur in altari, verum corpus esse, veram carnem et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quem et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ, » erit fortassis non nemo, qui, cum his verbis doctrina, Berengarianæ e diametro opposita, contineatur, argumento etiam id esse velit, sub Berengario Turonis philosophiæ Sanctum studuisse, utpote qui emissæ a se fidei professioni verba illa incluserit non aliam ob causam, quam ut Berengarianæ qualemcunque, cui idcirco obnoxius esse poterat, suspicionem hæreseos a sese amoliretur.

69. Et vero fuit, cum et ego, argui inde pro philosophia, a Sancto sub Berengario audita posse, arbitrarer; ast, re penitius examinata, comperi, morem hunc post Berengarianam hæresim exortam diu observatum fuisse, ut doctiores illustrioresque fere viri, cum morti essant proximi, fidei professionem emitterent, quatum alia fidei dogmata, tum præcipue, quæ ad sacratissimum eucharistia sacramentum pertinent, profiterentur. Ac imprimis quidem exempli loco sit Gervasius, Remensis archiepiscopus, anno 1067 vita functus, qui cum moriturus esset, fidei professionem non multum ab emissa per Sanctum quantum ad reconditum de eucharistia dogma diversam, emisit ut videre licet in archiepiscoporum Remensium serie, quam Gallia Christiana aucta tom. IX exhibet. Accedit Matthæus S R. E. cardinalis, cujus Brunonianæ non multum dissmilis, quam sub finem vitæ emisit, fidei professio a pud Petrum Venerabilem, abbatem Cluniacensem, Miraculorum lib. II, cap. 22 exstat, et Ludovicus VI Francorum rex, cujus Brunonianæ itidem non multum dissimilis, quam moriturus emisit, fidei professio a Baronio in Annalibus ad annum 1131 recitatur. Berengarii itaque in philosophia discipulum fuisse S. Brunonem, argui ex ea, quam hic morti proximus emisit, fidei professione non potest. nec, ut sanctum Berengarii in philosophia discipulum faciamus, validius argui potest e centesimo sexagesimo sexto. quo ecclesia cathedralis Andegavensis, S. Mauritio sacra, Brunonem mirifice celebrat, funebri Titulo ; licet enim hic binos hosce contineat versiculos.

Dux prius erroris monstravit iter melioris
Postea doctrinæ, quæ gaudia dat sine fine

e quibus, Sanctum in errorem contra fidem, quem postea deposuerit, fuisse prolapsum, ac proin non tantum Berengarium habuisse magistrum, ast etiam perversæ ejus contra eucharistiæ sacramentum sectatorem aliquando exstitisse, suspicari non nemo forsan posset, sinistræ tamen hujusmodi de Sancto suspicioni locum inde merito esse non posse, quisque facilé deprehendet, qui cum aliis, in eodem titulo antecedentibus et consequentibus. recitatos binos versiculos considerarit.

70. Ita quippe patescet, per » errorem. » quidem in hisce non errorem contra fidem, cui aliquando Sanctus adhæserit, sed profanas scientias, quas sedulo magnaque cum laude primo coluerat docueratque, per « doctrinam » autem « meliorem, » non ullam sinceræ veræque fidei dogma, qui aliquando fuerit adversatns, sed divinam Evangelii qua, postea sæculo deserto, in eremum secessit, terrenaque suo exemplo despicere ac cœlestia sectari alios docuit, intitutionem debere intelligi. Ut hoc eo queat depreheudi facilius. versiculos huc facientes. tam qui consequentur, quam qui præcedunt binos recitatos, huc transcribo. Præcedentes hi sunt :

Plus quam Maronis laudatur lingua Brunonis
Gloria Platonis vilescit laude Brunonis.
Hic præcellebat doctoribus, hic faciebat
Summos doctores, non instiuendo minores.
Doctor doctorum fuit hic, non clericulorum.
Nam nec honestates verborum, nec gravitates
Sumpsit Brunonis, nisi vir magnæ rationis
Rectio prudentis superabat acumina mentis ;
Ut documentorum doctor satis exstitit horum.
Hic plus perfectam voluit proponere sectam
Nuntiat egregium divina docendo sophiam,
Primaque destruxit et tanquam frivola duxit

71. Consequentes vero isti :

Sed nil mundanasaplentia dat nisi vana ;

Hæc facit elatos pompa, facit illa beatos.
Factis complebat, operando quod ore docebat:
Multos sermones faciebat per regiones.
Urbem transivit Romam Calabrosque petivit.

Scriptor anonymus, qui Tractatum de S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communicatum, composuit, aliter nonnihil. quo Sanctum erroris in fide suspicione liberet, titulum funebrem, ei ab ecclesia Andegavensi sacratum, interpretatur. De hujus enim auctore num. 7 ita pronuntiat: « Brunonem primum laudat, quod celebrioribus doctoribus omnis scientia profana (ut sunt grammatica, dialectica et aliæ ejusmodi) excelluerit. Deinde illum majori laude dignum ostendit, quod « his plus per« fectam voluit præponere sectam, » id est, scientiam, videlicet theologiam, ut sequenti versu explicat: «Nunciat egregiam divina docendo sophiam.» Idcirco, qui dux erroris prius fuerat, non quidem falsæ doctrinæ, sed perituræ et mundanæ scientiæ, ut postea dicit, sive philosophiæ, quam multi Sancti, tamquam quæ nihil aut modicum ad salutem valet, contempserunt. » monstravit iter melioris postea « doctrinæ » sive concionando (nam « multos ser« mones faciebat per regiones ») sive docendo ac sacram Scripturam discipulis suis interpretando, ut canonicos Niolenses superius declarasse vidimus, cum eum dixerunt dudum ecclesiæ Remensis summum didascalum, utpote in psalterio et cæteris scientiis luculentissimum. »

72. Ita ille : et sane interpretatio, quam hic suggerit, aliave similis, si supra a me assignata, quæ tamen præstare videtur, forsan displiceat, necessario debet admitti, cum, Sanctum a fide numquam aberrasse certum sit e variis aliis funebribus ejus titulis, in quibus fidem semper sanam ac integram servasse, diserte traditur aut certe non obscure indicatur. Ut reliquos brevitatis ergo missos faciam, unum dumtaxat, vigesimum nempe et centesimum, in quo id expressius declaratur, in medium adduco. In hoc itaque monachi S. Audomari sic Sanctum compellant :

Ergo vera fides, quam tu semper coluisti.
Te trahat ad Christi requiem, quam Bruno petisti.

Ceterum hæc tam de errore in fide, cujus suspectus Bruno videri queat, quam de fidei professione, sub vitæ terminum ab eo emissa, paulo fusius prosequi hic libuit, ut evidentius pateat, nihil inde pro opinione, quo Berengarii in philosophia discipulum Sanctum nostrum facimus, posse concludi. Atque ad id quidem veritatis amor me compulit, quo præterea nunc fit, ut committere non possim, quin unum adhuc, quod eidem opinioni nostræ utcunque obest aut saltem non favet, lectori modo ob oculos ponam. Inter titulos Sancti funebres, qui numero tamen 180 fere sunt, nullus occurrit, quo ei ecclesia Turonensis parentarit; unde videri potest Turonas non adiisse Carthusiæ Calabrinæ alumnus, qui encyclicam de morte S. Brunonis epistolam circumtulit, quique tamen id, si Turonis philosophiam Sanctus excepisset, factuprus fuisse videtur, utpote usitatum ætate sua morem, quo encyclicæ hujusmodi epistolæ ad ecclesias præcipue, quibus defunctus aut notus esset, aut saltem notus esse, præsumeretur, solebant deferri, verosimillime secutus.

73. Ita, qui nostræ de audito Turinis a Brunone in philosophia Berengario opinioni adversantur, possunt arguere. Verum non omnes verosimiliter funebres Sancti tituli uni eidemque rotulo, qui encyclicam (adi num. 25 et infra in hanc notanda) de Sancti obitu epistolam, a Carthusiano Calabrino circumlatam, pluresque certe ad hanc responsorias seu titulos funebres complectebatur, fuere inscripti, chartæque separatæ. in quas aliquot ex hisce verosimiliter fuerint conjecti, temporis injuria interire facile potuerunt. Quid si ergo id de titulo funebri, quo ecclesia Turonensis Sancto parentavit, factum fuerit? Ad hæc Carthusiæ Calabrinæ alumnus, qui epistolam encyclicam, mortis S. Brunonis nuntiam, circumtulit, forte etiam non omnes, quibus is in vivis superstes. notus fuerat, ecclesias adierit, a more solito ob causas, quæ nos latent, deflectens, Ut ut sit, ex eo equidem, quod inter titulos Sancti funebres nullus omnino, ecclesiæ Turonensis nomine insignitus, occurrat, consequens non est, ut vel Bruno Turon is notus fuerit, vel philosophiæ operam non dederit. Ambigi enim nulla ratione potest, quin Sanctus Coloniæ Agrippinæ, utpote in qua civitate natus ac magna ex parte educatus esset, notissimus exstiterit, nec tamen inter funebres ejus titulos ullus est, qui ecclesiæ Coloniensis, seu cathedralis seu collegiatæ S. Cuniberti, in qua tamen Sanctus canonicum egerat, nomen præferat: ut sane ex difficultate, quæ modo proposita est, non infirmetur opinio, qna Sanctum Turonis philosophiam sub Berengario didicisse arbitramur. Hinc porro et ex aliis supradictis consectarium est, ut Sanctus verosimillime, cum jom octodecim esset annorum, Parisiis nondum studuisset. Cum enim, dum quatuordecim circiter esset annorum aut adhuc junior, litteras humaniores, quarum rudimenta Coloniæ posuerat, Remis prosecutus sit, hisque ibidem jam imbutus philosophiam Turonis audire incœperit, nec paucioribus, quom binis, annis verosimillime absolverit, quo, quæso, tempore ante expletum decimum octavum ætatis suæ annum Parisiis studere potuerit? An autem ibidem umquam post certo studuerit aut etiam docuerit, dicenda aperient.

§ IV. *Quo Sanctus Turonis, Berengario relicto, sese contulerit, quid tum primum egerit, quandonam Remis docere inceperit, et quas ibidem scientias tradiderit, muniaque obierit.*

74, Anno cirtiter 1048 aut certe non serius, quam ando 1050 Turonis, relicto Berengario, excessisse S. Brunonem, verosimillimum sane efficiunt, quæ § præcedenti in medium adduxi. Verum quo tunc sanctus sese contulit ? Parisiosne, an Remos? Nullum plane, quo alterutrum indubitanter asseram, suppetit monumentum antiquum. Pro civitate Re-

www.libtool.com.cn

mensi tamen, quod in hac Sanctum diu et studuisse et docuisse, in comperto ex dicendis sit, stare malim. Morkensius in ms. sua Chronologica diplomatica de S. Brunone Diatriba in ea versatur opinione, qua existimat, Sanctum ordinis sui institutorem post detectam Berengarii hæresim in patriam Coloniam Agrippinam esse reversum; quod sane vero apparet non absimile, etsi interim nullo pariter queat monumento sat antiquo probari. Sed quid de altero asserto dicendum, quo tum primum in S. Cuniberti ecclesia canonicum creatum fuisse Sanctum nostrum, Morkensius præterea affirmat? Nec hoc, uti etiam Brunonem tunc ibidem in sacram Scripturam resque theologicas incubuisse, vero apparet absimile. Quod si interim ita, ut potuit, sese etiam reipsa res habuerit, a Manasse, Remensium archiepiscopo, S. Cuniberti canonicus eo sensu, quem num. 53 exposui, vocari Sanctus etiam potuerit, quamvis in S. Cuniberti ecclesia, antequam in Galliam litteras dicendi causa e patria primum abiret, canonicum non egisset, ut proin, etiamsi eum diu etiam ante annum 1067, quo circiter scholarum Remensium præfectura sese ex dicendis abdicavit, canonicum in S. Cuniberti ecclesia, exstitisse, foret admittendum, argui ex Manasse merito non posset, hanc illum ibidem viveudi normam jam inde ab eo tempore, quo nondum Gallias adierat, fuisse certo amplexum. Hæc adde iis, quæ num. 52, seq. et 65 dicta sunt.

75. Perro Sanctum in patriam post exceptam Turonis philosophiam rediisse, canonicum ibi agere tunc primum cœpisse, rebusque theologicis simul dedisse operam, longe evaderet verosimilius, si, quod laudatus Morkensius etiam tradit, Sanctum Colonia a Gervasio Remensium archiepiscopo, qui ad hanc cathedram anno 1055 fuerat promotus, ad civitatem Remensem, ut ibidem, quas callebat, scientias doceret, fuisse revocatum, sat certo posset argumento probari. Pro se quidam citat Morkensius antiquum, de quo num. 49, Carthusiæ Montis Dei in Picardia codicem, a Suriano in suis ad Surianam Sancti Vitam adnotationibus pag. 79 laudatum; verum cum de hujus antiquitate auctoritateque, tam Suriano quam Morkensio et Martinio, de quo num. itidem 49, altum silente, aliunde mihi non constet, neutiquam codex ille, ut a præfatis scriptoribus antiquus vocetur, sufficere mihi potest, ut Sanctum revera a Gervasio Colonia Remos, ut istic doceret, fuisse revocatum, pro indubitato habeam. Rem itaque hanc, uti etiam, an Bruno, cum Turonas audita jam philosophia, deseruit, in patriam fuerit reversus, ibique aliquandiu, sacræ interim Scripturæ rebusque theologicis dans operam, canonicum egerit, in medio relinquo, et ad alia Sanctum spectantia, quæ certioribus solidioribusque fundamentis superstruuntur, tractanda progredior.

76. Brunonem imprimis Remis cum verosimiliter etiam vel in hac ipsa civitate, vel alibi tum sacram Scripturam, tum etiam theologiam sedulo jam excoluisset, scholarum magistrum egisse, vel ex solo quatuor primorum Carthusiæ priorum Chronico, seu potius e brevi, quod ex hoc num. 7 huc transcripsi, Sancti elogio, utpote in quo hic ab auctore coævo Remensis ecclesiæ scholarum magister diserte appelletur, certum esse debet. Id interim etiam confirmatur ex Sigeberto Gemblacensi, et Hugone, Diensi episcopo sedisque apostolicæ in Galliis legato, quorum ille in Chronographia ad annum 1084, hic apud Labbeum tom. X Conciliorum col. 365, in epistola ad Gregorium VII papam anno 1077 scripta, hicque infra adhuc memoranda Brunonem pariter « ecclesiæ Remensis magistrum » appellant. Hisce adde Meinardum, Cormeriacenum in agro Turonensi priorem, qui in titulo funebri inter recudendos 176, quo Sancto parentavit, ita loquitur: « Mainardus, inquam, ego in Cormariensi monasterio monachorum plurimorum nomine, non opere, prior, Remorum civitatis oriundus fui, domini hujus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi, Deoque volente admodum profeci. » Hæc ille, qui, quamvis se Remis sub Brunone studuisse, aperte non edicat, res tamen ita sese verosimiliter habuerit, quod Remis ortum seu natum sese pronuntiet, ibique, ubi natus erat, aliquandiu verosimiliter litteras didicerit.

77. Atque hæc quidem, quantum opinor, S. Brunonem Remis docuisse, seu magistrum egisse, satis superque evincunt: quas vero ibidem scientias docuerit, et quo circiter tempore id operis seu muneris primum susceperit, nunc indagandum. Ac primo quidem Sanctum poesim ibidem docuisse, concludendum apparet e funebri ejus titulo 126; in hoc enim Atrebatensis S. Vedasti Nobiliaci cœnobii schola eum ita alloquitur:

. . . . . *tibi, Bruno magister acute,*
Viluit hic flore mundus, sterilique decore
Flos fuit in feno: viguit sub sole sereno,
Dum tua cantaret, studio dum musa vacaret,
Dum modo lactaret Remos, modo pane cibaret.

Nec tantum ex inferioris ordinis scientiis seu artibus poesim, sed ipsam etiam grammaticam Remis docuisse Sanctus videtur. Etenim in ecclesiæ Constantiensis S. Mariæ versibus scholaribus, qui titulum ejus funebrem inter recudendos 156 constituunt, « multorum præceptor grammaticorum » exstitisse declaratur; etsi autem, Remisne, an alibi, grammaticos erudierit, non addatur, Remis tamen id fecisse illum, verosimile idcirco apparet, quod alibi, quam Remis umquam docuisse, nullo plane antiquo, quod fidem indubitatam facere natum sit, monumento queat ostendi. Alia non occurrunt, quæ, ut scientias inferioris ordinis seu humaniores litteras Remis fuisse a Sancto traditas, evincam, possint conducere.

78. Ast quid de sublimioribus scientiis, Theologia videlicet ac philosophia dicendum? Sanctus quoque tam hanc, quam illam Remis docuisse videtur. Ac primo quidem, cum Brunoni laudes diversæ, viro fere duntaxat philosophiam ac theologiam pu-

www.libtool.com.cn

blice professo apte convenientes, in nonnulis titulis funebribus, ac præcipue quidem titt. 31, 32, 107, 124, 126, 131, 146, 166, 168 et 173, nulla plane loci, quo scientias hasce ille docuerit, mentione facta, attribuantur, ex eo ipso mox adducto, quo Remis grammaticam docuisse videtur, argumento consequitur, ut et ibi philosophiam ac theologiam docuerit; verum rem alio adhuc modo lubet firmare. Fragmenti historici, quod a tempore Roberti, Francorum regis, ad mortem Philippi I deducitur, quodque a Marloto num. 57 laudatur, scriptor anonymus, quod non tam ex patria, quam ex studiis, quibus Remis tum discendo, tum docendo diutissime vacaverat, et ex dignitatibus, quas ibidem obtinuerat, Brunonem cognitum haberet, « Remensem » eum, ut num. 12 docui, appellat; quare, cum præterea hac Sanctum eo ipso loco quo eum « tam divina quam in humana philosophia, » binas scilicet hasce scientias docendo seu publice profitendo, floruisse tradit, appellatione afficiat, id præsertim idcirco, quod eumdem maxime ex humana ac divina philosophia, seu ex theologia ac philosophia, quam utramque scientiam Remis tunc docebat, cognitum haberet, verosimillime fecerit.

79. Atque ita jam habemus, Brunonem tam philosophiam, quam theologiam Remis docuisse; quod autem nominatim ad posteriorem hanc scientiam pertinet, id præterea sic ostendo: Scholarchæ seu scholastici munus, quod non nisi doctissimis gravissimisque viris deferri solebat, obiisse Sanctum nostrum, exploratum habemus tum ex funebri ejus titulo 173, in quo a regularibus ecclesiæ Vincentii Noliensibus canonicis « Dudum..... ecclesiæ sedis Remensium summus didascalus » fuisse asseritur, tum ex Guiberto de Novigento, scriptore coævo, qui lib. I de Vita sua cap. 11 de Sancto nostro sic scribit: « Fuit non longe ab his diebus Bruno quidam in urbe Remensi, vir et liberalibus instructus artibus et magnorum studiorum rector; » olim autem, etiam ætate S. Brunonis seu sæculo XI in majoribus ecclesiis ad scholastici seu scholarchæ curam præcipue spectabat clericos liberalibus artibus ac proin, et quidem potissimum, ut apparet, theologicis facultatibus erudire, bonis moribus informare, ecclesiasticam disciplinam promovere, et de omnibus, ad divinum cultum spectantibus, dum interrogaretur, respondere. Hæc aut certe non multum abludentia ex Thomassino De veteri et nova Ecclesiæ disciplina tom. I, lib. III, cap. 70, num. 8 et ex Papyrii Massoni Annalibus in Philippo fas est colligere, licet interim scholarchæ seu scholastici officium, cum non desint modo, qui alibi liberales artes doceant, in ecclesiis tam majoribus seu cathedralibus, quam aliis, quantum ad exercitium magna ex parte sit abolitum uniceque fere quoad dignitatem et titulum remanserit. Jam vero, Cum Sanctus, ut jam probatum est, scholastici seu scholarchæ munere in ecclesia Remensi certissime fuerit perfunctus, ambigendum non est, quin in ea clericis theologiam tradiderit.

80. Et eum quidem unice tunc sublimiores scientias hasque inter theologiam docuisse, verosimilimum puto. Etenim cathedralis Andegavensis ecclesia, in titulo funebri inter recudendos 166, quo Sanctum mirifice celebravit, ita de eo canit:

His præcellebat doctoribus, hic faciebat
Summos doctores, non instituendo minores:
Doctor doctorum fuit hic, non clericulorum;

Iribus autem hisce versiculis scientias inferiores a Sancto, utpote quem non clericulos, seu clericos juniores, inferioris duntaxat ordinis scientiis addiscendis aptos, sed ætatis tantum provectioris viros, docuisse, indicent, Remis traditas non fuisse, innuitur, idque, cum ex supra dictis tum poesim, tum grammaticam Bruno Remis docuerit, veritati esse consonum haud potest, nisi de Sancto, jam facto ecclesiæ Remensis scholarcha seu summorum studiorum rectore ac præfecto intelligatur; neque enim Sanctum, muneri huic nondum admotum, scientias sublimiores, admotum vero inferiores dumtaxat docuisse, verosimile apparet. Bruno itaque, cum jam scholarum Remensium magistratum fuisset adeptus, scientias duntaxat altiores ac potissimum theologiam, ante vero quam hoc officio decoratus fuisset, inferiores etiam docuerit. Atque hæc de scientiis, quas Sanctus Remis tradiderit, dicta sufficiant, proximum est, ut in tempus, quo circiter id oneris in se susceperit, modo inquiramus.

81. Si, Sanctum Colonia Agripina, ut Remis litteras doceret, a Gervasio, Remensium archiepiscopo, fuisse evocatum, Morkensius num. 75 recte notet, Bruno sane ante annum 1055, utpote quo primum ad Remensem cathedram Gervasius fuerit evectus, Remis litteras docere non incœperit; quod si autem Marloto, qui Brunonem anno 1056 scholarum Remensium caput seu rectorem a Gervasio constitutum fuisse, Historiæ metropolis Remensis tom. II, pag. 115 scribit, sit standum, ante annum 1055 Sanctum nostrum, cum scholarum præfecturam, nisi cum jam aliquandiu docuisset, adeptus fuisse non videatur, Remenses scholas docere incœpisse, dicendum apparet. Verum cum nec Marlotus, nec Morkensius certam hic, uti ex supra dictis pronum est colligere, fidem sibi concilient, alio recurrendum est, ut tempus, quo circiter Sanctus docendi muneri apud Remenses sese addixit, utcunque determinem. Baldricus, abbas Burguliensis in versibus ad Godefridum Remensem, Brunoni in scholarum Remensium magisterio a Manasse, Remensium antistite, anno circiter 1077 suffectum, num. 62 huc transcriptis, hunc Godefridum suum, quem impense laudat, cum Herimanno ac Brunone Remis studuisse, docet, ac deiude subdit:

Tu fueras juvenis, fueras et acutior illis;
Tertius ergo venis, jam quoque primus eras.

Gervasio princeps, princeps tuus ille Manasses
Successit, qui te promovet ad studium ;

www.libtool.com.cn

Godefridum autem tertio loco, id est, post Herimannum et Brunonem, quibus tamen ingenii acumine præierit, ad scholarum Remensium præfecturam, promovente eum ad id munus Manasse, pervenisse, quatuor illis versiculis (neque enim quid aliud significari hisce posse, apparet) haud dubie indicatur.

82. Hinc porro, quod huc unice facit. jam consequitur, ut Herimannus Remensium scholarum præfectus, et quidem ante Godefridum, exstiterit. Quare cum id muneris ante Brunonem, utpote cui Godefridus proxime in hoc fuerit suffectus, pariter gesserit, e tempore, quo hoc Herimannus deposuit, tempus prope, quo idem obire Bruno inceperit, perspectum habebimus. In illud ergo inquiramus. Mabillonius tom. IV Analectorum recitat epistolam, a Gozechino Leodiensis scholastico Moguntia, quo sese Leodiensis cathedræ magisterio relicto, receperat, conscriptam, in qua hic, temporis sui vitia et mala, e Berengarii erratis maxime nata. deplorans, pag. 385 ita loquitur : « Hæc omnia sapienter despexit Herimannus Remensis, Drogo Parisiensis, Spirensis Huoremannus; Bavenbegensis Meinhardus, et præterea multi, et præstantes et præcipuæ auctoritatis, viri, qui, præcisis speciebus, » id est, ut Mabillonius præfatione in sæculum VI Bened. num. XI interpretatur, « stipendiis et emolumentis, et abdicatis laboribus, studiis valefecerunt, et sapienti consilio usi, in theologiæ otium, id est, uti ex antecedentibus et consequentibus apparet, Historiæque litterariæ Franciæ scriptores tom. IX, pag. 234 interpretantur, in solitudinem, rerum divinarum meditationi veræque sapientiæ unice vacaturi, « concesserunt. »

83. Herimannus ergo, qui hic memoratur, quique alius, quam Herimannus, Remensium Scholarum ante Brunonem præfectus seu scholarcha proxime nominatus, esse non videtur, in solitudinem, studiis relictis abdicatoque proinde scholarchæ officio, sese jam tum receperat, cum præfatam epistolam Gozechinus scripsit. Quare, cum id ante annum 1060, uti ex iis, quæ Mabillonius loco proxime citato disserit, facile intelliges, indubie fecerit, ante hunc ipsum annum Remensium scholarum magisterio sese Herimannus jam abdicarat. Jam vero. cum Herimanno proxime ex dictis fuerit Sanctus noster suffectus, consequens est, ut hic verosimillime ante eumdem dictum annum 1060 a Gervasio, Remensium archiepiscopo, scholas Remenses regendas acceperit, ac proin. ut Marlotus. qui id, ut jam supra bis monui, anno 1056 factum statuit, a vero forsan non multum aberrarit. Quamobrem cum Sanctus equidem, antequam scholarum Remensium præfectus seu magnorum studiorum rector. ut Guibertus de Novigento supra landatus loquitur, aut etiam, ut Regulares ecclesiæ S. Vincentii Nolienses canonici supra pariter in funebri suo de S. Brunone

A titulo scribunt, « summus didascalus » crearetur, litteras seu inferioris saltem ordinis scientias aliquandiu Remis, Herimanno scholarum præfecturam adhuc gerente, docuisse videatur, consectarium sit, ut inter annum 1050 et annum 1060 Remis, sive interim jam tum in civitate Remensi versans, theologicis studiis operam ibi dedisset, sive Colonia Agrippina, ubi hæc excoluisset, a Gervasio archiepiscopo, ut supra Morkensius vult, evocatus demum tum fuerit, docuisse primum incœperit.

84. Certe eum ante annum 1050 onus illud non suscepisse, indubitatum id circo apparet, quod tum, uti ex supra dictis pronum est colligere, uno dumtaxat aut altero anno e philosophiæ stadio esset
B egressus, hocque decurso, aliquamdiu saltem theologicis studiis, ante quam docere inceperit, verosimiliter operam dederit. Atque ita modo habemus, non tantum quandonam circiter Sanctus magistrum in civitate Remensi primum egerit, verum etiam quo circiter tempore ad scholarum Remensium præfecturam seu summi didascali munus fuerit promotus Porro Sanctus non tantum, qua de jam satis actum, scholarum præfecturam Remis gessit, verum etiam et metropolitanæ ecclesiæ canonicum et cancellarium egit. Ac primum quidem constat tum ex primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronico seu deprompto ex hoc, quod num. 7 huc transcripsi, Sancti elogio, tum ex Sigeberti Gemblacensis Chronico ; in quibus ambobus, perantiquis sane, habita ratione ad tempus, quo post Brunonis obitum scripta sunt, monumentis,
C « ecclesia Remensis canonici » titulo Insignitur; quod autem ad cancellarii munus, quod pariter obierit, spectat, manifestum id sit vel ex sola, cui Bruno, a se veluti cancellario scriptæ, etiam subscripsit, Charta, anno 1076 a Manasse archiepiscopo in abbatiæ S. Basoli favorem concessa. Hanc idcirco, prout in quarto Annalium Carthusiensium libro nondum vulgato exhibetur, huc transcribo.

85. Sic habet : « in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Manasses, ineffabili Dei providentia Remensis archiepiscopus, præteritorum atque futurorum memor, qualiter omnia ruinarum atque defectus detrimenta irrecuperabiliter patiantur : quia vitæ meæ statum non semper duraturum cognovi,
D manum charitatis porrigendo animæ meæ portum tranquillissimum studui præparare. Hac igitur necessitate et cura mihi commissarum ecclesiarum compulsus, et abbate Stephano id deposcente, dedi et subjeci cœnobio sancti Basoli altaria duo, Alteiæ videlicet et Caprillæ, ut ea fratres perpetuo sine personatu teneant, tantum summaticos persolvant, et pro me, quoad vivam, duas omni hebdomada missas, unam privatim, alteram vero communiter celebrent: atque per singulos annos in anniversarii mei die ejusdem ecclesiæ fratres de illorum altarium reditibus in refectorio regulariter epulentur. Si quis ea inde abstulerit, anathema sit. Actum Remis anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo sexto regni autem Philippi regis XVII ; archiepiscopatus

vero domni Manasse VII. Indictione quarta decima. Signum Guidonis archidiaconi. S. Guarini archidiaconi. Signum Manasse præpositi. S. Leuvini decani. S. Odonis cantoris. S. Henri abbatis S. Jotzelini abbatis. S. Gebuini abbatis. S. Raimbaldi abbatis. S. Dudonis decani. S. Dominici decani. S. Lamberti decani. S. Bavonis decani. S. Widonis militis. S. Abberti militis. S. Rodulphi. S. Haymonis. S. Lamberti. Bruno cancellarius scripsit et subscripsit.»

86. Charta hæc apud Marlotum quoque, qui tamen unde eam acceperit, non edicit, tom. II. Historiæ metropolis Remensis pag. 170 et seq. exstat, uti etiam in ms., de quo num. 28, de S. Brunone tractatu, a PP. Carthusianis hujatibus mecum communicato, ut proinde tria ejusdem instrumenti exemplaria ante oculos habeam. Atque hæc quidem omnia tum in notis chronicis, quibus signautur, tum in verbis, quibus concepta sunt, ad amussim fere inter se consonant; at non item in testibus, instrumento subscriptis; præterquam enim quod aliquot horum nomina Marlotianum exemplar alio modo, quam quo id duo reliqua exemplaria faciunt, scripta exhibeat, abbatibus, chartæ subscriptis, monasterii seu abbatiæ cui singuli præfuere, nomen adjungit, quod in duobus aliis exemplaribus non fit, quodque an in Marlotiano recte fiat, haud satis habeo compertum. Anonymus interim Carthusianus, Annalium ordinis sui libri quarti auctor, chartæ a se recitatæ sequentem, qua hac ex autographo desumptam, declarat, adnotationem subjungit: « Extractum fuit (instrumentum scilicet seu charta jam recitata) ex Originali, sigillo majore ceræ flavæ sigillato, in cujus concha impressa est imago beatæ Virginis Mariæ, dextra lævaque Jesum puerum tenentis. Hoc instrumentum inventum fuit in præfeta abbatia Sancti Basoli ad Remos per quemdam V. P. monachum Benedictinum reformatæ congregationis, Compendii commorantem, anno 1649, et cuidam Carthusiensi domns Montis Dei commodatum, ex cujus scriptis illud eruimus. »

87. Mabillonius autem, qui Annalium Benedictinorum lib. LXIV, num. 129 chartæ, huc jam integre transcriptæ, partem recitat, quique ipsum instrumenti hujus autographum aut certe authenticum ejusdem exemplar sibi præluxisse, innuit, ita ibidem observat: « Post duos (Chartæ, de qua hic. subscriptos) archidiaconos, præpositum, decanum, et cantorem ecclesiæ Remensis apposita sunt signa Heinrici abbatis Sancti Remigii, Jotselini abbatis Altivillarensis, Gibbuini abbatis Mosomensis, Raimbaldi abbatis abbatis Sancti Theoderici, et aliorum. « Bruno « cancellarius scripsit et subscripsit, » idem, ut videtur, qui non multo post a Manasse ob ejus facinora recessit et Carthusiensem ordidem instituit. Authentico affixum est sigillum Manasse archiepiscopi, exhibens effigiem beatæ Mariæ, Christum puerum in sinistro brachio gestantis cum hac incriptione. « Manasses Remorum archipræsul. « Hæc ille, abbatibus, Chartæ seu instrumento, de quo hic, subscriptis, monasteriorum seu abbatiarum, quibus hi præfuere, nomina adjungens, quæ tamen an ex ipso autographo, quod forte ad manum habuerit, an vero ex Marloto, quem in margine citat, hauserit, non habeo edicere, ac proin rectene, an secus, nomina illa abbatibus apud Marlotum apponantur, in medio relinquo, et in tempus, quo Sanctus primum Remensis cancellarius creatus fuerit, nunc inquiro.

88. Marlotus, sæpius jam laudatus, Historiæ metropolis Remensis tom. II, pag, 134 sic scribit: « Fragmentum... Historiæ Franciæ, quæ incipit a Philippo, de Brunone loquitur, acsi Remis natus fuisset. At Manasses Epistola statim citanda scrupulum amovet his verbis: « Hic Bruno nec noster « natus est, nec renatus. « Remensis igitur, ut auguror, vocatur hic, quod Remis litteras cum laude professus dicatur, cancellariæque dignitate ob juris peritiam donatus, quam adhuc exercuit sub Manasse, ut constat ex variis chartis, maxime vero ex instrumento fundationis sancti Martini Gemellorum diœcesis Ambianensis, quod publice recitatum est coram Philippe rege, Manasse Remis synodum tenente, cui subscripsit Bruno cancellarius an. 1073. » Ex hoc Marloti textu et ex charta proxime recitata annoque 1076 notata, Brunonem ab anno ut minimum 1073 ad annum usque 1076 cancellarii Remensis munere functum esse asseverant tom. IX, pag. 234. Historiæ litterariæ Franciæ scriptores: et recte sane, si modo in anno, quo Brunonem Chartæ, seu instrumento fundationis Sancti Martini Gemellorum subscripsisse, Marlotus ait, error non cubet. Hac interim de re vehementer dubitare me facit ms., quem jam pluries laudavi, de S. Brunone Tractatus, a Carthusianis hujatibus mecum communicatus.

89. Hic enim num. 12 sic habet: « Circa idem tempus, quo data fuit hæc (proxime hic jam recitata) charta, Manasses fundationem abbatiæ Sancti Martini Gemellorum diœcesis Ambianensis, ante tres annos factam, firmavit, cujus instrumenlo hæc verba confirmatoria Bruno adjecit. « Anno episcopa- « tus sui VII firmavit eam Manasses archiepiscopus. « Signum Widonis archidiaconi, et Guarini Warici « archidiaconi, et Manassetis præpositi, et Leuvini « decani, Odonis cantoris. Bruno cancellarius scri- « psit; » quod si autem hæc quæ unde hausta sint, non additur, veritati consonent Charta fundationis S. Martini Gemellorum, seu potius, quo fundatio hæc confirmata fuit, instrumentum, utpote Manassis, cathedram Remensem anno demum 1069 consecuti, anno septimo signatum, non anno 1073, ut Marlotus (huic enim de eadem charta, de qua in tractatu laudato, sermo esse videtur) loco citato notat, sed anno 1075 aut 1076 fuerit donatum. Fortassis Marlotus annum, quo monasterii S. Martini Gemellorum fundatio, annis tribus, ut recitata tractatus mox iterum laudati verba docent, confirmationem, a Manasse factam, prægressa evenit, pro anno, quo hæc acci-

www.Archeologia.com

dit, per errorem posuerit. Fortassis etiam mendosa dumtaxat aut malæ fidei documenta ex quibus, quæ huc spectantia memorat, deprompta sint, ad manum habuerit.

90. Et hoc postremum quidem idcirco maxime suspicor, quod fundationis (melius forte ob jam dicta dixisset confirmationis) S. Mar.ini Gemellorum, quod laudat, instrumentum coram Philippo, Francorum rege, Manasse Remis synodum tenente, publice (adi supra recitata scriptoris hujus verba) recitatum fuisse scribat, nec tamen synodi, Remis a Manasse celebratæ, cui Philippus Francorum rex interfuerit, mentio ulla occurat vel apud conciliorum synodorumque collectores, vel etiam apud Galliæ Christianæ auctæ scriptores, præcipua saltem Manassis gesta, e quibus utique synodi illius celebratio fuisset, tom. IX, in archiepiscopis Remensibus recensentes. Aiunt quidem ibidem col. 72. fuisse anno 1074 a Manasse concilium ad illicitas Philippi regis et Bertradæ nuptias firmandas in urbe Remensi celebratum; verum huic interfuisse Philippum, non addunt, etiam haud dubie, concilium seu generalem archidiœcesis Remensis synodum, quam anno 1074 Manasses vere celebravit, ad firmandas Philippi cum Bertrada nuptias celebratam fuisse, non dicturi, si has ante annum certe 1092 non fuisse contractas, considerassent.

91. Ut ut sit, dubium equidem ex omnibus jam dictis fit, an instrumentum, de quo modo hic fuise actum, jam inde ab anno 1073, ut Marlotus notat, monasterio S. Martini Gemellorum fuerit concessum ac proinde etiam, an Sanctus noster, quod ei veluti cancellarius subscripserit, cancellarius ut minimum quod, ut supra monui, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores arbitrati sunt, jam inde ab eodem dicto anno 1073 exstiterit. Verum, etsi id ita sit, Sanctum etiam ante ipsum anno 1073 cancellariie Remensis munus obiisse, nonnulli existimant. Et quidem hoc diutissime ante annum illum Bruno obierit, si Marlotus in Historia Metropolis Remensis tom. II, pag. 115 recte scribat. Ibi enim de Gervasio Remensium archiepiscopo, anno 1067 vita functo, ita memorat: « Ut omnibus modis reipublicæ præsertim litterariæ prodesset Gervasius, scholas Remenses, vetustate collapsas, illustriores reddere statuit opera S. Brunonis Coloniensis, ac in ecclesia Remensi a pueris enutriti, quem scholarum caput seu rectorem constituit, addito concellariatus officio, quo egregie perfunctus est usque ad Manassem I, donec ipse, calcatis dignitatum pompis in eremum secessit ut infra dicetur. »

92. Hactenus ille, Sanctum nostrum a Grevasio, Remensium antistite, ac proin ante annum 1068, quo hic jam obierat, imo vero jam inde ab anno 1056, ad quem hæc refert, Remensis ecclesiæ cancellarium creatum fuisse, non obscure docens. Verum postea ipsemet Marlotus, quæ tam cito Brunonem muneri huic non fuisse admotum suadent, in medium adducit. Ac primo quidem pag. 139 et binis seqp. recitat chartam, pro percelebris San-Dionysiani Remis monasterii fundatione a Gervasio archiepiscopo anno 1067, uti in fine notatur, datam atque ab Oderico cancellario, qui etiam nominis aliqua variatione Oldaricus aut Oldaricus vocatus reperitur. scriptam atque subscriptam; dein vero pag. 166 et seq affert chartam alteram, in favorem S. Petri Ruminiacensis a Waltero viro nobili concessam, itaque terminatam: « Actum publice Ruminiaco anno Incarnationis Dominicæ 1070, existente papa Romæ Alexandro, regnante Francorum rege Philippo, Remis Manasse archiepiscopo, archidiacono Odone, cancellario Odalrico » etc. Cum ergo, uti e binis hisce ab ipsomet Marloto adductis instrumentis publicis constat, ecclesiæ Remensis cancellarius anno 1067 et anno 1070 Odalricus adhuc exstiterit, Sanctus sane non ante annum 1070, nedum ante annum 1067, dignitate illa fuerit decoratus.

93. Imo vero ne ante annum quidem 1074 id forte acciderit. Etenim apud eumdem iterum Marlotum opere et tom. cit., pag. 168 et seq. exstat charta, pro Morimontensis in diœcesi Catalaunensi monasterii fundatione confirmanda a Manasse, Remensi archiepiscopo, impertita, quam hæc claudunt verba: « Anno ab Incarnat. Domini 1074, indict. II, Kalend. Novemb., epacta prima, regnante venerabili rege Philippo, hanc chartam, in generali synodo Remensi corroboratam et confirmatam, ego Odalricus scripsi et subscripsi; » et si autem duo tunc Odalrici, alter Remensis ecclesiæ cancellarius, alter ejusdem (adi Marlotum opere et tom. mox iterum cit., pag. 151) præpositus ac deinde primus San-Dionysiani Remis monasterii abbas, Remis floruerint, recitataque chartæ, monasterii Maurimontensi datæ, subscriptio, utpote Odalrici scriptoris nomini contra morem, in chartis per ecclesiarum cancellarios scriptis servari solitum, concellari titulum non habens adjunctum, Odalrico præposito convenire videatur. verosimilius tamen Odalrico cancellario tribuenda est, quod cancellariorum fuerit chartas publicas, quæ ab ecclesiarum, quarum cancellarii erant, seu capitulo seu episcopo dabantur, conscribere nominisque sui adscriptione munire, facileque fieri possit, ut hic cancellarii titulum, utpote ad Chartæ, in generali diocesis Remensis synodo solemniter corroboratæ ac confirmatæ. valorem verosimiliter non requisitum nomini suo adjicere neglexerit.

94. Verum, ut hæcquantum ad chartæ hic memoratæ, in cujus præterea clausula. num. præced. data, epacta, antiquis computistis usitata, cum anno non convenit, subscriptionem sese habeant, Bruno equidem, uti omnia ad institutum præsens modo adducta consideranti patebit, anno 1076 exstitit ecclesiæ Remensis cancellarius, annoque 1069 dignitatem hanc consecutus nondum fuerat, ut illa proinde indubie saltem vel anno, qui nunc proxime excepit, vel altero e sex sequentibus condecoratus

www.libtool.com.cn

primum fuerit, Remensem interim cathedram, non Gervasio, sed Manasse jam occupante. Porro etsi Bruno aliquandiu, uti ex jam dictis pronum est colligere, ejusque successor Godefridus scholarchæ simul et cancellarii munia Remis obtinuerint, non semper tamen, qui Remensis ecclesiæ scholarcham agebat, ejusdem etiam cancellarius erat, quandoquidem anno 1192, vacante cancellaria, Garnerius, ut Marlotus Historiæ metropolis Remensis tom. II, pag. 427 et seq. docet, scholarum magisterium obtinuerit, ut ex eo, quod Sanctus ex supra dictis diu ante annum 1070 scholarum Remensium præfectum egerit, cancellarium pariter, contra ac modo statuimus, jam tum egisse, argui non possit, contrarium licet sensisse videatur Mabillonius, utpote Marloti verbis. num. 91, huc transcriptis, quæ tamen non citat, consonons, sicque Præfatione in alteram Sæculi VI Benedictini partem, num. 85, de Brunone scribens: « In eadem (Remensi) ecclesia Gervasio tunc pontifice, canonicus et scholarum magister.... atque cancellarius factus est. » Atque hæc sunt, quæ tum de ipso cancellarii munere, a Brunone Remis gesto, tum de tempore, quo, huic primum is fuerit admotus, dicenda occurrunt.

95. Quod modo ad tempus, quo primum ecclesiæ Remensis canonicis fuerit adscriptus, pertinet, factum id esse antequam Remenses scholas moderandas acceperit, ac proin diu etiam, antequam cancellarii munere functus fuerit, plerique censent scriptores recentiores: etsi autem nullo id queat antiquitatis testimonio confirmari, sat tamen verisimile apparet vel ex eo, quod tempus aptius, quo honorem illum consecutus Bruno sit, assignari non posse videatur. Cæterum sunt etiam, qui, Sanctum, Remis adhuc agentem, divini verbi exstitisse præconem, contendunt, innixi, ut opinor, partim sequenti, quem funebris ecclesiæ Andegavensis titulus, inter recudendos 166, includit, versiculo :

Multos sermones faciebat per regiones.

Verum anne hic de Brunone, Remis adhuc versante, agatur, pro certo quis asserat? Recitato enim versiculo proxime alter hic ibidem subditur :

Urbem transivit Romam, Calabrasque petivit ;

Surius autem binos illos versiculos, priori non nihil immutato, absque interpunctione ita conjungit :

Multos sermones faciendo per regiones
Urbem transivit Romam, Calabrasque petivit.

Ut ut sit, Brunonem equidem Remis etiam subinde ad populum verba fecisse, a vero forte alienum est, uti et eum plures ibidem, quam supra enumeratæ sint, scientias docuisse. Nec dubium reor, quin præterea ibi discipulis suis sacras paginas explanarit, quas sane, simulque linguas Græcam ac Hebraicam, ad earum intelligentiam plurimum conducentes, optime caltuit, uti liquidem fiet ex iis, quæ de ejus in psalmos ac S. Pauli epistolas Commentariis disserenda occurrent.

A §V. *Quales sanctus discipulos habuerit, qui hos bonis moribus non minus quam litteris informarit, et quæ tunc in eo animi dotes ac virtutes enituerint.*

96. Ingentem sane eorum, quos sanctus noster discipulos habuerit, litterasque (unde ejus in hisce tradendis industria mirifice eluxit) optato plane successu docuerit, multitudinem exstitisse, non obscure indicat funebris illius Titulus 131 sequentibus hisce, quibus partim constat, versiculis :

Splendor sermonis fuit et lux relligionis.
Ejus relligio scitur ubique satis.
Ejus doctrina sunt facti tot sapientes,
Quos mea mens nescit, et mea penna tacet.

Nec numero tantum multi S. Brunonis dicipuli, verum etiam aliquot ex hisce tam virtute ac morum B probitate, quam muniis ac dignitatibus, quibus postmodum decorati fuerunt, spectabiles exstitere. Nonnullos ex hisce illustriores, cum discipulorum probitas claritasque in magistrorum gloriam, quodammodo etiam cedat, exempli loco recensere hic lubet. Omnium facile princeps est Otto seu Odo, nobili loco in Gallia natus, e priore Cluniacensi episcopus Ostiensis ac tandem summus pontifex, assumpto Urbani II nomine, anno 1088 creatus, tum Philippi Francorum regis et Bertradæ pellicis excommunicatione, tum belli sacri in concilio Claromontano promotione celeberrimus, cujus præceptorem aliquando exstitisse Brunonem, docet quatuor primorum Cartusiæ priorum Chronicon, seu transcriptum ex hoc Sancti, num. 7, elogium, resque proinde C extra omnem controversiam esse debet, ut Ruinartius tom. III Operam posthumorum in pontificis hujus Vita merito contendit. Accedit Robertus a Burgundia, regia Burgundiæ ducum stirpe satus, filius nempe Henrici a æurgundia, nepotis Roberti regis Franciæ, ad Lingonensem cathedram, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom IV in episcopis Lingonensibus docent, anno circiter 1085 promotus, qui ipsemet in Titulo funebri, inter recudendos 39, quem Sancto nostro inscripsit, hujus sese discipulum fuisse, profitetur.

97. Hisce adhuc addo Lambertum, Pultariensis ad Sequanam Ordinis S. Benedicti monasterii abbatem, Petrum canonicorum Regularium S. Joannis D in Vineis prope Suessionas itidem abbatem, et Mainardum Cormeriacensis seu Cormaricensis in Turonensium territorio cœnobii, dum ad eum epistola encyclica, mortis S. Brunonis nuncia, fuit allata, priorem ac deinde abbatem, qui omnes in Titulis funebribus, 45 nimirum, 79 et 176, quos Sancto consecrarunt, ejus se discipulos fuisse pariter profitentur. Et hos quidem tres abbates, uti etiam Robertum, Lingonensem episcopum, et Urbanum, summum pontificem, Brunone non alibi quam Remis magistro usos esse, infra docebo, cum inquiram an sanctus post abdicatam anno circiter 1076 aut sequenti scholarum Remensium præfecturam, antequam in Cartusiæ eremum secederet, litteras Parisiis docuerit omnes autem virtute, quod eos non

www.libtool.com.cn

tantum litteris, sed et bonis moribus a Brunone fuisse informatos, argumento est, illustres extitisse, hic modo ostendo. Ac primo quidem quam id quantum ad Urbanum veritati consonet, satis superque monstrat celeberrimi hujus Pontificis Vita, a Ruinartio conscripta, Operumque scriptoris hujus ac Mabillonii posthumorum tomo tertio inserta; quod autem ad Robertum, Lingonensem episcopum, tresque recensitos abbates, Lambertum videlicet, Petrum et Mainardum, pertinet, Robertus, cum omnes optimi Pastoris in diœcesi sua administranda partes implesset, longum hujus viginti quinque circiter annorum regimen piissimo obitu terminavit, ut liquet ex iis, quæ de laudabili hoc antistite Galliæ Christ. auctæ scriptores tom IV, col. 566, memoriæ produnt.

98. Lambertus, licet Pultariensis sui monasterii abbas esset, se tamen hujus servum et procuratorem exiguum in Titulo funebri, inter recudendos 45, quo Sancto nostro parentavit, appellat; unde sane magna ejus humilitas elucet. Petrus canonicorum Regularium S. Joannis in Vineis prope Suessionas abbas, his inter alia in Titulo Sancti funebri 79, ad Carthusiæ Calabrinæ eremitas directo, verbis utitur: « Dilectis in Christo et Deo dignis Fratribus Calabriæ, reverendis eremitis in monasterio sanctæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ, Deo famulantibus, Petrus Sancti Joannis Suessionensis canonicorum regularium humilis abbas, totaque fratrum cum eo degens et Deo serviens congregatio bene incepisse, melius perseverare, feliciter consummare. Audito beato fine sancti Patris vestri et magistri mei Brunonis, a cujus ore sanæ doctrinæ fluenta plerumque haurire contigit, etsi opere non complevi, de absentia vehementer tristamur; carnales evasisse angustias et requiem adeptum esse, et cum Deo vivere, prout conjecturam de munditia et perfectione transactæ vitæ, nobis satis notæ, facere possumus vehementius congaudemus. Ejus ergo memoriam tum quia mgister noster fuit, tum quia precibus ejus et vestris confidimus, tanto apud Deum efficacioribus, quanto sanctioribus hoc modo habituros promittimus triginta diebus Missas, etc. »

99. Qua sane scribendi methodo summam animi modestiam humilitatemque manifesta vir hic, multiplici laude dignissimus, uti fas est colligere ex S. Gervasii Calendario, quod de eo apud Claudium d'Ormay Historiæ Suessionensis tom. II, lib. v, cap. 13 ad 21 Martii sic habet : « Obiit Petrus abbas Sancti Joannis, vir totius honestatis, Deo et mundo per omnia laudalibis et memoriæ celebris. » Mainardus, Cormaricensis prior ac dein abbas, in Titulo funebri, quem Sancto inscripsit, Cartusianis Calabrinis ita loquitur : » Gavisus sum utique super tanti viri (Brunonis) glorioso fine, sed quia intentio indefessa mihi inerat ad eum in brevi pergere, eumque videre et audire, omnesque animi mei æstus in illum refundere et vobiscum sub ejus ducatu sanctæ Trinitati obedire, ultra quam dicere possim, de inopinato transitu ejus conturbatus sum, nec retinere potui habenas ultro profluentium lacrymarum. Mainardus, inquam ego in Cormariensi monasterio monachorum plurimorum nomine, non opere, prior, Remorum civitatis oriundus fui, domini hujus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi, Deoque volente, admodum profeci. » etc.

100. Quibus verbis profecto vehementissimam, qua tenebatur, S. Brunonem, si diutius hic in vivis fuisset superstes, adeundi ejusque vestigia sequendi animi propensionem commonstrat; nec dubitandum apparet, quin vir ille, qui voluntatem ad austerum sanctumque a Brunone, magistro olim suo, institutum vivendi genus inclinatam adeo habuit, virtutum exercitio animum sedulo excoluerit. Tales fuere S. Brunonis discipuli, quos proinde hic virtute ac morum probitate non minus quam perituris mundi scientiis verosimillime informarit. Etad hunc forte Sancti commendandum maxime in docendo modum alluserint in suo qui, inter recudendos locum 61 obtinet, funebri Tilulo Remenses S. Dionysii monachi ita de ærunone canentes :

Quattuor ut fontes, ex una parte meantes,
Quos paradisus habet, mundi per regna fluentes,
Exundant terras, sic hic, quos imbuit, ornat,
Implet et informat, inflammat, dirigit, armat,
Cudit et illustrat, et adhuc regit, excolit, aptat.
Syderis instar erat cunctis, quos ipse docebat.

101. Nec solis verbis, doctrinam simul et virtutem spirantibus, efficiebat Sanctus, ut tum hanc, tum illam avide haurirent discipuli; verum etiam ad id eximia morum honestate, rarisque virtutibus, quæ tum in eo eluxere, non parum conferebat. Et morum quidem honestas, qua tum Bruno sese reddidit conspicuum, in Titulo funebri 66, qui Ecclesiæ cathedralis S. Mariæ Laudunensis, in archidiæcesi Remensi sitæ, est, ita celebratur :

Bruno, decus cleri, decus et prudentia mundi,
Dum fuit in terris, florebat acumine mentis,
Dum fuit inter nos, florebat et documentis.
Integritas morum cumulum supplevit honorum.

Huc etiam faciunt Tituli funebres 29 et 31, in quorum priori, qui Sanctæ Crucis Sanctique Faronis Meldensis est, sequentibus hisce versiculis Sanctus ornatur :

Cognitus iste satis doctrina erat atque beatis
Moribus et vita Bruno sapiens eremita;
Principiis primis, summis fulgebat et imis,
Post monachus factus.

In posteriori, ab Ecclesia S. Mariæ Carnotensi scripto, istis condecoratur epithetis :

Justus, sincerus, morum gravite severus.

102. Quod autem ad virtutes, quæ in eo tum emicuere, pertinet, Cartusianus anonymus, qui librum quartum Annalium Ordinis sui, hactenus non vulgatum penesque me exstantem, scripsit, hasce simulque insignes, quibus Sanctus tum effulsit, animi dotes e variis funebribus ejus Titulis ob oculos positurus, ita loquitur : « Notari maxime

www.libroesoterico.com

me possunt,» quæ in Brunone eluxerunt, « sapientia, facundia, gravitas a fastu aliena, morum suavitas et integritas, doctrina irreprehensibilis, vita denique exemplaris, ad cujus ideam probi quique efformari et suos componere mores non refugerent. Harum virtutum corollarium hic succincte perstringere tibet ex ejusdem Titulis funebribus, non quidem earum, quæ in eo post conversionem abundantius et perfectius enituere, sed virtutum tantummodo, quibus in sæculo adhuc positus orbi irradiavit.» Hæc præfatus rem ipsam mox aggreditur. Verba ejus, Titulis funebribus, quos citat, numeros simul, quibus singuli inter edendos distinguuntur, apponens, huc transcribo. Sic habent: « Ejus (Brunonis nempe) sapientiam, doctrinam et vitam exemplarem commendat Titulus 112 sancti Petri Neocastrensis his paucis, sed succidis, versibus : »

Quo vixit pago, vivens permansit imago
Veræ justitiæ, doctrinæ, Philosophiæ.

« 103. Et in Titulo 31 ecclesiæ Sanctæ Mariæ Carnotensis :

Ecclesiæ murus Bruno fuit haud ruiturus,
Nam bonus atque piæ mentis, fuit, atque sophiæ
Doctor erat verus, etc.

« Et post in versicutis scholaribus Titulo 32 eadem non solum prædicantur, sed et magnitudinis animi ejus testimonium perhibetur, cum ibidem dicitur :

Flos erat hic Patrum, solamem, gloria fratrum,
Veri sectator, divinæ legis amator,
Semita justitiæ, fons hic et origo sophiæ,
Lux speculum mundi, rerum sublime cacumen,
Labentum bacutus, miserorum dulce levamen.
Nec mens fracta malis, nec erat nimis alta secundis.

« His adstipulatur Titulus 150 Sanctæ Mariæ Bajocensis ecclesiæ :

Solamen fratrum, sanctæ virtutis amator,
Morum corrector justus, pia spes miserorum,
Justitiæ rector, custos ut ubique bonorum;
Moribus ornatus; vas et plenum pietatis,
Fortiter armatus clypeo veræ probitatis.

» 104. Sed nullus sapientiam ejus ita commendavit ac Lambertus abbas Sancti Nicolai Andegavensis, qui in suo Titulo 131 sic loquitur :

..... Brunonis sapientia tanta refulsit,
Inter Francorum sydera solus ut hic
Esset cunctorum flos, et fons philosophorum :
Flos speciosus erat, fonsque profundus erat.
Ex hoc manavit sapientia tanta per orbem,
Ut quos imbueret, philosophos faceret.

« Quanta fuerit ejus ingenii sublimitas, licet ex scriptis ab eo libris ante conversionem possit innotescere, attestantur etiam variarum ecclesiarum Tituli inter quos sic habetur in Titulo 66 Sanctæ Mariæ Laudunensis :

Bruno, decus cleri, decus et prudentia mundi,
Dum fuit in terris, florebat acumine mentis,
Dum fuit inter nos, florebat, et documentis.

« 105. Et in Titulo 173 ecclesiæ beati Vincentii conventus Nioliensium vocatur incomparabilis philosophus, ubi ed subditur : « Quis enim non obstupesceret, imo ab intimis cordis non ingemisceret, cum tantum virum, totius scientiæ et pene omnium clericorum lumen et fundamentum, naturæ concessisse audiret? » Quibus Nauclerus (in Chronographia vol. II. Generat. 37) conformia scribens, beatum Brunonem philosophiæ atque Sacræ Paginæ doctorem clarissimum, scholasticorumque Parisiis (hicne umquam Bruno docuerit, infra inquiram) doctorem dissertissimum appellavit. Ne autem arbitretur quis huic sancto doctori linguam eruditam defuisse, qua sciret sustentare eum, qui lassus est, verbo; accipiat ex Titulo 64 sanctorum martyrum Timothei et Appolinari, in quo sic legitur :

Hujus Doctoris fuit hæc vis cordis et oris,
Ut toto cunctos superaret in orbe magistros.
Huic se tota dedit sapientia totaque sedit
Hujus in arcanis dives penetralibus hospes.
Quod dico, novi, mecum quoque Francia novit,
Et totus novit per climata quatuor orbis.

» 106. Nec solum verbo, quod parvum fuisset, sed exemplo alios docebat, ut ex quibusdam Titulis discimus : sic enim legimus in Titulo 120 ecclesiæ Sancti Audomari :

Exemplum miseris mortalibus esse solebas,
Ut colerent Christum, quem semper, Bruno, colebas.

Et in Titulo 124 Sanctæ Mariæ Atrebatensis :

Rectæ Bruno viæ dux et origo sophiæ
Non aliter docuit, vivere quam studuit. »

Hactenus laudatus Carthusianus anonymus; licet autem in omnibus, quos laudat, Titulis funebribus ad virtutes rarasque animi dotes, quarum Sanctus tunc, cum adhuc docendi munus obiret nedumque sæculo nuntium misisset, specimina dederit, fortassis non alludatur, in plerisque tamen id fieri, dubium non est, quemadmadum consideranti patebit. Ut ut sit, Sanctum equidem tum, cum scholarcham adhuc seu scholarum præfectum ac rectorem Remis ageret, variis virtutum exemplis, quibus, ut hasce pariter amplecterentur discipuli, partim effecerit, effulsisse, verosimillimum apparet.

107. Ita suadet tum eximia fortitudo, qua tunc improbis Manassis archiepiscopi moribus sese, contempta etiam dignitatum fortunarumque jactura, uti infra visuri sumus, opposuit, tum scripta anno 1067 aut seq. ad Gregorium VII summum pontificem ab Hugone, Diensi episcopo sedisque apostolicæ legato epistola, in qua, pluries infra adhuc memoranda, de altero Manasse, Remensis ecclesiæ præposito, simulque de Sancto nostro, qui tum scholarum Remensium præfectura sese non diu abdicarat, nondumque in eremum secesserat, hunc Hugo loquitur in modum : « Manassem..... amicum nostrum in Christo, qui in Claromontano concilio Remensis ecclesiæ male acquisitam præposituram in manu nostra dimisit, commendamus gratiæ Sanctitatis vestræ, sicut catholicæ fidei sincerum défen-

sorem, et dominum Brunonem, Remensis ecclesiæ in omni honestate magistrum. Digni enim sunt ambo a vobis et in his, quæ Dei sunt, vestra auctoritate confirmari, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et ideo consultores profuturos causæ Dei et cooperatores in partibus Franciæ adhibeatis. » Cæterum idem Carthusianus anonymus proxime laudatus, fuisse a Sancta ante conversionem, seu antequam hic, perituris omnibus mundi rebus relictis, in eremum secederet, libros conscriptos, num. 104 indicat; verum, cum id non satis constet, res ne ita, an secus habeat, tunc primum examinaturus sum, cum de vita, a Sancto in Calabriæ eremo acta, binisque epistolis, certo ibidem ab eo scriptis, tractabo ita uno eodemque loco de omnibus operibus, quæ vel Sancti sunt, vel ei attribuuntur, sermonem instituturus.

§ VI. *Nefandis Manassis archiepiscopi sui conatibus sese opponit : qui hac occasione multa passus sit, monachumque induere proposuerit.*

108. Cum Gervasius, Remensis archiepiscopus, vir de ecclesia sua multis nominibus, ac præsertim, quod Remenses scholas, ante quidem celebres ac illustres, celebriores tamen illustrioresque Brunonis opera reddiderit, optime meritus, anno 1067 e vivis fuisset sublatus, vacantem hujus obitu archiepiscopalem cathedram Simoniace obtinuit seu potius invasit Manasses, generis nobilitate, non virtutum ornatu clarus, qui in veteri codice Remensi manuscripto Manasses de Gournai, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. IX, col. 71, testantur, vocatus invenitur. Hic, etsi per ostium in ovile ovium non esset ingressus, ita tamen promotionis consecrationisque suæ, quæ anno 1069 evenit, initio se gessit, ut, si non in omnibus, in multis saltem veri pastoris munus impleret. Tunc enim Ecclesiæ jura magna animi propensione subinde propugnasse, beneficusque in monasteria exstitisse cognoscitur ex iis, quæ de eo tum Marlotus tom. II Historiæ Metropolis Remensis pag. 165 et octo sequentibus, tum Galliæ Christianæ auctæ scriptores loco proxime cit. memoriæ produnt. Nec tum etiam commisit Simoniacus ille antistes, ut proborum omnium, et si interim in nonnullos ex his fuerit iniquior, odia in sese concitaret. Imo contra sedulo curasse videtur, ut etiam de viris, qui et morum gravitate et virtute essent spectabiles, bene mereretur.

109. Quam verum id sit, argumento est Sanctus noster, quem, uti ex supra dictis facile colliges, ad cancellarii ecclesiæ Remensis munus, quod Odalrici obitu vacabat, vel ipsemet promovit, vel ab ecclesiæ suæ canonicis promovendum sategit, sive interim id fecerit, quod multiplicem in Sancto scientiam morumque probitatem, præcipue ad munus illud digne obeundum requisitam, observasset, sive quod hoc modo Brunonis, viri celeberrimi, magnæque in urbe Remensi auctoritatis, amicitiam sibi conciliare unice desideraret, ne quando illum pravorum consiliorum, quæ jam tum forte animo agitabat, adversarium experiretur. Et Sanctus quidem Manasse, quamdiu id utcumque per gesta moresque hujus licuit, adhæsisse animo non omnino averso videtur, consiliisque suis, ut sat verosimile apparet, interim effecerit, ut profligatæ conscientiæ homo bona nonnulla præstiterit, et a malis quæ meditabatur, abstinuerit. Verum cum deterior in dies Manasses evaderet, beneficia ecclesiastica venderet, sacram supellectilem diriperet, multos injuste excommunicaret, clericorum, ecclesiarum ac abbatiarum bona occupare tentaret aut etiam reipsa occuparet, lupumque, ut verbo dicam, non pastorem ageret, adversarium ei omnino sese Sanctus noster præbuit, maxime forte, quod Simoniaca hominis ad sedem Remensem promotio, quam hactenus ignorasset, jam tandem palam ei facta esset. Ast cum a Manasse, si diutius Remis, ei adversans, substitisset, certissime non parum periclitaturus esset, verosimillime tum periculo sese subducendi causa, tum ne impiorum hominis gestorum, quæ impedire non poterat, testis esse cogeretur, Remos dignitate que, quas ibidem obtinebat, una cum aliquot illustriori bus ecclesiæ Remensis clericis reliquit.

110. Hæc omnia fere Guibertus de Novigento in Vita sua lib. I, cap. 11 vel expresse docet, vel saltem ex eo possunt colligi. Audi, qui ibidem disserat : « Manasses quidam, inquit, post Gervasii famosissimi archiepiscopi decessum prædictæ urbis (Remensis nimirum) regimini Simoniace se intrusit, vir quidem nobilis sed nihil prorsus serenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens. Tantos enim fastus ex illa novitate conceperat, ut regias peregrinarum gentium majestates, imo majestatum ferocitates imitari videretur. » Ac paucis deinde, quæ huc non faciunt, interpositis, ita prosequitur : « Is igitur (Manasses) cum milites summopere affectaret, clerum negligeret, dixisse aliquando refertur : « Bonus, ait, esset Remensis archiepiscopatus, si « non missas inde cantari oporteret. » Hujus ergo « mores prorsus improbos, et stupidissimos habitus cum omnis honestus horreret, Bruno in ecclesiis Galliæ tunc opinatissimus cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus infamis illius odio excessit ab urbe, » Remensi nempe. Ita Guibertus Et Sanctus quidem eo ipso tempore, quo, ut hic ait, ex odio, sive quo ipsemet, non tam in episcopum suum, quam in pessimos ejus mores ferebatur, sive quo ab hoc ipso pro hoste habebatur, urbem Remensem deseruit, magnorum studiorum regimen seu scholarum præfecturam, cancellariique munus verosimillime, ne dicam indubie, abdicavit, aut certe, si mavis, dignitatibus omnibus a Manasse spoliatus, amisit.

111. Ast quo circiter anno et quibus comitantibus illustrioribus ecclesiæ Remensis clericis, ille Sancti ex urbe Remensi discessus evenit? Quo tunc sese primum contulit? Ut ad singula hæc quæsita ex ordine respondeam, Bruno certe nec ante annum

www.libtool.com.cn

1076, nec post annum, qui hunc peoxime excepit, A Remis alio commigravit, ut proinde id vel anno 1076 vel sequenti indubie fecerit. Ac eum quidem Remis ante annum 1076 non excessisse, liquet ex charta, hoc ipso anno a Manasse Remis in abbatiæ S. Basoli favorem concessa supraque huc transcripta, quæ ita terminatur : « Bruno cancellarius scripsit et subscripsit ; » post annum autem 1077 actum id non esse, patescit ex eo quod anno illo in concilio Augustodunensi, imo verosimillime etiam in Claromontano, quod huic præivit, Manassem, archiepiscopum Remensem, uti mox videbimus, Simoniæ aliorumque criminum insimularit, idque verosimillime, antequam Manassæ adversans ex urbe Remensi excessisset, non fecerit, utisuadet tum ingens discrimen, cui alioquin apud excandescentem B hinc, iræque impotentem præsulem sese exposuisset, tum rerum subsecutarum series, ex qua Sanctum nostrum, postquam in concilio Augustodunensi Manassem accusasset, non prius ad civitatem Remensem, quam hic anno 1080 in concilio Lugdunensi exauctoratus fuisset, reversum esse, verosimillimum, imo indubium, evadit, uti ex infra dicendis quisque facile colliget.

112. Ad illustriores modo clericos, qui una cum Sancto, Manassem aversantes, urbe Remensi excessere, sermonem converto. Hosce quidem inter fuisse Radulphum Viridem, ad quem Sanctus epistolam infra pluries memorandam e Calabriæ eremo scripsit, et Fulcium Monoculum, cujus in eadem epistola mentio C fit, vero apparet minime absimile ob colloquium, quod cum hisce, eadem pariter docente epistola, de perituris mundi hujus deliciis, æternumque duraturis cœli gaudiis habuit occasione, uti apud omnes fere in confesso est, maximarum ærumnarum, quas a Manasse archiepiscopo Remensis ecclesia patiebatur ; Manassem vero tunc Remensis ecclesiæ præpositum, et Pontium quemdam Sancto exstitisse in suo ex urbe Remensi excessu comites, indubitatum est, cum hi ambo una cum Brunone Simoniaci præsulis accusatores in concilio Augustodunensi alibique existerint, uti hic ipsemet apud Mabillonium Musei Italici tom. I, part. II, pag. 121 in Apologia sua supra plus semel jam laudata pluriesque infra adhuc laudanda, ex parte declarat atque ex D dicendis patescet. Quod modo ad locum, quo Sanctus, Remis excedens, sese receperit, pertinet, Parisios eum concessisse, conjiciunt nonnulli, hosque inter sese imprimis offert Bulæus, qui, præterea in eam, quæ Sanctum tunc Parisiis docendi muneri sese addixisse, statuit, opinionem propendens, in Historiæ Parisiensis tom. I, pag. 468 ita scribit : « Ex hoc loco (Guiberti supra huc jam transcripto) constat, Brunonem, relictis Remis, cum nobilibus quibusdam aliis clericis ecclesiæ Remensis alio commigrasse ; quos quidem socios licet non nominet Guibertus, ex epistola tamen ipsius Brunonis ad Radulphum Viridem, præpositum Remensem, intelligimus, hos tres amicos simul demigrasse Brunonem Radulphum, et Fulcium Monoculum. »

« 113. Sic enim ille : « Reminiscitur quippe di» lectio tua, quod, cum ego et tu et Fulcius Mono» culus quadam die simul fuissemus in hortulo ad» jacente domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis » oblectationibus tractaremus. » Ergo tunc Bruno hospitabatur apud Adam, non utique Remis ; cum enim canonicus esset ecclesiæ Remensis et scholasticus, verisimile non est, eum alieno, in hospitio mansurum fuisse. Unde conjicio, Brunonem cum amicis istis duobus Lutetiam venisse, ipsumque apud Adam hospitem domum elegisse, tumque docendi professionem resumpsisse. Ille forsitan est Adam canonicus Parisiensis, qui post Gualeramum cantor ejusdem ecclesiæ fuit circa annum 1100 et id muneris obiit ultra annum 1123. » Ita ille : Verum etsi verosimillime, uti infra docebo, Brunoni in sua ad Radulphum Viridem epistola de hospitios, quo Remis apud Adamum fuerit exceptus, sermo non sit, propterea tamen nullo modo consequens est, ut Sanctus, dum tractatum, cujus verbis a Bulæo recitatis mentionem facit, de falsis mundi delectationibus cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo institueret, Parisiis apud Adamum fuerit hospitatus. Quidni enim extra urbem Remensem alibi æque, quam Parisiis, hospitari tunc potuerit? Nec quidquam huc facit, quod addit de Adamo, Parisiensi canonico, cum alibi etiam viri, aut etiam, si velis, canonici plures florere tunc potuerint, quibus pariter esset Adami nomen.

114. Bulæus quidem, ut Sanctum, dum Remis abiit, Parisios statim se contulisse utcunque probet, verbis proxime recitatis etiam subjungit, « adstipulatur supra laudatus Guibertus, qui, de ejus (S. Brunonis videlicet) conversione scribens, sic ait : « Fuit non longe ab his diebus Bruno quidam » in urbe Remensi, vir et liberalibus instructus arti» bus, et magnorum studiorum rector, qui conver» sionis initia subjecta occasione nactus dignosci» tur. » Quibus verbis denotare videtur, Brunonem Parisiensis et Remensis studii fuisse rectorem, quæ ab Aimoino Floriacensi monacho in Vita Abbonis dicuntur majores sapientiæ seu studiorum officinæ; » verum quidni Sanctus, quod Remis tum philosophiæ, tum theologiæ, quæ majores seu altiores D scientiæ sunt, studiis preæsset, magnorum studiorum rector, a Guiberto dici potuerit? Sane eum eo sensu, quo Bulæus innuit, magnorum studiorum rectorem vocatum a Guiberto non fuisse, vel ex eo liquet, quod ab ipso hoc scriptore verbis a Bulæo productis munere illo, non Parisiis, sed Remis functus fuisse indicetur, ut, consideranti patebit. Ad hæc, etsi darem, Sanctum eo sensu, quo vult Bulæus, magnorum studiorum rectorem a Guiberto appellari, hincne consequens foret, ut, cum Sanctus Remis excessit, magnorum statim studiorum rectorem Parisiis egerit hucque proinde mox a suo ex urbe Remensi discessu sese contulerit? Nemo sane, quantum opinor, id asseruerit.

www.libtool.com.cn

115. Et vero Sanctum tunc, cum Remis, ut Manassem vitaret, excessit, sese, non Parisios, sed Reciacum seu Roceium, Rocum, Roscium aut etiam (varie enim a variis appellatur) Rauciacum munitum ætate illa (adi Marlotum Historiæ metropolis Remensis tom. II, pag. 195, et Valesium in Notitia Galliarum ad vocabulum *Rauciacum*) ac celebre Campaniæ Gallicæ ad Axonam castrum, sese recepisse, verosimillimum est. Ita mihi apparet, tum quod Manasses ecclesiæ Remensis præpositus, aliique, qui huic adhærebant, ac proin etiam Sanctus noster in præfato castro uti ex ipsiusmet Manassis archiepiscopi ad Gregorium VII Papam epistola, anno 1078 ex infra dicendis scripta hicque num. 123 ex parte saltem recitanda, colligitur, sub Ebali comitis (Reciacensis nimirum; neque enim, cui hoc quadrare queat, comitem alium, nomine Ebalum, invenio) clientela anno 1078 exstiterint, tum quod Ebalus, castri ejusdem, in quo etiam, ut apparet, domicilium fixerat dominns seu toparcha, a parte clericorum Remensium ac proin Sancti nostri contra Manassem, Simoniacum Remensem archiepiscopum, omino steterit, ut pote qui, ut pariter ex eadem epistola inlelligitur, cum Manasses archiepiscopus a sententia, contra se anno 1077 ab Hugone, Diensi episcopo sedisque apostolicæ legato, in concilio Augustodunensi lata, ad summum pontificem appellasset, reque ipsa ad hunc causam suam propugnatnrus Romam sese contulisset, Romam etiam, quo cont.a hujus molitiones Manassem præpositum aliosque clericos, ex urbe Remensi profugos, tueretur, sese contulerit. Atque ita modo et quibus comitantibus et quo anno circiter Sanctus noster ex urbe Remensi discesserit, uti etiam quo tunc sese receperit, determinatum utcumque est: rerum hic tractandarum seriem nunc prosequamur.

116. Inter diversa, quæ adversus Simoniacos, acceptasque a laicis investituras Sancti nostri ætate cebrata fuere concilia, commemorandum hic venit, quod Hugo Diensis, sedis apostolicæ in Galliis legatus, Claromonte celebravit. Hic in illo, ut Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ Mss. pag. 201 docet, in Stephanum, Aniciensis ecclesiæ invasorem, excommunicationis sententiam tulit; hanc autem deinde Gregorius, anno 1073, quo Indictio Pontificia XIa Januario ad Decembris finem cucurrit, ad supremam Ecclesiæ ca cathedram, uti apud omnes in confesso est, evectus, duabus diversis epistolis, altera ad canonicos Aniciences, altera ad Galliarum episcopos uti apud Labbeum tom. X Conciliorum, col 164 videre est, uno eodemque die, decimo videlicet Kalendas Aprilis, indictione decima quinta, conscriptis, confirmavit; quare, cum posterior hæc nota chronica, uti ex jam dictis de obtenti a Gregorio Pontificatus anno liquet, annum 1077 designet, consequens est, ut præmemoratum concilium, quod Hugo Diensis Claromonte celebravit, vel initio ipsiusmet anni 1077 vel sub finem proxime antecedentis celebratum verosimillime fuerit. Huic autem e castro Reciacensi, in quo cum Brunone aliisque verosimiliter ex dictis jam versabatur, præsentem se stetit Manasses, ecclesiæ Remensis præpositus, atque inter Hugonis legati manus uti hujus infra huc transcribenda epistola fidem facit male acquisita primaria ecclesiæ Remensis dignitate, quam anno circiter 1076 ob ipso Simoniaco præsule Manasse obtinuerat, sese abdicavit.

117. Hinc porro, eidem concilio etiam Brunonem, aliosque, qui cum eo Reciacum commigrarant, ecclesiæ Remensis clerico interfuisse ibidemque, quæ contra Manassem Remensem antistitem habebant accusationum capita concilio exposuisse, verosimile apparet, uti etiam in hoc, ut Manasses, de objectis criminibus sese purgaturus ad aliud proxime futurum concilium citaretur, decretum fuisse. Et vero brevi hujus sese obtulit occasio: Gregorius enim, summus pontifex, data quarto Idus Maii, Indictione decima quinta, quæ, ut jam dixi, annum 1077 designat, ad Hugonem, suum in Galliis legatum, epistola in mandatis dedit, ut, congregata episcoporum Franciæ synodo causam Gerardi, Cameracensis electi, qui post sui legitimam electionem ab Henrico rege, ignorans et hunc excommunicatum, et investituram a principibus laicis accipere, per pontificem esse prohibitum, investituram acceperat, sedulo discuteret, atque aliarum nonnullarum Galliæ ecclesiarum causas, negotiaque quæ ad harum, Ecclesiæve universæ utilitatem conducere visa ei fuissent, definiret, advocato etiam ad synodum pro Arvernensis ecclesiæ causa Hugone Cluniacensi abbate. Paruit pontificis voluntati Hugo, conciliumque Augustoduni indixit, idque ibi eo ipso adhuc anno 1077, quo proxime memoratam epistolam ad eum papa scripserat, celebravit.

118. Ita, qui hic erroris convinci non potest, diserte tradit Hugo Flaviniacensis, auctor synchronus, in Chronico Virdunensi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ mss. pag. 199 sic scribens: « Juxta hæc itaque mandata apostolica (a Gregorio Papa Hugoni Diensi per epistolam mox dictam data) congregata est synodus venerabilium Patrum apud Eduam sub tutela et protectione Christi Domini..... anno ab Incarnatione Domini 1077, ubi convenerunt ex Francia et Burgundia multi illustres viri. » Porro huic concilio Manasses, ecclesiæ Remensis præpositus, itemque Sanctus noster alii Remenses clerici, qui una cum hisce Remis Reciacum sese receperant, interfuerunt, Simoniæque ac aliorum criminum accusaverunt Manassem archiepiscopum suum qui, cum citatus fuisset ad concilium, eique, spretis legati monitis ac præceptis, sese sistere neglexisset, in eum, veluti in contumacem, suspensionis sententia fuit prolata. Verum ab hac mox ad pontificem, ut apparet, appellavit Manasses, vindictæque interim, dum Romam adire posset, percupidus, ecclesiæ Remensis canonicis, accusatoribus suis, a concilio ad Reciacense, uti ex jam su-

www.libtool.com.cn

pra dictis infraque dicendis apparet, castrum redeuntibus, plurimas in via struxit insidias, domos eorum Remis fregit, præbendas vendidit, et bona diripuit. Audi hæc suismet verbis Hugonem Flaviniacensem loco proxime cit. exponentem. « Accusatus est in eodem concilio (Augustodunensi scilicet) Remensis ecclesiæ invasor Simoniacus Manasses a clericis Remensibus, et suspensus ab officio, quia vocatus ad concilium ut se purgaret, non venit. Qui cum canonicis Remensis ecclesiæ accusatoribus suis, a concilio redeuntibus, plurimas parasset insidias demum domos eorum fregit, præbendas eorum vendidit, et bona eorum diripuit. »

119. Hæc Hugo. Et sane veritati esse apprime consona, etiam liquet ex epistola, ab Hugone legato post concilii celebrationem, auditis, quas Manasses Brunoni aliisque ex illo redeuntibus ecclesiæ Remensis canonicis intulerat, variis injuriis, ad Gregorium pontificem data, in qua, Sanctum nostrum Manassemque præpositum «dignos habitos fuisse pro nomine Jesu contumeliam pati, » declarat, alludens verosimillime, ne dicam indubie, ad injurias, quas ambo, e concilio Augustodunensi Reciacum redeuntes, tum in via, tum Remis in bonis suis passi fuerant Epistolam illam, quod præterea, quæ de Monassis, Remensis ecclesiæ præpositi, ad Claromontanum seu Arvernense concilium accessu supra asserui, invicte probet, aliaque, quæ huc et præcipue Manassem archiepiscopum spectant, complectatur, in fine mutilam, prout aput Labbeum tom. X Conciliorum col. 365 et seq. exstat, huc transcribo. Sic habet : « Reverendissimo Patri et domino papæ Gregorio suæ sanctitati inutilissimus servus Hugo humilis presbyter Diensis, salutem. Quoniam didicimus R. vestrum Parisiensem rediisse, cui injunxeramus, ut fideliter, sicut filius vester, vobis referret gesta Augustodunensis concilii, cui interfuit, qui neque per nos rediit, neque quidquam de statu vestro nobis scripsit, rogamus paternitatem vestram, ut sententiam suam nobis dignetur scribere super ordinatione Remensis, Bituricensis et Carno tensis esclesiarum. »

« 120. Sciat quoque paternitas vestra, quia ille Noviomensis dictus episcopus, sub comminatione publicæ examinationis a nobis familiariter exactus, confessus est nobis Simoniam suam, præsentibus Laudunensi et Lingonensi episcopis cum aliis quibusdam. Unde etiam sacramento supra sacra Evangelia nobis firmavit, quod, visis litteris vestris vel legatione vestra, ecclesiam, quam male occupaverat, bene dimitteret, et pro posse et scire suo, ut juxta Deum ordinaretur, adjuvaret Silvanectensis vero episcopus, accepta investitura de manu regis, ordinatus est ab illo (Manassem Simoniacum Remensis Ecclesiæ episcopum seu potius invasorem designat) Remensi hæresiarcha, cui litteris vestris interdixistis, ne hujusmodi in episcopos acciperet. Antisiodorensis, infra annos ordinatus, investituram quidem de manu regis non accepit, quamquam per familiares regis gratiam ejus consecutus sit. De Senonensi autem archiepiscopo quantam contumeliam, quantamve injuriam auctoritati vestræ in nostra legatione intulerit, a prædicto R. ut spero, sufficienter audistis. Neque hoc dicens, Deus testis est, gloriam meam quæro. Burdegalensis quoque, quoniam vocatus præterito anno ad Arvernense concilium neque venit, neque canonice se excusavit, in eodem concilio ab episcopali officio suspensus est. Quod ille vilipendens, interdictum sibi usurpavit officium. Rursus vocatus ad Augustodunense concilium, quoniam nullam cansationem nobis misit, etiam a sacerdotio suspendimus eum.

» 121. De his ergo omnibus quid Magnitudo vestra judicaverit, quid inde agere placuerit, parvitati nostræ rogamus, rescribite. Præterea summopere possimus, ut per dominum Valentinum episcopum pallium nobis mittatis ad confirmandam ordinationem religiosissimi Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopi, contra oblatrantes hæreticos et de regis indignatione adversus ordinationem Dei carnaliter gloriantes. Ipse enim, postpositis omnibus incommodis et periculis penuriæ atque itineris, Sanctitatis vestræ conspectui devotissime se præsentaret, si Ecclesia illi commissa, tamdiu languida et pastoris solatio destituta, quoquo modo absentiam ejus sine magno detrimento pati potuisset. Valentino episcopo præcipite et securitatem in manu vestra accipite, quatinus circa festum S. Joannis Baptistæ, prout nos cum eo condixi mus, Ecclesia sua ad celebrandum officium illum accipiat, quia valde opportunus videtur ad oppugnandam provincialium arrogantiam. Manassem autem amicum nostrum in Christo, qui in Claromontano concilio Remensis Ecclesiæ male acquisitam præposituram in manu nostra dimisit, commendamus gratiæ Sanctitatis vestræ, sicut catholicæ fidei sincerum defensorem, et dominum Brunonem, Remensis Ecclesiæ in omni honestate magistrum. Digni sunt enim ambo a vobis, et in his, quæ Dei sunt vestra auctoritate confirmari, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et ideo consultores profuturos causæ Dei et cooperatores in partibus Franciæ adhibeatis. »

« 122. Remensis hæretici depositionem con..... revelatam iniquitatem sanguis cœli et..... clamat, auctoritatis vestræ scripto robora..... hos rogamus Remensi Ecclesiæ destinate.....suam satisfactionem, aut ipse, si placit..... aut nobis suscipiendam præcipite. Quia..... excommunicationem vestram, nobis inconsultis, episcopi electionem fecerunt, Tiezo filius vester jam redisset ad vos, nisi ad convocandum concilium 18 Kalendas Februarii, Pictavis, Deo annuente, celebrandum detineretur ; in quo concilio meritorum vestrorum patrocinium adesse nobis suppliciter exoramus. Orate pro nobis, sanctissime Pater. » Talis est data ab Hugone Diensi pos. Augustodunense concilium anno, ut apparet, 1077 aut sequentis initio ad summum pontificem epistola; e qua sane, quæ supra tum de illatis per Manassem

www.libtool.com.cn

archiepiscopum Sancto injuriis, tum de hujus Manassisque præpositi in concilio Claromontano præsentia edixi, optime firmatur. Rei modo seriem prosequamur. Aruno clericique Remenses, ejus socii, evitatis quas eis, a concilio Bugustodunensi redeuntibus, Manasses archiepiscopus struxerat insidiis, ad Ebalum comitem in Reciacense hujus castrum, e quo illud adierant, sese iterum recepere, gravissimæ litis, sese inter et archiepiscopum suum pendentis, exitum ibidem prætolaturi.

123. Ita autumo quod Manasses archiepiscopus apud Labbeum tom. X Conciliorum, col. 363, in epistola supra citata, quam ad Gregorium VII papam dedit, ita loquatur : « De comite Œbalo, qui me in præsentia vestra accusare tentabat, et se suamque fidelitatem vobis verbis simulantibus commendabat, satis in promptu habetis cognoscere, cujus potius sinceritas fidelitatis erga vos videatur existere. Utrum mea, qui Deo et vobis paratus sum per omnia obedire, an illius, qui et apud vos per Manassem et suos sequaces in suo castro receptos persequitur beatam Mariam. Manasses enim, de quo diximus, cui nos jussu vestro, quod in nos admiserat, si ad Ecclesiam matrem suam rediret, indulsimus, conscientia sceleris sui depressus nec ad vos vult redire, nec paci Ecclesiæ concordare, quin potius cum illis suis sequacibus, quia factis non potest, verbis et maledictis Ecclesiam meque lacerare non desinit. Unde, ut de ipso Œbalo taceam, in quem vos, credo, justam et Apostolicam exercere sententiam, super Manasse instanter deprecor sanctitatem vestram, ut aut jubeatis eum ad sua regredi, et ulterius non impugnare Ecclesiam, aut in eum ejusque fautores et cooperatores Apostolici vigoris dirigatis animadversionem. Dignamini etiam ad eorum receptores scribere aptam epistolam, ut aut eos contra Ecclesiæ jura non retineant, aut pari sententia mulctatos se agnoscant : « quibus e verbis consideranti patescet, Manassem præpositum adhærentesque ei, quorum unus erat Sanctus noster, Ecclesiæ Remensis clericos tum certe, cum epistola, hæc complectens, a Manasse archiepiscopo, quod anno, uti infra docebo, 1078 factum, ad Pontificem fuit concripta, apud Œbalum comitem in castro Reciacensi seu Rauciacensi commoratos fuisse ; quod cum ita sit, sese in id, anno 1077 e concilio Augustodunesi revertentes, quo Manasssis archiepiscopi insidias dectinarent, verosimiliter receperant,

124. Nec id tantum, quod modo proposui, e recitatis epistolæ Manassis verbis discimus, verum etiam Ebalum seu Œbalum comitem, qui Sanctum ejusque contra Manassem archiepiscopum comites in castro suo tuebatur, Romæ hujus accusatorem apud Gregorium Papam egisse. Qui id factum sit, expono. Manasses archiepiscopus, qui, ut supra docui, a sententia, in concilio Augustodunensi contra se lata, ad summum Pontificem verosimiliter appellarat, Romam anno 1078, cum inde, prout Hugo Flaviniacensis loco proxime cit. testatur, litteræ ei, « ut in concilio, » alio scilicet, in Galiis denuo celebrando, « cum sex se purgaret episcopis, » traditæ fuissent, se contulit. Ebalus comes, audito præsulis Simoniaci discessu ac consilio, iter pariter Romam versus, quo ibi contra eum clericorum Remensium, quos in castrum suum ac clientelam receperat, causam tutaretur, arripuit, horum etiam aliquot sibi adjunctis. Et ex his quidem exstitisse Pontium, sæpius jam laudata Manassis archiepiscopi Apologia apud Mabillonium tom. I, part. II Musei Italici, pag. 121 indubitatum facit ; Fulcium autem Monoculum, de quo Sanctus in recitenda infra ad Radulphum Viridem epistola, ex iis pariter exstitisse, verosimile apparet, primo quidem quod Fulcius ille, a Sancto memoratus, Romam sese, uti ipsamet hæc epistola fidem facit, proxime post habitum cum Brunone et Radulpho Viridi de falsis mundi delectationibus, verisque cœli gaudiis colloquium, in quo monachicum habitum assumere statuerunt, contulerit ; deinde vero quod id post concilium Augustodunense anno 1077 aut sequenti, nec alibi, quam in castro Reciacensi, habitum fuisse videatur.

125. Quod quo utcumque probatum dem, prævie verba, quibus colloquii illius Sanctus meminit nuc transcribo. Sic habent : « Reminiscitur..... dilectio tua, quod, cum ego et tu et Fulcius Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus et perituris mundi hujus divitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis aliquamdiu, ut opinor, tractaremus, unde divino amore ferventes promisimus ac vovimus Spiritui sancto in proximo fugitiva sæculi relinquere et æterna captare, necnon monachicum hibitum recipere ; quod et in vicino paractum esset, nisi tunc Fulcius Romam adiisset : ad hujus reditum peragenda distulimus ; quo moram faciente, aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. » Quando itaque Sanctus collationem, hic memoratam, in qua monachum vovit, cum Radulpho Viridi ac Fulcio habuit, non domi, sed alieno in hospitio versabatur. Hinc porro consequitur ut hanc Remis, antequam anno circiter 1076 e civitate hac cum Manasse aliisque Remensibus clericis excessisset, indubie non habuerit. Brunonem enim tunc Remis, ubi non tantum canonicus, sed et scholasticus præterea et cancellarius erat, in alienis ædibus habitasse, verosimile non apparet, ut Bulæus verbis num. 113 recitatis recte arguit. Imo vero, ut Tractatus de S. Brunone, a Cartusianis hujatibus mecum communicati, auctor num. 20 Operis sui recte notat, dubitandum non est quin tunc ibi Sanctus suæ tum cancellarii, tum canonici et st scholastici dignitati congruum domicilium habuerit, et quidem in ipso claustro communi, quo diu ante et post S. Brunonis ætatem canonici Remenses usi fuere, uti fas est colligere ex Flodoardo Hist. Remensis lib. II, cap. 11, Chronico Mosomensi apud Dacherium tom. VII Spicilegii, et

www.libtool.com.cn

Stephani Tornacensis Epistola 160, ad Rudulphum Remensem decanum, a Radulpho Viridi diversum, circa annum 1176, aut ut videtur, non diu admodum post scripta.

126. Stephani verba huc facientia, quod ex iis, canonicos Remenses Brunonis ætate vitam in claustro communem duxisse, potissimum intelligatur, e jam sæpe laudato, qui hactenus vulgatus non est, Annalium Carthusiensium libro IV describo. Sic habent : « Exiit sermo inter plures, quod antiqua Patrum vestigia, sacris intituta conciliis et a gloriosa hactenus Remensis Ecclesia diutius observata, quidam ex vobis immutare contendunt, laminamque auream religiosæ consuetudinis, quæ in fronte Ecclesiæ Metropoleos apposita lucet omnibus, qui in regno sunt, quadam singularitate studeant delere, dejicere, conculcare. Singulari quodam privilegio sedes Remensis inter alias Galliarum Ecclesias eminebat, perseverans cum Apostolis in communione panis et oratione, et in sociali communione sacramentalem præferens, majoribus erat spectaculum, minoribus documentum. Ex reliquis regularium institutionum duo loca sibi detinuerant, cœnaculum refectionis et domum somni, in altero castigatam sequentes abstinentiam, in altero candida tam continentiam, observantes.... In his et aliis observantiis Regularibus incedebat Remensis Ecclesia terribilis ut castrorum acies ordinata, amabilis suis, admirabilis alienis. Si hæc immutari cœperint, quid dicet germana ejus loco et ordine Germania, quæ inter alias institutiones Ecclesiasticas refectionis adhuc et quietis fraternam communionem sic observat, ut modernam dissolutionem non admittat ? »

127. Cum ergo Remenses canonici, uti e verbis hisce pronum est eruere, vitam communem in ædibus, separatis quidem, ut tunc moris erat, uni tamen eidemque claustro inclusis, Sancti nostri ætate duxerint, hic utique, dum illos inter ante suum ex urbe Remensi discessum, seu ante annum 1076, quo circiter is accidit, versaretur, alienas ibidem ædes non inhabitarit, ac proin nec tunc collationem, utpote quæ, Brunone alienis in ædibus versante, acciderit, cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo habuerit. Eodem etiam ex capite parum verosimile apparet, collationem illam seu colloquium contigisse, postquam jam Sanctus, exauctorato pulsoque Simoniaco invasore Manasse, in pristinum fere, aut hoc etiam forte meliorem, statum, quod qui et quando factum sit, infra videbimus, fuisset restitutus. Porro ex eo, quod Sanctus, dum de falsis mundi oblectationibus cum Radulpho Viridi et Fulcio sermonem miscuit, alieno in hospitio fuerit versatus, consectarium præterea est, ut nec id Parisiis evenerit. Qui enim collationem seu colloquium illud Parisiis factum statuunt, Sanctum nostrum tunc, cum id habuit, docendi ibidem munus obiisse, affirmant; quod si autem ea in urbe reipsa umquam Bruno docuisset, alienis tunc, velut hospes, ædibus usurus fuisse non videtur. Accedit, nihil plane aliunde haberi, ex quo Sancti cum Radulpho et Fulcio collationem Parisiis habitam fuisse, utcumque fiat probabile, ut proinde, uti non Remis, sic nec ibi verosimiliter evenerit. At vero Reciaci seu Rauciaci eam post concilium Augustodunense evenisse, e status, in quo ibi Sanctus tunc fuit, adjunctis verosimillimum apparet.

128. Ibi enim tunc tum hic, tum alii Ecclesiæ Remensis clerici, ejus in exsilio socii, alienis in ædibus versabantur, a castri illius (id enim plures domos fuisse complexum, Valesius loco supra cit dubitare non sinit) incolis diversis, per « Manassæ præpositi eique adhærentium, receptores» num. 123 a Manasse archiepiscopo verosimiliter indigitatis, hospitio ex comitis Ebali, ut verosimile apparet, voluntate excepti. Ad hæc eo temporis spatio, quo Sanctus cum aliis Remensibus clericis Reciaci versabatur, collationemque de falsis mundi delectationibus post concilium Augustodunense habere jam potuerat, Ebalus, castri hujus toparcha, Romam versus, ut supra docui, iter arripuit, huncque eo, ut supra pariter docui, aliquot Remenses clerici comitati sunt; non diu autem, ut supra recitata ex Sancti nostri ad Radulphum Viridem epistola verba docent, post collatiodem, a Brunone cum Radulpho et Fulcio habitam, Romam hic discessit, Accedit Reciaci Radulphum Viridem et Fulcium Monoculum cum Sancto nostro, antequam Ebalus comes Romam abiret, fuisse ex jam dictis versatos. Tres quidem dumtaxat Ecclesiæ Remensis canonicos. Manassem præpositum nimirum, Pontium et Brunonem, qui Manassem archiepiscopum in concilio Augustodunensi anno 1077 accusarint, ac diende in castrum Reciacense sese receperint. Historiæ litterariæ Franciæ scriptores, qui recessui huic habitam a Brunone cum Radulpho et Fulcio de divitiarum oblectationumque mundi hujus vanitate collationem præivisse autumant, tom. IX, pag. 235 recensent. Verum quid tum?

129. Assignato ab iis Remensium, qui Manassem accusarint atque in Reciacense castrum se receperint, clericorum numero, unde, Radulphum Viridem et Fulcium nec in castro Reciacensi sub Ebali comitis clientela exstitisse, nec ibidem cum Brunone collationem, de qua hic, habuisse, consequens sit, standum non est. Remensium enim canonicorum, qui Manassem archiepiscopum accusarint, majorem exstitisse numerum, hic ipsemet prodit in apologia sua apud Mabillonium Musei Italici tom. I, part. II, pag. 121 ad Hugonem Diensem sic scribens: «Dixistis, ut accusatoribus nostris, scilicet Manassæ et sociis, responsuri ad concilium veniremus; et ego dicô vobis quia ego et Manasses pro omnibus sociis suis, concordiam fecimus. exceptis duobus, quorum unus, scilicet Brono, nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis in regno Teutonicorum positi canonicus est; cujus societatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita et libertate penitus ignoramus.

www.libtool.com.cn

et quia quando apud non fuit, multis beneficiis a nobis in eum collatis, male et nequiter tractati sumus. Alter vero, id est, Pontius, in Romano concilio, nobis præsentibus, est falsatus; et ideo nec uni, nec alteri in ecclesiastico judicio respondere aut volumus aut debemus. » Cum ergo, uti ex his verbis intelligitur, plures sane quam tres exstiterint Remensis ecclesiæ canonici seu clerici, qui Manassem archiepiscopum accusarint, quique proinde post Augustodunense concilium in castrum Reciacense sese receperint, non est, cur hos inter exstitisse Radulphum Viridem et Fulcium Monoculum, eamus inficias; quod cum ita sit, non est etiam, cur cum hisce in eodem castro (de quo vide tamen Addenda et Corrigenda ad p. 519, n. 124) sanctus noster illam, de qua hic disserimus, collationem non habuisse putetur.

120. Et sane hanc ibidem a Brunone habitam fuisse, suadent, tum quæ huc facientia in medium jam adduxi, tum quæ hic modo adhuc addo. Collatio illa, utpote in qua de mundi vanitate cœli æternitate, monachicoque habitu assumendo actum, optime quadrat statui, in quo sanctus post concilium Augustodunense Reciaci fuit; ibi enim tunc ille, bonis a Manasse archiepiscopo spoliatus, fortunam patiebatur adversam, qua pressi mortales terrena despicere, cœlestia æstimare atque ad Deum sese convertere solent. Ad hæc ab ipsomet Sancto, sese aliosque diu, quod in collatione illa voverant, adimplere distulisse, verbis supra huc transcriptis indicatur; re autem ipsa factum id est in opinione, qua dictam collationem Reciaci post concilium Augustodunense habitam statuimus. Sanctus enim, uti infra probabo, certe ante annum 1081 meliori vitæ in eremum secedens sese non dedit; ante autem, quam hoc faceret, triennio ut minimum celebris, de qua hic, cum Fulcio collatio acciderat, uti pronum est ex jam dictis eruere. Fulcius enim secundum hæc cum Ebalo comite anno 1077 (annus enim 1078, num. 124, per errorem irrepsit) Romam petiit, hocque illius inter habita cum Brunone post concilium Augustodunense, anno itidem 1077 celebratum, de falsis mundi delectationibus collatio præivit, ut hæc ipso etiam anno 1077 ac proin triennio ut minimum, antequam Sanctus in eremum secederet, acciderit. Reliqua modo quæ ad litem, a Sancto nostro, aliisque Remensis ecclesiæ clericis Manassæ archiepiscopo intentatam, spectant, expediamus.

§ VII. *Manasses Romæ in concilio causam suam tuetur, suspensionisque sententiam, in se Augustoduni latam, a pontifice rescindi obtinet : quid tum præterea egerit, et qui tandem Brunonem in pristinum honorem restituere jussus fuerit.*

Cum Manasses, Remensis ecclesiæ archiepiscopus, Romam ad summum pontificem, Gregorium VII, ad quem ex dictis appellerat, jam advenisset, benigne ab hoc, ad meliorem frugem hominem rediturum, adhuc sperante fuit exceptus, causamque suam in concilio, quod ibidem tunc, id est, mense Martio anni 1078, celebratum fuit, præsentibus etiam (adi verba ex Manassis epistola n. 123 huc transcripta) Ebalo comite clericisque Remensibus, hunc, ut docui, comitatis, qui pro clero Remensi locuturi advenerant, propugnare est conatus. Quibus ad id præsidiis usus sit, litteris proditum non inveni; quo vero successus rem gesserit, ipsemet in Apologia sua apud Mabillonium opere cit., p. 119 exponit, ita ibidem ad Hugonem sedis apostolicæ legatum, scribens : « Non solum per omnes fere Gallias, verum etiam Italiæ et Romæ, notum est qualiter ante hoc biennium (*anno scilicet* 1077) in eadem provincia a vobis et ab aliis quibusdam in nos violenter ac injuste res gesta est : et ego vim ac præjudicium passus Romam processi, ibique super hoc Romanum et Apostolicum judicium appellavi. Quia vero vos aberatis, jussu domni apostolici in ipsa regione remansi, et adventum vestrum per XI fere hebdomadas exspectavi, Cumque non veniretis, tandem in præsentia domni apostolici, et in concilio generali inter nos et eos, qui ibi loco vestro, utpote a vobis directi, aderant, altercatio habita est, et ex eorum accusatione ac nostra defensione, quidquid passi eramus, temere ac violenter actum esse et constare non debere, judicatum atque correctum est.« Hunc in modum Manasses, qui, quamquam in Hugonem, sedis apostolicæ legatum, iniquior sit, remque, uti ex jam dictis et porro dicendis liquet, parum sincere exponat, sententiam tamen, in se ab Hugone in concilio Augustodunensi latam, correctam seu rescissam fuisse, recte indicat.

132. Gregorius enim, futurum sperans ut indulgentia Apostolica ad meliorem frugem Manassem adduceret, a suspensionis sententia, qua Augustoduni fuerat damnatus, hominem absolvit, pristinoque gradui ac officio certis tamen, quas hic subticet, conditionibus adjectis, restitutum in Gallias remisit. Ita apud Labbeum tom. X Conciliorum docet nos ipsemet Gregorius, in epistola, septimo Idus Martii, indictione prima quæ ex supra dictis annum 1078 designat, exarata, sic scribens : « Quia consuetudo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, Deo auctore, licet indigni, deservimus, est quædam etiam dissimulare, discretionis temperantiam potius quam rigorem canonum sequentes, causas episcoporum Franciæ atque Burgundiæ, qui suspensi seu damnati a legato nostro Hugone Diensi episcopo fuerant, non sine gravi labore discussimus. Denique Manassem Remensem archiepiscopum, qui in multis accusatus fuerat, seseque a synodis, ad quas Hugo Diensis episcopus eum invitavit, subtraxerat : quia sententia, super eum data, non Romanæ Ecclesiæ gravitate et solita mansuetudine videbatur, in proprium gradum officium que restituimus, ea quidem ratione, ut supra corpus sancti Petri juraret hoc modo : « Ego Manasses Remensis archi» episcopus pro superbia non dimisi, quod non « venerim ad synodum Augustodunensem, ad quam

« me Diensis episcopus vocavit. Si vocatus nuntio vel » litteris apostolicæ sedis fuero, nullo malo ingenio » et nulla fraude me subtraham, sed veniens dif- « finitioni et judicio hujus Ecclesiæ fideliter ob- « ediam. Quod si domino papæ Gregorio vel suc- » cessori suo placuerit me de objectis ante legatum « suum respondere, idem per omnia faciam. The- » sauros autem, ornamenta et prædia Remensis » ecclesiæ mihi commissæ ad honorem ipsius Ec- » clesiæ fideliter tractabo et ad resistendum justitiæ » ea non abalienabo. »

133. Epistola hæc, seu rescriptum, in quo deinde nonnulla alia, ad rem nostram non facientia hucque proinde non necessario transcribenda, sequuntur, ita terminatur ; « Actum Romæ septimo Idus Martii, indictione prima ; » posterior autem nota chronica, clausulæ huic inclusa annum Christi 1078 (adi quæ num. 116 dicta sunt) designat; ut proinde lata in Manassem, qui sese ex dictis anno 1077 post concilium Augustodunense, alterius concilii, Pictavii (vide apud Labbeum tom. I. Bibliothecæ novæ Mss. Chronicon Virdunense p. 206) ineunte anno 1078 celebrandi, utut ad hoc citatus, tempore non exspectato, Romam contulerat, suspensionis sententia, cum ibidem per XI fere hebdomadas (adi ejus verba, num. 131 huc transcripta) Hugonis Diensis adventum præstolatus fuisset jam inde ab anni 1078 mense Martio sub conditione, quam verba proxime huc transcripta involvunt, per Gregorium VII, summum pontificem, fuerit rescissa. Verum hæc, qua erga Manassem, Simoniacum antistitem, usus est Gregorius, indulgentia ac benignitas Hugoni Diensi episcopo ac sedis apostolicæ in Galliis legato verosimillime non parum displicuit. Fas est id colligere ex epistola, ad supremum illum Ecclesiæ pastorem post celebratum anno 1078 Pictaviense concilium ab eodem Hugone, licet non de Manasse, scripta, in qua is sub finem apud Labbeum tom. X Conciliorum, col. 367 ita loquitur: « Provideat itaque sanctitas vestra, ne diutius tam opprobriose nobis improperetur, quod simoniaci vel quicumque criminosi a nobis suspensi vel depositi aut etiam damnati libenter currunt Romam, et ubi deberent sentire ampliorem rigorem justitiæ, inde reportant quasi misericordiam pro voluntate. Et qui antea nec in levibus præsumpserunt peccare, postmodum exercent aptissimam negotiationem cum tyrannide in commissis sibi ecclesiis. »

134. His porro verbis etiam docet, simoniacos tunc ex indulgentia, quam Romæ fuissent experti, deteriores atque insolentiores evasisse ; quod quam verum esset, suo agendi modo Manasses luculenter ostendit. Etsi enim, sese de objectis sibi criminibus, si quando id pontifici placuisset, Apostolico legato responsurum, juramento Romæ edito, sanctissime (adi verba Gregorii papæ, num. 132, huc transcripta) promisisset, vix tamen a concilio Romono, in quo ex dictis anno 1078 auditus absolusque fuerat, in Gallias erat reverus, cum ad pontificem, ad quem ei aliis de causis scribendum erat, dedit epistolam, in qua præter querelas, verbis, num. 123, datis expressas, quas contra Ebalum comitem, Manassem præpositum aliosque Remenses clericos hujus sequaces defert, ex ecclesiæ suæ privilegiis contendit, sibi tentum vel ipsimet Pontifici vel hujus legatis, qui Itali essent aut Romæ saltem educati, de objectis criminibus respondendum. Ita scilicet Manasses Hugonis Diensis, nec in Italia nati, nec Romæ educati, a quo ne iterum ad concilium aliquod de objectis criminibus se purgaturus citaretur, maxime metuebat, judicio sese subducere conabatur. Audi, quæ huc facientia in dicta epistola apud Labbeum, tom. X Conciliorum, pag. 363, in medium adducat.

135. « Obsecro etiam, inquit, benevolentiam honoris vestri, ut dignitatem, quam antecessores vestri antecessoribus meis archiepiscopis servaverunt, et privilegiis, allisque scriptis ad posterorum memoriam reliquerunt, mihi reservare dignemini. Ne irritum aut infractum fiat privilegium, quod ipse dedistis mihi, scilicet ut vobis ipsi interpellatus et non interpellatus respondeam et legatis vestris Romanis, non ultramontanis, qui conjuncti Romanis quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, et sub honestis nominibus cupiditati suæ consulunt, non Ecclesiæ Dei. Unde propter talium pudendas reprehensiones et vocationes mihi, qui totius Galliæ episcopos debeo convocare, liceat confidere de vobis sine legatorum liceat confidere de vobis sine legatorum vocatione, donec ad Pascha veniam ad vos, Deo volente. » Ita Manasses, ne quando Hugoni, sedis apostolicæ legato, de criminibus sibi objectis respondere cogeretur. Verum eum hac in re, acriter etiam, quæcumque sive de Sedis Apostolicæ legatis sive de ecclesiæ Remensis privilegio verbis recitatis scripserat, confutatis, Gregorius minime audivit, etsi interim expostulationum, abs illo contra Ebalum comitem, Manassem præpositum aliosque factarum, rationem habendam duxerit, ut fidem facit tum epistola, qua Manassi respondit, tum altera, quam præterea, cum hoc fecit, ad Hugonem Diensem, suum in Galliis legatum, dedit. Ambæ apud Labbeum, a quo, tom. X Conciliorum, col. 196 et tribus seqq. recitantur, « Undecimo Kalendas septembris, Indictione prima, » quæ hic ex supra dictis annum 1078 designat, « datæ » notantur; unde consequitur ut, quam ad Gregorium papam Manasses archiepiscopus dedit, proxime memorata epistola anno 1078, utpote ambabus hisce anterior, concilioque Romano, quod eodem anno 1078 celebratum fuit, ex dictis posterior, exarata indubie fuerit; quod hic, ut fidem num. 123, datam liberarem probare est visum.

136. Nunc, quæ in duabus proxime dictis Gregorii epistolis verba, ad institutum præsens utcumque facientia, occurunt, huc transcribo. Talia in priori sunt hæc : « De Manasse, qui vos et ecclesiam vestram, quia malefactis non potest, maledictis infestare non cessat, et de cæteris omnibus,

www.libtool.com.cn

super quibus conquestionem vobis collibuerit facere, misimus litteras nostras commemoratis confratribus nostris, Diensi videlicet episcopo, et Cluniacensi abbati, ut cuncta studeant diligenter inquirere, sollicite discutere, discussa et indagata ad purum juste, legaliter et canonice judicare ; » in posteriori vero ista se offerunt : « Quia in sanctæ Dei, cui divina dispositione præsidemus, Ecclesiæ regimine sollicite nos vigilare oportet, vestris assiduis precibus nobis ut divinum obtineatis præsidium, deposcimus. Quapropter vos summopere studium adhibere admonendo mandamus, quatenus inquiratis et canonice, prout potestis, finem imponere procuretis negotiis, unde Rhemensis archiepiscopus, confrater noster, suis litteris nobis conquestus est. Conqueritur enim de confratre nostro, archiepiscopo Viennensi Warmundo, qui in suo archiepiscopatu presbyteros deposuit, et eosdem restituit.... De Manasse autem, de quo similiter conqueritur, qui Œbali suorumque refugio et auxilio illum et ecclesiam fatigare non cessat, laborate ut ad pacem redeat, et ab inquietatione Ecclesiæ et persecutione archiepiscopi quiescat. Quod si forte in sua contumacia persistens obedire renuerit, nisi illum justam excusationem habere cognoveritis, quodcumque vobis justius videtur, facite. De aliis autem necessitatibus eumdem archiepiscopum (si tamen vobis obedierit) sicut dignum est, adjuvate, eique commissam ecclesiam auctorirate beati Petri (quod et de aliis ecclesiis vos oportet agere) defendite. »

137. Pontifici igitur, quemadmodum ex hisce epistolæ, quam ad Hugonem Diensem dedit, verbis potissimum apparet, in votis fuit, ut, si qua raitone fieri id posset, Ebalus Reciacensis comes et Manasses ecclesiæ Remensis præpositus cum Manasse archiepiscopo in gratiam redirent, Hinc porro factum conjicio ut Manasses præpositus, voluntatis pontificiæ sive per Hugonem, sedis apostolicæ legatum, sive per ipsummet archiepiscopum Manassem factus certior, concordiam cum hoc inierit, quam ipsemet Simoniacus is antistes in sua apud Mabillonium tom. I. Musei Italici, part. II, pag. 121 sæpissime jam laudata Apologia commemorat his verbis : « Dico vobis quia ego et Manasses pro omnibus sociis suis concordiam fecimus, exceptis duobus, quorum unus, scilicet Bruno, nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis, in regno Teutonicorum positi, canonicus est ; cujus societatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita et libertate penitus ignoramus ; et quia, quando apud nos fuit, multis beneficiis a nobis in eum collatis, male et nequiter tractati sumus. Alter vero, id est, Pontius, in Romano concilio, nobis præsentibus, est falsatus ; et ideo nec uni, nec alteri in ecclesiastio judicio respondere aut volumus aut debemus ; » in hac autem conjectura, magis adhuc confirmor ex eo, quod, quando post pontifici placuit, ut anno 1080 Lugduni concilium ad discutiendam decidendamque Manassis archiepiscopi causam celebraretur, huic iterum Manasses præpositus, voluntatis pontificiæ observantissimus, sese stiterit, unusque etiam ibidem e Simoniaci, illius antistis, cum quo ex dictis pacem jam ante inierat, accusatoribus exstiterit, uti colligendum videtur ex Gregorii VII, quæ apud Labbeum tom. X Conciliorum col. 241 exstat, epistola, ad Manassem, archiepiscopum Remensem, postquam hic in dicto Lugdunensi concilio exauctoratus fuisset, Indictione tertia, id est ex supra dictis, anno 1080 conscripta ; e qua etiam apparet Manassem præpositum bonis suis, in quæ, pace cum Manasse archiepiscopo inita, restitutus verosimillime fuerat, iterum ab hoc, quod ejus sese in concilio Lugdunensi accusatoribus denuo junxisset, fuisse spoliatum.

138. In ea enim Pontifex ita loquitur : « Purgandi licentiam tibi indulgemus, ea videlicet conditione, ut Manassæ et Brunoni, qui pro justitia contra te locuti fuisse videntur, rebus suis in integrum restitutis, usque ad Ascensionem Domini proximam Rhemensem Ecclesiam a tota occupatione ex toto liberam deseras. » Porro manasses præpositus non tantum post duas epistolas, num. 135 memoratas, quarum alteram Gregorius papa ad Manassem archiepiscopum, alteram ad Hugonem, suum in Galliis legatum, undecimo Kalendas Septembris, Indictione prima seu anno 1078 dedit, cum Manasse, Remensi archiepiscopo, pacem inivit ; verum etiam ad eum Remos, aliorum clericorum Remensium, qui cum eo et Brunone ex hac urbe anno ex dictis 1076 aut sequenti excesserant, nomini tractaturus, sese contulit remque composuit. Ita colligo ex sæpissime laudata Manassis archiepiscopi Apologia, in qua hic apud Mabillonium tom. I Musei Italici, part. II, pag. 121 primo sic loquitur : « Ego et Manasses pro omnibus sociis suis concordiam fecimus, exceptis duobus, » etc. ; ac deinde pag. 122 ita habet : « Quamvis nullam a prædicto Manasse et sociis speremus accusationem, eo quod ipsi, nisi forte hujus concilii occasione ad vomitum redeunt, nobiscum fecerunt concordiæ compositionem, exceptis duobus, ut dixi, Brunone et Pontio, quibus juxta præcedentem rationem respondere nec volo, nec debeo. Et si aliqui ex eis, quos concordare per Manassæ legationem diximus, illuc, rupta pace, profecti sunt, et contra nos quidpiam dicere volunt, recipiendum non est. »

139. Et hæc quidem Manassis præpositi cum Manasse archiepiscopo de pace collatio, utpote post epistolam, a Gregorio ad Diensem episcopum undecimo Kalendas Septembris anno 1078 scriptam, habita, vel ipso hoc anno vel initio sequentis verosimillime evenit ; ast an tunc præter Brunonem et Pontium omnes Remenses clerici, cum horum nomine Manasses præpositus cum Manasse archiepiscopo pacem iniisset, Remos pariter, uti ille jam fecerat, redierint, compertum non habeo. Dubitare interim hac de re multum me facit proxime laudata

www.libtool.com.cn

quam Gregorius ad Manassem archiepiscopum, in concilio Lugdunensi anno 1080 jam exauctoratum, scripsit, epistola. In hac enim Manassi archiepiscopo Gregorius præscribit, ut clericos... (Remenses videlicet, quos Manasses improbis suis moribus Remos relinquere coegerat) « qui tanto tempore pro justitia exsilium passi sunt, in ecclesia secure Deo servire permittat. » Ut ut sit, ex memorata pace, quam Manasses præpositus aliique Remenses clerici cum Manasse archiepiscopo inierant, factum conjicio ut Bruno et Pontius, quod in eam, ut recitata num. 137 e Manassis Apologia verba fidem faciunt, consentire noluerant, a Manasse præposito reliquisque Remensicus clericis, huic consentientibus, sese sejunxerint, alioque concesserint, maxime forte, quod Ebalus comes, sub cujus clientela Reciaci erant, pacem etiam cum Manasse tunc iniisset, uti suspicari me facit epistola, a Gregorio papa (adi Labbeum tom. X Conciliorum, col. 265) anno 1080 ad Ebalum scripta, in qua huic ille imperat, ut « a pestifera amicitia illus (Manassis tum exauctorati) amodo se retrahat. »

140. Et Brunonem quidem (de Pontio enim nihil hic attinet dicere) Reciaco Coloniam tunc repetiisse, ibique in S. Cuniberti ecclesia canonicis fuisse adscriptum, vero mihi admodum simile apparet, quod in Apologia sæpissime jam laudata, quam Manasses archiepiscopus anno 1080 aut certe sub præcedentis finem scripsit, Cunibertinus canonicus exstitisse dicatur his verbis : « Bruno nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis in regno Teutonicorum positi canonicus est. » Quæ verba, ut § III docui, ita verosimilius accipienda sunt, ut significent, Sanctum tum, in est, anno 1079 aut sequentis initio, cum hæc Manasses scripsit, Cunibertinæ ecclesiæ canonicum fuisse. Vorum, etsi res ita haberent, Sanctusque adeo in Galliis non amplius versaretur, a lite tamen, quam Manassi, Simoniaco antistiti, una cum aliis Remensibus clericis intentarat, non destitit. Res ex modo dicendis patescet. Pontifex, ut supra vidimus, Hugoni Diensi anno 1078 undecimo Kalendas Septembris seu XXII Augusti in mandatis dederat, ut querelis, a Manasse Remensi archiepiscopo ad se delatis, occurreret, eumque, si dicto obsequens esset, adjuvaret.

141. Epiotolæ autem, qua hoc Hugoni injugenbat, addiderat, uti ipsemet in hac post verba num. 136 nuc transcripta testatur, exemplar epistolæ alterius, ad Manassem scriptæ, in qua hunc, aliis nonnullis præmissis, ita tandem alloquitur : « Interim delectionem vestram ex parte beati Apostolorum principis Petri admonemus, ut, quemadmodum vobis Romæ positis constituimus, coram Diensi episcopo et Cluniacensi abbate, quibus in his vicem nostram commisimus, occasionibus cunctis obstaculisque remotis, super objectis ommibus sitis respondere parati, legaliter satisfacere, canonice purificari ; ne si aliud a vobis, quod absit ! agatur, tergiversationi et fugæ et conscientiæ scelerum, non exactioni justitiæ et æquitatis a pluribus adscribatur ; » ex hac autem ad Manassem epistola, cum Hugone Diensi a Pontifice communicata, et ex altera proxime dicta, quam hic ad ipsummet Hugonem dedit, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. VIII, pag. 653 factum suspicantur, ut Hugo concilium, cujus a Manasse in Apologia sua apud Mabillonium Operis jam sæpius cit., pag. 120 mentio fit, Trecis habendum indixerit. Et sane ex verbis, e priori epistola jam recitatis, est, cur id non immerito suspicati queant videri. Verum, utcumque res hæc habeat, concilium equidem Trecis indictum (quam ob causam, ignoro) locum non habuit.

142. Ast cum id Gregorius Pontifex didicisset, Hugoni legato suo, ut alibi ad decidendam Manassæ archiepiscopi causam concilium celebraret, injunxit. Epistola, qua id fecit, apud Labbeum tom. I Bibliothecæ Novæ mss. Chronico Virdunensi pag. 205 exstat inserta, hæcque, quæ ad nostrum hic institutum præcipue spectant, verba complectitur : « Quia vero in partibus præordinatis (Trecis nimirum) concilium celebrare non potuistis utiliter, competens arbitramur, ut aptum locum diligentia vestra inveniat, ubi, synodo congregata, Remensis archiepiscopi causa examinetur. Et quidem, si idonei accusatores et testes inventi fuerint, quod objicitur ei, canonice comprobantes, quam justitia dictaverit, sententiam dare absque hæsitatisione vos volumus. Alioquin si tales personnæ fuerint, quæ recipi rationabiliter nequeant, quoniam turpis de eo fama non solum Galliam, verum etiam fere totam replevit Italiam, sex episcopis, quorum vita non notetur infamia, assumptis sibi, si potest, excuset se, et sic purgatus, cum pace in ecclesia sua et propria dignitate remaneat. » Hugo legatus, epistala, qua tum hæc, tum alia Pontifex præcipiebat, accepta, concilium, ut loco cit. Chronicon Virdunense seu Hugo Flaviniacensis hujus auctor, rei gestæ synchronus, testatur, Lugduni indixit, atque ad id Manassem, Remensem archiepiscopum, citavit.

143. Verum hic, qui jam celebratis Augustodunensi et Pictaviensi conciliis sese sistere noluerat, nec ad Lugduni propediem celebrandum voluit accedere; cum autem, ut supra docuimus, antea Romæ, si quando ad concilium de criminibus sibi objectis responsurus a legato Apostolico vocaretur, sesi ei obsecuturum, Pontifici juratus promisissit, callide ad hunc, ut sese, quod ad indictum, a legato Lugduni concilium ire abnueret, ut cumque excusaret, dedit epistolam, qua sese timore dissidentis regni ad Lugdunense concilium, ad quod vocatus erat, ire non posse obtendit, addens etiam sese, quando tutæ essent viæ, Romam iterum petiturum, sententiamque ab ipsomet summo Pontifice pronunciante cum filiali submissione auditurum. Intelliguntur fere hæc omnia ex Gregorii ad Manassem responsoria, in qua is pontifex apud Labbeum tom. X Conciliorum col. 235 et seq., data sibi a Manasse verba minime

www.libtool.com.cn

accipiens, hisce illum, quæ huc potissimum faciunt, acriter increpat : « Immemor promissionis tuæ, qua Romæ te supra corpus beati Petri obligasti, aliam excusationem obtendis, timore videlicet dissidentis regni ad Lugdunense concilium, ad quod vocatus es, venire non posse. In qua re quantum excusatio tua nutet, liquido valet perpendi... »

144. « Cum omnia viæ illius pericula, si qua sunt, tutissimis et securissimis ductoribus posses transire, Lugdunensi scilicet archiepiscopo et Lingonensi episcopo, qui fraternate charitate tractarent, et sine omni formidine ad prænominatum perducerent locum...Quod si forte ad prædictum concilium non iveris, aurem debitæ obedientiæ matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, diu te supportanti non inclinaveris; si quid contra te Diensis cum consensu religiosorum fratrum nostrorum egerit, non solum sententiam in te prolatam non immutabimus, verum etiam apostolica auctoritate firmabimus. Quod si fraternitati tuæ videbitur prolatæ sententiæ rationabiliter posse obviari, volumus te magis coram vicario nostro, Diensi videlicet episcopo, aliisque religiosis in patria illa, ubi accusatorum et defensorum major copia invenitur, rationes tuas exponere, quam Romam per tot labores et difficultates, ubi utrumque deest, frustra spe judicii quærere. Interea fraternitatem tuam ex parte omnipotentis Dei per auctoritatem beati Petri monemus, ut, si te in hac causa culpabilem cognoscis, potius quam aliquo sæculari ingenio te excusandum existimes studeas animam tuam per dignos pœditentiæ fructus liberare. »

145. Vehemens sane urgensque erat hæc pontificis oratio : Verum Manasses, nihil hac motus, concilio, brevi post, ut videbimus, Lugduni celebrato, sese non stitit, ad Hugonem Diensem, illius præsidem, misisse contentus Apologiam, sæpissime supra jam laudatam, atque a Mabillonio tom. I Musei Italici, part. II, pag. 119 et octo seqq. publici juris factam, in qua, postquam, quæ in causa sua tum Augustoduni, tum Romæ gesta essent, compendio exposuit, rationes diversas, ob quas Lugdunum ad concilium venire non posset, in medium adducit seu prætexit. Et hæ in speciem justæ sunt, talesque, ut, si Manassis archiepiscopi minus, quam sit, nota foret vitæ ratio, sententiam in eum, credi posset, injuste, præcipitanter atque ex invidia, ut Noviomenses clerici in scripta quæ apud Mabillonium tom. I Musei Italici, part. II, pag. 128 et binis seqq. exstat, ad Cameracenses epistola ferri aiebant, latam fuisse; veræ tamen pleræque non sunt, sed tantum a Manasse inventæ seu conflctæ, ut solita calliditate ac astutia, qua, uti Gregorius papa apud Labbeum tom. X conciliorum, col. 199, loquitur, « inducias, ut subterfugeret, quærebat, » judicium ecclesiasticum, in causa sua ex canonum præscripto ferendum, aut eluderet aut declinaret; a quo quantopere abhorreret, argumento etiam sunt amplissima dona, quæ, ut ab eo subcundo sese præstaret immunem, Hugoni Diensi, concilii Lugduni celebrandi tempore jam instante, obtulit.

146. Audi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ Novæ mss. pag. 205 et seqq. Hugonem Flaviniacensem : « Dum igitur..., inquit, locus concilii apud Lugdunum constitutus esset, Remensis etiam archiepiscopus (Manasses scilicet) juxta tenorem litterarum (Gregorii papæ nempe, quarum partem num. 142 recitavi) ad idem se purgaturus invitaretur concilium, posito domno Hugone apud Viennam pro corporis curatione, nuntii præfati archiepiscopi venerunt ad eum, multis et maximis precibus et muneribus ad hoc eum flectere cupientes, et ob id ei in præsenti trecentas purissimi auri uncias, domesticis quoque ejus preciosa donaria offerentes, insuper et celamentum, ne ulli mortalium id proderent, jurare volentes, cum sex episcopis, quos ipse Remensis eligeret de suffraganeis suis, ei, ut se purgaret, concederet, remota inquisitione Infamiæ Addentes etiam, quod nec sperare poterant, sed tamen nihil intemptatum relinquere volebant, quod si ei solo [soli] concederetur facultas se purgandi, inæstimabiles thesauros auri, et qui etiam numerum excederent, se juraturos, et insuper sacramentum, ne qui hoc proderent. Quod totum virilis ejusdem legati animus respuit. Et quia inexpugnabilem ejus erga pecuniam animum vidit, timens sibi, concilio interesse noluit. » Atque hinc modo etiam, etsi res aliunde, ut constat, minime constaret, manifestum fit, justissime sane a Sancto nostro (in cujus idcirco honorem fusius hæc prosequi hic libuit) aliisque ecclesiæ Remensis clericis, qui cum eo Remis excesserant, multorum criminum insimulatum Manassem fuisse. Quod si enim hic reus non fuisset, si objecta diluere apte potuisset, utquid tanto conatu, tantis donis, tantis fraudibus judicium, in concilio a viris integerrimis minimeque suspectis ferendum, declinare stududuisset ? Sed rei seriem prosequamur.

147. Cum tempus concilio Lugduni celebrando præstitutum advenerat, Bruno et Pontius, uti e Manassis verbis, num. 137 recitatis, colligitur, aliique ecclesiæ Remensis clerici, hosque inter, ut apparet, etiam Manasses præpositus, concilio sese sistentes, eadem quæ antea in concilio Augustodunensi, accusationum contra Manassem archiepiscopum capita exposuere, Patresqne, hisce auditis, ac lecta etiam, ut verosimile apparet, quam ad eos ex dictis Manasses miserat, Apologia, nec tamnn, quas in hac ille, quod ad concilium non accederet, prætexebat, excusationibus admissis, Simoniacum antistitem, tum quia, ut loquitur loco proxime cit. Hugo Flaviniacensis, « se purgare noluit, tum quia audientiam Eduensis, Pictaviensis et ipsius Lugdunensis (concilii nempe) subterfugit, synodali judicio » exauctoravere, hancque in illum prolatam sententiam ad Pontificem approbandam ac confirmandam misere. Accidit id, unde etiam celebrati concilii tempus liquet, inter anni 1080 tertiam Januarii diem et anni ejusdem septimam decimam Aprilis.

www.libtool.com.cn

Epistola enim supra ex parte huc transcripta, qua apud Labbeum loco cit. Gregorius papa Manassem, ut ad concilium Lugduni celebrandum se conferat, instantissime hortatur, « Tertio Nonas Januarii, Indictione tertia,» quæ ex dictis annum 1080 designat, data notatur aliaque epistola, qua itidem apud Labbeum tom. Conciliorum proxime cit., col. 241, latam in eodem concilio contra Manassem sententiam idem Gregorius confirmat, Indictione pariter tertia seu anno 1080, septima decima Aprilis die, ut notæ chronicæ, quas in fine exhibet, fidem faciunt, fuit conscripta.

148. Epistolam hanc integram, tum quod supra dictis lucem afferat roburque adjungat, tum quod ea Pontifex luculentum Sancti nostri in accusando Manasse æquitati testimonium præbeat, resque illius ab hoc in integrum jubeat restitui, e Labbeo loco cit. huc transcribo. His verbis concipitur : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Manassæ Remensi. Sciat fraternitas tua, quod depositionis sententiam, a legato nostro Diensi episcopo in Lugdunensi concilio religiosorum virorum consilio prolatam, et nos, dictante justitia, in Romana synodo apostolica auctoritate firmavimus. Sed tamen contra morem Romanæ Ecclesiæ nimia, ut ita dixerim, misericordia ductus, adjunctis tibi Suessionensi, Laudunensi, Cameracensi, Catalaunensi episcopis vel eorum similibus cum aliis duobus, quorum testimonnio æque confidamus, si de justitia confidis, et eos habere poteris, usque ad festivitatem sancti Michaëlis purgandi licentiam tibi indulgemus; ea videlicet conditione, ut Manassæ et Brunoni et cæteris, qui pro justitia contra te locuti fuisse videntur, rebus suis in integrum restitutis, usque ad Ascensionem Domini proximam Remensem Ecclesiam a tua occupatione ex toto liberam deseras, et Cluniacum aut Casam Dei cum uno clerico et duobus laicis, tuis stipendiis religiose victurus, secedas. »

149. Quod si facere volueris, prædicto Diensi episcopo prænuntiare procures, ut in ejus præsentia sacramento confirmes, de rebus prædictæ ecclesiæ te nihil interim distracturum, nisi quantum tibi et prædictis sociis competenter suffecerit. Clericos autem, qui tanto tempore pro justitia exsilium passi sunt, in ecclesia secure Deo servire permittas. Et quoniam laboriosum tibi fuerit ad nos usque venire, concedimus, ut coram Diensi episcopo et abbate Cluniacensi, aut, si abbatem deesse contigerit, coram Amato, prædicto modo cum prædictis testibus de infamia te expurges. Quod si huic nostræ dispensationis præcepto obedire contempseris, scias quoniam iniquitatem tuam ulterius portare non possumus, et depositionis sententiam, non solum immutabiliter permansuram, sed etiam nullam tibi audientiam in posterum relinquendam. Data Romæ decimo quinto Kalendas Maii. Indictione tertia. » Epistola hæc, Gregorium sane summa erga Manassem benignitate indulgentiaque usum esse, fidem facit; verum hic, quæ illa præscribebat is Pontifex, obfirmato in criminibus animo, non implevit. Ac nominatim quidem nec Brunonem, nec alios Remensis ecclesiæ clericos, quos gravissimis damnis (adi num. 118 et seqq.) affecerat, in dignitates facultatesque suas, ut Pontifex epistola recitata injungebat, restituit; qui vero quantum ad Sanctum nostrum postea id factum fuerit, § sequens aperiet.

§ VIII. *Qui et quando Sanctus in pristinum, aut etiam meliorem statum Remis restitutus fuerit, et an post suum sub Manasse ex hac urbe discessum, aut etiam unquam alias Parisiis docuerit.*

Manasse, exauctorato Remensi archiepiscopo, non modo, ut jam docui, nihil omnium, quæ ei epistola, § præcedenti huc transcripta, Gregorius præceperat, implente, verum etiam eo furoris delapso, ut, quem Simoniace acquisierat, jamque tum jussi Pontificii. tum sententiæ, in concilio Lugdunensi contra se latæ, vi dimittere debuerat, episcopatum armis etiam sibi servare aut certe bona ejus sibi asserere niteretur, Pontifex, hominis impietati mature occurendum ratus, quatuor diversas una eademque vigesima septima Decembris die, non diu admodum, ut apparet, post celebratum, in quo Manasses exauctoratus fuerat. Lugdunense concilium ac proin anno 1080 scripsit epistolas, unam scilicet ad clerum et populum Remensem, alteram ad Hebolum, seu, ut alibi etiam scriptum invenitur, Ébalum aut etiam Œbalum, Reciacensem comitem, tertiam ad episcopos archidiœcesis Remensis suffraganeos, ac quartam denique ad Philippum, Francorum regem. Et universim quidem litteris illis, ut Manassem pro episcopo non amplius habentes, successorem ei sufficerent, omnibus et singulis enixissime commendabat; nominatim autem clerum et populum, uti etiam comitem Ebalum et ecclesiæ Remensis suffraganeos, ut Manassæ, tamquam invasori injusto, pro viribus resisterent, serio monebat, Philippo etiam, Francorum regi, ne, quam clerus et populus ecclesiæ Remensis facturus erat, electionem impediret, auctoritate apostolica injungens, Epistolæ illæ omnes exstant apud Labbeum tom. X Concil., col. 264 et tribus seqq. Prioris verba, huc potissimum facientia, quod simul Manassem, cum in concilio Lugdunensi exauctoratus jam fuisset, epistolamque, § præcedenti huc transcriptam, a Pontifice accepisset, male acquisitum Remensem archiepiscopatum armis sibi servare thesaurosve ejus diripere, conatum adhuc fuisse, edoceant, huc transcribo.

151-2. En illa: «Quam itaque (sententiam in Manassem in concilio Lugdunensi latam) diligenter perscrutantes et pro magnitudine iniquitatum ejus (Manassis) justissimam fuisse approbantes, eo tenore n Romana synodo confirmavimus rogatu multorum fratrum, ut, concessis sibi induciis, si posset, ad expurgandum se de objectis veniendi licentiam haberet ac liberam de se agendi facultatem; ita tamen ut interim regimine ipsius ecclesiæ cederet,

www.libtool.com.cn

et in Cluniacensi vel in aliquo religioso monasterio degeret, ut, cujus obedientiæ quantæque humilitatis esset, probaretur. Verum (sicut vos ipsi scitis) non solum huic diffinitioni non obedivit, sed ad contemptum interdictionis nostræ ecclesiam vestram invadere ac impudenti devastatione confundere præsumpsit; utpote quam non per ostium, ut pastor, sed aliunde, ut fur et sævissimus prædo, intravit; ad hoc scilicet, ut gregem Dominicum mactet et perdat, non ut vigilantia pastoris protegat et defendat. Siquidem adeo in immensum actuum suorum tetendit iniquitas, ut dignissime damnationi atque excommunicationi subjaceat, ita ut in perpetuum nullam restitutionis suæ spem concipere debeat. Quapropter apostolica vos auctoritate monemus, ut perversis actibus ejus in nullo communicetis, imo ut tollatur de medio vestrum, et in interitum carnis suæ tradatur Satanæ, ut spiritus salvus sit, sibi modis omnibus resistatis. Detis etiam operam, ut communi consilio parique voto, assentiente vobis prædicto confratre nostro Diensi episcopo, patrem vobis secundum Dominum eligatis. » Nec Gregorius, qui, ut hæc ejus verba fidem faciunt Manassem Remis pulsum præterea volebat, voto fuit frustratus; et enim ecclesiæ Remensis non tantum populus et clerus, sed primates in Simoniacum jamque exactoratum antistitem insurrexere, cumque ex usurpata cathedra ejecere.

153. Docet id Guibertus de Novigento, auctor synchronus, jam pluries laudatus, verbis num. 110 de Manasse huc transcriptis proxime istæc sequentia subjungens : « Quem (Manassem nempe) post modum proceres, clerus atque Burgenses, cum ab Hugone (qui Diensi agnominabatur) archiepiscopo (postea scilicet facto) Lugdunensi, apostolicæ Sedis legato, viro in fenore justitiæ clarissimo, creberrimo anathemate feriretur, et ille manu militari thesauros ecclesiæ dilapidare niteretur, a sede, quam male obsederat, pepulerunt, et exilio relegatus æterno, cum se ad excommunicatum tunc temporis Henricum imperatorem ipse etiam excommunicatus contulisset, hac illacque oberrans sine communione postremo defungitur. » Ita Guibertus : licet autem, an, quod hic innuit, Manasses in excommunicatione, qua ob crimina pertinaciamque præcipue a Pontifice fuerat percussus, vitam finierit, non immerito ex iis, quæ Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. VIII, pag. 655 et seqq. observant, in dubium queat revocari, ambigendum tamen non est quin, quod hic pariter tradit, Simoniacus ille antistes a clero, populo et optimatibus e Remensi cathedra fuerit ejectus; id enim vere factum, qui rem examinarunt, eruditi omnes unanimi consensu affirmant, nec ullum, uti in casu præcedenti fit, scriptoris synchroni aut etiam subæqualis testimonium, quod in contrarium utcumque faciat, potest afferri. Atque ea quidem Manassis expulsio, utpote epistolis, a Pontifice (adi num. 151) vigesima septima decembris anno 1080 datis, aliquanto, ut dubitari vix potest, posterior, citius verosimillime, quam anno 1084, non evenit; serius autem etiam non evenisse, liquet ex eo, quod Rainaldus du Bellai, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores, tom. IX, col. 75, docent, anno 1083 ad Remensem cathedram, cum hanc post Manassem expulsum Elinandus, Laudunensis episcopus, biennio tenuisset, fuerit evectus.

154. Sermonem modo de Sancto nostro resumamus. Pulso, ut nunc expositum, Simoniaco antistite Manasse, Bruno Remis rediit, ibique in statum pristinum ac forte etiam meliorem fuit restitutus. Rem sic probo : Titulus funebris, ei ab ipsa cathedrali Remensi ecclesia, cujus sane præposito Manassæ pluries hic laudato canonicisque apprime notus erat, consecratus locumque inter recudendos 52 obtinens, sic habet :

Hic Pater eximius fundator relligionis
Exemplar sese fratribus exhibuit,
Dans illis formam spernendi vilia mundi
Cœlestis patriæ premia dum sequitur,
Pro cujus culpa non credimus esse gemendum,
Quem jam gaudentem credimus in requie.
Nam si cui sancto requiem bona vita meretur,
Huic quoque pro meritis summa datur requies;
Qui cum multimode nostra polleret in urbe,
Solamenque suis atque decus fieret,
Cumque faveret ei fortuna per omnia, jamque
Hunc præferremus omnibus, et merito;
Namque benignus erat, omnique peritus in arte,
Facundusque satis divitiisque potens;
Omnia postposuit Christo, nudumque secutus
Christum, cum multis suscipit hunc eremus :
Propterea requiem sibi credimus esse paratam.
Si tamen ulla levis hæsit ei macula,
(Nam patet in terris nullum sine labe morari)
Hanc Deus abstergat dando sibi veniam.

155. Sanctus ergo, uti hi versiculi apertissime produnt, eo ipso tempore, quo in civitate Remensi auctoritate ac divitiis, maxime ei arridente fortuna, plurimum valeret, in eremum, hisce adjectis, secessit. Id autem nec tempori, quo Remis ante suum ex hac urbe ob nefandos Manassis archiepiscopi mores dicessum versatus est, nec itidem tempori, quod hunc inter et Manassis e cathedra Remensi ejectionem intercessit, potest congruere. Etsi enim sanctus eo tempore, quo Remis, Manassem vitans, nondum excesserat, prospera ibidem fortuna diu usus fuerit, tum tamen, uti apud omnes in confesso est, in eremum divitiis relictis, non secessit; quod autem ad tempus, quod inter ejus ex urbe Remensi discessum, anno ex supra dictis 1076 aut sequenti illigandum, et Manassis e sede Remensi expulsionem medium cucurrit, modo pertinet, sanctus tunc Remis versatus non est, nedum divitiis ibidem floruit, uti pronum est eruere partim ex supra dictis, partim ex Gregorii VII papæ epistola, num. 148 et seq. huc transcripta, annoque ex ibidem dictis 1080 data, in qua is Manassæ archiepiscopo, in concilio Lugdunensi ex

www.libtool.com.cn

dictis jam exauctorato præcipit ut Manassæ et Brunoni res suas in integrum restituat, clericisque, « tanto tempore pro justitia exsilium passis, » quorum unus erat sanctus noster, « in ecclesia secure Deo servire permittat, » Restat ergo ut, Brunonem secunda gravisum esse Remis fortuna, tuncque inde in solitudinem secessisse, unice, ut consideranti patebit, congruat tempori, quod Manassis e cathedra Remensi expulsioni successit.

156. Quare Sanctum tunc in pristinum aut forte etiam meliorem statum Remis restitutum fuisse, indubitatum est. Verum idne statim a Manassis expulsione anno ex dictis 1081 facta, evenit? Sunt qui rem in tempus, quo Remensem cathedram Rainaldus du Bellai, ad hanc anno 1083 primum evectus, jam occuparat, differendam contendunt. Verum horum opinio admittenda verosimiliter non est. Sanctus enim, cum in statum pristinum esset restitutus, ad cathedram etiam Remensem, quod sub Rainaldo fieri ex dicendis non potuit, expetitus seu postulatus, antequam in eremum secederet, verosimiliter fuit, uti jam nunc ostendo : Hugo Diensis, sedis apostolicæ legatus, in epistola sua ad summum Pontificem post concilium Augustodunense anno 1077 aut seq. data supraque, num 119 et tribus seqq. huc transcripta, sub finem de Manasse præposito et Brunone ait : « Hos, rogamus, ecclesiæ Remensi destinate ; » Quibus verbis Pontificem rogasse videtur, ut alterutrum, Brunonem videlicet vel Manassem præpositum in locum Manasssis archiepiscopi, quem exauctorandum verosimiliter putabat, sufficiendum curaret. Quare verosimile apparet eumdem legatum, pulso jam Manasse, apud clerum et populum Remensem, cui ponitfex, ut « communi consilio parique voto, assentiente » ipsis Hugone Diensi legato suo, novum Manassæ exauctorato episcopum substituerent, data sub anni (adi num. 151) 1080 finem epistola commendarat, summo studio egisse, ut vel Brunonem vel Manassem præpositum sibi eligerent episcopum.

157. Hinc porro in eam, quæ et Tractatus de S. Brunone, a Cartusianis hujatibus mecum communicati, auctori placet, opinionem inducor qua verosimile puto, apud multos e populo et clero Remensi, habito sese inter de novi episcopi electione tractatu, ratum ac fixum fuisse Sanctum nostrum, cum in eremum secessit, episcopum eligere, idque indicari tum hisce, quibus funebris ecclesiæ cathedralis Remensis Titulus, proxime huc transcriptus constat, versiculis :

Cumque faveret ei fortuna per omnia, jamque,
Hunc præferremus omnibus, et merito ;
Omnia postposuit Christo, nudumque secutus
Christum cum multis suscipit hunc eremus ;

tum etiam aliis hisce, quos alter ecclesiæ Remensis cathedralis titulus, inter recudendos 53, complectitur,

Ut servire Joseph dominæ contempsit amori,
Etf ugit amplexus incestos mente virili,
Sic contempta jacet, Bruno, tibi gloria mundi,
Amplecti dum te cuperet, tibi brachia tendens,
Multas mundus opes, multos ostendit honores,
Tuque fuga lapsus, pompali veste rejecta,
Amplectens eremum vestiris sorte beata.

158. Ad hæc ut in nicta opinione magis magisque confirmer, etiam facit funebris Titulus 146, in quo ecclesiæ S. Mariæ cathedralis Rothomagensis canonici Brunonem celebrant hunc in modum :

Ecclesiæ sanctæ totius lugeat ordo,
Humani generis flens irreparable damnum,
Mundo decessit mundami victor honoris,
Bruno pater, sanctæ fundator relligionis,
Cujus tanta piam vitam commendat honestas,
Ut sit eum cuiquam non æquiparare potestas,
Ipse fuit sapiens, vir nobilis, indole fulgens,
Imbutus fonte totius Philosophiæ ;
In quo cum virtus probitatis viva niteret,
Glorificos fasces, qua promeruisse valeret,
Proculcator opum, cunctorum spretor honorum,
Et mundi stultam pede contudit ambitionem,
Et studio sanctam fundavit relligionem.
Mundum declinans, mundi sublimia vitans
Eligit potius privata degere vita.

Etsi enim ad Rhegiensem episcopatum, quem Sanctus, quod ad eum, uti infra docebo, electus seu postulans fuisset, recusavit, versiculis hisce forsitam alludatur, ad futuram tamen in Remensem archiepiscopum electionem, quam Sanctus, in eremum secedens, studiose evitarit, verosimilius idcirco puto alludi, quod in recitatis versiculis honorum opumque contemptui, a quo Bruno in iis laudatur, mox subdatur, a qua pariter laudatur, mundi fuga, hæcque Sancti ad archiepiscopatum Rhegiensem electionem subsecuta non sit, sed præcesserit.

159. Sanctum itaque, cum in eremum secessit, ac proin in pristinum statum aut forte etiam meliorem Remis jam fuerat restitutus, fuisse a multis tum cleri, tum populi in civitatis hujus antistitem desideratum, imo etiam reipsa, ni id præsciens abiisset, eligendum, ex omnibus jam adductis in medium sat verosimile apparet. Jam vero, cum id ita sit, nec tamen (adi Galliæ Christ. auctæ scriptores, tom. IX, col. 77) ante annum 1096, quo Bruno in eremum jam dudum ex dicendis sese receperat, Rainaldus, jam inde ab anno 1083, ut supra docui, ad cathedram Remensem evectus, obierit consectarium fit, ut, hoc jam antistite, sanctus ad Remensem cathedram expeti seu postulari nequierit, ac proin, ut citius tum id, tum ejus in pristinum, aut forte etiam meliorem statum restitutio acciderit. Verum quanto quidem temporis spatio tum hæc, tum sancti ad cathedram Remensem postulatio, factam Rainaldi ad eamdem promotionem antecessit ? Galliæ Christianæ auctæ scriptores, tom. IX, col. 75, sic scribunt : « Manasse (Simoniaco scilicet, de quo supra, Remensium antistite) exauctorato, fama est Brunonem, quem ille beneficiis spoliaverat, a multis (in episcopum ni-

www.libtool.com.cn

mirum) expetitum, quod doctrina morumque gravitate in ecclesia Remens pridem enituisset. Sed Elinandus Laudunensis episcopus tam donis quam amicorum studio archiepiscopatum a rege (Francorum Philippo) acceptum duos circiter annos tenuit, ab anno 1081 scilicet ad annum 1083. Hic tamen post multam pecuniæ vim consumptam monitus est a summo pontifice, ut alterum beneficium abdicaret, eo quod uxorem qui habens aliam superinducere nequaquam posset. Tanta ille cupidate flagrabat, inquit Marlotus, ut dixisse tradatur, non se parciturum labori, si summum pontificatum quoquomodo assequi posset. »

160. Quod si ergo fama, quam hic Galliæ Christianæ auctæ scriptores laudant, veritati consonet, sanctus noster statim a Manassis Simoniaci expulsione et in statum pristinum aut eo etiam meliorem restitutus, et ad cathedram Remensem fuerit postulatus seu expetitus. Et sane, cum Gregorius, qui tunc Romanam cathedram occupabat, populo cleroque Remensi, ut Manassæ expulso novum antistitem subtituerent, epistola sub anni 1080 (videsis num. 151) finem commendarit, statim a Manassis expulsione de novo eligendo antistite, ac nominatim de Sancto nostro assumendo cogitatum actumque fuisse, sat verosimile apparet, maxime cum tunc id factum, publica etiam, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores loco proxime cit. produnt, fama feratur. Attamen res certa non est: cum enim Elinandus Remensis archiepiscopatus obtinendi avidissimus exstiterit, fieri potest, ut statim a Manassis expulsione archiepiscopatum illum sibi conferri, a Francorum rege Philippo amicorum ope et pecunia obtinuerit, locumque ac tempus tunc tractandi de novi antistitis electione clero et populo Remensi regio subsidio suffultus penitus ademerit.

161. Audi, qui de Elinando seu Helinando, unde etiam, hunc vere Remensem archiepiscopatum biennio tenuisse, docemur, Guibertus, auctor synchronus, lib. III de Vita sua, cap. 2, 2 loquatur » Helinandus, inquit, vir admodum pauperis domus et obscure progenitus, literatura pertenuis, et persona satis exilis, cum per notitiam Gualteri, comitis semoris Pontisarensis, de cujus comitatu gerebat originem, ad gratiam Eaduardi Anglorum regis pertigisset (uxor enim sua cum prædicto comite sibi necessitudinem, nescio quam, crearat), capellanus ejus fuit; et quia Francicam elegantiam norat, Anglicus ille ad Francorum regem Henricum eum sæpius destinabat. Cum quo rege, quia multum erat cupidus et episcopatuum venditionibus assuetus, largissimis lenocinantibus xeniis egit, ut, si quispiam episcoporuum Franciæ decederet, potificalibus infulis ipse succederet. Is enim in capellania regis ac reginæ positus, quoniam Anglia infinitis eo tempore florebat opibus, multos pecuniarum montes aggesserat, ideo, arridente ei præfata largitionum causa vox ejus apud Henricum regem exaudibilis erat. Quod et factum est: Lauduno enim invectus, quia non æstimatione parentum, non scientia litterarum se valiturum putabat, in opulentia, quæ plurima suppetebat, et quam cautissime dispensare didicerat, et dapsilitate spes fuerat. Ad ornandas igitur et exstruendas se vertit ecclesias, et, cum multa pro Deo videretur facere, evidentissima tamen dabat indicia, se solos inde favores, solam nominis dilatationem in bene gestis quærere. His etiam ipse artibus Remensem archiepiscopatum insedit, quem cum, dilapidatis penes regem Philippum, hominem in Dei rebus venalissimum, magnis censibus, biennio obtinuisset, a domino papa audivit, quia uxorem quis habens alteram superinducere nequaquam possit. Consulenti plone cuidam se cur eo tenderet, dixit, quia, si etiam papa fieri possit, haud quaquam dissimularet. »

162. Cum igitur Elinandus, uti ex his Guiberti verbis intelligitur, vir fuerit maximæ ambitionis, qua fiebat, ut pecuniis, a quibus ei optime prospectum erat, summas quasque ecclesiæ dignitates beneficiaque sibi comparare minime formidaret, largitionibus sane eum, ne ullus posset a clero populoque Remensi de successore in Manassæ exauctorati locum sufficiendo tractatus haberi, statim ab hujus expulsione apud Philippum, Francorum regem, effecisse, vero neutiquam apparet absimile, maxime cum eum, quo minus post Manassæ expulsionem novi Remensis archiepiscopi electio fieret, reipsa per biennium integrum obstitisse, apud omnes, qui de re hac scripsere, in confesso sit. Tractatus de S. Brunone, a Cartusianis hujatibus mecum communicati, auctor hujus lucubrationis suæ num. 20 sic scribit : « Præfato Elinando (Laudunensi episcopo) jure, quod in archiepiscopatum Remensem sibi vindicabat, cedente, pax huic ecclesiæ redditur, reversiasque sub anni 1083 finem vel sub initium sequentis ex suo exilio canonicis, a Manasse quondam expulsis, de pastore præficiendo clerus et populus serio agere cæperunt. Brunonem et Manassem præpositum a legato (sedis apostolicæ) Hugone electoribus propositos fuisse, par est credere, cum ipse legatus, ut vidimus supra, summo Pontifici utrumque jam eumdem in finem commendaverat: « Hos, » inquit, « rogamus, ecclesiæ Remensi « destinate. » Deinde nostrum patriarcham, in possessionem tum bonorum, tum dignitatum suarum jam restitutum, a multis expetitum fuisse, colligimus ex elogio ab ipsa (Remensi) cathedrali ecclesia, cui tunc, quando defunctus est Bruno, præfatus Manasses præpositus præsidebat, condito in hæc, » num. scilicet 154 huc transcripta « verba. »

163. Ita ille; qui, etsi anno primum 1084, contra ac aditæ a Rainaldo sedis Remensis tempus pati videatur, de successore Manassæ sufficiendo a clero et populo Remensi actum forte fuisse, innuat, in episcopum tamen, ut tradit, tunc primum, cum Elinandus, quod anno 1083 factum, arrogato suo in archiepiscopatum Remensem jure cessit, a pluribus

www.libtool.com.cn

expetitum fuisse S. Brunonem, vero non apparet absimile. Ita autumo quod Sanctus, cum ad episcopatum Remensem postulatus seu expetitus fuit aliquanto jam temporis spatio, uti versiculi, e funebri ecclesiæ cathedralis Remensis Titulo num. 154 huc transcripti, innuere videntur, in pristinum, aut forte etiam meliorem statim restitutus, Remis degisset, hocque veritati non sat apte queat intelligi consonum, si statum a Manassis e sede Remensi expulsione fuerit ad hanc ipse postulatus seu expetitus. Porro etsi forte hoc ex jam dictis anno 1083 primum acciderit, Sanctus tamen, utpote qui aliquanto temporis spatio ante, pristino statui fortunæque redditus, Remis jam degerit, et forte ex dictis jam inde etiam ab anno 1081 ad archiepiscopatum Remensem postulatus fuerit, vel statim a Manassis expulsione, id est, vel ab anno 1081 vel non multo post Remos ab exsilio reversus pristinum honoris facultatumque statum, quod hic ostendendum erat verosimiliter recuperarit. Nec est, cur opponas Elinandum eo temporis spatio, quod a Manassis expulsione ad Rainaldi electionem excurrit, regis subsidio suffultum, ecclesiæ Remensis cathedram tenuisse, verosimileque non videri, sub hujusmodi antistite Brunonem Remos reverti ibique commorari voluisse; etsi enim Elinandus a Simoniæ labe immunis non fuerit, in ecclesias tamen exstitit munificus, nec in clericos iniquus fuisse invenitur.

164. «Is igitur (subdit verbis de Elinando num. 161 recitatis Guibertus) qualiscumque aut ambitione, aut quacumque alia humanitate apud se exstiterit, in hoc ei honor omnino asservandus est, quod et libertatem Ecclesiæ magnifice tuitus sit, et tam ipsam (Laudunensem nimirum) sedem, quam appendices ejus ecclesias uberrima largitione provexit. Et dignum erat ut externa ei bona suppeterent, qua in Dominicarum domuum decore projicerentur. » Cum ergo talis exstiterit Elinandus, non video cur, eo Remensem cathedram tenente, Remos Bruno non rediisse, ibique versatus non esse sit credendus maxime cum Simoniacam hominis labem forsitan ignorarit. Quid si etiam sanctus, ut Remos rediret ab ipsomet Elinando invitatus fuerit? Sane cum ex dictis, ut in res suas restitueretur, Gregorio VII, tunc summo pontifici, maxime in votis fuerit. non inepte ac temere conjeceris, litteris aliove modo, ut pulsi a Manasse Remensis ecclesiæ clerici, ac proin etiam sanctus noster, Remos in bona sua restituendi redirent, ipsummet Elinandum egisse, ad id scilicet impulsum, ne, si secus faceret, Remensem sibi maxime cupitum archiepiscopatum, quem regio favore non sat recte obtinuerat, pontificia auctoritate, ut postea factum, amitteret.

165. Verum sunt, qui Sanctum, antequam statuit pristino redderetur, ab anno 1081, imo etiam ab anno 1076 circiter, quo Remis ob improbos Manassis mores excessit. Parisios concessisse, ibique ad annum usque 1082. quo doctoris ad tempus redivivi, qui sese damnatum e feretro proclamarit, prodigium evenerit, docuisse contendunt. et mox quidem sanctum, qui tamen ex dictis ab anno circiter 1076 ad annum 1078 aut etiam sequentis initium apud Ebalum comitem commoratus est, a suo ex urbe Remensi ob improbos Manassis mores excessu Parisios se contulisse, ibique docendi munus, quod tamen an antea unquam ibidem obiisset admodum ex dictis est dubium, resumpsisse, Bulæus in Universitatis Parisiensis Historia tom. I, page 468 existimat. Verum conjecturæ aliquot, argumentaque, quibus hanc opinionem sua mutcumque firmare nititur, nihil plane, ut ex supra dictis liquet, evincunt; nunc autem discutiendum, an majoris ponderis sint alia quæ tum ab hoc, tum ab alliis, Sanctum nostrum, si non statim ab anno circiter 1076 seu a suo ex urbe Remensi excessu, ab anno saltem vel 1079 vel ab altaro e binis sequentibus Parisiis docuisse, volentibus, adducuntur in medium. Verosimile, aiunt, non est, Brunonem, tantum virum, tribus quatuorve aut etiam pluribus annis proxime ante suum in solitudinem recessum vitam plane otiosam egisse. Verosimile sane id non sit; per me licet. Verum cum Sanctus, ut supra docui, anno 1081 in pristinum statum Remis restitutus fuerit, quid si etiam scholarum præfecturam tunc recuperarit, hancque deinde ad suum usque in eremum discessum gesserit? Ita sane vitam, donec hic accidit, a dicto anno 1081 otiosam non duxerit, etsi etiam tunc Parisiis non docuisse statuatur. Nec anno 1079 et sequenti, quo utroque Coloniæ Agrippinæ inter ecclesiæ Cunibertinæ canonicos verosimilius ex supra dictis egit, otiosam tunc duxisse vitam est putandus, cum fieri queat, ut tunc tam in Psalmos, quam in S. Pauli Apostoli Epistolas, quas ambas sacræ Scripturæ partes eruditissimis, uti infra docebo, editis Commentariis illustravit, gnavam operam impenderit.

166. Quod si id displiceat, Sanctumque duobus illis annis Coloniæ commoratum non fuisse, velis, nec sic, etiam hoc dato, fit consequens, ut Bruno, nisi tum Parisiis docuerit, in otio vitam exegerit. Quid si enim tunc ad Dolense S. Mariæ monasterium secessisse, ibidemque docuisse, asseratur? Sane Sanctum vel tunc vel alias in monasterio illo docendi munere functum esse, aut certe, cum hoc Remis obiret, plurimos illius alumnos ibidem habuisse discipulos, dicendum apparet; religiosi enim cœnobii illius incolæ in Titulo funebri, inter edendos 169, quem Sancto inscripsere, ejus sese discipulos profiteri videntur hisce ad Cartusianos Calabrinos verbis: « Prout vestra dignatur expetere sanctitas; et nos Dolensis cœnobii fratres, fraternitatis vestræ desolationi compassi, pro beati patris nostri ac magistri Brunonis anima devotissimarum orationum suffragia mox, ut ejus audivimus obitum, omnipotenti Deo persolvere curavimus. » E vita itaque, quam Sanctus, ni anno 1079 et aliquot sequentibus Parisiis docuisse admittatur, in otio duxerit, ibidem eum tunc docuisse, concludi nulla modo potest. Imo vero Sanctum non tantum non tunc, sed nec um-

quam alias Parisiis docuisse, verosimillimum apparet. Tres enim scriptores synchroni, aut certe coævi, is scilicet, qui quatuor primorum Carthusiæ priorum Chronicon contexuit, Guibertus de Novigento, et Tituli funebris, inter recudendos 173, quo Regulares Noliensis S. Vincentii ecclesiæ canonici Sancto parentarunt, auctor, fuisse illum (adi num. 7, 114, et 43) ecclesiæ Remensis scholarum magistrum aut innuunt, aut hoc nomine diserte distinguunt, « scholarum » etiam « Parisiensium magistri» titulo eumdem verosimillime distincturi, si has umquam ille, ut Remenses, docuisset. Accedit nihil plane apud antiquum ullum paris auctoritatis ac fidei scriptorem uspiam inveniri, unde Sanctum Parisiis umquam docuisse, quoquo modo sit consequens.

167. At vero Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymus, conjecturis tribus diversis, quibus, Brunonem Parisiis docuisse, Egassius Bulæus (adi, quæ huc spectantia num. 112, seqq. et alibi dicta sunt) perperam contendit, in medium adductis, ita ratiocinatur : «Quartam possumus addere conjecturam, sumptam ex Titulis funebribus, quibus piæ sancti Brunonis memoriæ parentatum est ab omnibus fere ecclesiis et monasteriis Galliarum. Qui enim fieri potest ut Vir per universum Franciæ regnum spectatissimus et nominatissimus ac in ecclesiis ejusdem regni (ut dicit Guibertus) opinatissimus evaserit, quandoquidem istud vix asseri valet de Remensi academia, quin potius de Parisiensi intelligatur, ad quam, velut regni sedem et Franciæ meditullium et celeberrimum emporium et academiarum reginam, magis congruum videbatur, ut tot amici et discipuli, qui ejus funebria celebrarunt, confluerent? De ecclesiis namque suffraganeis et monasteriis provinciæ Remensis non est dubium, eorum alumnos Remis sub Brunone studiis litterarum incubuisse. Cum vero lectitantur remotæ quæque ecclesiæ ejus obitum lamentis et fletibus prosecutæ, quales fuere Anglicanæ, Britannicæ, Normanicæ, Pictonicæ, Turonicæ, Sequaneæ et aliæ plurimæ, absnrdum putamus dicere omnes harum ecclesiarum alumnos Remis eruditos fuisse, cum hoc magis juxta mentem Bulæi videatur congruere Parisinæ academiæ, ad quam aliquando translatus fuerat. »

168. «Sed quid dicemns de ecclesiis Parisiensibus, quæ obitum sancti Brunonis, quasi viri notissimi, celebribus planxerunt elogiis, videlicet ecclesia cathedralis sanctæ Mariæ, Abbatia sancti Maglorii, abbatia sancti Germani de Pratis, abbatia sancti Dionysii, abbatia sancti Mauri Fossatensis et abbatia sancti Petri Latiniacensis? Nonne incongruum est, ut tot clerici, totque monachi, intra fontem scientiarum Parisinæ academiæ constituti, ad exteram diœcesim pro capessendis scientiis profecti fuerint? Et quod de Parisiensibus dicimus, id ipsum testamur de cæteris remotiorum cœnobiorum religiosis, quos Parisiis potius, quam Remis erudiri præstabat. » Ita ille, Sanctum Parisiis docuisse, præcipue tum ex insigni, quam per universum Franciæ regnum habuit, quamque, ni Parisiis docuisset, habiturum eum non fuisse, autumat, nominis celebritatæ, tum ex ingenti, quæ eidem funebrium Titulorum inscriptione parentarunt, quæque illum, ni Parisiis docuisset, speciali modo cognituræ magistrumve habituræ fuisse, non videntur, ecclesiarum monasteriorumque multitudine conjiciens, aut etiam contendens. Verum non video cur Sanctus, etiamsi numquam Parisiis, Remisque tantummodo docuisset, insignem illam, qua per universum Franciæ regnum, imo per plures etiam extra hoc sitas provincias late inclaruit, nomilis celebritatem acquirere nequiisset, Numquid non a coævis Chronici Malleacensis, Fragmentique historici, a tempore Roberti ad Philippi regis mortem deducti, scriptoribus (adi num. 41 et seq.) « Remensis» appellatur, quod iis ex nominis fama, quam Remis tum discendo, tum docendo ac varia munia obeundo acquisiisset, unice fere notus esset ?

169. Similine etiam forte de causa, veluti « Parisiensis, » notus fuerit ? Si affirmes scriptorem antiquum probatæque fidei vel unum, a quo» Parisiensis» vocetur, assignari postulo; quod si id, ut certe non poteris, facere non possis, unde tandem, qua Sanctus inclaruit, nominis celebritatem Parisiis, non autem Remis, docendo eum requirere debuisse probabis ? Adhæc Bruno ex unanimi fere eorum omnium consensu, a quibus Parisiis docuisse asseritur, id ibi munus non ante annum circiter 1076, quo ex dictis ob improbos Manassis mores urbe Remensi excessit, obire incepit ; et tamen celeberrimi etiam, antequam urbe Remensi, cogente Manasse, excessit, nondumque proinde Parisiis docuerat, nominis exstitisse, a Guiberto de Novigento, auctore coævo, dissertissime traditur. «Bruno, inquit in Vita sua lib. I, cap. 11, « in ecclesiis Galliæ tunc (cum Manasses scilicet Remensem civitatem ante Sancti ex hac discessum nefandis suis moribus misere affligeret) opinatissimus cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus infamis illius (Manassis nimirum) odio excessit ab urbe, » Remensi nempe. Sanctum itaque, quamvis etiam Parisiis numquam docuisset, ingentem, quam sibi peperit, nominis celebritatem acquirere potuisse, illi ipsi etiam fere omnes, qui eum Parisiis docendi munere functum volunt, debent admittere. Accedit quod et iis, qui Sanctum, priusquam Remis sub Manasse excederet, Parisiis docuisse contendunt, responderi potest, Brunonem e solis, quos composuit, eruditissimis in Psalmos et S. Pauli Epistolas Commentariis, latissime forsan, cum obiit, jam vulgatis, celeberrimi nominis esse potuisse, etsi interim non Parisiis, imo nec Remis unquam docuisset.

170. Quod modo ad ingentem, quæ Sanctum funebrium Titulorum inscriptione celebrarunt, ecclesiarum cœnobiorumque multitudinem spectat, consequens ex hac non est ut non tantum fama, sed et speciali quodam modo, ni laudatus Cartusianus anonymus velle videtur, Sanctus noster iis omnibus

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

notus fuerit, magisterve exstiterit. Etenim non solis, quibus tali modo notus esset, magisterve exstitisset, ecclesiis monasteriisque mortem ejus religiosi Calabrinæ carthusiæ seu eremi incolæ, preces pro defuncti anima flagitantes, annuntiavere. Liquet id ex encyclicæ, qua hoc fecerunt, epistolæ initio, quo, quibus hæc destinetur aut ad quos deferenda sit, verbis sequentibus innuitur : « Primo loco, quem primatem et caput in ecclesia credimus, et confitemur, apostolicæ sedis præsulem, totamque illam principalem curiam humiles eremitæ Calabriæ monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus fundator pater Bruno fuit et prælatus, dum in carne viveret, debita subjectione veneramur et salutamus, sanctique Patris nostri obitum pridie Nonas Octobris denuntiamus, ut meritis eorum et precibus adjuvetur apud Deum. Salutamus quoque universam sanctam Ecclesiam in ordinibus et professionibus suis, canonicos, monachos, eremitas, Deo dictas sanctas virgines; quibus et omnibus spirituali præsentia prosternimur, ut defuncti Patris nostri memores esse velint, ut dilectæ illi animæ, si adhæsit macula, cum non sit justus, qui non peccet, multiplicatis intercessoribus et precum instantia detergatur et transeat ad requiem. » Ad quæcumque itaque, uti ex hoc textu intelligitur, monasteria ecclesiasque, sive sanctum nossent, sive non, epistola encyclica, mortis ejus nuncia, missa fuit, ut ex responsoriarum ad hanc seu titulorum funebrium quibus Sancto parentatum fuit, multitudine ingenti, utpote ab iisdem monasteriis ecclesiisque profecta, argui non possit; hisce illum omnibus speciali quodam modo notum, magistrumve fuisse. Quare, etsi darem, Sanctum nostrum, ni Parisiis docuerit, monasteriis illis omnibus ecclesiisque nec speciali modo notum, nec magistrum existere potuisse, nondum propterea consectarium fuerit, ut reipsa ille umquam Parisiis docuerit.

171. Nec quidquam ad rem facit, plures Parisienses ecclesias S. Brunonis, veluti viri sibi notissimi obitum celebribus planxisse elogiis; fieri enim potest ut hoc illæ fecerint, quod, etsi iis, non facie aliove, quo magistri sotent discipulis, speciali modo, fama tamen, utpote qui maxima ex dictis nominis celebritate inclaruerit, notissimus exstiterit. Idem etiam de nonnulis aliis ecclesiis, monasteriisque, quæ Sancti, veluti viri sibi notissimi, obitum luxere, esto judicium; etsi autem etiam et titulis funebribus, quibus Sancto parentatum fuit, saltem nonnulli a personis, quibus etiam facie aliove speciali modo notus fuerit, magisterve exstiterit, ei sint inscripti, nihil tamen cogit u hosce sub illo, non Remis, sed Parisiis studuisse admittamus. Utquid enim Sanctus plures etiam extraneos habere Remis discipulos nequierit? Sane sæculo XI, quo Bruno floruit, diversæ diversarum urbium ecclesiarumque scholæ, uti Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IX, pag. 30 et seq. docent, pro nommis celebritate, qua earum magistri gaudebant, vel magis vel minus ab extraneis alienigenisque frequentabantur ; quare, cum Sanctus, dum summum Remensium scholarum didascalum ageret, doctrinæ fama, uti ex supra dictis satis liquet, non solum per universam Galliam, verum etiam per plures remotas regiones alias celeberrimus exstiterit, dubitandum non est quin ad sese Remos attraxerit multitudinem ingentem non modo indigenarum, verum etiam extraneorum alienigenarumque, quo sub clarissimi nominis magistro litteris operam darent.

172. Atque ex his imprimis Odonem seu Ottonem, summum postea sub Urbani II nomine pontificem, Robertum a Burgundia, Lingonensem episcopum, aliosque tres viros illustres, § v recensitos, exstitisse existimo tum ob jam dicto, tum quod nihil plane, ut alibi potius, quam Remis studuisse credantur, possit afferri. Imo vero, qnod ad Urbanum nominatim spectat, Remis potius hic, quam alibi, studuisse idcirco est dicendus, quod et Remis aliquamdiu fuisse versatum, et ecclesiæ metropolitanæ canonicum ibidem egisse, aliunde habeatur perspectum, uti apud Ruinartium tom. III Operum scriptoris hujus et Mabillonii posthumorum videre licet. Atque ita futurum modo spero, ut qui omnia hactenus adducta rite expenderit, necesse non esse existimet, ut Sanctus vel ob nominis, qua inclaruit, celebritatem, vel ob discipulorum, eorumve, quibus speciali modo notus fuerit, multitudinem Parisiis aliquando docuisse admittatur, repugnantibus, quæ supra in contrarium adduxi, argumentis. At vero, inquies, Sanctus saltem tunc, cum in solitudinem, sociis nonnullis sibi adjunctis, secessit, Parisiis docuit. Ita enim a scriptoribus non paucis memoriæ proditum existimatumque fuisse invenitur. Ita omnino habet: verum in Sancto coævi minime sunt, nec hæc, quam tenent, placet opinio, tunc quod ex dictis Sanctus nullo unquam tempore Parisiis docuisse, videatur tum etiam, ac maxime quidem, ex eo, quod Bruno, cum in eremum secessit, non Parisiis, sed Remis, in pristinum, ac forte etiam meliorem statum aliquamdiu jam restitutus, summos inter fortunæ secundæ favores commoratus fuerit, uti ex iis præcipue, quæ num. 154 et binis seqq. in medium adduxi, siudiosus lector facile perspiciet.

173. Hinc porro, etsi etiam horrendum illud prodigium, quo doctor Parisiensis, primo se accusatum, secundo judicatum ac tertio tandem condemnatum, e feretro proclamarit, Parisiis, quod infra discutiam, reipsa accidisset, veraque, ob quam Bruno in solitudinem secesserit, causa exstitisset, hunc tamen tum, cum illud accidit, ibidem docuisse, admitti idcirco nondum posset. Cum enim Sanctus, Remis post Manassis archiepiscopi expulsionem in res suas seu facultates pristinas restitutus, civitatem illam non amplius, domicilium alibi fixurus, ante suum in solitudinem discessum reliquisse videatur, consectarium est ut, si eo tempore, quo dictum prodigium acciderit, seu anno circiter 1082 Parisiis docuit, in pristinas suas facultates Remis

www.libtool.com.cn

restitus tum nondum fuerit, ac proinde, ut in hasce illum, cum id equidem, antequam in solitudinem secederet, ex dictis sit factum, restitui tandem post præfatum prodigium contigerit. Verum præterquam quod sanctus Remis ante annum 1082 pristino statui ac forte etiam meliori redditus verosimilius ex dictis fuerit, id post prodigium illud accidisse, idcirco præterea non videtur, quod, cum Bruno in opinione eorum, qui prodigium propugnant, sæculo valedicere firmissime ex hoc statuerit, propositumque, rebus utcumque compositis, exsecutus fuerit, parum verosimile appareat, fuisse illum, viso prodigio passurum, nedum curaturum aut etiam Remos aditurum, ut, quas ibidem sub Manassa amiserat, facultates dignitatesque recuperaret. Quare si pro vero, quod infra, ut dixi, examinabo, admitti debeat præmemoratum prodigium, verosimilius quidem id ob jam dicta, S. Brunone, Parisiis non docente, sed tantum, sive ut amicos inviseret, sive aliam quamcumque ob causam ibidem præsente, acciderit.

174. Nec est, cur id cuiquam mirum noviterve confictum videatur; etenim ex ipsomet quinque primorum Cartusiæ majoris priorum Chronico, seu ex edendo, quod in hoc continetur, Sancti nostri (adi § I) sub Vitæ nomine elogio, ante cujus auctorem doctoris redivivi, quod Parisiis contigerit, prodigium nemo litteris consignasse putatur, colligendum videtur, S. Brunonem ei, cum casu dumtaxat Parisiis versaretur, adstitisse. Audi, qui, prodigio illo narrato, num. 5, loquatur : « Ea tempestate, inquit, erat ibi (Parisiis nempe eo, quo prodigium accidit, loco) magister Bruno, natione Theutonicus, de civitate Colonia non obscuris parentibus natus, ecclesiæ Remensis canonicus et ibidem scholarum magister in theologia, qui, supra scriptis vocibus (doctoris nempe, sese damnatum, e feretro vociferati) salubriter territus atque compunctus allocutus, est quosdam socios ibi præsentes, » etc, Ita antiquior illa Sancti Vita, cujus auctor anonymus S. Brunonem utique, si eum, cum prodigium, quod narrat, Parisiis docuisse existimasset, scholarum non Remensium, uti verbis recitatis facit, sed Parisiensium magistrum vocaturus fuisse videtur, cum de re quæ et Parisiis gesta sit et quæ ibidem a sancto docente fuisset conspecta, sermonem instituat. Quod autem non tantum Puteanus, aliique, qui sæculi XVI initio floruerunt, S. Brunonis biographi, verum etiam seculi XIV et XV scriptores, infra laudandi inveniantur, qui sanctum nostrum eo ipso tempore, quo prædictum prodigium Parisiis contigisse, memorant, ibidem docuisse, memoriæ prodant, aut certe eo loco, quo id faciunt, « scholarum Parisiensium magistrum » appellent, fuisse ve innuant, factum reor ex eo, quod, cum qrodigium istud Parisiis contigisse aut alicubi legissent, aut traditione secum communicata accepissent, Sanctum inde, utpote quem simul præsentem prodigio adstitisse, scholarumque magistrum egisse invenirent, ibidem tunc docuisse judicarint, etsi interim id apud scriptores, sancto vel synchronos vel etiam dumtaxat subæquales litteris consignatum non reperirent.

§ IX *An a Guiberto de Novigento vera S. Brunonis in solitudinem secessus causa assignetur, et an ad hunc præter emissum monachici habitus induendi votum ratione alia graviori Bruno indiguerit.*

Launoius, qui edita de vera causa secessus S. Brunonis in eremum dissertatione prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim commentis accenset, veram conversionis seu secessus S. Brunonis in eremum causam a Guiberto de Novigento, auctore coævo, lib. I de Vita sua, cap, 11 tradi affirmat Integrum Guiberti textum, quem Launoius hunc in finem dissertationis laudatæ cap. 1, § 4 recenset, huc non transcribo, sed ea dumtaxat illius verba, quæ ad conficiendum, quod Launoius vult, facere utcumque queunt, Sunt autem hæc: « Fuit non longe ab his diebus Bruno quidam in urbe Remensi vir et liberalibus instructus artibus et magnorum studiorum rector, qui conversionis initia ex subjecta nactus occasione dignoscitur. Manasses quidam post Gervasii famosissimi archiepiscopi decessum prædictæ urbis regimini Simoniace se intrusit, vir quidem nobilis, sed nihil prorsus serenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens. Tantos enim fastus ex illa novitate conceperat, ut regias peregrinarum gentium majestates, imo majestatum ferocitates imitari videretur.... Is igitur cum milites summopere affectaret, clerum negligeret, dixisse aliquando refertur; « bonus, ait, esset Remensis » archiepiscopatus, si non missas inde cantari » oporteret. » Hujus ergo mores prorsus improbos, et stupidissimos habitus cum omnis honestus horreret, Bruno tunc in ecclesiis Galliæ opiniatissimus cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus infamis illius odio excessit ab urbe, » Remensi nimirum.

176. Hactenus Guibertus; verum anne ita veram, qua S. Bruno in eremum pulsus fuerit, causam commemorat? Ita omnino, ut dixi, autumat laudatus Launoius, ac præcipue quidem tum, quod ex ejus opinione Sanctus noster, cum ob improbos Manassis mores Remis excessit, statim sese in eremum receperit; tum quod, ut putat, sancti ex urbe Remensi discessum habita ab eo, quam supra jam memoravi, cum Radolpho Viridi et Fulcio Monoculo de falsis mundi oblectationibus collatio præcesserit. Verum nec Sanctus, cum Remis ob improbos Manassis mores excessit, statim sese in solitudinem abdidit, nec illius ex urbe Remensi discessum collatio memorata præcessit, Utrumque e solis fere supra jam dictis satis liquet. Ac primo quidem cum Sanctus, ut num. 111 dilucide probavi, anno 1076 aut sequenti Manassis vitandi causa Remos deseruerit, certeque, uti infra ostendam, ante annum 1081 in eremum, sæculo relicto, non abierit, mox hoc illum a suo ex urbe Remensi ob improbos Manassis mores excessu non fecisse, manifestissimum est. Et vero Sanctum non nisi post Manassis archiepiscopi e sede Re-

www.libtool.com.cn

mensi expulsionem, seu paulo post annum 1080, quo hæc accidit, in eremum secessisse, ab ipsomet Guiberto loco supra cit. etiam indicari, volunt nonnulli. Ita autumant quod hic, postquam verbis proxime recitatis subjunxit, « quem (Manassem archiepiscopum) postmodum proceres, clerus atque Burgenses, cum ab Hugone (qui Diensis agnominabatur) archiepiscopo (Lugdunensi scilicet postea creato) apostolicæ sedis legato, viro in fenore justitiæ clarissimo, creberrimo anathemate feriretur, et ille manu militari thesauros Ecclesiæ dilapidare niteretur, a sede, quam male obsederat, pepulerunt, » ita deinde, nonnullis, quæ quamquam Manassem respiciant, huc tamen minus faciunt, interpositis, prosequatur : » At Bruno, urbe (Remensi scilicet) deserta, sæculo etiam abrenuntiare proponit, qui suorum notitias horrens ad Gratianopolitanum processit territorium ; » verum illis hac in re, uti infra docebo, assentiendum non est.

177. Nihil interim, etsi id ita sit, contra nos etiam hic facit, quod loco cit. Launoius præterea addit de clericis Remensibus, cum Sancto ob improbos Manassis mores e civitate Remensi egressis, qui, ni tunc Bruno in eremum secesserit, diu eum, quocumque concederet, comitari debuerint, Deumque interea a quo converterentur, atque in eremum cum sancto pellerentur, e machima exspectare ; in eremum enim cum Sancto, uti apud nos tom. I Aprilis, pag. 40, num. XI in S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, Vita Guigo, quintus Cartusiæ majoris prior, testatur, concesserunt magister Landuinus, Lucæ in Hetruria (adi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ mss. pag. 639 quatuor primorum, cujus num. 6 notitiam dedi, carthusiæ majoris priorum Chronicon) mundo natus. Stephani duo, Burgensis et Diensis, Hugo capellanus et duo laici seu conversi, Andreas et Guarinus ; horum autem nullus e nobilibus illis Remensibus clericis, qui cum Sancto ob improbos Manassis mores Remis excessere, exstitisse invenitur. Quod modo ad collationem, a Sancto cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo habitam, pertinet, Brunonis hanc ex urbe Remensi ob improbos Manassis mores discessui non præivisse, satis superque, quæ num. 125 et seqq. in medium adduxi, evincunt ; ibidem interim dictis Guibertus de Novigento loco proxime cit. etiam suffragatur, utpote narrationi, qua Sancti ex urbe Remensi ob improbos Manassis mores dicessum refert, post pauca interposita, quæ huc non faciunt, subjungens, « At Bruno, urbe (Remensi nempe) deserta, sæculo etiam abrenuntiare proponit. »

178. Jam vero cum Sanctus nec statim a suo ex urbe Remensi ob improbos Manassis mores excessu in eremum abierit, nec hunc habita cum Radulpho et Fulcio, in qua hi cum Brunone manachici habitus assumendi votum emisere, collatio præcesserit, quis improbos Manassis mores pro vera, ob quam Sanctus in eremum secesserit, causa admittat? Sane, ut hoc fiat, minime favet Guibertus. Licet enim A verbis supra recitatis affirmet, Sanctum « Brunonem conversionis initia nactum fuisse ex occasione » improborum morum Manassæ ; hosce tamen, ob quam Sanctus in eremum secesserit, perfecteque sese converterit, causam exstitisse, non edicit. Imo vero contrarium innuit, cum improbos Manassis mores conversionis sancti initiis occasionem dedisse, dumtaxat tradat, hæcque ab ipsa conversione perfecta sint diversa. Ut veritati consona scripsisse intelligatur Huibertus, res ita concipienda videtur. Bruno, Remis ob improbos Manassis mores excedere compulsus, fortunam maxime adversam, qua premente, de Deo cogitare vitæque emendationem concipere mortales potissimum solent, fuit expertus, hincque factum ut cum Radulpho et Fulcio Monoculo celebrem in qua sese brevi monachicum habitum assumpturum, vovit, collationem habuerit. Sic quippe cum votum illud completæ a Sancto postea conversionis initiorum loco merito sit habendum, collationique, in qua idem votum fuit emissum, improbi Manassis mores occasionem dederint, recte scripsisse intelligitur Guibertus, Sanctum nostrum ex improborum Manassæ morum occasione conversionis suæ initia nactum fuisse, sive interim ex voto illo seu ex collatione, in qua, hoc fuit emissum, factum tandem sit, ut Sanctus novam Carthusianorum religionem instituerit, sive nova ratione accedente ad id faciendum fuerit impulsus.

179. Et Brunonem quidem e dicta collatione occasionem novæ suæ religionis instituendæ accepisse, Launoius in sua de vera S. Brunonis in eremum secessus causa dissertatione cap. I, § III contendit ; verum contra ad novi Carthusianorum ordinis institutionem nihil omnino collationem illam contulisse, annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymus putat, operis sui num. 89 hunc in modum Launoio, illud contendenti, respondens : Ibi... (in epistola scilicet S. Brunonis ad Radulphum Viridem per verba, num. 125, huc transcripta) « sanctus Bruno non loquitur de consilio fundandi alicujus novi ordinis, sed tantum de voto recipiendi monachicum habitum. Quidam adversarius hanc forsan irridebit distinctionem, quæ nihilominus facilius, quam illa » (observata nimirum a Launoio in Brunonis, quæ proxime laudavi, verbis) « instituendæ Carthusianorum religionis occasio, observabitur a quovis attentius et sine animi motu verba sancti Brunonis considerante. « Promisimus, » inquit, » ac vovimus Spiritui sancto in proximo fugitiva sæculi relinquere et æterna capta re, nec non monachicum habitum recipere. » Quis non videat aliud esse vovere habitum monasticum assumere, aliud inire consilium condendæ novæ religionis? Cumque statim addat, « quod (votum) « et in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius « Romam abiisset ; » his verbis satis innuit eos tantum cogitasse de monastico habitu induendo non in novo, quem instituerent, ordine, sed in aliquo alterius ordinis monasterio. »

www.libtool.com.cn

180. Si enim de nova religione in hac egissent collatione, hujusmodi consilium tam cito ad effectum perducere non potuissent, ut revera non perduxerunt, cum prius multa sibi disponenda fuissent ad tantum opus perficiendum, ut sunt genus et modus vitæ, habitus, ædificia quantumvis humilia, locus imprimis ad propositum idoneus et alia hujusmodi non pauca tam circa temporalia, qnam spiritualla, ad novam religionem rite instituendam absolute necessaria. Præterea ex contextu verborum ejusdem epistolæ clarius sole apparet, totum hoc propositum, in hac collatione susceptum, successu temporis ad nihilum recidisse, ut ipsemet beatus vir ingenue fatetur his verbis : « Quod in vicino peractum esset, « nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus red- « ditum peragenda distulimus. Quo moram fa- « ciente aliisque intervenientibus causis, divinus « amor elanguit, refriguit animus, fervorque eva- « nuit. » Quid dici potuit evidentius? Quid enim est dicere, quod « divinus amor elanguit, refriguit « animus, fervorque evanuit, » nisi aperte dicere, quod non solum tunc non abrenuntiaverunt sæculo, sed etiam quod Radulphus et Fulcius abrenuntiandi consilium abjecerunt ; sanctus vero Bruno illud in aliud tempus rejecerit? Quod apertius per illa verba, « fervor evanuit, » significatur, et adhuc apertissimum fit, si consideremus, sanctum Brunonem non cum his, quibuscum collationem habuerat et voverat, sed cum sex aliis, qui non interfuerant collationi, sæculo valedixisse. »

181. « Nec prodest cum Launoio reponere, « sanctum Brunonem non de sua loqui, sed de Radulphi procrastinatione. » Nam in plurali numero locutus est Bruno, « ad cujus reditum peragenda « distulimus, » ut daret intelligi, uon Radulphum solum, sed se etiam cum eo distulisse, ac proinde fervorem etiam ad tempus tunc evanuisse : nam subdit: « Quo moram faciente aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, » etc. Sed ut adhuc hujus rei veritas manifestior fiat, habenda est ratio temporis, quod a dicta collatione dilapsum est usque ad annum, quo sanctus Bruno in solitudinem secessit. Siquidem constat, et id maxime, si Remis hæc collatio habita est, ut extra dubium esse vult Launoius; constat, inquam, inter eam et sancti Brunonis secessum » (si nempe, quod infra discutiendum, anno 1084 primum meliori vitæ se dederit) « effluxisse octo aut decem annos. Nam superius vidimus, sanctum Brunonem Remis expulsum fuisse circa annum 1076, et in subjiciendis probabimus, eum religionem suam (in Carthusiæ eremum anno 1084 illum secessisse, infra probabitur) instituisse anno 1084 vel anno 1086, ut ipsemet Launoius post Baronium scripsit. Ergo quidquid reclamet contra clarissimum Saussæum Launoius. Brunoni emissum votum exsolvere differenti et procrastinanti opus fuit fortiori incitamento, quo vocationi divinæ tandem obsequeretur. Et illud fuit damnati hominis horribile spectaculum, quo tandem animitus con

A cussus non solum de monastico recipiendo cogitavit habitu, sed ad sublimiora a Deo vocatus novum amplectendi genus vitæ asperrimæ consilium iniit, et feliciter complevit. » Hactenus ille, in collatione, quam Sanctus cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo de falsis mundi oblectationibus æternumque duraturis cœli gaudiis habuit, de novo instituendo ordine actum non fuisse, merito sane contendens, ut proinde illa non exstiterit novi instituendi ordinis occasio, aut certe non nisi valde remota ; imo vero ut votum, in eadem emissum, ne ullam quidem sancto novæ magisque austeræ vitæ, qualem in Carthusiæ ac deinde in Calabriæ eremis duxit, amplectendæ obligationem imponere quoquo modo potuerit.

B 182. Verum « Brunoni » quod in fine ait, « Deo exsolvere, » quod in collatione illa promiserat ac voverat, « differenti fortiori, quo vocationi divinæ tandem obsequeretur, incitamento opus fuisse, « neutiquam placet. Etsi enim reipsa Sanctus, quod in præfata collatione, anno ex supra dictis 1077 verosimillime habita, promiserat ad annum ut minimum 1081, uti infra probabo, ac proin, si non octo aut decem annis, longo saltem temporis spatio implere distulerit, non video tamen, cur ad votum implendum, novo accedente fortiori efficaciorique incitamento debuerit impelli. Cum enim voti emissi Sancto indubie in mentem subinde venerit, cur ad id implendum moveri nequierit solis iis rationibus, quibus Radulphum Viridem, ut eidem voto satisfaciat, in sua ad

C huc epistola hortatur? Gravissimæ sane hæ erant, atque ad arguendum Radulphi cunctationem, animumque ad promptam voti exsolutionem excitandum aptissimæ. Inculcabat scilicet Sanctus præcipue districtam voti exsolvendi obligationem, cui non satisfaciens Radulphus pœnas erat incursurus æternas. Audi, qui Radulpho loquatur : « Quanquam, inquit, longo terrarum tractu, et prolixiore temporis spatio corpora ab invicem sejuncta sunt, animus tamen benevolentiæ tuæ ab amico avelli non potuit. » Et, paucis interpositis, ita prosequitur : « In finibus autem Calabriæ cum fratribus religiosis, et aliquot bene eruditis eremum incolo ab hominum habitatione satis undique remotam; »

D ac deinde, nonnullis iterum interjectis, ait : « Quam (contemplationem videlicet) tu, frater charissime, utinam unice diligeres, ut ejus amplexibus fotus divino caleres amore. »

183. Et paulo post : « Fuge ergo, frater mi, fuge has molestias et miserias omnes, et transfer te a tempestate hujus mundi in tutam et quietam portus stationem. » Ac iterum post : « Quapropter operæ pretium est, diligenti examinatione prudentiam tuam ista perpendere : quod si amor Dei te non invitat, tantorum præmiorum utilitas te non provocat, saltem necessitas et timor pœnarum ad hoc compellere debet. Scis namque, qua sponsione obligatus es, et quam omnipotens ac terribilis sit, cui temetipsum munus gratum et omnino accepta-

www.libtool.com.cn

bile devovisti, cui nec mentiri licet, nec expedit. Nec enim patitur, se injuste irrideri. » Sequuntur modo verba, num. 125 huc transcripta, quibus, de qua hic, collatio votumque in hac emissum continetur, ac deinde, nullis præterea intermediis, hæc subduntur : « Quid ergo superest, charissime, nisi a tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras Potentissimi, et propter hoc cruciatus immanes. Quis namque inultum relinqueret, se a quolibet sibi subdito defraudari munere promisso, maxime si id magnæ foret sibi æstimationis et pretii. Quapropter cede, non mihi, sed prophetæ, imo Spiritui, Sancto dicenti, « vovete et reddite « Domino, Deo vestro, omnes, qui in circuitu ejus « affertis munera, terribili et ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.» Cur hæc omnia inculcat Spiritus Dei, nisi ut te voventem perurgeat reddere quod vovisti ? »

184. Hic Radulphum, ne propter divitias, dignitates, et maxime archiepiscopi, qua pollebat, gratiam « a tam sublimi declinet sponsione et divina revocetur charitate, » gravissime monet, ac deinde post pauca subjungit : « Utinam non asperneris amicum monentem! utinam non surda aure audias verba Spiritus Dei ! utinam desiderio longæque exspectationi meæ satisfacias, dilectissime ; ne diutius crucietur pro te anima mea curis sollicitudinibusque atque timore ! Nam si venerit (quod Deus avertat!) te prius quam debiti votum solveris, ab hac recedere vita, me continua tristitia sine aliqua spei consolatione tabescentem relinques. » Ac tandem sub finem epistolæ addit : « Fraternitatem tuam diu incolumen memorem consilii nostri, nec voti immemorem vigere, sedulus exopto.» Hæc sunt incitamenta, hi stimuli, a Brunone, quo Radulphum ad voti quod in collatione cum eo habita emiserat, solutionem pertraheret, studiose sane ac industrie adhibiti, quibus majores acrioresque, ut idem votum exsolveret, Sanctum nostrum, cui indubie illius identidem recurrebat memoria, opus habuisse quis edicat? Bruno itaque fortiori, quam quod voti emissio ortaque hinc obligatio afferebat, incitamento, ut monachum indueret, sicque votum monachici habitus assumendi exsolveret, neutiquam indiguit. Verum an idem etiam de nova magisque austera, quam in Carthusia ac deinde in Calabria tenuit, vitæ norma dicendum ?

185. Cum Sanctus, uti infra docebo, aliquanto temporis spatio, antequam in Carthusiæ eremum secederet in Siccæ fontanæ deserto monachum seu, si mavis, eremitam verosimiliter egerit, fieri potest, ut ibi, concepto paulatim majori divini amoris æstu auctoque hinc pœnitentiæ agendæ desiderio, vitam magis austeram ducturus cum aliis, quibus eamdem voluntatem inspirarat, in Carthusiæ eremum sese receperit. Fieri etiam potest, ut eo post emissum habitus monachici assumendi votum, nulla plane alia accedente causa, sese idcirco contulerit, quod ob dilatam diu voti exsolutionem rigidiori magisque austero vitæ genere divinæ bonitati, quam hinc offensam putarit, satisfacere voluerit. Quare nec novo fortiorique, quam esset voti emissi religio, Sanctus noster, ut in Carthusiæ eremum, sæculo relicto, secederet, incitamento indiguisse videtur. Verum etsi id ita sit, neutiquam tamen consequens est, ut reipsa ad emissum monachici habitus assumendi votum fortior efficaciorque, quo tandem in Carthusiæ eremum pulsus fuerit, stimulus non accesserit. Atque id quidem horrendo celeberrimi Parisiensis doctoris, qui, ad tempus redivivus, sese a divina justitia damnatum, et feretro proclamarit, spectaculo factum traditur a nonnullis ; quibus proinde an assentiendum certo sit, nunc indagandum ; ut autem hanc non parvi momenti rem, quæ sæculi proxime elapsi eruditorum plurium ingenia calamosque exercuit, apte discutiam, totum de ea, ut distincte magis ordinateque procedam, tractatum in diversos articulos seu §§ dispertiar, nec raro, quæ disserenda venient, ipsismet, cum commode fieri id poterit, Carthusiani anonymi, qui Annalium ordinis sui librum quartum hactenus non vulgatum contexuit, verbis exprimam, tum ut operis hujus, cujus desiderio non neminem teneri intelligo, specimina quædam exhibeam, tum ne forte eorum, quæ ad doctoris Parisiensis anastasim probandam in illo afferuntur, magnique fieri intelligo, vim imminuisse existimer. Ab iis, quæ sæculis binis proxime elapsis huc facientia evenere, duco exordium.

§ X. *An doctoris Parisiensis anastasis, qua Bruno fuerit conversus, sæculo præterito, quod pro falsa haberetur, e Breviario Romano fuerit expuncta, et qui hanc vel tunc, vel ante arrodere primum inceperint, et qui hisce contra sese opposuerint.*

Secessui S. Brunonis in Carthusiæ eremum seu causam seu occasionem præbuisse doctoris Parisiensis, qui suam proprio ore damnationem e feretro astantibus denuntiarit, luctuosissimam illam ac notissimam historiam, longissimo sane annorum spatio creditum jam fuerat, cum tandem sæculis binis proxime elapsis inventi sunt, qui illam aut in dubium revocare, aut etiam conquisitis undecunque argumentis impugnare sunt ausi. Ac «primus» quidem, quod sciamus, qui eam (ipsa sunt suppeditata ab Annalium Carthusiensium libri quarti auctore anonymo verba) in dubium cœperit revocare, fuit Renatus Benedictus (imo verosimilius, uti infra docebo, secundo tantum loco mox hic nominandus Papyrius Massonus) vel alius, qui ejus nomine Legendam Sanctorum, Gallica veste donatam, circa elapsi proxime sæculi occasum (id est, cum hæc sæculo præterito scripta sint, ante nanum 1600) publicavit, qui in Vita sancti Brunonis ad marginem e regione illius narrationis ascripsit, « Guigonem nihil « ejusmodi habere in Vita sancti Hugonis episco- « pi, » et insuper, « clericos Parisiensis ecclesiæ « his refragari. » Unde sentimus, huic historiæ nunquam quemquam refragaturum, si de canoni-

www.libtool.com.cn

catu Parisiensi mentio non irrepsisset in meram rei gestæ narrationem, quod unicum et solum postea fuisse videtur totius seminarium discordiæ. Utrum vero ille homo canonicus vel doctor fuerit, inferius dicemus. Secundus, qui huic dubietati succinuit, fuit Gapyrius Massonus, qui obiit anno 1611, vir accuratioris litteraturæ.

87. « Hic lib. III annalium Francorum, pag. 232 agens de tempore fundationis ordinis Carthusiensium, posquam pauca de sancto Brunone et Landuino retulit, hæc verba subdit : « Petrus Cluniacensis, cognomine Mauriacenus, qui Crasso et « Ludovico vixit, ordinis hujus auctores Brunonem « et Landuinum nominat, cumque originem, institutum ac mores Carthusianorum accuratissime « describat, nullam, mentionem canonici Parisiensis « facit, qui inter solemnes inferias dicitur respondisse mortuus. » Hæc ille, cujus totum dubium videtur verti circa silentium Petri et canonicatum damnati homicis. Sed et Renati Benedicti, et Massoni animadversiones non tanti fuere ponderis, ut potuerint impedire, quo minus summus pontifex Gregorius XV, indicto per universam Ecclesiam sancti Brunonis festo, singulis annis a quibuscunque clericis et religiosis colendo, ejus Officium componi et a sacra rituum congregatione recognitum et approbatum in Breviario Ramano apponi (anno scilicet 1623) præciperet, cujus secundi nocturni tres lectiones ex ejus Vita desumptæ sunt, quarum secunda totam hanc continet anastasim sub nomine cujusdam magistri, nulla facta specifica mentione doctoratus vel canonicatus.

188. « Urbanus quoque octavus, Gregorii successor, novo decreto Officium sancti Brunonis cum narratione stupendæ Historiæ breviario Romano inseri voluit, ut testatur clarissimus Saussæius in epistola didascalica his verbis : « Prodiit interim in « lucem breviarium Romanum, cui ex Urbani VIII « decreto Officium sancti Brunonis recens insertum « fuerat. In hoc narratio illa, brevi quidem, sed « aperta continebatur serie. At Parisiensi breviario « tum recognoscendo ego cum aliis illustrissimi « Domini archiepiscopi et venerabilis capituli dele- « gatis operam impendebam. Institerunt hac occa- « sione Carthusiani Parisienses, ut sancti Brunonis « festum ac Officium die ejus natali consignaretur, « siquidem in breviario nostro hactenus locum non « habuerat. Honestæ eorum postulationi visum est « concedendum. Ascriptus fuit igitur sanctus Bruno « Lutetianis Fastis, sed eo pacto, ut narrationis « prædictæ in Officii ejus lectionibus neutiquam « mentio fieret, quam suppressam paulo post etiam « videre licuit in Romano divinorum Officiorum « codice. » Hæc ille, in cujus verbis detegitur vera totius discordiæ causa, quam diximus supra, nullam aliam fuisse, præter mentionem de canonicatu factam in quibusdam hujus Historiæ narrationibus.

189. « Posthac, revolutis aliquot annis, Joannes Launoius ultimam doctoratus lauream recte ambiens, typis edita thesi, palam, stimulante Marsya viro doctissimo, in scholis theologicis asseruit, « Quidquid de defuncti doctoris trina e feretro « emissa voce vulgatum fuerat, esse totum ficti- « tium et commentitium, denique anilem fabulam. » Astantibus placuit : nam

« Noc hoc ista sibi tempus spectacula poscit. »

Non inde tamen (ut vera sanaque loquamtur) sed ex aliis excellentis eruditique ingenii datis speciminibus cupita merito donatus est laurea. Qui, sibi complacens ex approbata contra redivivi historiam thesi, hanc validiori stabiliturus argumentatione adiit Romam. Ibi, quibus potuit, viis et laboribus institit, ut illud prodigium e Romani breviarii lectionibus abscinderetur, simulans maxime ex eo, quod in acceptatione festi sancti Brunonis Parisiis actum fuerat, clerum et Carthusienses Parisienses id expetere. Hæ sunt artes, quibus ad id obtinendum eum fuisse usum, ei exprobrat (pag. 114 et 115) auctor (Theophilus Raynaudus nimirum] Herculis Commodiani his verbis : « Et potuit, » inquit, « recisioni « illi facilitatem accersere, quod tu, qui præsens « aderas, quibus nosti artibus, et præsertim magno « fragore Parisiensis cleri et academiæ infamiam, « et abs te conficta civitatis regiæ vota, ut eo narra- « tio, etiamsi vera esset, præteriretur, urgebas. « Hoc postremum docuerunt litteræ tuæ. Priora, « quæ germanissimam mutationis » (in Officio nimirum S. Brunonis factæ) « causam continent, et « aliis et mihi sapientissimus e Congregatione ri- « tuum theologus liquido confirmavit. » Et paulo post : « Dicendum alibi, qui te Parisiensis Romæ « juverit; faciens ut persuasum haberetur, Patres « Carthusianos expunctionem hujus narrationis e « breviario expetere, » etc.

190. « Qui sacræ rituum congregationi præerant, totius breviarii jussu Urbani VIII, » qui tamen antea (vide num. 188) Officium S. Brunonis, doctoris Parisiensis anastasim complectens, brevario Romano inseri jusserat, « tunc incumbentes recognitioni, viri religiosi et incorruptæ integritatis, non Launoii artibus decepti, sed sapientioribus inducti rationibus, non hujus solum Historiæ narrationem, sed et egregiam illam piissimamque fidei confessionem, ab ipso Brunone morti proximo prolatam et tertiæ secundi nocturni lectioni jussu Gregorii XV insertam, simul ex eodem breviario, sicut et multa alia ex aliis aliorum sanctorum lectionibus expungi curaverunt. Hi postea a Christophoro Puteona, Carthusiæ Romanæ priore, nomine reverendi Patris Carthusiæ prioris et totius ordinis ministri generalis, oblato libello supplici, interrogati de hujusmodi recisione tale dederunt responsum, teste Theophilo Raynaudo, « mentem sacræ congregationis nun- « quam fuisse, improbare aut in dubium vocare « narrationis hujus veritatem; sed consultius visum « esse, eam expungere, quod mos Ecclesiæ ferat, « in sacris Officiis Sanctorum, qui religiosas fami- « lias instituerunt, recensere eorum Vitas, non

www.libtool.com.cn

« causas, ex quibus ad instituendum ordinem suum « fuerint impulsi. » Et post pauca addit, a viro sapientissimo, Romæ tunc morante, accepisse : « Cum aliunde breviandæ essent lectiones Officii « sancti Brunosis, nihil occurrisse, quod minori « incommodo removeri posset. Cæternm sacram « Congregationem de convellenda ejus narrationis « veritate, vel de ea depretianda ne cogitasse qui- « dem.»

191. « Non absimile quid paulo ante testatus fuerat Bartoldus Nihusius, scribans ad amplissimum virum Andream Saussæium» (adi, quam didascalica hujus epistola, Coloniæ Agrippinæ anno 1645 excusa in fronte præfert, epistolam) « his verbis : «Sciscita- « tus fui Romæ per Janum Nicium Erythræum e « sacra Congregatione, quæ Ritibus dirigendis invi- « gilat ac præest, quid illa censeret. Et ecce, re- « spondetur, nequaquam istud, quod diximus, e « breviario submotum, quod judicaretur esse fabu- « losum, sed alia de causa. » Hæc autem causa diserte ac liquido proditur in libro, in Vaticana bibliotheca asservato, de rebus in Romani breviarii recognitione mutatis ; ubi inter acta Congregationis, habitæ die Jovis 16 Jannarii 1631, hoc decretum legitur : « Fuit resolutum, quod de lectionibus « S. Brunonis amoveatur illud, quod ponitur fuisse « causam suæ conversionis ob majorem brevitatem « et quia nihil facit ad sanctitatem S. Brunonis. » Hæc ex citato libro desumpta sunt ab erudito viro Emanuele Schelstratio, ejusdem bibliothecæ Vaticanæ præfecto, ad instantiam V. P. procuratoris generalis ordinis nostri, á quo et ad nos nuper transmissa sunt. Non igitur, quod fabulosa censeretur, uti conabantur persuadere, qui correctionem urgebant, hæc historia e breviario Romano expuncta est, sed ob majorem brevitatem, et quia nihil faciebat ad sanctitatem sancti Brunonis. Nec propterea sacræ Congregationis mens fuit prohibere, ne, qui vellent, eam suis breviariis insererent.

192. « Quam ob rem postea, nempe annis 1648 et 1652 breviariis Lutetiæ Parisiorum editis « Apud societatem typographicam librorum « Officii ecclesiastici, ex decreto Concilii Triden- « tini imprimendorum, » restituta est, nullo reclamante. Hæc necessario præfanda duximus, ut lector præmoneretur, non debuisse a doctore Launoio asseri, e lectionibus sancti Brunonis solummodo deletum fuisse, quidquid ad illud prodigium spectabat, aliamque nullam potiorem causam submovendi aliquid e Breviario ecclesiasticis præscribi regulis, praterquam deprehensam falsitatem; quandoquidem, ut jam vidimus, celeberrima illa corporis et sanguinis Christi in Eucharistia professio, a sancto Brunone facta sub mortem, ab ipsis sacræ Congregationi præpositis etiam sublata est, quam nemo ita vecors erit, ut sentiat idcirco deletam fuisse, quod falsa sit, ut prudenter ante nos monuit Joannes Columbi Societatis Jesu, in sua scilicet, in qua præterea num 94 et seq. nonnulla, quæ verbis jam recitatis Annalium Carthusiensium libri quarti auctor anonymus, in medium adducit, de Carthusianorem initiis dissertatione num. 8 sic scribens : « Item (Romani sacræ rituum Congregationis) censores sustulerunt e Breviario celeberrimam illam corporis et sanguinis Christi in Eucharistia professionem, a Brunone factam sub mortem, quam nemo ita vecors erit, ut sentiat idcirco delevisse, quod falsa sit: qui enim Turre in Calabria morienti astiterant, scripserunt ad socios in Carthusia commorantes, et alios toto orbe monachos moriturum in hæc verba locutum esse : « Credo panem et vinum, quæ consecrantur, « in altari, esse post consecrationem verum corpus « Domini nostri Jesu Christi et verum sanguinem.»

193. Hæc Columbius, et post hunc Carthusianus anonymus proxime laudatus; e quibus sane, aliisque a posteriori hoc scripto supra adductis, luctuosam doctoris damnati historiam, quod falsa putaretur, e Breviario Romano non fuisse sæculo præterito expunctam, indubitatum apparet. Verum, etsi id ita sit, reliqua tamen omnia, quæ verbis recitatis idem Carthusianus anonymus tradit, veritati tam certo non consonant. Ac primo quidem, quod ad scriptores, Parisiense doctoris ad tempus redivivi prodigium in dubium revocare primum agressos, pertinet, perperam verosimilius hos inter Renato Benedicto locum primum, Massano duntaxat secundum concedit. Etsi enim Massonus anno demum 1611 vitam cum morte commutarit, suos tamen Francorum Annales, in quibus animum illa de re dubium declaravit, ann 1578 in lucem typis emisit, cumque Renatus Benedictus arti criticæ parum dederit, verosimilius apparet, e legendæ, num. 186 laudatæ, editionibus, non priori, quæ anno 1577, ipsomet curante Renato, prodiit, sed posterioribus duntaxat, anni nempe 1585, solique penes me exstanti anni 1593, quas alii curavere, notulam, num. 186 memoratam, in margine fuisse adjectam. Deinde vero, cum « de lectionibus S. Brunonis illud, quod conversionis ejus causam fuisse ponitur, » anno 1631, uti e verbis, num. 191 datis, intelligitur, e Breviario Romano « fuerit amotum, » non satis capio, qui iter, quod Launoius, ut idpsum a Breviario expungendum curaret, Romam suscepit, differri etiam, ut verbis num. 189 recitatis fit, possit in tempus, quo is damnati doctoris Parisiensis historiam, veluti commentitiam ac anilem fabulam jam traduxerat thesi publice proposita, quod anno circiter 1635 factum, ipsemet innuit in præfatione, quam suæ de vera causa secessus S. Brunonis in eremum anno 1646 typis primum datæ dissertationi præmisit. Adhæc etsi Gregorius XV, cum sacra rituum Congregatio S. Brunonis officium, doctoris Parisiensis anastasim complectens, anno 1622 approbasset, anno sequenti, ut de eo officium semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari libere ac licite possit, data bulla concesserit ac indulserit, illud tamen officium Parisiis ritu solemniori celebrari

www.libtool.com.cn

jussisse videtur Urbanus VIII, uti ex tractatu a Patribus Carthusianis hujatibus mecum communicato intelligo.

194. Alia minoris momenti, quæ in supra recitata Carthusiani anonymi verba observari adhuc possent, omitto et progredior modo ad scriptores præcipuos, jam memoratis adjungendos, tam qui doctoris Parisiensis, quæ Sanctum nostrum in Carthusiæ eremum pepulerit, anastasim improbarunt, quam qui contra tutari eamdém, ut veram, contra Launoium sunt conati. Ac primo quidem, cum hos intersint nonnulli, qui mihi, utpote hactenus inediti, ad manum non sint, et tamen ab anonymo Annalium Carthusiensium libri quarti auctore memorentur, ipsa vel idcirco scriptoris hujus verba, huc spectantia, transcribo. Sic habent: « Inter eos, » qui fabulosam non esse doctoris Parisiensis, sese damnatum e feretro vociferati, historiam, probare sunt conati, « primas facile mereretur Franciscus Ganneronius, monachus Montis-Dei eruditissimus, si opus suum ineditum hactenus inter privatos parietes non latuisset. Hic, ubi audivit, Launoium publica thesi proposita nisum fuisse probare, omnia esse fictitia, quæ de homine damnato hactenus vulgata fuerant, arrepto calamo tractatum satis amplum scripsit, quem, « Vindiciæ geneseos Carthusiensium» inscriptum, misit in Carthusiam anno 1640. Aliquot post annis Andreas Saussæius, edito Martyrologio Gallicanæ ecclesiæ primum celebris, causam nostram tutatus, objectiones adversariorum nonnullas diserte elisit scripta illa doctissima ad Bertoldum Nihusium epistola, quam ipse Nihusius Coloniæ Agrippinæ anno 1645 typis dedit sub inscriptione Epistolæ Didascalicæ. « In ea se, licet suppresso nomine, « impugnatum sentiens Launoius dissertationem « edidit anno 1646 » De vera causa secessus S. Brunonis in eremum. Launoio statim reposuit Theophilus Raynaudus Soc. Jesu, sub nomine Honorati Leotardi incripto libello, « Hercules Com- « modianus.» Haud diu post archangelus Monchozon, professus Carthusiæ Tolosanæ, grande volumen exaravit, R. P. Pegonio majoris Carthusiæ priori dicatum, cui hunc titulum præfixit: » Carthu- « sianus Alitiphilus [Alethophilus], pro avita de- « certans traditione de institutione ordins Carthu- « siensis. »

195. « In hoc volumen non solum rationes et argumenta præfatorum auctorum, sed et eorum tractatus integros, de verbo ad verbum exscriptos, congessit, multis nihilominus additis ex ingenio suo exquisitis rationibus. Latet etiamnum hoc opus, nobis fere solis notum. Denique Joannes Columbi Soc. Jesu novissimus omnium athleta surrexit, qui recenti dissertatione, De Carthusianorum initiis edita anno 1668 nova validaque argumenta certissimasque auctoritates prioribus superjecit. » Ista Carthusianus anonymus, qui etsi, a Columbio nova validaque pro doctoris redivivi historia firmanda adducta fuisse argumenta, non immerito asserat, talia tamen hæ non fuere, ut ab omnibus assensum extorserint. Ac imprimis quidem Mabillonius in operibus suis loco non uno historiam illam, si non pro commento seu fabula, pro narratione equidem habet admodum incerta ac dubia. Nec ei magis favent, qui post Mabillonium scripsere. Historiæ litterariæ Franciæ auctores, aliique eruditi, qui editis in lucem operibus suam de prodigioso illo eventu opinionem vel obiter duntaxat, vel ex instituto quodammodo declararunt. Licet autem Papebrochius in Conatu chronico-historico part. I, pag. 32, num. 17 scripserit, Columbium pro prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi « testes habere ab anno 1391, 1383, 1313, imo 1298 et 1150; sic ut ultimus solum distet 49 annos a morte sancti fundatoris, obita anno 1101,» hincque de eo, ut de ipsa dicta historia nihil dubitante, Janningus in sua pro Actis sanctorum Apologia, anno 1685 typis vulgata, amicæ expostulationis num. 24 locutus fuisset, ipse tamen postea Papebrochius in suis ad exhibitionem errorum responsionibus, anno 1697 editis, articulo 15, § 20, ea scribit quibus sese, etsi etiam, quæ Janningus loco mox cit. dixerat, confirmet, omnis circa historiæ ilius veritatem scrupuli expertem non esse, indicare videtur.

196. Sic enim ibidem num. 291 scribit: « Hæc duo testimonia » (e tabulis fundationis Carthusiæ, anno 1084 signatis et e Grandimontensi, qui anno 1115 exaratus sit, codice a Polycarpo de la Riviere allegata) « si subsisterent, nihil video, quid ultra requiri possit ad summam certitudinem; sed silentium Columbi, triginta annis post Launoyum scribentis eumque refutantis, neque duo ista producentis suspectam mihi facit Polycarpi fidem, et Theophili, si eum transcripsit, credulitatem. Igitur, velim nolim, cogor Launoyum inspicere, et pag. 135 lego quod in allegata « charta ne unus quidem apex est « de doctore vel canonico Parisiensi, » quod ipsum « ingenue professus est prior generalis requisitus.» Et pag. 137: «In Grandimontensi Chronico ad annum « 115, quo pagina vacabat, diverso charactere re- « contique manu, in loco non suo, scriptum est, « quod sequitur : Parisiis horribile spectaculum « cnntigit, etc., prout vidimus ipsi.» Hæc ille. Unde causa habetur, cur testimonia istæc contempserit Columbus, Polycarpi malam fidem tacite agnoseens; et cur ego nihil de illo, nihil de Theophilo sciens, contentus fuerim tantisper iis, quibus utitur Columbus; donec tempus exigat ex professo tractare argumentum istud, et Launoyi ad testimonia reliqua responsiones examinare. Interim fortassis alii, quam Polycarpus, sinceriores multo plura atque antiquiora, ipsique rei gestæ viciniora invenient, quam invenit Columbus, licet tota totius ordinia diligentia adjutus; ut Launoyi contradictio (sicus optamus) penitus dissolvatur, et ex omnium animis aboleatur dubitatio de veritate istius historiæ. »

197. Hactenus Papebrochius, qui cum sese iis,

www.libtool.com.cn

quibus damnati doctoris historiam Columbius probare nisus est, fuisse tantisper, donec res ex professo examinaretur, contentum, scribat, pluraque adhuc ac antiquiora, quam a Columbio fuerint inventa, testimonia, quo Launoyi contradictio penitus dissolvatur, et ex omnium animis dubitatio de istius historiæ veritate aboleatur, alleganda speret, sese omni circa hanc scrupulo expertem non fuisse, satis indicare videtur. Nec scio, an propense adeo, ac nihilominus facit, in oponionem eorum, qui horrendum doctoris redivivi, damnatum sese proclamantis, spectaculum veris historiis accensent, fuisset iturus, si quæ, cum hæc scriberet, ad summam huic fidem conciliandam antiquiora, quam adducta a Columbio, testimonia fortassis invenienda putabat, ad nostrum usque tempus inventum non iri prævidisset, contraque, ut modo factum, detegendum scivisset, quinque primorum Carthusiæ priorum Chronicon, seu « tractatum De narratione historia inchoationis et promotionis ordinis Carthusiensis, » quem Columbius ac post eum Papebrochius anno circiter 1150, seu annis fere duntaxat quinquaginta post « S. Brunonis » mortem scriptum existimavit, certo ante sæculum tertium decimum, aliquot annis jam inchoatum, scriptum non esse, uti quæ num. 12 et seqq. in medium adduxi, sufficienter ostendunt. Verum qualecunque sit, quod de luctuosa doctoris damnati narratione Papebrochius tulit, judicium, id nos, quo minus libere in hujus veritatem inquiramus, impedire non debet. A scriptoribus itaque, qui illam duobus sæculis proxime elapsis vel utcunque improbare, vel contra tutari sunt conati, ad scriptorum antiquiorum pro eadem testimonia progredior, adducamque non solum antiquiora, qualia Columbius, verum etiam, quæ a sæculi quarti decimi ac sequentis scriptoribus data sunt, minus antiqua, idque tum quod infra usui subinde sint futura, tum maxime quod ita factum inveniam ab anonymo Annalium Carthusiensium libri quarti auctore, a quo ne hic deflectam, ratio potissimum num. 185 in fine data suadet.

§ XI. *Scriptorum Carthusiensium sæculo* XVI *antiquiorum de doctoris Parisiensis qui damnationem suam e feretro publice aperuerit, anastasi testimonia referuntur, et quid de adjunctis, huic post adjectis, censendum.*

Non omnes, qui horrendum doctoris Parisiensis, damnatum sese, e feretro vociferati, spectaculum in litteras misere, ordinis Carthusiensis scriptores iisdem illud adjunctis vestitum ob oculos posuere, hincque nec inter eos, a quibus hodieque creditur, in modo, quo factum sit, satis convenit. Alii enim ex his publice illud in Ecclesia aut saltem ingenti coram circumstante hominum multitudine, alii contra privatim in aula domus defuncti, solis hujus, e quibus Bruno, ejusque aliquot socii fuerint, amicis præsentibus, evenisse volunt. Alii iterum una eademque die, unoque item ac eodem recitationis officii tempore vociferationes infelicis doctoris tres diversas rediisse affirmant; alii contra singulis vociferationibus singulos dies attribuunt. Et vero si memoratum spectaculum non publice coram ingenti populi multitudine, sed intra privatos domus defuncti parietes evenerit, nec tribus diebus diversis, sed una eademque doctoris infausti voces redierint, non erit sane, cur constans scriptorum omnium coævorum de memorabili adeo historia silentium magnopere sit mirandum, sicque, ob quam hæc difficillima creditu apparet, difficultas gravissima evanescet. Verum cum scriptores longe plures, horrendum illud doctoris damnati spectaculum publice in Ecclesia aut saltem coram ingenti hominum multitudine factum, scribant, quamnam ii fidem hac in re mereantur, seu an sat credibilis verosimilisque videri queat eorum narratio, primo inquiram, postea eorum, qui rem intra privatos domus defuncti parietes evenisse, statuunt, opinionem discussurus. A scriptorum Carthusiensium antiquiorum, qui horrendum eventum coram ingenti hominum multitudine contigisse, memoriæ prodidere, testimoniis recensendis, servato, quo lata sunt, ordine chronico, duco initium, aliorum infra, qui Carthusiensis ordinis non sunt, relaterus.

199. Etsi primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici seu tractatus De narratione historiæ inchoationis et promotionis ordinis Carthusiensis auctor tam antiquus, ac Columbius (adi num. 12 et tres seqq.) in sua De Carthusianorum initiis dissertatione putarit, non sit, cæteris tamem omnibus, qui doctoris ad tempus redivivi historiam litteris commendarunt, communi opinione, etsi id ob loco proxime cit. dicta infraque de Carthusiano Mojorevensi dicenda omnino certum non sit, antiquior habetur. Ante reliqua itaque omnia suppeditatum ab eo hucque spectans testimonium integrum, quod id hic subinde ante oculos haberi deheat, ex antiquiori Sancti Vita, Commentario huic, ut jam monui, ante duas alias minus antiquas subdenda, huc transcribo. Sic habet: «Anno Dominicæ Incarnationis 1082, vel circa illum, dum solemne studium floreret Parisiis præcipue in philosophia et theologia et jure canonico, sicut generaliter consuevit, tale prodigium ibi dicitur accidisse. Quidam enim doctor præcipuus, et vita, ut videbatur, fama atque doctrina et scientia inter omnes doctores Parisienses excellenter honoratus et mirabiliter gratiosus, gravi et ultima infirmitate præventus, non diu decumbens diem clausit extremum. Cumque tota dei, qua defunctus est, more Parisiensi in aula, funere in feretro decumbente, fuissent continue decantata divina officia, in crastino mane, congregata ibidem universitate Parisiensi tam scholarium quam doctorum, ut tam honorabili viro solemnem et honorabilem præberent funeralis officii sepulturam, cum reverendi viri feretrum, in quo funus jacebat, vellent, elevare ad ecclesiam deferendum, subito, cunctis stupentibus, qui mortuus videbatur et erat, elevato capite, resedit in feretro, et, omnibus audientibus, alta et terribili voce clamabat: «Justo Dei judicio accusatus sum,

www.libtool.com.cn

et, hoc dicto, caput deposuit, et decubuit mortuus, sicut prius.

200. « Qua voce cuncti attoniti et territi deliberaverunt, ipso illo die nullo modo fore sepeliendum, sed usque in crastinum reservandum. Mane ergo sequenti, cum multitudo maxima convenisset, et dictum funus, sicut prius, vellent ad ecclesiam deportare, defunctus, sicut prius, elevato capite, dolorosa et terribili voce intonuit : « Justo Dei judicio judica« tus sum. » Quam vocem multitudo, quæ aderat, clare intelligens et audiens stupuit plus quam prius, et alterutrum conquirentes, quid sibi vollent innuere tam insoliti et inexperti defuncti clamores, adhuc determinaverunt, ipsum ad aliud crastinum usque nullatenus tumulandum, Tertio vero die cum propter ista prodigia fere tota civitas convenisset, et funus, cunctis præparatis, vellent ad tumulum deportare, defunctus, sicut prius, jam terlio altissimo et mœstissimo clamore personuit : « Justo Dei « judicio condemnatus sum. » Qua horribili sententia audita, quasi omnes immenso fuerunt timore et tremore percussi, certi facti de condemnatione tanti viti, qui inter alios et super alios videbatur honestate vitæ, claritate famæ, dignitatis excellentia et multiplici scientia ac sapientia præfulgere. Ea tempestate erat ibi magister Bruno, natione Theutonicus, de civitate Colonia non obscuris parentibus natus, ecclesiæ Remensis canonicus et ibidem scholarum magister in theologia, qui suprascriptis vocibus salubriter territus atque compunctus allocutus est quosdam socios ibi præsentes infra scriptis vel similibus verbis : Eia charissimi, quid faciemus? Omnes simul, » etc. Annalium Carthusiensium libri quarti auctor anonymus idem huc jam transcriptum testimonium, prout id in codice Thuaneo, voces nonnullas a vocibus, quibus hic exprimitur, diversas, rei tamen substantiam non immutantes, usurpante, exstat, in opus suum intulit cumque deinde dictum auctorem anonymum, e quo illud transcribit, magnæ apud omnes, ut Commentarii hujus initio etiam monui, subsecutos ordinis Carthusiensis scriptores auctoritatis fuisse, observavit, nonnullos ex his etiam recenset.

201. Ac primum quidem eos inter locum Bosoni, Carthusiæ priori, concedit his verbis : « Inter hos, » qui scilicet primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici, aut, si mavis, Carthusiani anonymi, qui id composuit, auctoritatem magni fecerunt, « primus prodeat Boso prior Carthusiæ, vir non vulgaris sanctitatis, quam etiam Deus miraculis manifestavit Hic, ut jam diximus, in tractatu « De origine et veritate perfectæ religionis, » hactenus perperam Guilelmo de Hyporegia attributo, ut suo loco probabimus, integrum nostri anonymi Chronicon cum narratione ejusdem prodigii (anastaseos scilicet doctoris Parisiensis) retulit iisdem verbis, paucis tantum omissis vel mutatis, sed non essentialibus, et ut ipse ostenderet, quantam fidem apud omnes illius auctor obtinere mereretur, primum hortatur suum lectorem, ut « Tractatum sequentem de nar« ratione Historiæ inchoationis et promotionis or« dinis Carthusiensis non negligat ad ædificationem « scribere, vel legere, vel audire. » Ita ille, tractatum « De origine et veritate perfectæ religionis, » quem, ut supra docuit, Columbius noster Guilielmo de Elbura seu de Hyporegia ascribit, Bosoni apertissime attribuens. Hinc cum ex argumentis, quibus tractatus ille Bosoni attribuendus probaretur, aliquid forte pro tempore, quo quinque primorum Carthusiæ priorum Chronicon scriptum sit, propius determinando colligendum sperarem, in hæc data ad Carthusianum Parisiensem, num. 28 supra laudatum, epistola inquisivi, huicque, cum ea de re ad Carthusiam litteris recurrisset, fuit responsum, argumenta quidem illa ignorari, sed nihil interesse, cum dictus tractatus, ut ut Guilielmo de Hyporegia attribueretur, Bosoni etiam, utpote sub cujus auspiciis hic illum equidem elaborarit quodammodo possit ascribi.

202. Ab hoc responso non multum abludit tractatus De S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communicati, auctor num. 22 hujus operis sui sic scribens: « Neque a Patrum (qui, quæ ad ordinem suum Carthusiensem spectabant, non publicarant) tramite deflexisset Boso, nisi ad suum Institutum a quorumdam alterius ordinis religiosorum calumniis vindicandum hujus humilis ac sancti silentii leges tandiu servatas violare coactus fuisset edito tractatu fusissimo, sive suo marte, ut equidem volunt, sive suo jussu, usus nempe calamo Guillelmi de Hyporegia, Carthusiensis Itali, viri docti, quem tribus circiter ante suum obitum annis ad majorem Carthusiam evocaverat. Hunc tractatum inscripsit « De origine et veritate perfectæ religionis ad defendendum ordinem Carthusiensem. » Ita ille ; verum quiscunque demum trastatus illius auctor sit, is equidem quinque primorum Carthusiæ priorum Chronicon magni fecit, ac proin transcriptum ex hoc doctoris Parisiensis prodigium, utpote ad quod legendum aut scribendum lectorem etiam hortatus sit, calculo suo approbavit. Ad alios modo, qui id pariter fecerunt, sermonem converto. Columbius in sua De Carthusianorum initiis dissertatione num. 56 sic scribit : « Carthusianus Majorevensis tractatum brevissimum scripsit cum hoc titulo : « Quo« modo ordo Carthusiensis sumpsit exordium, » « In eo sequentia verbatim continentur. Ventum « est ad hoc, ut defuncti corpus poni deberet in « sepulcro. Circumstantibus igitur clericis, qui de« functus erat, clamavit, dicens : « Justo Dei judi« cio accusatus sum, etc. » Sequenti igitur die, etc, « Iterum clamavit mortuus et ait : « Justo Dei ju« dicio judicatus sum, etc. » Iterum clamavit : « Justo Dei judicio condemnatus sum. etc. » Erat « autem tunc temporis quidam magister in theo« logia, nomine Bruno, magnæ sanctitatis, etc.... « Ipse tractatus ab auctore suo dicitur scriptus « Anno « millesimo ducentesimo nonagesimo octavo. »

www.libroantico.com

203. Quare cum, quanto ante annum 1313 temporis spatio primorum quinque Carthusiæ priorum Chronicon concinnatum sit, definiri sat certo, ut supra docui, haut queat, hujus forsan auctor ante jam laudatum Carthusianum Majorevensem seu ante annum 1298, quo hic ipsemet, sese scripsisse, declarat, scriptioni manum non admoverit. Ut ut sit, hujus equidem testimonium binis aliis, quæ ex primorum quinque Carthusiæ priorum Chronico, et Bosone, seu, si mavis, Guilielmo de Hyporegia jam adduxi, idcirco postpone, quod horum equidem priori ex communi opinione sit recentius, itaque ab Annalium Carthusiensium libri quarti auctore factum inveniam Hic porro, ubi Carthusiani Majorevensis testimonium e Columbio breviter memoravit, ita subjungit: « Alter quoque anonymus Carthusianus, qui vivebat sub Elisario priore Carthusiæ circa annum 1360, et Chronicon ejusdem scripsit, sive potius præfatum (de quinque scilicet primis Carthusiæ prioribus) tractatum vel chronicon De exordio ordinis Carthusiensis continuavit et ampliavit, eamdem historiam iisdem verbis narravit, interjectis tamen aliquibus parenthesibus mutatisque hisce verbis, nempe *aula* et *ecclesia*. Nam ubi vetus auctor habet *in aula*, ille recens posuit *in ecclesia*; et ubi apud priorem fit mentio *ecclesiæ*, apud posteriorem legitur *sepulcrum*, unde patet scriptores plerosque circumstantias historiarum sæpissime accommodare ad usum temporis, quo scribunt. Hunc vero auctorem vidisse citatum illud Chronicon de oxordio ordinis Carthusiensis colligimus ex his verbis sub initium præfationis: « Et licet primi quin- « que priores hic inferius descripti in pluribus « Chronicis reperiantur, tamen successores eo- « rum, » etc. Cum dicit, « in pluribus Chronicis, » videtur etiam innuere, se habuisse tractatum Bosonis, cui præfatum Chronicon inseritur, ut diximus. » Ab hoc scriptore diversus non videtur, quem anno circiter 1390 scripsisse, Columbius in sua De Carthusianorum initiis dissertatione num. 54 docet. Carthusiæ priorum chronologus, aut, si res secus haberi inter scriptores Christianos, qui Parisiense doctoris redivivi prodigium memoriæ prodidere.

204. Horum modo ex Carthusiano nostro anonymo seriem prosequor. « Henricus Kalkar, doctor quoniam Parisiensis, prior Carthusiarum Coloniensis et Argentinensis, et per plures annos diversarum provinciarum visitator et commissarius, abdicatis omnibus officiis, cum se recepisset in solitudinem, inter plures, quos edidit, libros unum conscripsit « De ortu et progressu ordinis Carthusiensis, » cujus multa exemplaria asservantur in bibliothecis Coloniensis et Divionensis Carthusiarum, ac civitatis Basileensis et alibi. In hoc tractatu hujus damnati miserum exitium concisioribus comprehendit verbis, ut sequitur: « Sed ecce in tenebrosis, ex perfidia « maxime, illis ecclesiæ quassationibus... Dei mi- « sericordia nova lux per fidem ex exorta Parisien- « sibus, apud quos pro tunc concursus fuit studentium « omnium, quæ sub Christianissimo sunt, nationem; « de illo scilicet quatriduano mortuo, qui, factis pro « se una die funeralibus secunda die sepeliendus ad « justum se Dei judicium vocatum, tertia judica- « tum, quarta clamavit damnatum, prout hoc apud « Carthusienses communiter reperitur scriptum. « Hoc enim terribile factum et prodigiosum resur- « rectionem mortuorum, et futurum judicium au- « dientibus tunc et videntibus, quorum post hoc de « hoc in omnem terram exivit sonus eorum, fide- « lissime docuit exspectandum; suo horrore timo- « rem incutiens et terrorem omni homini pœni- « tentiam agendam statumque et vitam emendan- « dum. » Et post pauca: « Vir edim venerabilis « Bruno nomina, tunc præsens, animadvertens cla- « mores illos Parisienses non illi damnato ad sa- « lutem fuisse, sed sibi et aliis coaudientibus datos « pro mutatione status et vitæ, » etc. Hæc Kalkar, qui cum obierit octogenario major, hanc historiam jam didicerat, aut discere potuerat ante annum 1340, neque ut recens ab otiosis hominibus inventam, cum dicat, eam se enarrasse, prout hoc apud Carthusienses communiter reperitur scriptum id est apud Carthusienses, sive in Carthusiensium per Galliam, Germaniam, Hispaniam, Angliam et alias regiones domibus. Neque solum apud Carthusienses, sed et apud exteros quosque, quandoquidem inferius ostendemus, hanc historiam jam ab aliquot auctoribus Anglis scriptam fuisse ante annum 1370.

205. « Hermanus Steenkenius sive a Peira, patria Scutdorpæus, Henrici Kalkaris coævus, professus Carthusiæ Diestensis circa annum 1390, et deinde domus Trevirensis, prout hæc ferebant tempora, per multos annos vicarius monialium Brugensium, apud quas non sine sanctitatis opinione obiit anno 1428 in tractatu Super Oratione Dominica, quem Joannes de Westphalia typographus anno 1484 prælo excudit, de tanto spectaculo dat testimonium in hæc verba: « Similiter fuit de illo misero magistro « regente Parisiis in theologia, de quo legitur in « Chronicis Carthusiæ: « Qui cum esset magnæ « scientiæ, ac bonæ et sanctæ vitæ putaretur, obiit « circa annum 1082, ad cujus exsequias cum pene « universitas magistrorum et scholarum convenis- « set, et sepeliri deberet, clara voce, cunctis au- « dientibus, dixit: « Justo Dei judicio accusatus « sum. » Sequenti die multo pluribus congregatis « dixit: « Justo Dei judicio judicatus sum. » Quapropter reservatus usoue ad alium diem, cum tota civitas convenisset, dixit coram omnibus: « Justo Dei judicio condemnatus sum. » Ecce « qualiter « ille falso et solum apparenter lucens expulsus « fuit de luce sua ad veras tenebras. » Idem tractatus editus est Rothomagi anno 1512 per Richardum Ooupil; sed perperam auctor appellatur Arnoldus, quem ex chartis capitularibus ordinis constat appellatum fuisse Hermannum.

206. « Aymarus Savelli professus majoris Car-

thusiæ, cujus procuratorem egit per annos viginti et amplius, ab anno videlicet 1438 ad mortem usque, quam obiit anno 1459, toto hoc tempore plures libros, quos Recognitionum vocant, scripsit vel scribi curavit. Inter quos unus adhuc exstat scriptus anno 1455, in quo hæc nostra historia iisdem prorsus verbis, quibus habetur in veteri nostro auctore anonymo, exprimitur cum tali inscriptione ad frontem : « Quomodo ordo Carthusiensis habuit origi- « nem. » Statimque post enarratam historiam sequuntur litteræ fundationis Carthusiæ anni 1084. Unde putamus, natum errorem D. Polycarpi de la Rivière, inter auctores, qui hujusmodi prodigii meminerunt, easdem litteras recensentis, contra quem propterea, velut malæ in scribendo fidei hominem, Launoius paulo acrius invehi visus est.

207. « Dionysius Richelius, vulgo dictus Doctor extaticus, qui inter nos floruit ab anno circiter 1423, ad annum 1471, quo e vivis discessit, in tractatu, « De præconio sive laude Carthusiensis ordinis, » inter sua opuscula sæpius edito de causa nostræ institutionis articulo primo hæc habet : « Agnitum » plane atque famosum est miraculum illud resus- » citati Parisiis mortui, in theologia magistri, facie » tenus virtuosi, grandique morum venustate forin- » secus decorati, qui altera obitus sui die ac prima » sui resurrectione erigens se in feretro terribili » protulit apparatu : « Justo Dei judici accusatus » sum. » Porro sequenti die terribilius ait : « Justo » Dei judicio judicatus sum. » Tertia autem die ter- » ribilissima voce deprompsit : « Justo Dei judicio » æternaliter sum damnatus. » Cujus occasione pro- » digii ordo cœpit Carthusiensis. Vir quippe altæ » considerationis magister Bruno, » etc. Cum dicit Dionysius : « Agnitum plane, » addensque « atque famosum, » clarius sole indicat, nullum omnino fuisse dubium tunc temporis, quo vixit, nempe anno 1423 de dicto spectaculo, sed potius certissimum ac verissimum fuisse, cum illud ubique divulgatum esset ; hæc enim vocabula « agnitum plane, » et « famosum » significant. Quæ etiam congruunt his, quæ Henricus Kalkar, quem diximus supra jam claruisse anno 1340, dixerat, nempe hoc communiter reperiri scriptum apud Carthusienses.

208. « Bernadus de Egra, professus destructæ domus Lignicensis in Silesia, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ait Trithemius, dialogum composuit anno 1481 « De laudibus et miraculis beatæ « Mariæ Virginis, » impressum Lipsiæ anno 1493 statim post mortem auctoris ; in quo originem ordinis Carthusiensis enarrat fera, prout legitur in Chronico Carthusiæ, quod ab altero anonymo, sub Elizario florente, conscriptum diximus. Henricus Arnoldi de Alveldia, qui, per quinque annos notarii munere in Basileensi concilio perfunctus, nomen ordini dedit in Carthusia ejusdem urbis circa anno 1436, vixitque cum omni laude usque ad annum 1487, postquam regimen ejusdem domus annis triginta et amplius cum utriusque status maximo protectu tenuisset ; hic inter cætera suæ pietatis et doctrinæ monumenta, de quibus Petreius, reliquit etiam Vitam sancti Brunonis, quam quidem non vidimus, sed eam asservari in bibliotheca urbis Basileensis, et in ea fieri mentionem damnati hominis, testatur reverendus Pater Mabilonius in suo Itinere Germanico his verbis :

209. « In minori Basilea, quæ mojori jungitur » ponte Rheni sublicio, ante motus Helveticos in- » signis Carthusia exstabat, ex qua multi codices » in publicam illam, quam superius descripsimus, » bibliothecam transpositi sunt. Duos tantum no- » tare juvat, unum, qui Guigonis statuta continet, » alterum, qui vitam sancti Brunonis, incipientem » his verbis : « Quod sapiens, exhortationis gratia dicit. » In fine hæc leguntur : Frater Ludovicus » Moser, monachus professus hujus vallis B. Marga- » retæ Basileæ, ordinis Carthusiensis, hunc trans- » umpsit ex chalcographo Patris Henrici de Alveldia » ejusdem domus quondam prioris, anno 1486, 18 » die Aprilis, anno præfati Patris Henrici in ordine » Carthusiensium L. Hæc idcirco notare visum est, » quod id eo libello agatur de funere famoso illius » doctoris Parisiensis. » Hæc Mabilonius. Petrus Dorlandus, Henrici Arnoldi suppar, monachus integerrimæ vitæ, professus et olim vicarius Carthusiæ Diestensis, in qua et piissime defunctus est anno 1507, inter multas, quas posteris reliquit, elucubrationes, Chronicon Carthusiense, septem distinctum libris, scripsit ; quem noster Petreius notis illustratum vulgavit anno 1608. In eo hujus historiæ substantiam, mutato quidem stylo, retulit, sed nulla addita circumstantia, quæ differat ab iis, quæ reperiuntur in Chronico anonymi scribentis circa annum 1360, de quo supra. Nec etiam facit mentionem lectionis quartæ Vigiliarum pro mortuis, ut incaute, vel, labente memoria, credidit Launoyus. »

210. Atque hi ordinis Carthusiensis scriptores sunt sæculo sexto decimo antiquiores, a quibus prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim memoriæ proditam invenio ; hisce autem Dorlandus, ut ut sæculo sexto decimo jam currente vita functus, idcirco recte etiam annumeratur, quod sæculo anteriori præcipue floruerit, eaque, quæ de Brunone habet, litteris tunc verosimilime consignarit. Porro fuerunt etiam, qui prodigiosæ doctoris Parisiensis anastasis historiam adjunctis, quæ apud scriptores antiquiores jam recensitos non sunt, auxerunt, hosque deinde sacri ordinis Carthusiensis scriptores duo, Puteanus videlicet et Blomenvenna, qui sancti patriarchæ sui vitam sæculi sexti decimi initio ex instituto descripserunt, suut secuti. An recte, ex dicendis patescet, Blomenvennæ verba, quo ex hisce, facta cum anonymi antiquioris num. 199 et seq. jam datis collatione, quænam illa adjuncta sint, pateat, modo huc transcribo. Sic habent. « Factum est, dum optimis his studiis vir venerabilis Bruno insudaret temporibus S. Gregorii VII Romani ponti-

www.libtool.com.cn

ficis et Henrici IV imperatoris circa annum salutis nostræ octogesimum secundum supra millesimum, cum in Parisiensi civitate solemne floreret studium, æque scholarium multitudine atque copiosa caterva doctorum solemnium adundans, ut tale in ea horrendum memorandumque sæculis cunctis eveniret spectaculum. Quidam enim solemnis doctor inter cæteros doctores præcipuus, scientia et moribus excellenter ornatus, ac præ cæteris honoratus, gravi quadam infirmitate præventus, lecto decumbens vitæ suæ diem clausit extremum. Cui cum solemnes de more pararentur exsequiæ, ad eum honorandum convenit magistrorum, studentium et aliorum civium multitudo copiosa; quibus comitantibus et funus prosequentibus, defuncti corpus ad ecclesiam, in qua sepulturæ tradendum erat, delatum est, cumque ab invitatis ecclesiasticis, qui tum aderant, defunctorum solitum decanteratur officium, ventumque esset ad eam lectionem, quæ incipit. « Responde » mihi, » surrexit, qui erat mortuus, et, elevato paululum capite, resedit in feretro, cunctisque videntibus et audientibus ac præ novitate rei stupentibus alta et horrenda voce clamare cœpit: « Justo Dei ju- « dicio accusatus sum. »

211. « Quo dicto, iterum decubuit; hii vero qui hæc audierant et viderant, non modicum, nec immerito, territi, decreverunt, consulte quidem et provide, sepulturam ejus in crastinum differendam, rei exitum præstolaturi. Die itaque sequenti, cum tantum spectaculum jam fuisset in tota civitat vulgatum, ad dictam ecclesiam convenit maxima et quasi innumerabilis utriusque sexus populi multitudo, ubi reinceptis et inde continuatis exsequiis, dum ventum est ad præfatæ lectionis initium, idem defunctus, capite elevato, ut prius, clamare cœpit ac dicere: « Justo Dei judicio judicatus sum, » et, his dictis, intra feretrum iterum se recepit. Verum crevit admiratio non parva inter astantes, rem terribilem, supra quam credi potest, stupentes. Quia tamen ex his nondum facti fuerant de ejus reprobatione certi, cum verba illa, « accusatus suum, » et » judicatus sum, » possent etiam in bonam partem accipi, quasi ipse primo injuste fuisset ante tribuna. Christi ab eo qui perdere cuncta festinat, indebite accusatus, et inde justo Dei judicio ab ejus calumnicsa accusatione liberatus, cunctis placuit, et in sequentem tertium diem ejus sepulturam differri. Tertia itaque die factus est concursus nimius virorum et mulierum, ita ut pene tota civitas ad tam admirandum Dei judicium præstolandum confluereret. Et ecce, cum priori more exsequiæ continuarentur et fierent, surrexit tertio idem defunctus et ingenti mugitu ac desperabili voce, cunctis mortalibus metuenda, dixit: « Justo Dei judicio conde- » mnatus sum. » Hoc dicto, caput reposuit sempiterno absorptus interitu. Quæ vox tam stupenda et horrenda et a sæculo inaudita omnes, qui astabant, pene examines reddidit; qui tamen omnes eum, tanquam a Domino reprobatum, ejusque justo judicio, ut ipsemet testatus est, condemnatum, omni Ecclesiæ suffragio, nec non et ecclesiastica sepultura indignum judicantes, in sterquilinio sepeliri fecerunt.

212. « Verum cum in Parisiensi et cæteris vicinis ecclesiis quarta lectio in Agenda defunctorum incipiat sic: Quantas habeo iniquitates et peccata! etc., omissis prioribus dictionibus, scilicet: « Responde mihi », fertur a nonnullis, quod illæ dictiones fuerint ex tunc a lectione illa delectæ ob perpetuam et indelebilem pavendi judicii memoriam. » Narrationem hanc Puteanus in edenda Sancti Vita num. 4, et binis seqq. etiam exhibet et quidem iisdem prorsus verbis; quod mirum non esse, ex iis, quæ de Sancti Vita, a Blömenvenna contexta, § I, disserui, pronum est intelligere. Confer nunc hæc recitata Blömenvennæ, ac proin ex dictis etiam Puteani, verba cum verbis, ex quinque primorum Carthusiæ priorum Chronico num. 199 et seq. huc transcriptis, videbisque, in hoc doctoris Parisiensis historiam non iisdem, quibus apud Puteanum et Blömenvennam, adjunctis vestiri. Ac in primis quidem trinam doctoris anastasim vociferationemque Chronici dicti auctor in ecclesia factam scribunt; verum isthæc duorum horum scriptorum a Chronico discrepantia, utpote apud antiquiores etiam (ani Carthusiani anonymi verba, num. 203 huc transcripta (scriptores occurrens, infraque adhuc memoranda nos hic morari non debet. Sed ad duas alias sequentes animum adverte. Trinam e feretro vociferationem tunc, cum ad lectionem, cujus initium: « Reponde mihi, » in recitando defunctorum officio ventum fuisset, a doctore tantisper redivivo fuisse emissam, hujusque etiam corpus in sterquilinio fuisse humatum, Puteanus et Blömenvenna (adi hujus verba proxime recitata) tradunt; horum autem duorum adjunctorum quæ horribilem doctoris Parisiensis historiam comitata sint, nullam piane primorum quinque Carthusiæ priorum Chronicon (adi hujus verba num. 199 et seq. data) mentionem facit.

213. Quare, cum eorumdem scriptores antiqui alii, sive Carthusiani jam adducti, sive aliud quodcunque Vitæ institutum professi, qui infra memorabuntur, pariter non meminerint, e doctoris Parisiensis historia, ut ut etiam admissa ut vera, esse illa expungenda, existimo. Verum unde tandem bina illa adjuncta, quæ apud antiquos ex dictis nuspiam reperiuntur, Blömenvenna, seu potius, ex quo hic illa deprompsit, Puteanus hausit? Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymus operis sui num. 85 opportune ad institutum præsens sic scribit; « Bertholdus Remboldus typis Lutetiæ anno 1508 tradidit Vitam S. Brunonis, quam illius in divi Pauli epistolas commentariis præfixit. Hujus Vitæ auctor anonymus historiam damnati fuse descripsit; Sed primus omnium evulgavit, hominem illum ad verba ista: « Responde mihi » voces suæ damnationis emisisse.

www.libbol.com.cn

Quod tamen non plane asserit, sed tantum dubitando addita hac parenthesi, « si qua narratis fides « adhibenda sit. » Noster vero Sutor, qui eodem tempore vivebat, paulo post suum De Carthusiana vita tractatum edidit, eorumdem verborum meminit quidem, « sed, inquit, quemadmodum scriptores « nonnulli meminerunt, cæteris hoc tacentibus. » Certe omnes, quotquot superius auctores prodidimus, id tacuerunt. Qui vero fuerint, apud quos Sutor hujus adjuncti mentionem lengerit, non habet. Inter eos tamem censemus fuisse præfatum Vilæ sancti Brunonis auctorem anonymum. » Alterum itaque e binis supra dictis adjunctis primo memoratum invenitur a duobus sæculi sexti decimi scriptoribus, quorum alter cum non asseverando, sed dubitando duntaxat loquatur, satis indicat, auctores apud quos hoc adjunctum legisset, magnæ nec antiquitatis, nec auctoritatis fuisse; alter vero, cum auctores, apud quos illud invenisset, non nominet, facere non potest, ut hosce supra recensitis, qui ejusdem adjuncti non meminerunt, multo recentiores non fuisse putemus.

214. Jam vero, cum id ita sit, manet, præfatum adjunctum apud scriptores antiquiores, qui ferale doctoris Parisiensis spectaculum vel omnium primi, vel etiam proxime post hosce in litteras misere, non inveniri. Nec est, cur hic opponas Theodoricum, abbatem Trudonopolitanum, qui, quemadmodum nonnulli aiunt, in libro, « De sacra temporum ratione » inscripto, ita memorat: « Abhinc dierum nostrorum annis septem, Gregorio septimo primam cathedram occupante, cum essem Parisiis studiorum causa, rem vidi prodigiosam ac omni memoria dignam, nec solus miratus sum, Deum laudans. Mortuus est clericus, nomine Raimundus Milleban, tribus diebus alternis eadem officii hora, qua dicebatur lectio, quæ sic incipit, « Responde mihi, » surrexit e feretro, et voce horribili clamavit: « Justo Lei judicio accusatus sum, « secundo: « Judicatus, » tertio: « Condemnatus; quo dicto, cessavit omnis clerus orare, et ab ecclesia protinus cadaver ejectum est, et asinina sepultura donatum; » hoc enim tam luculentum pro prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi testimonium, quod hanc, si Theodorici, oculati, ut verba recitata innuunt, rei gestæ testis, vere esset, extra omnem controversiam poneret, verosimillime, ne dicam indubie, commentitium est, uti infra ostendam. Quod modo ad assertam a Puteano et Blōmenvenna infausti doctoris in sterquilinio sepulturam pertinet, non dubito quidem, quin hanc illi ex auctoribus, ætatem suam prægressis, hauserint; verum posce vel e primos, vel etiam e primis proxime secutis, qui Parisiense doctoris redivivi spectaculum litteris commendarint, fuisse, nulla omnino ratio suadet. Atque ita ex omnibus jam dictis liquet, e duobus hic jam memoratis prodigiosæ doctoris anastaseos adjunctis, utcunque habeantur pro falsis, explodi hanc velut commentum seu fabulam merito a Launoio non potuisse, cum ut historia quælibet vera pronuntietur aut falsa, adjunctorum duntaxat, quibus a primævis ac omnium antiquioribus, non autem etiam eorum, quibus a post secutis scriptoribus pro arbitrio fuit vestita, ratio sit habenda.

§ XII. *Testimonia scriptorum, sæculo decimo sexto anteriorum, qui Carthusiensis ordinis non fuerunt, producuntur.*

Inter auctores qui ordinis Carthusiensis non fuere, atque ante sæculum sextum decimum Parisiensi doctoris redivivi prodigio testimonium præbuere, Cæsario Eisterbacensi, qui sæculo duodecimo senescente et sequentis initio floruit, primum locum concedit Annalium Carthusiensium libri quarti auctor anonymus. Verum cum ea duntaxat testimonia, quæ pro prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi, secutoque hinc, ut ejus biographi aliique scriptores antiquiores vel supra jam laudati vel infra mox laudanti memoriæ produnt, Sancti nostri in eremum secessu extra omnem controversiam militant, in medium hic producere sit fixum, reperianturque, qui Cæsario de Parisiensi doctoris redivivi prodigio sermonem non esse velint, scriptoris hujus testimonium, de quo tamen quid censendum sit separato § infra discutiam, hic modo non recensebo, uti nec supra memoratum, quod, etsi Theodorico, abbati Trudonopolitano, a nonnullis tribuatur, suppositium tamen, ut jam innui, commentitium que verosimillime esse, infra dicenda aperient. Prætereo hic etiam, quod ad Annalium Carthusiensium libri 4 auctore anonymo profertur testimonium, a libri infra memorandi, qui « De quatuor Paradisi fluminibus » inscribitur, auctore suppeditatum. Etenim secundum hoc prodigiosa doctoris Parisiensis anastasis non in Ecclesia aut publice coram innumera populi multitudine, sed privatim in defuncti ædibus coram paucis solisque hujus amicis evenit; hic autem ea duntaxat, quæ horendum illud prodigium publice factum perhibent, testimonia recenseri præsens institutem exigit. En modo, quæ huc spectant, ex Annalium Carthusiensium libro quarto hactenus non vulgato, sæpissimeque jam laudato descripta, una cum observationibus, quas iisdem libri illius auctor anonymus admiscuit.

216. « Exstat etiamnum, inquit hic, apud Montem-Dei crassum volumen, optima membrana conscriptum, contineus Vitas sanctorum, quod secum attulit ad Montem-Dei Joannes monachus abbatiæ sancti Arnulphi Metensis, qui circa annum 1324 habitum Carthusiensem induit. Sic inscribitur codex: « Vita » aurea super Legendas plurimorum sanctorum cum » quibusdam additionibus valde utilibus. » Et ad calcem litteris rubeis hæc de tempore scripti codicis leguntur: « Frater Joannes monachus Sancti Arnul- » phi Metensis, filius Bertrandi dicti Trancon, co- » gnominatus de Sancta Cruce, fecit fieri et scribi » istum librum, et fuit finitus anno Domini 1322 in » vigilia sancti Vincentii levitæ et martyris. Finito » libro, sit laus et gloria Christo. Amen. » In hoc

www.libtool.com.cn

igitur volumine historia damnati nominis sic describitur cum sequenti titulo, « Hic incipit, qualiter » ordo Carthusiensis fuit institutus. Sicut patres » nostri narraverunt nobis, fuit quidam magnus » clericus, regens actu Parisis in theologia, magni » nominis atque famæ non mediocris, qui ad ultimum » vitæ suæ perductus est, cujus amissione, utpote » tanti viri, magistri, cum alii clerici universi » præsentes non modicum contristati ad ejus exse» quias, prout moris est Parisiis, convenerunt; » omnibusque, quæ ad exsequias pertinebant, hono» rifice et rite paratis, ventum est ad hoc, ut de» functi corpus deberet poni in sepulcro, circum» stanti busque clericis, qui defunctus erat, clamavit » dicens : « Justo Dei judicio accusatus sum. »

217. « Quod audientes dicti magistri et clerici, et » non immerito stupefacti, inito consilio, retulerunt » corpus ad ecclesiam, in crastinum reservantes. » Sequentique die ex exsequiis iterum celebratis, cum » vellent ponere corpus in tumulo, iterum clamavit » mortuus et ait: « Justo Dei judicio judicatus sum. » » Tunc magis ac magis admirati dicti clerici, et » conquirentes inter se quid agere deberent, dixe» runt quidam, quod judicium poterat sonare in » bono et in malo. Unde fuit commune consilium, » ut et usque in sequentem diem, qui defunctus » fuerat, intumulatus servaretur; quod et factum » est. Divulgatoque prædictorum rumore, sequenti » die convenit pene universa civitas. Et cum pone» rent defunctum in sepultura præparata, iterum » clamavit: « Justo Dei judicio condemnatus sum. » » Dicti autem magistri audito hoc verbo et tractatu » habito diligenti, dixerunt, eum esse damnatum. » Erat autem tunc temporis quidam canonicus Re» mensis, magister in theologia, nomine Bruno, » magnæ sanctitatis et profundi sensus, qui, attente » rem auditam considerans, vocavit quosdam de » scholaribus suis secreto et ait illis : « Ecce, videtis, » ..,.quid agere debeamus. Si homo tantæ scientiæ, » tantæ vitæ, tantæ famæ, dicit se accusatum, ju» dicatum, condemnatum, quid nos sperare debe» mus, miseri peccatores? » « Cumque dicerent ei: » Magister, in omnibus parati sumus tuo acquie» scere consilio ; » ait: « Consulo, ut mumdum, et quæ » sunt mundi, fugiamus, et habitemus in solitudine » secundum illud : « Ecce, elongavi fugiens, et mansi » in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » Et incipiamus ordi» nem nobis pænitentiæ et securitatis. »

218. « Et addidit: « Est nobis quidam sanctus « episcopus in partibus Burgundiæ in civitate Gra» tianopoli, in cujus episcopatu sunt loca deserta, » et pene inaccessibilia, Eamus ad eum, et ejus » consilio omnia faciamus. » Venerunt igitur septem » unanimes et unius voluntatis. Cumque intrarent » prædictam civitatem, accidit, ut sanctus vir dictus » episcopus obdormiret in camera sua. Viditque in » somnis, et, ecce, septem stellæ cadebant ante » pedes ejus et postea ascendebant per diversos » modtes et multa deserta usque ad quemdam lo» cum horridum valde, et ab hominibus remotum: » steterunt autem ibi. Evigilante autem dicto epi» scopo, et de visione septem stellarum cogitante, » adest magister Bruno cum sociis suis. Cadentibus » autem dictis septem ante pedes viri sancti, confe» rebat in corde suo de septem stellis, nam ipsi » septem erant. Levavit autem eos benigne ad oscu» lum. Et, inquisita et diligenter intellecta qua » causa venissent, dixit eis: « Scio locum vestrum, » a Deo vobis paratum, » et duxit eos non sine grandi » labore ad locum, ubi steterant septem stellæ, et » ait: « Ecce locus vester. » Ibi igitur, ipso sancto viro » juvante, cœperunt ædificare primam domum or» dinis Carthusiensis, quæ domus Carthusiæ nun» cupatur. »

219. « Hæc ibi, quæ non discrepant a cæteris, sed notandum, quod sanctus Bruno dicitur secreto socios suos allocutus. Verisimile est etiam, hujus codicis auctorem vidisse Chronicon, a nostro anonymo » (adi verba num. 199 et seq. ex hoc transcripta, et num. 12 et binos seqq.) « editum circa annum 1220. Ante quinquaginta annos asservabatur in Carthusia Monsterolensi ms. codex ecclesiæ Longiprati Ambianensis diœcesis, in quo tunc historiam præfatam legit quidam monachus Montis-Dei. In hoc etiam cadice plurima metra Gallica una cum epistola seu tractatu De vita solitaria ad fratres de Monte Dei nomine Guillelmi continebantur. Hic autem codex datus fuit Carthusiæ Monsterolensi circa annum 1330, ut in eo legitur, « Par Messires Robert Ba» taille Canoene de Longpre en Santers as Chartreux » de Monstrevel. » Ex his liquet, hanc historiam sub initium sæculi quarti decimi fuisse notissiman, ac proin ejus originem antiquissimam fuisse ; nec enim verisimile est, eam eodem tempore tot in locis unanimi consensu fuisse excogitatam. » Hisce observatis, Carthusianus anonymus testimoniis jam adductis infraque adhuc adducendis picturas ac tabellas antiquas interserit, quæ cum ferale doctoris, damnatum se vociferati, spectaculum exhibeant, testimoniorumque loco hinc esse quodammodo queant, verba etiam, quibus in facit, proxime jam recitatis adjungo.

220. Sic habent: « Innocentius hujus nominis VI, summus pontifex, in refectorio Carthusiæ Villæ-Novæ, quam fundavit anno 1356, jussit depingi ortum et progressum ordinis Carthusiensis, incipiendo a sancti Brunonis et sociorum ejus conversione, ibique etiamnum inter alias tabellas una cernitur, exprimens illud expavescendum damnati hominis spectaculum. Etsi picturas et colores in hac hostoria contempserit et irriserit Launoius, non possumus præfatis tabellis non attexere precatorium librum, quo usus est Joannes, dux Bituricencis, Joannis regis Franciæ filius, natus anno 1340, et mortuus anno 1416. Hunc librum modo in Carthusia constituti præ manibus habemus, politis venustisque litteris, deauratis intersertis characteribus, exaratum, ac pluribus exquisito oleari subactus opere depictis

www.libtool.com.cn

imaginibus sparsim oriatum, inter quas octo visuntur, totam conversionis sancti Brunonis historiam exprimentes, ex quibus tres elegantissime triplicem damnati hominis anastasim repræsentant cum subscriptione triplicis vocis, accusationis scilicet, judicationis et damnationis. Quidam, qui librum non vidit, ut ejus picturæ testimonium antiquius luculentiusque redderet, scripsit, præfatum ducem non fuisse auctorem depingendi has imagines, quas ideo diu ante pictas credidit. Sed ingenue fatemur, eas non fuisse antiquiores ætate ejusdem principis, ut ex primo hujusce libri folio apparet, ubi sic scriptum legimus: « Ces heures fit fair tres-excellent » et puissant prince Jehan, fils de roy de France, » duc de Berry et d'Auvergne, conte de Poitou, » d'Estampes, de Bouloingne et d'Auvergne, » id est, « Hæc horæ precatoriæ compactæ sunt jussu » excellentissimi ac potentissimi principis Joannis, » filii regis Franciæ, ducis Biturigum et Arverniæ, » ac comitis Pictonum, Stamparum, Boloniæ et » Arveniæ. » Deinde nomen scriptoris sive pictoris subscribitur sic, « Flamel. » Cujus opus omnes, qui vident, mirantur, adeo ut locum mereatur habere inter egregios hujus temporis pictores. »

221. Redit modo ad scriptorum, qui ordinis sui non sunt, testimonia Carthusianus anonymus, itaque hæc recensere pergit: « Ranulphus Lygden, monachus in Occidentali Anglorum parte oriundus, qui vivebat anno 1363, inter plura, quæ scripsit, Polychronicon edidit, libros septem complectens, in quorum ultimo, capite 4 de sancto Brunone et causa conversionis ejus sic loquitur: » Bruno, Colonia Agrippina oriundus, litterarum » gratia Lutetiam, studiorum nomine tunc celeberrimam, se contulit. Ibi canonicus factus inter » professores locum tenuit. Præceptoris autem sui, « cui defuncto jam exsequiæ parabantur, voce, » quia, capite e feretro exerto, se damnatum querebatur, motus, in eremum quandam, sex aliis » eum comitantibus, egressus, vitam egit duram. A » loco quem incolebant, Carthusianorum ordini nomen inditum est, post annum sextum per Urbanum discipulum suum, qui jam Romanæ præerat » Ecclesiæ, revocatus suam ei in Ecclesiæ negotiis » præstitit aliquandin operam. Verum sacræ curiæ » laborum pertæsus, ad locum pristinum, rejecto » simul Risensi]Rhegiensi] archiepiscopatu, quem » accipere jubebatur, rediit. » Errat hic auctor, cum dicit, sanctum Brunonem canonicum Lutetiæ factum et post præstitam Urbano papæ operam ad locum pristinum, quo videtur intelligere Carthusiam, rediisse. Sed hujusmodi lapsus leves sunt, nec possunt ei fidem detrahere circa ea, quæ de damnati historia narrat. Hæc vero satis conveniunt cum narratione codicis Metensis, in quo (infra pluries memorando) infelix ille homo dicitur magister sive præceptor trium illorum, qui circa illius cadaver in orationibus pernoctaverant. Hujus auctoris verba non carpsit Launoius, quia non novit cum. Hæc autem habimus ante xx annos a Carthusia Villæ-Franchæ nostræ provinciæ Aquitaniæ. Utrum vero ex manuscripto codice, aut ex impresso auctoris tractatu, excerpta fuerint, fatemur, nos ignorare. »

222. « Per id temporis (sæculo nempe xiv) vivebat Joan. Iperius, Benedictinus abbatiæ S. Bertini Audomaropolitanæ diœcesis, qui in Chronico ejusdem monasterii agens de fundatione ordinis Carthusiensis, nostræ historiæ meminit. Hujus Chronici (exstat modo apud Marteneum tom. III Anecdotorum insertum) nondum (cum scilicet hæc scribebantur) typis excusi ipsissima verba, prout a R Patre Mabillonio nobis officiose transmissa sunt, hic subjicimus. « In studio Parisiensi quidam doctor in theo» logia valde solemnis obiit, ad cujus exsequias » multitudo magistrorum et scholarium convenit. » Et dum corpus defuncti in sepulchro poni deberet, » clamavit dicens: « Justo Dei judicio accusatus » sum. Stupentes magistri illud ad ecclesiam retule» runt. In crastino missa cum exsequiis iterum cele» bratis, dum tumulari deberet, iterum clamavit: « Justo Dei judicio judicatus sum. » Altero vero cras» tino, missis et exsequiis celebratis, dum in sepul» chro proneretur, iterum clamavit: « Justo Dei judicio » condemnatus sum. » Sic credentes, eum vere esse » damnatum recesserunt. Erat inter cæteros quidam » doctor solemnis, nomine Bruno, canonicus Re» mensis. Hoc eventu pavefactus quibusdam de scho» laribus suis ait: « Quid faciemus, cum homo tantæ » scientiæ dicat, se accusatum, judicatum atque » damnatum? » Quibus suo consilio stare spondentibus ait: « Mundum fugientes in solitudine inci» piamus ordinem pœnitentiæ. » In hoc proposito, » magister Bruno cum sex sociis concordis venit ad » Gratianopolim civitatem inter montana Bour» gondiæ. »

223. « In illa die vir sanctus illius civitatis epi» scopus vidit in somnis septem stellas cadentes » ante pedes ejus dehinc ascendentes et [*an* ad] deser» ta usque, ad quemdam locum horrendum, ab ho» minibus remotum, et ibi steterunt. Statim eodem » mane adest magister Bruno cum sociis, cadentes » ante pedes episcopi. Conferens vero episcopus in » corde suo de septem stellis, nam et ipsi septem » erant, benigne levavit eos ad osculum, et scita » causa, pro qua venerant, duxit eos ad locum ubi » steterant septem stellæ, dicens: « Ecce locus vobis » a Deo paratus. » Ibidem igitur, sancto episcopo » juvante, cœperunt ædificare primam domum or» dinis, quæ Carthusia nuncupatur. » Hæc ille, visionem sancti Hugonis paulo secus referens, quam legitur in ejus Vita, a nostro Guigone edita. Nec hunc auctorem novit Launoius. Obiit Iperius anno 1383. Sequitur Joannis Gersonnis, celeberrimi illustrissimæ Parisiensis academiæ cancellarii, auctoritas; quem Launoius putat primum de doctoris anastasi scripsisse. Verum cum ex supra dictis constet, eum (ex hæc scribentis scilicet, qui, quod ex supra dictis incertum, anno circiter 1220 quinque primorum

www.libtool.com.cn

Carthusiæ priorum Chronicon scriptum statuit, A Carthusiani anonymi opinione) annis jam ducentis et amplius ante Gersonis obitum, » qui anno 1429 contigit, « litteris fuisse mandatam, ruunt Launoii argumenta, quibus tanti viri testimonium dispungere nisus est. »

224. « Sed de eo iterum infra. Gersonis fere æqualis fuit S. Antonius, qui fuse hanc historiam describit. Hunc Sanctum Launoius asserit rem a Gersone traditam multis e suo marte auxisse. At contrarium patet ex verbis anonymi Carthusiensis, qui scribebat (quinque primorum nempe Carthusiæ priorum Chronicon) circa annum (adi, quæ huc faciunt, num. 12 et seqq. allata) 1220, superius citatis; a quo Antoninus videtur suam desumpsisse narrationem, mutatis tantum stylo et aliquibus verbis, ut B sunt ECCLESIA pro AULA, SEPULCRUM pro ECCLESIA, et aliis paucis similibus. Quod quidem ante eum fecerat alter anonymus, qui Chronicon Carthusiæ collegit circa annum 1360, ut suo loco jam annotavimus, Nihilque prorsus addidit S. Antonius præter sepulturam asininam. Oratio quoque S. Brunonis ad socios, quam Launoius carpit quasi a S. Antonino confictam, reperitur apud nostrum Bosonem, » aut certe (videsis dicta num. 8) apud tractatus De origine et veritate perfectæ religionis auctorem, « qui eam ex eodem anonymo mutuatus fuerat, ut etiam probare est ex codice Thuaneo, in quo tota describitur, prout in vetustioribus codicibus legebatur. Nec propterea cum Antonino carpendus venit ille vetus auctor, qui juxta morem multorum historicorum sanctum Brunonem descripsit suos alloquentem socios et ad mundi contemptum adhortantem, non equidem ipsismet beati Viri verbis, sed similibus, ut ipse profiteretur, sic scribens : « Erat ibi magister Bruno, » qui supradictis vocibus salubriter territus atque » compunctus, allocutus est quosdam socios suos, » ibidem præsentes, iis vel similibus verbis, » etc.

« 225. Post testimonium sancti Antonini (Launoius) addit, se præterire consulto Dionysium Carthusianum, Joannem Nauclerum, Hartmannum Schedelem, Polydorum Vergilium, Sixtum Senensem Gabrielem Prateolum et recentiores alios, quos asserit « nihil » ferme mutasse in narratione Antonini, licet al » quid in locutione mutarint. » Id quidem verum est D de Nauclero, Schedele et Prateolo, sed non de aliis. Nam Dionysius noster mentionem tantum facit de tribus diebus, quibus voces illas terribiles damnatus protulit, sed nihil habet de ecclesia, de sepultura asinina et de oratione sancti Brunonis ad socios, sicut nec Polydorus Vergilius, et Sixtus Senensis, qui paucis verbis dicunt, sanctum Brunonem cum audisset, quemdam suum amicum post mortem clamantem : « Justo Dei judicio damnatus sum, » hinc territum cum quibusdam sociis in locum desertum secessisse; in quibus certe tota rei continetur substantia, quam verissimam asserimus. » Subdit modo, qui hæc scribit Carthusianus anonymus, sæpissime laudatus, num 213 huc transcripta verba quibus in « S. Brunonis » Vitæ, quam Bertholdus Remboldus anno 1508 Lutetiæ typis vulgavit, auctorem anonymum quædam observat, ac deinde nonulla etiam in rem suam disserit de Theodorici abbatis Trudonopolitani, supra jam laudati, testimonio; quod tamen genuinumne, an suppositiium sit, sese dubitare, satis innuit; et merito sane, uti ex iis, quæ § sequenti in medium adducam, manifestum evadet.

§ XIII. *An scriptoribus, qui pro doctoris Parisiensis anastasi, hujusque adjunctis testati sunt, merito accenseri queat Teodoricus, abbas Trudonopolitanus.*

Carthusianus anonymus, qui Annalium Ordinis sui librum quartum hactenus non vulgatum contexuit, scriptores antiquiores, qui etsi Carthusiani non fuerint, testimonium tamen pro doctoris Parisiensis anastasi præcipuisque hanc comitatis adjunctis præbuere, in medium adducturus, operis sui num. 73 ita præfatur : « Expositis superius testimoniis ab auctoribus Carthusiensis professionis desumptis, ad testimonia transimus auctorum extraneorum, sive qui de Carthusiensi ordine non sunt. Inter quos referre possemus Theodericum abbatem sancti Trudonis ordinis sancti Benedicti, diœcesis Leodiensis, et ab eo seriem hanc inchoare, quia vixit circa annum 1100, et fuit coævus sancti Brunonis; sed eum nihilominus prætermittimus, quia opera ejus non vidimus, licet a viris fide dignis verba ejus sciamus relata, quibus hanc » infausti Parisiensis doctoris « historiam narravit. De eo tamen inferius, data occasione, fusius agemus. » Hæc ille; qui, quod in fine hic promittit, recitatis scriptorum nonnullorum extraneorum testimoniis, re ipsa etiam exsequitur, Operis sui num. 86 sic scribens : « Est et alius, qui primus dicitur horum verborum, » Lectionis scilicet quartæ, ad quæ infelix doctor primo se accusatum, secundo judicatum ac terlio tandem damnatum, responderit, initium in recitando de defunctis officio constituentium, « auctor et scriptor oculatus, nempe Theodoricus abbas sancti Trudonis qui vivebat circa annum 1100, vel ille, qualiscunque sit, auctor libri « De sacra ratione temporum, » in quo prodigium Parisiense... describi asserunt. » Verba num. 214 jam transcripta ideoque hic iterum non transcribenda, quibus hic in opere illo fieri asseritur, Carthusianus anonymus modo recitat, ac deinde ita prosequitur : « Si constaret de auctoritate hujus narrationis, nihil clarius aut certius proferri posset ad astruendam hujus historiæ veritatem.

227. « Primus qui Theodoricum in testem adduxit, fuit Joannes Galaudus sacerdos Tolosanus et doctor theologus qui pio, in ordinem Charthusiensem ductus affectu, Chronicon illius anno 1615 composuit. Quod cum typis morte præventus dare non potuisset, Carthusiæ Parisensi reliquit atque donavit. In eo opere, ubi de doctoris anastasi disserit, ad eam probandam duorum auctorum testimoniis usus est, videlicet Cæsarii Eisterbacensis, et Theodorici abbatis Sancti Trudonis in diœcesi Leodiensi, quorum

www.libtool.com.cn

ipsa verba, prout a nobis superius excripta sunt, ipse retulit, dicens de Theoderico, quod hæc verba habeat « in suo pereleganti volumine De sancta « temporum ratione ; » unde patet, Carthusianos hanc historiam non « novo cumulasse mendacio, » ut exprobrat Launoius in conclusione capitis quinti, quando ad eam confirmandam Bartholdo Nihusio Theodorici auctoritatem sub bona fide Galaudi, viri honesti et docti exibuerunt. Scimus tamen nec a Trithemio, nec a Possevino inter libros, a dicto abbate conscriptos, nominatim recenseri Chronicon at librum sub titulo « De sacra temporum ratione, » quem ei Galaudus ascripsit, nisi forsan contineatur sub hac generali Trithemii conclusione, « Multa alia scripsit, quæ ad me non pervenerunt. » Ut ut sit, fides maneat apud Galaudum, hujus textus primum exscriptorem, donec quid certius reveletur. » Hactenus Carthusianus anonymus sæpissime laudatus, merito sane existimans, nihil ad fidem indubitatam prodigiosæ doctoris Parisiensis anastasi conciliandam magis aptum accommodatumque, quam num. 124 huc transcriptum, si modo de hujus sinceritate constaret, Theodorici abbatis Trudonopolitani testimonium, posse afferri.

228. Ast suppositium illud esse, vero simillimum idcirco apparet, quod, quæ a veritate aliena sunt, Theodoricoque proinde, auctori synchrono juxta ac testi oculato, non congruentia, verosimillime complectatur. Res ex jam nunc dicendis patescet. Lectionem, quæ ab hisce vocibus, « Responde mihi, » inciperet, desumptaque proinde ex libro Job esset, in Parisiensi defunctorum officio Sancti nostri ætate fuisse, apertissime utique (adi num. 214) indicat ; verum Joannes Abrincensis episcopus in libro quem De officiis ecclesiasticis « S. Brunonis ætate conscripsit, hæc sequentia, Launoio, cui hac in re fidem a nemine negatam invenio, in sua De vera causa secessus « S. Brunonis » in eremum dissertatione cap. 3 testante, memoriæ prodit : in crastino omnium Sanctorum fiat festiva celebratio omnium mortuorum, in qua non dicatur hymnus aut invitarium. Bini clerici cantent unumquodque responsorium, duo regant chorum, duo cappati Gradale, quatuor cantent Tractum Matutinæ, et Heræ diei nullo modo prætermittantur, sed has ferialiter dictas Agenda mortuorum festiva sequatur. Prima dicta, tres psalmi, scilicet Ad Dominum, cum tribularer, Levavi, Lætatus sum, in tono dicantur, et, versu dicto, Kyrie eleison cantetur. Oratione Dominica finita, cum primo tantum cap. Requiem æternam, oratio sequatur. Eodem modo in cæteris, Horis exceptis et Matutinis. In Tertia Ad te levavi, Nisi quia Dominus, Qui confidunt. Versiculus erit, A porta inferi. In sexta, In convertendo, Nisi Dominus ædificaverit, Beati omnes. Vers. Non intres in judicium. In Nona, Sæpe expugnaverunt, De profundis, Domine non est. Versiculus, In memoria æterna. In Completorio, Deus misereatur. Deus in adjutorium, Domine exaudi orationem meam auribus. Versiculus : Requem ætarnam. »

229. Quibus in verbis nulla plane, quod bene notandum, Lectionum, qui tunc in defunctorum officio fuerint recitandæ, mentio occurrit. Ad hæc (teste Launoio eodem loc. proxime cit.) de Dagoberti regis anniversario, quod Adam San-dionysianu abbas. Sugerii successor, paulo post Brunonis obitum præscripsit, ad veteris Martyrologii calcem hæc verba reperiuntur : « Hæc eadem (quæ in Vesperis) et in Matutinis constituimus ; quatuor (cantorer) in cappis Invitatorium decantent, habitis primis et secundi Nocturni de Evangelio Lectionibus, ultima de vita ipsius et decessu sequantur. » Lectiones ergo, quæ in hoc de defunctis Officio recitatæ fuerunt, non ex libro Job, sed ex Evangelio erant depromptæ; quare, cum præterea, Parisiis in defunctorum Officio Sancti nostri ætate lectiones fuisse recitatas, nullo plane argumento, aliunde accepto, queat probari, id sane vel tunc non factum, vel eas aliunde quam e libro Job fuisse acceptas, ex Joannis Abricensis episcopi verbis, iisque, quæ ad Martyrologii veteris, a Lannoio laudati, calcem reperiuntur, verosimilius apparet. Jam vero cum id ita sit, testimonium de prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi supra huc transcriptum, quod Theodorici abbatis Trudonopolitani, nomine circumfertur, a vero verosimilius deviat, dum lectionem, quæ ab hisce vocibus, « Responde mihi, » inciperet, desumptaque proinde e libro Job esset, in Parisiensi defunctorum Officio Sancti nostri ætate fuisse, indicat.

230. Atque hoc primum est, in quo a veritate verosimiliter deflectit attributum Theodorico, abbati Trudonopolitano, testimonium. Aliud, in quo id eodem nævo verosimiliter etiam laborat, nunc habe. Theodoricum tunc, cum ferale doctoris redivivi spectaculum Parisiis accidit, studiorum causa ibidem fuisse versatum, diserte tradit. Verum præterquam quod, Theodoricum litteris unquam operam Parisiis dedisse, nullo prorsus queat antiquo erobatæque fidei monumento utcunque probari, a vero id alienum, e conscripto, quod apud Dacherium tom. VII. Spicilegii exstat, per Radulphum, proximum a Theodorico, de quo hic sermo, abbatiæ Trudonopolitanæ abbatem, Chronico Trudonopolitano apparet. Theodoricus enim, nti hic pag. 396 et binis seqq. docet, ad abbatiæ Trudonopolitanæ regimen in qua ab ineunte ætate educatus fuerat, monachumque deinde induerat, e Gandensi S. Petri monasterio, quo, illa miserum in modum turbis agitata, concesserat, ab Olberto Leodiensi episcopo, monachisque Trudonopolitanis, fratribus snis, anno 1099, seu potius, ut idem Trudonopolitanum Chronicon apud nos ms. habet, anno 1098 fuit evocatus, tuncque, cum id factum est, vir erat liberalibus artibus apprime imbutus, styli sive ligati sive soluti peritia nulli sui temporis secundus atque ad mediam ætatem, ut loquitur idem Chronicon, jam provectus.

www.libtool.com.cn

Jam vero, cum id ita sit, Theodoricus tunc, seu dicto anno 1098 aut, si mavis, 1099, quorum altero abbatiam Trudonopolitanam regendam accepit, quadraginta ut minimum annorum exstiterit, ac proin, cum monachum viginti annis nondum natus in eadem Trudonopolitana abbatia, in qua, ut dictum, a pueris educatus fuerat, verosimillime induerit, consectarium fit, ut id verosimillime fecerit ante annum 1082, quo, ut laudatum Trudonopolitanum Chronicon apud Dacherium pag. 369 fidem facit, Adelardus II, Trudonopolitanus abbas, e vivis excessit.

231. Atque id quidem longe adhuc verosimilius evadit ex eo,quod,Lanzone et Luipone post Adelardi obitum de abbatiæ præfectura, quod anno 1085 (adi Trudonense Chronicon pag. 370 et seq.) primum incepit, contendentibus, ad Gaudense S. Petri monasterium, ut idem Chronicon pag. 396 iterum docet, sese Trudonopolitanus jam monachus receperit, nulloque modo verosimile appareat,cum sub Lanzone, qui, agentibus Henrico Leodiensi et Herimanno Metensi episcopis, in Adelardi II defuncti locum, monachis omnino invitis, fuerat suffectus, monachicum habitum primum suscepisse. Jam vero, cum Theodoricus, uti sane ex jam dictis verosimillimum apparet) sub Adelardo II Trudonopoli monachum induerit, hocque Trudonopolitanam abbatiam abbatis munere gubernante, maxime in ea, ut Historiæ litterariæ Franciæ scriptores ex laudato Chronico Trudonopolitano tom.VII,pag.30 recte docent, litterarum studium floruerit, Theodoricum jam monachum Parisios tunc, ut ibidem litteris operam daret, e Trudonopolitano monasterio, in quo educatus litterisque adhuc puer fuerat eruditus, concessisse, seu ab abbate suo missum fuisse, neutiquam verosimile apparet,maxime cum præfatum Trudonense Chronicon nullius plane Trudonopolitani monachi, qui, Adelardo abbate, litterarum addiscendarum causa Parisios concesserit, mentionem faciat, nec, ut eum in finem abbatiæ Trudonopolitanæ alumni, utpote quibus domi a necessariis ad litteras discendas subsidiis abunde esset prospectum, Parisios sese conferrent,esset necessum. Atque ita quidem ex modo dictis habemus, Theodoricum, Adelardo II monasterii Trudonopolitani abbate, ante annum 1082, quo hic (adi iterum Chronicon Trudonopolitanum pag. 369) vivere disiit, Parisiis litterarum addiscendarum causa versatum verosimillime non esse. Verum anne eo post Adelardi obitum vel ipso dicto anno 1082, quo circiter prodigiosa doctoris Parisiensis anastasis evenisse narratur, vel sequenti sese eamdem ob causam non contulit?

232. Erit sane fortassis non nemo,qui id e Trudonopolitano Chronico jam sæpius laudato suspicetur; Herimannus enim, uti hoc lib. II et III memoriæ prodit, Metensis et Henricus Leodiensis episcopi abbatiæ Trudonopolitanæ, rejecto, quem hujus alamni abbatem e gremio suo elegerant, Gerardo, Lanzonem, Sancti Vincentii Metis abbatem, post Adelardi obitum anno, ut apparet, 1083 præfecerunt,hincque omnes fere Trudonopolitani monachi maxime irati, cum sese præterea in exsilium pellendos intelligerent, monasterium suum, aliis alio concedentibus, fuga dilapsi reliquerunt; unde Theodoricum Parisios tunc petiisse, suspicio potest oriri. Verum,quo hanc tollas, ipsummet etiam Chronicon Trudonopolitanum iis ipsis locis, quibus jam dicta narrantur, suppeditat. Ut res manifesta evadat, ipsa Chronici verba, quæ libro ejus II et III jam citt. huc spectantia occurunt, transcribo. Libri II itaquæ hæc sunt: « episcopi (Metensis nempe Herimannus, et Leodiensis Henricus) nec justæ petitioni nostrorum acquiescentes, nec Deum in se nostros persequi pro peccatis tam suis, quam nostris intelligentes, spreta nostrorum digna etectione et quæ reprobari non poterat aliqua regulari objectione, sicut jam dudum deliberaverant...stupentibus oculis monachorum, introduxerunt in monasterium nostrum Lanzonem quemdam de cœnobio sancti Vicentii Metis abbatem... Die vero capituli convenerunt in chorum ad Vesperas omnes confratres nostri, vestientes chorum formosis viris magnarum personarum et eruditis apprime in omnibus Officiis ecclesiasticarum institutionum.

233. « Felix quidem ecclesia tot et talibus et tantis viris, si non iratum habuisset Deum Patrem, si pro peccatis suis vel iram ejus scivisset portare in humilitate cordis et contritione carnis. Sed quid moror? Eamdem nocte intelligentes ab amicis,quod sequenti die violenter et contumeliose contruderentur in exsilium, si in claustro essent uniti, pavore dissoluti (ut est humana natura et maxime formidolosa simplicitas monachorum) fuga sibi consuluerunt. Unus tantum eorum Luipo nomine,exsilio sibi magis quam fuga, electo, transmissus est Leodium; sub Berrengario abbate apud sanctum Laurentium paucissimi vero cum abbate Lanzone remanserunt, Gerardus scilicet præpositus, ille nostrorum electus, nec non et Blingerus, Herimannus quoque senior cum alio Herimanno nepote suo, atque Eugo paulo post missus est Metis in exsilium,cæterorum plurimis per Flandriam et Angliam,Daciam et Saxoniam regnum quoque Theutonicorum dispersis. Pars minima, habitu sibi retento, per diversa cœnobia hospitabantur, par maxima, nihil sibi de monacho retento,presbyterorum more per diversas parochias vagando ferebantur. Sed et Leodii et Coloniæ post iræ Dei super locum nostrum pœnitentiam et redditam nostris miserationis suæ gratiam vidimus nonnullos eorum inter clericos sub clericorum habitu consenuisse in ordine canonicorum Leodii in monasterio Sanctæ Crucis, nec non Sancti Johannis Coloniæ in monasterio Sancti Georgii; libri tertii vero ista: Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo secundo obiit abbas Adelardus II, octavo Idus Decembris; tertio vero Idus Aug. capitulum actam est super confratres nostros a duobus episco-

pis, Herimanno scilicet Metensi et Henrico Leodiensi, qua nocte dispersi sunt omnes confratres nostri præter paucos, quos superius nominavimus. »

234. Etsi ergo, uti ex his verbis liquet, post obitum Adelardi II abbatis sui omnes fere Trudonopoitani monachi e monasterio suo fuga dilapsi alio secesserint, hosque inter Theodoricus, utpote paucis, qui apud Lanzonem abbatem Trudonopoli manserunt, a Radulpho hic non annumeratus, verosimillime exstiterit, Parisios tamen illum tunc non concessisse, ex iisdem jam recitatis verbis concludendum apparet, utpote quibus inter regiones diversas, ad quas tunc profugi Trudonopolitani monachi sese contulere, non Gallia, in qua Parisiensis civitas sita est, sed Flandria duntaxat, Anglia, Dacia, Saxonia et Alemannia recenseantur. At vero, inquiet non nemo, quo ergo Theodoricus, cum plurimis aliis e Trudonopolitano suo monasterio post Lanzonem in id inductum profugus, sese recepit? Trudonopoli haud procul substitisse illum existimo. Etenim e Trudonopolitanis illis monachis, quibuscum Theodoricus Trudonopoli tunc discessit, exstitere nonnulli, qui non ita dudum post, assentiente Lanzone, ad monasterium suum rediere. Ita iterum colligitur e Trudonopolitano Chronico, quod apud Dacherium tom. Spicilegii cit. pag. 370 de Luipone, Trudonopolitano monacho, exsilium, in quod, Lanzone jam Trudonopolitano abbate, pulsus fuerat, adhuc patiente, sic habet: « Qui (Luipo) cum per omnes, quos utiles sibi fore existimabat, per ipsum quoque imperatorem apud abbatem Lanzonem omni humilitate ageret, ut receptus in claustro suo, quo nutritus fuerat, odine, quo et alii, venire posset, nullo modo impetrare valuit.» Quibus verbis aliisque sequentibus innuitur, eo tempore seu, uti ex ejusdem Chronici loco proxime cit. apparet, anno 1085, quo Luipo, ut ad Trudonopolitanum suum monasterium redire sibi fas esset, impetrare fuit conatus, alios nonnullos ad id Trudonopolitanos monachos, qui inde, non quidem in exsilium pulsi, sed fuga dilapsi discesserant, fuisse jam reversos; hi autem utpote ad monasterium, quod deseruerant, haud ita dudum post, uti etiam e Chronici Trudonopolitani loco proxime laudato apparet, reversi, regiones procul dissitas, cum fuga inde sesse subduxere, adiisse non videntur, ac proin nec Theodoricus, utpote qui ex iis unus exstiterit, uti pronum est eruere ex eo, quod, Lanzone postea et Luipone mox memorato de abbatia Trudonopolitana contendentibus, Gandavum inde ad S. Petri monasterium sese receperit, quemadmodum iterum apud Dacherium tom. Spicilegii cit. pag. 369 et seq. Chronicon Trudonopolitanum docet.

235. Verba, quibus id ibidem facit, aliaque nonnulla, hisce eodem loco adjuncta, quod pleraque, de Theodorico ad præsens institutum jam dicta, hausta ex iis sint, huc transcribo Sic habent: « Quærebatur ergo (cum jam scilicet Trudonopolitanæ abbatiæ, diuturnis dissensionibus ad incitas fere redactæ, subvenire decrevisset Olbertus, (Leodiensis episcopus) diligentissime, si quis superesset de filiis nostræ ecclesiæ, cui idonee committi posset cura subveniendi matri suæ. Aiunt fratres nostri, nec non clerici et laici, qui eum cognoverant, qui Gandæ in monasterio sancti Petri moraretur unus de nostris fratribus, nomine Theodoricus, qui a loco nostro recesserat sub contentione abbatum Lanzonis et Luiponis. Hic si posset extrahi inde, idoneus illis videtur ad regendam abbatiam, quoniam Theutonica et Gualicana [Walonia] expeditus, liberalibus artibus egregie eruditus in prosa et versu nulli esset suo tempore secundus, dulci et altissima sonorus vocalitate, brevis, sed pulchra persona, mediaque ætate, qui etiam fratrum suorum infirmitabus melius sciret compati, tanquam a puero illis connutritus, et qui viderat et audierat mala, quæ passi erant in suis tribulationibus.» Ita laudatum Chronicon. Jam vero, cum Theodoricus, uti ex omnibus jam dictis intelligitur, Parisios, sese, cum Adelardus II, Trudonopolitanus abbas, anno 1082 obiisset, non contulerit; brevi autem, postquam monasterium suum, inducto in id anno 1083 Lanzone, deseruisset, e vicino loco, quo secesserat, Trudonopolim fuerit reversus, ibidemque, ut apparet, cum Lanzone ad annum usque 1085, quo, orta hunc inter et Luiponem contentione, Gandavum sese ad S. Petri monasterium recepit, fuerit commoratus, consectarium fit, ut Parisiis anno circiter 1082, utpote ante hunc studiorum causa ibidem etiam, ut supra docui, non versatus, verosimiliter non studuerit.

236. Quod ut evidentius fiat, imo Theodoricum Parisiis nunquam studuisse pateat, omnia ejus ab ineunte ætate ad illud usque tempus, quo Ganda revocatus abbatiam Trudonopolitam gubernandam accepit, gesta hunc in modum compendio et ordine expono. Puer adhuc in monasterio Trudonopolitano pro temporum illorum more fuit educatus ac litteris addiscendis admotus, cumque deinde factus ætate grandior monachis ab Adelardo II abbate fuisset ascriptus, litteris animum ad annum usque 1082, quo hic vivere desiit, in monasterii sui schola, quæ tunc ex dictis maxime florebat, perrexit excolere. Adelardo deinde anno 1082 vita functo, monasteriique regimini Lanzone, invitis monachis, admoto, cum plurimis ex his Trudonopoli excessit, cumque deinde e loco haud procul, ut apparet, hinc dissito, quo sese receperat, ad monasterium, assentiente Lanzone abbate, fuisset reversus, contentioque hunc inter et Luiponem anno 1085 esset exorta, Gandavum, relicto, iterum monasterio, concessit, ibique in S. Petri abbatia commoratus est ad annum usque 1099 seu certe 1098, quorum altero hinc Olberti Leodiensis episcopi litteris evocatus monasterium Trudonopolitanum abbatis munere gubernandum accepit. Talia sunt Theodorici ad tempus usque, quo hoc factum est, gesta, quæ sane, ut Theodoricum Parisiis unquam ac nominatim anno circiter

www.bibliotheca-bruno.de

1082 studuisse credamus, permittere non videntur. Jam vero, cum id ita sit, testimonium num. 214 huc transcriptum ac Theodorico attributum, quo istud astruitur, suppositium commentitiumque verosimile est, quale etiam ob alia, quæ jam dictis adjungo, apparet.

237. Testimonium illud ante sæculi proxime elapsi initium seu ante annum 1615, quo a Galaudo sacerdote laudatum fuisse, Carthusianus anonymus verbis supra huc transcriptis affirmat, ipsosmet Carthusianos latuisse videtur, uti etiam damnatum doctorem appellatum fuisse Raymundum Malliban seu Milleban, aut, ut alii volunt, Raymundum Diocrem. Fas est id colligere vel ex solo Petræo, Carthusiæ Coloniensis alumno, qui suis in primum Chronici Carthusiensis, a Dorlando contexti, librum Elucidationibus, anno 1608 excusis, § particulari studiose inquirit, « Cur damnati ac ter infelicis doctoris istius (qui scilicet sese damnatum Parisiis e feretro proclamarit) nomen litterarum monumentis consignatum non sit. » Ne vero hic errasse arbitreris Petræum Petrus Sutor, Carthusiæ Parisiensis prior, anno 1537 e vivis sublatus, cujus opus de vita Carthusiana anno 1609 typis Coloniensibus lucem primum aspexit, lib. hujus primo, tract. 1, cap. 3, ita scribit: « Fatemur ingenue nullum doctoris illius (Parisiensis damnati) nomen per nos adductum esse, quod nullum sit litterarum monimentis, quod viderimus, proditum; itaque non fingere novum, sed incognitum tacere voluimus.» Nec est cur hic opponas S. Brunonis Vitam ms., a Carthusiano anonymo per verba num. 209 recitata jam laudatam, quæ in bibliotheca Basilensi asservatur, annoque 1486 ac proin diu ante sæculum sextum decimum conscriptam, etsi enim in hac, ut in Operum Launoii auctorum ac illustratorum tom. II, part. II, anno 1731 Coloniæ Allobrogum excusa pag. 376 inferiori hujus margine notatum invenio, sequentia hæc verba: « Contigit circa annum Domini 1082 Parisiis prodigium horrendum in quodam magistro, cui secundum quosdam nomen erat Raymundus, » scripta inveniantur, Raymundi tamen nomini additum aliud, quo et Diocres, aut etiam Milleban, ut ascriptum Theodorico abbati Trudonopolitano testimonium prodit, fuerit vocatus, infelicem doctorem Parisiensem habuisse, consectarium inde non est, meritoque proinde illud vel pro supposititio vel pro admodum suspecto potest haberi, nisi forte liber, e quo a Galaudo depromptum dicitur, in lucem proferatur, proque genuino Theodorici fetu habeatur.

238. Verum quo hic loco, cujusve in bibliothecæ angulo servatur? Unde illum, aut, si mavis, illuis exemplar, e quo verba num. 214 recitata excerpserit, Galaudus sibi comparavit? An bibliothecam, personamve, a qua pretiosum hujusmodi monumentum secum fuerit communicatum, in conscripto a se Carthusianorum Chronico uspiam declarat? Omnia hæc anonymus, e quo solo fere, quæ de Galaudo jam dixi, discere licuit, Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor in obscuro relinquit. Indicat quidem Galaudum virum honestum ac doctum fuisse; verum quis hinc asserat, acuti adeo judicii hominem exstitisse, ut nec ab impostore decipi, nec opus, quod Theodorico esset suppositum, pro vera hujus lucubratione accipere potuerit? Fatendum interim est Bertholdum Nihusium aut, si mavis, Carthusianos, qui ei, quod in datis ad Andream Saussæium, didascalicæ hujus epistolæ anno 1645 impressæ, præfixis litteris laudat, testimonium Theodorici Trudonopolitani abbatis exhibuerant, perperam ob illud, seu citatum seu exhibitum a Launoio in dissertatione de vera causa secessus S. Brunonis in eremum, cap 5, § 3 mendacii insimulari; id enim et a Nihusio citari, et huic a Carthusianis e Galaudo acceptum exhiberi bona fide potuit. Sed alia modo huc spectantia, quæ Carthusianus anonymus recitatis num. 227 verbis non inclusit, discutiamus. Testimonii, quod Theodorico, abbati Trudonopolitano, attribuitur, diversa diversis e locis submissa exemplaria penes nos exstant, unum autem hæc inter in capite præfert sequentia hæc verba: « Andreas Quercetanus (Du Chesne) in Fragmentis Historiæ lib. IV citat ms. monasterii S. Theodorici prope Remos, cui titulus est De Ratione temporum, ubi legitur; » quibus præmissis testimonium, num. 214 huc transcriptis verbis conceptum, subjungitur, ac deinde in fine pro clausula additur « Hæc ibi. »

239. Cum primum in hoc testimonii, Theodorico ascripti, exemplar incideram, recitatis, quæ ei præfixa videbam, verbis excitus Historiæ Francicæ Scriptorum Andræ Quercetani seu Chesnii librum quartum avide arripui, totumque a capite ad calcem sedulo excussi. Sed en! pag. 162, qua sola in toto illo Chesnii libro seu tomo liber ms. monasterii S. Theodorici prope Remos, cui titulus est « De ratione temporum » citatur, fragmentum historicum suppeditatur, in quo, uti id inspicienti patescet, ne apex quidem vel de prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi, vel de pulso ex hac in eremum S. Brunone occurit. Hinc intellexi, verborum, quæ proxime recitavi, descriptorem significantum hisce voluisse, testimonium, Theodorico abbati Trudonopolitano attributum, non libro seu tomo IV Chesnii quem laudat, sed ms. « De temporum ratione » libro, e quo fragmentum historicum in tomum illum Chesnius intulit, esse inscriptum. Verum nec id veritati consonum existimo, quod res hæc, si ita haberet, a pluribus aliis scriptoribus memorata verosimillime inveniretur, nec tamen memorata ab ullo hactenus a me inveneri potuerit. At vero sunt, uti ex notitiis, quas ad manum habeo, disco, qui in Trudonopolitani diœcesis Leodiensis monasterii bibliotheca jactatum Theodorici, id olim abbatis munere moderati, de Sacra temporum ratione librum, in quo hic pro prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi testimonium num. 214 recitatum præbeat, asservari affirmant, addentes etiam, mirum nemini

www.libtool.com.cn

debere accidere Martenei et Durandi, ordinis S. Benedicti scriptorum, in Itinere suo litterario, ubi de illa ordinis sui abbatia ejusque bibliotheca agunt, de libro illo silentium.

240. Ita pronuntiant, quod bini hi scriptores librorum mss. omnium, qui in Trudonopolitanæ abbatiæ bibliotheca servantur, cognitionem perfectam non habuerint, uti ipsimet declarant, operis cit. tom. quidem primo scribentes, Trudonopolitanam bibliothecam esse satis bonam, librisque mss. sat insignibus instructam; tom, autem secundo tradentes, sese, cum ad abbatiam Trudonopolitanam iterum accessissent, librosque hujus mss. denuo scrutari vellent, obtinere id ab abbate non potuisse. Hinc, etsi etiam ms. illum de sacra temporum ratione librum in Trudonopolitani monasterii bibliotheca latere, ægerrime in animum possem inducere, in rem tamen, ne quid, quod ad conversionis S. Brunonis causam indagandam possit conducere, neglexisse viderer, sedulo in quirendum duxi, meque ad monasterium Trudonopolitanum, si modo asservatos in hujus bibliotheca libros mss. scrutandi facultatem mihi impertiendam scivissem, conferre paratus, enixissime, ut hæc mihi concederetur, per amicos petii ; verum, uti ea Marteneo et Durando, ita et mihi fuit negata. Præfatum interim librum in Trudonopolitana abbatia non reperiri, aut certe in eo supra huc transcriptum pro prodiriosa doctoris Parisiensis anastasi testimonium non contineri, litteræ inde scriptæ suadent; quas inter etiam una est, ab ipsomet abbate anno 1745 exarata, in qua hic sic scribit: « Recordor me a paucis annis ad petitionem Reverentissimi domini abbatis sancti Laurentii idem transumptum (testimonii scilicet, Theodorico abbati attributi) vidisse, et diligenter tunc inquisivi, si in authentico invenire potuissem, sed nusquam reperi in Chronicis Theodorici abbatis, unde apparenter transumptum esse potest, »Jam vero, cum nec liber ille, uti ex litteris, post rem diligentissime examinatam ad me scriptis, disco, in abbatia S. Victoris prope Parisios, in qua tamen illum asservari notatum etiam inveneram, reperiatur, testimonium Theodorici abbatis, quod illi includi a nonnullis asseritur, pro omnino commentitio ex omnibus jam dictis videtur habendum.

§ XIV. *Cæsarii Eisterbacensis testimonium recensetur, et quid de hoc sit censendum, statuitur.*

241. Anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor, in medium adducturus Cæsarii Eisterbacensis pro propigiosodoctoris Parisiensis anastasi testimonium, ita præfatur: «Primus,.. inter extraneos, apud quem hujus prodigii narrationem legimus, se offert Cæsarius Eisterbacensis ordinis Cisterciensis, qui jam florebat anno 1188, id est, quinquaginta circiter annis post mortem primorum Patrum ordinis Carthusiensis cum sancto Brunone institutorum; aut saltem primo ab obitu sancti Brunonis sæculo, inquo et vixit viginti circiter annis ; » ac deinde Cæsarii verba, testimonium illud complectentia, transcribit, prolixeque, quo id Parisiensi prodigio suffragari probet, contra Launoium disserit. Verba ejus omnia, ne quid de argumentorum, iis inclusorum, vi detraxisse videar, huc transcribo, ad calcem etiam nonnulla, quæ in hæc observanda duxero, adjecturus. Sic itaque habent: «Hic (Cæsarius Eisterbacensis) in suo opere, quod, in libros duodecim ad formam dialogi digestum, «De illustri« bus miraculis et historiis memorabilibus, quæ ante « vel circa sua tompora contigerant in Germania, « Italia et Gallia, prænotavit, libro XI, qui De Morientibus, inscriptus est, hoc spectaculum his prorsus verbis exponit : « Fuit in regno Franciæ cleri« cus quidam nobilis et dives, quæ duo sæpe homi« nes extollunt, malisque vitiis subjiciunt ; qui cum « mortuus esset et in feretro positus, multitudine « populi circumsedente, tam ex clericis quam ex « laicis, ipse se erexit, cunctis audientibus, in hæc « verba prorumpens : » Justus Judex judicavit, judicatum condemnavit , condemnatum tradidit in manus impiorum. « Quibus dictis, se « reclinans iterum non obdomivit, sed de requie « transivit ad laborem, de deliciis ad miseriam. »

242. «His Cæsarius paucissimis verbis expavescendum damnati hominis spectaculum perfecte repræsentat utrique conformiter narrationi, quam superius tum ex anonymo Carthusiensi, tum ex codice (infra plus semel hic memorando) collegii Metensis descripsimus, ita ut nulla sit quoad rei substantiam inter eosdem auctores discrepantia, imo nec in ipsis circumstantiis repugnantia ; unde neminem fore arbitramur, qui judicet eamdem non esse narrationem ; quantumvis reclamet Launoius. Magni proinde ponderis est hoc testimonium, a perantiquo scriptore datum, summæ auctoritatis viro, pietate, et doctrina celeberrimo, quem Coloniensis archiepiscopus Henricus de Molenarck, sub quo vivebat, solum ex sensatissimis Germaniæ elegit, qui prædecessoris S. Engelberti archiepiscopi et martyris vitam nobili stylo exornaret, Cujus et operum ejus merita paucis, sed gravibus succidisque verbis sic commendat cardinalis Bona : « Cæsarius Eisterbacen« sis ordinis Cisterciensis, in Historiis memorabili« bus pius, verax et simplex.» Quem etiam post obitum miraculis claruisse, scribunt Cirtercienses. Cæsarii validissimam auctoritatem ut eluderet Launoius historiam sic ab eo relatam conatus est probare esse diversam ab ea, quam S. Antonius narravit Sed vane desudavit ille conferendo narrationem S. Antonini cum narratione Cæsarii, quasi S. Antonius primus illam evulgasset. Nam revera id, quod recenset Cæsarius, concordat cum chronicis antiquis Ordinis superius citatis, quæ ducentis et quinquaginta fere annis ante Antonium, et eodem tempore quo vivebat Cæsarius, digesta sunt.

243. « Verum quia S. Antoninus non multum differt a Chronicis ; videamus nunc, si mutua illa contentio, quam Launoius Antonini inter et Cæsarii narrationes vult reperiri, tanto sit, ut una dici me-

www.libtool.com.cn

rito debeat diversa ab altera, ac proinde subruat totius historiæ veritas. Sic igitur utramque aggreditur Launoius. « Imprimis, » inquit ille, « Cæsarius « non designat certum tempus, quo suum prodigium « evenerit; Antonius vero designat annum ipsum, « quo suum prodigium acciderit, » Sed in hoc vel minimam inter utrumque auctorem discordiam quis lector quantumvis sagax deprehendet? Certe si Cæsarius certum tempus a tempore, quod designat Antoninus, diversum et ab eodem multum remotum designaret, in hoc quidem appareret contentio; sed cum tempus sileat, nihil Antonio contrarium profert, ac proinde utriusque narrationis substantia eadem remanet. Huic præterea et sequentibus Launoii objectionibus unico possimus responso satisfacere, si dicamus, quod verissimum est, Cæsarium hanc historiam compendio tantum attigisse. Unde non mirum, si multas tacuerit postea ab Antonio relatas circumstantias. « Deinde « addit Launoius, Cæsarius non definit certum in « regno Franciæ locum, Antoninus vero certum in « regno Franciæ locum definit, id est, Lutetiam. » Similis priori objectio, quæ simile meretur responsum, nempe nullam ibi reperiri inter utrumque auctorem contrarietatem; quæ reperiretur, si Cæsarius Hispaniam, Italiam vel aliquam aliam regionem sive regnum definivisset. At dixit ille, quod hoc prodigium in regno Franciæ acciderit; Antoninus vero, quod Lutetiæ, quæ est in regno Franciæ, Itaque quod Cæsarius omiserat, B. Antonius supplevit. Et huic par est cruditissimi Andreæ Saussæii ad probandum eamdem esse narrationem optima ratiocinatio, quantumvis dure in eam exclamet Launoius, « O miserabile effugium!

244. « Cæsarius de clerico quodam nobili ac di- « vite sermonem habet; Antonius vero quemdam « eximium doctorem describit. » Hæc verba, CLERICUS et DOCTOR, aliquid inter se discriminis prima specie videntur habere, sed quæ facile conciliantur. Viros enim litteratura et eruditione conspicuos sæpe dictos fuisse clericos, variis docemur exemplis. Apud Ordericum Vitalem lib. III: « Clericus cogno- « minatus est, quia peritia litterarum aliarumque « artium apprime imbutus est. » In historiam episcoporum Eystetentium: « Iste Joannes episcopus « magnus clericus in jure canonico fuit. » Joannes quoque Birellius, prior Carthusiæ, ab Innocentio VI, sui eum obiisse audierat, « Clericus mundi » appellavisset, ut ad annum 1360 videbimus, non solum quia ipsa perfectus monachus (monachi enim aliquando etiam clerici dicti sunt), sed maxime quia tam in divina scientia, quam in humana superiorem habebat neminem, Ergo Cæsarius et Antoninus sibi invicem non adversantur, cum ille clericum, hic vero eximium doctorem, infelicem hominem dixerunt. Sed instat Launoius ut sequitur. « Cæsarius « indicat clericum suum nobilitate ac divitiis in « hominem superbum evasisse, Antoninus vero « eum significat doctorem, qui magna scientiæ et « probitatis existimatione floreret. » Hæc objectio non majoris est ponderis, quam præcedentes. Nihil enim ex ea concluditur, aut concludi potest ad demonstrandam vel minimam inter has duas narrationes differentiam. Non enim Cæsarius, qualis esset ille clericus, an superbus, malisque vitiis subjectus exponit; sed quod esset « nobilis et dives, « quæ duo sæpe homines extollunt, malisque vitiis « subjiciunt, » Et hæc non repugnant communi narrationi, quæ hominem istum describit « eminentia scientiæ et probitate vitæ et maxima fama « pollentem, » sed tantum juxta ea quæ exterius apparebant. Quam ob rem codicis Mettensis auctor putat eum damnatum ob vitium vanæ gloriæ.

245. « Ab hac objectione ad quintam transit Launoius, quam sic exponit: « Cæsarius Parisiensem aca- « demiam hic ne verbo quidem attingit; Antodinus « vero illam prædicat. Et tamen Cæsarius ille multis « in locis et Parisiensis academiæ et rerum in Pari- « siensi academia gestarum meminit. » Deinde multiplices ex Cæsario citationes Launoius colligit, in quibus Cæsarius fecit mentionem academiæ Parisiensis. Sed ad quid hæ citationes? Sicut enim ostendimus non recte concludi narrationem Cæsarii aliam esse ab Antonini narratione, eo quod ille non definierit certum in regno Franciæ locum, quem hic definit; ita nec ullam dissonantiam importare potest silentium Cæsarii de academia Parisiensi, quam Antonius prædicat. Sed ad alias Launoii objectiones diluendas properemus. « Cæsa- « rius aperte significat clericum suum uno eodem- « que tempore dixisse: Justus Judex judicavit, ju- « dicatum condemnavit, condemnatum tradidit in « manus impiorum. Antoninus vero diserte asserit « doctorem suum tribus distinctis diebus locutum « esse. » Jam vidimus supra, ex citatis auctoribus Carthusiensis ordinis quosdam scripsisse, hanc trinam vocem a damnato prolatam fuisse uno eodemque die, quosdam vero tribus distinctis diebus. Sicque Cæsarii verba concordant cum primis; Antonini vero cum ultimis; nec propterea duæ censendæ sunt narrationes diversæ, cum in re conveniant. Præterea non ita aperte, ut vult Launoius, Cæsarius significat, clericum suum uno eodemque tempore locutum esse; non enim distincte exprimit, quod hæc verba simul et semel vel tribus distinctis vicibus, sed summatim tantum; quod hæc pronuntiavit: quæ sunt: eadem quoad sensum, quæ Antoninus doctorem suum pronuntiasse testatur, non quidem iisdem prorsus verbis, nec eodem modo dicta, sed aliis idem significantibus; ita ut nulla sit in essentia rei contrarietas, nec diversitas nisi tantum quod Cæsarius, brevitati studens, rem non tam fuse ac late curavit exprimere.

246. « Notandum etiam auctorem codicis Metensis, de quo supra, trinam illam damnati vociferationem iisdem fere verbis expressisse, quibus et ante eum usus fuerat Cæsarius. Porro quot et quantæ similes differentiæ in sacris Scripturis occurrunt, etiam

www.libtool.com.cn

inter sanctos evangelistas, rem eamdem diverso narrantes modo, quos propterea sibi invicem contrarios non solum dicere, sed et cogitare crimen esset? Cæsarius non scribit, « clericum suum has voces « omisisse, dum statutum ab Ecclesia pro mortuis » officium celebraretur; Antoninus vero id omnino » scribi. » Quis non miretur talem a Launoio, viro sensato et docto, objectam diversitatem? Verum est, nec negare possumus Cæsarium manifestam non fecisse mentionem Officii mortuorum. Sed quis inficias iret, eum illud innuisse, quod scripsit, quod defunctus ille « in feretro positus esset, multitudine « populi circumsidente tam ex clericis quam ex » laicis? » Cæsarius neutiquam significat « utrum » clericus ecclesiastica sepultura privatus fuerit, » necne; Antoninus vero aperte significat. » Neque id etiam significarunt citati auctores Carthusienses; ergo et ipsi sunt Antonino contrarii; ergo et eorum narratio diversa est ab Antonini narratione. Quis hoc cogitaret? « Cæsarius non dicit Brunonem » Carthusianæ religionis auctorem spectaculo, quod » narrat, interfuisse; Antoninus vero dicit «specta» culo, quod describit, Brunonem Carthusianæ reli» gionis auctorem interfuisse. » Sed tacuit Cæsarius, quia forsan nescivit, sanctum Brunonem interfuisse spectaculo; nam duobus tantum annis post illud patratum in Carthusiam secessit. Vel, si scivit Cæsarius, noluit tamem dicere, quod a suo proposito alienum esset. Nam propositum ejus erat, varia de morientibus exempla proponere, non conversiones, sive ordinum institutiones explicare.

247. « Deinde sancti Brunonis conversio non facta est in publico, sicut nec constat, utrum illud spectaculum in ecclesia, vel in aula defuncti (quod tamen verisimilius est) coram multis, vel paucis hominibus evenerit. Neque etiam conversio Brunonis facta est eodem instanti, quo dictum spectaculum, sed intra privatos parietes, et diu post illud peractum, ut constat ex citatis auctoribus. Unde nec a nemine, qui dicto spectaculo interfuerat, perspici potuit. Antoninus vero id dixit, quia sic scriptum legit et narratum audivit. « Cæsarius non affirmat, » ex suo spectaculo Brunonem instituendæ religio» nis suæ occasionem cepisse; Antoninus vero affir» mat. » Hæc Launoii objectio non est diversa a præcedenti; sed in duo divisit, quod simul et semel dici poterat, ut, quod solidis rationibus non poterat, multis saltem verbis conaretur obruere. Huic igitur objectioni factum est satis ex responsione superiori. Quid enim mirum, si Cæsarius, qui de Brunone nullam fecerat mentionem, instituendi ordinis Carthusiensis occasionem etiam tacuerit propter easdem rationes, quas superius tetigimus? « Cæsarius non « tradit prodigium suum Parisiis contigisse; Anto« ninus vero tradit. » Hæc etiam objectio eadem est ac secunda; quod enim hic dicit Launoius, idem superius secundo loco dixerat, mutatis tantummodo vocabulis et modo loquendi. Imo et utraque objectio quintæ multum similis est. Unde patet Launoii anxium nimis in exaggerandis hujusmodi differentiis studium. » Postremo Cæsarius nihil habet de toto « illo lectionis quartæ Vigiliarum pro mortuis ne« gotio, quod post Antonini tempus ab anonymo « Vitæ Brunonis scriptore tractatum est. » Sed nec Antonimus aliquid habet de toto illo lectionis quartæ negotio; ergo non differt a Cæsario. Nec etiam veteres Carthusienses, ut hujus lectionis quartæ et verborum « Responde mihi » meminerunt. Ergo nec ipsi Cæsario sunt contrarii.

248. « Præterea Launoius Cæsarii auctoritatem conatur deprimere auctoritate clarissimi ac reverendissimi viri Nicolai Coeffetei, Parisiensis theologi, qui in responsione ad mysterium iniquitatis dicit, Cæsarii Dialogos fabularum esse plenos. Sed cum Coeffeteus suam sententiam tantum confirmet Conradi Gesneri, hominis Zuingliani, judicio, ut ipse fatetur Launoius, cardinali Bonæ, viro æque pio ac docto, potius credimus qui Cæsarium laudat, tanquam in historiis memorabilibus veracem. Nec immerito, cum ipse Cæsarius se nihil finxisse sanctissime juret, dicens: « Testis mihi est Deus, nec » unum quidem capitulum in hoc Dialogo me fin» xisse. » Coeffetei itaque et Gesneri auctoritatibus præferimus auctoritates illustrissimi Saussæii, et Jacobi Breullii pietate et doctrina insignis, et aliorum qui de Cæsario honorificentius judicaverunt, et præsertim eximii sacræ theologiæ doctoris, et ad S. Gereonem Coloniæ canonici Tilmanni Bredembrachii, multis et scientiæ et virtutum titulis spectabilis; cujus studio et labore in lucem sunt edita multa veterum scriptorum monumenta; qui etiam recognoscendis expurgandisque Cæsarii Dialogorum libris multum laboris posuit, in lucem eos emissurus, ni, cum jam pene ad calcem pervenisset, ad cœlestia fuisset evocatus. At ne tanti viri pia studia perirent, effecit inter alios Jacobus Fischerus, sacræ theologiæ doctor, qui, quod ille incœperat, perfecit, et in sua præfatione Gesneri de Cæsario calumniam probe refutavit.

249. « Denique Launoius in conclusione capitis tertii suæ dissertationis Saussæium virum eruditum, quasi ridiculum prosequitur, quod in Cæsarii narratione substantiam rei ab ejus circumstantiis dixerit esse distinguendam, hancque Saussæii distinctionem contra fas omne insulse Launoius retorquet in Joannam Papissam. Sed cum profiteamur injuriam injuria non propulsare, lectoris judicio relinquimus, num optitima sit hæc disputandi ratio ad asserendam veritatem et quoscunque auctores, diversimode rem eamdem describentes, conciliandos. Verum Saussæio imponit Launoius, dicens eum in eo posuisse rei substantiam, quod Cæsarius « prodigium » actum in regno Franciæ, nec suo tempore actum referat. » Nam minime illud Saussæius dixit. Postquam enim totam Cæsarii narrationem retulit, addit: « Hæc Cæsarius qui substantiam rei, de qua » sermo est, patenter comprehendit in descriptione » ista. » Sic igitur dicens Saussæius, monet qui-

www.libreria.cam.com

dem, substantiam rei in Cæsarii descriptione reperiri sed in quo consistat, non explicat. Deinde statim de circumstantiis subdit: « Qua (descriptione) etsi non » omnes adæquate circumstantias eat expressum, » cum annum non consignet, nec specialem Galliæ » locum, quibus ista quæ refert evenerunt. « Et eæ sunt circumstantiæ, etiam a Launoio notatæ, quas Saussæius summatim in Cæsarii descriptione perstringi asserit, cum paulo post dicit: « Nihilominus » totum dicit (Cæsarius) cum id actum in regno » Franciæ asserat, nec suo tempore, sed ante, per verbum FUIT, satis evidenter significet. » Igitur per hæc verba : « Totum dicit, » etc., intelligit Saussæius circumstantias illas, quas paulo ante dixerat a Cæsario non esse « adæquate expressas, » cum annum non consignet, nec specialem Gal- » liæ locum, » etc. Hic est verus ac sincerus Saussæii verborum sensus, quorum ordinem Launoius invertit, ut ea commodius in suam sententiam detorqueret, faciliusque lectori persuaderet, Saussæium substantiam rei in eo posuisse, « Quod Cæsarius » prodigium actum in regno Franciæ, nec suo » tempore actum referat. »

250. « Sub finem ejusdem conclusionis capitis tertii rursum Launoius Cæsarium, sive potius Carthusienses ex Cæsario aggreditur, cum ex eodem Cæsarii tractatu duo a se deprompta exempla integre describit, ex quibus vult « otiosos homines unum » conflasse prodigium, quod Carthusianorum initium » tale, quale nunc » excutit, sive excutere nititur, » fingendi causam præbuisse » contendit. Unum est cujusdam canonici Parisiensis, qui post mortem suam et honorificam sepulturam amico apparens se damnatum nuntiavit, eo quod vera sibi morienti contritio defuisset. Alterum est historia illa, quam Launoius superius probare conatus est diversam esse ab Antonini narratione. Quis non miretur Launoii astutiam ? Duo jungit quæ magnam habere similitudinis affinitatem asserit, ut subtilius oculos mentemque lectoris perstringat. Sed constanter negamus aliquam inter duo illa exempla intercedere similitudinem præter commune utrique homini damnationis infortunium : aut « otiosos homines ex his duobus prodigiis, sive etiam ex uno tantum causam secessus sancti Brunonis finxisse progressione temporis, ut vult Launoius ; quandoquidem anonymus ille Carthusiensis [anonymum illum Carthusiensem], qui primus rem scriptis mandavit, ipso Cæsarii tempore vixisse, superius probavimus, a quo non vero a Cæsario, alii Carthusienses citati ejusdem historiæ narrationem mutuati sunt. » Hactenus Annalium Carthusiensium libri quarti auctor laudatus, in quem nunc nonnullas obervanda.

251. Recte itaque imprimis contra Launoium contendit, e diversis adjunctis, quæ narrationem de defuncto, qui sese damnatum, e feretro proclamarit, ab Antonino, se potius, e quo hic illam hausit, a primorum quinque Carthusiæ Priorum Chronici auctore anonymo suppeditatam, afficiunt, atque a narratione, de defuncto, qui pariter sese damnatum e feretro vociferatus sit, a Cæsario exhibita, absunt, merito argui non posse, vel narrationem Antonini seu anonymi cum substantia narrationis Cæsarii pugnare, vel prodigium, quod hujus argumentum est, a prodigio, quod illa ob oculos ponitur, indubie esse diversum. Quid enim magis obvium, quam facta historica invenire, a diversis scriptoribus relata, quæ, quamvis eadem sint, adjunctis tamen ab uno, quæ ab alio subticentur, sint ornata ? Nec est cur id mirum videatur, cum non raro fiat, ut rem, quam alter fuse, nullis plane ejus, aut certe paucis duntaxat, adjunctis omissis, exposuit, alter compendio tantum referat, omnibus fere adjunctis nudatam. Imo vero ne quidem ex adjunctis inter se pugnantibus nec ulla ratione in concordiam vocari natis argui semper potest, narrationes, in quibus hæc occurrunt, circa res versari diversas. Constantinum Magnum imperatorem, ut militari signo, in crucis modum efformato, in exercitu adversus Maxentium præliaturo uteretur, divinitus in somnis monitum fuisse, Firmanius Lactantius apud Baluzium lib. II Miscellaneorum, pag. 37 memoriæ prodit. Idem etiam facit in Vita ejusdem Constantini lib. I, cap. 29 Eusebius. Verum in tempore, quo visio illa Constantino fuerit oblata, binos inter scriptores illos minime convenit. Eam enim Lactantius cum nocte, commissam die 27 Octobris anni 312 ad pontem Tiberis pugnam, in qua Maxentius interiit, proxime prægressa, conjungit ; Eusebius vero iis, quæ lib. de Vita Constantini cit. capp. 28, 29 et 37 scribit, non obscure indicat, tunc factam, cum Constantinus adhuc in Galliis esset, necdumque Alpes in Maxentium arma moturus, trajecisset, ac proin aliquanto temporis spatio ante dictam noctem. Pugnant ergo Eusebius et Lactantius in adjunctis, et tamen, duas horum scriptorum narrationes circa diversas Constantino oblatas visiones versari, certum non est.

252. Juliani Apostatæ in bello interitum referunt scriptores æquales aut subæquales diversi ; sed quot hunc eventum adjunctis sese inter pugnantibus exordani ! Ad hæc, ut etiam ex ipso, quod hic tractamus, argumento exemplum adducam, horrendum doctoris damnati prodigium publice coram ingenti hominum multitudine contigisse, scriptores § XI et seq. recensiti, affirmant ; privatos autem id intra domus defuncti parietes evenisse, Codicis Metensis auctor infra laudandus tradit ; at quis propterea prodigium, quod hic narrat, a prodigio, quod illi referunt, dixerit esse diversum ? Etsi itaque, tres a doctore Parisiensi vociferationes, quarum prima hic se accusatum, secunda judicatum ac tertia damnatum declararit, tribus diebus diversis fuisse emissas scriptores proxime laudati etiam memorent, clericumque suum seu doctorem simul et semel ac proin uno eodemque die se judicatum, condemnatum atque in

www.libtool.com.cn

» manus impiorum «traditum,» Cæsarius, ut Launoius vult, tradere videatur, prodigium tamen, quod hic narrat, a prodigio, quod illi recensent, diversum non certo est. Neque tamen cum illo certo etiam est unum atque idem. Columbius in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione num. 64 sic scribit: » Istud... (a Cæsario scilicet relatum) prodigium nonnulli faciunt idem Parisiensi, de quo nunc agimus; alii vero negant: ego neque idem illi, neque ab eo diversum asserere nunc velim. Certe non additur a Cæsario compulisse Brunonem et socios ad eremum; id autem unum illud est, quod fecit, ut de Parisiensi nunc agerem. Malim asserere et omnino istius loci res est, adversarium (Launoium nempe) non debuisse scribere sequentia in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione pag. 145: « Cesarius Cisterciensis narrat duo, » quæ Carthusianorum initium tale, quale nunc excu- » timus, fingendi causam otiosis hominibus præbue- » runt. » Cum enim duorum alterum sit illud ipsum, quod modo retuli, hominis in regno Francorum redivivi, seque Dei judicio damnatum exclamantis, non video, cur otiosi homines ad Parisiense fingendum debuerint adjungere canonici Parisiensis, qui post paucos a morte dies se sine corpore videndum homici valde familiari præbuit.

253. « Scilicet canonicus his nihil habuit commune seu cum redivivo Parisiensi, de quo nunc sermo est, seu cum alio, qui, cum parabatur conditorio, redditus fuit vitæ in regno Francorum, » Ita ille: et merito quidem prodigium, quod a Cæsario narratur, cum prodigio Parisiensi, quod a quinque primorum Carthusiæ Priorum Chronici auctore ac deinde ab Antonino memoriæ proditum fuit, unum idemque non certo esse, contendit. Ast an recte simul contra Launoium adjungit, postremum hoc prodigium e prodigio, quod a Cæsario refertur, alteroque Parisiensis canonici, qui amico post mortem apparens, damnatum sese nuntiaverit, ob otiosis hominibus conflatum non esse aut confictum? Ita vel idcirco autumo, quod ad illud fingendum, si fortassis reipsa pro fabula seu figmento sit habendum, solum prodigium, a Cæsario relatum, suffecisse queat, concurrisseque etiam alterum illud Parisiensis canonici, nulla ratio suadeat, imo potius contrarium suadeat dissimilitudo quam maxima hoc inter et Parisiense, quo Bruno in eremun pulsus fuerit, prodigium intercedens, quæ tanta est, ut nihil fere ambo illa prodigia habeant commune, quemadmodum consideranti patebit. Porro etsi, ut jam dixi, verbisque etiam mox recitatis Columbius innuit, Parisiense, quo sanctus in eremum pulsus fuerit, prodigium cum prodigio, quod Cæsarius refert, unum atque idem non certo sit, unum tamen ab altero distinctum non esse, verosimile idcirco apparet, quod utriusque eadem sit subsantia, hominem scilicet, qui vita functus erat jamque in feretro positus, damnationem suam tantisper redivivum astantibus denuntiasse. Nec obstat utriusque prodigii adjuncta invicem discrepare, cum hæc a substantia, quæ tam uni quam alteri e duobus hisce prodigiis secundum jam dicta est communis, distinguenda sint, uti infra ostendam. Atque hinc jam fit ut ex prodigio, quod Cæsarius narrat, aliud illud, quo Sanctus noster in eremum secesserit, utcunque confirmetur.

254. At vero ipsammet Cæsarii narrationem in dubium revocat Launoius, nec sane immerito. Quidquid enim contra afferat verbis supra recitatis Carthusianus noster anonymus, Cæsariusque a sinceritate, qua in scribendo usus est, commendari mereatur, peritiores tamen modo critici omnes consentiunt, credulum nimis cum fuisse, utpote qui in suis duodecim Dialogis non satis accurato criterio veras historias a falsis secreverit, et interdum nugas set fabulas, quas unecunque corrasit, sine ullo prorsus delectu inseruerit. Stiltingus noster tom. I Septembris in Vita B. Margaretæ Lovaniensis virginis et martyris pag. 590, nun. 44, opportune ad institutum præsens sic scribit: « Quod spectat ad fidem hisce Actis (B. Margaretæ scilicet a synchrono Cæsario lib. VI Dialogorum cap. 34 conscriptis) adhibendam, non eadem forsan omnium erit sententia, nisi diligens fiat dictinctio inter varia ab eodem auctore narrata. Quippe fuit Cæsarius vir pius et doctus quidem, sed pro tempore, quo vivebat, simplex et credulus; atque ex eo fit ut Dialogi ipsius non careant narratiunculis quibusdam, quæ pro fabulis leguntur hoc tempore; verum non recte judicabimus, si idem plane de omnibus feramus judicium, quia multa narravit, quæ a verisimilitudine non sunt aliena, quæque exacte nosse potuit, quod iis et loco et tempore esset vicinus, Itaque cum suspicio mendacii non cadat in Cæsarium, virum utique pium et sincerum, cumque in rebus tam vicinis, quam eidem erant spectantia ad Margaretam, nullum fere sit errandi periculum fidem in hisce negare non possumus Cæsario, ejusque auctoritas omnibus aliis, qui serius scripserunt, hic videtur præferenda. Qua de causa elogium beatæ nostræ, quod ipse concinnavit, primo loco edam, uti posteriorum narrationibus præferendam. »

255. Cæsarius itaque etiam secumdum Stiltingum, qui tamen, uti ex ipsis ejus verbis satis liquet, crisi minus severa, licet sane æquissima, in scriptorem hunc utitur, fidem indubitatam prodigio, quod verbis num. 241 huc transcriptis narat, conciliare non potest, cum id. si reipsa unquam locum habuit, et diu ante Basarii ætatem, et in Gallia, monasterio Eisterbacensi minus vicina, factum esse debeat; hicque scriptor (vide Stiltingi verba proxime recitata) fidem indubitatem in iis, quibus et tempore et loco vicinus haud fuit, non mereatur. Recte itaque illud a Launoio in dubium revocatur ob infirmam, cui innititur, Cæsarii auctoritatem, Attamen, cum unum atque idem, ut jam docui, verosimiliter sit cum Parisiensi, quo Bruno in eremum pulsus fuerit, prodigio, hocque ab anonymo, qui sæculo tertio decimo floruit, primorum quinque Carthusiæ Prio-

www.libtool.com.cn

rum Chronici auctore litteris sit mandatum, falsitatis equidem, utpote in duobus sic saltem sæculi XIII scriptoribus fundatum, minus suspectum videtur habendum, nisi forte quis velit, aut a proxime laudato Carthusiæ Priorum Chronici auctore, aut ab altero, e quo hic sua hauserit, e relato per Cæsarium, quod nunquam acciderit, prodigio Parisiense illud aliud, quo Bruno in eremum actus fuerit, acceptum fuisse, adjunctisque pro arbitrio confictis auctum. Atque hoc quidem ut æstimaret, propensus etiam fuisse Nabillonius videtur.

256. Etenim in Annalibus Benedictinis lib. LXVI, num. 64 sic scribit: «Aliam istius secessus (S. Brunonis in eremum) causam post annos minimum ducentos quidam attulere auctores, nimirum Brunonem, dum Parisiis in scholis versaretur, prodigio redivivi canonici, qui se damnatum vociferatus sit, perterritum in eremum secessisse, et adjunctis sibi sociis Carthusiensium Ordinem instituisse, Quæ narratio, variis subinde aucta circumstantiis, sancto Antonino, ipsique Gersoni, solidæ doctrinæ ac pietatis viro, probata, non mirum si bona fide a totius sacri ordinis alumnis admissa est et asserta sit, cui Cæsarius Eisterbacensis videtur prælusisse.» Ita ille: an autem Cæsurius Parisiensi, quo sanctus fuerit conversus, prodigio reipsa præluserit, hujusve fingendi occasionem otiosis ingeniis dederit, cuique ex infra dicendis dispiciendum relinquo. Ut interim e Cæsario haustum hoc esse, vehementius quis suspicetur, moveri potest ex eo, quod scriptor hic sæculi tertii decimi initio indubie floruerit, anonymus autem primorum quinque Carthusiæ Priorum Chronici auctor ante annum circiter 1250 suam hanc elucubrationem, in qua Parisiensi prodigium refert, verosimilius non elaborarit, uti ex iis, quæ § 1 diserui, satis liquet. Quod si porro certum foret, prodigium, quod refert Cæsarius, evenisse, idque a prodigio Parisiensi, quo Bruno in eremum pulsus fertur, non esse diversum, Carthusianorum sane, hinc causam conversionis sancti patriarchæ sui repetentium, sat verosimilis appareret opinio, etsi interim Cæsarius, Brunonem prodigio, quod narrat, in eremum actum fuisse, non edicat. Atque hinc est, cur potissimum, non an causa conversionis sancti fuerit, sed an veritati consonet Parisiense prodigium, inquirendum sit; qua de re quæ tandem mea sit opinio, tunc edicam, cum post jam relatos scriptores antiquos, qui testimoniis suis prodigio suffragantur, recensuero etiam scriptores antiquos, qui silentio suo eidem videntur officere.

§ *XV. An quid contra anastasim, qua doctor se damnatum publice denuntiarit, ex silentio vel S. Brunonis, vel Guigonis, vel Guiberti de Novigento possit confici.*

157. In rebus historicis argumento negativo vim non modicam frequenter inesse, peritiores omnes critici modo admittunt. Unum hic omnium loco attulisse sufficiat Muratorium. Hic Anecdotorum tom. II, cap. 21, sic scribit: «Sed jam quosdam mihi reponentes audire videor, hanc argumuntandi rationen. enervatam plumbeamque esse, quippe argumento, ut logici appellant, negativo nil potest probari. Ita fortasse respondeant, qui ecclesiasticam eruditionem neque a limine salutarunt, totumque cerebrum tricis scholasticis devovere. Nam quantum roboris argumento negativo insit, tum luculentus hac de re tractatus prodit, tum universa eruditorum respublica quotidie experitur. Et quo pacto, amabo, commenta, fabulæque explodi atque exsibilari possent, quæ in posteriorum temporum historias irrepsere, nisi antiquiorum silentium pluris, quam imperita audaxque recentiorum loquacitas penderetur? Affirmant hi ad arbitrium suum gestaque a temporibus suis remotissima somniant; illi vero ne volam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicturi sane, si earum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci sinemus?» Hæc generatim Muratorius de argumenti negativi vi, quæ quanta subinde sit, uti etiam qui et quando locum habere queat, pronum erit ex jam nunc dicendis eruere.

258. Cum plura, eaque etiam natatu dignissima, quæ litteris consignata non reperiantur, nec forte etiam fuerint, sæculis præteritis gesta esse, apud omnes prope in confesso sit, nec merito negari posse videatur, non continuo est consequens, ut res, quæ a solis scriptoribus recentioribus memorantur, indubie falsæ sint; certo tamen tunc vel probabiliter duntaxat falsæ erunt, prout vel, quod raro sane fiet, constiterit, vel probabile aut verosimile duntaxat fuerit, scriptores antiquos aut unum saltem ex his alterumve, a quibus silentio premuntur, esse hujusmodi, ut eas, si fuissent, scituri, scitasque commemoraturi fuissent. Papebrochus noster ab hisce non multum abludit, in Propylæo mensis Maii rectissime, ut mihi equidem apparet, ad præsens institutum sic scribens: «Quamvis in rigore dialectico non sequatur: Non est scriptum vel dictum; ergo non est factum; nec enim minus fuisset a Christo suscitatus Lazarus, licet hoc Joannes et alii tres evangelistæ tacuissent, tacuissent etiam apostolorum discipuli, et his ætate proxime omnes; recte tamen sequitur: Hoc vel illud caret congruæ antiquitatis, et auctoritatis testimonio; ergo, factum esse, non est prudenter credibile, sicuti non esset credibilis resuscitatio Lazari in universali omnium silentio, qui rei gestæ vel interfuissent ipsi, vel ex præsentibus accepissent, etc. Tanto autem fit certior et evidentior ex argumento negativo demonstratio, quanto notitia facti, de cujus credibilitate controvertitur, ad plures pertingere, et a pluribus scripto consignari debuisset propter insignem sui claritatem.» Hæc Papebrochius, decens scilicet, argumento negativo, ut ut facta, contra quæ militat, a vero esse aliena, invicte non probet, eam tamem vim inesse, qua fiat, ut hæc inde vel magis vel minus ad rerum incredibilium classem accedant.

259. Dispiciamus modo, an et quid secundum

www.libroboxe.com.ch

jam dicta e scriptorum antiquorum silentio, seu ex argumentis negativis, e silentio hoc formatis, possit confici contra Parisiense, quo Bruno in eremum pulsus fuerit, doctoris tantisper redivivi seque damnatum, publice coram infinita propemodum populi multitudine tunc vociferati prodigium Launoius in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione in medium adducit auctores viginti novem antiquos, quos, cum prodigii Parisiensis non meminerint, commentitium id esse suo silentio testari contendit. Horum alii sancto æquales aut sub æquales fuerunt, alii uno alterove circiter sæculo post eum floruerunt, omniumque ultimus Joannes de Sancto Victore anno 1322 scribendi finem fecit. Verum nulla ratione, cur nonnulli ex his prodigium illud siluerint, mirum accidit, vimque proinde aut nullam, aut sane admodum exiguam formatum ex eorum silentio negativum argumentum obtinet. Quare nominatim auctorem illorum, non omnium, sed præcipuorum duntaxat ac maxime eorum, qui prodigium, si fuisset, commemoraturi verosimiliter fuissent, quosque proinde id non fecisse, mirum potest non immeito videri, silentium lubet discutere, ac quid quæque ex hoc adducta a Launoio argumenta negativa valeant, ponderare. Initium duco a silentio ipsiusmet S. Brunonis, cui § præsenti duos adhuc alios, videlicet Guigonem, quintum Carthusiæ priorem, et Guibertum de Novigento, prodigium pariter silentes, adjungam. Sanctus itaque in epistola, supra jam pluries laudata infraque hic integra recitanda, quam ad Radulphum Viridem, quo hunc ad emissum monachici habitus suscipiendi votum implendum excitaret, conscripsit, nullam plane de horrendo doctoris damnati spectaculo, quo viso, votum ipse impleverit atque in eremum sese receperit, mentionem facit, ubi tamen hoc ad commovendum Radulphi ad voti exsolutionem animum peropportunum fuisset.

260. Hinc Launoius in sua proxime itarum laudata de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione cap. 1 ita arguit: « Radulphus indignit acrioribus stimulis, quibus ad sui... (quod cum Brunone de monachico habitu suscipiendo in collatione supra memorata emiserat) voti exsolutionem concitaretur. Unde fit ut Bruno hac in epistola, sicut votum reddenti gloriam, ita non reddenti æternam pœnam Radulpho proponat; ubi certe locus fuit illi spectaculo horribili, si quod Parisiis actum Brunonem ad implendum votum antea impulisset. Quid enim erat ad configendam Radulphi cunctationem paratius, quam ei et opportune et importune inculcare id spectaculi genus, quo ipsa Brunonis cunctatio, si Epistolæ didascalicæ (a Saussæio scilicet ad Bertholdum Nihusium scriptæ, anonque, ut supra docui, 1645 typis Coloniensicus excusæ) credimus, devicta est? Neque hoc telum, quo se impetitum iri prævidit auctor didascalicus, satis idonea declinat, imo transadigendum pectus objicit, ubi religionem voti, quo Bruno et Radulphus tenebantur, cum illi horribili spectaculo, quod Brunonem in eremum egisse docet, componens horribile spectaculum pro fortiori incitamento ducit. Hoc autem fortiori incitamento si opus fuit Brunoni, cur non, quæso, Radulpho, qui exsolutionem voti sic distulit, ut nunquam, quod sciam, impleverit? At sapientem virum in epistola, ubi machinas omnes adhibet ad movendum Radulphum, præterisse, vel non sæpius exaggerasse quæsitum supplicium e spectaculo, quod in promptu positum erat, si tamen unquam positum fuit, id vero justam in Brunone, ut opinor, admirationem haberet. Cum igitur inter momenta rationum, quibus Bruno Radulphum permovet ad reddentum votum, omisit horribile spectaculum, quo scriptor didascalicus (Saussæius nempe, ita hic a didascalica sua Epistola mox memorata appellatus) se a puero imbitum profitetur, id omisit, quod dicere non potuit. Dicere autem non potuit quod sibi non accidit, quodque longo post se tempore invectum nonnulli Carthusionorum originem fecerunt. »

261. Hactenus Launoius; audi modo, quid ad hoc ejus contra prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim argumentum respondeat Cartusianus anonymus, Annalium Ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor. « Quorsum.. (inquit lucubrationis suæ num. 90) hujus mentio spectaculi, quod Radulphum non spectabat, quippe qui votum suum diu forsan ante emiserat? Cumque illud ex Chronicis Ordinis (Carthusiensis nimirum) dicatur Parisiis accidisse anno 1082, quo quidem tempore clerici Remenses, a Manasse olim expulsi, ad ecclesiam suam jam redierant, fieri potest, quod vel illud, si in aula inter amicos res acta fuit, ut ex iisdem Chronicis colligendum est, ignoraverit Radulphus, vel saltem ei non interfuerit. Sed etsi concederemus eum tunc fuisse præsentem, non inde sequeretur Brunonem amico debuisse potius prodigii, quam voti emissi memoriam refricare. Paratius enim erat ad configendam Radulphi cunctationem ei opportune et importune inculcare votum, quo tenebatur astrictus, ad quod exsolvendum sub pœna peccati mortalis obligabatur ex cujus defectu damnationem erat incursurus æternam, quam alias non erat incursurus, etsi non audiret, nec obaudiret, prædictum spectaculum. Quam ob rem nihil frequentius ei sanctus Bruno ingerit in sua Epistola, quam obligationem votum exsolvendi et pœnas, quas Deus promissa sibi non facientibus minatur. » Ita ille, proposito a Launoio argumento nihil omnino contra doctoris damnati historiam evinci, idcirco potissimum contendens, quod sanctus in sua ad Radulphum Epistola voti potius, seu obligationis, huic annexæ, quam feralis damnati historiæ, utpote quæ minus, quam illa, ad voti exsolutionem a Radulpho extorquendam esset apta, meminisse debuerit.

262. Verum, etsi id ita sit, certum quidem est

www.libtool.com.cn

lectuosi illiusspectaculi commemorationem futuram fuisse ad commovendum Radulphi animum peropportunam maximeque accommodatam. Quare cum Brunonem, virum prudentem, in epistola, in qua, quo ad voti exsolutionem Radulphum inflectat, machinas omnes adhibet, horrendi ejusdem spectaculi,si publice id, absente licetRadulpho, accidisset, mentionem facturum fuisse,sat verosimilē appareat, hancque nihilominus ille in tota ad Radulphum epistola, quam longa est, omittat, sane istud, quod nullis etiam aliis scriptorum, vel synchronorum vel coævorum testimoniis nititur, falsitatis vel idcirco utcunque suspectum, aut certe difficilius creditu efficitur, etsi interim propterea certo falsum non sit. Ad secundum præsenti hoc § discutiendum argumentum negativum,quod Launoius Dissertatione hujusque cap. proxime citt. a Guigonis, quinti Carthusiæ prioris, silentio repetit, jam progredior. Launoius itaque e S. Hugonis, episcopi Gratianopolitani, Vita, per Guigonem, quintum Carthusiæ Priorem,descripta, sequentia hæc verba describit : « in his (S. Hugo, Gratianopolitanus episcopus)agebat, et ecce, tribus necdum in episcopatu post monasterii reditum completis annis, adest magister Bruno, vir religione scientiaque famosus,bonestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum. Habebat autem socios magistrum Lauduinum, qui post eum Carthusiæ Prior exstitit, duos Stephanos Burgensem et Diensem, Hi sancti Rufi canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ ei, abbate favente, sese conjunxerant Hugonem etiam,quem cognominabantCapellanum,ex eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio,duos laicos, quos appellamus conversos, Andream et Guarinum.

263. « Quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. Hac ergo spe et suavi sanctæ conversationis ejus odore trahente, ad virum sanctum venerunt, quos ille non solum gratanter, sed et reverenter suscepit, tractavit et voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvante, comitante,Carthusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt. Viderat autem circa id tempus per somnium in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem,ducatum illi præstantes itineris.Erant vero et hiseptem; » ac deinde,qnod in hisce Guigonis verbis nulla omnino de prodigioParisiensi mentio occurrat falsum id esse innuens, ita concludit : « Hic auctor (Guigo nempe) Carthusianæ religionis incunabula describit, et minuta quæque diligentissime persequitur, nec tamen verbo attingit illa duo, » nempe Parisiense, quo sese damnatum doctor redivivus e feretro vociferatus sit, prodigium, secutumque hinc S. Brunonis in eremum secessum Ita Launoius. En modo, quid ad illa anonymus Carthusianus Annalium ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor respondeat. « Ad hæc (a Launoio scilicet e Guigone proposita.) reponimus, » inquit Operis sui num. 92, « Guigonis unicum scopum fuisse, sancti Hugonis, non sancti Brunonis Vitam conscribere ; quod nec etiam fecit, nisi a summo Pontifice prius adactus. Quam ob rem ex incidenti tantum aliqua de sancto Brunone habuit,quantum ea sanctum Hugonem tangebant; nec plura de Ordine Carthusiensium narrare voluit, nac detentus ratione, de qua sic scripsit Petrus Cluniacensis : « Multa qui« dem in illo sacro Ordine Carthusiensium mira« cula contigisse, a pluribus accepi, sed ipsi hu« militatis virtute, qua semper servi Dei miranda « opera sua, quanto possunt nisu, occultant, vix « aliquid ex his prodere voluerunt. »

264. « Sed nunc videamus, si Guigo iucunabula Carthusiensis religionis ita descripserit, et minuta quæque ita diligenter prosecutus fuerit, ut silentium ejus de spectaculo sit argumentum falsitatis illus. Narrat quidem paucissimis verbis Brunonem cum sex sociis, quorum recenset nomina, Hugonis sanctitatis fama attractum, ad eum venisse, ut locum, eremiticæ vitæ congruum, ab eo obtineret; ipsoque consulente, juvante et comitante, Carthusiæ solitudinem intrassa, atque exstruxisse. Quomodo vero hæc fuerunt transacta, non narrat. Neque etiam meminit unde venerit sanctus Bruno, an Remis, ubi canonicus erat, aut Parisiis, ubi ultimo vel docuerat, vel saltem consilium relinquendi sæculum susceperat, Silet de ejus dignitatibus in ecclesia Remensi, de laboribus, quos pro defensione libertatis et jurium Ecclesiæ in diversis conciliis sustinuerat. unde et gloriosos titulos meruerat « Co« lumnæ totius metropolis, et sinceri catholicæ « fidei defensoris. » Silet de collatione illa inter sanctum Brunonem, Radulphum et Fulcium, de voto recipiendi monachicum habitum, de persecutionibus Manassæ, ita ut nihil omnino habeat de causa et occasione conversionis illius quæcunque fuerint. Silet denique de cunctis rebus ab eo gestis ab exitu ex urbe Remensi usque ad secessum in Carthusiam. Quæ quidem omnia et alia multa hujusmodi, in quibus enumerandis non est diutius immorandum, vera erant minuta, licet maxima et ad incunabula Ordinis rite describenda plane necessaria; quæ nihilominus prætermisit Guigo, sicut et spectaculum Parisiense, quia nihil faciebant ad Vitam sancti Hugonis, quam solummodo scribendam susceperat. Si igitur ex Guigonis silentio cætera vacillant, quæ de Brunonis historia referri poterant, poterant, solum id tenendum erit, quod Guigo scripsit; quod dicere vel cogitare plus quam ridiculum censendum est. »

265. Hactenus Carthusianus anonymus laudatus, merito saue contendens, contra doctoris Parisiensis anastasim, pulsumque ex hac in solitudinem Brunonem nihil omnino posse concludi ex silentio Guigonis.Præterquam enim quod multa alia,ad S. Brunonem pertinentia,subticuerit, nec Vitam hujus ex instituto descripserit, nullo ex capite verosimile apparet, futurum fuisse, ut prodigium illud, ut ut factum certo scivisset, in cit. S. Hugonis Vita, ad

www.libtool.com.cn

quam id nullatenus spectabat, litteris consignaret. Sed quid modo de Guiberti, Novigentini in pago Laudunensi abbatis, quod præsenti § adhuc examinandum, silentio dicendum? Launoius Dissertatione, hujusque cap, supra cit. ita scribit : « Guibertus abbas de Novigento Tractatum de vita sua composuit, in quo pressius adhuc Carthusianorum originem et institutum exponit, et omnem quorumdam recentiorum fabulis aditum intercludit, » magnaque deinde ex parte capite 11 libri I Guiberti de Vita sua transcripto, subjungit : « Secundum hunc auctorem (Guibertum videlicet) locus nullus relinquitur prodigiosæ doctoris anastasi, quæ Brunonem in eremum Carthusiæ impulerit. Nam, quæ id fecerit, aliam omnino causam tradit his verbis : « Qui con» versionis initia ex subjecta nactus occasione di» gnoscitur : Manasses quidam post Gervasii famo» sissimi archiepiscopi decessum prædictæ urbis » (Remensis) regimini simoniace se intruisit, vir » quidem nobilis, sed nihil prorsus serenitatis, quæ » prima ingenuitatem decet, habens. » Et post alia : « Hujus ergo mores prorsus improbos et » stupidissimos habitus cum omnis honestus horre» ret, Bruno, tunc in ecclesiis Galliæ opinatissimus, » cum aliis quibusdam Remensium clericorum no» bilibus infamis illius odio excessit ab urbe. » Scilicet ubi consilium excedendi cepit, habita cum Radulpho collatione, cujus in epistola ad eumdem Bruno mentionem facit.

266. « Sed quæso te, in hac bene longa narratione Guiberti, quo in loco verbum unum de Lutetia, quæ florentem omni litteracum genere academiam tunc habuerit? De doctore redivivo, qui damnatum se tribus vicibus inter solemnes exsequias dixerit? De solemnibus tandem exsequiis, quas ordo ecclesiæ universus cohonestarit ? » Ita Launoius. Ast veram secessus S. Brunonis in eremum causam a Guiberto, uti verbis recitatis is seriptor vulti, non assignari, satis superque, quantum opinior, quæ § 9 in medium adduxi, evincunt. Quod vero ad ejusdem Guiberti de doctoris anastasi silentium pertinet, Columbius ad hoc in sua de Carthusiarum initiis Dissertatione num. 35 et seq. Launoio respondet hunc in modum : » Guibertus recitat Brunonem « initia conversionis » ex subjecta nactum occasione, » et ipse (Launoius) advertit eum tacuisse redivivum hominem, qui Parisiis ex feretro se horrenda voce exclamavit damnatum ; et conversionem ex superius recitata occasione, per pios cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo sermones conceptam. votoque firmatam meditanti, grande fuit et omni oratione potentius incitamentum ad vitam longe asperius agendam in Carthusia, quam cogitaverat jam voveratque, Placet exclamanti exclamationem reponere. Quæso te, in hac bene longa narratione Guiberti quo loco verbum unum de hortulo adjacente domui Adæ, de disputatione Brunonis cum Radulpho et Fulcio, de Romaro itinere Fulcii, quod fecit, ut Bruno et Radulphus statim ab emisso voto non receperint habilum monachicum.

267. « Tu vero cur hæc igitur a Guiberto facita non rejicis, qui asseris illa (de doctoris anastasi nempe, pulsoque hinc in eremum Brunone) non habere veritatem, quoniam tacentur a Guiberto? Sed Guibertus, ut docui, occasionem, ex qua Bruno nactus est conversionis initia, dicendam sibi proposuit, non illa conversionis causas, quæ igitur ab illo dici non debuerunt, et a nobis in ipsius oratione postulari non debent. Duæ fuerunt hæ, disputatio in hortulo, adjacente domui Adæ extra Remos loco ignoto. « De falsis oblectationibus et perituris mundi » hujus divitiis, nec non de perennis gloriæ gau» diis, » cum Radulpho et Fulcio ; horribiles Parisiis ac funestæ hominis redivivi voces e feretro, se accusatum, judicatum, damnatum exclamantis. Prima illa fecit, ut Bruno voverit cum Radulpho et Fulcio convertionem et habitum monachicum : secunda ista eum, de conversione voto firmata cogitantem, compulit in Carthusiam cum Lauduino et quinque aliis sociis, omni sermone disputationeque potentius. Ut ergo primam, quæ Radulphum spectabat, sine secunda quæ ad illum non pertinebat, posuit Bruno in sua ad ipsum epistola, ita Guibertus utramque tacuit, quia de causis conversionis Brunonis dicere non proposuerat, sed de occasione, ad quam neutra earum pertinebat. » Isthæc Columbius : verum, cum Guibertus equidem Brunonis sæculo renutiandi propositum, uti etiam secessum in eremum seu perfectam conversionem, recenseat, eoque ipso loco, quo id facit, occasionem, qua illuis initia sanctus nactus sit, exponat, fuisset verosimillime etiam, quæ hac, si locum unquam habuisset, multo notatu dignior exstitisset eique etiam perspecta, conversionis causam seu doctoris anastasim commemoratus, »

268. Nec ad rem facit, nonnulla alia, ad Brunonem spectantia, collationem scilicet cum Radulpho et Fulcio, Romanum ejus iter, secutamque hinc tum horum, tum Brunonis ad implendum habitus monachici suscipiendi votum animi remissionem, a Guiberto silentio esse præterita ; hæc enim omnia, uti consideranti patebit, sunt hujusmodi, ut facile ab hoc scriptore ignorari potuerint ; Parisiense autem doctoris redivivi prodigium, si publice, ut nonnulli, quorum narrationem hic examinamus, memoriæ prodidere, innumera propemodum coram hominum multitudine sit factum, ignorasse Guibertum, rei gestæ synchronum, nulla ratione verosimile apparet. Quod porro pertinet ad conversionis S. Brunonis initiorum occasionem, quam solam, non autem etiam conversionis causas, commemorare, Guiberto propositum fuerit, efficere id non potest, ut quoquo modo verosimile evadat, Guibertum fuisse prodigium illud, si accidissset, silentio præteritum. Quis enim non in animum inducat, hunc scriptorem, dum non tantum conversionis S. Brunonis initia, verum etiam perfectam conversionem seu recessum in eremum

www.libtool.com.cn

recensuit, voluisse seu propositum sibi habuisse, initiorum illorum occasionem seu improbos Manassis mores, minus memoratu dignos, potius commemorare, quam conversionis perfectæ causam, seu illam, si locum unquam habuisset, doctotis Parisiensis anastasim, rem utique, si acciderit, omni omnium sæculorum mémoria longe dignissimam? Anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor, ut a Launoio contra feralem doctoris damnati historiam adductam e Guiberti silentio argumentum enervet, aliam viam init.

269) Etenim et ipsummet Guibertum rerum ad S. Brunonem Carthusianosque spectantium imperitiæ arguit, et Vitæ Guibertinæ libri primi caput 11, quo doctoris damnati historia commemoranda fuisset, et tamen silentio præteritur, insigniter esse interpolatem aut etiam, alium, quam Guibertum, habere auctorem, contendit. Argumenta præcipua, seu magis valida, quibus hanc opinionem suam probare, aut nititur, aut etiam reipsa probatam dare, videri potest, ipsismet iterum illius verbis huc transcribo. Primo itaque lucubrationis suæ num, 94, nonnullis, quæ hic prætereo, præmissis, sic habet: «Describit (Guibertus nempe loco cit.) majorem Carthusiam eo modo, quo erat post mortem Guigonis nostri, qui obiit anno 1136 « Claustrum quidem, inquit, satis » idoneum pro cœnobiali consuetudine habentes, » sed non claustraliter, ut cæteri cohabitantes. Habent quippe singuli cellulas per gyrum claustri » proprias,» etc, Quibus verbis exprimit novum Carthusiæ monasterium, ab anno 1132 extructum post nive oppressos (adi Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ mss. pag, 640) in priori loco monachos. Nam eo tempore, quo Guibertus creditur scripsisse, nempe ante vel circa annum 1124 cellulæ per gyrum claustri non erant dispositæ, sed ab ipso claustro penitus separatæ, ut probabimus in Annalibus ad annum 1134. Dum vero subdit : «Aquam » autem tam haustui, quam residuo usui ex ductu » fontis, qui omnium obambit cellulas, et singulorum » per certa foramina ædiculis influit, habent, » his innuit tempora sancti Antelmi, septimi Carthusiæ Prioris, qui, ut ait Vitæ illus auctor, «Apuæ-ductus » multo, sed infatigabili labore fabricans, longis mea» tibus ad cellas, coquinam cætarasque officinas aqua» rum tantam direxit abundantiam,» etc. Quod quidem opus primum Guigo aggressus fuerat, sed morte præventus illud per cellas deducere non potuerat,

270. «Scribit (Guibertus nimirum loco supra cit.) Carthusienses «nusquam pene locui, nam si quid « peti necesse est, signo exigitur.» Sed videamus ex Guigonis nostri consuetudinibus, an Guibertus recte mores nostros calluerit. Sic igitur loquitur Guigo : « Soli degentes signa cœnobiorum aut nulla, » aut pauca novimus, sufficere putantes linguam » solam, non etiam cæteros artus reatibus implicare » loquendi; et ideo si tanta necessitas urget, uno » vel duobus, aut certe paucissimis verbis, quod » res postulat, maluimus indicari. » Non igitur signis, ut vult Guibertus, sed lingua, quæ nobis necessaria sunt, exigimus. « Sunt autem, inquit Guibertus, infra montem illum (Carthusiæ) habitacula laicos, vicenarium numerum excedentes, fidelissimons retinentia. » At idem Guigo sic sanxit : » Laïccrum autem numerus, quos « Conversos voca» mus, sedecim status est. » Hinc suspicamur, vel Guibertum non obiisse anno 1124, et vixisse usque ad tempora Basilii Prioris Carthusiæ, id est, post annum 1150, vel capitulum illud (XI nempe lib. I supra cit.) Operi Guiberti a quodam alio fuisse insertum. Nam circa tempora Basilii numerus conversorum et mercenariorum cœpit augeri, ut patet ex chartis capitulorum generalium, et confirmatur a Petro Cluniacensi, qui in capite 28 lib. II de Miraculis, quem circa annum 1150 edidit, ut suo loco dicemus, scribit numerum conversorum tunc fuisse octedecim. Asserit Guibertus Carthusienses tanto » cæptæ contemplationis fervore ferri, ut nulla » temporis longitudine a sua institutione desistant, » nec aliqua arduæ illius conversationis diuturni» tate tepescant. » Ex his certe verbis colligimus magnam « temporis longitudinem » seu « diuturni» tatem conversationis » ab instutione Ordinis effluxisse usque ad tempus, quo hæc scribebantur, ita ut esset admirationi, quæ profecto non fuisset, si ultra ætatem Guiberti, qui fuit S. Brunonis coævus, non extenderetur. Nec propterea adeo fuissent laudandi Carthusienses.

271. «Pergit Guibertus suam circa sanctum Brunonem imperitiam prodere, nicens : «Inde etiam » (de Carthusia) qua nescio occasione, mirabilis iste » Bruno recedens, postquam his, quæ prælibavi» mus, rudimenta multa dictorum et factorum in» culcatione præstiterat, ad Apulos, nescio, Cala» brosne concessit, et ibidem huic quiddam simile » vivendi genus instituit. » Sanctus Bruno invitus e Cartusia recessit, jubente et cogente Urbano II summo Pontifice, quem piis consiliis, per aliquot annos juvit, maxime in conciliis, tunc temporis celebratis. Sed hæc omnibus nota solus ignoravit Guiberrus, qui fatetur se nescire qua occasione sanctus Bruno Carthusiam dimiserit. Deinde putat sanctum patriarcham recta via a Galliis se transtulisse in Apuliam vel Calabriam, sed ad utram revera concesserit, ignerat. Sanctus Bruno, dum in aula Urbani versabatur, a clero Regiensi in archiepiscopum, annuente Pontifice, postulatus, electioni assensum præbere noluit, acceptaque ab ipso Urbano licentia, in solitudinem, quam in Calabria elegerat, secessit. Sed Guibertus, horum omnium ignorans, scribit eum, dum in eremo latitabat, suarum nihilominus virtutum fulgore proditum, a summo Pontifice, ut fieret episcopus, quæsitum et tentum, aufugisse. « Ibi. inquit » Guibertus (an in Apulia vel in Calabria nescit) » cum multa humilitate se ageret, et omnimoda » piorum exemplorum præbitione circum quaque ful» geret, ad episcopi dignitatem ab Apostolica Sede » quæsitus et tentus fugit. » Ex his patet Guiber-

tum penitus ignorasse, an sanctus Bruno unquam Urbano papæ adhæsisset, quod tamen apprime scire debuerat ; quandoquidem et Urbani coævus fuerat, et quasi eadem provincia genitus. Nam ipse ex urbe Bellovaco oriundus erat, postea factus abbas de Novigento in diæcesi Laudunensi, utraque civitate sub metropoli Remensi ; Urbanus vero ex territorio et clero Remensi erat, ut ipsemet Guibertus scribit.

272. «Post verba, a Launoio ex Guiberto exscripta, prout ea superius retulimus, statim subjungit Guibertus in eodem capitulo : « Hæ, inquam, personæ » conversionum tunc temporis extulere primordia. » His cohæsere cantinuo virorum feminarumque » greges, omnis protinus ordo concurrit. » Et inferius : « At feminæ itidem insignes, maritorum » celebrium jugalitate deserta, et a piis cordibus » liberorum abstenta, collatis inibi opibus, eccle- » siasticis se stipendiis contradebant, » Quid hæc sibi volunt ? Guibertus obiit circa annum 1124 et tamen loquitur de feminis sive monialibus Carthusiensibus, quas in Ordinem admissas tantus fuisse circa annum 1145, in Annalibus probabimus. Et de feminis quidem loquitur, quæ « deserta maritorum jugalitate, » nostrum institutum amplexæ fuerant, cum constet nullas unquam in partheniis nostris susceptas fuisse mulieres sive viduas, sive nuptas, sed tantum feminas seu virgines, nuptiarum omnino expertes, propter consecrationem, quæ semper in usu fuit apud nostras moniales, quæque solis virginibus conceditur. Præterea toto primo Ordinis nostri sæculo unum tantum parthenium Carthusiense funatum exstitit. Pergit ibidem Guibertus : « Quid de » ætatibus loquar, cum decennes et undecennes » infantuli similia meditarentur et multa castiga- » tiora gererent, quam ætatula pateretur ? » Quis unquam talia audivit, vel scripsit de Ordine Carthusiensi? ad quem pueris nullus unquam patuit aditus; imo semper prohibitus juxta statutum R. P. Guigonis, sic de ætate suscipiendorum scribentis : « Pueros sive adolescentulos non recipimus, quia » per eos monasteriis multa contigisse dolemus... » sed viros, qui juxta præceptum Domini per ma- » num Moysi viginti ad minus annorum sacra pos- » sint ad bella procedere. »

273. «Sunt et multa alia his similia in eodem capitulo apud Guibertum, a nostri Ordinis institutis ita aliena, ut nobis ea legentibus subierit in animum, vel ea non esse Guiberti, vel saltem ad nos nullatenus spectare, licet Dacherius, vir alioquin sagacissimus, contrarium sentiat, in scholiis ad marginem eorumdem verborum sic scribens post Notulas de sancto Brunone : « Viri ac feminæ illius vivendi genus » arripiunt. Etiam decennes et undecennes infantes. » Innumera constituit (nempe Bruno, qui præter » Majorem Carthusiam et monasterium in Calabria » nullum aliud ædificavit) monasteria. » Et in Indice ad eumdem Guibertum : « Charthusiensis Ordinis ori- » go pag. 465 seu 467, Carthusiæ descriptio 466 seu » 468 Viri, feminæ ac pueri illud vivendi genus arri- » piunt. Innumera constituunt monasteria, ibid. » Abunde ditantur. 467, » etc. Scripsit quidem eodem loco Guibertus, hominibus sive Carthusiensibus sive aliis, de quibus locutus est, « cæpisse ubi- » que loci nova construi monasteria, et, undecunque » confluentibus magnos alimentorum reditus adhi- » beri. » sed nobis, abditiora rerum Carthusiensium perscrutantibus, horum innumerorum monasteriorum fundationes nusquam occurrerunt; imo patebit in nostris Annalibus, ante annum 1124 vix quinque aut sex Carthusias tunc fuisse fundatas, et eas quidem pauperrimas. » Hactenus Carthusianus anonymus, merito sane, contra ac antea opinatus fuerat Dacherius, existimans, ad Carthusianos non spectare, quæ a Guiberto de ingenti feminarum puerorumque, religiosæ monasticæve vitæ sese dedentium, multitudine lib. et cap. citt. traduntur.

274. Etenim hæc, quæ suis ibidem de S. Brunone dictis proxime subjungit, sequentia verba, « Hæ... personæ conversionum tunc temporis extulere primordia, » non ad solum S. Brunonem, sed etiam ad S. Simonem Crispeiensem Ordinis S. Benedicti e comite monachum, in Opere nostro ad 30 Septembris diem jam datum, Ebrardum, Britoliensem comitem, aliosque, ad vitam monasticam aut saltem meliorem, a Carthusiana tamen diversam, conversos, de quibus proxime ante habitum de S. Brunone sermonem egerat, referenda sunt, ac proin quæ deinde subdit, « His (personis nempe, quæ conversionum tunc temporis extulere primordia) cohæsere continuo virorum feminarumque greges, omnis protinus ordo concurrit. Quid de ætatibus loquar ? Cum decennes et undecennes infantuli senilia meditarentur, et multo castigatiora gererent, quam ætatula pateretur. Fiebat in illis conversionibus, etc.. » ita accipienda sunt ut significent, tunc feminas virosque, imo etiam pueros, meliori quidem castigatiorique vitæ sese dedisse, non tamem omnes institutum a Brunone Ordinem, sed vel hunc vel alium, prout cujusque sexus aut conditio ferebat, esse amplexos, itaque Brunoni aliisque, de quorum conversione Guibertus egerat, cohæsisse, cuidam scilicet e diversis, quæ hi vel instituerant, vel sectati fuerant, melioris vitæ generibus sese dedendo. Jam vero, cum id ita sit, non est sane cur, quæ apud Guibertum lib. et dap. citt. de viris, mulieribus, puerisque memorantur, erroris falsitatisve arguantur, hincque Guiberto, veluti qui talia litteris mandare non potuerit, abjudicentur. Quod alioquin fieri deberet, cum certe ætate Guiberti, qui anno 1124, ut Mabillonius Annalium Benedict. lib. LXXIV, num. 71, et post hunc Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. X, pag. 438 docent, vita functus est, nullæ omnino, quæ Carthusiensis Ordinis essent, moniales exstiterint, nec ullæ umquam in hunc viduæ nuptiasve expertæ mulieres fuerint admissæ.

275. Sed quid decendum de aliis, a Guiberto pariter memoratis, quæ scriptorem, ut Carthusianus

www.libtool.com.cn

noster anonymus putat, anna 1124 posteriorem exigunt, quæque proinde, ni Guibertus ultra hunc annum vitam protraxerit, litteris abs illo mandata esse non possunt? Talia sunt (adi num. 269) laicorum seu conversorum numerus, tempori subsecuto duntaxat conveniens, cellularum per gyrum claustri exstructio, ac tandem ductus fontis, cellulas omnes ambientis atque in has influentis. Verum laicorum seu conversorum numerum majorem, quam esset, facere potuit Guibertus e narratione erronea sibi facta. Potuit etiam eodem ex capite in cellularum situ(de hoc tamen quid contra Guibertum num.269 velit Carthusianus anonymus, non satis intelligo) assignando errare. Quod autem ad fontis ductum pertinet,cum a Guigone,qui ab anno 1110 Carthusiæ ad annum usque 1136 præfuit, opus illud, uti ipsemet Carthusianus noster anonymus docet,fuerit inceptum, quid si Guibertus, quod magna industria ac labore a Guigone inchoatum intellexerat, ad apicem etiam perductum sibi persuaserit?Quid si fontis, omnes Carthusiæ cellulas ætate Guiberti ambientis aquisque respergentis, ductui præstantior ab Antelmo post aquæ ductus fuerit substitutus?Necesse itaque non est ut hæc vel ab alio, quam a Guiberto, scripta sint,vel ut hic ultra annum1124 vitam produxerit. Id etiam dicendum de sequentibus, quibus Guibertus cit. Vitæ suæ libri primi cap. 11 Carthusienses celebrat, hisce verbis:«Tanto cœptæ contemplationis fervore feruntur, ut nulla temporis longitudine a sua institutione desistant,nec aliqua arduæ ilius conversationis diuturnitate tepescant. » Ut quid enim hæc de Carthusiensibus, qui jam triginta aut etiam viginti duntaxat annis in suscepta austerissimæ in Carthusia vitæ norma, a Brunone anno 1084 institui primum cœpta, constanter perseverassent, pronuniare Guibertus, anno demum 1124 vita functus, nequiverit.

276.Jam vero, cum hæc omnia ita habeant, laudatum Gulbertinæ Vitæ caput 11 ipsummet Guibertum non habere auctorem, dictove hujus Operi a scriptore posteriore fuisse insertum, in medium supra ex annalista Carthusiano anonymo adducta minime evincunt,etsi interim fatendum sit,palam ex his esse,Guibertum rerum omnium ad S. Brunonem institutumque ab eo Ordinem spectantium, haut satis gnarum fuisse, Quod dum dico, non est cur continuo putes Guibertum etiam et in allis, quæ de Brunone narrat, a veritate aberrasse et Parisiense quo hic in eremum pulsus sit, prodigium ignorasse, ac proin mirum nimini ilius de hoc silentium debere accidere.Ea enim,quæ sanctus noster in Carthusia ab omnium fere hominum conspectu semotus,acdeinde in Calabria, procul Calliis Novigentinaque abbatia dissita, gessit, distinguenda sunt ab iis,quæ Remis aliisque in locis, Novigento haud multum remotis, præstitit. Etsi enim in illis subinde errasse deprehendatur Guibertus,in hisce tamen idcirio, utpote quibus non tantum tempore,sed et loco fuerit vicinus, paritor errasse censendus non est,nisi solida, A quæ id probet,ratio aliunde posit afferri.Quod vero ad Parisiense prodigium nominatim pertinet, cum publice coram innumera propemodum hominum multitudine in opinione, quam hic discutimus, nec admodum procul a Novigentina abbatia eveneri,id Guibertum ignorasse,nullo modo verosimile fieri potest ex eo,quod aliquaSancti vel in Carthusia vel in Calabria procul a Novigento aut certe extra omnium fere hominum conspectum gesta satis explorata perspectaque haud habuerit.

277. At vero Trauctatus de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicati, auctor lucubrationis suæ num. 36 ea præterea scribit, quibus opus, a Guiberto de Vita sua scriptum atque a Dacherio editum, pro suspecto interpolatoque indicat B habendum. En ejus verba: « Cum Claudius Hemeræus doctor Sorbonicus opus satis grande anno1672 Brunoni d'Affringues ordinis nostri præposito generali dicasset, inscriptum Carthusianus sive Iter ad sapientiam et ad ejusdem Operis calcem Fragmenti ex Guiberti Tractatu S. Brunonis et instituti nostri laudes complectens curasset adjungi, de hujus Fragmenti fide hæc idem præpositus generalis ad Joannem de Bacca Carthusiæ Paularistanæ in Castella Priorem scripsit : « Imprudenter fecit ille dominus » Hemeræus, qui in suo Carthusiano inseruit Fra» gmentum deOrigine nostriOrdinis,quod est falsum et fictitium,ut monuit me Prior Parisiensis,scribens de præfato domino Hemeræo, auctore dicti libri,qui C inscribitur Garthusianus. Et revera Lucas d'Acherv, monachus Benedictinus, de Ecclesia ob editos codices bene meritus,totius tractatus apographum fatetur esse recentiori manu scriptum, mendis scatens quam pluribus, inversa verba, sententias interdum aut mutatas aut prorsus sublatas,ut nonnula penitius inspicienti sibi fuerint vix non divinanda. Quam ob rem cum cuncta Guiberti Opera in lucem vellet emittere, omnem movit lapidem, ut præfati tractatus autographum, quod paulo ante in manus cujusdam doctoris Parisiensis devolutum fuisse audiverat, comperire posset; sed frustra. »

298. Ita ille: ast quamvis Dacherio Operis, quod Guibertus de vita sua scripsit, apographum duntaxat præluxerit,isque librorum mss., in bibliothe- D cis latentium, diligentissimus editor pluribus id mendis scatere, nec autographum diligentissima facta indagine, sese invenire potuisse in Admonitione prævia, quam editis a se Guiberti Operibus præmisit, edoceat, illud tamen Operis istius apographum non videtur ita fuisse corruptum, ut capita integra, aut etiam capitum Fragmenta notatu utcumque digna, qui Guiberti non essent, sibi haberet inserta. Fas est id colligere ex ipsis, quæ hac de re in laudata Admonitione prævio occurunt, Dacherii verbis. Ea idcirco huc transcribo. Sic habent: « Abbatis nostri (Guiberti) librorum de Vita sua apographum tantummodo invenire fas fuit,graphice quidem ac recentiori manu scriptum, sed mendis scatens quam pluribus, inversa versa, sen-

www.LABRUSI.COM.AR

tentiæ interdum (verbi scilicet unius alteriusve, uti ex sequentibus apparet, scriptione aut erronea, aut lecta difficili) aut mutatæ aut prorsus sublatæ, ut nonnulla penitius inspicienti mihi fuerint vix non divinanda; cætera vero, quæ me præteriere verba eorum loco puncta supplevi, seu margini ascripsi alia quædam. Audiveram sane et multoties repetitum agnoveram, autographum ad nostra tempora inter ecclesiæ Laudunensis vetustos codices asservatum, ac postmodum antiquæ rei perito viro D. Dey doctori Parisiensi, qui pridem obiit, collatum; quas autem in manus posthac devolutum fuerit, omnem movi lapidem, quatenus comperire valerem, sed frustra. » Hæc Dacherius : ast, cum verba duntaxat sententiasque eo, quo jam monui, modo mendis laborasse, edicat, quis hinc capita integra, insigniaque Fragmenta, quæ Guiberti non essent, Operi fuisse adjecta, concludat? Jam vero, cum id ita sit, supra plus semel citatus hujus locus quo initiorum conversionis S. Brunonis occusio memoratur, pro additamento, ad Guibertum facto, haberi non potest, ac proin, quod ex servato ibidem ab hoc scriptore de doctoris Parisiensis anastasi silentio formatur, argumentum negativum vim omnem, quam supra ei attribui, conserpat.

§ XXI. *Quid de Ordinis Carthusiensis, uti id Launoius vocat, et Petri Vederabilis silentio censendum.*

279. Quæ apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 638 et binis seqq. exstant, quinque primorum Carthusiæ Priorum elogia summo antiquitatis merito gaudere, ac nominatim quidem quatuor priora ante annum 1138 scripta esse, satis superque, quæ § 1 in medium adduxi, evincunt. Hinc illorum auctores, aut potius, si de quatuor duntaxat primis sermo sit, auctorem non immerito antiquis, qui S. Brunonis minerunt, scriptoribus in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione cap. 1 Launoius accenset. Ast an pariter ibidem ex servato in quinque illis elogiis, in veteri ms. Statutorum et Consuetudinum Ordinis Carthusiensis codice inventis, de prodigiosa doctoris anastasi silentio Carthusianorum, cujus hoc vocat, Ordinem contra illam testari, non immerito arguit? Antequam, quæ mea hac de re sit opinio, edicam, Launoii verba una cum Carthusiani nostri anonymi ad hæc in Annalium Ordinis sui libro quarto hactenus non vulgato responsione huc transcribo. Launoius itaque post descriptum e codice ms. mox laudato sancti nostri elogium ita disserit : « Hic mentio nulla doctoris vel canonici Parisiensis mortui, qui solemnes inter exsequias damnatum se esse responderit, aut hujusce portenti, quod beatum Brunonem in eremum Carthusiæ impulerit : quæ tamen duo rata esse apud antiquos omnes, Raynaudus scribere non dubitavit. Antiquis porro scriptoribus non possum non accensere eos, qui codicem illum Statutorum Parisiis, ubi nunc apud Carthusienses asservatur, vel alio in loco descripserunt, et quinque primorum Carthusiæ Priorum historiam ita ediderunt, ut, si quid in iis miraculi deprehendum est observarint.

280. « Quam ob rem nihil est admodum cur causeris, hos auctores, de quibus loquimur, ea silentio præteriisse ; quæ ad commendandam Priorum illorum conversionem et sæculi fugam conducerent. Neque vero causa mihi ulla suppetit, cur vetustiores Carthusiani præcipuum originis suæ monumentum omisissent, quod recentiores ex iis nonnulli in libros et parietinas tam rupide conjuciunt et « horrendum sæculisque omnibus memorandum spectaculum » appellant. Hoc certe monimentum ejusmodi non est, ut antiquos omnes Carthusianos latuerit, et solis notum esse potuerit recentioribus, qui hac in parte si recte saperent, non nisi ex antiquiorum commentariis sapere deberent. « Quod enim, inquit Baronius, de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur. » Ita ille : audi modo, quæ reponat laudatus Carthusianus anonymus. « Lectorem benevolum, inquit Annalium suorum lib. cit, num. 102, testem appellamus, utrum quæ supra de Brunone et successoribus ejus (quatuor proximis se licet) in jejuno illo (Adi Labbeum Bibliothecæ Novæ loco proxime cit.) vitæ eorum Breviaro fam paucis verbis auctor codicis (qui ex num præced. Launoio præluxit) præmisit, tanti sint ponderis, ut ex iis juste et merito Launoius ducere potuerit hanc consequentiam : « Antiquis inquit, scriptoribus « non possum non accensere eos, qui codicem illum « Statutorum Parisiis, ubi nunc apud Carthusienses « asservatur, vel alio in loco descripserunt et quin- « que primorum Carthusiæ Priorum historiam ita « ediderunt, ut, si quid in iis miraculi deprehensum « est, observarint. » Ecce quantas projicit ampullas juxta poetæ effatum, ut stylo tumido suas extollat auctoritates. « Non possum, inquit, eos, qui « codicem illum descripserunt. » Nonne melius veriusque dixisset eum qui codicem illum descripsit, « cum vix triginta foliola contineat, nisi velit toti- « dem fuisse scriptores, quot sunt codicis folia? »

281. Sed levia sunt hæc. Audi tumidiora. « Ii, qui « codicem illum descripserunt, quinque primorum « Carthusiæ Priorum historiam ita ediderunt, ut, si « quid in eis miraculi deprehensum est, observa- « rint. » Sed, quæso, quænam sunt hæc miracula, quæ in tam brevi narratione, uno folio contenta, scriptores illi observarint? Nulla certe, saltem in elogiis quatuor primorum Priorum, quæ superius ex omnium hujusmodi codicum antiquissimo (Adi dicta num. 4) retulimus. De Guigone enim nunc tacemus, quia ejus elogium, ut monuimus, a recensi manu superinductum fuit. Nunquid propterea nihil miraculi inter hos primos Patres, aut ab eis factum est? Pro nobis iterum respondeat Petrus Cluniacensis. « Multa, inquit, in illo sacra (Carthusiensium nimirum) Ordine miracula contigisse, a pluribus accepi. An igitur falsa sunt, quia scriotores codicis de iis siluerunt? Sed ad sanctum Brunonem

www.libtool.com.cn

redeamus. Scriptores sive potius scriptor hujus codicis, ut correctius modo loquamur, totam ejus vitam ub infantia illius usque ad secessum in Carthusiam his paucissimis verbis complecitur : « Bru- « no Teutonicus, ex urbe Colonia parentibus non « obscuris natus litteris tam secularibus quam di- « vinis valde munitus, ecclesiæ Remensis canoni- « cus et scholarum magister, relicio sæculo, ere- « mum Carthusiæ fundavit et rexit sex annis. Ecce totam conversionem S. Brunonis, quinque verbis comprehendit, « Relicto sæculo, eremum Carthusiæ fundavit, » quod de cujus libet sæculo abrenuntiantis conversione dici qotest. An tam paucis verbis historiam Brunonis » ita edidit « scriptor ille, « ut, « si quid in ea miraculi deprehensum est, observa- « rit, » ut vult Launoius? Sed, sicut tacuit de visione septem stellarum, sancto Hugeni exhibita, de sex sancti Brunonis sociis, de persecutionibus Manassæ, de voto illius, et de multis aliis, præclare ab eo gestis, ita non mirum, si et spectaculum prætermisit.

282. Denique notandum est videri scriptoris scopum hunc fuisse unicum, nempe catalogum Priorum Carthusiæ contexere, et annos prælationis eorum designare. Nihil enim accuratius describere videtur, cum maxime de Brunone observet, quod » sex annis Carthusiam rexerit, et in Calabria obierit » undecimo plus minus anno post egressum Carthusiæ Quod et diligenter de aliis annotat, ita ut sub finem annos summatim repetat, qui a fundatione Carthusiæ usque ad mortem Joannis Tusci effuxerant. « Colliguntur « itaque, inquit, a primo magistri Brunonis anno « usque ad hujus (Joannis) ultimum anni viginti « quinque (qui ante obitum ejus, qui est Nonis Oc- « tobris) circa nativitatem B. Joannis Baptistæ com- « plentur; tali quippe tempore a magistro Brunone « præfata cœpit eremus habitari. « Quod etiam observavit ille, qui Guigonis elogium eidem codici inseruit. » Ita habet anonymi Carthusiani ad putitum a Launoio e codicis num. 279 laudati silentio argumentum negativum responsio. Et vero, cum Codicis, id est, quatuor primorum Garthusiæ Priorum Chronici auctor sancti nostri vitam ac gesta omnia ex instituto non descripserit, multaque de Brunone subticeat. quæ tamen apprime, maxime si, ut apparet, Guigo is fuerit, explorata habuit, formatum ex illius silentio atgumentum vim aut prorsus nullam aut certe perexiguam hic obtinet, maxime cum ratio afferri non queat, qua utcunque verosimile evadat, scriptorem illum commissurum non fuisse, ut Parisiense prodigium, quod, si factum fuerit, haud dubie cognovit, silentio præteriret.

283. Ad alterum modo, quod § præsenti etiam examinandum, quodque e Petri, cognomento Venerabilis, silentio formatur, argumentum negativum progrediamur, Vir hic, anno circiter 1093 natus, cum gloriosam per annos aliquot operam militiæ navasset, monachis Cluniacensibus, sæculo relicto, sese adjunxit, cumque deinde abbas hisce anno 1122 fuisset præfectus, hocque munus triginta quatuor amplius annis obiisset, anno 1156 ad Dominum migravit, sanctitate vitæ juxta ac viriis Operibus, quæ concinnarat, post se relictis illustris. Hæc inter unum est, de miraculis conscriptum atque in duos libros divisum. In horum altero, sese « ad roborandam fidem et mores instituendos miracula, » vel ipso suo « tempore, vel circa sua tempora gesta, quorum cognitio indubia datur, scribere » proposuisse, Petrus præfatur et tamen miraculi seu prodigii, quo doctor Parisiensis se damnatum, innumeræ astanti populi multitudini publice denuntiarit, nuspiam in toto laudato suo Opero mentionem facit. Hinc, omnem de luctuosa hac historia narrationem in fabulis esse habendam, Launoius in sua de vera causa secessus S. Brunonis in cremum Dissertatione cap. 3 pronuntiat. Verum an merito hic, Papyrium Massonum supergressus, tanto in pretio habuit Petri Venerabilis illa de re silentium? Cartusianus noster anonymus, qui Annalium Ordinis sui brum quartum hactenus non vulgatum concineavit, quo Petrum Parisiensis prodigii in toto suo de miraculis Opere meminisse non debuisse, ostendat nonnulla primum de scopo, quem in hoc contexendo sibi præfixum habuit sanctus is cluniacensis abbas, in medium adducit, simulque, quæ et qualia in illo referat miracula, examinat, ac deinde, quæ Launoium, ut magnam contra doctoris damnati anastasim, Petri de hac silentio vim inesse putaret, impulere, rationes rationibus contrariis confutare conatur. Totum, quod hunc in finem instituit, ratiocinium, cum id ad confutandum Launoium, plurimum valere autumet, ob rationem, num. 185 in fine datam, integrum huc, ut ut valde longum sit, transcribo, adjecturus etiam ad calcem, quæ mea sit de re isthac opinio.

248. Sic itaque Operis sui num. 105 præfatur: « Cujus (Petri Venerailis) silentium de nostro (doctoris redivivi ac damnati) spectaculo tanti facit Launoius post Papyrium Massonum, ut inde illam narrationem in fabulis habendam esse, audacter pronuntiet Sed antequam argumentationes ejus refellamus, præstat Petri Venerabilis Opus, de quo quæstio est ab auctore inscriptum « De miracnlis, » minutatim expendere, ut ex accurato illius examine cessent lectores admirari, quod de tam stupendo prodigio siluerit; « ac deinde rem ipsam mox aggrediens hunc prosequitur in modum : « Hoc Opus in duas partes, sive libros distinguitur, In prioris libri Præfatiuncula hanc reddit sanctus abbas rationem, cur de hac materia (de miraculis scilicet) scribere aggressus fuerit, nempe ne « Ea miracula, quæ no- « stris, inquit, temporibus proveniunt, cum non « sit, qui ad illa scribenda animum applicet, quæ « prodesse legentibus manifestat apoterant, infru- « ctuoso silentio tecta dispereant. » Hic liber viginti octo comprehendit capitula, quorum viginti et unum completuntur res mirabiles, quæ vel in ipso Cluniacensi abbatia, vel in aliis ejusdem Ordinis monasteriis peractæ sunt. In quinque aliis capi-

www.libtool.com.cn

tulis referuntur historiæ, quæ in locis a Cluniaco non remotis contigerunt, si unum aut duo excipias. Nam ipse abbas in capitulis nono, et vigesimo tertio declarat, se relaturum, quæ in Cluniacensi monasterio, vel circa accidisse audierat. Alia denique duo faciunt mentionem de quodam sacerdote, et quodam juvene in Teutonicis partibus, divinis mysteriis et sacra communione abutentibus.

285. « Unum acceperat Petrus ab episcopo Claromentensi, qui videtur esse Aymericus, antea abbas Casæ Dei ordinis Cluniacensis, aliud a priore et fratribus cujusdam monasterii, in iisdem locis siti. Quid vero hic intelligat per Teutonicas partes, videtur postea indicare, ubi de urbe Matiscone, in cujus diœcesi situm est Cluniacum, loquens sic scribit : « Est eadem Matiscus in finibus regni Fran- » corum, quod a Teutonicorum vel Romanorum im- » perio Arar fluvius, a Lotharingia sumens initium, » Rhodanusque, in mare Medirerraneum habens » profluxum, disterminat. » Ex quibus verbis licet conjicere, hæc duo miracula etiam facta fuisse in regione a Cluniaco non remota. Unde Petri scopus fuisse videtur, tantum ea narrare, quæ in suo ordiue gesta fuerant, additis nihilominus quibusdam, quæ casu audierat circa Cluniacum accidisse. Quæ quidem omnia, in his viginti octo capitulis contenta, videntur patrata, ipso abbbate jam præsidente, id est, post annum 1122 præter quædam ad ordinem Cluniacensem pertinentia, quæ gesta sunt sub Hugone, qui eamdem abbatiam rexerat annis circiter sexaginta, in ejus regimine mortuus anno 1109. Præterea notadum est, quod cuncta, in hoc libro a Petro recensita, exceptis duobus aut tribus exemplis, ei relata fuerint a personis ejusdem ordinis, inter quas etiam annumerandus est, ut diximus, Aymericus episcopus Claromontensis.

286. « In posterioris libri prologo sic scribit venerabilis abbas : « Quoniam ad roborandam fidem et » mores instituendos miracula, nostro tempore vel » circa nostra tempora gesta, quorum cognitio in- » dubia datur, scribere proposui, » etc. Hæc non solum ad sequentem librum, sed ad primum spectant, id quo, ut monuimus, quædam circa tempora illius, in est, tempore sancti Hugonis abbatis; et quidem de rebus tantum, Cluniacensem ordinem tangentibus, gesta fuerant. Hic alter liber de miraculis triginta duo continet capitula, in quorum primo Petrus ex communi fama narrat, quomodo quidam comes Matisconensis olim visibiliter a diabolo raptus est. In secundo agit de homine, « Qui terra obrutus » per sacrificia et orationes Ecclesiæ ab angelo pas- » cebatur; » quod in Gratianopolitano episcopatu evenisse asserit, et forsan acceperat veniens ad Carthusiam Majorem, ad quam non semel ascendisse suis locis in Annalibis dicemus. A capitulo tertio ad capitulum vigesimum tertium inclusive vitam Matthæi monachi Cluniacensis et episcopi Albanensis, anno 1139 sanctissime defuncti, perscribit. In vigesimo quarto et vigesimo quinto, vigesimo sexto, vigesimo septimo, trigesimo primo, et trigesimo secundo capitulis, quæ recenset, eo præsidente, in suo ordine contigerant. In vigesimo octavo capitulo tractat « De institutis Carthusiensium monachorum. » In vigesimo nono « De quodam fratre Carthusiensi, qui » mira vigilans vidit. » In trigesimo « De miraculo » cereorum Romanorum, » quod affirmat singulis annis fieri in ecclesia S. Mariæ Majoris, « usque ad » hanc nostram ætatem, » inquit, « et quantum » deinceps Deo placuerit. « Ex his triginta duobus capitulis viginti septem spectant ad ordinem Cluniacensem : duo prima cum vigesimo octavo et vigesimo nono, quæ sunt de Carthusiensibus, res comprehendunt in regionibus, a Cluniaco non remotis, transactas. Solum capitulum trigesimum rem narrat, longe a Cluniaco patratam, nempe Somæ, quam forsan ipsemet ante aliquot annos ibidem degens vel audierat vel viderat.

287. « Totum igitur illud opus, duobus libris distinctum, continet sexaginta capitula, quorum quadraginta octo sunt de miraculis, apud Cliniacenses sub ipso Petro abbate vel sub S. Hugone, qui eum monachum fecerat, perpetratis. In aliis decem (nam de duobus Carthusienses spectantibus modo non loquimur) agitur de rebus mirabilibus, quæ, Petro vivente vel etiam præsidente, ut ex earum narrationibus conjicere licet, si unum portentum de comite Matisconensi excipias, evenerunt ordini quidem Cluniacensi extraneæ, sed vel circa Cluniacum (ut ipse abbas monuit) solo fere dempto Romano miraculo, actæ vel a monachis ejusdem ordinis Petro enarratæ præter quinque aut sex, quas ab hominibus externis, sed fide dignis et Cluniaco vicinis didicerat. Hæc autem omnia diligenter, et forte paulo latius examinata satis evidenter declarant, silentium Petri Cluniacensis nihil veritati nostræ historiæ detrahere. Quid enim mirum, si inter quinque aut sex miracula, ad suum ordinem non pertinentia, spectaculum nostrum non recensuerit ? Hæc præter unum aut duo acta videntur circa Cluniacum, Petro vivente, et ei ab amicis vicinis relata fuerunt ; prodigium vero damnati hominis Parisiis satis longe a Cluniaco, et forsan inter privatos parietes (si etiam coram paucis, nullam sane petitum ex Petri silentio argumentum vim habet) contigit, et annis fere quindecim, antequam idem abbas nasceretur. Nec etiam dubium esse debet, quin multa alia prodigia in Galliis, in Hispaniis, in Anglia, in Italia, Petri temporibus, vel circa ejus tempora evenerint, et tamen, his exceptis, quæ ad suum ordinem attinent, de nullo meminit, licet in has exteras regiones profectus fuisse legatur, non solum monasteriorurum sui ordinis, sed totius Ecclesiæ negotia promoturus. Cur igitur nostrum potius, quam illa alia prodigia, suo operi inseruisset?

288. « Sed audio, qui pro Launoio respondeat : » Petrum statuisse miracula, quæ suo tempore » ubivis contigerant, litteris consignare. » II Sin-

www.libtool.com.cn

» gula miracula, quæ suis usurpaverat oculis, vel A
» quæ ab hominibus fide dignis acceperat, duobus
» libris comprehendisse. » III « Ad secundi libri
» calcem Carthusianæ religionis initium, statuta et
» mores uberiori oratione depinxisse. » IV « Sese
» dolere plurimum, testatum fuisse, quod plura non
» posset referre miracula, quæ ad amantissimum
» sibi Carthusianorum ordinem spectant.» V « Inter
» miracuta quæ suo tempore passim in Galliis facta
» commemorat, et inter ea, quæ de prima Carthu-
» sianorum origine et miraculis disseruit, stupen-
» dam hominis mortui narrationem desiderari. »
Postremo ipsum Petrum « dixisse, Carthusiensium
» ordinem suo tempore institutum esse.» Hæ sunt
rationes, quas cum ex verbis, tum ex silentio Pe-
tri venerabilis contra veritatem prodigii Parisien-
sis deduxit Launoius. Ad I respondemus, Petrum
quidem dixisse, consilium fuisse, « Miracula ubili-
» bet suo tempore facta ad posterorum memoriam
» transmittere,» sed probavimus, eum etiam dixisse,
mentem suam fuisse, narrare ea, quæ circa Cluniacum gesta fuerant; et ex discussione totius operis comperimus, cuncta fere ab eo conscripta miracula, quæ suum ordinem non respiciunt, patrata fuisse in regionibus, a Cluniaco non multum remotis: quæ vero in exteris sive remontioribus locis contigerant, vel in sui ordinis monasteriis acta fuisse, vel a personis ejusdem sibi relata. Ad II fecimus satis, cum ostendimus, eum toto suo opere comprehendisse tantum miracula, ad suum ordinem spectantia. præter decem, quorum quatuor aut quinque a Cluniacensibus monachis, cætera ab amicis Cluniaco vicinis didicerat.

289. « Ad III. Fatemur, Petrum longa narratione statuta et mores nostri ordinis depinxisse, sed non ita ubertim initia ejus depinxit, ut vult Launoius. Sic enim de his habet : « Servatur, » inquit, « in
» Burgundiæ partibus inter omnes Europæ nostræ
» monastici ordinis professiones professio quædam,
» multis aliis ejusdem monastici propositi sanctior
» et cautior, instituta nostro tempore a quibus-
» dum Patribus magnis, doctis et sanctis, magistro
» Brunone Coloniensi, magistro Lauduino Italico,
» ac quibusdam aliis vere magnis, ut dixi, et Deum
» timentibus viris, qui quorumdam antiquorum D
» monachorum tepiditate, negligentia ac desidia
» prædocti, sæculo abrenuntiare volentes, cautius
» sibi suisque in via Dei sectatoribus, consuluerunt,»
etc. Deinde multa de vestibus, de reditibus, de moribus ac statutis addit. Hæc est ejus uberior, sive potius sterilior narratio de initio ordinis. Nam ibi tantum dicit, quod « professio quædam aliis
» sanctior instituta fuerit a magistro Brunone Co-
» loniensi, magistro Lauduino Italico ac quibusdam
» aliis vere magnis Patribus..» Sed postea ut recte annotavit Launoius, « Uberiori oratione depingit
» statuta et mores ordinis. » Hic enim erat scopus illius, ut sapienter monuit doctus Saussæius, nempe
» Agere de instituto, non de institutione Carthusiani
» ordinis. » Et revera si decrevisset, institutionem ordinis depingere, multa alia narasset, quæ ignorare non poterat. Unde nihil de causa institutionis, sive illa orta fuerit ex collatione sanctum Brunonem inter et alios clericos Remenses habita, sive ex persecutionibus Manassæ, aut ex terrificis damnati hominis clamoribus : nihil etiam de modo, de sancti Brunonis, et sex sociorum ejus Gratianopolim adventu, nihil de accessu ad sanctum Hugonem episcopum, nihil de septem stellarum eidem episcopo facta visione profatus est; quæ tamen ignorasse minime credendus est : imo ne verbum quidem unum de sancto Hugone sibi optime noto profert, quo consulente, juvante, comitante, Carthusiæ solitudinem primi Patres adierant, et extruxerant; B adeo est Petrus propositi sui tenax sive scopi, quo de institutis Carthusiensibus tantum loqui aggressus fuerat. Et quod magis est observandum, nec ipsam Carthusiam, nec ipsum ordinem, de quo loquebatur, nominat. Unde dubitari posset, de quo verba faciat, nisi suam narrationem tali inscriberet titulo : « De institutis Carthusiensium monachorum.» Non est igitur irridendus a Launoio Saussæius, quod distinxerit institutionem ab institutis.

290. «Ad IV. Ignoramus, quid sibi velit Launoius, dum Petrum Cluniacensem describit, « Delentem,
» quod plura non possit referre miracula, quæ ad
» amantissimum sibi Carthusianorum ordinem spe-
» ctent. » Si nihilominus divinare licet, credimus, eum his verbis ingeniosis subtiliter voluisse declinare objectionem sibi ex verbis venerabilis abbatis faciendam, cujus vi omnes consequentias, quas ex silentio ejus ducit, penitus corruturas prævidebat. Nam per hæc verba significat pius abbas alia quidem miracula in ordine Carthusiensi fuisse patrata, sed dolore se affici, quod ea non possit referre. Statimque causam sui doloris hanc fuisse sanctus vir enuntiat his verbis jam superius præcitatis, sed, hic necessario repetendis : « Multa
» quidem, » inquit, « in illo sacro ordine mirucula
» contigisse, a pluribus accepi; sed quia ipsi humi-
» litatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera
» sua, quanto possunt nisu, occultant, vix aliquid
» ex his prodere alicui voluerunt, rara, imo rarissi-
» ma, quibus omnimoda fides accommodanda esset,
« ad me miracula pervenerunt. Quæ tamen absque
» dubio certa comperi, tacere nec volo, nec proposui.»
Deinde duo mirabilia de quodam fratre converso, nec plura de eo, vel de aliis narrat. Hæc scripsit Petrus diu post annum 1145. ut ex capitulo 25 libri secundi colligimus, ubi sic loquitur: «In primordiis pontifi-
« catus domini papæ Eugenii, ad visitandum tam
» ipsum, quam communem matrem Romanam Ec-
» clesiam, Romam adii. » Electus est Eugenius anno 1145, sed quando hæc Petrus scribebat. plures jam annos effluxisse, innuit dicens: « In primordiis
» pontificatus domini papæ Eugenii. » Cum igitur tantum meminerit de ordine nostro capitibus 28 et 29 ejusdem libri, patet ea, quæ de antiquis Patribus

www.libtool.com.cn

refert, ab eo tantum scripta fuisse diu post annum 1145. Unde non mirum, si a Carthusiensibus, opera sua occultantibus, spectaculum illud etiam Petro celatum fuit, quod jam fere ab annis' septuaginta vel etiam amplius contigerat, et diu ante ortum ejusdem abbatis, ut mox probabimus.

291. «Ad v. Huic rationi factum est satis ex superioribus responsis, quibus probavimus, pleraque miracula, quæ suo tempore passim in Galliis facta commemorat, spectare monasteria Cluniacensis ordinis; paucissima vero, quæ ad eum non pertinent, edita fuisse circa Cluniacum; quæ licet daremus passim etiam facta in Galliis, nihil etiam nobis obesset Petri silentium, qui tam pauca in toto suo opere describens multa alia vel ignoravit vel tacuit. Ad ultimum, concedimus, Petrum scripsisse, institutam fuisse suo tempore Carthusiensium religionem, sed ejus verba non ita stricte sumenda esse, ex hoc ipso liquet, quod constet, eum pluribus post conditum ordinem annis natum fuisse. Nam cum dicatur electus abbas anno Christi 1122, ætatis vero (aliter statue ex num. 283) suo vigesimo ferme octavo, debuit tantum nasci anno 1095, vel circiter, id est, quatuordecim post editos damnati hominis clamores annis. Ergo non petri tempore, sed ante ejus tempora ordo institutus est. Nec juvat reponere illum etiam retulisse historias et miracula, circa sua tempora perpetrata, quod quidem verum est erga res Cluniacensium, sed non erga prodigia eidem ordini extranea, quæ fere omnia, uno aut duobus duntaxat exceptis, vivente vel etiam præsidente Petro, accidisse, ex præcedenti examine ostendimus. Denique multa miracula Petrum fugisse aut latuisse, colligimus ex ejus præfatione ad secundum librum de miraculis; ubi sic conqueritur, quod non sit, qui ad miracula scribenda animum applicet: « Ad tantum autem, » inquit « jam fructum » infructuosa hujus silentii segnities pervenit, ut » quæcumque in Ecclesia Dei sive in regnis chris- » tianis a quadringentis vel quingentis ferme annis » facta sunt, universa pene nobis et omnibus igno- » ta sint.

292. « Tanta enim apparet distantia nostrorum » temporum, ut, quæ ante quingentos et mille annos » gesta sunt nobis notissima quæ vero exinde » ipsis quoque diebus nostris acta sunt, prorsus » ignota sint. Inde est, quod Historiis antiquis, » ecclesiasticis gestis, libris multiplicis doctrinæ, » Patrum instructiones et exempla continentibus, » abundamus· eorum autem quæ temporibus no- » bis contiguis contigerunt, nescio, si vel unum ha- » bemus. » Hæc ille, qui superius dixerat, « Dolere » se et supra quam multis forte credibile sit, tor- » pori multorum irasci, qui, cum scientia, litteris » atque eloquio abundent. miranda omnipotentis » Dei opera, quæ sæpe in diversis terrarum partibus » ad instructionem Ecclesiæ fiunt, memoriæ poste- » rorum mandare scribendo pigritantur. » Quamobrem sub finem profitetur, se « secundum vires a » Deo datas, si quid dignum vel utile invenire po- » tuerit, ad Dei laudem vel profectum legentium » modernis vel posteris manifestaturum. » Et tamen, cum hujusmodi tanto teneretur desiderio, nihil de sui temporis thaumaturgo, sancto scilicet Bernardo sibi amicissimo et familiarissimo dixit, cum amplus sibi pateret miraculorum ab ipso frequentissime patratorum campus, ex quo saltem pauca, eaque insigniora excerpere potuisset, in quibus esset illa notatu digna ducis Aquitaniæ Guillelmi conversio. Nihil de sanctis Noberto et Roberto de Arbricello; nihil de tot aliis viris sanctissimis, qui eodem cum Petro vivebant tempore; nihil de ordinibus monachorum, qui tunc multis claruerunt signis et virtutibus; nihil, inquam, de his omnibus scripsit. Cumque plura de Carthusiensibus referre potuisset, quos ille in quadam epistola, quam dabimus anno 1156, fatetur « innumeris per orbem » diffusis miraculis claruisse, » quæ ideo illum latere non potuerant, unius tamen fratris conversi solum meminit, non solum quia primi Patres sua opera prædicare nolebant, sed certe etiam ex defectu suæ memoriæ, ut constare videtur ex historia illa miraculosa Auduini monachi Chartusiæ, intra nives et ruinas monasterii post dies duodecim vivi reperti, quam omisit Petrus, licet eam optime nosset, cum de casu illo nivium et rupium consolatoriam scripserit ad Guigonem epistolam, quam suo loco in Annalibus dabimus.

293. « Sed quod magis miraberis, nihil Petrus de sancto Hugone abbate Cluniacensi, a quo monasticum habitum susceperat, præter quamdam visionem, narravit; a quo tamen multa præclara et stupenda miracula, tum in vita, tum post mortem patrata, legimus in ejus Vita. Debilem itaque argumentationem ex silentio Petri Cluniacensis rimatus est cum Massono Launoius, qui sola illa ratione historiam hanc nomine fabulæ et anilis narrationis traduxit. Cujus si regulis teneremur, inter fabulas etiam censeremus, quidquid de aliis sanctis Petrus tacuit. » Hæc omnia Carthusianus noster anonymus. Sed an negativo, quod e Petri Cluniacensis silentio formatur, argumento vim omnem adimunt? A Petro Venerabili, ait quantum ad substantiam, duntaxat quinque aut sex, quæ ad Cluniacensem ordinem non spectent, miracula recensentur, ac proin pauca hæc inter non inveniri prodigiosam doctoris damnati anastasim, mirum non est, maxime cum Petrus stellarum septem visionem, S. Hugoni Gratianopolitano episcopo, dum ad eum S. Bruno cum sex sociis accederet. oblata. aliaque nonnulla ad S. Brunonem spectantia, silentio etiam præterierit. Atque hæc quidem, ob quam petitum e Petri silentio contra doctoris damnati historiam argumentum enerve putat ac infirmum, rotio videtur præcipua; verum etsi omnia fere miracula, quæ Petrus litteris consignavit, ad Cluniacensem ordinem spectent, hic tamen scriptor propositum sibi habebat ad posteros transmittere etiam miracula, quæ alibi,

www.libtool.com.cn

quam in Cluniacensi suo ordine, evenissent. « Hæc, inquit lib. II, cap. 28,.., in toto isto opere principalis, ut sæpe jam dixi, fuit mihi causa scribendi, hoc est miracula ubilibet, et quolibet tempore facta ad præsentium vel posterorum memoriam transmittendi. » Audi etiam, quæ huc facientia in eodem libro secundo fuerat præfatus. « Quoniam ad roborandam fidem (verba sunt Petri) et mores instituendos miracula nostro tempore vel circa nostra tempora gesta, quorum cognito indubia datur, scribere proposui. Post eo, quæ præmissa sunt, alia quoque legentibus vel audientibus non minus, ut credo, utilia adjungenda sunt.

294. « In quibus, ut supra jam dixi, nullum temporis ordinem servo, nullius generis miracula vito, sed sicut ea vel olim didici, vel quotidie a diversis et fide dignis discere possum, scripturæ commendo. » Ut quid ergo Petrus, cui, ut ex hisce recitatis verbis intelligitur, quæcunque et ubicunque gesta miracula in litteras mittere propositum erat, silentio præteriit, si factum unquam sit, horrendum illud prodigium, quo doctor Parisiensis tantisper redivivus, justo Dei judicio se damnatum, publice coram innumera propemodum populi multitudine e feretro proclamarit? Ais quidem, multa alia prodigia ac miracula silentio pariter a Petro involvi; verum isthæc, quæ pariter ab hoc scriptore non memorantur, sunt hujusmodi, ut facile ab eo vel ignorari, vel cum scriberet, in memoria non haberi, vel denique velut minus notatu digna præteriri potuerint. At vero Parisiense prodigium, utpote quod in opinione, quam hic discutimus, coram innumera propemodum populi multitudine factum, longeque proinde ac late divulgatum atque ad posteritatem transmissum fuisset, ignorari haud facile ab eodem Petro potuisset, a quo etiam proinde, utpote simul et notatu dignissimum, et ad finem præterea a Petro intentum, seu «ad fidem (adi ejus verba proxime recitata) roborandam» bonosque mores inspirandos longe aptissimum verosimiliter et in mente habitum, et commemoratum fuisset, maxime cum Petrus in super studium et operam posuerit, ut, quæ ad ordinem Carthusiensem spectabant, miracula undecunque conquireret, compertaque litterarum monumentis consignaret, uti ipsemet libro II, cap. 29 indicat hisce verbis. « Multa quidem in illo sacro (Carthusiensium scilicet) ordine miracula contigisse, a pluribus accepi, sed quia ipsi humilitatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera sua, quanto possunt nisu, occultant, vix aliquid ex his prodere aliqui voluerunt. Rara, imo rarissima, quibus omnimoda fides accommodanda esset, ad me miracula pervenerunt; quæ tamen absque dubio comperi, tacere nec volo, nec proposui. »

295. Ad hæc Petrus lib. II, cap. 28 sic scribit: « Servatur in Burgundiæ finibus inter omnes Europæ nostræ monastici ordinis professiones professio quædam, multis aliis ejusdem monastici propositi sanctior et cautior, instituta nostro tempore a quibusdam Patribus magnis, doctis et sanctis, magistro Brunone, magistro Lauduino Italico ac quibusdam aliis. » Quibus verbis cum pauca saltem de Carthusiensis ordinis institutione commemoret, verosimile apparet, scriptorem illum, qui totus est in referendis miraculis apta hac exponendi, quæ sacri illius instituendi ordinis causa fuisset, occasione obtenta, luctuosam juxta ac prodigiosam doctoris damnati historiam, si locum unquam hæc obtinuisset, silentio non fuisse præteriturum. Omnibus itaque, quæ Carthusiani anonymi verbis supra recitatis includuntur, rationibus rite expensis, argumento negativo, quod e Petri Venerabilis silentio contra doctoris Parisiensis anastasim formatur, omnem prorsus vim denegare non ausim, etsi interim multum absit, ut Launoio assentiar, qui in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione vel ob solum Petri Venerabilis de prodigiosa doctoris anastasi silentium fabulis commentisque hanc accensendam autumat. Et vero, cum Petrus (adi ejus verba num. præced. recitata) diserte affirmet, sese rara, imo rarissima, quæ ad ordinem Carthusiensem spectarent, fidemque omnimodam mererentur, miracula intellexisse, eaque nihilominus, quæ indubitata esse, comperit, litteris mandasse, fieri potest, ut horribilem doctoris damnati historiam, ut ut sibi non ignotam, commemorandam non duxerit, quod eam, utpote quam forte nullis prorsus litterarum monumentis, sed sola traditione populive fama intellexisset, pro omnino certa atque indubitata non haberet.

§ XVII. *Quid de aliorum, quos Launoius præterea laudai, scriptorum antiquorum silentio statui debeat.*

296. Inter scriptores antiquos, silendo, ut vult Launouis, prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim a vero alienam testatos, esse etiam nonnullos, quorum silentium aut nulla, aut valde exiguâ contra hanc vi pollet, jam supra indicavi. Verum iis, de quorum silentio duobus proxime prægressis §§ disserui, hic adhuc ex recensitis a Launoio alios nonnullos, a Bulæo in Universitatis Parisiensis Historia t. I adductos, addere idcirco lubet, quod illorum omnium silentium contra hunc scriptorem, maximi id facientem, nullius prorsus esse roboris contendat Carthusianus anonymus, Annalium ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor, cujus argumenta omnia, doctoris damnati historiæ utcunque suffragantia, in medium statui proferre. A Sigeberto Gemblacensi duco initium. Hic in chronographia ad annum 1084 de sancto Brunone sic scribit: « Bruno natione Teutonicus ex urbe Colonia, litteris apprime eruditus, Remensis ecclesiæ canonicus et scholarum magister, relicto sæculo, eremum Carthusiæ fundat, propositumque monasticæ conversationis satis arduum instituit. Hujus sancti propositi cooperator et æmulator beatæ memoriæ Hugo, Gratianopolitanus episcopus ab eodem Brunone habitum monachicum sumpsit, cunctisque ibi habitantibus insigne

www.libtool.com.cn

præbuit exemplum. » Launoius, in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum dissertatione recitatis etiam hisce verbis, subdit : « Hæc ex editione Pistorii, quæ in editione Miræi desunt. Miræus tamen in editione sua unum Sigeberti manuscriptum codicem e bibliotheca Justi Lipsii citat, in quo hæc erant de Brunone : « In vasta eremo, quæ » Carthusia dicitur, apud Gratianopolim monaste- » rium et cellas ædificare incipit. »

279. « Hæc omnia lectorem celare nolui, ne sibi fucum ex Sigeberto fieri queratur. Sed sive Lipsii codicem, sive Pistorii editionem sequamur, inde constabit semper, apud antiquos omnes ratam non esse de doctore narrationem. » Ita Launoius, recte sane hic innuens, Chronographiæ Sigebertinæ per pistorium editionem in verbis proxime ex hac recitatis a genuino Sigeberti textu deflectere. Id porro Carthusianus noster anonymus operis sui num. 101 amplius declarat hunc in moddum : « Sigebertus dicitur obiisse anno 1113. Quod si ita est, concedi necessario debet hæc verba (supra jam mox recitata) ab aliquo alio ejus Chronographiæ addita fuisse. Nam, ut superius adnotavimus, sub teste quinto Sigeberti de Brunone pars prior eisdem ferme verbis habetur in Chronico quatuor primorum priorum Carthusiæ, quod constat editum tantum post mortem Sigeberti. Nec auctor chronici dici debet ea mutuatus fuisse a Sigeberto; nam quæ sequuntur apud Sigebertum, apertissime declarant, ea fuisse scripta mortuo jam sancto Hugone, qui Sigeberto annis fere viginti superfuit. « Hujus sancti » propositi, » inquit ille subditicius Sigebertus, co- » operator et æmulator beatæ memoriæ Hugo Gra- » tianopolitanus episcopus ab eodem Brunone ha- » bitum monachicum sumpsit, cunctisque ibi habi- » tantibus insigne præbuit exemplum. » Quis non videat, hic verba fieri de Hugone tanquam mortuo et jam inter sanctos relato, cum ornetur titulo «B. memoriæ » et dicatur in præterito « insigne præ- » buit exemplum? » Præterea constat, in iisdem verbis crassissimum irrepsisse errorem, ubi sanctus præsul dicitur habitum monachicum ab eodem Brunone sumpsisse, quod falsissimum probabimus in Annalibus ad annum 1087.

298. « In hos certe errores Sigebertus non impegisset, qui vivebat eodem tempore, quo sanctus Hugo Carthusiam frequentabat, et pluribus ante eum annis obiit. Sed etsi hæc concederentur ab eodem Sigeberto scripta fuisse, nihil nobis obessent, cum ille minus historicus dicendus sit, quam compendiator qui nihil habet eorum, quæ a cæteris digeruntur. » Sane verba, e Sigeberti Gemblecansis Chronographia supra huc transcripta, Sigeberti non esse, sed scriptoris posterioris, qui in hanc illa intrusit, Carthusianus noster anonymus, sibi etiam Launoium, uti proxime recitata hujus verba satis indicant suffragantem habens, merito hic contendit. Atque id quidem etiam sufficienter, ne dicam invicte, probatum dat, etsi interim, per verba, quæ assignat, de Hugone, tanquam mortuo, jamque inter sanctos relato, sermonem fieri, perperam existimet e solo, quo hic in illis ornatur, « beatæ memoriæ; titulo, utpote viventibus adhuc, ut Cangius in Glosserio ad vocabulum « Memoria, » aliique docent, per scriptores antiquos subinde etiam attributo. Verum an silentium, quod de prodigiosa doctoris anastasi in laudatis Chronographiæ Sigebertinæ verbis servatur, merito etiam, si hæc Sigeberti vere esse concedantur, nihili fecit? Ita omnino existimo, quod nulla plane occurrat ratio, ob quam verosimile utcumque evadat, futurum fuisse, ut Sigebertus luctuosam illam historiam, ut ut optime etiam sibi perspectam, in paucissimis, quæ de Brunone memoriæ prodit, commemoraret. Atque hinc etiam nullius plane ponderis apparet silentium in iisdem verbis servatum, quiscunque demum sit scriptor antiquus, a quo hæc uti ex dictis factum in Sigeberti Chronographiam fuere illata.

299. Dispiciamus modo, an validius contra Parisiense prodigium ex Roberti de Monte, qui Sigeberti Chronographiam continuavit, silentio arguatur. « Multa, » inquit de hoc scriptore in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum dissertatione cap. I Launoius, « de Carthusianorum institutis, consuetudinibus, et origine ipsa disserit, nec ullum tamen damnato doctori testimonium præbet. » Verba omnia, quæ Roberto de Monte attribuit, huicque suæ contra Parisiense prodigium objectioni Launoius præmittit, Carthusianus noster anonymus transcribit, simulque ad hanc respondet. Textum ejus integrum una cum Roberti, quæ includit, verbis huc transfero. Sic habet : » Robertus de monte... Carthusiensium monachorum ad annum 1131 meminit his verbis : « Monachi Carthusienses paulatim » pullulabant, qui, præ cæteris continentes, pesti ava- » ritiæ, qua plurimos sub religionis habitu laborare » videmus, terminos posuerunt, dum certum nume- » rum hominum, animalium, possessionum, quem eis » prætergredi nullo modo liceat, statuerunt ; et ipsi » singulas singuli cellulas habentes, ac raro nisi vel » ob Dei cultum, vel ob mutuum in charitate solatium » convenientes, perfectius mori mundo, et cæteris » tanto diligentius, quanto secretius vivere Deo elege- » runt, » Hæc Robertus in editione, qua usus est Launoius ; nam in editione, quam modo præ manibus habemus, facta anno 1651 Lutetiæ Parisiorum apud Joannem Billaine studio et opera doctissimi ac religiosissimi Lucæ Dacherii nihil prorsus ad præfatum annum 1131, neque in tota Appendice de Carthusiensibus habetur, sicut neque ad annum 1132, ubi Launoius hæc de sancto Hugone in suo exemplari legit : « Obiit vir sanctus, Hugo Gratia- » nopolitanus episcopus, cujus religiosam admo- » dum vitam conscripsit Guigo prior Carthusiæ. »

300. « Codicem, quem habuit Dacherius, autographum existimat; unde liquet, ea, quæ de sanctis Brunone et Hugone in aliis codicibus reperta sunt, a quodam recentiore fuisse adjecta. Quod etsi nobis

www.libtool.com.cn

sufficeret ad rejiciendam verborum a Launoio relatorum auctoritatem, nihilominus ac si essent genuina Roberti verba, Launoio respondemus, I Robertum in tota sua Appendice ad Sigebertum juxta nostram editionem nihil referre eorum quæ acciderant ante annum 1101, quo Chronicon Sigeberti persequi cœpit, nisi quando agit de principum genealogia vel episcoporum successione, quæ quidem altius nonnunquam, licet raro repetit. II Verba a Launoio relata, non de initiis ordinis loqui, sed de ejus progressu, ut ex ipsissimis verbis apparet, « Monachi Carthusienses paulatim pullulabant.» Et revera eorum anno 1131, id est, fere quinquaginta post fundatum ordinem annis erant tantum quinque aut sex domus Carthusiensis instituti in tota Ecclesia. III Roberti præcipuum in hac Appendice scopum fuisse, Northmannorum et Anglorum historiam describere, quod ipsemet profitetur in prologo his » verbis : « Igitur quia prædictus Sigebertus » Chronica sua incipit ab anno Incarnationis Domi- » nicæ 381, et produxit ea usque ad annum eju- » sdem Dominicæ Incarnationis 1100, ergo exinde... » usque ad annum 1182 ea, quæ in diversis pro- » vinciis et maxime in Northmannia et Anglia eve- » nerunt, et ad meam notitiam pervenerunt, sub » annis Dominicæ Incarnationis colligere aggre- » diar. Et hoc ideo libentius, quia volo gesta pri- » mi Henrici, strenuissimi regis Anglorum et du- » cis Northmannorum a quo habeo incipere, sum- » matim per singulos annos adnotare. »

301. « Stetit promissis Robertus; nam per totum suum opus nullum præterit annum, quo de Northmannis et Anglis multa non referat, sæpe nihil vel paucissima de aliis provinciis scribens IV Robertum nihil fere de aliis ordinibus aut de eorum originibus et institutis scripsisse in hac Appendice; unde non mirum, si de Carthusiensibus etiam siluerit, aut tam pauca dixerit juxta citationem a Launoio factam. Denique notandum, hunc auctorem in suo prologo innuere quidem, multa se relaturum prodigia, ut etiam fecit, sed constat, eum tantum de iis meminisse, quæ evenerunt ab anno 1101, ut jam supra monuimus. Non est igitur Robertus annumerandus inter auctores, « Qui famosam damnati hominis » anastasim non prætermisissent, si etiam aut » legissent) aut audivissent accidisse. » Neque contrarium concludi debet ex verbis ejusdem Roberti, qui in Tractatu de immutatione ordinis monachorum de abbatibus et abbatiis Northmannorum capite II de origine Carthusiensium hæc habet : « Eodem » fere tempore, quo ordo Cisterciensis in Cabillo- » nensi parochia exortus est, Carthusiensis etiam in » episcopatu Gratianopolitano adinventus est. Genus » hoc eremitarum sub priore agit, nec numerum » tertium decimum multitudo transcendit. Unus- » quisque in cella sua privatis diebus separatus ab » aliis orat, dormit et manducat ; quæ tamen cellæ » contiguæ et loco conjunctæ sunt. Festis diebus » ad ecclesiam et ad mensam conveniunt, et de » spiritualibus inter se conferunt, Instituta vero et » diurni et nocturni officii secundum regulam » sancti Benedicti persolvunt. »

302. « Hæc ille, qui causam vel occasianem, quæ sanctum Brunonem in eremum impulit, non affert, quia nihil omnino de Sancto Brunone, nec ipsius nomen habet. Sed tantum loquitur de quibusdam Carthusiensium moribus, quos ex Guigonis nostri Consuetudinibus videtur hausisse. Sic et de aliis aliorum ordinum fundatoribus et patriarchis tam summatim meminit. ut nihil fere de iis referat memorabile, contentus tempus conversionis eorum assignare cum anno, quo vel sæculo abrenuntiaverunt vel suum institutum inchoaverunt. » Luculentissime profecto hæc evincunt, aut parum admodum aut nihil luctuosæ damnati historiæ officere servatum de hac a Roberto de Monte silentium. Neque vero vel hoc, vel quod supra jam memoratum, Sigeberti Gemblacensis scriptorisve antiqui, qui in hujus Chronographiam num. 296 huc transcripta verba intulit, silentium ad horrendi prodigii falsitatem monstrandam multum conducere, existimavit ipsemet Launoius, utpote ex recitatis amborum scriptorum illorum verbis, in quibus nihil omnino de infausti doctoris anastasi occurrit, contra Raynaudum duntaxat inferens, ratam hanc apud omnes scriptores antiquos non esse; quod, ut verum sit, falsum esse luctuosum illum eventum, non requiritur. Sed hæc de Sigeberti Robertique de Monte, qui hujus Chronographiam prosecutus est, silentio dicta sufficiant. Inter scriptores antiquos a Launoio recensitos, quorum de damnato doctore silentium majori in pretio Bulæus habuit, locum etiam obtinet Gaudefredus Vosiensis prior, qui Chronicon, a Labbeo tom. II Biblothecæ novæ librorum mss. publici juris factum, sæculo duodecimo senescente contexuit.

303. Scriptor ille in hoc suo opere cap. 21 sic scribit : « Ordo Carthusiensium sanctissimus incepit hoc tempore, scilicet anno 1086 (imo anno 1084, uti infra probabimus) per Brunonem virum sanctum, natione Alemannum de Colonia Agrippina, magistrum in theologia, cum sex aliis venerabilibus viris in diœcesi Gratianopolitanensi. Hic ordo, teste B. Bernardo, inter omnes ecclesiasticos ordines primatum tenet, non ratione temporis, sed vigore sanctitatis : unde ipse vocat eum speciosissimam columnam Ecclesiæ. Victor papa, dum esset monachus Cassinensis, per somnium vidit Deum, suæ dignationi in solitudine Carthusianæ habitaculum construentem, et dicitur, quod spiritu prophetiæ pollebat. » Verum an ex eo, quod damnati historiæ Gaufredus hic non meminerit, recte contra hanc, veluti vel idcirco fictitiam aut certe commenti suspectam, Launoius et post hunc Bulæus arguunt ? Carthusianus noster anonymus, postquam Gaufredi verba jam nunc recitata in opus suum intulit, ita subjungit : « Hæc Gaufredus, qui nova et hactenus inaudita atque a nullo commemorata nobis revelat,

www.libtool.com.br

dum dicit, Victorem papam spiritu prophetico fundationem ordinis (qua de re quid sit, infra examinabitur) prævidisse, de cujus visione dicemus anno 1086. His Gaufredi verbis (jam proxime recitatis] subjungit Launoius: «Hic de damnato doctore » et canonico loquendi locus erat amplissimus, » Gaufredus tacuit, quia tunc illud otiosi homines » nondum invexerant.»

304. « Sed illud jam, non quidem invexerant,sed prout a fide dignis sibi fuerat relatum,scriptis mandaverant anonymus noster Carthusiensis et Cæsarius Eisterbacensis Gaufredi coætanei. Neque mirum, si Gaufredus illud tacuerit, cum et fere alia omnia de sancto Brunone et ordine dicenda tacuerit, qui etiam historiam, jam ab annis centum et ultra peractam, cujusque memoria tunc apud solos pene Carthusienses servata fuerat, ignorare poterat. » Quod si historia illa publice ingenti hominum astante multitudine, acciderit, nulla ratione verosimile apparet, ejus memoriam ætate Gaufredi, qui centum nondum, imo forte ne sexaginta quidem,a Brunonis» obitu elapsis annis floruit,apud solos pene Carthusienses superfuisse. Quis ergo factum credat, ut horrendum prodigium ignorarit, ideoque ejus non meminerit Gaufredus? Attamen cum hic scriptor,ut recte etiam observat Carthusianus anonymus alia fere omnia ad Brunonem spectantia omittat, nec ullo ex capite Parisiense prodigium,ut ut perspectum exploratumque id habuisset, pauca inter, quæ de sancto tradit, commemoraturus fuisse videatur, argumentum sane, quod ejus silentium suppeditat, admodum infirmum apparet. Verum, quibus nonnihil plus roboris inesse videtur, nunc subdo. Monachus Antissiodorensis,qui sub finem sæculi XII et initio sequentis, aut certe, Innocentio III summo pontifice, floruit, apud Launoium Dissertatione de vera causa secessus S, Brunonis in eremum cap. I sic scribit : « Circa id tempus S. Hugo, Gratianopolitanus episcopus, vidit per somnium in solitudine Carthusiæ Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris. Et ecce, sanctitatis ejus odore tracti ad ipsum veniunt septem viri, qui omnes uno desiderio succensi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdum repererant.Horum primus magister Bruno,vir religione scentiaque famossissimus alii quatuor litterati, duo laici, quos sanctus Hugo gratanter suscepit, et voti compotes fecit.Ipso namquæjuvante,consulente,comitante,Carthusiæ solitudinem intraverunt. Sic cœpit ordo Carthusiensis, inter cæteros ordines puritate mentium ac theoriæ studio singularis. »

305. Launoius, qui, ut jam innui, in laudata sua Dissertatione verba hæc recitat, iis deinde subjungit: «Non magis» apud hunc,monachum nempe Antissiodorensem, «quam apud alios, » quos nimirum jam ante retulit, « rata est de doctore narratio;et terribilis eventus, qui Brunonem in eremum abegerit. Neque profecto horribilem illius doctoris anastasim præteriisset monachus ille, qui passim memorat incertos rerum exitus,et in plerisque hominibus ancipitem vitæ fortunam, spectra et id genus prodigiorum. » Accipe modo, quid ad hæc reponat Carthusianus noster anonymus. Sic itaque Annalium ordinis sui lib.IV,num.116 habet : « Hæc (verba videlicet monachi Antissiodorensis e Launoio proxime huc transcripta) ille anonymus apud Launoium, qui, ut videtur, hæc omnia ex Vita sancti Hugonis a Guigone edita exscripsit, mutato tantum verborum ordine, cujus propterea testimonio eadem opponimus, quæ superis Guigonis testimonio (adi num. 263 et sequentem] opposuimus. Præterea quid ponderis habeat auctoritas negativa, judicent viri docti. Monachus Antissiodorensis nihil habet de spectaculo, ergo falsum est spectaculum. Si liceret ita argumentari, ipsæ etiam ruerent evangelicæ veritates,quarum multæ in sola nituntur traditione. Sed esto, quod monachus ille «passim memoret.» ut asserit Launoius, «incertos rerum exitus, et in »plerisque hominibus ancipitem vitæ fortunam, » spectra et id genus prodigiorum,» nunquid omnes memorat,vel in omnibus hominibus memorat?Quod certe asserere, videtur temerarium.Quosdam igitur, imo et permultos rerum exitus omisit, et inter illos istud prodigium omittere potuit, sicut et tres sancti evangelistæ piscinam probaticam nimis admirandam, et Lazari suscitationem stupendam omiserant.

306. «Postremo monachus ille,ut habet Launoius, floruit sub Innocentio III,summo pontifice, quo tempore noster anonymus Carthusiensis (videsis hujus testimonium num. 199 et seq., uti etiam dicta num. 12 et seqq.) primus omnium cæpit hanc historiam scriptis mandare, cujus memoria apud solos fere Carthusienses, adhuc paulatim tantum pullulantes custodiebatur. Unde non mirum, si monachus ille Antissiodorensis, cui forsan cum Carthusiensibus nulla intercedebat consuetudo, veram non noverit ordinis originem, cujus nullam propterea causam attulit, sed sola verba exscripsit, quæ in Vita sancti Hugonis legerat. Denique cum præfati auctoris Chronicon modo non habeamus præ manibus,plura ex eo contra Launoium elicere non possumus. » Ita ille ; an autem in omnibus recte, nunc dicendum. Ac primo quidem, cum dubium non appareat,quin monachus Antissiodorensis supra huc transcripta verba ex Hugonis Gratianopolitani episcopi Vita, per Guigonem quintum Carthusiæ priorem scripta, deprompserit, servatumque ab hoc in illis de doctoris Parisiensis anastasi silentium nulla omnino contra hanc (adi num. 265) vi polleat, consectarium fit, ut nec, quod in iisdem monachus Antissiodorensis de eadem servat, magni roboris sit. Quod vero pertinet ad silentium, quo hic omnibus etiam aliis Chronici sui locis horrendum prodigium præterit, inde etiam, falsum hoc esse, haud recte concluditur. Cum enim,ut Carthusianus noster anonymus recte observat, non omnes prorsus rerum

www.libroboi.com.ch

exitus commemoret, horribile doctoris exitium esse potest ex iis, quos silentio suppressit. Attamen cum monachus ille, ut Launoius innuit, multus equidem sit in recensendis prodigiis, minus verosimile apparet, futurum fuisse, ut Parisiense, si contigisset, damnati spectaculum, cæteris omnibus, quæ narrat, prodigiis memoratu utique longe dignius, litteris consignare omitteret.

307. Atque hinc jam fit, ut ad eorum qui luctuosum eventum negant, opinionem e laudato Antissiodorensi monacho, silentio hunc prætereunte, robur qualecunque accedat. Nec juvat reponere, horrendam historiam, utpote cujus vere facta memoria apud solos fere Carthusienses sæculo tertio decimo superfuerit, Antissiodorensi monacho, qui tunc ex dictis floruit, fuisse ignoratam; quamparum enim verosimile id sit, ex jam supra dictis liquet. Porro rationes, similes fere ac pares iis, ob quas, ut modo docui, monachi Antissiodorensis silentium contra prodigiosam doctoris anastasim robur obtinet, faciunt etiam, ut eidem Malleacensis Chronici, cujus auctor circa annum 1140 floruit, silentium officiat. De hoc enim Chronico Launoius in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum dissertatione, cap. 1, ita loquitur: «Plenum est visionibus et eventis memorabilibus, quæ ab auctore eupidissime narrantur; ut vel inde judices, nusquam prætermissurum fuisse tale spectaculum, si contigisset et ea contigisset ratione, quæ libros auctorum omnium implevisset;» Launoio autem in iis, quæ hic de Malleacensi Chronico, seu potius de hujus auctore affirmat esse assentiendum, ipsummet inspectum docebit hoc Chronicon, quod apud Labbeum tomo II Bibliothecæ novæ librorum mss. modo exstat insertum. Nec omni etiam vi destituitur de doctoris anastasi silentium ab auctore Florum mss. Historiarum Adamo, Vincentio Bellovacensi et scriptore Chronici S. Martini Turonensis servatum. Etsi enim tres hi scriptores, ut Carthusianus noster anonymus recte observat, verba sua, a Launoio recitata, vel ex Guigone quinto Carthusiæ priore, vel ex Gaufredo Vosiensi, vel ex aliis denique, quorum silentium ex dictis aut nihil omnino, aut certe parum admodum prodigiosæ anastasi obest, indubie acceperint, alios tamen etiam non paucos scriptores, sæculo XIII, quo floruerunt, antiquiores, adhibuere atque in hisce si quid memoratu dignum invenerunt, id in lucubrationes suas passim intulere.

308. Quare cum nullam uspiam in hisce doctoris redivivi, qui, sese justo Dei judicio damnatum, publice e feretro astantibus denuntiavit, mentionem faciant, argumento id est, apud scriptores illos, e quibus forte aliqui temporum injuria modo etiam periere, a Vincentio aliisque duobus laudatis scriptoribus feralem historiam non fuisse inventam. Unde fit, ut contra hanc non parum faciant tres isti scriptores, utpote silentio suo silentium aliorum omnium, a se adhibitorum, quodammodo testantes involventesque, quorum tamen aliqui saltem luctuosum hujusmodi notatuque dignissimum eventum, si locum unquam habuisset, verosimiliter sciturі memoraturique fuissent. Cæterum scriptoribus antiquis, qui silentio suo horribili prodigio, utpote id pariter, si fuisset, verosimiliter vel argumenti, quod tractarunt, ratione, vel aliqua quacunque de causa commemoraturi, utcunque officiunt; addi etiam possent, tum Hugo Flaviniacensis multique alii, a Launoio non memorati, quos hic enumerare necessum non est, tum maxime ascetici, divinique verbi præcones, qui, cum, ut homines et a vitiis peccatisque avocarent, et ad virtutem inflammarent, sermones pios habuerint, tractatus sacros ediderint, religiosas meditationes composuerint, horribile illud prodigium, si contigisset, alicubi in hisce verosimiliter commemorassent, utpote quo nihil fere ad finem a se intentum magis aptum magisque conducens excogitare aut fingere potuissent. Hinc Launoius dissertationis sæpissime jam laudatæ cap. 1 scriptoribus antiquis, quorum silentium prodigiosæ doctoris anastasi officit, etiam Humbertum Burgundum, quintum prædicatorum generalem magistrum, et S. Bernardum, Clarævallensem abbatem, accenset: ac priorem quidem recte; at non item posteriorem, habita etiam ratione epistolæ, ad fratres de Monte Dei conscriptæ.

309. Hic enim sanctus, quo ad vitia vitanda virtutemque amplectendam legentes audientesve excitet, unice fere, quæ sacra Scriptura suppeditat, incitamenta in sermonibus piis, quos habuit tractatibusque sacris, quos edidit, adhibere est solitus: epistolam autem, ad fratres de Monte Dei scriptam, non Bernardi, sed Willelmi, monasterii S. Theodorici prope Remos abbatis, fetum esse, Mabilonius tom. II Operum S. Bernardi pag. 198 et post eum Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. XI pag. 654 dilucide ostendunt, certeque sancto huic abbati non posse attribui, apud omnes modo eruditos in confesso est. Nec est tamen, cur hinc modo inferas Willelmum S. Theodorici prope Remos abbatem, cujus ex jam dictis laudata epistola est, auctoribus antiquis, quorum silentium luctuosæ damnati doctoris historiæ officit, esse accensendum. Etsi enim Willelmus vere sit antiquus, nihil tamen occurrit, quo verosimile utcunque fiat, futurum fuisse, ut horribile prodigium, si factum id scivisset, in epistola illa commemoraret. Quod modo ad alios, quos Launoius in rem suam adhuc adducit, scriptores pertinet, iis hic, quod tales, si forte Joannem de S. Victore exceperis, non sint, ut famosam doctoris anastasim, si eam aut legissent uspiam, aut audivissent accidisse, commemoraturi verosimiliter fuissent nominatim recensendis, ut supra facturum me monui, supersedeo, et ad discutiendas, ad institutum nostrum præcipue spectantes, quas ex auctorum a se laudatorum silentio Launoius format, conclusiones progredior.

www.libreria.com.br

§ XVIII. *Conclusiones præcipue, quas Launoius ex scriptorum antiquorum, a se adductorum, silentio format, discutiuntur.*

310. Ut quid contra luctuosam doctoris damnati historiam, et an tantum, quantum Launoius vult, antiquorum scriptorum silentium seu potius formata ex hoc argumenta negativa valeant, magis adhuc eluceseat, juverit, hisce modo discussis, conclusiones etiam quas Launoius ex iisdem sequi asserit, examinare. Atque id quidem, ne vel huic scriptori, cujus de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertationem librorum prohibitorum Catalogo Romana censura novi ascriptam, nimium attribuisse, vel, quæ Launoio anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor opponit, argumenta infirmasse videar, ea ratione præstabo, ut ipsa tum hujus, tum illius verba plerumque descripturus sim, ac tum demum, quæ mea de Launoii conclusionibus, Carthusianique ad has responsionibus sit opinio, adjuncturus. Launoius itaque ex auctorum omnium, quos adduxit, silentio primum concludit, « Coloratam illam et picturatam (in Carthusia scilicet Parisiensi præcipue) historiam, quæ secedendi in eremum causam Brunoni dedisse fertur, obrui contumaci silentio auctorum omnium, qui ab anno Christi 1084 ad annum 1322 et eo amplius claruerunt. Quod apud cordatos atque eruditos homines sufficit ad fabulæ confutationem. In cumulum accedit hinc auctoritas Brunonis ipsius, Carthusianorum fundatoris, qui non Lutetiæ Parisiorum, sed Durocortori Remorum abeundi in eremum causam accepisse se scribit; inde Guiberti Novigentini abbatis testimonium, qui certam abitus in eremum causam poculiariter designat. Uterque Parisiensem de canonico et doctore redivivo fabulam exscindit, et simplicem veritatis rationem exponit. »

311. En modo quid, recitatis hisce Launoii verbis Carthusianus noster anonymus reponat. Hæc, » inquit, « habet Launoius, quasi diceret: Hi scriptores hanc historiam tacuerunt, ergo eam veram esse negaverunt. De robore hujusmodi argumentationis judicet lector. Sed nos dicamus, quod in superioribus satis docuimus, nempe auctores illos hoc prodigium siluisse, sicut alia S. Brunonis præclare facta siluerunt. Nullus enim ex tot allatis a Launoio scriptoribus Vitam S. Brunonis describere agressus est; sed omnes, quidquid de eo vel de Carthusiensium ordine scripserunt, paucisssimis verbis more compendiatorum illud tradiderunt. Imo plerique S. Brunonem de solo nomine appellarunt; alii nec ipsum nomen expresserunt: aliis vero, qui fusius de eo locuti sunt, satis fuit, quatuor aut quinque lineis dicere, quod fuerit institutor ordinis Carthusiensis, illumque tali anno et sub tali pontifice instituerit. Quidem erga Carthusienses bene affecti plura de eorum statutis, moribus et consuetudinibus scripserunt; sed nullus de institutione eorum, de causa originis aut de aliis ab eis et apud nos præclare gestis singulariter tractare in animo habuit

A Unde non mirum, si apud citatos auctores nihil occurrat de redivivi hominis spectaculo. Sed quando Carthusiensis ordo cœpit propagari, anonymus noster, qui primus circa annum 1220 (imo verosimiliter, ut num. 12 et seqq. docui, non ante annum 1250) de industria suscepit initia illius mandare litteris, fusius ac prolixius Acta S. Brunonis describens, hanc anastasim secessus illius in eremum causa fuisse, edisserere non omisit. »

312. Hæc ille, transcriptis deinde, quæ jam recitavi, hisce Launoii verbis. « In cumulum accedit, » etc., sic pergens: « Jam supra satis ostendimus, sanctum Brunonem non Dorocortori Remorum, sed Lutetiæ Parisiorum consilium secedendi in eremum accepisse, ut etiam censet doctus Bulæus. Præterea B quam incertum sit Guiberti testimonium, patet ex tot hallucinationibus, quas in textu narrationis illius deteximus. » Ut quæ de hisce modo mea sit opinio, paucis edicam, sane Launoius ex omnium, quos in medium adducit, auctorum de funesta doctoris anastasi silentio perperam hanc in fabulis habendam, seu indubie falsam esse, concludit, uti infra ostendam, cum, quid contra luctuosum eventum universale de hoc scriptorum omnium tum æqualium, tum aliorum posteriorum silentium valeat, inquiram. Enerve autem ac elumbe prorsus non esse aliquorum, quos Launoius citat, scriptorum silentium, seu negativa, quæ ex hoc formantur, argumenta omni prorsus vi non carere, supra probavi, ac nominatim quidem negativo, quod ex C Guiberti, Novigentini abbatis, silentio deducitur, argunento roboris nonnihil inesse satis superque, quantum opinor, quæ num. 267 et seqq. in medium adduxi, evincunt, etsi interim rerum, ad S. Brunonem institumque ab eo ordinem spectantium, Guibertus sat peritus haud fuerit, uti etiam fatendum esse ibidem edixi. Ad secundam Launoii conclusionem progrediamur.

313. « Alterum, » inquit, quod ex auctorum adductorum silentio sequitur, est, « Romani Breviarii correctores in iis, quæ e sancti Brunonis Lectionibus expunxerunt, apprime secutos esse Ecclesiæ canones, quibus sancitur, ut quidquid a veritate alienum in sacrorum officiorum codices irrepsit, D tollatur. » Sed quid modo ad hæc Carthusianus noster anonymus? « Ergo, » inquit, « si vera est hæc Launoii argumentandi ratio, quidquid Breviarii Romani correctores e Lectionibus sancti Brunonis expunxerunt, a veritate alienum erat: ergo et præclara illa fidei professio, a S. Brunone in extremis posito emissa et e Lectionibus ejusdem sublata, aliena est a veritate. Quis hoc dicat aut dicere cogitet? Certe nec ipsum Launoium hæc dicturum fuisse credimus, si rem attentius observasset: Veram igitur causam, quæ censores Romanos, viros doctissimos ac sapientissimos movit, ut cum spectaculum illud, tum professionem fidei a Breviario auferrent, hanc fuisse ipsimet censores significarunt, nempe quod illæ lectiones essent justo prolixiores. » Sane

www.libtool.com.cn

e Lectionibus S. Brunonis prodigiosam doctoris anastasim non idcirco, quod falsa putaretur, fuisse expunctam, indubitatum faciunt, quæ num. 190 et binis seqq. in medium sunt adducta. Nec est, quod quis pro Launoio reponat, solam deprehensam falsitatem esse posse causam, ob quam quid e Breviario expungatur. Id enim a vero alienum non obscure fatetur ipsemet Launoius in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione cap. 5 in conclusione sic scribens: « Alia nulla potior causa (e Breviario scilicet quid expungendi) ecclesiasticis præscribitur regulis, quam deprehensa falsitas « Quibus verbis cum affirmet, potiorem falsitate quidquam e Breviario expungendi causam non dari, aliam utique dari præterea posse agnoscit.

314. Sed quid porro Launoius e citatorum a se auctorum silentio pergat concludere, audiamus. « Tertium » est, inquit, « quod Bruno Parisiensis theologus fuerit, scholasque Lutetiæ aliquando rexerit, posse adhuc ex nocturnis illius vigiliis tolli, non solum quia veterum auctorum nemo Brunonem magistrum Parisiensem fecerit, vel scholas Lutetiæ rexisse dixerit, uti vidimus, sed etiam quia ante Brunonis ætatem statum fuisse Parisiis theologiæ studium, atque ibi magisterium in theologia dari solitum, vix probaretur. » Quod ad hæc respondet Carthusianus noster anonymus, nullius momenti est; neque enim Bulæus, ut ait, Lutetiæ aliquando studuisse scholasque rexisse Brunonem, auctoritatibus argumentisque, quæ adducit, ullatenus evincit. Res liquet ex supra dictis, ac præcipue ex iis, quibus Brunonem Parisiis verosimillime nunquam docuisse, dubiumque etiam esse, an ibidem unquam studuerit, ostendimus. Launoio itaque, S. Brunonem nec theologum Parisiis fuisse, nec scholas ibidem rexisse, contendenti refragari non possum. Attamen hic scriptor perperam in dubium revocat, an ante sancti nostri ætatem statum Parisiis theologiæ studium fuerit; etsi enim tunc ibidem magisterium in theologia (neque enim usitati modo in universitatibus gradus diversi excogitati adhuc fuerant) dari non soluerit, artes tamen liberales omnisque generis scientiæ tradebantur, celeberrimaque ac florentissima jam tum Parisiensis civitas gaudebat academia, cui ad universitatis splendorem nihil fere præter nomen deerat, uti probant, quæ Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. VII pag. 102 et seqq. docent. Quartam modo Launoii conclusinem examinemus.

315. «Quartum,» inquit, quod ex laudatorum antiquorum silentio sequitur, est « a Theophilo Raynaudo perperam assertum, eam de triplici doctoris anastasi narrationem, quæ Brunonem in eremum exegerit, apud antiquos omnes ratam esse; deinde falso quoque additum, « quod silentium Petri Cluniacensis de prodigiosa doctoris anastasi et inde impulso ad solitudinem Brunone supplent auctores » perantiqui et illius plerique temporis, quo res gesta » proditur.» Siquidem planum fecimus, Petrum Cluniacensem in iis rerum et temporum conditionibus scripsisse, ut ex ejus silentio æquipollens affirmationi ratio ducatur; deinde nullos esse Brunonis vel Petri Cluniacensis æquales, supparesve auctores, qui huic de doctoris anastasi historiæ patrocinentur. Quin etiam unicus Guibertus abbas de Novigento productus id habet, quod et sumptum ex silentio Petri Cluniacesis argumentum solide confirmat, et omnem institutæ Carthusiensium religionis causam dilucide exponit. » Nec hic quidquam, quod hanc Launoii conclusionem evertat, Carthusianus noster anonymmus reponit. Et vero hanc quantum ad primum, quod complectitur, veritati esse dissonam, nullu ex capite apparet. Cum enim scriptores antiqui, numero sane non pauci, quos Launoius in rem suam citavit, Parisiensis prodigii, seu luctuosæ damnati doctoris historiæ nuspiam meminerint, qua veritatis specie esse hanc apud omnes antiquos ratam, possit asseverari? Quod autem ad Petri Cluniacensis et Guiberti silentium pertinet, vim aliquam, non tamen, quam Launoius contendit, formatis inde argumentis negativis inesse, supra ostendi. Launoius interim. Petri Cluniacensis de prodigiosa doctoris anastasi silentium « per auctores antiquos et illius plerosque temporis, quo res gesta traditur, non suppleri, » merito affirmat. Quos enim scriptores hujusmodi Raynaudus laudavit, ex Polycarpo de la Rivière laudavit, quam malæ in hisce obtrudendis fidei exstitisse, Launoius contendit, taciteque Columbius et post hunc (adi num. 196) Papebrochius noster agnoscunt.

316. «Quintum» est (ita in conclusionibus suis pergit Launoius) « didascalicum scriptorem non satis ac curate perpendisse vel certé dissimulasse omnia momenta epistolæ, quam ex Apulia (imo Calabria) Bruno ad Radulphum Remensem præpositum misit... Deinde non minus aberrasse, cum docuit, Petrum Venerabilem ideo spectaculum memoratum non recensuisse, quod ea tantum miracula, quæ suo tempore contigerant, recensere statuisset. Quasi Petrus ipse conceptis verbis non affirmaret, Carthusiensium ordinem fuisse suo tempore institutum. » Ad hæc Carthusianus noster anonymus ita reponit: Certe, quod hic Saussæio Launoius exprobrat, id etiam ei magis juste exprobrari potest. Nam si accurate hæc verba perpendisset, quibus sanctus Bruno fatetur post votum emissum « intervenientibus causis divi» num amorem elanguisse, refriguisse animum, fer» voremque evanuisse; » et ea æquiori judicii lance cum narratione Guiberti de Novigento examinasset, non conclusisset, sanctum Brunonem votum Remis emisisse et statim post relictam urbem Remensem sine ulla mora Carthusiam petiisse. Constat enim ex superius a nobis fuse probatis, sanctum Brunonem non nisi octo post Remis excessum annis in eremum abiisse. Quod autem spectat ætatem Petri Cluniacensis, liquido etiam demonstravimus, ordinem institutum fuisse pluribus, antequam ipse abbas nasceretur, annis, eumque nihil de miraculis apud Carthu-

www.libreria.it

sienses patratis scripsisse præter quasdam visiones, cuidam fratri converso factas circa tempora, quibus opus suum de miraculis edidit, id est, annis fere septuaginta post institutionem ordinis. Hinc lector judicet, si accurate Launoius Petri Cluniacensis verba perpendat, cum asserit, ordinem illius ætate institutum. Sed pro Launoio reponet quis, Petrum Venerabilem conceptis verbis id affirmare. Nam sic loquitur præfatus abbas : « Ser« vatur in Burgundiæ partibus... professio quædam « instituta nostro tempore. »

317. « Verum est, hæc verba esse Petri, sed verum est etiam, quod hæc scripserit septuaginta annis post damnati hominis spectaculum; nec modicum istud est temporis intervallum, imo permagnum, quod, junctis variis, quibus ratione officii detinebatur, negotiis, satis sufficiens fuit, omnem ab ejus animo dicti spectaculi recordationem auferre, sicut et abstulit recordationem multorum mirabilium, sua ætate a viris sanctissimis tam in ordine suo, quam in aliis Ecclesiæ ordinibus gestorum. » Etsi negativis, quæ ex ipsiusmet S. Brunonis in scripta ad Radulphum Viridem epistola et Petri Venerabilis de prodigiosa doctoris anastasi silentio petuntur, argumentis vis tanta, quantam eis tum supra, tum hic in suis conclusionibus Launoius attribuit, neutiquam competat, omnino tamen illa non esse infirma, ac robore destituta, supra ostendi, nec contrarium evincunt, quæ hic Carthusianus noster anonymus Launoio reponit. Etsi enim, Petrum non ante elapsos a Parisiensi prodigio septuaginta annos suæ de miraculis lucubrationi manum admovisse, detur, hoc tamen ab illo, utpote qui tunc in miracula, ad Carthusiensem ordinem spectantia, sedulo ex dictis inquisierit, vel ex ignoratione, vel ex memoriæ lapsu prætermissum fuisse, parum verosimile apparet. Nec refert, alia etiam miracula, et quidem quæ et ætate sua et in ordine suo gesta essent, silentio venerabilem scriptorem præteriisse. Cum enim, ut verbis, num. 393 huc transcriptis, ipsemet indicat, ea recensere miracula, quæ « ad roborandam fidem et mores instituendos » conducerent, propositum sibi habuerit, miracula nonnulla, etiam ad ordinem suum spectantia, potuit omittere, non quod ea incomperta illi essent memoriave antea scita excidissent, sed quod ad mox dictum finem haud satis viderentur idonea; ad quem cum vix aliud quidquam magis conducens, quam Parisiense prodigium, fingi queat fit mihi vel hinc minus verosimile, luctuosum hunc eventum, si locum habuisset, commemorandum non fuisse a Petro Venerabili, cui nihilominus tum cognitus, ut jam dictum, verosimillime fuisset.

318. Sexta et septima conclusione unice fere, quid in ratiocinando discriminis Raynaudum inter et Saussæum intercedere existimet, Launoius assignat ut nos hic morari non debeat. Conclusione octava affirmat, « vulgarem conversionis sancti Brunonis causam, » seu horribile, quo doctor tantisper redivivus, justo Dei judicio sese damnatum, publice e feretro astantibus denuntiarit, Parisiense prodigium, « si revocetur ad natales suos tum demum revocari ad publicum sine auctore rumorem.» Ast contra illam conversionis S. Brunonis causam, si ad natales suos revocata fuerit, non ad publicum si ad natales suos revocata fuerit, non ad publicum sine auctore rumorem sed ad ipsummet S. Brunonem ejusque socios revocatum iri contendit, probareque etiam nititur Carthusianus noster anonymus. « Hi enim, » inquit Annalium ordinis sui lib. IV hactenus non vulgato, num. 124, « probe noverunt, ob quam causam et qua ratione mundo abrenuntiarint, et id absque dubio suis tradiderunt sequacibus. Neminem vero esse arbitramur, qui vellet obstinate asseverare, sanctum Brunonem et socios ejus sequaces suos non edocuisse, qualiter et ob quam causam tam arduum vitæ genus amplexati fuissent; aut ipsum ordinem Carthusiensem ignorasse occasionem et causam suæ institutionis. Hos autem inter sequaces repertus est, qui octoginta aut circiter annis post eorum mortem (de anonymo num. 199 et seq. adducto hic loquitur, qui quo circiter tempore verosimilius floruerit. num. 12 et seqq. docui) causam hanc scriptis mandavit, quod forte etiam ante eum aliquis fecerat, cujus codex lapsu temporum disperire potuit. Crescente vero domorum ordinis numero, crevit et codicis, a nostro anonymo editi, exemplarium numerus, ita ut circa finem sæculi tertii decimi et inititum quarti decimi in omnibus ordinis provinciis reperiretur, et inde historiæ hujus fama in omne vulgus emanaret.» Ita hactenus ille : rectene, an secus, seu an vera ac genuina traditio, cui prodigium Pasisiense seu vulgaris conversionis S. Brunonis causa superstruatur, in ordine Carthusiensi detur, infra discutiam. Ad reliquas Launoii conclusiones pergamus.

319. « Nonum » est, inquit hic scriptor, « vix ullum reperiri figmentum In historia, quod validius, juxta et frequentius (quam prodigium Parisiense scilicet) confutetur, validius quidem, si spectetur instructa tot scriptoribus acies, quæ in eam de horribili doctoris spectaculo narrationem, et quæsitum ex ea Carthusianorum initium dirigitur; frequentius vero, si considerentur ex iis scriptoribus plures, qui seorsim eamdem narrationem et narrationis appendicem evertunt.» Ita Launoius, falsam scilicet esse celebrem de doctoris damnati spectaculo narrationem, contendens, tum quod de horribili illa historia omnes prorsus, quos laudavit, scriptores sileant, tum quod ex his plures sint, qui, cum eamdem, si contigisset, scituri scitamque commemoraturi fuissent, particulari suo silentio, ut pro comperta falsitate haberi debeat efficiunt. Carthusianus noster anonymus paulo aliter, et forte non immerito, proxime recitata Launoii verba accepit, uti liquet ex illius ad hæc responsione, quæ sic habet : « Quis non miretur his in verbis vanam hyperbolen, qua soli simplices decipi possent? nullus ex tot scriptoribus a Launoio allatis historiam refutat aut negat, sed omnes tantum modo

www.libtool.com.cn

eam non narrant, imo narrare possunt aut debent juxta propositum suum, nam omnes parum de sancto Brunone, et nihil de illius conversione habent, ut videre est supra, si unum excipias Guibertum de Novigento. Et nihilominus audet Launoius pronuntiare, « vix ullum reperiri figmentum, quod « validius juxta et frequentius confutetur, » cum e contrario nihil sit invalidius auctoritate negativa qua utitur, tot testimonia producens, nihil adversus veritatem hujus historiæ testificantia.

320. « Quod autem addit, et frequentius confute- « tur, si considerentur ex iis scriptoribus, » quos citavit. « plures, qui seorsim eamdem narrationem « et narrationis appendicem evertunt, » id certe verum non apparet ex discussione, quam de scriptorum eorum auctoritatibus superius fecimus, cum ne unus quidem eorum seorsim, nec conjunctim dictam narrationem, aut ejus appendicem evertat, sed nec tantisper concutiat. » Hactenus Carthusianus anonymus, volens nimirum, argumento negativo contra Launoium, qui ei nimium attribuit, nullam omnino vim inesse, ac proin prodigiosam doctoris anastasim scriptorum antiquorum de hac silentio non tantum non negari, sed nec ulla ratione concuti, nedum convelli. Verum contra hanc roboris non nihil habere præcipuorum e laudatis a Launoio scriptoribus antiquis silentium, jam supra edocui; quantum autem scriptorum prorsus omnium, qui, integro primo et forte etiam secundo post rem gestam sæculo labente, floruerunt, silentium contra eamdem valeat, § sequens aperiet, uti etiam an Launoius in conclusione, de qua hic, celebrem de doctoris damnati spectaculo narrationem, e solo auctorum, quos laudat. silentio pro falsa merito habeat, et velut commentum ac fabulam explodat conclusione decima et ultima de qua ut nonnulla ante hic adhuc dicam, instituti mei ratio exigit.

321. Ultimo itaque, uti hac vult, ex unanimi auctorem omnium, quos adduxit, silentio sequitur, « post annos a condito Carthusianorum ordine ducentos quadraginta et amplius, fictam esse illam de doctoris vel canonici Parisiensis anastasi narrationem, quæ S. Brunonem in eremum impulerit. Hic est, » inquit, « palus terminalis, quo hæc narratio defixa retinetur, hæc est temporis epocha, quæ nullum fabularum vindicibus tergiversandi locum relinquit. » Famosa ergo de doctore, qui publice e feretro sese damnatum, vociferatus sit, naratio post annum demum 1324, utpote ad quem a condito primum Carthusianorum ordine seu ab anno ex dicendis 1084 effluxere anni omnino 240, ab otiosis hominibus tuerit conficta, si Launoio assentiendum hic sit, Verum narrationem illam, si reipsa, quod an factum sit ex infra dicendis statues, fuerit conficta, diu ante dictum annum 1324 confictam esse, necesse est. Eam enim jam ante hunc annum litteris prodidere scriptores nonnulli antiqui, §§ 11 et 12 recensiti, ac in primis quidem, ut reliquos missos faciam, Carthusianus anonymus quinque primorum Carthusiæ priorum Chronici auctor, et Carthusianus Majorevensis itidem anonymus, quorum alter (adi num. 12 et seqq.) certo ante annum 1313, alter anno 1298, uti ipsemet affirmat, scriptioni manum admovit. Paulo plura, huc facientia, Carthusianus noster anonymus, qui annalium ordinis sui librum quartum hactenus non vulgatum contexuit, suppeditat. Verba tamen ejus huc transcribere visum non est, quod pauca jam adducta, quod probandum erat, sufficienter evincant. Nec hoc tantum ex illis habetur, verum etiam Gersonem, contra hac Launoius in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione cap. 2 præterea vult, primum non fuisse, qui anno circiter 1420 feralem de infausto Parisiensi doctore narrationem, aut, quemadmodum hanc vocat, fabulam, aliquandiu jam ante confictam, in litteras miserit. Ad alia modo, quæ sequenti § discutienda. mox dixi, progrediamur.

§ XIX. *Quid contra prodigiosam anastasim, qua doctus Parisiensis, sese damnatum, publice e feretro denuntiarit, universale scriptorum omnium, qui, integro primo et forte etiam secundo post rem gestam sæculo labente, floruerunt, silentium valeat, et an, hoc stante, certam illam aut etiam verosimilem possint efficere testimonia antiqua supra adducta.*

322. Ex adductis a Launoio contra luctuosam doctoris Parisiensis historiam esse nonnullos, qui huic nonnihil silentio suo officiant, quatuor §§ proxime prægressis edocui. Nunc dispiciendum, quid contra feralem illum eventum universale illorum omnium, ac maxime eorum, qui, integro primo ac forte etiam secundo post rem gestam sæculo labente, seu, cum hæc nondum litteris mandata fuisset, floruerunt, scriptorum antiquorum silentium valeat. Launoius Dissertationis suæ sæpissime jam laudatæ locis non paucis mirandum illud memoratuque, si accidit, dignissimum prodigium, veluti indubitatam falsitatem, anilem fabulam, putidumque commentum traducit, idque unice, quod a scriptoribus antiquis, quos laudat, litteris commendatum non sit. Verum an recte? Neutiquam sane, uti ex tis. quæ num. 258 modo dixi, satis patet, ampliusque ex iis, quæ jam nunc dicturus sum, patescet. En unum alterumve, ut alia omittam, exemplum, quo, quæ facta traduntur nec tamen a scriptoribus synchronis litteris consignata reperiuntur, fabulis continuo commentisque accensenda non esse, docemur, Benedictus XIV papa de servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione lib. III, cap. 10. num. 3, circa finem ita memoriæ prodit: « Fama erat, sanctos Faustinum et Jovitam, patronos Brixianæ urbis, in armis aureis apparuisse ad ejusdem tutamen adversus Nicolaum Picininum, Mediolanensium copiarum præfectum, ipsam obsidentem ac maxima vi oppugnantem. Sed a plerisque dubitabatur de miraculo hujus insignis apparationis, silentibus videlicet historici Brixianis æquævis, illudque narrante Elia Capreolo, qui octoginta integris annis post solutam obsidionem decessit et fabulosa quædam suis com-

www.libtool.com.cn

mentariis inseruit; cum opera et studio cardinalis Angeli Mariæ Querini binæ litteræ inventæ sunt Ludovici Fuscareni ad sanctum Laurentium Justinianum, tunc patriarcham Venetiarum, quæ rem totam in aperto ponerent. »

323. « Etenim cum quatuordecim annis post Brixiam ab obsidione liberatam Fuscarenus ejus civitatis administrationem suscepisset, sibi a Veneto senatu demandatam, biduo post aditam provinciam rumor increbuit, consilium initum fuisse a quibusdam religiosis viris inde asportandi Venetias corpora sanctorum Faustini et Jovitæ; ac nisi ipse religiosos illos opportune servasset, populi ira ferroque periissent. Fuscarenus in allatis epistolis causam aperiens pii furoris, qui mentes Brixianorum incenderat, hæc habet : « Memores sunt, cum circumvallati, » inclusi fame laborarent, ultima experirentur peri- » cula, visos ab hostibus tutores sanctissimos aureis » armis Brixiam tueri : quo miraculo attonitus Nico- » laus Picinimus, dux fortissimus, potiundæ urbis » spem perdidit, supplicii petendi, aurumque ha- » bendi aviditatem remisit. Quas ob res difficilius » his corporibus carerent. » Fuscareni epistolæ integræ insertæ sunt in epistola prædicti cardinalis typis edita et ad Patrem Cyprianum Benagliam abbatem et præsidem generalem congregationis Cassinensis data. Post quæ idem doctus cardinalis hæc ad rem subdit: « Superest tandem, ut una mecum fa- » tearis, argumentum, quod negativum criticæ artis » magistri vocant, quoque aliqui ex ipsis haud ita ra- » ro abutuntur ad convellendam monumentorum » ecclesiasticorum auctoritatem, facile accidere » posse, ut omni ipsum auctoritate destitutum com- » periatur. Certe triumphare illud quam maxime » videbatur in subjecta huic epistolæ materia, nam » veterum scriptorum silentium eo vehementius in » eamdem torqueri poterat, quod plures modo » suppetant commentarii, Brixianæ obsidionis tem- » pore de obsidionis illius rebus conscripti.

324. « At quam vanus foret ille triumphus detectæ » a me Fuscareni litteræ ostenderunt. Undenam, » per Deum immortalem, certo divinare se posse, » confidet criticorum illorum natio, priscis illis » monumentis, quibus ipsi præcipiti ausu bellum » indicunt, testimonia hujuscemodi olim defuisse, » cum tot sæculorum lapsu, forte malo fato, aut » omnino interierint, aut in tenebris adhuc deli- » tescant ? » En sane præclarum facti exemplum, quod, etsi revera acciderit, ab auctoribus tamen synchronis memoriæ proditum non invenitur. quodque idcirco semper aut pro falso habitum, aut certe in dubium revocatum fuisset, nisi Fuscaremi litteræ, quæ lucidissimum ei testimonium perhibent, ab eminentissimo cardinale Querino detectæ fuissent; qui interim hinc argumenti negativi vim nimium elevare videtur. Etsi enim hoc non sufficiat, ut quidlibet, cui opponitur, a vero pronuntietur alienum, id tamen (adi num. 258) roboris sibi non rara habet adjunctum, ut factum, contra quod militat, vel magis, vel minus, prout rerum temporumque adjuncta fuerint, vero efficiat absimile; ad quod, ni argumentis negativis locum nunquam esse velis, non requiritur, ut certum, sed tantum ut verosimile sit, rem a scriptoribus antiquis, qui perierint, memoriæ proditam non fuisse; hoc autem habetur, si certo sciatur, a nullis scriptoribus antiquis, modo adhuc exstantibus, litteris consignatam inveniri, quorum aliqui aut unus saltem alterve verosimiliter tales sint, ut eam, si fuisset, scituri, scitamque commemoraturi fuissent. Accipe alterum modo rei, quæ accidit, nec tamen a scriptoribus synchronis memoratur, exemplum.

325. Ab Honorio tertio, summo pontifice, celeberrimam indulgentiam, quæ « Porciunculæ » dicitur, petiisse ac porro impetrasse S. Franciscum Assisiatem, nulli prorsus scriptores, synchroni, imo ne ipsi quidem, qui vitam ejus omnem ac gesta ex instituto diligentissime descripserunt, Thomas Celanus et S. Bonaventura. Hinc sæculo sexto decimo potissimum non defuerunt, qui indulgentiam illam S. Francisco ab Honorio unquam fuisse concessam, vel animo obfirmato negarint, vel saltem in dubium revocarint, hac insuper ratione ad id impulsi, quod disciplinæ usibusque, qui S. Francisci ætate in ecclesia viguerunt, indulgentiæ tam amplæ, quam sit Portiunculana, concessio minime congrueret. Verum sæculo proxime elapso ex antiquis codicibus in lucem tandem (Adi operis nostri tom. II Octobris, p. 887 et sequenti) fuere prolata testimonia, quadraginta circiter post obitum S. Francisci annis, cum indulgentia illa jam tum, quod nullæ de ea litteræ pontificiæ exstarent, in dubium revocata aut etiam negata a nonnullis fuisset, a B. Benedicto Aretino, per ipsum S. Franciscum in ordinem olim admisso, atque a Raynerio de Mariano, hujus Benedicti socio, reddita, quibus hi ambo, dictam indulgentiam et per S. Franciscum petitam et ab Honorio tertio concessam fuisse, e narratione, sibi hac de re a fratre Masseo de Marignano, qui præsens adfuerat, facta, testantur. Accessit potissimum et testimonium aliud, quo Petrus Zalfanus (videsis eumdem operis nostri t. II Octobris, p. 890) testatus est, sese in ecclesia Sanctæ Mariæ de Portiuncula præsentem adfuisse, cum in ea S. Franciscus, septem astantibus episcopis, acceptam ab Honorio indulgentiam promulgaret. Tria porro hæc testimonia dubitare non amplius sinunt, quin insignis illa indulgentia et per S. Franciscum reipsa fuerit petita, et eidem per Honorium concessa, et tamen rei hujus, ut jam dictum, nulli prorsus scriptores contemporanei ac ne ipsi quidem Francisci biographi, ut ut res omnes, ab eo gestas, calamo diligentissime complexi, meminerunt; quod sane argumento est perquam valido, continuo consequens non esse, ut res, quæ a scriptoribus contemporaneis non memorantur, indubie falsæ sint.

326. Jam vero, cum pronum admodum sit, ut res, quæ, etsi gestæ, a scriptoribus contemporaneis non memorantur, silentio etiam a sequioris ævi scripto-

www.libtool.com.cn

ribus prætereantur continuo sane non est, quod tam ab his, quam ab aliis subticetur, pro falso seu pro non facto habendum, ac proin perperam Launoius prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim, quod nec a scriptoribus contemporaneis, nec ab aliis, qui serius post rem gestam floruere, litteris consignata reperiatur, velut inane commentum anilemque fabulam explodit, a veritate omni dubio procul longissime alienam. Nec est cur pro Launoio reponas, antiqua equidem testimonia jam adducta pro indulgentia Portiunculana exstare, legitimamque, ob quam hujus mentio scriptoribus synchronis haud fiat, rationem posse afferri; etsi enim servati a scriptoribus contemporaneis ipsisque S. Francisci biographis de indulgentia Portiunculana silentii ratio non inepta, uti iterum in eodem operis nostri t. II Octobri, p. 890 videre licet, repsa adducatur, fieri tamen potest, ut tam undecimi, quo prodigiosa doctoris anastasis contigisse narratur, quam sequentis sæculi scriptores ob causam nobis ignotam hujus non meminerint: aut, si id displiceat, omnem prodigii illius luctuosique eventus mentionem omittere potuerunt, non quidem, quod legitima quadam ad id impulsi fuerint causa, sed quod in rebus, tempore suo gestis, memoriæ prodendis accurationem aut nullam fere, aut certe mediocrem duntaxat adhibuerint. Apparitionem, qua SS. Faustinus et Jovita Nicolaum Picininum, Mediolanensium copiarum ducem ejusque milites, civitatem Brixianam vi maxima obsidentes, terruerunt, litteris non mandarunt historici Brixiani æquævi, et tamen silentii hujus rationem quæ sat certo sit legitima nullam invenio afferri; unde ea, quam admisere, omissio vel ignotæ nobis causæ, vel modicæ, quam hi in temporis sui rebus adnotandis adhibuerunt, accurationi attribuenda videtur.

327. Quod autem ad supra laudata testimonia, quæ, silentibus licet auctoribus contemporaneis, indulgentium Portiunculanam certam efficiunt, spectat, nihil hoc ad rem facit; liquet enim vel hinc, fieri posse, ut, licet factum quoddam, re centioribus relatum, ab omnibus scriptoribus contemporaneis silentio prematur, re tamen ipsa acciderit. Quod cum ita habeat, perperam sane publice e feris, qui, sese damnatum, astantibus falsam doctoretro denuntiarit, historiam indubie falsam pronuntiaris hac sola de causa, quod ab auctoribus contemporaneis litteris commendata non sit. Nec, quod præterea a scriptoribus aliis, qui serius floruerunt, silentio prætereatur, recte eam Launoius, ut jam dixi, indubie falsam asserit. Verum an saltem luctuosus ille eventus, quod a scriptoribus omnibus tum synchronis, tum aliis qui, integro primo et forte etiam secundo post rem gestam sæculo labente, floruerunt, silentio prematur, pro admodum dubio aut etiam pro probabiliter, seu etiam verosimiliter falso nequit haberi? Ita omnino existimo; etsi enim ex omnibus, quæ horum aliquod supra etiam adductorum de ferali historia silentium suppeditat, argumentis negativis vix ullum, seorsum sumptum, sit admodum validum, omnia tamen simul accepta, nunquam eam habuisse locum, verosimile sane reddunt eo fere modo, quo rationes plures, quæ ad assertionem quampiam stabiliendam concurrunt, solide hanc probabilem nonnunquam, si simul accipiantur, efficiunt, etsi interim singulæ, seorsum acceptæ, parum sint validæ, Et vero cui verosimile non appareat, nunquam habuisse locum prodigium hujusmodi, quod a scriptoribus omnibus proxime dictis silentio præteritur, quodque tamen, si accidisset, per omnium ora et calamos fuisset volitaturum, utpote simul futurum et notatu dignissimum et in opinione, quæ hic discutitur, quæque id publice coram innumera propemodum populi multitudine factum, statuit, omnibus passim notissimum?

328. Neque hic reponas, prodigiosam illam anastasim, qua doctor tantisper redivivus feralis de se judicii denuntiatione ingentem hominum multitudinem terruerit, ut ut silentio a scriptoribus æqualibus et subæqualibus sit suppressa, ab iis tamen, qui non adeo diu post hosce floruerunt, commemorari. Etenim, qui primus luctuosam hanc historiam in litteras misit, Carthusianus est anonymus, qui quinque primorum Carthusiæ priorum Chronicon, cujus § 1 notitiam dedi, concinnavit; hic autem, ut ibidem etiam docui, scriptioni manum verosimillime non ante annum 1250, imo forte ne ante annum quidem 1300 circiter admovit, idque proinde non prius fecerit, quam cum jam anni amplius centum et quinquaginta, imo forte ducenti post gestam seu post horribilem eventum essent elapsi. Dices quidem, scriptorem illum forte jam inde ab anno circiter 1220 aut paulo etiam citius floruisse, sibique prælucentem habuisse scriptorem antiquiorem, e quo, quæ de doctoris redivivi prodigio pulsoque hinc in eremum sancto Patre suo refert, deprompserit. Ast nec unum, nec alterum veritati consonum ullatenus apparet. Imo vero, ut ad id, quod ultimo loco ponitur, primo respondeam, scriptorem nullum antiquiorem, e quo sua hauserit, primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctori præluxisse, ex ipsa, qua hic initio utitur, loquendi formula colligendum videtur. Hæc enim sic habet: « Anno Dominicæ Incarnationis 1082 vel circa illum, dum solemne studium floreret Parisiis, etc., tale prodigium ibi dicitur accidisse. Quidam enim doctor, » etc. Quibus verbis anonymus ille chronologus indicare videtur, sese, quod subjungit doctoris redivivi, prodigium, non in scriptoribus monumentisve antiquioribus legisse, sed ab aliis, viva voce rem narrantibus, accepisse.

329. Ad hæc idem chronologus, si quid alibi e scriptoribus se prægressis acceptum in sancti nostri Vitam intulit, lectorem rei monet, imo etiam horum nomen prodit. Num 10. transcripturus, quæ de S. Brunone ejusque sex sociis in S. Hugonis Gratianopolitani episcopi Vita, a Guigone, quinto Carthusiæ priore scripta, leguntur, verba hæc præmit-

www.libtool.com.cn

tit : « Ut utar omnino verbis scriptis in Legenda Vitæ S. Hugonis episcopi memorati ; » ac deinde recitatis omnibus, quæ ad S. Brunonem ejusque socios spectant, Guigonis verbis subjungit : « Omnia prædicta sunt verba domni Guigonis scripta in Vita S. Hugonis Gratianopolitani episcopi. » Num. 24 et ultimo ubi tempus, quo sanctus post egressum e Carthusia diem extremum clauserit, e quatuor primorum Carthusiæ priorum Chronico, antiquis Guigonis (adi num. 6) Consuetudinibus præfixo, designavit, mox subdit : « Sicut in libris Consuetudinum domni Guigonis, quæ sunt in domo Carthusiæ, continetur. » Quod si itaque, quam narrat, prodigiosam doctoris anastasium e scriptoribus vetustioribus hausisset, id verosimillime etiam aut indicasset, aut hos etiam nominasset, maxime cum feralem illam historiam narraturus, præmittat : « Tale prodigium ibi dicitur accidisse, » facileque ac opportunum, ut rei adeo miræ fidem faceret, fuisset adjungere, a quibus ea dicatur seu narretur. Jam vero, cum hæc ita habeant, verosimillimum utique, ne dicam indubium, apparet, scriptores antiquiores, a quibus Parisiense prodigium memoriæ proditum fuerit, anonymo quinque primorum Carthusiæ priorum chronologo, seu vetustiori sancti nostri biographo non præluxisse; ut proinde hoc ex capite fidem majorem suæ de doctoris damnati anastasi narrationi nequeat adjungere. Porro cum laudatus chronologus seu sancti biographus, ut jam dictum, scriptores antiquiores, si quos ad horribilem de doctore narrationem adhibuisset, nominaturus verosimillime fuisset, nec tamen Cæsarium nominet, consectarium fit, ut scriptoris hujus num. 241 datam narrationem verosimillime aut non viderit, aut hanc a sua existimarit diversam.

330. Quod jam pertinet ad annum 1220, quo circiter aut etiam paulo citius anonymus quinque primorum Carthusiæ priorum chronologus seu sancti nostri biographus floruerit, id ex dictis num. 12 et seqq. verosimiliter secus habet. Nec, etsi ita haberet quidquam inde, quo luctuosa doctoris Parisiensis historia sat certa aut etiam verosimilis redderetur, posset confici. Fac enim, laudatum chronologum, qui primus eam litteris commisit, anno circiter 1220 manum scriptioni reipsa admovisse sic equidem adhuc annis circiter quadraginta et centum a re gesta abfuerit ac proin temporis spatio longiori, quam ut ei fidem indubitatam conciliare queat. Quamvis enim subinde fiat, ut factum, etsi a scriptoribus, qui integro amplius post id gestum sæculo floruerunt, duntaxat commemoratum, pro verosimili, imo etiam pro certo sit habendum, id tamen, ut apparet, locum habere non potest, quando, uti hic fit, factum seu res, quæ controvertitur, est hujusmodi, ut, si contigisset unquam, ab ipsis etiam scriptoribus synchronis ac coævis verosimiliter commemorata fuisset. Ast, inquies, cædes S. Mauritii, sociorumque, legionis Thebææ militum martyrum, a scriptoribus contemporaneis memoriæ prodita non invenitur, talisque videri potest. ut, si contigisset, commemorata verosimiliter ab hisce fuisset, nec propterea tamen illam falsam esse, aut parum verosimilem, merito quis pronuntiarit. Fateor, sic habet : verum quid tum ? Cur cædem illam, ut ut notatu dignissimam notisimamque, scriptores synchroni silentio præterierint, rationes non ineptæ apud nos tom. IV Septembris, in quo de sanctis illis martyribus a pag. 308 actum, in Comment. ad horum Acte prævio, § 7 redduntur ; quod cum fieri potest, seu potius fit, argumentis negativis, quæ a scriptorum silentio petuntur, vim nullam inesse, apud omnes in confesso est.

331. Accedit, de celeberrimorum illorum martyrum cæde (unde, quidquid contra hanc probabilitatis ex auctorum silentio oriri posset, eliditur) constare tum e multis in Comment. proxime cit. adductis, tum maxime e S. Eucherio Lugdunensi episcopo, qui primus illam in litteras misit, quique quamvis sæculo demum quinto floruit, e genuinæ tamen traditionis fonte, quem ipsemet assignat, sua deprompsit. At vero nec universalis silentii, quo, qui integro, amplius primo post rem gestam sæculo labente floruerunt, scriptores prodigiosam doctoris anastasim prætereunt, ratio ulla sat idonea reddi potest, nec de horrenda hac historia ex ullo monumento constat, nedum ex anonymo primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctore, qui, unde illam hauserit. non edicit, nec aliunde habetur compertum. Et vero, cum hic, ut jam docui, scriptores antiquiores, e quibus hauserit, sibi prælucentes haud habuerit, quo tandem ex fonte, cui tuto fidere possimus, narrationem suam deprompsisse queat ? An forte ex fama publicove rumore ? Verum quam incertus hic auctor sit, nemo non novit. An ex ordinis sui traditione ? Ita sane, qui Parisiensis prodigii pulsique hinc in eremum S. Brunonis historiam tuentur, existimant, ac porro, ut opinionem suam propugnent affirmare debent. Verum an illa ordinis Carthusiensis traditio genuinæ traditionis nomen mereatur, cui etiam, quanti ad asserendam prodigii Parisiensis veritatem valeat, infra discutiam, cum prævie, quod præsenti § facere constitui, examinaro, an reliqua pro Parisiensis, qui sese damnatum publice denuntiarit, doctoris anastasi §§ 11 ac 12 adducta scriptorum antiquiorum testimonia certam eam aut etiam verosimilem, stante universali scriptorum silentio proxime dicto, possint efficere.

332. Cum scriptores illi omnes narrationem suam vel ex ipsa jam discussa quinque primorum Carthusiæ priorum chronographi narratione, aliqua duntaxat in hac facta pro arbitrio mutatione, acceperint, aut certe e scriptoribus aliis, quorum etiam narratio suam isti originem debeat, indubie deprompserint, prodigio utique fidem majorem, quam, qui primus illud in litteras misit, dictus chronologus mereatur, conciliare non possunt, etsi interim, ut jam supra docui, eorum testimonia evincant, prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim fuisse et

www.libtool.com.cn

diutissime pluribus indubitanter creditam, et diu etiam ante Joannis Gersonis ætatem, contra ac Launoius vult, litteris consignatam. Quid itaque singulorum illorum scriptorum, quos §§ 11 et 12 videsis enumeratos, auctoritas hic valeat, pluribus indagandum non est. Verum, ut ut res ita habeat, nec ratione ulla satis solida contrarium queat probari, sunt tamen, qui, quemadmodum ex Notitiis mss. penes me exstantibus intelligo, Joannis Iperii testimonium, num. 222 huc transcriptum, magni faciendum contendunt. Ita autem idcirco autumant, quod, quamvis Iperius ante sæculum quartum decimum non floruerit, ac proin, spectato diuturno temporis spatio, quo a præstituta Parisiensis prodigio epocha seu anno 1082 abfuit, certum id atque indubitatum sola sua auctoritate facere non possit, auctorem tamen antiquiorem reique gestæ synchronum, e quo, quæ de hac tradit, hauserit, sibi prælucentem habuerit. Quodpostremum ut æstimaretur, effecit Marteneus prævia sua ad Iperii seu S. Bertini Chronicon, tom. III Thesauri Anecdotorum insertum Admonitione. In hac enim sub finem ita loquitur: « Hinc colliges, Chronicon istud Bertinianum tanto majorem apud eruditos promereri fidem, quo antiquiores habet auctores, qui sui temporis res gestas, prout viderant, aut a testibus oculatis audierant, scriptis mandarunt, nec mirum videri debere, a subsecutis auctoribus tanti habitum fuisse, ut, quæ dicenda de rebus Belgicis habuerunt, ab eo accipere non dubitaverint. »

333. Iperius ergo, uti hic docet Marteneus, narratas in Chronico suo res ex antiquioribus, qui eas aut ipsimet viderant aut ex testibus oculatis audierant, scriptoribus accepit, hique, ut idem Marteneus in laudata Admonitione prævia etiam docet, numero tres fuere, videlicet Folquinus Bertinianus monachus, qui vetera monasterii sui instrumenta sæculo decimo in unum volumen retulit, Simon Sythiensis seu Bertinianus abbas quadragesimus secundus anno 1148 defunctus, qui Chronicæ Bertinianæ seu Sithiensis Ecclesiæ a tempore Roderici, id est, ab ineunte sæculo XI, quo monasterio Sithiensi Rodericus abbas præerat, ad suam usque ætatem descripsit, ac tandem anonymus, qui anno 1229 scribebat, Simonisque opus ad suum usque tempus prosecutus est. Jam vero cum unus duntaxat, nimirum Simon abbas, e tribus hisce scriptoribus, qui Iperio in contexendo Bertiniano Chronico præluxere, luctuosæ doctoris damnati historiæ, uti ex mox dictis liquet, fuerit synchronus, fuisse hanc ex illo ac proin ex auctore contemporaneo, qui eamdem saltem e testibus oculatis audiisset ab Iperio in chronicon Sithiense illatam summamque adeo fidem promereri inde conclusere. Et vero si lato a Marteneo de Sithiensi Chronico, per Iperium conscripto, judicio standum sit, erit sane, cur quis, damnati historiam e Simonis abbatis opere reipsa esse ab Iperio depromptam, non immeritos suspicetur. Verum multum abest, ut Martenei de laudato Chronico judicium pro accurato possit haberi. Quod ut pateat, unaque ex Iperii de luctuosa doctoris damnati historia testimonio nihil omnino ad hanc aut certe parum admodum ponderis posse accedere, studiosus lector intelligat, subministratam a Stiltingo nostro tom. II Septembris, pag. 555, a num. 25 ad Martenei de Iperii Chronico judicium responsionem huc transcribo.

334. Sic itaque ibidem habet: « Mallem ego, ut laudatus editor (Marteneus nempe) accuratam de hoc Chronico crisim dedisset, quam laudes exaggeratas: ita enim lector studiosus melius intellexisset, quid ex eo amplecti tuto possit, a quibus contra cavere debeat. Certe chronotaxis plerumque vitiosa est in prioribus, hujus Chronici sæculis, ut patebit per decursum. Imo ne facta quidem relata in hoc Chronico tam certa esse tamque immunia ab erroribus, ut correctione sat frequenti non indigeat, non raro ostendere cogar. Conatur Chronici auctoritatem probare Martenius, quia Iperius secutus est Folquinum diaconum, Simonum abbatem et eorum continuatorem anonymum sæculi XIII, quem ait scripsisse anno 1229. » — « Ex quibus, » inquit, « ita » Chronicon suum confecisse videtur Joannes Iperius » ut eorum integras lucubrationes operi suo inseruis- » se merito censendus sit. » Ostendere id conatur verbis quibusdam allegatis quæ Iperius de se proferre non poterat, quæque idcirco antiquioribus attribuenda sunt scriptoribus, quorum dicta eatenus non mutata Chronico suo Iperius inseruit. Verum vehementer suspicor, Martenium nunquam contulisse Chronicon Iperii cum tribus illis scriptoribus, a quibus eum tam multa mutuatum dicit. Certe si diligenter verba Iperii contulisset cum verbis anonymi continuatoris, qui est compilator Vitæ S. Bertini, a Mabilonio editæ, vidisset totum verborum sensum mutatum ab Iperio in facto, quod referetur in Appendice miraculorum num 25, ut ibidem observabo.

335. « Præterea si istos auctores tres diligenter contulisset et examinasset, vidisset paucissima ab iis narrari tanquam visa, sed pleraque ut longe præterita: eaque de causa non dixisset: « Chronicon » istud Bertinianum tanto majorem apud eruditos » promereri fidem, quo antiquiores habet auctores, » qui sui temporis res gestas prout viderant aut a » testibus oculatis audierant, scriptis mandarunt. » » Inconsiderate et sine sufficienti examine hæc dicta sunt: nam pauca ex scriptoribus, qui viderant, aut facta suo tempore scripserant, hausit Iperius, saltem in primis sæculis Chronici sui longe plura ex iis scriptoribus, qui gestis, quæ referebant, longe erant posteriores. Quin et plura ex aliis, quorum tantum non continuarem facit Martenius. Hæc de Iperio observanda censui, ne quis immodicis Martenei laudibus deceptus, me statim reprehendendum existimet, ubi viderit auctoritati istius scriptoris non acquiescentem. Nolim tamen debita laude raudare Iperium, cujus Chronicon utile et minime

www.libtool.com.cn

contemnendum Judico, sed non cæce sequendum. Unde ille sua hauserit, quantaque fide scripserit, indicet ipse in prologo secundo his verbis : « Præ» sens Opusculum ex multis voluminibus scriptisque » authenticis grato labore collegimus, sumendo de » quolibet, quod ad propositum spectare visum est, » nihil inserendo, quod non authenticis scriptis ap» probatur. » Deinde explicat, quid per scripta authentica designet, multas videlicet Vitas sanctorum, Chronica item non pauca, antiquitates: Annales, Historias et archiva tam ecclesiæ Sithiensis, quam aliorum monasteriorum Belgii et Franciæ, libros alios historicos, ac demum chartas privilegiorum.

338. « Ex hisce omnibus monumentis se Chronicon suum concinnasse asserit: « Ex die et consule » tempora temporibus et ex causis in eo contentis » negotia negotiis concordando. » Non dubito, quin id et diligenter et bona fide præstiterit vir pius et doctus ; at sine erroribus factum non esse, luce clarius est. Et sane tale opus illo sæculo, quo vixit Iperius, sine variis erroribus conscribere, humanæ non erat industriæ, tum quod monumenta multa, quibus utendum erat, omni carerent errore, tum quod varia per conjecturas erant concilianda. Hæc autem conciliato tanto erat difficilior, quanto minus ad perfectionem hodiernam accedebat scientia chronologica et critica. » Hactenus Stiltingus noster, qui, quæ hic de Iperii Chronico affirmat, loco deinde non uno in Commentario ad vitam S. Bertini prævio validissime juxta ac luculentissime probat, uti cuique, hunc evolventi, manifestum evadet. Jam vero. cum Iperius, ut alia omittam, non solam e tribus scriptoribus. a Marteneo memoratis. Folquino nimirum Sithiensi monacho, Simone abbate, et continuatore anonymo, verum etiam e multis aliis, a Stiltingo mox assignatis, narratas in Chronico suo res hauserit, non est, cur prodigiosam, quam narrat, doctoris Parisiensis anastasim e Simonis, Sithiensis abbatis, chronicis depromptam existimenus, ruitque proinde, quæ alioquin famosæ de ea narrationi accederet summa fides. Imo vero, cum res ita habeat, ne quidem ex Iperii Chronico Parisiense prodigium verosimile utcumque efficitur, uti ex jam supra dictis pronum est eruere.

§ XX. *An prodigium, quo doctor, sese damnatum, publice adstantibus denuntiarit, certum aut saltem verosimile, stante universali scriptorum ante dictorum silentio, reddere etiam non possit traditio.*

Innocentius le Masson, ex recensione Morotii prior Majoris Carthusiæ 49, in opere, a se contecto, quod Annales Ordinis Carthusiensis inscripsit, annoque 1687 typis Correrianis vulgavit, lib. 1, cap. 1 de prodigiosa, qua S. Bruno in eremum pulsus fuerit, doctoris anastasi multa disserit, suique etiam, quo hanc vere contigisse probet celeberrimi ordinis traditionem adducit. Ne quid, quod ad horribilem illam historiam probandam aut saltem verisimilem reddendam conducere utcumque possit, silentio a me præteritum quis queratur, ex opere illo, quod omnium passim manibus non teritur, totum huc spectans, utut prolixum ac parum urgens, Massoni rattiocinium transcribo. Hisce num. 8 et seq, ibidem positis verbis concipitur : « Falluntur qui putant per abstinentiam a carnibus, etiam in morbis, et alias austeritates vitam Carthusiensium abbreviari; nam experimento videmus, plures apud nos usque ad decrepitam senectutem vivere, et octogenarium, imo aliquando fere nonagenarium annum attingere. Videmus ergo non raro monachos sexaginta et amplius annos vixisse in ordine, etiam hoc sæculo, quando longitudinem vitæ humanæ diminutam esse omnes fatentur, si cum præcedentibus sæculis comparetur. Pro exemplo nobis sit hujus firmioris sanitatis sanctæ memoriæ reverendus Pater domnus Joannes Pegon prædecessor noster, qui ultra sexaginta sex annos vixit in ordine, 85 annos ætatis habens obiit, et tanto animi vigore pollebat, ut pridie quam moreretur, adhuc calamo uteretur ad dispositiones faciendas in Ordine. Sint etiam pro exemplo duæ moniales, quæ nostris diebus diem clauserunt extremum : quarum una 70 annos vixerat in Ordine, altera 72. Plures similes in promptu esset hic referae, qui nostro sæculo obierunt,

338. « At si ad præterita sæcula retrogrediamur, reperiemus personas, quæ 80 et amplius annos vixerunt, imo unam præ cæteris, quæ ultra centum annos vixit in Ordine. Occurret nobis R. P. Jancelinus, qui 58 annis præfuit toti Ordini. Supputatione autem facta et longiori ætate reducta ad 70 tantum annos in ordine exactos, quam ætatem plures attigisse in singulis sæculis, imo longe superasse, certum est, reperiemus, senem illum, qui hoc sæculo 70 annis vixit in Ordine, potuisse videre et discere ab alio ejusdem ætatis sene, quæ audierat ab alio sene, qui postremus senex etiam ab alio didicerat et audierat historiam, de qua agitur, et sic traditio illorum quatuor senum fere ad trecentos annos extenditur ; quam traditionem a se invicem facile accipere potuisse, perspicuum est, cum tres ex illis se videre et mutuo alloqui, nulla vi illata communi naturæ cursui, potuerint, ; nihil enim obstat, quin ultimi primordia cum primi extremitate concurrerint, et monachus, vigesimum annum agens, nonagenarium viderit et audierit. Habemus ad manum icones in capite veterum statutorum præfixas, quæ a centum et octoginta annis typis excusæ sunt, in quibus videtur historia illa depicta, addita narratione quam supra retulimus. Si ergo constituamus nobis pro epocha tempus illud quo icones illæ typis excusæ sunt, et præcedere faciamus quatuor illos seniores, reperiemus, illos potuisse discere ab his, qui immediate primis Patribus ordinis successerunt, historiam illam ; imo potuisse tunc reperiri in pago Carthusiæ vicino rusticos qui S. Brunonem et ejus socios viderant. Nam rustici in istis rupibus, ubi aura purior

est, et valde frugalis vivendi modus, diu vivunt. A

www.libtool.com.cn

339. « Vidi ipse et non semel interrogavi senem domesticum domus Carthusiæ, vocatum Nicolaum Planes, e pago Corbello oriundum, qui viderat R. P. D. Bernardum Carrassum, vita functum circa annum 1586 et narrabat plura, quæ audierat in juventute sua ab aliis, in decrepita ætate tunc constitutis, qui viderant R. P. Franciscum a Puteo, circa annum 1521 defunctum. Centum circiter annorum erat iste Nicolaus, dum diem clausit extremum anno 1677. Et ut adhuc res vicinius et enucleatius exponatur et exprimatur, ponamus, aliquem e sociis S. Brunonis vixisse triginta tantum annis a die accessus eorum ad rupes Carthusiæ, quemdam etiam ex his, quem ad institutum suum primi Patres receperant, 70 annis ei supervixisse, B ecce jam fere centum annos tenemus, et sic annum 1184 attigimus; quibus si addatur ætas quatuor illorum seniorum, quæ ad 280 annos pervenit, annum 1464 habebimus, sicque ætatem R. P. Francisci a Puteo attingemus, viri in utrisque litteris versatissimi et insignis doctoris, qui statuta ista vetera typis mandari turavit, in quorum capite icon, historiam illam repræsentans, posita est cum prædicta narratione; quam, si suspicionem fabulæ habuisset, nunquam tanti ingenii vir effingi permisisset. His addite, quod domus Carthusiæ pluries incendiis absorpta veteres scripturas habebat, ex quibus liquido de istius historiæ veritate constabat; quæ a pluribus lectæ st visæ fuerunt, prout etiam nos a C senioribus monachis, quos in juventute nostra vidimus, didicimus; qui ab oculatis testibus id audierant. Et tandem hæc traditio semper et ubique in ordine, nemine unquam reclamante, viguit. Quis ergo non fateatur talem traditionem esse firmis fundamentis innixam? »

340. Hactenus Massonus, prolixa sua hac oratiene unice ostendans, traditione continua, quam jam inde a S. Brunonis ejusque sociorum ætate inceptam, Carthusianorum alii ad alios transmiserint, fieri potuisse, ut feralis de doctore damnato historia usque ad Francisci a Puteo, qui eam, ligno incisam, editis a se anno 1510 ordinis sui statutis præfixit, cognitionem pervenerit. Verum id reipsa ita factum, nullo modo, ut consideranti patebit, D probatum dat, quod tamen omnino erat necessum, ut quidquam pro prodigio adstruendo, seu potius pro vera jamque a rei gestæ initio inchoata, qua hæc Puteano innotuerit, traditione stabilenda conficeret. Fieri enim facile potest, ut, quod post trecentos amplius annos, a re gesta elapsos, jam inde ab hujus initio, uti a Massono fit, tradi potuisse asseritur, diu duntaxat post tradi re ipsa inceperit sicque non a vera traditione, sed ab incerto rumore trahat originem. Hinc non satis capio, cur Carthusianus noster anonymus Lucubrationis suæ sæpissime laudatæ num. 47 sic scribat: « Quod spectat ad Patrum traditionem, hanc satis superque solida ratiocinatione stabilivit R. P. (Innocentius le Masson scilicet). libro I., cap. 1, dilucide luculenterque ostendens, omnes, quotquot fuerunt et sunt in orbe Christiano, Cathusienses nullam unquam aliam instituendæ nostræ religionis causam seu occasionem agnovisse præter funestam hujus hominis anastasim, quam asserunt se accepisse ab antiquioribus, qui et ipsi eam a Patribus suis, ad quos a S. Brunone et sociis ejus, eorumque discipulis ac sequacibus per longam multorum annorum traditionem pervenerit, didicerunt. »

341. At vero, etsi ita hic loquatur ille, tacite tamen agnoscit, Puteani ætatem, ad quam Parisiense prodigium traditione perducit Massonus, esse a re gesta remotiorem, quam ut huic illa, utpote ex jam dictis dubii dumtaxat nominis traditio, fidem certam atque indubitatem facere queat eo modo quem Massonus assignat. Verbis enim proxime recitatis, ut longam illam traditionis deductionem contrahat, sequentia hæc subdit: « Verum ne res tam insolens et stupenda tamque ad credendum difficilis ex tam longa traditionis deductione plane videatur incredibilis, præsertim hominibus hujus sæculi nequam, qui nihil fere credunt, quam quod, ut vulgari dicitur proverbio, in ocnlos intuentium prosilit, hoc argumentum, ex traditione petitum, quinque fere sæculis, si ita loqui liceat, decurtabimus, hujusmodi traditionem non longiori quam sexaginta, aut ad summum octoginta annorum ductu ab obitu sociorum sancti Brunonis protrahentes, ut sequitur Qui primus ex Carthusiensibus hanc historiam scriptis mandavit, vivebat circa annum 1220, vel etiam ante (ut inferius probabimus), id est, octoginta post annis et non multo amplius, quam obierat Stephanus Diensis, unus ex sociis sancti Brunonis. quem in nostris Annalibus videbimus adhuc fuisse supertitem circa annum 1136. Nec impossibile est quosdam alios ex septem primis ordinis fundatoribus diutius vixisse. Quis enim inficias eat, inter eos quosdam, qui annum ætatis vigesimum quintum non attigerant, quando in solitudinem se receperunt, postmodum ad septuagesimum, aut etiam octogesimum vitæ annum, Christi vero millesimum centesimum quadragesimum et ultra pervenire potuisse?

342. « Hic primus hujus historiæ scriptor plures procul dubio monachos viderat, qui noverant aut saltem novisse poterant quosdam ex discipulis præfatorum septem ordinis primipilorum; quos quidem discipulos vitam scimus protraxisse ultra annum 1200, ut sunt sanctus Artaldus, professus domus Portarum, qui ad fundandam Carthusiam Arveriæ missus circa annum 1132, postea ibidem factus prior et ecclesiæ Bellicensis episcopus, ac tandem redux apud Arveriam obiit anno 1206, annos natus centum quinque. Garnerius, dominus de Balmeto, confundator domus Majorevi, erectæ anno 1116, qui, post mortem uxoris factus ibidem conversus, annum vidit millesimum ducentesimum decimum quartum. Frater Aynardus conversus,

www.libtool.com.cn

professus Majoris Carthusiæ, qui forsan sanctum Brunonem viderat, cum constet ex Vita sancti Hugonis Lincolniensis, eum tantum obiisse anno ætatis suæ centesimo vigesimo sexto, qui fuit annus Christi millesimus ducentesimus quartus vel paulo amplius, ut ex eadem Vita, ab auctore coævo conscripta, discimus et suis locis fusius narrabimus. Constare igitur debet, præfatum scriptorem hanc potius accepisse historiam a monachis, qui cum his et aliis sociorum sancti Brunonis discipulis convixerant, (inter quos et annumerari potest R. P. Jaucelinus Carthusiæ prior, qui post regimen annorum fere sexaginta obiit anno 1233, quem et ipse noster auctor procul dubio agnoverat) quam « ex » incerto credulæ plebis rumore, et quorumdam » recentiorum fabulis, » ut nobis, tanquam otiosis hominibus, objecit Launoius.

343. « Unde, quæso, tunc temporis ille « incertus » rumor » nostris claustris dispergi potuit? Nonne potius ex iisdem claustris longe lateque paulatim diffusus fuisse dicendus est? Et quidem ab ipsorum Patrum alumnis, viris utique gravissimis et sanctissimi; quorum et successorum eorum fidem tanti faciebat Guillielmus Durandus, magni nominis et eruditionis auctor, ut in Speculo juris, quod Adriano V dicavi' eo tempore, quo hæc historia jam a nostris evulgata fuerat, censuerit « Regulam Juris, » qua nemini licet in sua causa testimonium dicere, » non habere locum in Carthusianis et Cister- » ciensibus propter eorum sanctimoniam. » Dum hæc scribebat Durandus, florebant in ordine Boso, prior Carthusiæ, et Guillelmus de Hyporegia monachus ejusdem, qui ambo vel saltem eorum alter hujus in suis scriptis historiæ meminerunt, ut mox dicemus. Hos certe, quos tam dignos fide existimabat Durandus, non sibi persuasisset huic anastasi sive commento, ut volunt adversarii, dedisse initium, ut Ordinis sui cunabula turgentibus buccis in populos concreparant ex tam insolito prodigio. Sed quam levis et puerilis sit hujusmodi vanitas, per se patet, quæ profecto prius in ore calumniantium nos nata fuit, quam in corde nostrorum concepta. Licet enim istud fabula foret, aut ad fabulam accederet, non tamen minus in Ecclesia Dei Carthusiensium religio haberetur, quam omnes norunt satis aliunde insignibus præfulgere prærogativis. » Hactenus Carthusianus noster anonymus, volens potissimum, scriptorem anonymum, qui primus ex Carthusiensibus prodigiosam doctoris Parisiensis anastasim litteris mandavit, contextoque a se primorum quinque Carthusiæ priorum Chronico inseruit, sexaginta aut ad summum octoginta dumtaxat annis a sociorum S. Brunonis obitu seu jam inde ab anno circiter 1220 floruisse, remque ab ipsis horum discipulis, ac proin ex vera traditione, « non ex incerto credulæ plebis rumore, » accepisse.

344. Ratiocinum huc jam transcriptum, quo hæc probare Carthusianus noster anonymus nititur, anonymus itidem tractatus de S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communicati, auctor additionibus nonnullis amplificatum exhibet. Atque hic quidem, dum id facit, rem quampiam postea probare proponens, ait: « Ut suo loco in Annalibus dicemus, » alibique etiam hosce, veluti a se edendos, laudat. Hinc autem, quod hac occasione observandum duxi, non immerito dubitari potest an Massonus supra laudatus, Ordinis sui Annales scripturus, Tractatum illum, e quo deinde a Carthusiano nostro anonymo in Annalium Carthusiensium librum IV hactenus non vulgatum nonnulla fuerint illata, non concinnarit. Ut ut sit, et ejus verba, ne quid, quod asserendæ genuinæ de prodigio Parisiensi traditioni suffragari utcumque queat, omisisse videar, huc transcribo. Sic habent: « A fundatione Ordinis ad Bosonis ætatem, qui domos S. Hugonis et Majoris Carthusiæ cum toto Ordine rexit ab anno 1372 ad 1313, quo decrepitus decessit, altum in suis claustris silentium Carthusienses tenuerunt, nec quidquam aut de sui Ordinis ortu, aut de mirabilibus, quæ passim inter eos fiebant, sinebant propalari. Hoc de his testatur et amice conqueritur Petrus Venerabillis, Cluniacensis abbas: « Multa, inquit, in « illo sacro Ordine miracula contigisse a pluribus » accepi; sed ipsi humilitatis virtute, qua semper » servi Dei miranda opera sua, quanto possunt nisu, » occultant, vix aliquid ex his prodere voluerunt. » Neque a Patrum tramite deflexisset Boso, nisi ad suum institutum a quorumdam alterius Ordinis religiosorum calumniis vindicandum hujus humilis ac sancti silentii leges tandiu servatas violare coactus fuisset, edito tractatu fusissimo sive suo marte, ut quidam volunt, sive suo jussu, usus nempe calamo Guillelmi de Hyporegia Carthusiensis Italiviri docti, quem tribus circiter ante suum obitum annis ad majorem Carthusiam evocaverat.

345. « Hunc tractatum inscripsit De origine et veritate perfectæ religionis ad defendendum ordinem Carthusiensem. Nihil in eo de tragico hominis damnati fine egit (neque enim tunc temporis hæc quæstio mota fuerat), sed ad illius calcem voluit adjici Chronica de exordio ordinis Carthusiensis, hanc historiam enarrantia, ab auctore incerti nominis, ejusdem tamen Ordinis professo, olim conscripta, quem propterea anonymi nuncupatione deinceps designabimus. Unum codicem tam Bosonis sive Guillelmi de Hyporegia tractatum, quem, præfacti anonymi Chronicon complectentem, e Montis-Dei Carthusia habuimus, sub initium sæculi quarti decimi id est circa finem regiminis Bosonis exaratum, ut ex charactere colligimus; quod etiam nobiscum sensit vir quidem doctissimus et in hujusmodi characteribus versatissimus, quem Parisiis cujusdam amici interventu consuluimus. Cum igitur Boso medio sæculo decimo tertio nostrum professus sit institutum, non dubium est quin auctor Chronici anonymus ipso sit paulo antiquior; quod etiam probari potest ex

www.indmool.com.cn

bibliothecæ Colbertinæ codice, in quo ejusdem Chronici exemplum reperitur exscriptum ante medium dicti sæculi tertii decimi, ut nos Stephanus Baluzius, vir doctrina clarissimus et de quovis bene merendi studiosissimus, per litteras his verbis commonuit: « In codice 3806 est quædam tabula continens capita » LI de perfectione et privilegiis Ordinis Carthusien- » sis. Est imperfecta et incipit in capite XVI. Codex » ille est CDL annorum, » id est circa annum 1240. « Con- » tinet chronicon de exordio Ordinis Carthusiensis » (Sic etiam in nostro codice inscribitur) « usque ad » annum 1137, quo obiit Guigo. Deinde sequitur » Bernardus de contemplatione. Incipit : Cum die » quodam » Verosimilime est, apographum istud ex » ipso authographo, « quod modo periit, » expressum » fuisse, » et a quodam ex primis Carthusiæ Parisien- » sis e majori Carthusia illuc allatum, quod postea » bibliothecæ Thuanæ, tandem Colbertinæ adscrip- » tum fuit. »

346. « Cum igitur hic anonymus suum Chronicon scripserit circa vel ante 1240, potuit ineunte eodem sæculo fieri monachus, et idcirco hanc historiam accipere ab antiquioribus Patribus, qui eodem tempore superstites erant, ex quibus quosdam sociorum sancti Brunonis, et cum eo nostri propositi fundatorum discipulos fuisse constat, ut fuerunt B. Artaldus, qui, regente ordinem sancto Anthelmo, prior domus Arveriæ effectus est, et deinde Bellicensis episcopus, tandemque, abdicatis infulis, vitam protraxit ad annum 1206, quo centenario major in cella occubuit, et Aynardus conversus, Majoris Carthusiæ professus, de quo res mirabiles narrantur in sancti Hugonis Lincolniensis Vita, ubi et dicitur sanamente obiisse ætatis suæ anno centesimo vigesimo sexto, quatuor circiter post S. Hugonem annis, scilicet circa 1204. Quod vix credi posset, nisi qui illum cognovit, id scriptis asseruisset, ut suo loco in Annalibus dicemus. Hos inter annumerari merito possunt venerandi plane senes Bovo, S. Hugonis Lincolniensis, in Withamiensi prioratu successor, licet annis in Ordine transactis multo major Jancelinus, qui matrem Carthusiam et totum ordinem paulo post Basilium, S. Anthelmi successorem, sexaginta fere annis moderatus est; Guifridus, Carthusiæ conversus, anno 1212 sexagenarius in Ordine, testatus est quibusdam in litteris, se vidisse fratrem Olmarum, Magni Guigonis tempore conversum, et qui procul dubio quosdam ex septem Ordinis fundatoribus noverat. Ab his igitur et quibusdam aliis ejusdem fidei et auctoritatis monachis hanc historiam noster anonymus, aut certe, qui eam ipsi Bosonique et ejus cœtaneis retulerunt, potius acceperant, quam ex incerto credulæ plebis rumore, et quorumdam recentiorum fabulis, ut objecit Launoius.

347. Unde enim, quæso, tunc temporis ille incertus rumor nostris claustris dispergi potuit? Nonne potius ex iisdem claustris longe lateque paulatim diffusus fuisse dicendus est, et quidem ab ipsis primorum Patrum alumnis, viris utique gravissimis et sanctis, quorum et successorum fidem tanti faciebat Guilelmus Durandus, magni nominis auctor, ut in Speculo juris, quod Adriano V eo tempore dicavit, quo primi florebant hujus historiæ scriptores, censuerit regulam juris, qua nemini licet in sua causa testimonium dicere, non habere locum in Carthusiensibus et Cisterciensibus propter eorum sanctimoniam. Hos certe quos tam dignos fide existimabat Durandus, non sibi persuassisset hujus anastasis narrationi, si commentum fuisset, ut volunt adversarii, dedisse initium, ut Ordinis sui incunabula turgentibus buccis in populos disseminarent ex tam insolito prodigio, ex quo, sive verum, sive falsum esset, nihil tamen gloriæ aut dedecoris, nihil utilitatis aut damni suæ religioni, satis abunde insignibus præfulgenti pietatis prærogativis, conferre poterant; nec credidissent, ut exprobrat Launoius, non satis illustrem Brunonis historiam, quæ jam illo eventu careret. Si enim tam ipsi, quam eorum posteri, amabant, ut quidam (Columbius scilicet in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione num. 20) pro nobis observarit, quæritabantque illustria, et ad populi admirationem idonea dicere de Brunone, profecto longe illustriorem fecissent Vitam ejus et maxime ad vulgus admirationem suspendendum aptam, si quæ de Paulo, Antonio aliisque, seu monachis seu anachoretis, antiquioribus, legimus affinxissent Brunoni et sociis ejus. At viri, veritatis amantes ac omnis fictionis osores, ingenue, quod a Patribus audierant, de Brunone narraverunt juxta illud Moysis: « Interroga patrem tuum et annuntiabit « tibi, majores tuos et dicent tibi. »

348. « Itaque cum noster anonymus hanc historiam exscripserit ex ore narrantium, qui Brunonis socios noverant, vel saltem institutum nostrum professi fuerant ante sæculum tertium decimum, id est durante primo Ordinis nostri sæculo, hinc sequitur, traditionem istam ultra sexaginta aut septuaginta post quorundam ex nostri Ordinis auctoribus mortem annos auctoritate scripturæ non caruisse; quod vix reperire est in multis sanctæ Ecclesiæ traditionibus. Quot enim (extra omnem comparationem loquor) quantaque fuerunt, non solum per unum, sed per duo, tria et adhuc plura sæcula ab Ecclesia credita, culta, servata, observata, quæ sola traditione, scriptis nondum firmata, nitebantur? Unde nihil hostes ejus habuerunt, nec hodie habent antiquius, quam ipsius impugnare traditiones. Quibus etiam armis contra nos potissime usus est Launoius, ut postea videbimus. » Hactenus auctor anonymus laudatus, toto suo ratiocinio huc jam transcripto potissimum spectans, ut suadeat, anonymum primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem, qui primus Parisiense doctoris tantisper redivivi seque damnatum publice vociferati prodigium in litteras misit, hausisse id seu intellevisse ex ipsis primorum S. Brunonis sociorum discipulis, aut certe ex ejusdem instituti monachis, qui illud ex hisce audiverant; quod postremum duntaxat velle videtur ra-

www.libtool.com.cn

tiocinio suo pariter huc jam transcripto Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor. Ambo sane, ut alterutrum suadeant, non immerito laborant. Quod si enim feralem historiam aut anonymus primorum quinque Carthusiæ priorum auctor, aut qui huic illam narrarunt, e sociorum S. Brunonis discipulis audierint, quis falsam eam pronuntiare facile audeat? Verum qui anonymum primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem e probato adeo fonte narrationem suam hausisse, probant?

349. « Cum igitur, » inquit tractatus de S. Brunone a Patribus Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor, » hic anonymus (primorum scilicet quinque Carthusiæ priorum Chronici scriptor) suum Chronicon scripserit circa vel ante 1240, potuit ineunte eodem sæculo fieri monachus et idcirco hanc historiam accipere ab antiquioribus Patribus, qui eodem tempore superstites erant, ex quibus quosdam sociorum sancti Brunonis et cum eo nostri propositi fundatorum discipulos fuisse constat.» Ita ille; a quo anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor non multum abludit. « Qui primus, ait, ex Carthusiensibus hanc historiam scriptis mandavit, vivebat circa annum 1220;» ac deinde, nonnullis interpositis: Hic primus hujus historiæ scriptor plures procul dubio monachos viderat, qui noverant aut saltem novisse poterant quosdam ex discipulis præfatorum septem Ordinis primipilorum ; quos quidem discipulos vitam scimus protraxisse ultra annum 1200..... Constare igitur debet præfatum scriptorem hanc... accepisse historiam a monachis, qui cum his et alliis sociorum sancti Brunonis discipulis convixerant.» Anonymum itaque primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem eo ipso tempore, quo aliquot e S. Brunonis sociorumque ejus discipulis in vivis superstites adhuc erant, vitam jam duxisse aut etiam Carthusianum jam fuisse professum, autumant, hincque ex his luctuosam historiam aut iltum ipsum, aut certe eos, qui hanc ei narrarunt, hausisse, Verum an jam tum anonymum, qui primus prodigium Parisiense litteris mandavit, in vivis fuisse, aut etiam Carthusianum exstitisse, alicunde constat ? Scriptorem illum ante annum 1250 scriptioni manum verosimiliter non admovissse, num. 12 et seqq. ostendi, nec plura de ejus ætate, seu tempore quo vivere monachumve agere inceperit, disputare decreveram; verum cum duo, de quibus hic, scriptores jam inde, ut modo dictum, a sæculi tertii decimi initio anonymum, qui primus Parisiense prodigium litteris consignavit, in vivis fuisse velint, hincque præcipue illum hoc aut ex S. Brunonis ejusque sociorum discipulis, aut certe ex iis, qui hisce aliquando convixerant, didisse contendant, lubet modo adhuc, an anonymi dicti ætatem non nimium maturent, aut etiam an hunc jam inde a sæculi tertii decimi initio vixisse, utcumque probent, examinare.

350. Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymum quidem illum, quod Chartularii in Carthusia exstantis, « circa » cujus « principium litteræ papales (Urbani II) et Siguini instrumentum (tum hoc, tum illæ infra recitabuntur) inveniuntur, » mentionem faciat, anno circiter 1151 Chronicon suum non scripsisse, nobiscum (adi num. 12) omnino sentit; verum quo illum equidem jam inde ab anno circiter 1220 vixisse probet, sequentem disserit in modum: « Hunc tamen (anonymum nempe primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorum) conjicimus vixisse ante tempora reverendi Patris Bosonis, qui, circa annum 1260 ordinem nostrum ingressus, Carthusiæ regimen iniit anno 1277. Quam conjecturam sic stabilimus ex Cartulariis, quæ nunc habemus in Carthusia. Ibi enim duo reperiuntur, unum sub regimine R.P. Francisci a Puteo, et illius cura con confectum anno 1507, continetque duo volumina, in quorum priori sub finem, non circa principium, ut dicitur in citato Chronico, sunt litteræ præfatæ Urbani II. Instrumentum vero Siguini ante describitur, sed multum post medium. Unde liquet, auctorem tractatus non meminisse hujus chartularii. Et revera codex Thuaneus, quen omnes consulere possunt, licet nostro codice recentior, longe ante hoc chartularium exaratus est. Alterum Carthusiæ chartularium tribus ex voluminibus conflatum erat, quorum primum ultimo incendio periit, ut nobis cum dolore affirmant officiales Carthusiæ; alia duo adhuc asservantur illæsa et integerrima diversis characteribus exarata; quorum prius, quod fuit secundum, talem præfert titulum ad frontem indicis chartarum in eo contentarum: « In hoc volumine continentur chartæ et » litteræ domus Carthusiæ ad comitatum Sabaudiæ » pertinentes. »

351. Deinde ad verticem primi folii, quod continet primum instrumentum, datum anno tantum 1303, sic legitur: « Hic incipit chartalarium novum de » comitatu. » Ex his verbis « Chartularium novum» intelligimus quoddam aliud fuisse antiquius, quod etiam olim periit. Secundum hujus voluminis instrumentum datum est anno 1306. Deinde sequuntur multa alia diversis temporibus transacta ab anno 1207 ad annum 1326, uno excepto dato anno 1331, sed quod in folio separato describitur. Cum igitur charta, quæ hoc volumen inchoat, data sit anno 1303; charta vero recentior sit anno 1336, hinc recte colligimus idem volumem fuisse compositum sub regimine et cura Aymonis prioris Carthusiæ, qui præfuit ab anno 1313 ad annum 1330; et quidem post deplorandum illud incendium, quod accidit anno 1320; cujus flammis cum forsan antiquius chartularium fuisset consumptum, novum describi curavit R. P. Aymo. Alterum volumen, quod erat tertium, pluribus etiam scriptum est manibus, quarum tamen nulla videtur recentior charactere prioris voluminis; unde et colligimus, illud fuisse inchoatum sub eodem Aymone et continuatum sub ejus successoribus usque ad annum 1346, quo datum est instru-

www.libtool.com.cn

mentum recentius hujus voluminis; quod etiam conjicimus ex his verbis ad caput Indicis oppositis in hunc modum : « Ligetur istud chartularium ex » integro cum postibus, quando videbitur esse satis » grossum et perfectum ; et postea incipiatur aliud. » Deinde sequuntur bullæ summorum pontificum ab Alexandro IV ad Joannem XXII inclusive. Post quas alio charactere describuntur instrumenta, quorum primum datum est anno 1300, cui talis præfigitur inscriptio : « Hinc incipit cartularium novum de « Delphinatu. »

352. « Denique indiscriminatim, ut in priori volumine, inseruntur chartæ et litteræ ab anno 1215 ad annum 1346. Et in quibusdam transumptis quædam etiam antiquiores, ut sunt litteræ sancti Hugonis Gratianopolitani et aliæ. Sed in neutro amborum voluminum reperiuntur bullæ Urbani II et instrumentum Siguini abbatis. Non est igitur dubium, quin et primum ejusdem Chartularii volumen, quod nunc desideratur, procurante eodem R. P. Aymone, descriptum fuerit, in quo, si adhuc exstaret, forsan præfatæ bullæ et Siguini instrumentum reperirentur, quod tamen non constat. Sed licet id daremus, non sequeretur, idem esse, de quo loquitur auctor noster anonymus. Imo ex duobus sequentibus voluminibus, quæ dicta fuisse NOVA, vidimus, consequens est, hoc quoque primum volumen recens fuisse tunc temporis. Ac proinde aliud fuisse ab eo quod flammam incendii anni 1320 devorasse credimus. Sed hæc omnis dubitatio adimitur ex tractatu R. P. Bosonis De orgine et veritate perfectæ religionis, in quo Chronicon nostri anonymi de exordio ordinis Carthusiensis totum reperitur insertum. Cum enim Boso præfuerit domibus vallis Sancti Hugonis et Majoris Carthusiæ ab anno 1272 ad annum 1313, quo decessit; inde liquet chartularium, in præfato Chronico citatum, ante Bosonis tempora fuisse conscriptum, ac propterea ipsum auctorem etiam ante anuum 1272 floruisse, cujus vitæ tempus assignantes circa annum 1220, nullum inde nos subire vituperium putamus, cum etiam potuerit aliquot ante annos vixisse, ac etiam vidisse beatum illum senem Jancelinum, priorem Carthusiæ, et alios plures monachos, discipulos discipulorum sancti Brunonis aut etiam sociorum ejus. Ita Carthusianus noster annalista anonymus, Operis sui loco non uno etiam indicans, chronographum anonymum, quem jam inde ab anno 1220 aut etiam citius in vivis fuisse, hic statuit, ab hoc ipso etiam anno aut citius suam de primis quinque Carthusiæ prioribus lucubrationem elaborasse. Verum in toto ejus huc jam transcripto ratiocinio nihil omnino occurrit, quod evincat, chronographum illum anonymum seu primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem anno illo inter vivos jam egisse, aut, si id ita habuerit, Chronicon suum concinnasse.

353. Fac enim Chartularium, cujus in hoc, veluti pontificias Urbani II litteras et Siguini abbatis instrumentum in capite præferentis, meminit, non A esse illud, quod, curante Aymone Carthusiæ priore post annum 1320 fuit conscriptum, sed aliud antiquis, quod V. G. jam inde ab anno 1120 aut etiam, si velis, citius fuerit confectum, hincne consequens erit, ut chronographus anonymus qui illud laudavit, jam inde ab eodem etiam anno aut in vivis fuerit, aut dictam lucubrationem suam adornarit ! Cum Chartularium antiquius, quod pontificias Urbani II litteras et Siguini abbatis instrumentum complectebatur, anno demum 1320, quo Carthusiæ incendium accidit, flammis fuerit fortassis consumptum, aut certe citius periisse non constet, ut qui id chronographus anonymus, etiamsi anno demum 1290 aut etiam nonnihil serius scriptioni manum admovisset, laudare non potuerit? Nec quidquam ad rem facit, B quod Carthusianus noster anonymus (adi ejus verba proxime recitata) adjungit de Bosone, qui ab anno 1272 usque ad annum 1313 domibus Vallis Sancti Hugonis et Majoris Carthusiæ præfuerit. Fuerit enim reipsa, quod in suo quinque primorum Carthusia priorum Chronico auctor anonymus laudat, Chartularium ante Bosonis ætatem concriptum, hinc tamen consectarium nondum erit, ut ante hanc pariter seu ante annum 1272 anonymus is scriptor floruerit, suamque lucubrationem adornarit. Quidni enim, ut ut diu etiam post hunc annum scripsisset, Chartularium multo ante confectum nequierit laudare? Adhæc ex eo etiam, quod Boso concinnato aut a se aut jussu suo, qui De orgine et veritate perfectæ religionis inscribitur, tractatui primorum quinque C Carthusiæ priorum Chronicon integrum inseruerit, consequens neutiquam est, ut hujus auctor anonymus ante annum 1272 id exararit.

354. Boso enim, ut tractatus de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor modo huc transcriptis verbis docet, tribus duntaxat annis ante obitum suum, qui anno 1313 evenit, tractatum proxime laudatum aut ipsemet scripsit, aut conscribi fecit; nihil autem impedit quo minus in hunc quinque primorum Carthusiæ priorum Chronicon, ut ut id auctor a decem duntaxat aut etiam paucioribus annis concinnasset, potuerit inferri. Fuisse itaque hanc lucubrationem anno circiter 1220 aut etiam citius etaboratam, nihil plane ex omnibus, D quæ verbis proxime recitatis ab Annalium Carthusiensium libri quarti auctore anonymo adducuntur in medium, evincit. Imo vero ne quidem ex hisce ullo modo etiam consequitur, ut lucubrationis ejusdem auctor anonymus jam inde ab eodem dicto anno 1220 aut etiam citius inter vivos agere jam cœperit. At vero anonymus tractatus de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor, viam aliam ingreditur, quod probatum det, eumdem primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem anonymum ab anno circiter 1220 vixisse, imo jam tum Carthusianum fuisse professum, ac proin, quæ de prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi memoriæ prodit, e S. Brunonis sociorum discipulis, aliisve saltem qui rem ex hisce audiissent, intelli-

www.libtool.com.cn

gere potuisse aut etiam reipsa intellexisse, Ait ergo, primorum quinque Carthusiæ priorum Chronicon, non quidem jam inde ab anno 1220, sed saltem ab anno circiter 1240 fuisse exaratum, ac proin hujus auctorem jam inde ab anno 1220 non tantum vixisse, sed et Carthusianum fuisse professum. Verum anne rem utcumque evincit? Chronici illius exemplar, quod in bibliotheca Colbertina asservatur, Stephanus Baluzius epistola ad Carthusianos data ab annis quadringentis quinquaginta, ac proin, cum hæc sæculo præterito, ad finem fere jam provecto, scripta sit, anno circiter 1240 scriptum edocuit. Ita quantum ad substantiam, quem proxime laudavit, tractatus de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor anonymus.

355. Verum unde illud Chronici dicti exemplar tantæ antiquitatis esse rescivit Baluzius? Id sane vir clarissimus, ut sibi hac in re fidem faceret, debuisset adjungere. Reor ego, unice illum e characteribus, quibus idem Chronici exemplar scriptum esset, tantam illius, quantam asserit, antiquitatem collegisse. Verum etsi quidem e characteribus, quibus antiqua monumenta exarata sunt, sæculum propemodum, quo exarata sunt, determinari utcumque queat, quis tamen inde etiam annum circiter, quo exarari ea contigerit, sat certo determinet? Qualecumque igitur fuerit de tempore, quo, quod in bibliotheca Colbertina asservatur, primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici exemplar scriptum sit, Stephani Baluzii judicium, dubium mihi æque ac ante manet, an Chronicon illud triginta aut etiam quadraginta annis serius, quam hic statuat, scriptum non sit. Nec dubium illud mihi adimit, quod, ut Carthusianus proxime hic laudatus Lucubrationis suæ num. 24 docet, Majoris Carthusiæ chartularium, quod in Chronico, de quo hic, laudatur, anno circiter 1240 verosimiliter fuerit confectum. Ut quid enim hoc a Chronici auctore, diu duntaxat post, imo triginta aut quadraginta etiam annis serius scribente, laudari non potuerit? Jam vero, cum hæc omnia ita habeant, dubiumque proinde sit, an anonymus primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctor non tunc primum, cum jam uno alterove decennio sæculum decimum tertium medium esset elapsum, florere incœperit, dubium pariter sit, necesse est, an primorum S. Brunonis sociorum discipulos, aliosque, qui hosce in Carthusiensi instituto proxime sunt secuti, videre potuerit, discereque ex iis, quæ, ut communiter creditur, primus omnium de prodigiosa doctoris Parisiensis anastasi litteris mandavit.

356. Atque hinc porro jam fit, ut ambigendum sit, verane traditione, seu an ab ipsomet S. Brunone ejusque primis sociis, rei gestæ synchronis, seu viva voce seu alio quovis modo fuerit feralis de doctore damnato narratio ad posteros transmissa, a quibus deinde ad sequioris ætatis Carthusianos ac tandem ad anonymum, qui eam primus omnium litteris consignavit, pervenerit. Quod cum ita sit, manet Patrisiense prodigium pro parum verisimili habendum, maxime ob universale scriptorum omnium antiquorum de hoc silentium, quos inter, ut jam supra docui, nonnulli verosimiliter sunt qui illud, si fuisset, scituri, scitumque commemoraturi fuissent. Atque ita sane in opinione, qua primorum quinque Carthusiæ priorum Chronologus jam inde ab anno circiter 1226 non vixisse, nedum Carthusianum egisse, statuitur, res sese habet. Nec aliter etiam sese haberet, etsi eum jam tum in vivis egisse Carthusianumque fuisse professum, tantisper daremus. Etsi enim illum, si jam inde ab anno circiter 1220 Carthusianus exstiterit, feralem de doctore damnato narrationem e sociorum S. Brunonis discipulis, aut certe ex iis, quibus hi illam retulerant, intelligere potuisse, bini scriptores anonymi verbis suis proxime recitatis recte doceant, id tamen reipsa factum, neutiquam probant. Rem quidem potius ex hisce, quam ex incerto credulæ plebis rumore didicisse laudatum chronologum existimandum indicant; ast, præterquam quod nec id ulla ratione probatum dent, contrarium existimandum videtur, tum quod, unde narrationem suam hauserit, non edicat, idque nihilominus, si e probato adeo fonte eam hausisset, verosimiliter, ut num, 329 jam docui, fuisset facturus, tum quod prodigium Parisiense narraturus dicat, « Tale ibi (Parisiis nempe) prodigium dicitur accidisse, » sicque ambigentis potius quam asseverantis in modum de horrenda historia loquatur, de qua tamen, si ei vel a sociorum S. Brunonis discipulis, vel ab iis, qui eam ex hisce audivissent, fuisset relata, dubitaturus verosimiliter non fuisset.

357. Ad hæc anonymus quinque primorum Carthusiæ priorum chronologus, ut ut jam inde ab anno circiter 1220 vixisse statuatur, quadraginta equidem et centum circiter annis a prodigio Parisiensi abfuerit; etsi autem subinde quidem rontingat, ut, quæ a scriptoribus non synchronis memoriæ produntur, vera ad hosce traditione pervenisse sint credenta, id tamen locum vix obtinere potest, quando, uti hic fit, quæ narrantur, sunt hujusmodi ut si contigissent, a scriptoribus etiam synchronis verosimiliter commemorata fuissent, nec tamen ab horum ullo commemorata inveniuntur. Nec quidquam ad rem facit, quod de Ecclesiæ traditionibus addit Tractatus a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor; cum enim, quæ traditionibus hujusmodi accepta fuere, diu fuisse, imo per unum, duo, tria aut etiam plura sæcula in Ecclesia credita, culta et observata dicat, de traditionibus divinis et apostolicis indubie loquitur; «quemadmodum autem nihil (verba sunt Papebrochii nostri in suis ad Exhibitionem errorum Responsionibus articulo 19, num. XI) pro divina et apostolica traditione recipitur, quod ex sanctis Patribus non probatur ipsorum ætate fuisse observatum in Ecclesia universali, tanquam ab initio sic traditum; ita nec humanas, prætensas ut tales, prudenter admittimus, quæ vel cum certioribus auctoritatibus pugnant, vel nequivissent ab antiquioribus non attingi aliquando, si

www.libtool.com.cn

veræ forent. « At vero, inquies, unde ergo de Parisiensi prodigio, si traditione vera acceptum id non sit, ortus esse potest incertus, ut vult Launoius, in Carthusianorum clausiris rumor? Illudne hi forsan confinxerint? Ita fere etiam bini Carthusiani anonymi supra laudati. Verum, etsi id anonymus primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus vera traditione non didicisse statuatur, consequens tamen hinc non sit, ut id vel ex incerto rumore vel e Carthusianorum antiquorum figmentis acceperit. Quid si enim horrenda damnati historia non publice, sed intra privatas defuncti ædes coram paucis acciderit, temporisque deinde lapsu in adjunctis, nullo licet interveniente figmento, fuerit corrupta? Fieri sane id potuisse, ex infra dicendis patescet, uti et modus, quo factum esse queat.

§ XXI. *Alia quædam facientia pro prodigio, quo doctor Parisiensis, sese damnatum, adstanti multitudini publice e feretro denuntiarit, rationum momenta afferuntur, et an ex his tandem illud vero simile utcumque non fiat, examinatur.*

Quod e titulis funebribus, queis Sancto nostro Ecclesiæ monasteriaque diversa parentarunt, nonnulli, eum e divinorum judiciorum infernique timore in eremum secessisse, haud obscure indicent, hinc in illis ad luctuosam damnati doctoris historiam alludi, anonymus Tractatus de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor conjicit; quod si autem ad feralem eventum reipsa in dictis Titulis alludatur, consequens est, ut hic non tantum acciderit, verum etiam ut publice acciderit, utpote quem alioquin ecclesiæ monasteriaque, quorum ii sunt, perspectum haud habuissent. Ne quid itaque, quod prodigio Parisiensi utcumque favere videri potest, inobservatum prætereamus, leudati auctoris anonymi verba, memoratam conjecturam complectentia, una cum titulis funebribus quibus hanc ille superstruit, huc transcribo, deinde etiam, quæ mea hac de re sit opinio, adjuncturus. Sic habent : « Veram illius (S. Brunonis videlicet) secessus » in eremum « causam nulli ita apprime cognoscere potuerunt, quam Ecclesiæ, in qua Sanctus olim egerat canonicum, Sanctæ Mariæ Remensis canonici, qui eam suo Titulo, qui inter edendos locum 54 tenet, sic insinuant :

Judicis examen venturi Bruno pavescens,
Mundanas contempsit opes, eremumque petivit ;
Atque suavis ibi fructus emisit odoris,
Ad Christum revocans, quos gloria vana fefellit.

359. « Radulphus Viridis præposituræ dignitate in ea ecclesia tum gaudebat, qui forsan hujus tituli auctor ad invitationem, qua paulo ante per epistolam ad monasticum habitum ex voto induendum a Brunone incitatus fuerat, tacite alludit his verbis : « Ad Christum revocans quos gloria vana fefellit. » Ecclesiæ Remensi adstipulatur particularis ecclesia S. Bartholomæi in monte Or, non longe ab eadem urbe dissita, cujus elogium, inter Titulos funebres edendos ordine 65, totum est de mortis et inferui horrere, quo territus Bruno dicitur eremum penetrasse. »

Orbis amarescens claudessit pondere mortis,
Et trahit ad speciem humanæ per devia sortis.
Mergit et exsilio propriorum quæque tabescens :
Unde tumescis homo miser hac ætate senescens
Fonte Carybdineo mergeris ad ultima finis :
Ac cinis in cineres solveris ut umbra lucernis.
Est labor ejus amor, et inextricabilis error,
Defectu cujus animam complectitur horror,
Postquam nudata fuerit de carcere carnis
Vel Satanæ ducibus huc circumsepta catervis.
Quod metuens animosus in hoc discrimine Bruno
Servitio penetrat eremum certaminis uno,
Linquit opes mundique decus, ne gloria pœna
Fiat in interitum, etc.

360. « Simile quid primariæ Ecclesiæ Parisiensis canonici amico Brunoni parentantes (Titulo nempe inter recudendos 109) succinunt : »

O vos mundani, qui re gaudetis inani,
Spernite culturam carnis subito perituram.
Corpus enim vastum varia pinguedine pastum
Quo magis impletur, putidum magis efficietur.
Cur impinguatur caro, qua vermis satiatur ?
Cur adeo cupimus bona, quæ retinere nequimus?
Quos male seducit mundus, per devia ducit,
Et sectatores cornis fallit per honores,
Blandaque prætendit, dum nobis retia tendit.
Est et in hoc mundo mundanis sollicitudo,
Pœnaque lucratur pœnam ; caro bis cruciatur.
Qui lucra sectantur, subita nece præcipitantur,
Et subeunt antrum carnes animæque barathrum.
Hæc satis attente pertractans Bruno repente,
Ille magistrorum decus, informatio morum,
Remigium turbæ Remensis major in urbe
Mundum despexit, iter ad cœlestia flexit,
Vilibus indutus pannis te, Christe, secutus,
Huic igitur cœli pateant populoque fideli,
Cum quo lætatur Bruno, semper sociatur.

561. « Monachi quoque Sancti Germani ejusdem urbis (Parisiensis nempe) tertantur (in Titulo funebri nimirum 26) Brunonem ultimi judicii recordatione perterrefactum fuisse : »

Mentibus in nostris deberet semper haberi
Lux, in qua reprobi mala tollent, seu bona justi.
Hanc timuit Bruno, sophiæ qui verus amator.

Ex his et quibusdam aliis titulis, qui similia indicant; non absurde conjectare possumus, Brunonis amicos in eis implicite allusisse redivivi hominis spectaculo; illos vero non clare historiam designasse, ne famam illius ejusque consanguineorum violare viderentur. Fatemur eadem de quolibet alio, mundo valedicente, cujus conversionis causa latet, dici posse, sed cum apud omnes Carthusienses semper ratum fuerit, Brunonem ex horrendo damnati magistri judicio tremefactum mundo abrenuntiasse, gravis inde conjectura elicitur, idem judicium in prædictorum titulorum verbis contineri. Cur enim amici ei chariores, qui optime callebant

www.libtool.com.cn

quænam illius conversionis causa fuerit, non aliam præter mortis, judicii et inferni timorem attulerunt? Cur nihil de Manassæ Simoniaci accusationibus, aut ejus perversis moribus meminerunt, si Brunonem in eremum impulerunt, ut Launoius ex Guiberto necessario consequi vult? » Ita hactenus ille, qui cum fateatur, quæcumque in Titulis funebribus huc jam transcriptis aliisque continentur, esse hujusmodi, ut de quolibet alio, qui mundo valediceret, possint pronuntiari, formatæ a se ex hisce conjecturæ multum roboris non inesse, haud obscure agnoscit; qua sane in re assentiendum ei hic est, uti consideranti patebit. Ad alia modo, quæ pro prodigiosa doctoris anastasi facere utcumque videntur, progrediamur.

362. Saussæus in didascalica sua Epistola, supra plus semel jam laudata, quæ anno 1643 typis Coloniensibus in lucem prodiit, in Parisiensis prodigii subsidium etiam vocat imagines et celebrem Carthusiæ Parisiensis picturam, horibilem damnati doctoris historiam exprimentes. Ac primo quidem de hoc argumento pag. 22 sic scribit: « Accedebant figuræ et imagines, quibus funestum illud spectaculum repræsantabatur. Hæ expressæ erant in sacrarum precatiuncularum, quas Horas vocitant, libellulis, imo etiam in Breviariis aliquot, atque Missalibus non modo hujus (Parisiensis nempe) diœcesis, sed aliarum quoque nonnullarum. Ac deinde eadem pag. 22 sic habet: Insuper ostendebatur nobis celebris illa pictura, quæ in monasterii Patrum Carthusianorum hujus (Parisiensis) urbis claustro Ecclesiæ propinquiori etiamnum cernitur, seriem exprimens vitæ miseri hujus hominis et funesti excessus horrendæque illius damnationis, ab ipso publice in ecclesia post mortem declaratæ, et ejectionis ejus cadaveris in profanum locum horribilem catastrophen. » Hæc ille; verum ad posteriora Launoius in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione ita respondet: « Hæc pictura nihil plus habet auctoritatis, quam libri ex quibus originem trahit. Designatum argumento suo tempus non excedit, sed longo post intervallo sequitur. Ad annum quippe 1582 delineata est, ut scriptum nuper videbatur super portam, qua e minore itur ad majus claustrum: nuper, inquam, cum, vertente superiori anno pictura illa celebris partim deleta sit, parti novis, quæ parietinis adhærent, substructionibus, iisque cum lapideis, tum ligneis arcuatim dispositis occultetur.

363. « Deinde recentem fuisse figuram omnino testabatur forma pilei, quo tectus Bruno auditores suos hinc inde docebat. Hoc enim capitis operimentum, quod in veteribus academiæ libris birretum rotundum et vocabatur et erat, ad annum 1520 aliter deformari cœpit, et in cornutum quadrum desinere; cujusmodi erat pileus seu birretum magisterii insigne quo, ut diximus, Brunonis caput tegebatur. Cæterum qui pinxit prodigium, et qui fratres pingi curarunt, illud ita evenisse, ut pingebatur, opinor, cerdiderunt, sed decepti fuere ab iis qui pingendæ rei falsæ argumentum dederunt; » ad priora autem ita reponit: « Vidimus quoque multos ejusmodi libros, in quibus nihil tale comparebat. Cur autem in quibusdam Parisiensis et aliarum diœceseon libris hæ figuræ et imagines pingerentur, in aliis pingerentur, conjiciet qui voluerit. Nos tamen auctori (Saussæio videlicet) fidem habemus. Sed hæ figuræ et imagines nullius sunt momenti, cum iis tantem fulciantur auctoribus, quos rejecimus. Eas vero imagines, quæ Brunonis tempore depictæ essent, tanquam veritatis testes amplecteremur. » Ita Launoius; et sane rectissime: » Ex picturis enim et imaginibus, uti deinde in Dissertationis suæ cap. 3 conculsione tradit, non ante solidum argumentum duci potest, quam quo expressæ fuerint, certum tempus definiatur; ratio autem est, quia, ut ibidem etiam addit, pictores ad exemplar rerum, quæ suo tempore creduntur vulgo, vel geruntur, imaginines suas efformare solent, ita ut, si fingamus imaginem quæ centum aut ducentos abhinc annos depicta sit, consectarium futurum sit, rem, quæ ea exhibitur, ita tunc creditam vulgo, vel gestam esse. » Hinc Parisiensi prodigio fidem conciliare nequeunt, quibus id exprimitur, seu imagines et picturæ sæculi quarti decimi, num. 220 hic memoratæ, seu tabellæ, Ordinis Carthusiensis statutis et consuetudinibus anno 1510 Basileæ excusis præfixæ; hic enim argumento duntaxat sunt, feralem historiam tum sæculo quarto decimo, tum anno 1510 creditam fuisse; unde minime consequitur ut locum hæc umquam certo habuerit. Sed hæc de picturis imaginibusque luctuosum eventum repræsentantibus, dicta sufficiant.

364. Saussæus in horribilis historiæ probationem eadem iterum pag. 22 Epistolæ suæ didascalicæ ait, factam illam sibi ex eo probabiliorem, quod, uti intellexerat, in Parisiensi de Defunctis Officio e Lectione quarta illud hujus exordium, « Responde mihi, » fuisset aliquando deletum, « quod clerico in Officio funeris hæc verba de more pronuncianti responderit miser ille defunctus: « Justo Dei judicio » accusatus sum, deinde judicatus sum, demum » vero damnatus. » Verum Sancti nostri ætate in Parisiensi de Defunctis Officio verosimiliter vel nullas fuisse Lectiones recitatas, vel hasce, e quibus proinde aliqua ab his verbis, « Responde mihi, » incepisset, e libro Job non fuisse depromptas, jam supra ostendi. Jam vero, cum id ita sit, dubium sane admodum est, ne amplius quid dicam, an vera prædicarint, qui ob causam, proxime recitatis verbis expressam, verba illa, « Responde mihi, » in Parisiensi de Defunctis Officio e Lectione quarta fuisse aliquando expuncta, Saussæo retulerunt. Vide, quæ huc spectantia in sua de vera causa secessus S. Brunonis in eremum Dissertatione suppeditat Launoius, cui hac in parte a nemine contradici invenio. En aliud adhuc, quo pro Parisiensi prodigio

www.libtool.com.cn

adducitur, argumentum. In Parisiensi, aiunt, ecclesia sanctissimæ Dei Genitrici dicata, capella est, quæ Damnati capella dicitur, hocce adeo nomen a damnato seu canonico seu doctore, qui in dicta ecclesia justo Dei judicio se accusatum, judicatum ac tandem etiam damnatum, publice coram innunumera propemodum populi multitudine proclamarit, haud dubie sortita. Verum Parisiensem, quæ modo exstat, S. Mariæ ecclesiam nondum fuisse S. Brunonis ætate exstructam, docet nos Robertus de Monte in Sigeberti Appendice ad annum 1177 sic scribens : « Mauricus episcopus Parisiensis jam diu est, quod multum laborat et proficit in ædificatione ecclesiæ prædictæ (Parisiensis) civitatis, cujus caput jam perfectum est, excepto majori tectorio. Quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes, cui aperte debeat comparari. »

365. At vero, aiunt, eo loco, quo Mauricius episcopus Parisiensem S. Mariæ ecclesiam exstruxit, alia ante exstitit ecclesia, damnati capellam complexa, hæcque in novo ædificio fuit retenta et conservata. « Scilicet, » ait loco proxime citato ironice Launoius, « ad memoriam rei tantæ sempiternam, ut nomen illius, cui sepulturæ honos denegatus fuerat, basilica tali cohonestaretur. Tantum abest, ut, quem Parisiensis clerus Morboniam abire jusserat, perpetua inobscuraret oblivio. In has, velint nolint, compelluntur angustias, qui verum a falso non secernunt. » Ita ille, iterum nimirum innuens, in fabulis indubie habendam luctuosam damnati historiam. Et vero hæc, ut jam supra docui, etsi certo fabula seu commentum non sit, parum equidem verosimilis apparet, nec quidquam ei verosimilitudinis potest adjungere capella, quæ Damnati vocatur. Quid si enim hæc ita a populo, feralem historiam, ut ut numquam factam, in præfata tamen ecclesia accidisse, per errorem existimante, fuerit vocata? Quid si a damnati, non quidem, qui ibidem damnationem suam publice declararit, sed alterius cujuscumque, imagine seu figura, ibidem exstante, nomenclationem illem acquisierit ? Quid si etiam hinc lapsu temporis factum sit, ut erronea de canonico seu doctore, qui, sese damnatum, in eadem dicta ecclesio publice proclamarit, apud populum invaluerit opinio ? Ut ut res habeat, non una sane de causa orta esse potest illa capellæ Parisiensis ecclesiæ nomenclatio, ac proin ex hac pro luctuosa doctoris damnati historia valide argui non potest. Atque hæc sunt rationum momenta præcipua, quæ pro Parisiensi prodigio præterea inveni, quæque pro hoc adstruendo aut nihil, aut certe parum admodum faciunt, uti ex jam dictis palam est. Alia, quæ minoris adhuc, quam hæc, roboris sunt, omitto, ne rem plane inutilem præstem ac supervacaneam.

366. Atque hinc etiam signatas anno 1084 fundationis Carthusiæ tabulas exaratumque anno 1115 Grandimontensem codicem nec hic, nec supra commemorare, initio statueram. quod et hunc, et illas, pro prodigio Parisiensi mala fide aut saltem immerito, non secus ac nonnulla alia, hic proinde non memoranda, a Polycarpo de la Riviere, Ordinis Carthusiensis alumno, allegari, Papebrochii nostri verbis, num. 196 huc transcriptis, persuasum mihi haberem. Verum cum modo intelligam, fieri posse, ut bina illa monumenta a præfato scriptore Carthusiano in Opere, quod Angelica inscribitur, quodque anno 1626 typis Lugdunensibus in lucem prodiit, nec mala fide, nec etiam immerito laudari, adductæ a Theophilo Raynaudo in Hercule Commodiano rationes non memini suadeant, lubet et hasce, antequam prodigii Parisiensis discussioni finem imponam, lectori ob oculos ponere, simulque, cujus sint ponderis, examinare. Raynaudus itaque in Opusculo cit,, serie 2, quæsito 3, ut fundationis Carthusiæ chartam, in qua prodigium Parisiense memoretur, mala fide a Polycarpo de la Riviere non fuisse citatam, ostendat, sic scribit: « Optimus et religiosissimus pater, Justus Perrot Parisinus, qui paulo ante ex Carthusiæ scriba evectus in Generalem excessit e vita sanctissime, visam a se eam (fundationis scilicet Carthusiæ) chartam, nec recenti manu, sed antiquissima exaratam, doctoris damnati prodigium in libri capite continentem, confirmavit. Nec ego id solus assero, qui ejus Nestoris alloquiis et benevolentia, cum me in Carthusiam benigne advocasset, honestatus sum, sed idipsum ab ore ejus acceptum, non semel, sed sæpius domnus Chrysanthus Paulinus, prior Vallis Benedictionis secundum Avenionem, vir suo merito et antiquitatis prærogativa inter primarios Carthusiæ Ordinis patres annumerandus testatur, et attestantur superstites alii bene multi, ut non possit esse, nisi ex mera obfirmatione, dubitandi locos.»

367. Hæc ille; e quibus sane, fundationis Carthusiæ Chartam a Polycarpo mala fide pro prodigio Parisiensi non fuisse laudatam, mihi sat verosimile apparet. Verum quid si tam hic scriptor, quam laudatus a Reynaudo Justus Perrot in Charta illa esse, quod vere in ea non erat, per errorem existimarit? Qui factum id esse queat, seu potius factum sit, docent nos hæc Carthusiani nostri anonymi num. 206 huc transcripta verba : « Inter quos (libros ab Aymaro Savelli, Carthusiæ Majoris professo, conscriptos) unus adhuc exstat scriptus anno 1455, in quo hæc nostra (De damnato doctore) historia iisdem prorsus verbis, quibus habetur in veteri nostro auctore anonymo, exprimitur cum tali inscriptione ad frontem : « Quomodo Ordo Carthusiensis habuit « originem. » Statimque post enarratam historiam sequuntur litteræ fundationis Carthusiæ anni 1084. Unde putanus, natum errorem D. Polycarpi de la Riviere, inter auctores, qui hujusmodi prodigii meminerunt, easdem litteras recensentis, contra quem propterea, velut malæ in scribendo fidei hominem, Launoius daulo acrius invehi visus est. » Quidquid igitur de Charte fundationis Carthusiæ, in qua prodigii Parisiensis mentionem invenerit, Perrotus

www.nbtool.com.cn

Carthusiensis Ordinis Generalis affirmarit, id verosimillime duntaxat per errorem eo modo, quem hic Carthusianus noster anonymus exponit, admissum affirmarit, ut proinde, etsi quidem forte non mala fide, perperam tamen seu immerito pro luctuosa historia monumentum illud, utpote hujus mentionem non faciens, allegarit Polycarpus, uti hic etiam ingenue agnoscit Carthusianus noster anonymus. Nec est, cur hic cum Raynaudo reponas, chartam fundationis Carthusiæ a charta donationis ejusdem esse diversam, prodigiique non in hac, quæ modo adhuc exstat, sed in illa, quæ Carthusiæ conflagratione perierit, mentionem factam fuisse. Chartam enim fundationis, quæ a charta donationis Carthusiæ esset diversa, aliquando exstitisse, nec verosimile apparet, nec ullo argumento potest probari.

368. Quod jam ad codicem Grandimontensem, a Polycarpo pro prodigiosa doctoris anastasi pariter laudatum, pertinet, fidem quidem Launoii, qui, quæ in codice illo seu Chronico de prodigio scripta inveniuntur, recentiori, imo recentissima manu scripta esse asseveravit, elevare conatur Raynaudus; verum Launoio, id post inspectum suismet oculis codicem asserenti, fidem adhibendam puto, tum quod, quæ Raynaudus adducit, magni roboris non sint, tum quod Columbius in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione Grandimontense Chronicon pro prodigiosa doctoris anastasi non laudet, quique, cum illud, ni vera prædicasset Launoius, haud dubie fuisset laudaturus, malam Polycarpi in monumento illo citando fidem tacite agnoscit, uti jam ante me verbis num. 196 huc transcriptis Papebrochius noster observavit. Accedit, de Polycarpi in citandis monumentis pluribus aliis mala fide constare, ut vel hinc, fuisse eum et in citandis Grandimontensi Chronico mala fide usum, verosimilimum evadat. Jam vero cum res, ut jam dictum, de hoc monumento et charta fundationis Carthusiæ habeat, nequit etiam vel ex hac vel ex illo prodigium Parisiense certum effici. Neque vero, quod coronidis quodammodo loco hic adhuc adnotare lubet, ipsemet Carthusianus Annalum Ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor feralem historiam, si publice accidisse statuatur, pro omnino certa habuit.

369. Ita enim lucubrationis suæ num. 127 loquitur: « Cur igitur... anonymo nostro (primorum quinque scilicet, qui luctuosum eventum publice accidisse scribit, Carthusiæ priorum Chronici auctori) fides derogetur, non videtur; » ac deinde, nullis prorsus aliis verbis interpositis, num. proxime seq. subjungit: « Fidem dicimus et exposcimus non divinam, sed humanam, sive potius fidei pietatem. Fatemur enim, hujus spectaculi veritatem non esse de fide; quapropter sive admittatur, sive non, nihil refert. Verumtamen non putamus, a cordatis lectoribus ei posse denegari locum inter veritates illas, quæ sine fidei læsione aliquam apud pios homines creduntatem obtinere possunt. De quibus Joannes Gerson, vir æque pius ac doctus, sic loquitur in Declaratione veritatum quæ credendæ sunt de necessitate salutis: « Demum in sexto » gradu, qui quartus est mode dicto, collocantur » veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutrien- » dam vel fovendam devotionis religiosam pietatem » quæ magis inducuntur ad inflammandum affe- » ctum, quam ad instruendem intellectum, ubi pie- » tas devota magis aspicitur, quam veritas certa, » etc. His Gersonis verbis non labefactatur, nec falsitatis damnatur, aut arguitur nostra de damnato homine narratio. Imo quis non videat, eam aptissime posse collocari inter « veritates illas, quæ tan- » tummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam » devotionis religiosam pietatem? » Et licet in eis » Pietas devota magis aspiciatur, quam veritas » certa, » nihilominus « Veritates eas » appellat piissimus doctor, et in sexto gradu « Veritatum cre- » dendadum » collocat. Quid convenientius confirmandæ stabiliendæque veritati nostræ narrationis dici poterat? Quam quotidie experimur multum » Facere ad nutriendam vel fovendam devotionis » religiosam pietatem, » cum multi et « devotam » pietatem et veritatem in ea aspicere non con- » temnunt. »

370. « Attamen Gerson non minus prudens, quam religiosus, ne « veritatem » sub specie « pietatis » devotæ » negligere videretur, præcitatis verbis moderamen statim adjecit dicens: « Ubi hoc unum » reprobatur, si adesset assertionis temeritas, » priusquam elucidaretur alio modo per Ecclesiam, » vel rationem certam ipsa veritas » Si videlicet temere res aliqua assereretur, de cujus veritate taliter dubitaretur, et esset adeo dubia, ut « Per » Ecclesiam vel rationem certam » merito esset elucidanda. Atqui nulla hic adest in asserta de damnato homine veritate « Assertionis temeritas, » neque ullam in eo esse temeritatem ipse Gerson, credidit, quando postea, « de plurimis, » ut ipse loquitur, « exemplum hoc unum et celebre » proposuit ad inspirandum « exercitatis » timorem Domini, et « ad nutriendam vel fovendam devotionis » religiosam pietatem. » Nec opus fuit ut illa per » Ecclesiam vel rationem certam elucidaretur, » quæ satis erat lucida, quamque propterea « cele- » brem » vocavit Gerson, utpote ab institutione Ordinis (dubium admodum ex supra dictis hoc est) absque contradictione recepta et approbata. Quam tot auctores asseruerint, nullus damnarit, cui hactenus universus populus Christianus aures accommodarit; quam universus Ordo Carthusiensis, etsi non nisi valde remote spectet ad laudem ejus, per sexcentos annos (dubium iterum valde hoc est ex supra dictis) ad hanc usque diem constanter, perseveranter et unanimiter certam et veram esse crediderit et credat, solo uno eam impugnante Launoio. Cui denique summi pontifices annuerint, et Gregorius XV et Urbanus VIII hanc aperte in Officio san-

www.libreriaeditrice.va

cti Brunonis appositam approbarint, licet postea sacræ Rituum Congregationi visum fuerit, eam cum professione fidei, a sancto Brunone animam efflante edita, e lectionibus Breviarii rescindere, non aliam ob causam, quam quod ex utraque factæ fuissent nimium longiusculæ, ut postea sapientissimi censores causam rescisionis suscitantibus declararunt.

371. « Et revera, si tanquam fabulosa e Breviaro tunc sublata fuisset, cur postea aliis Breviariis, annis 1648 et 1652 recens editis, restituta fuisset? Cur quotidie doctores Legendas sanctorum suis chirographis combrobant, in quibus Vita sancti Brunonis cum ejusdem spectaculi narratione describitur? Id certe ab eis sic agitur et a sacra Rituum Congregatione sinitur, quia nihil in hac narratione fidei contrarium deprehenditur. Juxta quod idem magister Gerson loco citato censuit, Vitas Sanctorum contineri sub sexto gradu veritatum credendarum. « Respicit, inquit, iste gradus Legendas » et miracula Sanctorum, Vitas Patrum, visiones » devotarum personarum, recitationes et opiniones » sacrorum doctorum, quæ omnia suscipit Ecclesia » et legi permittit, non quod determinet talia de » necessitate salutis esse credenda, sed quia profi- » ciunt ad commovendos affectus pios fidelium et in » ædificationibus ipsorum, dum in talibus nihil de » certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam » nesciatur illud certitudinaliter esse verum. » Hæc Gerson, qui cum superius dixisset in genere, « in » sexto gradu collocandas esse veritates illas, quæ » tantummodo faciunt ad nutriendam et favendam » devotionis religiosam pietatem, » hic, quænam sint illæ in specie, declarat, « Legendæ » scilicet, etc., et Miracula Sanctorum, Vitæ Patrum, Visiones, etc., quæ omnia inter veritates collocantur et pro talibus recognoscuntur, et censentur ab Ecclesia, quæ illa legi permittit, neminem tamen cogens ad ea credenda, sicut cogit ad Biblia, sed legi permittit, non prohibendo, nec, ut credantur esse vera, præcipiendo. Et quidem permittit legi, « Quia, ut ait Gerson, proficiunt ad movendos affectus pios fidelium et in ædificationibus ipsorum. » « Et hoc cum » tali conditione, dum in talibus nihil de certitudi- » ne scitur esse falsum, quamvis etiam nescitur » illud certidudinaliter esse verum. »

372. « Vitas igitur et miracula sanctorum, visionesque et miracula hujusmodi juxta effatum domini Gersonis permittit Ecclesia legi et inter veritates reponit, id est, vera esse judicat et non falsa, quamvis « non determinet, talia de necessitate salutis » esse credenda, dum in talibus nihil de certitudine » scitur esse falsum. » Hoc autem de damnato homine miraculum sive res mirabilis ad Legendam sancti Brunonis spectat, et nihil in eo « De certitu- » dine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur » illud certitudinaliter esse verum. Ergo juxta magistri Gersonis regulam, ab Ecclesia receptam, « inter veritates est reponendum, » Ita hactenus Carthusianus noster anonymus, Parisiensi prodigio vix quidquam amplius, quam nos ei attribuamus, postulans attribui. Postulat enim duntaxat, id reponi inter veritates, quæ debii solummodo nominis veritates sunt, quæque unice rebus seu assertionibus conveniunt, nec certo veris, nec etiam certo falsis. Atque hac quidem in re Carthusianum nostrum inter et nos apprime convenit, utpote qui pariter prodigiosam illam historiam nec certo veram, nec etiam contra ac ex dictis Launoius facit, certo falsam asserimus. Verum id etiam nos inter et eumdem Carthusianum nostrum discriminis intercedit, quod hic utique luctuosum eventum, utpote quem et ab Ecclesia (quod tamen secus habet) verum judicari, et ab universo ordine Carthusiensi per sexcentos annos ad suam usque ætatem constanter, perseveranter et unanimiter certum et verum creditum affirmat, pro verosimili ut minimum debeat habere, nos autem eumdem pro parum verosimili, ne dicam, pro verosimiliter falso, habeamus, si nempe publice is coram infinita propemodum populi multitudine evenerit, prout evenisse statuit, quam huc usque discussimus, opinio. Cæterum Ecclesia, quod contra Carthusianum nostrum anonymum bene notandum, Vitas Miracula, etc., Sanctorum, dum ea legi permittit, hoc ipso vera non judicat. Expendamus modo, quid de luctuosa historia censendum sit in opinione eorum, qui eam intra privatos domus defuncti parietes, paucis duntaxat hujus amicis, hosque inter S. Brunone ejusque aliquot sociis præsentibus, nec tribus diebus diversis, sed uno eodemque evenisse statuunt.

§ XXIII. *Opinio, quæ damnati prodigium intra privatus defunctis ædes coram paucis evenisse statuit, proponitur, et, an velut inepta noviterque conficta repudianda non sit, examinatur.*

Carthusianus noster anonymus, qui doctoris damnati prodigium, si publice factum adstruatur, procerto ex jam nunc dictis non habet, veritati id indubie consonum, si, non publice, sed intra privatas defuncti ædes coram paucis duntaxat accidisse statuatur, existimare videtur; in hoc autem casu feralem historiam, variis, adjunctis, quæ apud alios scriptores reperiuntur, hujusque ex jam dictis verosimilitudini plurimum officiunt, omissis ac resectis, ita concipienda proponit: « Anno 1082 quidam homo scienta et vitæ probibate, ut ex indiciis externis apparebat, spectabilis, Parisiis defunctus est, qui, cum domi, donec ad ecclesiam efferretur, ab amicis preces pro suæ animæ refrigerio funderentur, e feretro caput attollens, voce terribili ter repetita se justo Dei judicio accusatum, judicatum ac tandem condemnatum declaravit. Quo audito perterrefactus ac compunctus magister Bruno tunc præsens, adjunctis sibi sociis, quorum quidam eidem adfuerant spectaculo, sæculi fugam piis suis adhortationibus persuadens in desertum Carthusiæ aufugit anno 1084 » Ita ille, mox etiam subdens : « Re sic considerata, non est sane quod quis miretur silentium auctorum coævorum, qui hujus historiæ non meminerunt

www.libtool.com.cn

Neque etiam nobis exprobrari potest, quasi novam hujus prodigii narrationem comminiscamur, cum in ea nihil proferamus, quod non apud vetustiores auctores scriptum reperiatur. Omnes siquidem conveniunt, virum doctum, cum in speciem pie vixisset et obiisset, in feretro positum ter caput sustulisse et stupentibus, qui aderant, trina vociferatione se damnatum renuntiasse.

574. « Quidam referunt, tale spectaculum non in Ecclesia, sed in aula domus ejusdem defuncti evenisse. Quidam non tribus diebus, sed eadem die, eodemque recitationis Officii tempore trinam vocem rediisse. Alii narrant, amicos, non vero multitudinem hominum, præsentes fuisse, inter quos erant Bruno et quidam ex sociis, qui cum eo postea sæculo nuntium remiserunt. » Hæc Carthusianus noster anonymus ; ei autem hac in re jam præiverat Innocentius Le Masson supra laudatus, in ordinis sui Annalium libro I, cap. 1, num. 3 et seq. sic scribens : « Circa historiam illam doctoris, ut vulgariter dicitur, damnati non modicæ inter criticos ortæ sunt difficultates, aliis verissimam, esse asserentibus, aliis fere inter aniles fabulas illam referentibus ; aliis vero dicentibus, historiam veram quidem esse in substantia, sed variis circumstantiis auctam fuisse, quæ fabulis non sunt absimiles. Inter quas maxime reponitur trina illa ad tres dies diversos remissa deliberatio circa statum defuncti, per cadaveris exanimis ora clamantis dignoscendum, dum interim hora congrua repeterentur cæremoniæ funerales, precesque pro defunctis ab Ecclesia institutæ, et sic rumore se per totam civitatem spargente, quisque libere posset ad spectaculum illud videndum convenire, ac si ex condicto per tres illos distinctos clamores, dum eadem verba « Responde mihi » repeterentur, redeuntes, Deus debuisset signum dare per os cadaveris loquentis, quo potuisset unanime ab adstantibus de defuncti damnatione ferri judicium. Id tentare Deum volentium est, quod ideo ab episcopo nunquam fuisset permissum, maxime in illa florentissima civitate, quæ tot doctis et sapientibus viris abundabat.

575. « Quidquid sit de tertia illa opinione, quæ plausibilior videtur; nam abstrahendo circumstantia historiæ, et dicendo rem istam inter privatos parietes domus defuncti evenisse, ubi sanctus Bruno et ejus socii pensum charitatis circa corpus exanime chari sibi defuncti recitando Officium defunctorum persolvebant, quo durante, tribus vicibus distinctis, veluti a somno mortis evigilatus defunctus horrenda voce clamavit, se accusatum, judicatum et condemnatum, corruunt argumenta omnia, quæ ex silentio auctorum coætaneorum petuntur, qui, de S. Brunonis in eremum Carthusiæ accessu loquentes, nihil prorsus referre dicuntur de illa historia. Licet enim auctores illi coævi fuerint sancto Brunoni, facile fuit casum illum ignorasse, qui diu et quantum potuit, silentio pressus fuit et sub secreto servatus propter honorem tum insignis viri defuncti, tum ejus familiæ. Sed insuper tunc temporis aberat facultas tam prompte communicandi exteris regionibus, quod in aliqua regione evenerat; deerat enim veredariorum et cursorum publicorum commoditas, quæ tunc valde rara erat. Quidquid, inquam, sit de illa opinione, » etc. Sane, si prodigiosa damnati historia eo modo, quo a nonnullis, teste hic Massono, et ab ipso Carthusiano nostro anonymo verbis proxime recitatis exponitur, accidisse statuatur multo minus hæc habebit, unde a verisimilitudine abhorreat. Verum quæri hic jam potest, primo quidem, an narratio, qua res ita facta perhibeatur, pro noviter inepteque conficta haberi non debeat, seu potius an et quibus queat antiquitatis testimoniis confirmari ; secundo autem, an etquam fidem mereatur, seu an prodigiosa damnati anastasis, prout hanc illa tradit, reipsa evenerit, atque in eremum Sanctum nostrum impulerit. Ac primum quidem ex his præsenti, alterum vero sequenti § lubet discutere. Non raro fit, ut facta historica, etiam ea quæ a nemine prorsus revocantur in dubium, certissimeque etiam locum habuere, adjunctis averitate longissime alienis prorsusque commentitiis, si rite examinentur, inveniantur ornata.

376. Sacros martyrum agones, sævas a tyrannis in Christi fideles motas persecutiones, commissa inter exercitus inimicos prælia, factas urbium obsidiones, aliaque quam plurima, quæ seculis retro lapsis gesta sunt, historici tum sacri, tum profani in litteras misere. Verum quot hi sive ab impostoribus credulæve plebis rumoribus decepti. sive animi præposteris affectibus abducti, sive denique alia quacumque ex causa in errores illapsi, res seu facta, quæ narrant, falsis omnino ac fabulotis adjunctis non deturpavere! Sanctæ Crucis inventio, per Helenam, Constantini Magni matrem, facta, rebus historica fide certis accensenda est, litterisque a Theodoreto primum fuit commendata. Verum figmentis quam plurimis postmodum fuit fœdata, uti apud nos tom. I Maii pag, 363 fas est videre. Sancti Mauritii Sociorumque Thebæorum militum martyrum gloriosum pro fide certamen certum omnino atque indubitatum est. Verum id adjunctis falsis nonpaucis Suriana sanctorum illerum martyrum Acta exhibent vestitum, uti, quæ de hisce apud nos tom. VI Septembris pag. 340 et seqq. dicta sunt, dilucide ostendunt. Plura non addo, cum vix quidquam magis sit obvium, quam veras historias falsis commentitiisque adjunctis invenire corruptas. Atque hinc jam sit, ut in factis historicis, contra ac Launoius in sua De vera causa sucessus S. Brunonis in eremum dissertatione vult, rei gestæ substantia ab ejusdem adjunctis sit distinguenda, atque non cantinuo ex eo, quod hæc falsa sint, falsam pariter esse illam, sit consequens. Falsa ex jam dictis sunt, quibus apud Surium SS. Thebæorum martyrum passio ornatur, nan nulla adjuncta hæcquo nihilominus pro certissima est habenda.

377. Idem obtinet in pluribus aliis aliorum marty-

www.libtool.com.cn

rum agonibus aliisque factis historicis, quorum plurima ex historia tum sacra, tum profana forent eradenda, si singula, quæ falsis commentiisque adjunctis sunt vestita, commentis fabulisque forent accensenda aut certo pro falsis habenda. Atque hæc quidem, quæ de factis, ab ipso statim rei gestæ initio aut certe non diu post in litteras missis dicta hic sunt, multo magis in iis, quæ traditione dumtaxat, a rei gestæ origine per unum alterumve aut etiam per plura sæcula deducta, noscuntur, locum habent. Etsi enim, quod gestum est, ab iis, qui id vel viderunt, vel ex oculatis testibus audierunt, ad alios viva voce transmitti, et ab his deinde ad alios, nulla facta notabili mutatione, propagari facile queat, fieri tamen id vix, ac ne vix quidem potest, si res per unum amplius sæculum ad alios atque alios continua traditione, nullo scripturæ munimine firmata, transmittantur, Jam vero, cum ex supra dictis prodigiosa doctoris Parisiensis anastasis, si locum unquam habuit, centum amplius annis antequam litteris fuerit mandata, contigerit, mirum sane fuerit, ni multum vitiata, mutataque in adjunctis, quæ eam comitata sint, ad anonymum primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem, qui primus eam in litteras misit, pervenerit. Atque hinc jam sit, ut dubium admodum sit an is scriptor, dato etiam, prodigium re ipsa evenisse, falsis id adjunctis non vestierit, quæ traditione in hisce corrupta didicerit. Qui factum id esse queat, expono. Horrendi illius eventus substantia in eo unice videtur consistere, quod defunctus, qui pie in speciem vixerat, justo Dei judicio se accusatum, judicatum, ac condemnatum, trina emissa e feretro, in quo jam positus erat, voce, adstantibus declararit; unde factum, ut S. Bruno, qui aderat, horribili eventu compunctus, in eremum secesserit.

378. Quid si ergo hanc historiam, omnibus fere adjunctis nudatam, quidam temporis lapsu, quo qui adjunctis nudatam, quidam temporis lapsu, quo qui accidisset, exponerent, adjunctis pro arbitrio assumptis, iisque quæ vero magis existimabant similia, ornarint, hæcque deinde ita ornata ad anonymum proxime laudatum pervenerit? Fieri sane non nunquam, ut scriptores res, quas adjunctis destitutas inveniunt, adjunctis verosimilibus pro arbitrio exornent, aut etiam adjunctis, quibus eas vestitas inveniunt, nova alia, quæ verosimiliora censent, substituant, argumento esse potest in hac ipsa, quam tractamus, materia Chronographus Carthusiensis, num. 203 memoratus, qui sub Elizario Carthusiæ priore sæculo quarto decimo floruit. Hic enim etsi, quam apud anonymum primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem invenerat, integram de damnato docto narrationem adoptarit, horrendam tamen historiam quam anonymus in aula defuncti contigisse refert, in Ecclesia factam scribit; hanc autem, quantum opinor, in anonymi narratione mutationem idcirco fecerit, quod hic ad ferale spectaculum totam fere Parisiensem civitatem convenisse tradat, illeque hoc in aula defuncti, utpote tantæ multitudinis haud capaci, factum esse, verosimile haud existimaret. Eadem forte de causa etiam factum fuerit, ut, tres damnati vociferationes, non tribus diebus diversis, sed uno eodemque rediisse, memoriæ prodiderint nonnulli, quorum Sutor lib. I De vita Carthusiana, tract. II, cap. 2, meminit.

379. Et vero, cum horrendum prodigium, si unquam locum habuit, ad anonymum primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctorem traditione, in adjunctis, ut dictum, verosimiliter vitiata, pervenerit, illi sane, quod in hisce minus verosimile videbatur, mutantes, infausti doctoris vociferationibus, non dies diversos tres, ut ille, sed unum duntaxat non inepte assignasse videntur, maxime cum narrationis substantia sive uno sive tribus diebus diversis tres illæ vociferationes factæ statuantur, integra maneat, atque illæsa, uti num. præcedenti dicta consideranti patebit. Jam vero, cum id ita sit, verosimiliusque etiam appareat, horrendum prodigum, si unquam acciderit, non publice coram innumera populi multitudine, sed intra privatos domus defuncti parietes, paucis adstantibus, evenisse, nec is sene, qui illud et posteriori hoc modo et uno eodemque die factum statuerit, inepte facturus videtur, maxime cum nec hinc narrationis substantia num. præcedenti assignata lædatur. Verum nonne saltem sic noviter quid confictum attulerit? Nec hoc ex capite, ut apparet, ejus fuerit repudianda narratio. Fuerunt enim etiam antiqui, qui damnati vociferationes tres diversas et uno eodemque die, et inira privatos domus defuncti parietes evenisse, crediderunt. Fas est id colligere an auctore, qui Commentarium, quem De quatuor paradisi fluminibus ad purgandam animæ civitatem inscripsit, sermone Gallico contexuit. Hujus de damnato doctore narrationem, Latine a se redditam, Launoius in sua De vera causa secessus S. Brunonis in eremum dissertatione cap. 2 recitat, eamdemque deinde in Annalium ordinis sui librum quartum hactenus non vulgatum sermone tum Gallico, quo primitus fuit conscripta, tum etiam Latino intulit Carthusianus noster anonymus.

380. Atque hic quidem id facturus, de auctore dicti Commentarii, qui in Parisiensis prodigii adjunctis ab anonymo primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici auctore dissonat, hunc præfatur in modum : « Hic est auctor manuscripti codicis in membrana caprina charactere et stylo obsoletis, in archivo Castellioneæ familiæ reperti et in bibliotheca collegii Societatis Jesu Metensis modo asservati, in quo habetur historia illa Gallico sermone conscripta. Ejus vero scriptorem inter Carthusienses recensemus, quod profiteatur tatam suam narrationem a grandævo gravissimoque nostri ordinis monacho accepisse. Codicem non vidimus, sed ex transsumptum hujus historiæ testimonium, prout a R. P. Claudio Tifanio Societatis Jesu, Campaniæ provinciæ præposito, et collegium Metense lustrante anno 1639 missum fuit ad V. P. Carolum le Bret

www.vitrarium.com.ch

Carthusiæ Montis Dei priorum, hic de verbo aut verbum, ne apice quidem pratermisso, aut immutato, subjicimus, ut de ejus antiquitate, et nostris in illud notis lector sanius certiusque judicet. » Deinde vero conceptam verbis Gallicis de domnato doctore narrationem, Latina etiam hujus adjecta ad calcem interpretatione, transcribit. Hanc solam huc transtulisse ad institutum meum suffecerit. Itaque sic habet: « Narratur, quemdam Parisiis magistrum exstitisse. qui omnes alios illius temporis magistros ingenio et scientia superabat. Hic, prout apparebat exterius, honestæ erat conversationis, nec in eo ulli deprehendebantur perversi mores, aut quodcumque turpe vitium, nisi forte vanitas ob insignem scientiam et eximium judicum, quibus a Domino egregie instructus fuerat. Contigit vero ejus tempore, ut tres præcipuæ nobilitatis scholastici Parisios studiorum causa accederent, qui confestim se in disciplinam præfati magistri tradiderunt, quippe qui omnium aliorum magistrorum esset eminentissimus.

381. « Cumque sub eo vacassent studiiis, post longum tempus motuus est ille. Unde multum contristati discipuli, quem in vita dilexerant magistrum, etiam post mortem honorare pergentes, noctem illam circa defuncti corpus ex speciali devotione vigilias agere constituerunt, Dicto vero mortuorum officio, psalterrium inchoarunt, Cumque primum absolvissent Matutinum, sive Nocturnum, corpus, quod hic jacebat mortuum, erexit se et residens in feretro hæc verba protulit : « Æquus est, qui me « judicavit. » Tunc hi tros clerici et socii, qui aderant, circa corpus, etsi vehementer conterriti, nihilominus ab opere pio non destiterunt, sed alterum psalterii nocturnum prosecuti sunt, quo expleto, defuncti corpus, sicut prius eregens se dixit : « Justus « et æquus est ille, qui me judicavit et condemnavit. » Tunc tres illi clerici magis adhuc obstupefacti, quam antea fuerant, crucis signum sibi imprimentes tertium Nocturnum devotissime inceperunt; quo expleto, idem corpus tertio caput erigens, dixit : « Justus et æquus est ille, qui me judicavit et con- « demnavit et terroribus addixit et tradidit. » Hisque dictis, defuncti corpus quasi subitaneus turbo adveniens abreptum ex omnium oculis asportavit, nec deinde, quid de eo factum fuerit, reciri potuit. Ili, vero tres clerici, qui ejus fuerant discipuli, stupore vehementi acerboque dolore perculsi sunt ex tam infelici magistri existu. Tunc ad propria se recipientes sciscitati sunt per notos et familiares, quanam de causo vir tantus pœnis æternis addictus esset. Et post factam sedulam inquisitionem nihil agnoscere potuerunt, quod mortale peccatum secundum externa indicia judicandum esset, excepta vana gloria. Quam ob rem hi tres clerici, viri potentia et generis nobilitate conspicui, concepto divinorum judiciorum timore, communi statuere consilio ad salvandas animas suas et perpetuæ periculum damnationis evadendum mundi conversationem derelinquere, et in solitudine duram ac severam vitæ rationem suscipere et obire.

382. « Divino igitur concitati scriptu in Burgundiam ad locum desertum et incultum, montibusque obsitum perrexerunt, ubi inter montes, constructis cellulis, religiose admodum et austere vixerunt. Et sic per hos viros tres sanctos, et eos, qui exemplum illorum secuti, idem vitæ genus duxerunt, cœpit et adhuc stat, et observatur ordo Carthusiensis, sicut a quodam ex majoribus et antiquioribus ejusdem ordinis, hæc omnia narrante, coram domina femina Sancti Pauli comite audivi. » Ita habet tota de infausto doctore auctoris libri De quatuor Paradisi fluminibus e Carthusiani nostri anonymi interpretatione narratio; sequentia autem, ut tempus, quo circiter libri illius auctor floruerit, determinet, subjungit : « Auctorem narrationis hujus circa Gersonis vel Antonini tempora tantum vixisse, putat Maunoius et ex duobus conjicit, ex Gallica locutione, quam ad illorum ætatem pertinere vult, et ex modo loquendi, quem etiam contendit notitiam reinondum satis compertam et receptam importare. Sed docti alii aliter sentiunt. Claudius Tifanius, de quo supra, ex stylo tam ejusdem narrationis, quam totius codicis censuit esse sæculi decimi tertii ; idque etiam probari potest ex his vocibus subobscuris, quas in eadem narratione (uti etiam revera in hac occurunt) occurrere asserit Raynaudus. Una est Useille, altera Graigneur. Prima significat Vigiliam, posterior significat Magnum. Quæ ultima vox in eodem capite citati codicis reperitur, ubi auctor hæc verbo Ecclesiastici : « Quanto magnus es, hu- « milia te in omnibus, » sic idiomate illo Gallicano desito vertit, « De tant humilie toy plus, comme tu « seras Graigneur. » Et in apographo, a præfato Claudio ad Montem-Dei transmisso, hæ adhuc dictiones antiquissimæ et obsoletæ leguntur : « Que Dieu « absoille, id est, Deus absolvat. »

383. « Ex his omnibus auctorem hujus narrationis esse antiquiorem, quam putavit Launoius, satis evidens est. Et adhuc evidentius erit, si quænam sit hæc femina Sancti Pauli omnes consideretur. Haud dubium, quin cujusdam comitis Sancti Pauli uxor fuerit. Historiam familiæ dominorum de Castellione super Matronam, a quibus antiqui comites Sancti Pauli, ab Audrea Du Chenio editam perlegimus, et inter comitum Sancti Pauli uxores nullam reperimus erga nostrum Ordinem drœcipue propensam præter Mariam Joannis II ducis Britanniæ et Beatricis ab Anglia filiam, Guidonis III comitis Sancti Pauli uxorem, matrem vero Mathildis, comitis Valesii conjugis, et cum eo Carthusiæ Fontis Beatæ Mariæ fundatricis. Guido ejus maritus fuit comes Sancti Pauli post mortem Joannæ, suæ consanguineæ, filiæ et hæredis Joannis comitis Blesensis, ejusdem Guidonis patrui. Hanc Joannam Petri comitis Alenconii uxorem (quo mortuo sine liberis anno 1283 vidua

www.libtool.com.cn

remansit) primum existimavimus eam esse, eminam comitem Sancti Pauli, de qua in præfata narratione, quia fuit magna benefactrix Carthusiæ vallis Sancti Petri, et quasi altera fundatrix Parisiensis, in qua quatuordecim cellas ædificavit et dotavit. Sed licet reditibas comitatus Sancti Pauli usque ad annum 1291, quo obiit, fruita fuerit, nusquam tamen nec in documentis utriusque Carthusiæ, nec in citata Duchenii Historia reperimus, eam titulum gessisse comitis Sancti Pauli, sed tantum Alenconii et Blesarum. Quam ob rem hanc feminam comitem, in cujus præsentia hæc narratio facta est, censuimus esse potius præfatam Mariam, cujus parentes materni, reges videlicet Angliæ, magni fautores nostri ordinis exstitere. Hæc autem vixit cum Guigone marito ab anno 1292 ad annum 1337, quo ille obiit, cui diu superfuit, in viduitate perseverans usque ad mortem, quam oppetiit anno 1319. Cum igitur istius codicis scriptor coætaneus fuerit præfatæ comitis, hancque historiam acceperit, ut ibidem testatur, a quodam Carthusiensi monacho antiquissimo, hinc colligimus, hunc fuisse supparem nostro anonymo, qui primus historiam scriptis mandavit, cum jam in ordine nostro vivere potuerit ante annum 1280, ac proin patet, rem illam indubitatam jam fuisse sæculo decimo tertio, id est, annis ut plurimum octoginta post mortem sociorum sancti Brunonis, et eo tempore, quo Carthusiensis ordo cœpit e primaria domo latius diffundi. »

384. Hæc Carthusianus noster anonymus, ut, quo circiter tempore narrationis proxima huc transcripta auctor floruerit, determinet. Et sane ex iis, quæ de comitissa S. Pauli in medium adducit, sat verosimile apparet, floruisse eum aut sæculo tertio decimo jam prope elapso, aut potius tunc, et aliquot sæculi proxime sequentis annis. Nec contrarium evincunt duæ Launoii conjecturæ, quarum alteram hic scriptor repetit a Gallica locutione, alteram a modo loquendi tam hunc, quam illam ad Gersonis et S. Antonini ætatem pertinere contendens, Modus enim loquendi, quem auctor adhibet, notitiam rei nondum satis compertam et receptam, ut vult Launoius, reipsa importet, nondum tamen hinc consequens erit, ut narratio ejus ad Gersonis et S. Antonini ætatem pertineat, itaque duntaxat existimavit Launoius, quod Gersonem, qui de prodigio dubitantis fere in modum loquitur, primum fuisse velit, qui id in litteras miserit. Ast id a vero alienum esse, ex jam supra dictis satis liquet. Ad hæc, cum Launoius, feralem de doctore damnato narrationem, antequam a Gersone scriptis consignaretur, fuisse conflictam, affirmet, quidni de ea, veluti de re nondum satis comperta receptaque, loqui potuerit, qui ante Gersonis ætatem scripserit? Quod modo ad Gallicam, qua, de cujus ætate hic disserimus, auctor libri De quatuor Paradisi fluminibus utitur, locutionem pertinet, cum is, ut Carthusianus noster anonymus verbis proxime recitatis docet, feralem, quam suppeditat, de doctore damnato narrationem e Carthusiano grandævo coram Maria Sancti Pauli comite, quæ ad annum usque 1339 vitam protraxit, intellexerit, fieri potest ut hoc non diu ante hunc annum acciderit, cumque fieri queat, ut rem, cum primum eam audierat, in litteras non miserit, id forte duntaxat anno circiter 1350 fecerit; quo tempore locutionem Gallicam ab ea, quæ Gersonis ætate seu sæculi decimi quinti initio fuit, tam fuisse diversam, ut idde, tunc primum, qui illam adhibuit, scripsisse auctorem, concludere potuerit Launoius, mihi sat verosimile non apparet, quod quinquaginta duntaxat aut paulo etiam plurium annorum spatium in linguas seu idiomata non soleat tantam mutationem inducere.

385. Atque hinc jam sit, ut nec indubitanter adhærere ausim Tifanio, qui narrationem, de qua hic, integrumque, qui hanc includit, codicem sæculi tertii decimi esse, e solo, quo auctor utitur, stylo censuit. Neque enim video, cur hic anno circiter 1350 talis fere adhuc esse nequierit, qualis fuisse putatur sæculo tertio decimo jam senescente seu anno 1292, ante quem narratio illa litteris mandata verosimiliter non fuit, uti ex iis, quæ verbis proxime recitatis Carthusianus noster anonymus docet, pronum est eruere. Ut ut sit, cum eamdem narrationem ab auctore, qui eam in litteras misit, fuisse tunc primum, cum Maria, Joannis II ducis Britanniæ filia Sancti Pauli comes esset, seu eo temporis spatio, quod ab anno 1292 usque ad annum 1339 excurrit, e provecta admodum ætatis Carthusiano auditam, ex iisdem Carthusiani nostri anonymi verbi, etiam intelligatur, tempus equidem, quo circiter illa auctori, a quo scriptis consignata fuit, verosimiliter innotuerit, definitum habemus; quod præcipuum hic est, atque ad institutum præsens fere sufficit, licet interim, an provectæ admodum ætatis Carthusianus, e quo hic luctuosam historiam didicit, non serius, quam octaginta post sociorum S. Brunonis obitum annis floruerit, dubium admodum idcirco appareat, quod nullum ex his ultra annum 1145 vitam protraxisse inveniam, fierique, uti ex jam dictis pronum est eruere, facile possit, ut, qui historiam litteris mandavit, eam non ante annum 1330 ex illo provectæ ætatis Carthusiano audierit. Quale porro de præfat narratione Carthusianus noster anonymus judicium ferat, nunc habe. « Hujusmodi, inquit, narratio satis ingenua ac sincera videtur, totiusque historiæ medullam prorsus candide exprimit ex antiquorum testimoniis. Ibi enim habes prodigium illud accidisse Parisiis, nec non ejus occasione Carthusiense institutum habuisse originem.

386. « Trina quoque vociferatio perhibetur a sol damnati magistri amicis in ejus domo audita. Nihil que occurrit pristinæ nostri anonymi narrationi non consentaneum prater trinam illam vocum repetitionem, quam non tribus diebus, sed eodem die ter factam dicit. Quod vero ibi narretur cadaver ab oculis adstantium venti turbine sublatum dispa-

www.libtool.com.cn

ruisse, nullam fert contradictionem, cum noster anonymus et alii citati auctores, quid de eo factum fuerit, siluerint, Nam illud in sterquilinio sepultum fuisse soli recentiores meminere ex consequentia idonea, quia damnatio ejus certa erat. » Ita ille; verum plus aliquid, quam hic assignet, inter anonymi primorum quinque Carthusiæ Priorum Chronographi narrationem, aliamque, quam libri De quatuor Paradisi fluminibus auctor suppeditat, discriminis intercedit. Ille enim, contra ac abs hoc fit, innumeram populi multitudinem ad ferale doctoris justo Dei judicio sese damnatum vociferati, spectaculum accurrisse eique adeo adfuisse, non obscure indicat, quod interim adjunctum si a narratione abfuerit, minus hinc evadet isthæc creditu difficilis veroque absimilis, uti ex jam dictis satis patet, magisque adhuc patescet ex iis quæ dicturus sum, postquam quæ Launoio, prædictam narrationem ut futilem explodenti. Carthusianus noster anonymus opponit, huc transcripsero. Sic itaque post verba proxime recitata prosequitur: « Launoius, qui veterum et modernorum circumstantias confundit, eorumque dissonantiam multis exaggerat, in hanc narrationem velut « ineptam plenamque ignorantiæ » insurgit ex tribus maxime: primo, quod « Adolescentibus seu tribus clericis vel scholaribus Carthusianorum ordinis initium ascribat; » Secundo quod ejusdem ordinis « Furdamenta in » montibus Burgundiæ jacta fuisse referat: tertio » quod, quæ de sublato magistri cadavere tradit, » cum picturis et parietinis monasterii Parisiensis » non concordent. »

387. « Ad primum respondemus, eam narrationem fuisse verbotenus solummodo factam ab illo monacho, et ideo codicis scriptorum, qui forsan ea diu post scripsit, fallente momaria, facile decipi potuisse, Nam fatemur, ibi de tribus tantum clericis nominatim commemorari, cum revera septem fuerint, inclusis duobus laicis, qui ordinis fundamenta posuerunt, quos tamen omnes non constat spectaculo adfuisse. Sed indene recte inferatur totius historiæ falsitas, cordatus lector judicet. Imo, quod ibi ab aliis auctoribus discrepat, ex contextu ejusdem narrationis sine labore conciliatur. Etsi enim auctor trium tantum in cursu suæ narrationis meminerit, plures tamen ordinem instituisse innuit, cum sub finem sermonis addit: « Et par ces trois » saints hommes, et par ceux, qui prendrent exem» ple à eux, et vesquirent et converserent aussy » comme eux, fut commencié, et est encore main» tenue et gardée l'Ordre de Chartreuxe, » id est, » Et sic pex hos viros tres sanctos et eos, qui exem» plum illorum secuti sunt, et idem genus vitæ » duxerunt, cæpit et adhuc stat et observatur ordo « Carthusiensis. » Et superius: « Lors ces trois « clercs et lor compagnie, qui estoient environ le » corps: Tunc hi tres clerici et socii eorum, qui » erant circa corpus. » Nonne quatuor alii, qui cum tribus his clericis initium ordini dederunt, contineri potuerunt in illo cœtu? Sed etsi daremus nullam prorsus ibi fieri mentionem nisi de tribus clericis, nonne fieri potuit quod ex illo septenario numero tres quidem tantum funeri adfuerint, sed qui alios quatuor postea se cum in solitudinem traxerint?

388. « Nam revera eos idem vitæ genus pluribus aliis persuadere voluisse conjicimus ex Radulpho et Fulcio, quos lucrari Deo sanctus Brunno adnisus fuerat, etiam voto cum eis emisso habitum induendi monasticum; de quibus nihilominus jure dubitari potest, an præsentes fuerint spectaculo, quandoquidem et ante illud patratum tale votum emisisse potnerunt. Prætera ex septem primis Patribus tres tantum videntur proprie clerici dicendi, nempe S. Bruno, Landuinus et Hugo; nam ex quatuor aliis duo erant canonici Sancti Ruffi, et duo laici. Denique in illa narratione magister ille dicitur defunctus fuisse diu, postquam tres illos clericos docuisset. Sic enim ibi legitur: « Et quant illi orent estè et » lonc têms leur mestre mourut, » id est, « Cum » sub eo studuissent, diu post magister eorum de» functus est, sive ut reddidimus supra: Dumque » sub eo vacassent studiis, post longum tempus » mortuus est ille. » Launoius vero hæc verbo sic interpretatur: « Qui cum illos aliquandiu docuisset, abiit e vita » Sed in hac interpretatione, inviti dicimus, non fuit sincerus; nam « Aliquandiu » non significat « long-temps » sive « Per longum tem« pus, » sed « Per aliquod tempus. » Cum igitur ille homo obierit diu, postquam illos tres clericos docuisset, non erant tunc illi in statu *adolescentis* stricte sumpto, ut videtur sumptum a Launoio, ut narratio hæc inde ineptior appareret. Nec etiam scholares erant, sed duo ex ipsis jam doctores et magistri, ut constat de S. Brunone et Landuino. Neque id impedit quominus quidam ex aliis sociis S. Brunonis scholares forsan tunc fuerint; nam duo Stephani satis juvenes erant, qui nondum ad sacerdotium erant promoti.

389. « Nihil ergo ineptum in hac narratione occurret cuicunque lectori, verborum illius sensum benigne et sine ulla animi occupatione interpretanti. Quidquid ad hæc reponant adversarii, fundum tamen, uti ita loquamur, ipsius historiæ totaque illius substantia constanter perseverabit, nec illam subvertere poterunt tam leves in adjunctis dissonantiæ. Haud satis possumus mirari Launoii, viri perspicacsisimi, in hac observatione inconsiderantiam, qui cum prius cap. 1 suæ Dissertationis, in expositione testimonii Petri Cluniacensis legisset, et scripsisset, « Servari in Burgundiæ finibus, » sive « par» tibus, » ut alibi legitur, « professionem quam» dam, » id est, Carthusiensem, « multis aliis » monastici propositi sanctiorem, » et in expositione testimonii Jacobi de Vitriaco, « Est alia sanctorum » congregatio, quos Carthusienses appellent, in » ultimis Burgundiæ partibus, » hic nihilominus auctorem codicis ineptiæ et ignorantiæ arguit, quod

www.libroesoterico.com

fundamenta ordinis in Burgundiæ montibus jacta fuisse retulerit. Licet enim Major Carthusia modo sita in Delphinatu censeatur, olim tamen in Burgundia computabatur, quia et Subaudia et Delphinatus erant partes veteris Burgundiæ. Unde et astruitur codicis Castellionei antiquitas, cujus auctor si scripsisset post annum 1346, quo vel circa Delphinatus regno Franciæ ascribi cœpit, aliter de Delphinatu locutus fuisset. Ad 3 jam superius fecisse satis arbitramur, cum diximus recentiores tantum, inter quos picturas et parietinas Cathusiæ Parisiensis ascribimus, adinvenisse hujusmodi sepulturam in sterquilinio, licet similior vero videatur, quam illa a turbine asportatio. » Hæc sunt, quæ Launoio. suppeditatam a libri De quatuor Paradisi fluminibus auctore narrotionem veluti ineptam ignorantiæque plenam, explodenti, Carthusianus noster anonymus opponit.

390. Et vero Launoius immerito sane eam repudiat vel ex eo quod Carthusiensis ordinis fundamenta in Burgundiæ montibus jacta referat, vel quod infausti doctoris cadaver a dæmone arreptum ac sublatum, contra ac Carthusæ Parisiensis picturis exprimitur, insinuet, Vere enim montes, Majorem Carthusiam complectentes, sancti nostri ætate ad veterem Burgundiam spectabant, uti liquet ex iis quæ in Notitiis Galliarum ad vocabulum Burgundia in medium adducit Valesius. Quod vero de damnati cadavere non idem, quod in Carthusiæ Parisiensis picturis exprimitur, factum prodat, nihil plane ad rem facit, cum Parisiensis Carthusiæ picturæ, dato etiam, Parisiense prodigium accidisse, non ea polleant auctoritate, ut, quod cum hisce pugnat, rejiciendum sit. Nec inepta etiam, de qua hic, reputanda est narratio, quod tribus adolescentibus seu clericis seu scholaribus Carthusianorum ordinis initium ascribat. Hos enim, cum id fecerunt, adolescentes non amplius fuisse, innuit. Ad hæc etsi horrendo damnati spectaculo tres duntaxat adfuisse tradat, plures tamen ordinem instituisse, orationis contextu indicat, nec eos omnes scriptorum antiquorum ullus, qui spectaculi meminerit, præsentes eidem astitisse affirmat. Sed etsi id plerique ex his diserte etiam assererent, consectarium duntaxat foret, hos inter et libri De quatuor paradisi fluminibus auctorem in adjunctis exacte non convenire. Verum quid tum ? Id duntaxat argumento est, hunc non ex eodem fonte, e quo illi, hausisse, non autem narrationem, quam suppeditat, a narratione, quam illi, in substantia esse diversam, aut hanc idcirco a veritate existere alienam. Potest enim, uti ex jam supra dictis liquet, narrationis cujuspiam substantia veritati esse exactissime consona, licet interim adjunctis aut certo falsis aut dubie duntaxat veris sit vestita. Et vero hujusmodi esse adjuncta omnia, quæ vestiunt tum narrationem, quam primorum quinque Carthusiæ priorum Chronologus aliique hunc secuti suppeditant, tum alteram, quæ libri De quatuor paradisi fluminibus auctori ascribitur, persuasum idcirco habeo, quod, quibus tum hæc tum illa ornatur, nata sint e sola traditione, ad tempus usque, quod a rei gestæ origine centum amplius annis distat, deducta, quæ, cum tandiu absque scripturæ munimine durat, facere solet, ut ad rei gestæ substantiam adjuncta non paucu, quæ initio erant ignota, accedant.

391. Hinc dato etiam, luctuosam damnati historiam accidisse, dubium mihi semper erit an Sanctus noster, quod tamen ex libri De quatuor Paradisi fluminibus naratione supra huc transcripta concludendum apparet, Parasiis unquam studerit Dubium itidem, etiam hoc dato, semper manebit, clericusne, an doctor exstiterit, qui damnationem suam astantibus e feretro manifestavit. Doctorem tamen eum supra plerumque nominavi, quod hoc titulo a primorum quinque Carthusiæ priorum Chronologo, aliisque hunc secutis ornetur. Etsi itaque, qua de hic disputamus, narratio ab ea, quam antiquior sancti nostri biographus aliique hunc secuti suppeditant, in adjunctis differat, repudiandam propterea esse censequens non est. Nec est, quod reponas, solam esse, quæ doctoris damnati prodigium, non publice, sed intra privatas defuncti ædes coram paucis accidisse statuat. Etsi enim id ita sit, illam auctor libri De quatuor paradisi fluminibus, a quo in litteras missa fuit, e provectæ ætatis Carthusiano, ut supra dictum, didicit. Quare cum hic feralem historiam e Carthusianis, quibuscum vivebat, haud dubie audivisset, debet hæc testimonii multorum instar haberi, hincque de eadem, veluti a pluribus tradita, supra etiam sum locutus. Accedit, testimonia antiqua supra adducta, quæ prodigium publice factum statuunt, ex anonymi primorum quinque Carthusiæ priorum chronographi narratione esse accepta, omniaque proinde simul sumpta testimonium quodammodo non nisi unum constituere. Jam vero cum hæc ita sint, nihilque præterea contra libri De quatuor paradisi fluminibus narrationem militet, nec hæc, nec opinio, quæ in hac præcipue fundatur, quæque Parisiense prodigium non publice, sed coram paucis duntaxat factum statuit, rejicienda est, velut inepta noviterque conficta.

§ XXIII. *Quam fidem mereatur opinio, quæ doctoris damnati anastasim in privatis hujus ædibus coram paucis accidisse statuit, et quid tandem de hac etiam ita considerata censendum.*

Non raro, quæ traditione duntaxat noscuntur, facta historica, ut ut adjunctis falsis vestita, veri etiam aliquid complecti, e dictis § proxime prægresso pronum est eruere. Attamen ut, quæ modo de luctuosa damnati historia dicenda hic sunt, luculentius patescant, lubet adhuc quædam, a præsenti instituto non omnino aliena, quæ Papebrochius noster suppeditat, in medium proferre. Hic itaque in suis ad Exhibitionem errorum Responsionibus, articulo XIX, num, 10, ita scribit : « Contingit... sæpe, traditionis substantiam talem esse, ut, licet non nisi temere possit in dubium revocari, etiam

www.liptool.com.cn

coævorum testimoniis destituta; puta quod aliqua S. Ursula cum plurima turba sociarum a barbaris fuerit ante urbis Coloniensis, ab iis obsessæ, muros interfecta, etc.; quod S. Dionysuis episcopus Roma missus in Galliam, Parisiis fidem prædicaverit, et suo sanguine consignarit, aliaque similia; contingit, inquam, sæpe, ut ea, quæ primæ traditionis substantiæ postea accesserunt tanquam ex traditione aut revelatione (ut factum per compositiones Legendarum, puta Legendæ Dionysianæ seculo IX, Ursulanæ seculo XI,) merito rejiciantur, ut recentiorum somnia commentaque, toti retro antiquitati ignota : recentiorum, inquam, non respective ad nos hodie viventes, sed respective ad rem, ipsos sæculis multis prægressam, » Ita rectissime, ut mihi equidem apparet, laudatus Papebrochius, qui deinde eodem articulo num. 13 hæc etiam huc spectantia suppediat: Traditionibus popularibus, sacris vel profanis..., plerumque veritatis aliquid quoad substantiam subest, sed multum furfuris successive aspersum, a quo difficile sit eas sic repurgari, ut hominis prudentis intellectus iis, tanquam eatenus certis, citra formidinem acquiescat : ac postea num. 19 etiam ista : « Fama, principio plerumque minimo et sæpe non vero orta,

Mobilitate viget viresque acquirit eundo,
Parva metu primo, mox sese attollit in auras
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.

393. « Eodem fere modo se habet traditio popularis. Principium ejus plerumque est factum aliquod memorabile, vel quod reipsa contigit aliquando, sed cursu temporis talibus ornamentis atque additamentis induitur, ut seipsum postea miretur et vix agnoscat; vel quod ab otioso ingenio priscas rerum origines in sui suorumve commendationem indagantis, fingitur contigisse ; et a levi vulgo, avide, quod optat, credendo, adoptatur pro vero, et colitur pro tali per multa sæpe sæcula. Exempla tam in sacra quam profano historia occurunt. » Hæc omnia de traditionibus Papebrochius, et sane, ut jam dixi, rectissime. Quamobrem, cum secundum hæc non raro contingat, ut, quamvis traditiones aut, si mavis narrationes, quæ solis traditionibus superstruuntur, falsitatibus plurimis sint infectæ, veræ tamen in substantia sint, aut certe veri aliquid quantum ad hanc contineant, fieri facile potest ut Carthusianorum de horrendo, quo S. Bruno in eremum pulsus fuerit, prodigio Parisiensi traditio, aut, si mavis, anonymi primorum quinquæ Carthusiæ priorum chronographi aliorumque supra laudatorum scriptorum de eodem narratio, e traditione illa primitus profecta, in substantia vera sit, aut certe veri aliquid quantum ad substantiam contineat, etsi ad eam non pauca adjuncta falsa eo modo, quem supra exposui, temporis lapsu accesserint. Ut clarius loquar, fieri potest ut, sanctum nostrum prodigio, quo defunctus, in feretro jam positus, primo sese accusatum, deinde judicatum ac tandem condemnatum, astantibus declarasset, in eremum pulsum fuisse, primi ejus socii discipulive sequacibus suis narrarint, horumque deinde posteri, re temporis lapsu falsis adjunctis aucta, prodigium illud publice coram infinita propemodum populi multitudine accidisse, damnatique voces tribus diebus diversis rediisse, crediderint, licet interim feralis historia intra privatas defuncti ædes coram paucis duntaxat, quorum unus fuisset S. Bruno, accidisset, damnatique voces, non tribus diebus diversis, sed uno eodemque repetitæ fuissent.

394. Quid si ergo res posteriori hoc modo evenerit? Sane, qui ita vere factam autumarit, haud multum a verisimilitudine ejus abhorrebit opinio, imo vero potuerit utcunque verosimilis videri. Ita puto, quod, ut jam supra satis insinuavi, subinde etiam fiat, ut facta historica, etiamsi silentio a scriptoribus omnibus contemporaneis sint supressa, ad eosque, a quibus tandem litteris fuere commendata, traditione duntaxat, quæ centum amplius annis a rei gestæ origine distet, fuerint transmissa, pro veris sint habenda, nec, quo minus Parisiense prodigium si non publice, sed coram paucis tantum intra privatas defuncti ædes accidisse statuatur, factis, hujusmodi accenseri queat, universale de eo scriptorum omnium, qui integro primo, et forte etiam secundo post rem gestam sæculo labente floruerunt, obstet silentium, utpote cujus ratio non inepta, a facti ignoratione repetita, occurit. Cum enim luctuosus eventus, si non publice acciderit, Guibertum de Novigento aliosque scriptores antiquos supra recensitos facile latere potuerit, non est sane cur eorum de hoc mirum accidat silentium, aut rem ex hoc falsam esse arguamus. Ad hæc, nisi Parisiense prodigium, quo in eremum actus sit S. Bruno, coram paucis saltem intra privatas defuncti ædes locum habuisse admittatur, oportet; ut vel ipsimet Carthusiani horribilem historiam ex toto confinxerint, vel ut jam ab aliis confictam adoptarint; primum autem fecisse viros religiosos, veritatis amantissimos, fabularumque osores, quis facile in animum inducat? An ergo in alterum ipsos impegisse asseremus?

395. « Si fabula est, inquit de damnati historia in opere, quod ordinis Carthusiensis Annales inscripsit, lib. I, cap. 1, num. 11 Massonus supra laudatus, a quibusnam, quæso, composita? Certe non ab aliis, quam a sæcularibus hominibus dici potest excogitata. Quonam autem modo a primis Carthusianis ac suis deinde successoribus talis fabula, a sæcularibus fabricata, pro re verissima admitti potuit, et posteritati suæ tam firmiter et absque ulla unquam contradictione aut reclamatione transferri? Id profecto moraliter impossibile esse nemo non videt. » A primis certe Carthusianis, id est, a S. Brunonis sociis horumve discipulis feralem de damnato narrationem, si fabula sit, non fuisse adoptatam, atque ad posteros transmissam, quisque facile agnoscet ; verum, inquiet non nemo, quidni factum esse queat, ut posterioris ævi Carthusiani,

www.libtool.com.cn

id est, qui sæculo tertio decimo floruerunt, historiam illam, ut ut commentitiam, pro vera ab impostore decepti acceperint? Imo vero erit fortassis, qui hic Blomenvennam objiciat, in contexta a se S. Brunonis Vita tria diversa narrantem prodigia, quorum unum quidem omni dubio procul commentum est, duo vero reliquat commenti, ne quid pejus dicam, vehementissime sunt suspecta. Tria illa prodigia seu potius fabulas, ne sinistre de antiquis Carthusianis suspicandi ansam darem, in medium hic non proferre animus primum fuerat; verum cum officii mei ratio exigat ut tam quæ obesse, quam quæ prodesse Carthusianum de prodigio quo Bruno in eremum actus fuerit, traditioni queunt, studioso lectori exhibeam, nec intra paucorum manus sit contexta a Blomenvenna sancti nostri Vita, ipsa scriptoris hujus verba, præfata miracula seu potius fabulas complectentia, huc transcribo, ad calcem deinde, tum quæ ex hisce contra Parisiense prodigium difficultas formari queat, tum quid ad hanc responderi debeat, adjecturus.

396. Sic itaque habet hic sancti nostri biographus: « Non est silentio prætereundum quod in primo ingressu in Carthusiam, antequam normam sibi vivendi instituissent, stupendum legitur evenisse miraculum. Cum quadam vice beatus Hugo ex more suam visitaturus diocesim (sicut in Adventu et Quadragesima consueverat) valediceret fratribus, eosque benediceret, carnium refectione missa. Ipsa Dominica quinquagesimæ, peracto divino officio, hora prandii, benedictis prius mensis, sanctus Bruno, homo profundi cordis, loco lectionis admonitionem saluberrimam proposuit, inter alia dicens: Attendamus, oro, fratres charissimi, quia antiquus hostis nos decipit. Venimus enim in cremum hanc ad pœnitentiam agendam more antiquorum Patrum Pauli primi eremitæ, Antonii, Arsenii, Hilarionis, Macharii, etc. Numquid hi carnibus vescebantur, ut nos cæpimus? Responderunt ei, qui in opposita mensa sedebant: An sumus nos, venerande Pater, majores ac meliores apostolis, quibus præcepit Dominus, in quamcunque domum intraveritis, etc., edentes et bibentes, quæ apud illos sunt. Brunone vero cum illis, qui in sua sedebant mensa, contrarium tenentibus, usque in vesperam disputatio protracta est. Tandem fatigati inclinantes se usque ad terram obdormierunt. Reversus autem a visitatione episcopus misit nuncios ad sanctos fratres, significans eis de reditu suo, et quod more solito vellet sequenti, hoc est, die Cœnæ Domini sumere cum eis mandatum novum. Nuncius autem inveniens eos dormientes juxta mensas, intuens simul carnes fumantes supra mensas, scandalisatus valde, reversus renuntiavit domino suo quæ viderat. At ille verbis illius non credidit donec nuncio secundo tertioque misso, idem nunciaretur. »

397. Stupefactus episcopus, nec adhuc fidem adhibuit, dicensque: Nisi ipse videro, non credam, ascenso equo, venit in montem. Ubi cum omnia invenisset, ut famuli ante nunciaverant, aversus ab ipsis, atque cum indignatione recessurus statim ut pedem in limine posuit, sanctus Bruno cum suis expergefacti reverenter episcopum salutaverunt, devotas illi gratiarum actiones referentes pro universis beneficiis sibi ab eo collatis. Consueverat enim ipse episcopus de suis facultatibus eis liberaliter erogare, et singula necessaria ministrare. Interrogans autem episcopus Brunonem, ait: Quæ dies est hodie? At ille respondit: Dominica Quinquagesimæ. Et episcopus: Quare, inquit, tandiu tardastis ad prandium? Narrante autem Brunone ordinem gestæ rei, et de disputatione inter ipsos habita, episcopus, accersito clam dispensatore domus suæ, interrogat utrum eædem sint hæ carnes quas Dominica Quinquagesimæ ministrasset. At ille diligenter considerans, easdem esse renunciat. Tunc stupefactus episcopus, conversus ad fratres, ait: Noveritis, fratres mei charissimi, quia hodie est feria quarta post Dominicam Palmarum. Cumque ministri jussu episcopi carnes auferre vellent, mox ut eas tetigerunt, versæ sunt in pulverem, mirantibus cunctis et stupentibus. Quod cum episcopus vidisset, una cum familia sua flexis genibus veniam a sancto Brunone et fratribus humiliter petierunt super falso judicio, quo eos judicare cœperant. Fratribus vero istud fuit occasio, ut carnibus perpetuo abstinere proponerent; quod postmodum, aliis miraculis succedentibus, strictissime sancitum usque hodie servant.

398. « Alio namque tempore quidam juvenis genere nobilis, egregie doctus, in domo Carthusiæ monachum induens laudabiliter in senium usque vixit, in spirituali vita adeo proficiens, ut prophetiæ quoque spiritum habere mereretur. Ad extremum vero confectus senio cum ægritudine gravissima teneretur, ardenti desiderio petiit a priore, eum visitante, carnes sibi ministrari. At ille reputans, eum, agente senio vel ægritudine, non esse sanæ mentis, aut certe astutiis antiqui hostis illudi, illa vice dissimulans abiit. Post tres vero dies redeunte ad se Priore, infirmus desiderio carnium æstuans dixit, se gradia Dei nequaquam mente alienatum talia dixisse; sed quoniam sciret, se pro certo moriturum nisi carnium sibi usus concederetur; et hæc dicens obstetabatur Priorem, nisi ocius suo desiderio satisfaceret, de sua morte in die judicii rationem se redditurum sciret. Quibus auditis, Prior sciens infirmum virum esse sanctum, multum expavescens, conventum convocavit et rem omnem exposuit. At illi concorditer decreverunt, ut in extrema necessitate constituto carnes ministrarentur. Interrogatus deinde infirmus, quas potissimum carnes desideraret, respondit, perdicis. Statimque Prior, accersito juvene quodam nobile monacho novitio de Gratianopoli, jussit ut a venatoribus acceptam perdicem afferet infirmo. Ille vero sine mora perrextum propter superioris obedientiam, tum propter charitatem erga infirmum, cujus discipulus fuerat, et

www.libtool.com.cn

non attendens ire pontem, per quem communis erat transitus, super aquas ambulans, flumen transivit, celeriterque perdirem attulit.

399. « Quam cum Prior optime coctam infirmo, præsente conventu, præsentasset, ille suspiciciens in cœlum cum lacrymis ait: Domine Jesu Christe, exaudi me peccatorem famulum tuum, suppliciter precantem bonitatem tuam, ut, si iste tam vehemens appetitus tuæ est placitus voluntati, proveniat mihi ad salutem corporis et animæ hoc edulium. Sin alias, piissime Domine qui vitæ et mortis tenes imperium, digneris huic creaturæ tuæ, quæ mei causa occisa est, redde vitam, ut avolans in viam suam nos famulos tuos cognoscere faciat, contrarium esse voluntati tuæ, me vel quemcunque nostræ religionis monachum quacunque occasione vel infirmitate carnes comedere. Cumque in conclusione orationis omnes, qui aderant, respondissent Amen, illico avis, recepta, vita, plumis vestita repentino volatu disparuit, videntibus cunctis qui aderant, et stupentibus ac gratias agenticus Deo, qui facit mirabilia magna in cœlo et in terra. Alio etiam tempore cum quidam episcopi et alii, ante Quinquagesimam Carthusiam venientes, vidissent quosdam senes debiles, carnium carentiæ hoc attribuentes, rogaverunt Priorem instantissime, ut debiles illi de carnibus, quibus totus mundus illo in tempore uteretur, aliquod haberent refocillamen, addentes, multos doctos viros et timuisse et timere de nimia in hoc ordinis duritia. Cum vero Prior nullatenus assentiret, rogaverunt ut saltem pro se et suis comitibus carnes emi faceret. Quid multa? Emptæ carnes Carthusiamque perlatæ, apertis sarcinulis cernebantur versæ in veros et optimos pisces, colore, odore, sapore. Quo viso, Prior, Videtur, inquit, quia non est voluntas Domini, ut carnibus carnem nutriamus. Deinde pisces cocti conventui et aliis sunt propositi, atque eorum gustu infirmi ac debiles sanati et confortati, Non crediderunt episcopi carces in pisces conversas. donec mittentes ad macella et diligentissime inquirentes, de te tam stupenda evidentissima testimonia audierunt. »

400. Talia sunt tria diversa a Blomenvenna relata prodigia: ac primum quidem ex his, ut jam dixi, omni dubio procul commentitium est. Guigo enim, quintus Carthusiæ Prior, in Vita S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, illius non meminit; dubium autem nullum est, quin prodigium hujusmodi, utpote simul et ad Carthusiensem ordinem et ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum, qui partem non minimam in eo habuisset, spectans, biographus is, si contigisset umquam, sciturus scitumque commemoraturus fuisset in lucubratione qua S. Hugonis vitam omnem gestaque etiam minus memorabilia diligentissime est complexus, Quod vero pertinet ad duo alia prodigia, a Blomenvenna pariter commemorata, eunt et hæc, ut jam monui, verosimillime commentitia; etsi enim, quo id invicte probatum sit, argumentum sat validum haud suppetat, ita tamen vel idcirco autumo, quod tam hæc, quam primum, ut perpetuam a carnibus abstinentiam a Carthusianis, periculose etiam decumbentibus, servari solitam, Deo omnino probari contra obtrectatores ostenderetur, conficta fuisse videantur, uniceque hunc in finem a Blomenvenna, cum jam ante fuissent conficta, in eam, quam contexuit, S. Brunonis Vitam sint illata. At vero, inquiet non nemo, cum e tribus illis, quæ Blomenvenna refert, prodigiis unum indubie, duo reliqua verosimiliter sint fictitia, quid si ergo olim etiam fuerint in Carthusianorum, non secus atque in aliorum ordinum monasteriis, inventi viri pii quidem, sed simul ita simplices, ut nova pro arbitrio prodigia, quæ vel ad ordinis sui splendorem commendationemque, vel ad Dei sanctorumque gloriam conducerent, comminisci sibi fas putarent, reque ipsa etiam sæculo tertio decimo, quo præcipue plures fabulis fingendis operam in cænobiis dedisse noscuntur, nonnulla subinde sint commenti?

401. Quid si e commentis illis unum sit doctoris tantisper redivivi, qui sese damnatum, publice e feretro proclamarit, horrendum prodigium, dicto sæculo tertio decimo primum litteris, uti ex supra dictis liquet, commendatum? Quid si id tunc, ut vitæ austerissimæ, a S. Brunone institutæ, quam nonnulli olim carpebant, ratio redderetur, fuerit confictum? Eo deducunt relata a Blomenvenna prodigia seu potius figmenta. Verum, quidquid sit, nec hæc facere possunt ut feralem damnati historiam pro indubitato commento fabulave habeam, maxime in opinione, qua illa, uti hic modo fit, non publice coram innumera propemodum populi multitudine, sed intra privatos domus defuncti parietes coram paucis duntaxat facta statuitur. Etenim nec omnia, quæ sæculi decimi tertii scriptores in litteras miserunt, commentitia sunt, nec, etsi tria prememorata prodigia seu potius commenta a Blomenvenna in S. Brunonis Vitam sint illata, ea universus Carthusianorum ordo pro veris aut habere aut umquam habuisse deprehenditur, videturque, proinde is nec pro vero etiam indubitatoque, uti constanter per plura sæcula jam habuit, habiturus fuisse Parisiense prodigium, si commentum dumtaxat fabulaque id fuisset. Ut ut sit, opinio equidem, quæ Parisense prodigium inter privatos domus defuncti parietes factum statuit, a verisimilitudine multo minus abhorret, quam quæ id publice coram innumeræ propemodum popoli multitudine evenisse astruit. Anne interim reipsa luctuosa historia, sive publice, sive intra privatos domus defuncti parietes accidisse statuatur, locum unquam habuerit, sanctumque nostrum in eremum impulerit, studioso lectori ex omnibus, quæ jam fuse de ea disputata sunt, dijudicandum relinquo, non sufficientibus, ut mihi equidem apparet, rationibus supra addutcis, ut illam vel certo veram vel certo falsam pronuntiem. Rerum modo, ad sactum nostrum spectantium, seriem prosequamur.

www.libtool.com.cn

§ XXIV. *Remisne, an Parisiis sanctus in solitudinem secesserit, quandonam id fecerit, et an tunc recta Carthusiæ eremum adierit.*

Anonymus primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus, qui prolixius sancti nostri elogium, vitæ antiquioris nomine, ut supra monui, edendum, contexuit, Franciscus a Puteo seu Puteanus, Petrus Blomenvenna, aliique recentiores ejus biographi, qui Parisiense prodigium, quo doctor sese damnatum, e feretro publice vociferatus sit, in litteras miserant, Brunonem, postquam id accidisset, vehementissima efficacissimaque habita oratione, ut nonnulli, qui et ipsi horrendo pectaculo adfuissent, sæculo nuntium remittere unaque cum illo in eremum sedere decreverint, effecisse, memoriæ produnt. Et anonymus quidem, qui sanctum Parisiis tunc docuisse non scribit, fuisse illos omnes hujus socios seu familiares indicat; recentiores vero, qui Brunonem tum ibidem magistrum egisse volunt, quosdam etiam ex illis faciunt hujus discipulos. Verba huc spectantia tum anonymi, tum recentiorum, seu potius, qui, quod ei reliqui ex his consentiant, omnium locum tenebit, Blomenvennæ huc transcribo. Anonymus itaque num. 5 sic scribit : « Ea tempestate erat ibi magister Bruno, natione Theutonicus, de civitate Colonia non obscuris parentibus natus, Ecclesiæ Remensis canonicus et ibidem scholarum magister in theologia, qui suprascriptis vocibus (doctoris scilicet, sese damnatum, vociferati) salubriter territus atque compunctus allocutus est quosdam socios ibi præsentes, » ac, recitata deinde, quam ad hosce sanctus habuerit, oratione, num. 8 subjungit : « His vel similibus verbis atque sententiis sanctus Bruno seipsum et quosdam socios alloquens et exortans deliberaverunt ipse et sex alii probi viri secum abrenuntiare mundo et pompis ejus, et ad perpetuam pœnitentiam peragendam eremi deserta competentia quæreve, » etc.

403. En modo, quæ Blomenvenna commemoret. « Territus igitur, inquit, et salubriter (S. Bruno nimirum) compunctus, vocatis nonnullis ex sibi magis familiaribus sociis atque discipulis, inter quos erant magister Lauduinus, qui post eum primus Carthusiæ prioratum suscepit, duo Stephani, unus Burgensis, alter Diensis, ambo canonici Sancti Rufi, Hugo etiam, quem appellabant capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis officio fungeretur, et duo laici, Andreas scilicet et Guarinus, qui omnes præfatis horribilibus defuncti clamoribus interfuerant, his vel similibus verbis eos lacrymabiliter affatus est dicens : O amici et sodales, etc. » Hæc ille, quosdam ex iis, quos S. Bruno post visum auditumque horrendum prodigium vehementissima oratione fuerit affatus, sancti hujus fuisse discipulos, non obscure utique docens. Verum id, dato etiam, horribilem doctoris damnati historiam reipsa habuisse locum, idcirco mihi parum verosimile apparet, quod verosimillime sanctus, ut § VIII ostendi, nec eo tempore, quo luctuosus casus contigisset, nec unquam alias Parisiis docuerit seu magistrum egerit. Accedit, apud anonymum primorum quinque Carthusiæ priorum chronographum seu antiquiorem sancti nostri biographum, qui majoris utique, quam Blomenvenna aliique recentiores, auctoritatis est, sociorum duntaxat, non autem etiam discipulorum nomine venire eos, ad quos a sancto post feralem eventum orationem habitam perhibet. Ut ut sit, quosdam equidem ex iis, quos sanctus in eremum secum attraxit, ejus ante exstitisse discipulos, hacque occasione factum, ut eis secedenti secum in eremum consilium inspirarit, nullo plane e capite vero apparet absimile, maxime cum Remos, docente ibidem Brunone, ingens undequaque, non modo indigenarum, ast etiam extraneorum alienigenarumque multitudo litteras discendi ergo confluverit, ut supra num. 171 docui.

404. Verum quæri hic jam potest, Remisne an Parisiis in solitudinem sanctus abierit, itemque quo anno id fecerit. Blomenvenna, Puteanus aliique recentiores, qui in S. Brunonis Vita, quam ex instituto descripsere, fuisse hunc, Parisiis docentem, horrendo redivivi prodigio in eremum pulsum tradunt, Parisiis etiam illum, compositis rebus, eo secessisse, non obscure indicant. Idem etiam facit antiquior noster biographus seu primorum quinque Carthusiæ priorum chronographus, etsi interim. Parisiis docuisse sanctum, memoriæ non prodat, uti jam mox docui. Verum Sanctus, cum in eremum secessit, Remis versabatur, pristino ibidem post Manassis archiepiscopi, expulsionem statui restitutus. Ita docent nos hi qui quo ecclesiæ cathedralis Remensis canonici sancto parentarunt, titulum funebrem inter recudendos 52, ex parte constituunt, sequentes de Brunone versiculi, num. 154 adhuc recitati :

Qui cum multimode nostra polleret in urbe,
Solamenque suis atque decus fieret,
Cumque faveret ei fortuna per omnia, jamque
Hunc præferremus omnibus et merito ;
Namque benignus erat omnique peritus in arte,
Facundusque satis divitiisque potens,
Omnia postposuit Christo, nudumque secutus
Christum, cum multis suscipit hunc eremus.

Jam vero, cum hoc ita habeat, Brunonem sane, dato etiam, eum prodigio, quo doctor sese damnatum denuntiaret, Parisiis præsentem astitisse, hincque esse factum, ut sæculo nuntium remiserit, in eremum sese, non Parisiis, sed Remis, quo hinc facto jam prodigio, res suas compositurum redierit, contulisse, verosimillimum, ne dicam indubium, apparet.

405. Atque hoc quidem primum est, quod definiendum hic erat ; quod jam ad secundum, seu ad tempus, quo sanctus eremum, sæculo relicto, petierit, pertinet in opinione eorum, qui pro luctuosa doctoris damnati historia pulsoque hinc in eremum S. Brunone stant, id certe ante annum 1082 circiter factum non esse, necesse est, cum hoc circiter anno ferale

www.libtool.com.cn

spectaculum evenisse unanimi consensu scribant, uti tres diversas sancti nostri Vitas, commentario huic ex dictis subdendas, inspicienti patescet. Verum cum feralis historia certa ex supra dictis non sit, alia via, qua vel secessus S. Brunonis in eremum epocha, vel etiam duntaxat tempus, ante quod hæc figi haud queat, tutius certiusque determinetur, necessario ineunda est. Sanctus noster, uti dicta § VIII manifestant, in pristinum Remis statum ante annum 1081 restitutus non fuit, ac proinde, cum ex mox dictis non prius in eremum, quam cum id factum fuisset, sese receperit, consectarium omnino est, ut hoc postremum ante eumdem annum 1081 non fecerit; ut proinde a vero deviare videantur Historiæ litterariæ Franciæ scriptores, dum hujus operis sui tom. IX, pag. 236, Brunonis in eremum secessum vel anno 1078 vel certe tunc, cum Manasses exauctoratus Remensis archiepiscopus armis sibi asserere male acquisitum archiepiscopatum conaretur, seu anno 1080 contigisse, affirmant. Nec tantum laudati scriptores sancti nostri in solitudinem secessum loco citato nimium maturant, verum etiam socios, qui eum ad hanc comitati sunt, e clero Remensi, cujus an eorum illus fuerit, est dubium, exstitisse asseverant. Ast de hoc infra tractabo; nunc in tempus, quo sancti in solitudinem secessus acciderit, ante omnia inquirendum. Scriptores proxime laudati, qui hunc, ut jam dictum, cum anno 1080 aut etiam cum anno 1078 componunt, facere id videntur, quod sancti cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo de falsis mundi delectationibus æternumque duraturis cœli gaudiis collatianem, de qua jam supra fuse actum, anno circiter 1077 accidisse statuant, Brunonemque simul, qui una cum hisce sæculo renuntiandi, monachicumque habitum assumendi votum tum emiserat, Deo id exsolvere haud diu distulisse, existimarint. Ast votum sese non statim implevisse, ipsemet sanctus in epistola supra plus semel laudata, qua ad hujus exsolutionem Radulphum Viridem hortatus est, non obscure indicat.

406. In hac enim ad Rodulphum sic scribit : « Reminiscitur quippe dilectio tua quod, cum ego et tu et Fulcius Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus et perituris mundi hujus divitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu, ut opinor, tractaremus, unde divino amore ferventes promisimus ac vovimus Spiritui sancto in proximo fugitiva sæculi relinquere et æterna captare, nec non monachicum habitum recipere; quod et in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus, quo moram faciente aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervoque evanuit. » Ita sanctus noster, qui sane, utpote in plurali numero dicens, peragenda distulimus, non solum de Radulpho, qui voti emissi exsolutionem distulerit, sed etiam de seipso, qui id pariter fecerit, indubie loquitur, ut proinde promptitudine, quam Bruno ad voti obligationem exsolvendam attulerit, laudati Historiæ Franciæ scriptores moveri non debuerint, ut ejus in eremum discessum vel ipsi, quo votum satuunt emissum, anno 1078 affigerent, aut certe ultra annum 1080 non differrent. Nec est etiam cur quis ob Guiberti abbatis Novigentini supra sæpissimo jam laudati auctoritatam sancti nostri in solitudinem secessum ante annum 1081 contigisse existimet. Scribit quidem hic scriptor lib. I de Vita sua, cap. 11 : « Hujus ergo (Maanssis Remensis archiepiscopi Simoniaci) mores prorsus improbos et stupidissimos habitus cum omnis honestus horreret, Bruno in Ecclesiis tunc Galliæ opinatissimus. cum aliis quibusdam Remensium clericorum nobilibus infamis illius odio excessit ab urbe Remensi ac deinde, nonnullis interpositis, subjungit. At Bruno, urbe (Remensi scilicet) deserta, sæculo etiam abrenuntiare proponit, qui suorum notitias horrens ad Gratianopolitanum processit territorium. Ibi in arduo et admodum terribili promontorio, ad quod difficillimum et valde insolens iter intenditur; sub eo etiam præruptissimæ vallis vorago dehiscit, habitare deligens, hujusmodi mores instituit, et sequaces ejus hodieque sic vivunt. »

407. Verum, etsi is scriptor, uti ex illius huc jam transcriptis verbis liquet, sancti nostri ex urbe Remensi discessui secessum in Carthusiæ eremum subjungat, hunc tamen inter et illum nullum plane aut perexiguum duntaxat temporis spatium intercessisse, seu Brunonem, statim atque ob improbos Manassis mores urbe Remensi excesserat, in eremum abiisse, non edicit, nec salva veritate, edicere id potuit, uti ex supra dictis tum de tempore, quo sanctus ex urbe Remensi abiit, tum de rebus, quæ deinde gessit, pronum est eruere. At vero, inquies, nihilne etiam aliud Guibertus, unde sancti in eremum secessus tempus utcunque determinari possit, suppeditat? Recitatis proxime binis textibus sequentia verba interserit : « Quem (Manassem) postmodum proceres, clerus atque Burgenses, cum ab Hugone, qui Diensis agnominabatur, archiepiscopo Lugdunensi, apostolicæ sedis legato, viro in fœnore justitiæ clarissimo creberrimo anathemate feriretur, et ille manu militari thesauros ecclesiæ dilapidare niteretur, a sede, quam maleobsederat, pepularunt, et exilio relegatus æterno, cum se ad excommunicatum tunc temporis Heinricum imperatorem ipse etiam excommunicatus contulisset, hac illacque oberrans, sine communione postremo defungitur; » cum autem scriptor ille hæc verbis, quæ et binis ejus num. præcedenti huc transcriptis textibus posterior includit, proximo præmittat, Manassis ex urbe sedeque Remensi expulsioni sancti nostri in eremum secessum postponit, hincque fieri potest, ut huic illam præivisse, Guibertus indicare non nemini videatur, ac proin, si scriptore hoc standum sit, S. Bruno ante annum 1081, utpote ante quem

ex urbe sedeque Remensi Manassem expellii non contigerit, in eremum noc abiisse. Verum etsi Guibertus Manassis expulsioni Brunonis in eremum recessum postponat, propterea tamen consequens non est ut huic illam præivisse significatum voluerit.

408. Etenim sibi, sancti nostri relato ob improbos Manassis mores ex urbe Remensi excessu, propositum duntaxat habuisse videtur, quid deinde tum de hoc, tum de illo factum esset, lectorem edocere, nulla interim ordinis, quo quæque gesta essent, ratione habita. Ita omnino apparet, quod dum reipsa, quid tum de Manasse, tum de Brunone evenerit, onarrat Manassis etiam mortem sancti in eremum secessui prænittat, quo temen illam diu posteriorem fuisse dubitandum non est. Manassem enim diu duntaxat, postquam ex urbe Remensi fuisset ejectus, diem extremum clausisse, ipsemet Guibertus verbis proxime recitatis, uti hæc consideranti patebit, indicare videtur, idque omnino suadent, quæ Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. VIII, pag. 655 et seq. memoriæ produnt; sanctum autem non diu admodum post Manassis ex urbe Remensi expulsionem in solitudinem sese recepisse, ex hic dicendis facile colliges. Jam vero, cum res ita habeat, ex eo sane, quod Guibertus Manassis expulsioni sancti nostri in eremum secessum postponat, consectarium neutiquam est, ut huic illam præivisse, significatum velit, etsi interim ex dictis § VIII revera non ante in eremum sanctus quam ex urbe Remensi Manasses fuisset expulsus, sese receperit.

409. Atque hinc jam consequitur, ut Guibertus nec sancti nostri sæculo renuntiandi propositum, etsi et hoc Manassis expulsioni per verba supra recitata postponat, fuisse hac posterius, significatum voluerit; quod hic accurate notandum idcirco duxi, quod ex hisce contendere non nemo pesset, monachici habitus induendi votum, quod in collatione, cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo habita, sanctus emisit, esse pariter, contra ac supra statuimus, facta anno 1081 Manasis ex urbe Remensi expulsione posterius. Res hæc interim, quod bene etiam notandum, nec ita indubie sese haberet, etsi etiam Guibertus, sæculo renuntiandi proposito, de quo per verba num. 406 et alibi recitata loquitur, Manassis ex urbe Remensi expulsionem præivisse, diserte assereret. Sitne enim scriptori huic per verba illa de emisso a sancto secedendi in eremum sæculoque renuntiandi voto, an de ipso, qui utique cum secedendi consilio seu proposito fuit conjunctus, secessu illius in eremum sermo, admodum est dubium, maxime cum Guibertus, qui ex supra dictis rerum, a S, Brunone publice non gestarum minus gnarus exstitit, facile ignorare potuerit votum, quod sanctus noster cum Radulpho Viridi et Fulcio Manoculo intra privatos domus Adæ, in qua hospitabatur, parietes ab aliorum hominum consortio sejunctis emisit. Atque hinc est cur § VI pro stabilienda opinione, quæ habitam a Brunone cum Radulpho Viridi et Fulcio Monoculo collationem emissumque in hoc sæculo renuntiandi eremumque petendi votum post illius ex urbe Remensi discessum collocat, recitata supra, quæ huc faciunt, Guiberti verba in subsidium non vocarim, licet interim hæc eidem opinioni, quod forte equidem iis de voto, per sanctum emisso, loqui Guibertus voluerit, suffragari, num 177 edixerim. Hisce modo notatis, in tempus, quo sanctus, quod ex dictis ante annum 1081 non evenit, in eremum secesserit, inquirere pergamus.

410. Carthusiæ eremum S. Bruno anno 1084 omni dubio procul, uti infra ostendam, primum est ingressus; quare, si eremus quam sanctus, mundo nuntium remittens, primum addiit, Carthusiana exsuiterit, seu, si recta tunc Carthusiam adierit, dubium non erit, quin eodem anno 1084 mundo primum valedixerit, seseque in solitudinem abdiderit. Atque hoc sane annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymus, qui doctoris sese damnatum vociferati prodigium anno 1082 accidisse statuit, omnino contendit, idque, ut apparet, quo illud vere habuisse locum, tueatur, seu potius, ut aptam silentii, quo istud Guibertus Novigentinus abbas præteriit, rationem reddere queat. Et vero si dictum prodigium anno 1082 sanctique in solitudinem secessus anno demum 1084 contigerit, fieri facile potuerit ut, an hujus illud causa exstiterit, Guibertus ignorarit, ac proinde ut luctuosam historiam, etsi optime sibi compertam silentio præterierit, dum de sancti conversione hujusque initiis lib. I de Vita sua, cap. 11, tractaret. Audi, qui laudatus Carthusianus anonymus, cui deinde, ut Guiberti silentio seu formato ex hoc contra prodigium argumento negativo vis sua supra assignata maneat, responsurus sum, in proxime iterum cit. Annalium ordinis sui lib. quarto hactenus non vulgato num. 99 sub finem de hac re loquatur. « Nec juvat, inquit, responere, Guibertum tacuisse de spectaculo. Tacuit enim, quia vel illud ignoravit, si tantum inter privatos parietes evenit; vel, si publicum fuit, et coram ingenti hominum multitudine actum, nescivit utrum fuerit causa secessus sancti Brunonis, qui tantum annis fere duobus post illud recessit, ut legitur apud anonymum nostrum, et in citatis Chronicis, ab auctoribus Carthusiensibus editis. »

411. « Unde non mirum, si solis Carthusiensibus hæc causa innotuerit; et maxime cum soleant ejusmodi consilia servari secreta, et non nisi paucis intimisque aperiri et communicari; quod sanctum Brunonem fecisse, credibile est juxta illud celebre placitum, a Petro Cluniacensi, ut jam diximus, commendatum, quo sanctus Patriarcha suis sequacibus inspiravit, « Miranda opera, quanto possent nisu, « occultare. » Quod nihilominus de præsentium tantum et propriis operibus intelligendum est, non vero de præclaris antiquiorum Patrum gestis, quæ posteris ad ædificationem commendare jubet Deus

per Ecclesiasticum dicentem : « Laudemus viros » gloriosos et parentes nostros in generatione sua.» Ita hactenus ille ; tacite interim agnoscens, futurum fuisse, ut Guibertus, Parisiensi prodigio in eremum pulsum fuisse S. Brunonem, exploratum haberet, si brevi hic in illam, postquam feralis historia publice evenisset, sese receperit. Et sane, si sanctus, statim atque prodigium accidisset, aut certe non diu post in eremum, sex sibi sociis adjunctis, abiisset, fuisset utique, fecisse hoc illum, horrendo eventu impulsum, Guiberto aliisque passim notissimum, maxime cum sanctus cum eos quos secum in solitudinem attraxit, tum alios, non paucos horribili ido damnati doctoris exemplo ad pœnitentiam agendam excitarit, quemadmodum omnes, qui prodigium propugnant, unanimi consensu contendunt. At vero, ait Carthusianus noster anonymus, sanctus non prius, quam cum jam biennium fere a prodigiosa doctoris anastasi esset elapsum, in eremum sese recepit, hincque id fecisse illum, horribili eventu impulsum, ignoravit Guibertus. Verum cui, quæso, verosimile appareat, Brunonem, qui jam inde ex voti dudum emissi religione ad habitum monasticum suscipiendum tenebatur, hiucque obligationi satisfacere diutius differens gravioris novæ periculo sese erat expositurus, non prius in solitudinem, quam cum biennium fere a prodigio, quo, ut loquuntur nonnulli, animitus fuerat concussus, esset elapsum, secessisse ?

412. Id sane incenso, quod, viso horribili spectaculo, conceperit, salutis æternæ rerumque cœlestium desiderio minime congruit. Nec est, quod reponas, tanto temporis spatio rebus suis componendis, parandisque, quæ ad novum suscipiendum vitæ genus opus erant, indiguisse sanctum. Etsi enim dubitandum non sit quin post prodigium, si reipsa locum id unquam habuit, temporis aliquod spatium, quo res suas componeret, necessariaque ad novum vitæ genus pararet, vere impenderit, fuisse tamen illud aut esse debuisse duorum circiter annorum, nulla omnino ratio suadet. Quid ni enim bonis suis sese abdicare, amicis valedicere, paucaque, quæ ei, pauperrimam vitam ducturo, necessaria essent futura, parare duorum etiam duntaxat triumve mensium spatio potuerit ? Ast, inquit Carthusianus noster anonymus, sanctum anno 1084 Carthusiæ eremum esse ingressum, primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus seu antiquior sancti nostri biographus num. 11 diserte tradit, eique, qui post floruerunt Carthusiani alii, pro prodigiosa doctoris damnati anastasi testati, jamque in medium § XI adducti, etiam consentiunt. Fateor, sic habet : verum quid tum ? Sanctum equidem post factum prodigium in solitudinem, ab eremo Carthusiana diversam antequam hanc adiret, sese non abdidisse, nuspiam affirmat. Nec, etsi id affirmaret, consequens propterea fieret, ut, spectatis iis, quæ is scriptor memoriæ prodit, sanctus noster, antequam in solitudinem secederet, biennium circiter a prodigiosa anastasi siverit elabi. Etsi enim anonymus ille chronologus, seu antiquior noster biographus, definito anno 1084 Brunonis in Carthusiæ eremum secessum innectat, suo tamen scribendi modo non efficit, ut Parisiense prodigium anno 1082 necessario sit innectendum. Etenim id relaturus num, 1 ita memorat: « Anno Dominicæ Incarnationis 1082 vel circa illum, dum solemne studium floreret Parisiis, præcipue in philosophia et theologia et jure canonico, sicut generaliter consuevit, tale prodigium (quo scilicet doctor Parisiensis tantisper redivivus, sese damnatum, et feretro astantibus denuntiarit) ibi dicitur accidisse. »

413. Prodigiosa ergo doctoris damnati anastasis, spectatis iis, quæ antiquior noster biographus memoriæ prodit ; non definito anno 1082, sed vel hoc ipso anno, vel uno aut altero proxime seu prægresso seu secuto, evenit, nec quidquam alibi occurrit, quod feralem illam historiam, si unquam accidit, determinato anno 1082 cogat innectere. Quid si ergo illa, si contigit, ipso anno 1083, ad finem fere jam provecto, reipsa etiam, uti ex dictis fieri potest, contigisse statuatur, ita sane hanc inter et sancti in Carthusiæ eremum secessum, qui ex dicendis anno 1084 circa diem, S. Joanni Baptistæ sacrum, evenit, non biennium circiter, sed arctius longe temporis spatium intercesserit, quod sanctus rebus suis componendis parandisque, quæ ad consilii sui exsecutionem opportuna arbitrabatur, impendere potuerit, quodque, si longius adhuc videatur, quam ut a sancto rebus suis componendis necessariisque vitæ eremiticæ amplectandæ parandis impensum fuisse credatur, contrahi adhuc potest differendo etiam ad annum usque 1084 Parisiense prodigium utpote quod nec necessario ante hunc annum ex jam dictis acciderit. Quoquo modo itaque res habeat, biennii circiter spatium annum inter, quo sanctus in Carthusiæ eremum abiit, prodigiique Parisiensis epocham intercessisse, ex iis quæ anonymus primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus seu antiquior sancti nostri biographus memoriæ prodit, consequens non est. Atque id quidem, nec immerito ob jam dicta, statuimus, Carthusiano nostro anonymo dantes tantisper, sanctum nostrum cum mundo valedicturus Remis excessit, recta in Carthusiæ eremum secessisse, seu ad S. Hugonem, Gratianapolitanum episcopum, a quo in hanc ex dicendis ductus fuit, sese contulisse.

414. Verum sanctus, antequam hoc faceret, solitudinem a Carthusiæ eremo diversam adiisse, in eaque aliquandiu commoratus fuisse videtur. Ita opinandi ansam seu fundamentum præbent varii funebres sancti Tituli, uti etiam Mabillonius in ordinis sui Benedictini Annalibus, lib. LXVI, num. 66. Hic enim scriptor ibidem, de sancto nostro, qui Carthusiam adiens, magni nominis eremitam, si Blomenvenna ex Henrico Calcar recte notet, in via consuluerit, sermonem faciens, hæc sequentia pre-

www.libtool.com.cn

dit memoriæ : « Quinam sit ille magni nominis eremita, quem Bruno adeundo Carthusiam consuluit, nemo hactenus, ne quidem divinando, assecutus est. Conjiciebam aliqando fuisse Stephanum Tiernensem, qui tum Mureti apud Lemovicos non sine magni nominis fama eremiticam vitam cum suis agebat. At quibusdam monumentis adducor, ut credam, illum magni nominis eremitam non alium esse quam Robertum, abbatem Molismensem, Exstat in illius monasterii tabulario Rainardi de Barro, et Johannis de Laniaco charta, qua « terram apud « Siccam-Fontanam, labore hominum » partim » jam complanatam, » laudante Valentio comite Brenensi et Barrensi, cujus « hoc casamentum » erat, ecclesiæ Molismensi conferunt.

415. « Cum vero ecclesia loci illius, quam ædifi- B caverant Petrus et Lambertus, discipuli magistri » Brunonis, qui cum eo in territorio illo erant, et » eremitice vixerant, a domno Roberto Lingonensi » episcopo in honore beatæ semper virginis Mariæ » dedicaretur, atriumque benediceretur, prædictus » comes et idem Reynardus et Acelenus cum multis » aliis præsentes fuerunt. » Ex quibus intelligitur, Brunonem apud Siccam-Fontanam, qui locus est diœcesis Lingonensis, in archidiaconatu Barri super Albam, aliquandiu eremitice vixisse cum prædictis Petro et Lamberto ipsius discipulis et de proximo consulere potuissse Rotbertum Molismensem abbatem, magni tum nominis, qui eremiticam passim vitam agebat. Nulla prædicio instrumento apponitur Chronica nota ; sed ad marginem recentiori manu ascriptus est annus 1081, qui tempori secessus Brunonis apprime convenire potest. Nec obstat, quod Rotbertus Lingonum præsul et ipse Brunonis discipulis, qui Siccæ-Fontanæ eccsesiam dedicavit, non ante annum 1085 hanc sedem inierit. Nam hæc dedicatio aliquanto post recessum Brunonis facta est. Certe Brunoni Remis Gratianopolim adeunti obvium erat Molismense monasterium, adeoque Rotbertus ejus abbas, quem nullus tum eremitarum aut monachorum, ad perfectionem illis in partibus contendentium, non rectorem ad ducem habere cupiebat. » Ita ille : e titulis autem funebribus, e quibus, sanctum recta in Carthusiam, cum mundo valedixit, non secessisse, existimo, primus S. Petri Trecorum est, locumque inter edendos 47 tenens sic habet :

Ut Titulus dicit, mundi tentamina vicit
Bruno vir sapiens jussa Dei faciens.
Sprevit opes multas, sibi noc fuit ulla facultas ;
Sed quidquid potuit, fratribus exhibuit.
Fugit ab hac vita, monachus fit et hinc eremita.
Dum sic abstinuit, regna poli meruit, etc.

416. Secundus, qui monialium Tituli S. Joannis Baptistæ est, locoque 68 recudetur, binos hosce una cum aliis nonnullis complectitur versiculos :

Vivit adhuc Bruno, sibi traditur a Patre vita.
Clericus ipse fuit, fit monachus, hinc eremita.

Tertius, inter recudendos 139, quo Albertus. Ecclesiæ Beverlacensis canonicus, sancto parentavit, hexametro duntaxat pentametroque constat.

Det pietas Christi tibi, Bruno, quod meruisti.
Factus in hac vita monachus prius, hinc eremita.

Quartus, seu 143 inter recudendos, quem sancto Castrensis S. Petri ecclesia inscripsit, hisce potissimum versiculis concipitur :

Gloria justorum, solatia sola reorum
Bruno fuit vivens, parque dolor moriens.
Totius cleri decus, exemplar quoque veri
Mors dolor eripuit, dum Pater occubuit.
Effectus monachus prius, hinc eremitaque rectus,
Gratia summa Dei propitietur ei.

Sanctus itaque, uti ex hisce jam recitatis funebribus titulis ejus apparet, monachum prius induit egitque, quam vitam eremiticam fuerit amplexus. Ita scilicet, quemadmodum Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IX, pag. 237 observant, titulorum illorum auctores designare voluerint tempus, quo sanctus, antequam in Carthusiæ eremum secederet, solitudinem inhabitavit, seu, quod eodem recidit, solitudinem a Carthusiæ eremo diversam, antequam in hanc sese abderet, sanctum nostrum inhabitasse, vitamque in ea monachicam duxisse.

417. Ita fere quantum ad substantiam illi, addentes etiam locum, in quo sanctus, antequam in Carthusiæ eremum secederet, aliquandiu fuit versatus, Siccæ-Fontanæ solitudinem exstitisse. Et sanctum sane in hac, antequam Carthusiam adierit, aliquanto temporis spatio habitasse, mihi sat verosimile, ne dicam certum, faciunt, quæ Mabillonius, quem etiam in margine laudant, loco supra citato in medium adducit. Verum cum ex hisce ibidem, non monachicam, sed eremiticam duntaxat vitam duxisse sanctus intelligatur, qua ratione veritati congruunt tituli diversi funebres proxime recitati, quibus Brunonem primo monachum, ac deinde eremitam factum esse docemur ? Difficilis sane implicatusque valde hic nodus videtur. Verum quid si sanctus a monachico habitu, quem mox, cum in Siccæ-Fontanæ solitudinem sese abdidit, indueri primo quidem monachus, eremita vero post a vivendi norma, quam et tunc deinde amplexus sit, factus fuisse in præfatis titulis funebribus dicatur ? Quid si etiam id fiat, quod in Molismensi abbatia, Siccæ-Fontanæ solitudini vicina, reipsa monachum, monachico etiam habitu assumpto, egerit, ac deinde tum in Siccæ-Fontanæ solitudine, tum in Carthusiæ Calabriæque eremis vitæ eremiticæ sece dederit ? Sane ut postremum hoc verosimillimum putem, aciunt tum dicti tituli funebres, tum votum induendi monachum, a sancto ex dictis ante emissum ; ut autem alterutrum astruatur, suadere etiam videtur, quo sancto ab Ecclesiæ seu abbatiæ Molismensis seu Molerniensis monachis parentatum fuit, funebris titulus, inter recudendos 40. Hoc enim, miliarissimum sibi fuisse S. Brunonem, laudati monachi produnt. « Nostris inquiunt, versiculis, qui habitamus Molernium addentes vobis, qui estis Turri,

www.libtool.com.cn

innotescimus, quod pro Domino Brunone patrono vestro, nostro autem familiarissimo, missarum solemnia diebus triginta celebravimus ; etiam ejus obitus anniversarium diem in catalogo fratrum nostrorum conscripsimus.»

418. At vero, inquies, etsi primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus seu antiquior sancti nostri biographus aliique recentiores non impediant, quo minus Parisiense prodigium, si unquam contigit, ultra annum 1082 queat differri, stantibus tamen iis, quæ scribunt, sanctus noster, cum sæculo valedixit, recta in Carthusiam secessisse videtur, nec alibi, antequam eo sese conferret, aliquandiu esse commoratus. Etenim, ut ab antiquiori nostro biographo ducatur initium, mox hic, recensita quam sanctus, viso horrabili pectaculo, habuerit, oratione ita prosequitur : « His vel similibus verbis atque sententiis seipsum et quosdam alios alloquens et exhortans deliberaverunt ipse et sex alii probi viri secum abrenuntiare mundo et pompis ejus, et ad perpetuam pœnitentiam peragendam eremi deserta competentia quærere, et ibidem, relictis omnibus divitiis et deliciis et honoribus hujus mundi, accipere singulis cruces suas et nudum Christum sequi per arctam vitam quæ ducit ad vitam, et latam ac spatiosam deserere, quæ amatores et sectatores mundi perducit ad supplicia damnatorem. Et ideo, quia audierant famam sanctitatis sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani, qui prius aliquo tempore ejusdem magistri Brunonis in scholis creditur socius extitisse, sancto Spiritu inspirante, proposuerunt ad memoratum sanctum episcopum simul accedere et ejusdem auxilium et consilium requirere, ut in ejus diœcesi, quam audierant multis desertis montibus abundare, mererentur locum congruum obtinere, in quo suum sanctum et salubre propositum possent effectui mancipare. Septem igitur sancti viri supra scripti prædicta de causa ad prædictum sanctum episcopum, duce sancto Spiritu, pervenerunt. » Cum igitur orationi, a S. Brunone post prodigium habitæ, mox hujus sociorumque Hugonem accedendi consilium, proximeque sæculum ad sanctum hunc episcopum accessum, nullius prorsus rei, quæ media intercesserit, mentione facta, subjungat, sanctum sane, facto Parisiensi prodigio, recta ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum se contulisse, ne alibi ante aliquandiu esse commoratum, non obscure indicat, uti quisque, quantum opinor, rem attente considerans, facile agnoscet.

419. Nec minus clare id ipsum indicat in contexta a se sancti nostri Vita Blomenvenna. Oratione enim, qua Bruno, viso doctoris damnati spectaculo, vocatos ad sese e discipulis suis familiaribusque nonnullos allocutus atque ad pœnitentiam agendam adhortatus primum fuerit, recensita, duos Stephanos, Burgensem unum. Diensem alterum, quos hisce accenset, ita primo loquentes inducit : «Non longe a civitate Valentiæ, cui nostrum adhæret monasterium sancti Rufi prope fluenta Rodani in confinio diœcesi Diensis est civitas Gratianopolis atque in ea beatus Hugo, ejusdem civitatis episcopus, quem frequenter vidimus et cognoscimus virum utique sanctum, justum et rectum ac timentem Deum, virum in omni virtute exercitatum atque perfectum. Is habet in diœcesi sua montes altissimos, in quibus sunt deserta loca plurima, ab omni hominum transitu et consortio separata, ac per hoc ad pœnitentiam agendam accommodatissima. Iste etiam, exemplo et monitis ad pœnitentiam omnes invitans, in adventu nostro, si ipsum accesserimus, gaudebit et voti compotes faciet. Est enim supra modum pius, benignus et misericors. Nos vero, qui viam, qua ad eum itur, frequenter ambulavimus, ad ipsum vos ducere valemus ; » ac deinde qui Bruno ejusque socii, probato mox omnium calculis, quod hisce verbis includitur, utriusque Stephani consilio, ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum, rebus suis compositis, consultoque in via magni nominis eremita, sese contulerint, enponit, nulla plane, quæ illorum ad hunc accessui præiverit, commorationis alio in loco mentione facta. Puteanus porro in edenda, quam concinnavit, sancti Vita ad amussim fere (neque enim, eum consulti in via eremitæ non meminisse, quidquam ad quam hic facit) Blomenvennæ consonat, ut proinde tam secundum hosce sancti nostri biographus, cum secundum alterum, num, præced. memoratum seu primorum quinque Carthusiæ priorum chronologum Bruno ejusque socii, cum sæculo nuncium remisere eremumque petiere, recta sese ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum, a quo ex dicendis in Carthusiæ solitudinem haud multo post ducti fuere, sese contulerint.

420. Verum cum Puteanus et Blomenvenne sæculo demum sexto decimo suam de sancto lucubrationem elaborarint, hisque antiquior primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus non prius ex supra dictis, quam cum jam anni amplius centum a Brunonis essent obitu elapsi, floruerit, recentiores remotioresque ab hujus in Carthusiæ eremum secessu omnes sunt, quam ut iis umquam, quæ de hoc narrant, fidem certam atque indubitatam facere possint, nedum quando cum antiquiori fidei integræ monumento pugnant; locum autem hoc postremum hic obtinet. Sanctum enim, antequam in Carthusiæ eremum sese abderet, in Siccæ-Fontenæ solitudine vitam eremiticam aliquandiu dixisse, antiqua, quam verbis supra recitatis Mabillonius laudat, monasterii Molismensis charta prodit, nec ullo ex capite vetus hoc sanctoque nostro æquale monumentum supposititium spuriumve apparet. Ad hæc opinioni, quæ sanctum, cum mundo valedixit, in Carthusiæ eremum non recta secessisse, statuit, etiam Guigo, quintus Carthusiæ prior, in conscripta a se S. Hugonis Gratianopolitani episcopi Vita suffragatur. Etenim, ubi Brunonis sociorumque ejus (adi, quæ ex ea num. 422 huc transcribentur, verba) ad Hugonem accessum refert, ita de illis scribit :

www.libtool.com.cn

«Quærebant autem locum, eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant.» Quibus verbis non obscure indicat, Brunonem ejusque socios, antequam ad Hugonem venissent, operam jam dedisse ut locum eremiticæ vitæ aptum invenirent ; hinc autem fit, primo quidem, ut a vero alienum videatur, Brunonem ejusque socios, cum post prodigium jam jam mundo valedicturi essent, communi consilio, ut laudati mox biographi docent, statuisse, ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, ut ab eo in diœcesis Gratianopolitanæ montibus locum eremiticæ vitæ aptum impetrarent, sese conferre; deinde vero, ut vel hinc, sanctum nostrum, antequam ad Hugonem accederet, in Siccæ-Fontanæ solitudine, quo, an locus hic vitæ eremiticæ aptus esset, exploraret, aliquandiu fuisse commoratum, verosimile evadat, ac proinde laudatæ a Mabillonio monasterii Molismensis chartæ, quæ id ex dictis factum prodit, pondus qualecunque accedat.

421 Accedunt tituli funebres supra laudati, qui, si sanctus noster cum mundo valedixit, recta in Carthusiam, ubi eremiticam vitam duxit, secesserit, veritati haud satis apte intelligentur congruere. Omnibus itaque sedulo perpensis, dubitandum vix apparet quin sanctus, cum sæculo nuntium remisit, non recta in Carthusiam, sed alio prius concesserit. Et locum quidem, quem tunc petiit, atque aliquandiu inhabitavit, Siccæ-Fontanæ solitudinem fuisse, laudata supra a Mabillonio monasterii Molismensis charta fidem facit. Verum quanto quidem temporis spatio Bruno in hac; antequam ad Charthusiæ eremum seu Hogonem Gratianopolitanum episcopum se conferret, fuit moratus? Nihil omnino, ut quid certi hac de re statuatur, occurrit. Cum ecclesiæ seu monasterii Molismensis, solitudini Siccæ-Fontanæ adjancentis, monachi in titulo funebri, quo Brunoni parentarunt, familiarissimum suum ex jam dictis eum appellent, sanctum sane, quo eis adeo notus esse potuerit, temporis spatio satis longo in solitudine illa aut etiam in ipso, in quo ex dictis monachum egerit, Molismensi monasterio esse commoratum, sat verosimile apparet. Quid si ergo per annum circiter aut adhuc diutius ibidem hæserit, ac tum demum, cum locum vitæ eremiticæ, cui se dederit, minus aptum experiretur, ad Hugonem Gratianopolitanum, ut ab eo aptiorem obtineret, sese contulerit? Id sane a verisimilitudine minime abhorrere mihi videtur. Jam vero, cum hæc ita sint, sanctusque, ut supra docui, certe non ante annum 1081 in solitudinem, sæculo relicto, abierit, nec serius ex dicendis, quam anno 1084 circa diem S. Joannis Baptistæ sacrum Carthusiæ eremum sit ingressus, consequens fit, ut vel anno 1081 vel altero e binis sequentibus in solitudinem, quæ ex dictis Siccæ-Fontanæ indubie fuerit, sese, sæculo relicto, primum abdiderit. Alia, ut tempus, quo id evenerit, propius determinem, invenire haud quivi. Ad alia modo, quæ post secuta sunt, discutienda progrediamur.

A § XXV. *Sancti ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accessus, quales ejus fuerint socii, et an tunc sacerdotio initiatus exstiterit.*

Cum sanctus noster, sexque ejus socii, quibus ille, ut apparet, eremiticæ vitæ desiderium inspirarat, locum hactenus huic vitæ generi satis aptum, ut ut diligenter quæsitum, haud invenissent, ut Hugonem tandem Gratianopolitanum episcopum, ut ab eo, de cujus virtutibus plane eximiis vitæque sanctitate inaudierant, locum quemdam proposito suo idoneum impetrarent, pervenerunt. Hæc aliaque nonnulla fas est colligere ex Guigone, quinto Carthusiæ priore, in sancti illius antistitis Vita, apud nos tom. I Aprilis edita num. 11 ita scribente: «In his (Sanctus Hugo) agebat, et, ecce, tribus necdum B in episcopatu, post monasterii reditum, completis annia, adest magister, Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum. Habebat autem socios magistrum Landuinum, qui post eum Carthusiæ prior exstitit, duos Stephanos, Burgensem et Diensem (hi S. Rufi canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ ei, abbate favente, sese conjunxerant) Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio ; duos laicos, quos appellamus conversos, Andream et Guarinum. Quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum necdumque repererant. Hac ergo spe, simul et suavi sanctæ conversationis ejos odore trahente, ad virum sanctum venerunt. C Quos ille non solum gratanter, sed et reverenter suscepit, tractavit et voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvanta, comitante, Carthusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt. Viderat autem circa id tempus per somnium in eadem solitudine Deum, suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem, ducatum sibi præstantes itineris. Erant vero et hi septem.»

423. Scriptor anonymus, qui e primorum quinque Carthusiæ priorum chronologo supra sæpissime laudato, aliisque brevem ordinis Carthusiensis historiam, a Marteneo tom. VI amplissimæ collectionis a col. 151 insertam, contexuit, narrationem quoque, qua, uti hic a Guigone fit, et sancti nostri D ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accessum et visionem huic divinitus oblatam refert, suppeditat ; verum a jam huc transcripta Guigonis narratione non nihil discrepat, licet interim et hanc e Guigone a quinque primorum Carthusiæ priorum chronologo esse depromtam, et hunc ipsis Guigonis verbis usum fuisse, profiteatur. Lubet et ejus verba huc spectantia, quod nonnulla annotanda offerant, huc transcribere. Ab iis, quibus sancti ad Hugonem accessum exponit, duco initium. Sic habent: Adest magister Bruno, vir religiosus scientiaque famosus, honestatis, gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum, habebat autem idem socios propositi sui, magistrum scilicet Landuinum, qui post eum exstitit prior Carthusiæ

et duos Stephanos, Burgensem et Diensem : ii ambo Beati Rufi canonici fuerunt ; sed desiderio solitariæ vitæ, eis abbate eorum favente, sese ei conjunxerant; Hugonem quoque quem cognominabant Capellanum eo quod solus ex iis sacerdotio fungeretur, duos autem laicos, quos appellant conversos, Andream scilicet et Guarinum. Quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum et necdum repererant: vigilante autem prædicto episcopo et de visione septem stellarum (quæ ei scilicet paulo ante fuerat oblata) cogitante, adsunt præfati septem viri, scilicet magister Bruno cum sex præfatis sociis suis. Cadentibus autem iis septem ante pedes sancti viri, conferebat ipse sanctus vir in corde suo de septem stellis quas in visione viderat ; qui eos benigne levavit ad pacis osculum, et inquisita et diligenter intellecta, qua de causa, venissent, dixit eis : Scio locum vestrum, a Deo vobis paratum, et duxit eos non sine grandi labore ad locum, ubi steterunt stellæ septem, et ait : Ecce locus vester. »

424. Ita anonymus laudatæ Historiæ ordinis Carthusiensis auctor, nonnihil sane et a Guigone et ab anonymo, qui Guigonis verba proxime recitata in opusculum suum intulit, primorum quinque Carthusiæ priorum chronographo seu antiquiore Sancti nostri biographo dissonans, ut illius verba proxime pariter hic recitata cum Guigonis verbis conferenti patebit. Audi modo, qui, Hugoni Gratianopolitano episcopo, cum ad sanctum hunc antistitem sanctus noster accessit, visionem, de qua ex dictis etiam Guigo, divinitus oblatam referat. Hanc, quam Guigo, huncque secutus dictus anonymus, paucis duntaxat hisce verbis memorant, « Viderat autem præfatus episcopus (Hugo scilicet) circa idem tempus (quo nempe ac eum S. Bruno ejusque socii accedebant) per somnium in eadem (Carthusiæ) solitudine Dominum suæ dignationi habitaculum construentem) stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris, prolixius ille, additis etiam nonnullis, quæ a Guigone absunt, adjunctis, hunc in modum proxime ante verba supra recitata exponit, « Septem igitur viri infra descripti (Bruno videlicet sexque ejus socii) præfata de causa (ut nempe locum vitæ eremiticæ aptum invenirent) ad prædictum sanctum episcopum (Hugonem Gratianopolitanum), duce Spiritu sancto, pervenerunt. Cumque intrarent præfatam civitatem (Gratianopolim) contigit, ut præfatus sanctus episcopus in camera sua obdormiret: viditque in somnis sanctam visionem : et ecce, septem stellæ cadebant ante pedes ejus, et postea ascendebant per diversos montes et multa desorta usque ad quemdam locum horridum valde, et a populis remotum, Carthusia nuncupatum, steteruntque ibi. » Hactenus laudatæ ordinis Carthusiensis Historiæ auctor; qui, cum præterea, narrationem, num. præced. hunc transcriptam, daturus, ipsis sese id primorum quinque Carthusiæ priorum Chronici verbis facturum insinuet, præ manibus habuisse videtur opusculi hujus exemplar, iis adjunctis auctum, quæ, qui illa eidem adjecit, scriptor recentior verosimilia arbitratus est, nec tamen, quantum opinor, in auctore monumentove vetustiori invenit.

425. Ita vel idcirco quantum ad hoc postremum autumo, quod tum primum, cum jam Bruno ejusque sex socii urbem Gratianopolitanam ingrederentur visionem S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, oblatam fuisse scribat, idque cum narratione Guigonis non satis conveniat. Illud enim hic S. Hugonis biographus, non per, sed, « circa idem tempus» qua Bruno ejusque socii Gratianopolim venerunt, factum prodit, ut proinde, spectata Guigonis auctoritate, oblata S. Hugoni visio aliquanto temporis spatio sancti in urbem Gratianopolitanam ingressum præcesserit. Recentiores sancti nostri biographi, Puteanus videlicet, Blomenvenna et Surius, qui variis adjunctis, nec a Guigone, nec ab antiquiore nostro biographo expressis, sancti nostri ad S. Hugonem Gratianopolitanum accessum, oblatamque huic visionem exornant, de tempore, quo hæc acciderit, verosimilius atque ad Guigonis narrationem accommodatius loquuntur. Ac Puteanus quidem visionem nocte, quæ Brunonis sociorumque ejus in urbem Gratianopolitanam adventum præcessit, Hugoni oblatam refert, Blomenvenna vero et ex hoc Surius tunc, cum Sanctus noster sexque ejus socii Gratianopolim pergerent. Omnia Blomenvennæ verba, visionem illam sanctique nostri ad S. Hugonem accessum spectantia, ob ea, quæ num. 23 dixi, huc transcribo. Primo itaque, sanctum nostrum, Gratianopolim pergentem, magni nominis eremita in via consulto, iter prosecutum fuisse, narrat, ac deinde, quæ ad institutum præsens pertinent, subjungit.

426. Sunt autem hæc : « Videras eodem tempore sanctus Hugo episcopus in somnis Deum in solitudine Carthusiæ suæ dignationi habitaculum construentem ; septem quoque stellas aureas in modum coronæ dispositas atque a terra paululum elevatas, a cæteris in firmamento fixis situ, motu, colore et splendore differentes, itineris sibi ducatum præstantes. Cogitante autem eo de visione, affuerunt viri supra dicti (Bruno nimirum ejusque socii) præ foribus palatii episcopalis. Hujus rei meminit vir venerabilis Guigo in Vita ejusdem sancti Hugonis in hæc verba : « Adest, inquiens, magister « Bruno, vir religiosus scientiaque famosus, hone- « statis et gravitatis ac totius maturitatis quasi « quoddam simulacrum. Habebat autem socios su- « pra nominatos. » Quærebant vero locum eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant. Cum ergo nunciatum episcopo fuisset, viros præfatos ipsius postulantes colloquium præ foribus præstulari, confestim eos introduci jubet. Quibus ingressis et ad pedes ejus humiliter prostratis optatam largitus est benedictionem. Cum vero elevati ab ipso secum pariter consedissent, causam adventus ipsorum diligenter sciscitatus est. Brunone autem pro-

www.libtool.com.cn

sequente ea, quæ Parisius in clamoribus prædicti doctoris acta fuerant, nec non confœderationem mutuam in proposito solitariæ vitæ, auxilium etiam ad inveniendum locum aptum pœnitentiæ rogitante episcopus præ novitate rei primum obstupuit, ad ipsorum tamen conversionem, animi stabilitatem, ardui propositi, pluribus profuturi sibique ostensæ visioni accommodi utilitatem oculos deflectens, amplexans viros cum ingenti gaudio non solum gratanter, verum etiam reverenter suscepit, et benigne tractavit. Facto quoque in se Spiritu Domini, intellexit visionem eisque per ordinem cuncta, quæ viderat, enarravit, et locum, quem quærebant, jam sibi divinitus revelatum asseruit.

427. « Septem quippe viros, terrena despicientes, deserta quærentes et per desiderium æternorum, velut astra micantes, septem stellarum numero designari non hæsitavit. » Hactenus Blomenvenna, S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, visionem non tunc primum, cum jam Bruno ejusque socii urbem Gratianopolitanam ingrederentur, sed aliquando citius, cum scilicet in itinere versus hanc adhuc versarentur, fuisse oblatam, memoriæ prodens, ut jam monui. Et vero visionem illam vel tunc vel certe, ut Puteanus ex jam dictis tradit, nocte illa, quæ sancti ejusque sociorum in prememoratam urbem adventum proxime prægressa est, non autem tunc primum, cum Grutianopolim illi jam ingrederentur, evenisse verosimillimum est, tum quod ex dictis cum Guigonis narratione id magis congruat, tum quod visio illa, utpote per somnium Hugoni oblata, nocte verosimillime acciderit, sanctusque ac ejus socii, non noctis, sed diei tempore, Gratianopolim verosimillime sint ingressi. Alia modo, quæ Blomenvenna aliique de visione Hugoni ablata memorant, etiam discutiamus. Secundum hunc scriptorem Hugo episcopus, cum jam Bruno ejusque socii Gratianopolim advenissent, præque foribus palatii episcopalis starent de visione sibi divinitus oblata cogitavit, Idem etiam memoriæ prodit brevissima ordinis Carthusiensis Historia, a Materneo tom. VI amplissimæ collectionis ex dictis incerta, uti etiam in sancti nostri in Vita num. 29 Puteanus. Et vero, si vel tunc primum, cum Bruno ejusque socii Gratianopolim ingrederentur, vel nocte, huic eorum ingressui proxime prævia, visio illa acciderit, Hugonem sane de ea tunc, cum illi ad ostium, alloquium ejus petentes, jam adstarent, cogitasse, vero neutiquam apparet absimile.

428. Licet enim, Hugonem episcopum, dum Bruno ejusque sex socii ei jam præsentes astarent, de visione sibi oblata cogitasse, Guigo verbis supra recitatis duntaxat insinuet, nihil tamen impedit quo minus et tunc et paulo ante, cum scilicet in episcopi conspectum Bruno ejusque socii nondum fuissent adducti, de eadem visione Hugo congitarit. Attamen cum hæc ex dictis verosimillime non tunc primum, cum Bruno ejusque socii Gratianopolim ingrederentur, Hugoni fuerit oblata, dubiumque itidem ex dictis sit, noctene illa, quæ sancti in urbem Gratianopolitanam ingressum proxime præcessit, an aliquanto citius id evenerit, nec, si postremum hoc locum habuit, ulla ratio suppetat, quæ Hugonem Gratianopolitanum episcopum, sancto ejus alloquium ad palatii ostium adhuc præstolante, de visione meditatum fuisse suadeat, feceritne id tunc vere sanctus ille antistes, pro certo asseverari non potest, cum id nec in Guigonis, nec in alterius cujuscunque scriptoris antiqui auctoritate fundamentum habeat. Hinc etiam, an stellæ septem quæ Hugoni in memorata visione opparuerunt, tales exstiterint, quales eas extitisse, Blomenvenna, cui hac in re Puteanus in sancti Vita num. 29 etiam consonat, verbis proxime huc transcriptis tradit, mihi admodum dubium apparet, uti etiam an eo modo, quem vel bini hi S. Brunonis biographi, vel brevissima plus semel jam laudata ordinis Carthusiensis Historia assignat, sese Hugoni spectandas exhibuerint, itemque an una ex hisce, qua S. Bruno designatus fuerit, cæteris lucidior exstiterit; quod etiam non quidem apud Blomenvennam aut Puteanum, sed apud Zachariam benedictum in sancti nostri Vita, stylo ligato sub sæculi sexti decimi initium ex supra dictis conscripta, aliosque nonnullos recentiores, quos hic nominare nihil attinet, memoriæ proditum invenio.

429. Versus omnes, quibus tum id, tum integram stellarum septem visionem, Hugoni oblatam metricus ille sancti biographus canit, lubet huc quod id futurum sperem lectori non ingratum, transcribere. Sic habent :

Jamque propinquabat Bruno, stipante caterra,
Gratianopoli; a priscis fuit olim dicta Misora.

Ac deinde, nonnullis interpositis :

Mox igitur septem stellas ex æthere summo
Demisere poli ; quibus una nitentior ibat
Ante alias, nec non Phœbi nascentis ab ortu
Ferre videbatur gressum ad sublimia tecta
Præsulis Hugonis, rigidumque ascendere montem,
Qui vicinus erat, celsoque incumbere saxo.
Talia, quum dulci decumberet ille sopore,
Suscipit ; e somno postquam expergiscitur, omne
Mente agitat factum, pensat secum atque repensat.
Quid, bone, vult, Deus, hoc, inquit, mirabile si-
[gnum ?
Quid, rogo, portendunt hæc septem sidera mundo ?
Altius hæc igitur dum cogitat, imminet urbi
Sex sociis doctor comitatus et introit ædem
Pontificis, quem se secreto affamine dixit
Visere velle. Intra penetralia adducitur aulæ
Et comites pariter. Flectens genua, oscula figit
Sacratis manibus Bruno, sicque incipit ore, etc.

430. Nec tantum visionis, Hugoni Gratianopolitano episcopo oblatæ, adjuncta proxime hic jam memorata, quæ a Puteano, Blomenvenna, Zacharia benedicto alisque recensioribus absque antiquo vade referuntur, ancipitis admodum ac dubiæ sunt

www.libtool.com.cn

fidei, verum etiam, quod Blomenvenna (adi ejus verba proxime huc transcripta) dea relata Brunone Hugoni episcopo luctuosa damnati doctoris Parisiensis hsitoria affirmat. Præterquam enim, quod huic unquam fuisse locum, certum ex jam supra dictis non sit, feralis prodigii apud Hugonem meminisse sanctum nostrum, a nullo prorsus alio scriptore, qui fidem utcunque rei facere natus sit, litteris commendatum invenio. Ut ut id sit e modo interim, quo tum Blomenvenna, tum alii jam laudati scriptores dictam stellarum septem visionem hujusque adjuncta referunt, veritati liquet esse apprime consonum, quod § 22 doeui, in rebus scilicet seu factis historicis rei substantiam ab ejusdem adjunctis esse distinguendam, fierique nonnunquam, ut quæ adjunctis vel nullis fere vestita vel omnibus prorsus destituta apud scriptores antiquos invenerunt recentiores, ea ipsi adjunctis, quæ verosimilia rebantur, pro arbitro ornarent. Guigo in Vita S. Hugonis Gratianopolitani episcopi (adi ejus verba num. 422 recitata) visionem duntaxat refert, qua Hugo in somnis viderit Deum, in Carthusiæ solitudine dignationi seu majestati suæ habitaculum construentem, stellasque præterea septem, quæ itineris, ad id ducentis, Hugoni sese duces offerrent; scriptores autem proxime citati et modum et tempus visionis aliaque abjuncta rei hujus substantiæ adjecerunt, quæ tamen omnia et singula, contra ac illi existimasse videntur, verisimilia non sunt, uti palam est ex jam dictis. At vero, invenio etiam, qui visionem illam alteri, quam Hugoni Gratianopolitano episcopo oblatam fuisse scripserit. Gaufredus is est Vosiensis prior.

431. Res hæc, ut fidem supra datam liberem, modo examinanda. Hic itaque scriptor in Chronico suo apud Labbeum tom. II, bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 289 ita memorat : « Ordo Carthusiensium sanctissimus incœpit hoc tempore scilicet anno 1086 (imo ex dicendis anno 1084) per Brunonem virum sanctum, natione Alemannum de Colonia Agrippina, magistrum in theologio, cum sex aliis venerabilibus viris in diœcesi Gratianopolitanensi. Hic ordo, teste B. Bernardo, inter omnes ecclesiasticos ordines primatum tenet, non ratione temporis, sed vigore sanctitatis ; unde ipse vocat eum speciosissimam columnam Ecclesiæ. Victor papa, dum esset monachus Cassinensis, per somnium vidit Deum suæ dignationi in solitudine Carthusiæ habitaculum construentem, et dicitur, quod spiritu prophetiæ pollebat. » Gaufredus sæculo duodecimo, ac proinde annis nondum centum, imo forte ne quinquaginta quidem ab obitu S. Brunonis elapsis, floruit; unde videri potest, quæ de Brunone institutoque per eum ordine in litteras misit, sat probe explorata habuisse: verum, quidquid de Gaufredi ætate auctoritateque sit, hac equidem in re Guigone, quinto Carthusiæ prior sanctique Hugonis biographo standum est. Præterquam enim quod Hugoni Gratianopolitano episcopo fuerit æqualis familiarisque, quæcunque in hujus Vita, summi pontificis jussu a se contexta, memoriæ prodit, vel, ipsemet oculis suis aspexit, vel e testibus oculatis aut ex ipso etiam S. Hugone didicit, ut verosimillime, et quod de visione præmemorata Hugoni oblata scribit, ex hoc ipso etiam audierit. Ast, inquies, etsi id ita sit, nondum tamen est consequens, ut Gaufredus Victori III papæ, antea Cassinensi monacho nomine Desiderio, visionem qua hic Deum, in solitudine Carthusiæ habitaculum sibi construentem viderit, perpetuam ascribat. Deus enim et Victori et Hugoni, quid in Carthusiæ solitudine facturus esset, visionibus duabus diversis revelare potuit.

482. Fateor, sic habet : verum de una eademque visione, de qua Guigoni sermo est, sermonem etiam esse Gaufredo, vel ex eo liquet, quod sequentia verba, « Vidit Deum, suæ dignationi in solitudine Carthusiana habitaculum construentem, » quibus hic illam exponit, ad apicem fere etiam occurrant in narratione Guigonis, num. 422 data. Imo vero consequi hinc videtur, Gaufredum verba illa ex Vita S. Hugonis, per Guigonem scripta, aut certe e scripto alio, in quod eadem ex hac fuissent illata, mutuatum esse, visionemque, per illa sancto isti antistiti attributam, casu nescio quo, Victori papæ perperam ascripsisse. Accedit, a Gaufredo, dum hoc facit, nova et inaudita revelari, ut Carthusianus anonymus Annalium ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor verbis num. 303 huc transcriptis recte observat ; neque enim scriptorum etiam illorum, qui Victoris papæ meminerunt, ullus est, qui, qua de hic agimus, visionem ei fuisse oblatam, memoriæ prodat. Ad hæc quorsum, quæso, visionem hujusmodi Victori adhuc Cassinensi monacho Dominus obtulisset, Hugoni autem illam Deus obtulit, tum ut quis Brunoni ejusque sociis Gratianopolim venturis assignandus esset eremiticæ vitæ ducendæ locus, Hugoni aperiret, tum ut hunc, quo Brunoni ejusque sociis favorum opemque impenderet, excitaret. Fas est id colligere e verbis, quæ Guigo, quam narrat, visioni præmittit ac deinde etiam subjungit.

433. Etenim verbis num. 422 huc transcriptis, quibus visionem Hugoni divinitus oblatam refert, mox subjungit: « Erant vero et hi septem. Quapropter non istorum tantum, sed et qui successerunt eis, consilia libenter amplexus est, et usque ad mortem Carthusiæ habitatores consiliis fovit semper et beneficiis. » Quibus verbis non obscure indicat, per stellas septem, quæ S. Hugoni in visione apparuerant, designatos fuisse S. Brunonem ac sex ejus socios, hincque factum, ut sanctus ille Gratianopolitanus præsul, qui id sibi, agente intus Deo, persuasam habebat, toto vitæ suæ tempore non solum in S. Brunonem ejusque socios, verum etiam in eorumdem sequaces benificus exstiterit. Nec alia etiam ex causa factum esse, ut Hugo Brunoni ejusque sociis Carthusiam inhabitandam assignarit, comitem sese hanc adeuntibus junxerit, necesariaque

www.libroslibros.com

ædificia exstruentibus auxilium opemque attulerit, Guigo pariter sat clare innuit, ut verba ejus num. 422 Huc transcripta consideranti patescet. Jam vero cum id ita sit, fuit sane, cur narratam a Guigone visionem divina benignitas Hugoni offerret. Ast quorsum, iterum peto, simili favore Victorem papam, Cassinensem adhuc monachum affecisset? Id sane (neque enin Victor, uti infra docebo, institutum a Brunone ordinem confirmasse est putandus) nullius plane utilitatis futurum fuisse videtur, ac proinde vel hiuc, factum non esse, apparet. Posse quidem modo hinc de S. Hugonis erga S. Brunonem ejusque socios benevolentia, de hisce per illum in Carthusiam inductis aliisque nonnullis huc spectantibus tractari; verum id § seq. commodius præstabitur, cum hic nonnulla adhuc, quæ ad sanctum ejusque socios pertinent, dilucidaro. «Hababat autem» (Guigonis sunt de S. Brunone, ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accedente, verba num. 422 jam recitata) » socios magistrum Landuinum, qui post eum Carthusiæ prior exstitit, duos Stephanos, Burgensem et Diensem (hi S. Rufi canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ ei, abbate favente, sese conjunxerant) Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio; duos laicos, quos appellamus conversos, Andream et Guarinum.»

434. Sex itaque sanctus, cum ad S. Hugonem Gratianopolitanum antistitem accessit, socios tantum sibi habebat adjunctos, verum cum hi omnes una cum sancto, quemadmodum Guigo per verba num. 422 recitata fidem facit locum eremiticæ vitæ aptum quasierint, talemque, cum ad Hugonem venirent, nondum invenissent, aliquanto temporis spatio omnes una cum santo nostro in solitudine Siccæ-Fontanæ vitam eremiticam, antequam Gratianopolim ad Hugonem sese conferrent, duxissse videntur. Jam vero cum in monasterii Molismensis charta, supra e Mabillonio laudata partimque recitata, Petrus et Lambertus, qui sex sociis, una cum Brunone Gratianopolim profectis, a Guigone non accensentur, Brunonis in solitudine Siccæ-Fontanæ discipuli fuisse tradantur, sanctus plures, quam sex socios, cum mundo validicturus Remis excessit, aut saltem, cum in solitudine Siccæ-Fontanæ jam versaretur, verosimiliter sibi habuerit adjunctos, sex videlicet supra a Guigone enumeratos, Petrum ac Lambertum, in laudata e Mabillonio charta memoratos, et nonnullos forte adhuc alios, qui una cum duobus hisce in solitudine Siccæ-Fontanæ versati sint, quando inde cum enumeratis a Guigone sociis sanctus noster, locum proposito suo exsequendo aptiorem quæsiturus, Gratianopolim ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum se contulit. Verum an hi omnes e clero Remensi exstitere? Fuisse quosdam, qui cum sancto in solitudinem sese recepere, e clero Remensi, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IX, pag. 236, non obscure docent. Ast an vere e clero illo Petrus et Lambertus, qui ex dictis sancto cum Remis in eremum abiit, aut certe cum in solitudine Siccæ-Fontanæ jam versaretur, adhæsere, exstiterint, compertum haud habeo; quod vero ad sancti socios, a Guigone recenstios, pertinet, fueritne horus ullus ex eodem clero, valde est dubium. Ita apparet ex iis, quæ de singulis eo ordine, quo a Guigone supra recensentur, jam nunc adducam in medium,

435. Landuinus apud Labbeum tom. 1, bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 639 in antiquissimo, cujus num. 4 et seqq. data notitia, primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronico insigne sibi contextum habet elogium. His verbis concipitur: » Lauduinus. natione Tuscus ex urbe Luca, litteris et ipse divinis et humanis eruditus, annis decem Carthusiæ præfuit. Qui cum ad magistrum Brunonen pergeret, indicit in manus Guitberti schismatici, quod multum horrebat. Adversus cujus minas et promissiones, dolos et violentias, divina juvante gratia, modis omnibus perseveravit inflexus. Quem in suo defunctum errore lacrymabiliter planxit, adeo ut a circumstantibus argueretur, quod eum fleret, a cujus perversitate Ecclesiam suam Christi bonitas liberasset. Post ejus obitus septimum diem etiam ipse defunctus est, positusque in monasterio S. Andreæ ad pedem montis Siraptis, cui vicinum est castrum, ubi captus in custodia tenebatur.» Tale est in vetustissimo illo fideique dignissimo monumento Landuini elogium in quo sane ne vel verbum occurrit, e quo fuisse illum cleri Remensis, utcunque colligas. Imo vero, cum natione Tuscus fuisse elogii illius, huc jam transcripti, initio dicatur, alterius potius cleri, quam Remensis fuisse videtur. Landuino proxime Guigo subjungit ambos Stephanos, Burgensem unum, Diensem alterum, qui cum fuerint, teste eodem Guigone, S. Rufi canonici, regulares scilicet, cleri Remensis clerici indubie non fuerunt, Audi interim, qui de ambobus illis canonicis, ut quæ ad eosdem spectant, magis elucidentur, Carthusianus anonymus Annalium ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor supra sæpissime laudatus loquatur.

436. « A Guigone, » inquit, « dicuntur simpliciter (duo Stephani scilicet) « canonici sancti Rufi et » desiderio vitæ solitariæ, abbate favente, sese sancto Brunoni conjunxisse.» Sed utrum fuerint ex ipso Sancti Rufi monasterio totius ordinis capite, aut ex aliquo ejusdem ordinis, non habet. Surius post anonymum auctorem Vitæ sancti Brunonis, operibus illius (apud Bertholdum Remboldum, ut supra docui, excusis) prafixæ, scribit, eos fuisse alumnos monasterii Sancti Rufi, quod quidem non est inverisimile, at errat cum suo anonymo, dicens monasterium illud secus Valentiam tunc fuisse constitutum, Sic enim præfatos Stephanos cum sancto Brunone inducit colloquentes: « Non longe a Valentia, cui nostrum Sancti Rufi adjacet monasterium, prope fluenta Rhodani in confinibus diœcesis Diensis, unde alter nostrum originem duxit,

» est civitas Gratianopolis, » etc. Verum constat, abbatiam Sancti Rufi, canonicorum regularium caput, primitus fuisse constructam Avenione extra urbem. « Ast fremente, » inquit Chopinus, lib. II Monast. titul. I, num. 1, Albiorum (Albigensium) » bello sacro, coacti sunt religiosi homines alio se» des laresque transferre Valentiam versus Delphi» natum, ubi cœnobium majus beati Rufi nomine » erigitur. » Hancque translationem factam fuisse tantum anno 1210 scribunt Sammarthani, alli altius eam referunt; sed nihil ad nos. Ergo corrigendarunt quæ apud Surium et alios lectitantur de eodem monasterio juxta Valentiam constituto, quod adhuc stabat juxta Avenionem tempore instituti ordinis Carthusiensis. Apud Sammarthanos loco citato exstant litteræ Urbani papæ II, datæ anno 1096, quibus summus pontifex confirmat abbatiæ Sancti Rufi extra muros Avenionenses ecclesias Sanctæ Mariæ infra urbem Lugdunensem et Sancti Petri secus Diam.

437. «Posset quidem fieri, ambos nostros Stephanos canonicos fuisse præfatæ ecclesiæ Sancti Petri Diensis, sed non constat, an illis temporibus hujusmodi ecclesiæ sive prioratus, quas et cellas vocabant, novitios admitterent ad profitendum, aut canonicos jam professos ex archimonasterio Avenionensi reciperent, ut conjicere erit ex subjecto exemplo. Inter titulos infra annum obitus sancti Brunonis conscriptos legitur Titulus fratrum sancti Rufi in Costa Sancti Andreæ, in finibus Allobrogum juxta Viennam metropolim, in quo Titulo (inter recudendos 14) sic loquuntur canonici ejusdem ecclesiæ : « Nos fratres ex canonicis Sancti Rufi com» morantes in quadam cellula Sancti Andreæ, quæ » vulgo Costa vocatur, pro piissimi annima Brunonis » per septem dies continuatos matutinas et missas » celebrabimus. Et sicuti uni ex nobis pro animæ » ejus solatio præbendam dabimus. Et in catalogo » fratrum nostrorum nomen ejus scriptum habebi» mus.» Cum se dicant « Fratres ex canonicis San» cti Rufi commorantes in quadam cellula Sancti » Andreæ, » etc., aperte innuunt, se fuisse alumnos principalis abbatiæ Sancti Rufi. Ex qua etiam nostros Stephanos fuisse verisimilius est, et recte colligendum videtur ex verbis Guigonis nostri, quibus dicit, eos, « Favente abbate. » qui non potest esse alius, quam abbas Sancti Rufi Avenionensis, » sese sancto Brunoni conjunxisse. » Præterea cum præfati canonici, cellulæ Sancti Andreæ tunc incolæ, tantum beneficium contulerint sancto Brunoni, nomenque ejus catalogo fratrum suorum ascripserint, non levis est conjectura, eos id beato Viro concessisse, rogantibus duobus Stephanis, suis quondam in primario Sancti Rufi monasterio commilitonibus, tunc vero Carthusiensibus monachis. » Hactenus Carthusianus noster annalista anonymus, duo hic potissimum evincere contendens, videlicet primarium canonicorum regularium S. Rufi monasterium Brunonis ætate prope Avenionem situm fuisse, hujusque alumnos exstitis se duos Stephanos, Burgensem et Diensem, Sancti nostri socios.

438. Ac primum quidem contra Surium, huncque prægressos Puteanum et Blomenvenam, qui monasterium illud Valentiæ tunc fuisse adjectum, afficta a sese alteri e Stephanis oratione indicant, indubitatum efficit; quod vero ad secundum pertinet, verosimile saltem id reddit. Verum cujuscunque demum monasterii alumni exstiterint duo Stepani, canonici equidem regulares fuerunt, ac proin, quod huc potissimum spectat, indubie non e cloro Remensi, ut supra jam monui. Superest ut de Hugone, qui, e sociis S. Brunonem ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum comitatis, ultimo loco nominatur, qualemcunque notitiam nunc demus. Eum Morotius in Theatro chonologico sacri ordinis Carthusiensis inter Majoris Carthusiæ priores loco sexto collocat, sequentique ornat elogio : « Hugo sex Brunonis a mundo recedentis, symmystarum quartus et capellani titulo a reliquis distinctus, quod, iis sacerdotio minime initiatis, a sacris foret, Carthusiam, primo suæ conversionis tempore inchoatam, effeta jam ætate biennio rexit. Eo exacto, successorem enixe deprecatum lætabundus cum excepisset, septennium supervixit, quo toto sese ad æternitatem composuit. » Cuigo, quintus Carthusiæ prior, anno 1137 diem extremum clausit; quare, si vera hic memoret Morotius, ad annum usque 1145 vitam Hugo protraxerit, ut verba scriptoris hujus jam nunc ricitata consideranti patebit. Ut ut res hæc habeat, nihil equidem verbis recitatis suppeditat Morotius, unde Hugonem fuisse e clero Remensi, utcunque conficias, ac proin id, utpote quod nec aliunde possit probari, admodum est dubium, etsi interim nihil etiam occurrat, unde Hugonem ex altero potius quam e Remensi clero fuisse merito arguas. Dubium itaque, uti ex omnibus in medium modo adductis (neque enim Andreas et Guarinus, utpote laici, commemorandi hic sunt) manisfestum efficitur, est admodum, an ullus e sociis quos Sanctus, sæculo nuntium remittens Remisque excedens, sibi habuit adjunctos, cleri Remensis exstiterit.

439. Nec aliquot ex hisce clericos Remenses fuisse, asseruissent laudati Historiæ litterariæ Franciæ scriptores, si considerassent Sanctum bis alio migraturum urbe Remensi excessisse; primo quidem, quo Manassem archiepiscopum vitaret, anno secundum jam dicta vel 1076 vel sequenti ; secundo autem, ut in eremum, postquam pristino statui aut forte etiam meliori, Manasse expulso, Remis restitutus fuisset, anno 1081 aut altero, ut supra jam docui, e binis sequentibus; ac certe quidem priori vice, at non item posteriori, Sanctum ex ante dictis ad maxime e Guiberti abbatis Novigentini testimonio clericos aliquot Remenses socios sibi habuisse adjunctos. Porro Guigonis verba, num. 422 huc transcripta, ulter ori adhuc commentatione indigent. Cum enim iis dicatur Hugo, e so-

www.libtool.com.cn

ciis S. Brunonis unus, capellanus appellatus fuisse, A » eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio;» quæri hic jam potest, primo quidem an Sanctus reliquique ejus tres clerici socii, ambo scilicet Stephani et Landuinus sacerdotio unquam fuerint initiati, secundo autem an Sanctus, jam tum cum ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accessit, ad dignitatem illam non fuerit evectus. Et Landuinum quidem alterumque e duobus Stephanis, Burgensem nempe, etsi tunc, cum Gratianopolim cum Brunone venerunt, sacerdotes nondum fuerint, postea tamen ad dignitatem hanc fuisse promotos, Barthusianus noster annalista anonymus sat apte probare videtur. Verba ejus proinde eo facientia huc transcribo :

440. « Postea, inquit, ad sacerdotii dignitatem » B fuisse evectos Landuinum et Stephanum Burgensem, « extra omne dubium esse debet,» quia nempe, ut subdit, »alioquin non potuissent regimen animarum habere in ordine, sicut habuerunt Landuinus in Majori Carthusia, cui præfuit post sanctum Brunonem; Stephanus vero Burgensis in domo Majorevi, cujus protoprior a Guigone institutus fuit. Nec opponi possunt exempla quorumdam abbatum, qui monasteria gubernarunt, etiamsi nunquam fuissent sacerdotes. Eo enim tempore, quo Carthusiensis ordo cœpit, sancitum erat, ut nullus fieret abbas, nisi etiam fieret sacerdos juxta decretum in synodo Romana sub Eugenio II, quod expresse habet, ut abbates sacerdotalem quoque honorem sint adepti; et renovatum fuit sub Hugone et Roberto Francorum C regibus, ut videre est inter canones Abbonis abbatis Floriacensis capite nono decimo: «Abbates qui pre- »sbyteri non sunt, presbyteri fiant aut prælationes » amittant,» prout decreverat concilium Pictaviense, anno 1078 celebratum ab Hugone Diensi legato apostolico ; quod postea insertum fuit decretalibus. Juxta hæc decreta sanctus Bruno sequaces suos erudiens præcepit ne ullus in priorem eligeretur, nisi posset ad sacerdotium promoveri, Unde Guigo consuetudines ordinis, sicut eas sanctus Bruno diu ante eum viva voce et exemplo instituerat, describens declarat, quod mortuo priore, conventuales » majorum meliorumque consilio ex seipsis unum » eligant, aut sacerdotem aut ad sacerdotium pro- D » movendum, qui in festis solemnioribus, et cum » frater aliquis professionem facturus est, missam » cantat majorem. »

441. Hæc ille, e quibus sane, Landuinum et Stephanum Burgensem sacerdotio fuisse aliquando initiatos, indubitatum apparet. Quod modo ad Stephanum Diensem et ipsummet S. Brunonem pertinet, fueritne Stephanus ille unquam sacerdos, admodum est dubium, nec quidquam, quo id tolli queat, occurrit; Brunonem autem, si non tunc cum ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accessit, postea equidem sacerdotem fuisse, suadet mihi vel solus collatus ab eo, servatis omnibus Ecclesiæ cæremoniis, comitis Rogerii filio Baptismus, ut postea videbimus. Ad hæc, sacerdotem sese fuisse, ipsemet Sanctus noster suo in Epistolæ I ad Corinthios cap. 10, Commentario utcumque indicare videtur. Ibi enim sic scribit: « Fugiendum vobis est a cultura idolorum, quia calix, id est sanguis Christi, calix, dico, benedictionis, per quem benedictiones gratiarum accipimus, quia per sanguinem Christi, si digne sumimus, et a prioribus peccatis liberamur, et contra venientia confortamur : cui calici nos benedicimus, laudantes eum, quod nunquam hujusmodi cadix fuerit, qui et a peccatis liberaret, et ne ultra peccaremus, confortaret. Vel calix benedictionis, id est, quem ipse Deus benedicit et consecrat; et cui nos benedicimus per officium nostrum; Deus enim hoc efficit per sacerdotem ministrum.» Per hæc verba Bruno eo modo hic loquitur quo, si sacerdos non exstitisset, locuturus fuisse non videtur ac proin sacerdotem se, uti apparet, utcumque indicat.

442. Verum an jam tum cum ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accessit, ad dignitatem illam errat evectus? «Adest,» inquit loco supra cit. de S. Brunone ad Hugonem Gratianopolim accedente Guigo, « magister Bruno.....Habebat autem socios magistrum Landuinum... Duos Stephanos, Burgensem et Diensem.... Hugonem etiam, quem cognominabant Cappellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio.» Quibus e verbis, utpote quibus eo ipso loco, quo tam de Brunone, quam de ejus sociis sermo sit, solus Hugo sacerdotis officio functus fuisse asseritur, concludendum apparet Sanctum nostrum, cum ad Hugonem accessit, sacerdotio initiatum nondum fuisse. Attamen, inquiunt nonnulli, hosque inter Carthusianus noster annalista anonymus supra sæpissime laudatus, ricitata Guigonis verba, quibus solus Hugo sacerdos fuisse affirmatur, non de ipso S. Brunone, sed de ejus dumtaxat sociis videntur intelligenda. Cum enim, aiunt, sociorum clericorum, quos Sanctus secum habebat, recensitis nominibus, Guigo statim de Hugone subjungat, « Quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio,» videntur duo hæc verba «Ex eis» ad solos clericos Sancti socios, non autem etiam ad Brunonem, referenda. Ita illi ; verum nescio, an futurum sit, ut hæc verborum Guigonis interpretatio sat accurata et ad auctoris mentem accommodata appareat. Sane hæc verba: «Quem cognominabant Capellanum» tam de S. Brunone, qui Hugonem Capellanum appellarit, quam de Sancti sociis, Landuino et duobus Stephanis, intelligenda videntur, ac proin non video, cur et hæc duo alia « Ex eis» æque ad Brunonem, quam ad ejus socios referenda non sint.

443. Accedit, integrum verborum Guigonis textum, in sensu magis obvio et naturali, quem hic scriptor indubie secutus fuerit, accceptum, videri exigere, ut Guigo intelligatur de sacerdotio, quo tum gavisus fuerit solus Hugo, Sanctusque ac reliqui ejus socii caruerint, ut proinde, si verba Guigonis eo modo,

www.libtool.com.cn

quo verosimilius debent, intelligantur, Sanctus noster, cum ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accessit, sacerdotio initiatus nondum fuisse videatur, nisi forte, quod tamen etiam adstruere vix ausim, a Guigone solum Hugonem sacerdotis functum officio asseverare velis, non quo solus sacerdos esset, sed quod solus munia, sacerdoti convenientia, obiret, ipsomet Brunone reliquisque ejus sociis præ humilitate aliave ex causa ab iis abstinentibus. Ast, inquies, Sanctus in pluribus titulis funebribus Ecclesiæ murus, ecclesiarum lux, metropolis Remensis columna, etiam ante suum in eremum Carthusiæ secessum, exstitisse, aut diserte asseritur, aut certe non obscure innuitur. Fateor sic habet: Verum quidni titulis hujusmodi condecorari potuerit, quod plane insigni esset tum doctrina, qua Remensis aliarumque ecclesiarum alumnos, Remos ad Sanctum audiendum magno concursu confluentes, erudiisset, tum etiam virtute, qua diu ecclesiam Remensem adversus impios Manassis, Simoniaci antistitis, conatus fuisset tutatus? Nequit itaque etiam ex honorum titulis, quibus Sanctus sive in versibus illis funebribus, sive alibi afficitur, quidquam roboris accedere ad opinionem, quæ fuisse illum jam tum, cum ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accessit, sacerdotio initiatum, statuit, ac proin revera illum tum sacerdotem nondum fuisse, longe mihi, omnibus consideratis, verosimilius apparet. Rerum ad Sanctum spectantium seriem modo prosequamur.

§ XXVI. *Sanctus Carthusiæ eremum ingreditur: quandonam id acciderit.*

444. Cum Hugo Gratianopolitanus episcopus, S. Brunonem sexque ejus socios supra nominatos, quos per stellas septem, sibi in somne divinitus ostensas, designatos fuisse nullus dubitabat, Carthusiæ eremum seu montem esse illis a Deo destinatum eremiticæ vitæ ducendæ domicilioque constituendo locum, narrata, qua Deum sibi in eremo illa habitaculum ædificantem conspexerat, visione edocuisset, verbisque etiam, ut apparet, quo locum illum sibi inhabitandum deligerent, fuisset adhortatus, omnes illi at divinæ voluntati obsequi et in horridam solitudinem secedere paratissimos sese exhibuerunt. Nec multum temporis fatigatis e via corporibus in episcopali palatio, curante benignissime Hugone, reficiendis impenderant, cum itineri sese Carthusiam versus commisere, ipsummet S. Hugonem episcopum socium ac comitem sibi habentes adjunctum. » Ipso namque (Hugone scilicet Gratianopolitano episcopo) consulente et juvante ac comitante Carthusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt,» inquit de S. Brunone ejusque sociis in Sancti illius antistitis vita loco supra cit. Guigo. Dubitandum non apparet quin sanctissimus hic præsul necessaria tum itineri isti, tum qualibuscunque seu domibus seu cellulis et sibi et Brunoni ejusque sociis in Carthusiæ eremo exstruendis necessaria parari, eoque deferri curarit. Atque id reipsa etiam factum, Zacharias Benedictus in metrica Sanct nostri Vita, iis ante, quæ pridie Sancti nostri ejusque sociorum in eremum secessus hos inter et S. Hugonem gesta adstruit, narratis, non obscure indicat, quapiam etiam Carthusiæ solitudinis descriptione adjecta. Versus, quibus in exsequitur, huc transcribo.

445. *Summis quumque jugis afferret Jupiter æthram,*
Atque diurna novo sole intervalla redirent,
Mandat equos præsul, pulmentaque multa parari
Atque legi varios fabrili ex arte magistros.
Omnia sunt præsto, cursant per tecta magistri.
Cæmenta et lateres ac ligna feruntur onusta.
Hinnitus jumenta gravi sub pondere mittunt.
Jam montana petunt omnes; in culmen apricum
Orbita difficilis fert, imæ concava vallis
Ora patent, jamque incessu speculantur ab alto
Planitiem terræ, turresque ac oppida circum.
Quadrupedando super tumulos hiat agmen equorum.
Stapegeri sudant, certatimque ire laborant.
Ad supremum igitur tandem venere cacumen,
Hernica saxa vident, horrentesque undique rupes.
Non arbusta illic seu ligna ferentia structus.
Vix ibi sunt herbæ virides humilesque genestæ,
Et larices abiesque et tensæ in sidera pinus.

Blomenvenna, etsi de iis, quæ hic de paratis jussu episcopi itineri sedique in Carthusia figendæ necessariis memorat Benedictus, nullo plane verbo mentionem faciat, Hugonem tamen antistitem Brunoni ejusque sociis, qualis esset Carthusiæ solitudo, cum adituri hanc jam forent, ita exponentem inducit: » Locus. .. vobis a Deo designatus est eremus quædam in montibus altissimis, appellaturque Carthusia. Ampla quidem sed penitus inhabitata [non habitata], solis feris pervia, hominibus vero et cæteris domesticis animantibus propter loci asperitatem pene ignota.

446. »Altis et tanquam excisis hinc inde rupibus et scopulis circumvallata, infructuosis arboribus consita, supra modum frigida et per majorem partem temporis nivibus operta; adeo etiam prærupta, sterilis et infructuosa, ut nihil in ea aut seri valeat aut meti, ad quam etiam est ascensus gravis et laboriosus; ingressus vero difficilis et periculosus, utpote inter duas miræ altitudinis rupes, quæ velut rectæ lineæ sursum se erigentes, in culmen tandem coeunt, ita ut introeuntibus horrori sint et terrori. In medio vero ejus est parvus fluvius, qui Gnerus mortuus, quasi quædam imago mortis, dicitur, ex circumstantibus undique montibus collectus, cum strepitu maximo torrentium aut inundantium aquarum more fluens, et, ut paucis agam, tanta est loci illius asperitas, tantus horror, ut carcer potius aut purgatorii locus, quam humanæ vitæ habitaculum dici possit. » Hactenus Blomenvenna, sua hæc fere omnia, ut non raro alibi, e Puteano mutuatus. Atque ita quidem tum e Benedicto, tum e Blomenvenna, et, si velis, etiam e Puteano generalem quampiam modo habes, studiose lector eremi Carthusiæ seu notitiam seu descriptionem; distinctam

www.libtool.com.cn

longe magis atque ad præcipuas ejus partes extensam suppeditat Innocentius le Masson supra adhuc plus semel laudatus lib. I, cap. 2 operis, quod ordinis Carthusiensis Annales inscripsit, annoque 1687 typis Correrianis vulgavit. Lubet et hanc, quod Massonum ex dictis, in ipsa Carthusia pluribus annis commoratum, eorumque proinde, quæ de illa scribit, apprime gnarum, auctorem habeat, nec dictum ejusdem Massoni Opus omnium passim manibus teratur, huc transcribere, ut sic qualis illa, quæ milliaribus circiter decem seu tribus leucis septemtrionem versus Gratianopoli abest, atque a Sancto nostro inhabitata primum fuit, celeberrima eremus sit, unusquisque habeat in promptu. His itaque descriptio illa verbis concipitur : « Eremus hæc nostra tunc temporis (cum in illam Sanctus sese abdidit) longe asperior, quam nunc visitur, apparebat ; erat enim omnino inculta accessusque ejus plane difficilis.

447. «Silvæ omnia fere occupabant, quæ postea in plerisque locis eradicatæ, in prata satis amœna conversæ fuerunt. Hujus eremi figura est veluti oblongi amphitheatri, exclesis rupibus undique cincti ; cujus arena a parte meridionali longe depressior est, et in modum monticulorum sensim se invicem superantium assurgit, donec in loco, ubi est situm sacellum divi Brunonis, alti montis adinstar erecta sit, qui statim præruptis fere rupibus clauditur. In ejus declivi constructa nunc est domus Carthusiæ, ab illo sacello distans eo spatio, ad quod pedibus conficiendum opus est sesquiquadrante horæ. In declivi ergo et submissiori parte arenæ nostri ab ipsa natura formati amphitheatri, quæ pars aspicit meridiem, præterfluit torrens, fontibus e variis deserti locis circunquaque scaturientibus et illic confluentibus primo compositus ; deinde ab aquis pluviarum et nivium liquescentium ex rupibus altissimis defluentibus tumefactus, amnes mediocres communiter æmulatur. Sed quando abundantia pluviarum est, magnis tunc adæquatur fluviis. Optimos etiam fert pisces, qui truttæ saxatiles dicuntur. In superiori vero parte, quæ septentrionalis est, cingitur illa rupe, quæ le Col vocatur, in cujus vertice situm est amplum et amœnum pratum, quod rupi illi impositum est diadematis ad instar. A dextris habet rupem, quæ vocatur Bovinant, et a sinistris aliam, in cujus apice (num rupes istæ quasi por gradus se invicem superantes in sublime origuntur) altissima illa rupes, quæ Alienard dicitur, rita est.

448. « A parte Orientali assurgunt et se invicem quasi manu tenent altissimæ rupes, inter quas primas obtinet illa, quæ dicitur le Grand-Son, quod latine sonat magnam summitatem, quia omnium rupium censetur altissima ; et sic in modum murorum se protendunt rupes illæ, donec ad locum, ubi nunc est pons Carthusiæ, per præruptum præcipitium deficientes, ingressum ad eremum aperiant triginia aut quadraginta pedes tantummodo latum. Nam statim alia prærupta rupes ex alia parte torrentis assurgit, ita ut duæ istæ rupes se erigere videantur, ut in altiori parte viciniores effectæ, quasi in mutuos ruant amplexus, quod certe mirum naturæ artificium est. Inter utramque rupem præterfluit torrens, ibique stat pons ille, per quem datur accessus ex parte urbis Gratianopolitanæ ad eremum et domum Carthusiæ. Ibidem etiam domunculam sanctus antistes Hugo construi curavit, ut custos in ea habitaret, qui aditum ingredi volentibus concederet vel negaret. Media circiter via inter pontem illum et domum Carthusiæ sita est domus Correriæ, quæ in consuetudinibus R. Patris Guigonis Domus inferior dicitur, ubi procurator et conversi ad rem familiarem agendam morabantur; et inter pontem illum et sacellum S. Brunonis, in quo loco primo constructa fuit domus Carthusiæ, iter unius horæ intercedit ; unde conjici potest quanta sit longitudo arenæ amphitheatri nostri a parte meridionali ad septentrionalem. Ultra torrentem videtur amœnissimum pratum, vocatum Valombrey quod cingitur rupibus sensim se invicem superantibus et tandem in súblime caput quasi certatim attollentibus; quas omnes superat illa, quæ vocatur Charmanson, in cujus capite latissimum pratum cernitur, quod vix ab intuentibus rupem istam e domo Carthusiæ credi posset, cum ad modum dentium alicujus scopuli summitas ejus terminari videatur.

449. « Sed maxima pars illorum, quæ ultra torrentem sita sunt, primis Patribus non fuerat donata et termina illorum torrente claudebantur; quæ tamen pars postea a piis sæcularibus fuit domo Carthusiæ dono data, ut suis locis in secundo volumine latius explicabitur. Ex illa parte meridionali ad occidentalem pergentibus statim occurunt rupes altissimæ a se invicem separatæ, inter quas fluit torrens versus urbiculam Sancti Laurentii de ponte. In cujus torrentis ripa magno labore sive evulsis sive sectis aut pulvere tormentario excussis saxis aperta est via, qua ex parte Sancti Laurentii ad Carthusiam pervenitur. Exinde oculis se objicit rupes illa, in cujus cacumine sita est grangia, Chartrousette vocata; ubi rem agrariam et pecorum nutrimenta primos Patres locasse credimus; ibi enim sunt prata et pascua amplissima, et agri quidam, qui sculcantur. Pergunt sic murorum ad instar rupium invicem se tangentium situs, donec perveniant ad eam, cui supereminere diximus altissimam rupem de Alienard et amphitheatri nostri circulum claudant. Illud autem quasi medium secat interfluens amniculus, qui a fonte Sancti Brunonis ortum accipiens et aquas vicinarum rupium etiam recipiens, a parte septentrionali usque ad meridionalem deducit, donec in torrentem mergatur. Porro in nostro amphitheatro a natura, ut diximus, oblonge formato, tres distincti gradus elevationis intuentibus apparent, in quorum inferiori sunt prata virentia, in secundo silvæ annosis arboribus refertæ ; quæ

silvæ in modum amplissimæ faciæ locum cingunt. Tertio denique visuntur rupes, quæ per inæquates summitates stridoris dentium ab invicem paululum distinctorum speciem gerunt. » Hæc est eremus, in quam sanctus, cum plane adhuc esset inculta, sese una cum sex sociis suis, Landuino, duobus Stephanis, Burgensi ac Diensi, Hugone, Andrea et Guarino, sese recepit, comitante eos Hugone Gratianopolitano episcopo, necessariaque tum victui, ut apparet, tum habitaculis, in quibus commorari possent, ædificandis suppeditante.

50. Ac statim quidem illos, atque eremum ingressi essent, operi manum admovisse, indubitatum upparet. Verum hac de re infra tractabo ; nunc in tempus, quo Sanctus ejusque socii ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accesserint, Carthusiæ eremum, sancto hoc antistite comitante, ingressi primum sint, monasterioque ibidem exstruendo manum admovere inceperint, unice inquirendum. Alii id anno 1084 factum statuunt, alii contra pro anno 1085 aut etiam pro anno 1086 decertant. Ac Baronius quidem Sancti nostri sociorumque ejus ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accessum, eorumdemque, duce Hugone, haud dudum post secutum in Carthusiam ingressum cum anno 1086 in annalibus ecclesiasticis ad hunc ipsum annum componit, ita ibidem scribens : « Cum superius dictum sit ex sancti Hugonis (Gratianopolitani episcopi nimirum) Vitæ actis, ipsum anno millesimo octogesimo creatum fuisse episcopum Gratianopolitanum, post duos vero annos adiisse Cluniacenses, ibique moratum annum unum, inde ad episcopatum reversum in eo transegisse tres annos, planum invenies, sexto anno a suo ordinatione cum sociis, hoc nempe anno, petiisse Carthusiam. » Hanc igitur, quam assignat, S. Hugonis sanctique Brunonis ac sociorum ejus in eremum secessus epocham eruditissimus annalium ecclesiasticorum parens e S. Hugonis, episcopi Gratianopolitani, actis seu potius ex Guigone, quinto Carthusiæ priore, qui horum auctor est, collegit ; quare cum hic scriptor tam S. Hugoni, quam S. Brunoni æqualis fuerit, rerumque tam ad hunc quam ad illum spectantium apprime gnarus, nec aliquo ex capite fidei queat esse suspectæ aut infirmæ, fieri sane vix poterit, quin Baronio assentiendum sit, si modo hic Guigonem rite interpretatus sit, quod propterea nunc examinandum.

451. Columbius, in sua de Carthusianorum initiis dissertatione num. 102 et seq., sententias duas diversas, Carthusianorum antiquorum unam, Baronii alterum, de anno. quo S, Bruno ad S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accesserit seque in Carthusiæ eremum receperit, circumferri præfatus, posteriorem quidem ; quæ ex S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, actis, per Guigonem scriptis, pro anno 1086 stat, falsam ; priorem vero, quæ pro anno 1084 militat, veram asseverat, ac deinde subjungit : « Ut hæc aperta sint, age, componamus utramque (sententiam scilicet de anno secessus S. Brunonis in Carthusiam) cum verbis Guigonis. Ita loquitur « Hugo (Gratianopolitanus episcopus) « duobus post consecrationem » (hæc Romæ anno, uti infra docebo, 1080 facta fuerat) « expletis annis, » comtemptis omnibus, Casæ-Dei ordinis Cluniacen- » sis factus est monachus, ibi novitius annum vixit. » Post hoc » seu post hunc novitiatus annum atque adeo tertium a consecratione Romana : « Cogente » Gregorio septimo, e monasterio, quo fervens in- » traverat, ferventior est reversus; pro claustro cir- » cumspectionem habens pervigilem..... pro abbate » justitiam.... pro congregatione aut religiosos, qui- » bus carere numquam voluit, socios, aut univer- » salem Ecclesiam..,. in his agebat, » seu ita claustrum, abbatem, congregationem habere sibi videbatur, « et ecce, tribus necdum in episcopatu post « monasterii reditum, completis annis, adest magi- » ster Bruno. » Hactenus Guigo. Baronius sic interpretatur ejus verba, ut Hugo primum annos duos solidos post consecrationem Romanam exegerit, et in Casæ-Dei monasterio tertium ; deinde e Casa-Dei Gratianopolim reversus, alios fere tres in episcopatu posuerit ante adventum Brunonis. Vult igitur Brunonem ad eum venisse, cum non longe erat a fine anni sexti episcopatus. Neque immerito ita sentit Guigonisque voces interpretatur. Omnino enim, si tres « in episcopatu anni, qui necdum completi » feruntur, censeantur fluxisse post reditum e monasterio Casæ-Dei, quem tres anni « post consecra- » tionem » Romanam præcesserant, ut prima specie videtur postulare Guigonis oratio, sex Hugo circiter, non pauciores a consecratione usque ad Brunonis adventum duxisse annos existimandus est. »

452. Hæc laudatus scriptor, a Baronio et recitata a se Guigonis verba, spectato, quem prima fronte offerunt, sensu, recte exponi, et ex iis, S. Brunonis in Carthusiæ eremum secessum cum anno 1086 non immerito componi, affirmans. Verum cum nihilominus Carthusianorum antiquorum, qui anno 1084 hunc eventum innexuere, opinioni adhærendum censeat, verba illa alio modo, quam quo prima specie accipienda videatur, reque ipsa a Baronio fuerint accepta, interpretanda contendit. « Verum, subdit mox verbis proxime huc transcriptis, « nihil » cogit ita, » ut scilicet Baronium fecisse præmisit, » Guigonem interpretari, et quod dicitur « post » monasterii reditum, » sic possumus exponere, ut sit idem atque « secundum monasterii reditum, » seu statim, neque multo post monasterii reditum, et loco non suo positum fuerit ante voces « comple- » tis annis. » Igitur erit hæc sententia : « Ecce tribus « necdum in episcopatu completis annis, adest mo- » dico post monasterii reditum tempore magister » Bruno. » Sed, vide, qui necdum completi feruntur, annos esse in episcopatu post consecrationem et Roma reditum positos, inque cura episcopali collocatos. Nam si ab Hugonis consecratione Romana censeas annos, jam tres expleti erant, et quartus fluebat, cum Bruno ad ipsum venit, scilicet, ut di-

www.libtool.com.cn

xerat Guigo, « Duobus post consecrationem exple- « tis annis, » Hugo fuit in monasterio Casæ-Dei novitius per annum unum. » Talis est, quam recitatis a se Guigonis verbis Columbius affingit, interpretatio ; verum violenta omnino est atque coacta.

453. Præterquam enim quod hæc verba « Post monasterii reditum» a Guigone, qui tamen ataxiæ in scribendo temere insimulandus non est, loco non suo posita esse, adstruat, a Columbio, ut, quæ supra recitavit, Guigonis verba, stante etiam, quæ S. Brunonis in Carthusiam secesssum anno 1084 affigit, opinione, vera esse intelligantur, studiose nimium videtur quæsita, estque, ut reliquos, quibus laborat, defectus omittam, a quacumque usitata annos, quos episcopi in episcopatu exegerint, computandi ratione prorsus aliena. Id sic ostendo : Sanctum nostrum ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum, cum hic tres necdum annos in episcopatu implevisset, venisse, Guigo, ut Columbius vult, verbis supra recitatis tradit ; quæ ita idem Columbius interpretari debet, ut per » annos illos tres in episcopatu» necdum impletos intelligantur anni, a sancto illo antistite, cum anno 1080 ineunte Romæ episcopus consecratus fuisset, Gratianopoli ab eodem anno 1080 ultra mensem Junium jam provecto usque ad anni 1084 Junium, quo ad eum S. Bruno ex dicendis venit, in episcopali curo exacti ; cum autem a priori e duobus hisce chronicis terminis usque ad posteriorem anni necdum impleti, non tantum tres, sed quatuor excurrerint, ex hisce annum unum, quem Hugo interea in Casæ-Dei monasterio, in Arvernia sito, novitius absque cura episcopali exegit, subducat, necesse est, ut ita « tres illos annos in episcopatu, » seu, ut exponit, » episcopali cura necdum impletos, » post quos ad sanctum illum præsulem Bruno venerit, obtineat.

454. Verum, etsi quidem anni, quos episcopi in episcopatu exegerint, non solum a tempore, quo vel electi vel consecrati fuerunt, sed etiam ab eo, quo jam consecrati episcopatus possessionem adierunt, computari subinde soleant, nuspiam tamen id ita factum invenio, ut anni, quibus episcopi, a grege suo absentes, curam ejusdem haud gessere, ex annis, in episcopatu exactis, quo accuratus horum numerus habeatur, subducantur; quod cum ex dictis in interpretatione, Guigonis verbis a Columbio afficta, fieri debeat, apta sane hæc haud apparet. Nec ad eam, quantum opinor, quo opinionem, Sancti nostri in Carthusiam recessum anno 1084 illigantem tueretur, recursurus fuisset ipsemet Columbius, si omnia et singula verba, quibus tempus, a S. Hugone post episcopalem ordinationem, antequam Casæ-Dei monasterium peteret, exactum a Guigone tum apud Surium, tum apud nos tom. I Aprilis pag. 40 definitur, præ oculis habuisset. Etenim is S. Hugonis biographus ibidem non dicit, «Hugo duobus, sed Hugo NECDUM duobus post consecrationem expletis annis... Casæ-Dei ordinis Cluniacensis factus est monachus, » ut vel Columbius Guigonis textu, quem supra transcribit, voculam « necdum » per errorem omiserit, vel textum, e quo hæc ab altero fuisset erasa, sibi prælucentem habuerit, hincque sit factum, ut quo Sanctum anno 1084 in Carthusiæ eremum secessisse tueretur, sinistre interpretari coactus fuerit Guigonis verba, quæ alias aptissime ad Guigonis mentem ita possunt exponi, ut et Guigo vera scripsisse intelligatur, et opinioni, quæ S. Brunonis in Carthusiæ eremum secessum anno 1084 innectit, minime officiatur, uti ostendam, dum Pagium in criticis tantisper convenero.

455. Hic scriptor, qui contra Baronium Brunonis in eremum secessum seu ordinis Carthusiensis fundationem anno 1084 pariter illigat, ad annum 1086 num. 7 sic scribit : « Baronius ideo sanctissimi ordinis (Carthusiensis nimirum) fundationem in hunc annum dictulit, quia Guigo scriptor Actorum Vitæ S. Hugonis, cui necessitudine conjunctissimus fuit, ita loquiter : «Hugo duobus post consecrationem expletis « annis, contemptis omnibus, Casæ-Dei ordinis Clu- « niacensis factus est monachus. Ibi novitius annum « vixit. Post hoc» (seu post hunc novitiatus annum, atque adeo tertium a sua ordinatione)« cogente Gregorio « septimo, e monasterio, quo fervens intrave- « rat, ferventior est reversus... Et ecce tribus necdum « in episcopatu post monasterii reditum completis « annis, adest magister Bruno.» Quæ verba Baronius sic interpretatur, ut Hugo primum annos duos solidos post consecrationem Romæ, ubi ea facta, exegerit, et in Casæ-Dei monasterio tertium; deinde a Casa-Dei Gratianopolim reversus, alios fere tres in episcopatu posuerit ante adventum Brunonis, et sexto anno a sua ordinatione, currenti nempe, cum sociis Carthusiam petierit. Ita quidem prima fronte locus ille explicandus videtur, sed charta fundationis Carthusiæ, quam Baronius non viderat, huic interpretationi adversatur, demonstratque ita intelligendum, ut « Bruno post monasterii reditum,» id est, statim vel paulo post ad Hugonem venerit, qui eo tempore necdum tres in episcopatu compleverat annos. Nec refert, quod Guigo dicat, Hugonem « duobus post consecrationem expletis annis» monachum induisse. Nam in Dissertatione Hypatica, quemadmodum et in hac Critica variis passim testimoniis ostendi, scriptores his loquendi formulis « tribus annis elapsis » vel « triennio transacto» similibusve sæpe intelligere annos tres utrinque incompletos, et biennium sumere pro unico anno, si res nempe in fine unius incepta et initio sequentis absoluta fuerit. »

456. Ita hactenus Pagius, qui, quamquam pleraque sua e Columbio, uti hujus illiusque verba conferenti patescet, mutuatus hic sit, ab eo tamen nominando abstinendum duxit. Feceritne id pro more suo, quo auctores fere dumtaxat, dum eos refutat, nominare solet, an quod aliquantulum etiam a Columbio dissentiat, compertum haud habeo. Verum ut ut sit, re equidem vero a Columbio

www.libtool.com.cn

nonnihil discrepat. Etsi enim Guigonem tempus, quo sanctus noster ad S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum accesserit atque in Carthusiam sese receperit, iisdem plane verbis, quibus supra Columbius, definientem inducat, non tamen, quo id non serius quam anno a consecratione episcopali Hugonis quarto factum probet, sequentia hæc Guigonis verba, « Et acce, tribus necdum in episcopatu post monasterii reditum completis annis, adest magister Bruno, » de annis tribus, ab Hugone in episcopali cura, cum ad eum S. Bruno accessit, nondum exactis cum Columbio interpretatur; Verum hæc alia Guigonis verba : « Hugo duobus post consecrationem (episcopalem scilicet, Romæ anno 1080 acceptam) expletis annis, contemptis omnibus, Casæ-Dei ordinis Cluniacensis factus est monachus, » ita exponi posse putat, ut significent, Hugonem, parte anni 1080, quo consecratus fuit episcopus, alteraque anni sequentis post consecrationem illam elapsa, seu anno dumtaxat post hanc uno factum esse in Casæ-Dei monasterio monachum. Hæc ei sedet opinio, quod, quemadmodum ait, non raro fiat ut scriptores per «biennium expletum,» aut etiam per duos annos transactos similesve locutiones annum dumtaxat significent, qui initium et finem cum duobus diversis Christi annis habet conjunctum.

457. Verum, etsi id Pagio tantisper dederimus, locum tamen habere non potest, quando actores ipsimet suo scribendi modo indicant, accipiantne pro completis, an pro incompletis annos aliaque temporis spatia seu intervalla, de quibus sermonem instituunt. Id autem in textu, voces hasce « duobus expletis annis » complectente, Guigo facere, si eum Columbius et Pagius recte recenserent, esset existimandus, ac proin dictas voces pro duobus Christi annis incompletis seu pro anno uno integro, qui initium et finem cum duobus diversis Christi annis habeat conjunctum, non accipere. Etenim in eodem illo apud Columbium et Pagium textu agens de annis tribus quos S. Hugo, antequam ad eum Sanctus noster accederet, « in episcopatu post monasterii reditum » exegerit, fuisse illos incompletos, adjecta vocula *necdum* significat : «Ecce, inquit, tribus NECDUM in episcopatu post monasterii reditum completis annis, adest magister Bruno. » Quam ob rem si in eodem textu per hasce voces «duobus expletis annis,» post quos, a consecratione Romana elapsos, Hugonem Casæ-Dei monachum factum scribit, annos duntaxat incompletos seu annum unum aut paulo amplius temporis spatium, initium et finem cum duobus diversis Christi annis habens conjunctum, significare voluisset, id pariter haud dubie vocula *necdum* aut simili adjecta indicasset ; quod cum in textu illo apud Columbium et Pagium non faciat, perperam binos dictos annos de annis incompletis seu de anno, qui initium et finem cum duobus diversis Christiannis, id est, cum anno 1080 et sequenti habuerit conjunctum, Pagius interpretatur. Quod si interim res secus haberet, ac proin, admisso etiam pro genuino, prout a Columbio et Pagio recensetur, Guigonis textu, Hugonem anno 1081 Casæ-Dei monasterium petiisse, posset admitti, textus ille, etiam sic acceptus, cum opinione, quæ Sancti nostri in Carthusiæ eremum secessum anno Christi 1804 innectit, apprime congrueret, Res ex jam nunc de textu genuino, quo, quandonam S. Bruno ad S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum accesserit, Guigo exponit, dicendis patescet.

458. Textus ille apud nos, tom. I, Aprilis pag. 40 ita habat : «Hugo... necdum duobus post consecrationem expletis annis, contemptis omnibus, Casæ-Dei ordinis Cluniacensis factus est monachus, ubi... novitius... annum fecit... Post hoc, cogente... Gregorio septimo, ad episcopatum e monasterio, quo fervens intraverat, ferventior est reversus... et ecce, tribus necdum in episcopatu post monasterii reditum completis annis, adest magister Bruno. » Cum tam anni duo, quos S. Hugo, antequam in Casæ-Dei monasterio monachum indueret, ab accepta consecratione episcopali exegit, quam anni tres, quos idem sanctus antistes, e Casæ-Dei monasterio jam reversus, in epsicopatu ante S. Brunonis adventum vixit, pro annis incompletis, seu priores quidem non pro integro biennio, posteriores vero non pro integro triennio accipiantur, totus Guigonis textu cum opinione, quæ Sancti nostri ad Hugonem accessum anno 1084 illigat, nullo potest negotio conciliari; imo vero etiam potest exponi, qui S. Hugo, cum e Casæ-Dei monasterio rediisset, tres in episcopatu annos necdum completos, seu duos amplius annos ante S. Brunonis ad Hugonem adventum exegerit, hicque nihilominus anno 1084 contigerit. Ut rem ordinate dilucideque exponam, dispiciendum primum est, quandonam S. Hugo Romæ fuerit consecratus episcopus. Guigo apud nos tom. I Aprilis in S. Hugonis Gratianopolitani episcopi Vita, pag. 37, num. 5, sic scribit : «Aliquanto dehinc exacto temporis spatio, idem legatus apud Avenionem non ignobilem Provinciæ civitatem grande celebravit ignobilem Provinciæ civitatem grande celebravit concilium, in quo multa ad Dei honorem et Ecclesiæ utilitatem præconio digna patravit.

459. «Ad hoc concilium episcopo carentes et episcopum quærentes Gratianopolitani venere canonici, compertoque, præfatum juvenem conventui præesse præsenti, petierunt suppliciter, suffragante concilio, ab ejus venerabili patrono, cui gratæ officium societatis exibebat, ut hunc sibi sine dilatione daret episcopum. Quibus ille protinus gratulabundus assensit, tum dilecti comitis gaudens honoribus, tum ecclesiæ favens profectibus, cujus etiam sacris officiis futurum non dubitabat opportunum.» Ita ille, nonnullis deinde interpositis, etiam docens, S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum absoluto Avenionensi concilio, cum Hugone Diensi, sedis apostolicæ legato, Romam ut ibidem a summo pontifice consecraretur episcopatus, esse profectum. Idem etiam memoriæ prodit apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ librorum mss. Hugo Flaviniacen-

www.libtool.com.cn

sis, de Hugone Diensi, sedis apostolicæ legato, sic scribens: « Celebravit et septimum apud Avenionem concilium, in quo depositus est Achardus Aretatensis invasor, et electus est Gibilinus in Arelatensem archiepiscopum... Hugo in Gratianopolitanum episcopum... quos post expletionem concili secum Romam duxit, et consecrati sunt a papa, qui concilium Romæ indixerat. » Hugo ergo Gratianopolitanus in Avenionensi concilio ecclesiæ Gratianopolitanæ in episcopum postulatus datusque fuit, ac deinde, absoluto concilio Romam, ut ibidem, quod et factum, a summo pontifice episcopus ordinaretur, cum Hugone, sedis apostolicæ legato, est profectus.

460. Verum quo fuit tempore concilium illud celebratum? Cum a tempore, quo factum id sit, definitio temporis, hic ex dictis indagandi, quo Hugo consecratus fuerit Romæ episcopus, utcumque dependeat, conciliique illius celebrationem alii quidem anno 1078, alii vero, idque communius, anno 1080 affigant; lubet hac occasione, ut tandem, quo hæc anno contigerit, pro certo sciatur, operosius nonnihil in hunc inquirere. Ac primo quidem concilium illud anno 1078 celebratum non fuisse, liquet ex epistola, anno 1079, Kalendis Martiis conscripta, qua Gregorius VII papa clerum et populum Arelatensem (adi Labbeum tom. X Conciliorum col. 213) admonuit ut archiepiscopum sibi eligerent, qui in Avenionensi, in cujus hic epocham inquirimus, concilio designatus fuit, uti e proxime recitatis Hugonis Flaviniacensis verbis intelligitur. Quod jam ad annum, cui alii concilium illud illigant, 1080 pertinet, tractatus a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor hujus lucubrationis suæ num. 17 de dicto concilio Hugoneque in hoc electo Gratianopolitano episcopo ita scribit: « Præfatum Avenionense concilium et Hugonis electio in annum 1080 a Baronio et aliis rejiciuntur; sed ad præcedentem esse revocanda, facile est probatu. Scribit enim (in Vita scilicet S. Hugonis Gratianopolitani) noster Guigo, cujus etiam auctoritate usus est Baronius, S. Hugonem e vita decessisse prima Aprilis anno 1132, ætatis suæ ad minus octogesimo mense quarto, id est, septuagesimo nono et quatuor mensibus.

461. « Unde recte colligimus, eum natum fuisse anno 1052 circa novembrem, ac poinde eodem tantum mense anni 1079 vigesimum septimum ætatis annum explevisse; cum vero ab eodem auctore dicatur fuisse annorum fere viginti septem, quando a Gratianopolitano clero in pastorem postulatus est in Avenionensi consilio: hinc videtur necessario conficiendum, istud concilium eodem anno ante Novembrem coactum fuisse; quod etiam ex Gregorii VII epistola, Laterani quarto Kal, Julias, indictione secunda data conjicere licet, qua summus pontifex quemdam Bosonem admonet, quod si aliquid justitiæ in ecclesia (de qua scilicet agebatur) se habere confidit, ante legatum, Diensem episcopum, in concilio, quod proxime celebraturus est, se præsentare debeat. » Nec certe Gregorius loquitur de consilio Lugdunensi, quod tantum mense Januario anni sequentis habendum esse testatur in alia ad Manassem, archiepiscopum Remensem, epistola. Præterea, juxta eumdem Guigonem, Hugo Romam cum Hugone legato postea profectus est, ut a sedis apostolicæ summo consecraretur antistite. Idem refert Hugo Flaviniacensis de eodem legato agens. » Celebravit, inquit, et septimum apud Avenionem » concilium, in quo depositus est Achardus Are- » latensis invasor, et electus est Gibilinus in Arela- » tensem archiepiscopum... Hugo in Gratianopo- » litanum episcopum... quos post expletionem con- » cilii secum Romam duxit, et consecrati sunt a » papa, » qui concilium Romæ indixerat anno 1080 in quadragesima, cujus prima Dominica Kalendis Martiis occurrit; cui quidem concilio Hugonem legatum et consequenter Hugonem nostrum adfuisse, ex Gregorii Epistolis discimus.

462. « Ex his iterum patet, Hugonis ad episcopatum electionem, quam Baronis a consecratione non discernit, sicut et synodi Avenionensis celebrationem referendas esse ad præfatum annum 1079; consecrationem vero ad sequentem; quod etiam absolute conficiendum est ex verbis Guigonis, addendis, eum obisse « Anno consecrationis ad minus « quinquagesimo secundo, » quem ex juxta supputatione, ab anno 1080 deducta, invenimus jam expletum fuisse mense Martio 1132, quo, ut diximus, prima Aprilis defunctus est. » Ita ille, e Vita præcipue S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, per Guigonem, scriptorem æqualem fideque dignissimum, litteris mandata, contendens, et concilium Avenionense anno 1079 celebratum fuisse, et S. Hugonem, qui in hoc fuit Gratianopolitanis postulatus datusque in episcopum, anno 1080 Romæ consecratum fuisse. Et sane concilium illud anno, quem assignat, celebratum fuisse, spectatis, e quibus id probatum dare nititur, præfatæ S. Hugonis Vitæ verbis, indubitatum apparet. Etenim, ut Guigo ait, S. Hugo « obiit anno... ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo secundo, ætatis... suæ ad minus octogesimo, mense quarto... Kalendis Aprilis; » quod perinde est, ac si diceret, Hugo obiit anno 1132, vel cum jam octogesimum ætatis suæ annum ageret, vel etiam cum octogenario esset major; verum si octogenario major obiit, consequens est, ut ante annum 1052 natus sit, ac proin, ut concilium Avenionense, cui, teste Guigone, annis ferme viginti septem natus interfuit, ante annum 1079 celebratum fuerit; quod cum ex dictis admitti non possit, anno ætatis suæ octogesimo, mense quarto obiisse est dicendus, ac proin concilium Avenionense, cui ex dictis viginti septem ferme annis natus interfuit, anno 1079 fuisse celebratum.

463, Verum Hugo Flaviniacensis, auctor pariter æqualis, calculo huic per verba, proxime recitatis

www.libtool.com.cn

auctoris, qui Tractatum de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicatum contexuit, verbis inclusa, adversari videtur. Hæc enim ille Chronici Virdunensis scriptor sex diversorum, quæ Hugo Diensis, sedis apostolicæ legatus, in Galiis celebrarat, conciliorum recensioni proxime subjungit, sicque Avenionense sex hisce, quorum tamen unum, Lugdunense nempe, ante annum 1080 ex communi eruditorum omnium opinione celebratum non fuit exstitisse posterius, ac proin etiam ante eumdem annum 1080 celebratum non fuisse, indicare videtur. Ita contra calculum, quo concilii Avenionensis celebratio cum anno 1079 componitur, potest argui. Verum cum Hugo Flaviniacensis (Adi Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. X, pag. 79 et seqq.) in factis tam undecimi, quo floruit, quam anteriorum sæculorum recensendis ordinem non semper, quo quæque gesta sunt, observet, fieri potest ut hunc nec in Avenionensi, sexque aliis conciliis quæ Avenionense fuerint prægressa, recendis observarit. Nec est, quod reponas, a scriptore illo, postquam de sex aliis conciliis sermonem fecit, Avenionense *septimum* diserte vocari; fieri enim potest, ut ita, non ordinem, quo tunc hoc, tum sex alia celebrata fuissent, sed illum unice, quem ipsemet in iis commemorandis servat, spectarit. Ad hæc Hugo Flaviniacensis (Adi iterum Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. proxime cit.) in narrandis etiam iis, quæ ætate sua gesta sunt, subinde et a vera chronologia et a veritate historica aberrat, hocque nævo laborare Guigo non deprehenditur, ut proinde, etsi etiam ab Hugone Avenionense, in cujus hic epocham inquirimus, concilium anno 1080 disertis verbis affigeretur, credendum tamen potius adhuc foret, celebratum id fuisse, non tunc primum, sed anno proxime prægresso, id est, anno 1079, uti e suppeditatis a Guigone characteribus chronicis a Tractatus, quem Carthusiani hujates mecum communicavere, auctore anonymo verbis supra recitatis eruitur.

464. Necque hic cum Mabillonio Præfatione in Seculi VI Benedictini parte II, num. 86 pro Hugone Flaviniacensi, seu potius pro tempore, quo ex hoc scriptore, concilium Avenionense celebratum, a nonnullis colligitur, in medium adducas epistolam, a Gregorio VII, summo Pontifice ad clerum et populum Arelatensem, qua hic, ut archiepiscopum sibi eligeret, fuit admonitus, Kalendis Martiis anno 1079 conscriptam atque a Labbeo tom. X Conciliorum col. 213 insertam. Licet enim hac clerum et populum Arelatensem, ut archiepiscopum sibi eligant; summus pontifex admoneat, fueritque huic pontificio monito in concilio Avenionensi obtemperatum, inde tamen minime consequitur, ut id non prius quam anno 1080 fuerit celebratum, Quid ni enim post Kalendas Martias ejusdem anni 1079, quo proxime dictam epistolam Gregorius scripsit, celebrari potuerit? Sane, quo minus id tunc factum credatur, nimis augustum haud est tempus ela-

A psum a Kalendis Martiis anni 1079 usque ad anni proxime sequentis initium, Mabilloniusque anno 1080, cui illud concilium loco proxime cit. primum lligarat, annum 1079 substituendum, in Annalibus lib. 66, num. 34 non obscure innuit. Porro pro anno 1079, cui Tractatus de S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communicati, auctor præmemoratum Avenionense concilium innectit, utcumque etiam militat epistola, quam hic verbis supra recitatis laudat, ab eodem summo pontifice ad Bosonem quemdam quarto Kalendas Julias anno 1079 conscripta. In hac enim pontifex concilii ab Hugone Diensi, legato suo, proxime celebrandi meminit; ita autem, quod proinde ipso anno 1079 celebratum fuerit, concilium Avenio-
B nense idcirco designare videtur, quod duo proxime post Kalendas Julias anni 1079 celebrata concilia sint Avenionense et Lugdunense hocque postremum ante annum 1080 certe locum non habuerit.

465. Consideratis itaque omnibus, dubitandum non apparet quin Avenionense concilium, in quo S. Hugo Gratianopolitanis postulatus datusque fuit episcopus anno 1079 fuerit celebratum, idque ante hujus mensem Novembrem, uti etiam ex Guigone supra docet laudatus Tractatus de S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communicati, auctor, licet interim, quam concilio isti præstituit, epocham minime confirment, quæ ibidem etiam addit de S. Hugonis gone, sedis apostolicæ legato, itinere, post Ave-
C nionense concilium Romam versus suscepto, ejusdemque ibidem tum ordinatione episcopali, tum præsentia in concilio, anno 1080 in Quadragesima celebrato. Etenim Hugo legatus, non anno 1079, sed sequenti tantum Romam, ut concilio ibidem celebrando præsens adesset, profectus est. Liquet id ex concilio Lugdunensi, quod, antequam id faceret, celebravit, quodque postquam anno 1080 (adi quæ num. 147 dicta sunt) post tertiam Jannuarii diem celebrarat, celebrare aliud Avenione, antequam Romam se conferret, potuisset. Quod modo ad S. Hugonis ordinationem episcopalem, præsentiamque in concilio, Romæ celebrato, pertinet, fuit hoc, ipsomet laudato Tractatus de S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communi-
D cati, auctore (adi num. 461) docente, in quadragesima, cujus Dominica prima in Kalendas Martii incidit, anno 1080 celebratum, ut hoc ipso anno 1080 jam inchoato Hugo legatus et concilium Avenione celebrare, et hoc facto, Romam, ut concilio, ibidem in Quadragesima celebrando, interesset, pervenire potuerit, ac proin ut, quamvis ex dictis concilium Avenionense anno 1079 celebratum fuerit, id tamen tunc factum, ex asserta S. Hugonis, episcopi Gratianopolitani jam electi, in concilio Romano præsentia argui non possit.

466. Nec id tunc factum, ærgui etiam potest ex ordinatione episcopali, quam S. Hugo anno 1080 Romæ a summo pontifice accepit. Etenim nihil omnino cogit hoc illam anno tam parum provecto

www.libtool.com.cn

statuere, ut Romæ ad eamdem suscipiendam esse nequierit, nisi jam inde ab anno 1079 Avenione, eo se collaturus, iter fuisset aggressus. Et vero S. Hugonem ante annum 1080 Romam versus non perrexisse, indubitatum est, quod itineri illi sese dederit cum Hugone sedis apostolicæ legato, hicque illud non ante annum 1080, imo vero non ante hujus mensem Februarium susceperit; quod sic ostendo: Gregorius VII, summus pontifex, Manassen, Remensem simoniacum archiepiscopum, epistola «Tertio nonas Januarii, Indictione secunda,» id est ex dictis num. 147, anno 1080 (adi Labbeum tom X conciliorum col. 223) signata, admonuit, ut concilio, Lugduni ab Hugone sedis apostolicæ legato celebrando, præsentem se sisteret; dubitandum autem non apparet, quin inter epistolæ hujus scriptionem conciliique Lugdunensis celebrationem tantum temporis spatium intercesserit, ut eo et dicta epistola ad Manassem perferri et hic, illa accepta, Lugdunum ad concilium pervenire potuerit. Jam vero, cum ad hoc non minus quam quatuor aut quinque hebdomadarum spatium necessarium fuisse videatur, consequens est, ut Lugdunense concilium ante anni 1080 Februarium celebratum non fuerit, ac proin ut et S. Hugo et Hugo legatus, utpote ex dictis Romam demum, concilio Lugdunensi jam celebrato profecti iter illud ante idem tempus non susceperint.

467. Quod cum ita sit, S. Hugo sane ordinationem episcopalem Romæ anno 1080 tam parum provecto non acceperit, ut ibidem tunc esse nequierit, nisi jam inde ab anno 1079 Avenione versus civitatem illam itineri sese dedisset. Atque hæc de tempore, quo concilium Avenionense celebratum fuerit, argumentisque, quibus id seu probetur seu non probetur, anno 1079 celebratum fuisse, dicta sufficiant. Verum quandonam post id jam celebratum S. Hugo Romæ ordinatus fuit episcopus? Cum ex dictis Romam cum Hugone legate profectus non sit, nisi jam Lugdunensi celebrato concilio, hocque itidem ex jam dictis ante anni 1080 Februarium celebratum non fuerit, Romam verosimillime ante mensem Martium anni 1080 non pervenerit, ac proin nec ante hoc tempus ibidem a summo pontifice fuerit consecratus episcopus. Verum nonne aliquanto etiam temporis spatio serius id evenit? Cum S. Hugo, uti apud nos tom. I Aprilis pag. 46 in ejus Vita num. 33 Guigo testatur, « anno... ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo secundo..., consecrationis... Ad minus quinquagesimo secundo, Kalendis Aprilis... migrarit ad Dominum,» sintque a prima die mensis Martii anni 1080 usque ad anni 1132 prima Aprilis diem, qua S. Hugo obiit, anni quinquaginta duo una cum aliquot dumtaxat hebdomadis elapsi, fuisse hunc non serius etiam, quam mense Martio anni 1080 a summo pontifice episcopum consecratum, verosimillimum, ne dicam indubitatum, apparet, ac proin cum nec ante eumdem dicti anni mensem consecrationem episcopalem Romæ a pontifice ex dictis acceperit, consectarium fit, ut id ipso illo anno et mense verosimilime acciderit.

468. Tempus itaque, quo S. Hugo Romæ fuerit consecratus episcopus, modo etiam habemus. Proximum nunc est, ut et ostendamus, qui in opinione, quæ S. Brunonis ad S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accessum ejusdemque in Carthusiæ eremum secessum anno 1084, ad Junium ex dicendis jam provecto, affligit, veritati possint intelligi consona ex Guigone num. 458 recitata verba, quibus hic fidei omnino probatæ scriptor, quandonam S. Bruno ad S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum accesserit, Carthusiæque eremum petierit, definit seu potius indicat. Cum ex dictis S. Hugo mense Martio anni 1080 Romæ fuerit consecratus episcopus, quid si anno 1081 ad mensem Maium aut Junium jam provecto, Casæ-Dei monasterium, uti reipsa fieri potuit, petierit, monachum, contemptis rebus omnibus, induerit, cumque novitium anno circiter, seu novem (neque enim annum integrum hic indicare Guigo videtur) decemve mensibus ibidem egisset, ad episcopatum, jubente summo pontifice, anno 1082 mense Martio circiter e dicto monasterio fuerit reversus? Ita sane a Guigone « necdum duobus post consecrationem expletis annis, » Casæ-Dei monachus factus esse, anno ibidem novitius vixisse, ac tandem Gratianopolim, «tribus necdum in episcopatu post monasterii reditum,» id est, a suo, e Casa Dei reditu, « Completis annis, » venienem S. Brunonem anno 1084 excepisse' absque ullo veritatis dispendio dici potuerit, uti unusquisque, quantum opinor, qui rem attente perpenderit, facile perspiciet, remque proinde modo jam assignato reipsa gestam esse, concipiatur, aut, si mavis admittatur, necesse est, ne alioquin, cum equidem S. Brunonis ad S. Hugonem accessum anno 1084 innectendum, aliunde constet, veritati dissona Guigo scripsisse sit credendus.

469. Ast, inquies, ita Hugo post consecrationem quidem anno duntaxat uno et duobus circiter mensibus in Casæ-Dei monasterio monachum induerit, post suum vero ex hoc reditum annis dumtaxat duobus totidemque circiter mensibus, antequam ad eum S. Bruno accessit, in episcopatu egerit videnturque e recitatis Guigonis verbis hæc quidem « Necdum duobus expletis annis » amplius aliquod temporis spatium, quam annis unius duorumque mensium, illa vero « Tribus necdum completis annis,» quam duorum annorum totidemque mensium significare. Fateor; res sane, si in sensu magis obvio accipiatur, ita omnino habet; vetum, si secundum strictam verborum significationem consideretur, non video, cur Guigo annum quidem unum mensesque duos per annos duos necdum expletos, annos vero duos totidemque circiter menses per annos tres, necdum completos, designatos velle non potuerit. Enimvoro, qui annum duntaxat unum mensesque duos biennium nondum integrum, item-

que qui annos dumtaxat duos totidemque menses, A triennium integrum nondum implevit; nec video, a veritate futurum devium, qui annum duntaxat unum mensesque duos biennii necdum completi nomine, itemque, qui duos tantum annos totidemque menses triennii necdum expleti appellatione designarit, Ut ut sit, prædicta equidem, de quibus hic, Guigonis verba modo jam assignato accipienda videntur, tum ne, quod absonum nec sat fundatum apparet, sequentia horum tria « post monasterii reditum » loco non suo posita cum Columbio dicere cogamur, tum ne pugnare idem Guigo, in quem falsitatis suspicio haud cadit, asserendus sit cum opinione quæ S. Brunonis ad S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accessum, secessumque in Carthusiæ eremum anno 1084 innectit, namque B omni dubio procul veritati esse apprime consonam, non pauca in medium modo adducenda suadent. A charta donationis Carthusiæ duco initium.

470. Hæc, quam integram infra ex apographo, a Michaele Morkensio ad Chronologico-diplomaticæ, quam de S. Brunone contexuit, Diatribæ calcem adjecto, editerus sum, sub finem sic habet : « Præfata quidem terra (Carthusiæ videlicet) his terminationibus (supra nimirum determinatis) conclusa, a magistro Brunone et ab his, qui cum eo erant, fratribus cœpit inhabitari et construi anno ab Incarnatione Domini 1084; episcopatus vero Domini Hugonis Gratianopolitani episcopi quarto, qui videlicet laudat et corroborat hoc donum, quod fece- C runt supra scriptæ personæ, cum omni conventu clericorum suorum et quantum ad se pertinet, quidquid sui juris esse videtur, omnino concedit. » Sanctum itaque anno 1084 Carthusiæ eremum esse ingressum, ex ipsa, qua fundata hæc fuit, charta habetur compertum; qui autem, uti in hac innuitur, quartus episcopatus S. Hugonis annus, qui ex dictis jam inde a mense Martio anni 1080 episcopus consecratus fuit, in cursu adhuc, cum Carthusiæ eremum Sanctus noster primum adiit habitareque anno 1084, ad Junium ex dicendis jam provecto, cœpit, esse potuerit, infra exponam, quando chartam illam integram, uti me facturum modo monui, huc transcribam. Sancti ad Hugonem Gratianopolitanum accessum atque in Carthusiæ eremum secessum D anno 1084, accidisse, modo hic ulterius probandum. Sanctus, uti infra docebo, ab Urbano II, summo pontifice, qui illius olim fuerat discipulus, e Carthusia Romam fuit evocatus, Carthusiæque eremum, quod, eo abeunte, Landuinus pariter aliique, quibuscum in sacram illam solitudinem sese abdiderat, discede ex hac vellent, Siguino, Casæ-Dei abbati resignavit, qui postea eamdem eidem Landuino aliisque Sancti discipulis, cum ad locum a se desertum, suadente Sancto, redirent, media charta publica restituit; hæc autem anno 1090 data notatur, ut hoc anno Landuinus aliique Sancti nostri discipuli, ad Carthusiam, quam, Brunone Romam abeunte, deseruerant. jam rediissent.

471. Jam vero cum in quatuor primorum Carthusiæ priorum Chronico, summæ utique (adi quæ de hoc § 1 dicta sunt) antiquitatis fideique monumento, Sanctus noster, antequam Romam pontificiæ voluntati obsecuturus peteret, Carthusiam sex annis rexisse dicatur, hique, si pro complétis sint habendi, ab anno 1090, usque ad Junium, quo ex dicendis in eremum illam primum sese abdidit, provecto, aut, si pro incompletis, quales ex dicendis vere fuerunt, debeant haberi, ab eodem anno 1090 nondum ad Junium, aut ab anno 1089, ultra Junium jam provecto, ordine retrogrado computati, deducant ad anno 1084, fit vel hinc, S. Brunonem hocce anno ad S. Hugonem venisse Carthusiamque adiisse, omnino indubitatum. Ad hæc in eodem illo Chronico seu potius in Sancti nostri, quod in illo continetur, elogio vitam hanc mortalem cum immortali Bruno commutasse traditur « post egressum Carthusiæ (videsis num. 7) undecimo plus minus anno; « quare cum Sanctus, ut jam dictum, Carthusiam, antequam ex hac a summo pontifice accersitus egrederetur, annis sex rexisset, consectasium fit, ut annus 1101, quo, uti inter omnes convenit, diem extremum clausit, septimus decimus fuerit ab ejus in illam ingressu, ac proin ut eamdem anno 1084 primum fuisset ingressus. Atque id tunc factum, etiam ex Guigonis, quinti Carthusiæ prioris, quod apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ librorum ms. pag. 639 et seq. ad primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronicon exstat adjectum, quodque ab auctore S. Brunoni aut aquali aut certe bubæquali, contextum videtur, elogio conficitur. Etenim in hoc Guido obiisse asseritur, « cum ab exordio Carthusiensis eremi annus quinquagesimus tertius ageretur ; » quare, cum Guigo, quemadmodum inter omnes convenit, anno 1137 diem extremum clauserit, computatique ab hoc anno ordine retrogrado anni quinquaginta et tres ad annum 1084 deducant, consequens est ut hoc anno Carthusiæ eremus initium acceperit, seu, quod eodem recidit, ut in hanc tunc primum Sanctus noster fuerit ingressus.

472. « Denique, » inquit Mabillonius, præfatione in sæculi sexti Benedictini part. II, num. 86) esse id tunc factum, etiam « probat sancti Brunonis epitaphium, e veteri codice descriptum in hæc verba :

Anno milleno, quarto quoque, si bene penses.
Ac octogeno sunt orti Carthusiensis.
His ortum tribuit excelsus Bruno magister, » etc.

Quantæ antiquitatis sit codex, e quo hosce versiculos deprompsit, Mabillonius nuspiam edicit, nec alibi id comperire quivi. In confirmationem adduci hic præterea posset Sigeberti Gemblacensis testimonium, et charta, mense Julio anni 1084 ab Hugone Gratianopolitano episcopo, ut Mabillonius loco proxime cit. memorat, in Carthusianorum favorem concessa; verum cum hæc ad manum non sit, verbaque, quæ de S. Brunone Pistorii editio Sigeberto attribuit, suppositita ex dictis num. 298 sint, nec, quæ in editione Miræi occurrunt, characteribus iis-

www.AGROSI.COM.CH

dem, quibus, quæ certe Sigeberti sunt, expriman- A tur, faciendum id non duxi; neque vero ullatenus fuit necesse, cum ex aliis, quæ in medium jam adduxi, certum omnino atque extra omnem controversiam positum videatur, Sanctum nostrum anno 1084 ad Hugonem Gratianopolitanum accessisse, Carthusiæque eremum fuisse ingressum.

473. Quod cum ita sit, Guigonis verba, e quibus id anno 1086 factum Baronius aliique existimavere, eo modo, quem supra exposui, omni dubio procul sunt intelligenda, cum præterea Sancti in Carthusiam secessus mense Junio acciderit, uti jam nunc ostendo. Quatuor primorum Carthusiæ priorum chronologus, qui quam fidem mereatur, § 1 exposui, apud Labbeum tom. 1 Bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 639 in Joannis Tusci, quarti Carthusiæ B prioris, elogio ita prodit memoriæ: « Colligitur ita a primo magistri Brunonis anno usque ad hujus (Joannis Tusci nempe) ultimum anni viginti quinque, qui ante obitum ejus, qui est Nonas Octobris, circa nativitatem B. Joanni Baptistæ complentur. Tali quippe tempore a magistro Brunone præfata cœpit eremus habitari. » Sanctus ergo, uti ex his verbis liquet, in Carthusiæ eremum primum sese circa lucem S. Joanni Baptistæ sacram, recepit. Quare, cum sancti Præcursoris Domini festum in vigesimam quartam Junii diem quotannis incidat, nec Sanctus noster ejusque socii, postquam Gratianopolim advenissent, diu apud Sanctum civitatis hujus antistitem, antequam Carthusiam adirent, commorati fuisse videantur, dubitandum non videtur, quin eodem mense Junio, in quem festiva Præcursoris Domini lux incidit, et ad S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accesserint, et, hoc comitame necessariaque fini quem intendebant, subministrante, Carthusiæ eremum adierint novique in ea ordinis, qui a loco illo, in quo initium accepit. Carthusiensis appellatur, fundamenta posuerint. Atque ita modo anno, mense ac ipso etiam promemodum die, quo res, memoratu sane dignissima, acciderit, determinato, proximum est, ut quid deinde Bruno sociique ejus, locum eremiticæ vitæ aptissimum pro voto suo jam nacti, egerint, vitæque rationem, quam ibidem inierint, examinemus.

§ XXVII. *Quid Sanctus ejusque socii, Carthusiam jam ingressi, premum egerint, et quem videndi modum tenuerint.* D

474. De S. Brunone ejusque sex sociis, Carthusiam comitante S. Hugone, Gratianopolitano episcopo, jam ingressis, Blomenvenna in sancti illius ordinis sui Patriarchæ Vita sic scribit: « Ibidem (in Carthusiæ eremo) in parte superiori montis, loco qui nunc dicitur ad beatam Mariam de Casalibus, ædificare cœperunt ecclesiam, nec non et parvas cellulas, juxta fontem quemdam, qui usque in hodiernum diem vocatur fons Sancti Brunonis, haud procul ab ea distantes, a se invicem distinctas et aliquantulum separatas, ne alter alterius solitudinem impediret. In his et bini per singulas habitantes cellulas, more antiquorum Ægyptiorum monachorum silentio, lectioni, orationi, puritati cordis contemplationique studebant, ac deinde etiam operi manuum, maxime in conscribendis libris, insistebant » Ita laudatus Sancti nostri biographus, a quo Puteanus in contexta a se S. Brunonis Vita haud multum abludit. Et sane verissima esse, quæ verbis hisce memorat Blomenvenna, argumento esse possunt, quæ Guibertus de Novigento lib. I de Vita sua cap. 11; Petrus Venerabilis lib. II De miraculis, cap. 28, et Guigo, quintus Carthusiæ prior, in Vita S. Hugonis Gratianopolitani episcopi, num. 12 memoriæ produnt vel de S. Brunone ejusque sociis in Carthusia jam degentibus vel de Carthusianorum institutis. Singulorum verba, quæ huc potissimum fa- B cere possunt, lubet transcribere. Ab iis quæ Guigo suppeditat, duco initium.

475. Loco itaque jam cit. de S. Hugone, in Carthusiæ eremo cum Sancto nostro ejusque sociis commorante, sic habet: « Licet vero et prius (cum scilicet nondum Carthusiam cum Brunone adiisset) divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad disciplinæ cœlestis exercitia eorum (S. Brunonis ejusque sociorum) exemplis et familiaritate inferbuit, quam si flammanti qui faci plures circumponat alias ardentes. Erat cum eis non ut dominus aut episcopus, sed ut socius et frater humillimus, et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus, adeo ut vir venerabilis Guilhelmus, prior tunc S. Laurentii, postea S. Theo- C fredi abbas, magistro Brunoni etiam ipse religiosa devotione non mediocriter alligatus, B. Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas) apud magistrum Brunonem non leviter conquereretur, quod pene omnia, ad humilitatem spectantia, intra cellam sibi prærideret officia, et episcopus non secum saltem ut socius, sed potius conversaretur ut famulus : non licere sibi, tristis asserens, ex survilibus operibus quidquam attingere, quæ juxta morem debebant per vices efficere, eo sibi cuncta præripiente. » Hæc Guigo; ex quibus compertum habetur, primo quidem cellulas a S. Brunone ejusque sociis, Carthusiæ eremum primum ingressis, fuisse exstructas; secundo non singulos in singulis cellis monachos, ut postea factum esse, quæ de Carthusianorum institutis a Guiberto et Petro Venerabili locis supra citt. traduntur, manifestum efficiunt, sed in una eademque cella binos et binos, ut Blomenvenna verbis proxime recitatis docet, tunc fuisse commoratos; tertio duos quosque, qui eamdem cellam incolerent, alternis vicibus ministeria domestica debuisse obire. Accipe modo, quæ huc spectant, Guiberti verba:

476. « Ecclesia, inquit loco cit., ibi (in Carthusiæ eremo) est non longe a crepidine montis, paulo sinuatum devexum habens, in qua tredecim sunt monachi; claustrum quidem satis idoneum pro cœnobiali consuetudine habentes, sed non claustraliter, ut cæteri cohabitantes. Habent quippe singuli cel-

lulas per gyrum claustri proprias, in quibus operantur, dormiunt ac vescuntur.» Ita ille, qui cum anno, ut num. 170 docui, 1124 circiter e vivis abierit, ecclesiæque, quam ætate sua in montis crepidine exstructam Carthusiæ eremus fuit complexa, mentionem faciat, ecclesiam, a Blomenvenna memoratam, utpote ab hac verosimillime non diversam, a Sancto nostro ejusque sociis, jam tum cum Carthusiam primum essent ingressi, fuisse exstructam, verosimillimum, ne dicam indubium, apparet. Et vero quin Sanctus ejusque socii id tunc fecerint, dubitare non sinit eximius plone eorum in Deum amor, quo verosimillime factum fuerit, ut Carthusiam jam ingressi nihil habuerint antiquius, quam sacratam unice cultui ejus domum seu ecclesiam aut saltem sacellum exstruere. Ad hæc, ut ad Petri Venerabilis verba, huc potissimum spectantia jam veniam sequentia hæc de Carthusianis, suo tempore seu sæculo duodecimo, quo, ad annum usque secundum supra vigesimum provecto, abbatis munere apud Cluniacenses fungi cœpit, Carthusiæ eremum incolentibus, lib. II De miraculis, cap. 28 suppeditat : «More antiquo Ægyptiorum monachorum singulares cellas (S. Bruno ejusquo socii, Carthusiam primum ingressi, bini et bini, ut jam dictum, per singulas cellas, quod forte hæ monachorum numerum non æquarent incoluere) perpetua inhabitabant ; ubi silentio, lectioni atque operi manuum, maxime in scribendis libris, irrequieti insistunt. In eisdem cellis debitum regularium horarum, hoc est, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Completorium signo Ecclesiæ commoniti Deo persolvunt. Ad Vesperas et Matutinas in ecclesia cuncti conveniunt. »

477. Cum ergo Petri Venerabilis ætate Carthusiensis eremi incolæ statis temporibus, uti ex his Petri verbis intelligitur, ad Matutinas et Vesperas convenire essent soliti, hique vitam suam ad normam quam S. Bruno ejusque socii moribus suis expresserant, omni dubio procul exegerint, ambigendum non est quin et Sanctus ejusque socii ad Matutinas et Vesperas convenire pariter voluerint; ut proinde, quo locum, in quo id facerent, haberent, qualemcumque saltem ecclesiam seu sacellum statim atque Carthusiæ eremum essent ingressi ædificari verosimillime, ne dicam indubie, curarint, sumptus liberalissime suppeditante S. Hugone, Gratianopolitano episcopo. Porro Massonus, supra non raro jam laudatur, in opere, quod ordinis Carthusiensis Annales inscripsit, lib. I, cap. 2, num. 10 ad quæstionem, qua, « qualiter... S. Bruno et socii ejus domicilium sibi constituere cœperint in ista (Carthusiæ) eremo, in proeminenti illo loco, ubi sacellum sancti Brunonis (adi num. 447) nunc visitur,» seipsum interrogat, sequentibus hisce, ut Sanctum ejusque socios, Carthusiæ eremum primum ingressos, monasterio seu cellulis, eclesiæque seu sacello ædificandis manum admovisse, confirmet, verbis respondet: «Traditione constat, eum (S. Brunonem videlicet) cellam illic habuisse, imo et sacellum vicinum, in quo missam celebrabat : altare enim istius sacelli huc usque immotum perseverasse creditur. Ibidem etiam tria aut quatuor magna fragmenta rupium, olim ab aliis rupibus soluta et decisa, cernuntur, a se invicem paululum separata, ad quorum pedes tuguria tunc illos fabricasse multi suspicati sunt; et quidem id quasi in transitu factum fuisse, probabile est.

478. «At statim illos cum S. Hugone, et sub ejus ope de parvo monasterio ibi construendo, et de locis regularibus erigendis tractasse, credendum est. Visio enim, quam viderat in somnis sanctus antistes, Christi sibi domum in ista eremo construentis, ad id impellebat.» Hæc Massonus, addens præterea, quo tunc a Brunone ejusque sociis tum ecclesiam, tum nominatim monasterium statim exstrui cœptum probet, tempore Guigonis jam plurima ædificia exstitisse exstructa, nec futurum id fuisse, ni Sanctus statim a suo in Carthusiam ingressu manum operi admoveri curasset. Verum cum a tempore quo Sanctus ejusque socii in Carthusiæ eremum primum sese abdidere, ad tempus usque quo Guigo Carthusiam gubernandam accepit, anni sex supra viginti, uti ipsemet loco cit. Massonus fatetur, excurrerint, non video qui ædificia, quæ Carthusia Guigonis ætate complectebatur, exstructa esse jam tum nequiissent, etiamsi Bruno ejusque socii iis construendis statim a suo in Carthusiam ingressu initium non dedissent. Ut ut sit, equidem tum jam supra dicta, tum, qua pressi indubie fuerunt Bruno ejusque socii, sese adversus aeris injurias tutandi necessitas dubitare non sinit, quin statim a suo in Carthusiam ingressu cellulas qualescunque, quæ omnes simul quamdam monasterii speciem præferrent, ædificarint. Ait quidem in Stylita mystico puncta 2, num. 3. Raynaudus, tunc ipsos in rupium cavitatibus sedes fixisse ; usosque tuguriis, opere tumultuario exstructis, alii asseverant; verum id, ut ut ita forsan initio habuerit, diu tamen non durasse, cellasque interea ac ecclesiam a Brunone ejusque sociis ædificatas fuisse, vel sola fidem facit fundationis Carthusiæ charta infra recitanda, in qua præter alia hæc luguntur : « Præfata... (Carthusiæ) terra, his terminationibus conclusa, a magistro Brunone et ab his, qui cum eo erant, fratribus cepit inhabitari et construi anno ab Incarnatione Domini 1084. »

479. Porro ecclesiam ac cellulas juxta fontem, qui hodieque Fons S. Brunonis dicitur, fuisse tunc a S. Brunone ejusque sociis exstructas, Blomenvenna recitatis num. 474 verbis affirmat. Atque hoc quidem certum apparet, nec, quin qualiacunque illa ædificia « Ad honorem Dei et beatæ semper Virginis Mariæ et beati Joannis Baptistæ » fuerint exstructa, dubitandum est, cum ita in Guigonis, testis omni exceptione majoris, consuetudinibus cap. 23 diserte asseratur. Verum sunt, qui fontem illum miraculo excitatum fuisse scribunt ; ac alii quidem, quorum Raynaudus in Stylita mystico puncto 2, num. 3 meminit, id meritis S. Brunonis, alii contra hosque

www.libtool.com.cn

inter Dorlandus Chronici Carthusiensis lib. II, cap. 8, precibus S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, attribuunt. Zacharias Benedictus, fontem illum precibus et S. Brunonis et aliorum omnium, qui cum eo in Carthusia, dum primum in hanc ingressi ædificia necessaria construerent aquæque penuria laborarent, a Deo fuisse impetratum, in metrica a se adornata Sancti nostri Vita hunc canit in modum:

Planitie in summa cellæque et phana struuntur,
Christiparæque sacrum Genitrici ad ara dicatur.
Ille locus privatus erat fluvialibus undis.
Non ibi cisternæ puteusque nec ullus ibidem.
In fovea tanquam pluvialis lympha manebat
Mortua, et interdum luteo fœtebat odore.
In mœrore omnes incommoda tanta ferebant;
Sed quid certa fides non impetrat atque meretur? B
Se dedit in lacrymas oravitque inclytus ille
Cœtus, et obtinuit supplex quod ab arce petivit;
Namque statim in dura fodere crepidine rupis;
Nec mora, continuo latices fluxere recentes
Et rivos egere amplos vel fluminis instar.
Lætati fremuere omnes laudesque dederunt,
Atque salutarunt ex imo pectore cœlum.
Lambit adhuc curvo fons ille cacumina cursu,
Cellarumque hortos vitreo circumfluit amne.

480. Hactenus laudatus Benedictus, qui quamvis fontem, de quo loquitur, hodieque fontem S. Brunonis appellari non edicat, eumdem tamen fontem, quem ita in hodiernum usque diem nominari, auctores supra laudati affirmant, indubie celebrat, cum tam fons, de quo hi, quam fons, de quo ille, miraculo feratur exortus. Ast verene fons is miraculo suam debeat originem? Id equidem non puto. Quod enim a scriptoribus recentioribus, uti hic fit, nullo prorsus vade antiquo adstipulante, miraculo factum asseritur, miraculo vere factum esse, credi non debet, nisi ratio omnino solida ac convincens contrarium suadeat. Quid autem, quæso, occurrit, ut fontem, qui a S. Brunone in Carthusiæ hodieque nomen conservat, prodigio olim excitatum, in animum inducamus? An quod hodieque « fons S. Brunonis » vocetur? Verum quidni nomenclationem hanc contrahere atque in hodiernum usque diem conservare potuerit, quod Sancto ejusque sociis aquam, quam quotidianis suis usibus necessariam habebant, subministrarit? Quid ni etiam ita vocari potuerit, quod prope eum Bruno cellulam, in qua habitarit, exstructam habuerit? Ut ut sit, Puteanus equidem, Blomenvenna et Surius, etsi omnes fontis cui S. Brunonis cella fuerit adjuncta, mentionem faciant, de miraculo tamen, quo hic fuerit excitatus, altum silent, qui tamen, ac maxime Puteanus, utpote cui Zachariæ Benedicti metrica S. Brunonis Vita, in qua id memoratur, anno 1510, seu quinquennio antequam suam de hoc sancto Patre suo lucubrationem adornaret, ab ipsomet auctore inscripta ac dedicata fuerit, perspecta haud dubie, quæ de prodigioso fonte dicebantur, apprime habuerunt; ut proinde silentio suo ea sibi minime probari indicare videantur. Sed hæc de fonte, qui prodigio cum Sanctus ejusque socii Carthusiam essent ingressi, excitatus fuerit, dicta sufficiant; qui plura de eo desiderat, adeat Surianum in suis in caput 12 Surii Observationibus, num. 12, et Raynaudum in Stylita mystico, puncto 2, num. 3.

481. Zacharius Benedictus in metrica, quam concinnavit, Sancti nostri Vita prodigio fontis, divinitus excitati, novæ ecclesiæ, unacum aliis qualibuscunque ædificiis in Carthusia, statim atque Sanctus ejusque socii eremum hanc fuissent ingressi, ædificari ex dictis cœptæ, jamque ad umbilicum cum iis perductæ, consecrationem, quæ ab Hugone Gratianopolitano episcopo summo apparatu facta fuerit, subjungit. Ut et hic præstem, quod curioso lectori futurum spero non ingratum, versus præcipuos, quibus metricus ille biographus rem hanc describit ac celebrat, huc transcribo. Sic habent:

Jamque dies solemnis erat, quo machina surgens
Hospitio poterat monachos servare decenti.
Hugo ciet clerum civesque invitat ab urbe
Ad summos aditus incultaque limina montis
Visuros fieri festivi encænia templi.
Æs sublime sonat, clamatque ad festa catervas.
Tunc delubra parant, foliisque virentibus ornant.
Aptatur paries hederis, pendente corymbo;
Hique ligant buxos, et quas Tritonia frondes
Servat; ab excelsis trabitus Paneia laurus
Frondet, et hirsutæ coeunt in serta myricæ
Sparguntur flores violæque per ardua tecta C
Lilia non desunt, narcissus, achantus et ajax
Purpureæque rosæ; quæ per vicina ministri
Oppida legerunt; crocus est et myrtus odora.
Esse hic Pæstanos hortos et rura putares.
Hic aulæa patent; hic picta tapetia fulgent
Misit ephemerides varias et munera præsul
Ad nova phana, quibus muri tegerentur et aræ.
Ostro et luminibus stellant altaria circum.

482. Versibus his Benedictus alios nonnullos, quibus ipsos etiam cœlicolas ad solemnitatem convenisse memorat, seu potius more poetico, et quidem non nihil, quam par sit, licentiori, fingit, mox subnectit, ac deinde ita prosequitur:

Præsul adest, sacras solito capit ordine vestes
Et decus imponit capiti, bifidamque tiaram. D
Fumus odoratus veniens e thure Sabæo
Altius ascendit, phanique volumina complet.
Pontifici cathedram parat ille, hic stragula sternit,
Jamque sacerdotes æquo discrimine vocum
Incipiunt cantus, rutilas assurgit ad aras
Pastor et erectis cœli ad fastigia palmis
Mystica sancta litat superis et munera libat.
Implentur clangore tubæ, cava tibia dulces
Ad numeros inflabat ebur, dant organa plausus.
Alternant litui parito carmine versus;
Plectra lyræque aderant, Phæbeaque cuncta supellex.
Dedicat interea templum claustrumque sacerdos,
Sitque novæ domui nomen Carthusia mandat.

www.libtool.com.cn

Condendasque domos habituras nomen ab illa,
Prædia, donavit, donavit pinguia villæ
Jugera, quo monachi sine quæstu vivere possint.

Ita laudatus metricus Sancti nostri biographus. Et veo Carthusiæ ecclesiam, cum ad umbilicum fuisset adducta, a S. Hugone, Gratianopolitano episcopo, consecratam fuisse, unusquisque, quantum opinor, etiam absque vade antiquo facile credet, etsi interim tanto id apparatu, quanto hic innuitur, peractum fuisse, persuadere natus haud sit is scriptor, qui præterquam quod a re gesta quatuor amplius sæculis remotus vixerit, poetarum loquitur in morem, qui plerumque res, quas tractant, variis figmentis, ornamentorem quodammodo locum tenentibus, amplificant.

483. Verum multum abest, ut propense adeo credam, quæ deinde idem Benedictus absque ullo pariter vade antiquo tradit de habitu monastico, quem S. Bruno ejusque socii eo ipso die, quo præmemorata Carthusiensis ecclesiæ dedicatio facta est, a S. Hugone susceperint. Audi, qui rem illam statim atque solemnem ecclesiæ Carthusiensis dedicationem retulit, metrice exponat. Hisce ejus oratio versibus concipitur :

Tunc adyta ingreditur Bruno, senique sodales,
Singulus exuitur preciosis atque lacernis
Mollibus, atque trahunt crepidas e cruribus omnes
Confestim, tondent generoso e vertice crines,
Apparent juvenum generosa et lactea membra,
Nudatique manent, genibusque et corpore flexi.
Dulcia mittebat suspiria pectus anhelum ;
Nec poterant retinere pios pia pectora planctus.
O juvenum fervor, divique affectus amoris !
Candida doctoris fratrumque tenerrima dorsa
Mox operit lugens cilicino tegmine pastor,
Atque rudi sacco, niveumque imponit amictum
Virgine de lana, nivea tum cannabe cingit,
Atque tegit scapulas albo clausoque cucullo,
Indicium æternæ clausuræ munditiæque.
Innumeræ astabant turbæ, cunctique gemebant
Hoc tanto exemplo moti et dulcedine tanta.

484. Addit præterea laudatus metricus Sancti nostri biographus, angelorum, rebus die illa in Carthusia gestis applaudentium, voces auditas fuisse. Verum de re hac censendum quid sit, facile ex jam dictis quisque intelliget ; quod vero pertinet ad habitum monasticum, quem tunc Bruno ejusque socii ab Hugone Gratianopolitano episcopo acceperint, etsi quidem, ipsos in Carthusia vilioribus asperioribusque, quam ante, vestibus usos esse, e Petro Venerabili lib. II De miraculis, cap. 28, colligendum appareat, Sanctum tamen habitu monastico ab Hugone primum fuisse indutum, haud credo. Præterquam enim quod id a nullo prorsus scriptore antiquo memoriæ proditum inveniatur, Brunonem jam inde ab eo tempore, quo in Siccæ-Fontanæ solitudine adhuc versaretur, ac proin Carthusiam nondum adiisset, habitu monastico indutum fuisse, reque etiam ipsa manachum exstisse, suadent, quæ

A § XXIV in medium adducta jam sunt. Nec est, quod reponas, Sanctam a Guigone in S. Hugonis Gratianopolitani Vita eo loco, quo ad hunc accessisse narratur, Magistri titulo condecorari, ac proin eum, cum ad S. Hugonem accessit, habitu monastico indutum nondum fuisse, nedum monachum exstisse, præterquam enim quod tum Sanctus, quia a Landuino aliisque, qui cum eo Gratianopolim venerant, seque in illius disciplinam dederant, Magistri titulo honorabatur, magister a Guigone appellari potuerit, potuit etiam, ut ut Remensium scholarum magisterio seu præfectura jam sese abdicasset, ita adhuc ob id olim gestum vocari. Ac posteriori quidem hoc sensu Sanctum a Guigone vocari Magistrum idcirco existimo, quod ibidem at Landuinus Magister ab eo B vocetur, nec alia de causa, quam quod olim scholarum alicubi Magisterium gessisset, altiorisve ordinis scientias docuisset, talis huic nomenclatio videatur potuisse attribui. Ut ut sit, Sanctum equidem ex eo, quod a Guigone eo loco, quo ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, cum sex sociis accessisse narratur, magister nuncupetur, habitu monastico indutum tum nondum fuisse, argui non potest, cum etiam in charta donationis Carthusiæ infra huc transcribenda, dataque anno 1086, quo Carthusianum biennio jam egerat, Magister vocetur, eodemque etiam titulo, cum post in eremo Calabrina jam versaretur, ad mortem usque honoratus fueri.

485. Ad vivendi modum, quem Sanctus ejusque C socii in Carthusia tenuerint, sermonem modo convertamus. Quem S. Bruno ejusque socii in Carthusia tenuerunt vivendi modum, eumdem etiam aut certe non multum absimilem servasse, qui quadraginta nondum post Sancti obitum elapsis annis seu Petri Venerabilis ætate floruerunt, religiosos Carthusiensis eremi incolas, ambigendum non apparet. Ut ergo, quam illi vivendi rationem fuerint seculi, lectorem utcumque edoceam, Vitæ ab hisce ductæ capita præcipua e Petro Venerabili ei exhibeo. Hic itaque scriptor, fide utique hac in re longe dignissimus, lib. II De miraculis, cap. 28, de sui temporis Carthusianis ita memorat : « Ad edomandum jumentum corporis sui, et ad subigendam juxta Apostolum legem membrorum suorum, repu- D gnantem legi mentis suæ, duris carnem ciliciis semper exasperant, continuatis pene acribus jejuniis corpora affligunt, extenuant et desiccant. Inde est quod pane furfureo semper utuntur, vino adeo adaquato, ut merito magis villum, quam vinum dicatur. Ab omni carnium esu tam sani quam ægri in perpetuum abstinent. Pisces nunquam emunt, sed forte ex charitate datos accipiunt. Die Dominico et quinta feria tantum caseum vel ova ad vescendum admittunt. Tertia feria ac Sabbato, aut legumine aut olere cocto utuntur. Omni secunda, quarta et sexta feria pane solo et aqua contenti sunt. Semel in die semper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini, octo diebus Paschæ, octo diebus Pentecostes, Epiphania Domini, Repræsentatione ejus

www.libtool.com.cn

hoc est, Purificatione sanctæ Mariæ, Annuntiatione Domini, quando Paschali tempore provenit; Ascensione Domini, Assumptione ac Nativitate jam dictæ sacræ Virginis, Matris ejus, et exceptis festis duodecim Apostolarum, sancti Joannis Baptistæ, sancti Michaelis, sancti Martini, et illo, quod in Kalendis Novembris celebratur, festo Omnium Sanctorum.

486 « Super hæc omnia more antiquo Ægyptiorum monachorum singulares cellas (tempore S. Brunonis ex dictis num. 475 bini in singulis cellis morabantur) perpetuo inhabitant, ubi silentio, lectioni, orationi atque operi manuum, maxime in scribendis libris, irrequieti insistunt. In eisdem cellis debitum regularium Horarum, hoc est, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Completorium, signo ecclesiæ commoniti Deo persolvunt. Ad Vesperas et Matutinas in ecclesia cuncti conveniunt, ibique, non perfunctorie, ut quidam, sed intentissime, oculis in terram demissis, cordibus cœlo infixis, Deo preces, Deo gratiarum actiones persolvunt; totumque suum tam interiorem, quam exteriorem hominem habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis aliis, intentum, imo affixum esse, ostendunt. Ab hoc more excipiunt illos festivos dies, qui supra scripti sunt, in quibus bis comedunt, et in quibus more monachorum non per cellas, sed simul habitantium, non solum omnes Regulares Horas in ecclesia decantant, sed et in refectorio tam post Sextam, quam post Vesperas, nullo sospite excepto, communiter edunt. Quibus tantum diebus antiquorum eremitarum æmulatione, ab aliis sacris operibus, licet dignitate inferioribus, impediantur, salutare omnipotenti Deo pro salute sua ac mundi sacrificium offerunt, quod ex usu jam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, Missa vocatur. His sacris diebus, qui singulari privilegio a Domino vel ejus Resurrectione Dominici dicuntur, ac sæpe dictis ipsius vel Sanctorum ejus solemnitatibus missas celebrant. Diebus, quibus eis legumine uti licet, illud ipsi, ad mensuram accepium, sibi aptant et coquunt.

487. « Hoc vero tunc, quando non communiter in refectorio, sed quando eos in cellis suis solos comedere eremitica institutio præcipit. Vinum nullo tempore ante mensam vel postea sumunt. Sed si quis tunc sitim passus fuerit, aqua ei, non vino, uti, licet. » Eadem fere aut certe non multum absimilia, quæ a Carthusianis, ætate sua florentibus, fuerint observata, Guibertus de Novigento sæpissime supra laudatus, qui anno 1124 e vivis excessit, lib. I de Vita sua, cap. 11 recenset; ad quem proinde curiosum lectorem remitto, Petri Venerabilis verba, huc spectantia, quid majoris utique fidei auctoritatisque quam Guibertus hac in re est, in medium protulisse contentus. Non possum tamen, quin huc transcribam verba, quibus hic scriptor Carthusiensum studium, a S. Brunone parente ad eos indubie transmissum, in conscribendis libris prædicat. « Cum, inquit lib. I de vita sua, cap. 11, in omnimoda paupertate se deprimant, ditissimam tamen bibliothecam coaggerant. Quo enim minus panis hujus copia materialis exuberant, tanto magis illo, qui non perit, sed in æternum permanet, cibo operose desudant. » Confirmat id deinde comitis Niversis exemplo, qui, cum argentea, quæ Carthusianis miserat, munera rupudiata fuisse, accepisset, Boum tergora et pergamena plurimæ eis transmiset, quæ pene inevitabiliter ipsis (ad conscribendos consuendosque scilicet libros) necessaria esse cognovit. » Cur porro summam diligentiam operamque in describendis libris ponerent, docet nos Guigo, in Consuetudinibus cap. 28 sic scribens: « Libros..., tanquam sempiternam animarum nostrarum cibum, cautissime custodiri et studiosissime volumus fieri; ut, quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur. » Addi potest, partim etiam id fecisse illos, tum ut inopiæ suæ (pauperes enim vere erant, seque ipsos vel *Pauperes* vel *Pauperes Christi*, uti apud Cangium ad vocem *pauper* videre est, appellabant) consulerent, tum ne Ecclesiæ viderentur prorsus inutiles, hincque eorum institutum calumniandi ansam malevoli arriperent.

§ XXVIII. *An Sanctus novam Regulam scripserit, et an ad ullam ex ante sciptis ac nominatim Benedictinam observandam se suosque discipulos adstrinxerit.*

488. Austeram admodum, quam Sanctus ejusque discipuli in Carthusia duxere, fuisse vitam, vel sola normæ, ad quam hanc exegerint, § præcedenti e Petro Venerabili proposita capita sufficienter ostendunt; verum quæri hic jam potest, primo quidem an hæc S. Bruno aliaque Regula quapiam præscripta discipulis suis observanda injunxerit; deinde vero an hosce simul ac seipsum ad ullam ex ante scriptis, ac nominatim S. Benedicti Regulam obstrinxerit. Innocentius le Masson in Opere, quod ordinis Carthusiensis Annales inscripsit, lib. I, cap. 3, num. 3, sic scribit: « Nullam vivendi normam a sancto Brunone scriptam fuisse, credimus: sed sancti illius viri documenta et exempla erant illis quasi vivens Regula, quam adimplere et ad suos successores per exempla etiam ipsi transferre didicerant. Ipsam tamun eamdem esse non dubitamus, quam postea R. Pater Guigo scriptis mandavit; nihilque in ejus Consuetudinibus reperiri credimus, quod quasi ab ore sancti Brunonis per discipulos, qui eum viderant et audierant, non didicerit. Vix enim ante quinque aut sex annos sanctus Bruno obierat, quando Guigo noster ad Ordinem venit. In istis ergo scriptis a R. Patre Guigone Consuetudinibus firmiter credendum est sancti Brunonis mentem, documenta et dirigendi modum depingi et contineri, acsi propria ejus manu scripta fuissent. Quod eo facilius quisque sibi persuadebit, quo certior fieri debet B. Landuinum, quem sanctus Bruno sociis, ad eremum Carthusiæ revertentibus, præfecerat, viam

longissimam arripuisse, ut ipsum Carthusiensis Instituti fundatorem, in eremo Calabriæ tunc degentem, adiret, cum eo de observantiis Carthusiensibus tractaturus, et ab ipsius ore auditurus, quid et qualiter in Carthusiana conversatione et vivendi modo esset a suis asseclis observandum. Primæ ergo Carthusianorum constitutiones legi gratiæ non erant absimiles ; nam potius scriptæ erant in tabulis cordis carnalibus, non littera, sed spiritu, quam in manuscriptis codicibus.»

489. Ita Massonus, nullam a S. Brunone regulam scriptam fuisse, docens; qua sane in re non possum non ei assentiri, cum id a sancto factum, a nullo hactenus scriptore sive recentiori sive antiquiori memoriæ proditum invenerim. Ast an nulli pariter regulæ ex ante scriptis, nec nominatim Benedictinæ, sese suosque astrinxit ? Mabillonius in sæculi sexti Benedictini partem secundam Præfatione num. 87 sic scribit : « Nunc postulat locus, ut de prima regula Carthusiensium agamus, quam sanctus Bruno eis præscripsit, antequam prima illius ordinis statuta a Guigone in scripta redigerentur. Hanc autem regulam sancti Benedicti fuisse, multis constat argumentis. Primo Guigo ipse statuta sua edidit ad mentem hujus regulæ, ut docet inscriptio eorumdem statutorum in codice Portarum, in quo illa habentur sub hoc titulo : « Statuta Guigonis Carthusiæ prioris et alio« rum Patrum juxta regulam sancti Benedicti. » Unde Guigo ipse in præfatione sua hæc statuta scribere se distulisse ait « quod vel in epistolis beati « Hieronymi, vel in regula beati Bededicti seu in « cæteris scripturis authenticis, omnia pene, quæ « hic religiose, inquit, agere consuevimus, conti« neri credebamus. » Certe non aliam in capite 23 formulam professionis, quam Benedictinam proponit. Deinde Eugenius III in privilegio Carthusiæ Montis-Dei concesso, statuit, « ut ordo monasticus « secundum beati Benedicti regulam, normam « quoque in institutiones fratrum Carthusiensium « perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conserve« tur. » An hæc Paschalis II Lanvino Squillacii post sanctum Brunonem priori indulget, ut in quadam ecclesia juris eremi, quæ apud Squillacium sita erat, monasterium constituat, « ut fratres austeritatem « eremi ferre non valentes, juxta beati Benedicti « regulam illic possint omnipotenti Deo deservire : « quam nimirum habitationem per præpositum et « decanum, » inquit, « gubernari disponique præ« cipimus; sic tamen ut eremi præpositus semper « præferatur et major habeatur, et sic ut idem mo« nasterium eremi dispositioni subjaceat, item eju« sdem loci præpositus et decanus subjiciatur ma« gistro eremi. Data Lateranis VI Kal. Februarii. »

490. «Ex quibus intelligitur, duplex illic Carthusiensium genus fuisse, anachoretarum et cœnobitarum, ut apud Camaldulenses ; et utrisque priorem eremi præfuisse secundum regulam sancti Benedicti, qui utrosque in regula sua instituit. Hoc autem diploma intelligitur de monasterio Mentauri, quod Squillacio tribus millibus distabat, ut fusius in Annalibus nostris referemus, ubi utrorumque, scilicet anachoretarum et cœnobitarum Squillacensium, constitutiones referemus. Denique Carthusienses ante sancti Brunonis canonizationem sanctum Benedictum in sua confessione Patrem suum dicebant, retinentque etiam nunc dispositionem officii divini ex regula sancti Benedicti, cujus festum solemni pro more suo ritu semper observarunt.» Ita hactenus Mabillonius contendens S. Brunonem, qui ex dictis novam regulam non condidit, particularem tamen regulam suis præscripsisse, seu se discipulosque suos uni cuidam particulari regulæ astrinxisse, hancque S. Benedicti regulam fuisse. Verum anne argumenta, quæ in medium adducit, rem plane evincunt? Id equidem non puto ; imo vero ex hisce, quæ Guigo in præfatione, conscriptis a sese Carthusiæ consuetudinibus seu statutis præmissa, suppeditat, quæque Mabillonius pro se laudat, sequentibus cerbis : « A quo negotio (conscribendis nempe Carthusiæ consuetudinibus) rationabilibus, ut putamus, de causis diu dissimulavimus videlicet quod vel in epistolis beati Hieronymi, vel in regula beati Benedicti, seu in cæteris scripturis authenicis omnia pene, quæ hic (in Carthusia nimirum) religiose agere consuevimus, contineri credebamus, » consectarium potius videtur, ut nulli prorsus particulari regulæ S. Bruno sese suosque astrinxerit.

491. Audi, qui Massonus in opere, quod ordinis Carthusiensis annales inscripsit, verba illa commentetur. « Hinc (e recitatis nempe Guigonis verbis) patet, inquit, libertas, qua S. Bruno et successores ejus voluerunt propositum et modum sibi vivendi eligere, et componere, prout spiritus et prudentia suggererent, et non se astringere ad illas regulas seu constitutiones specificas, quæ in variis ordinibus monasticis sive in Oriente sive in Occidente jam dudum fuerant canditæ. Nihil sibi elegit S. Bruno pro vivendi modo, quod non esset sanctorum Hieronymi, Benedicti et aliorum scriptis laudatum, sed non ideo illorum regulis se addixit, quamvis inde veluti spiritualis apis collegerit, unde mel et ceram propriam componeret. Non ergo improperari potest sui instituti professoribus, quod has vel illas sanctorum sive Antonii, sive Climaci sive Benedicti sive Bernardi aut veterum Orientalium Patrum instituta et praxes non sequantur, quia sui propositi non sunt, nec illas servandas sibi elegerunt. » Sane, cum Guigo verbis recitatis doceat, non in sola S. Benedicti regula, sed vel in S. Hieronymi Epistolis, vel in S. Benedicti regula vel denique in scriptis aliis, quod ad tempus usque, quo scribebat, in Certhusia religiose agi solitum fuisset, contineri, satis utique indicat, fuisse tunc Carthusianos non uni S. Benedicti regulæ observandæ obstrictos, sed ea secutos esse optima vivendi instituta, quæ sive apud S. Hieronynum, aut Bene-

www.libtool.com.cn

dictum, sive apud alios quoscunque sanctos Patres ei vitæ generi, quod amplexi erant, magis existimabant idonea; ut annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymus merito contendat, S. Brunonem ejusque discipulos nunquam sese determinatæ alicui ex monasticis regulis astrinxisse, sed pro arbitro accepisse ex antiquorum tum scriptis, tum exemplis, quod vitæ eremiticæ perfectioni accommodatum videretur. »

492. At vero ait verbis proxime recitatis Mabillonius, condita a Guigone statuta in codice Portarum hunc præferunt: « Statuta Guigonis Carthusiæ prioris et aliorum Patrum juxta regulam sancti Benedicti. » Primum hoc est, quod pro opinione sua is scriptor adducit, argumentum. Verum præferant, ut inquit, hunc in codice illo titulum Guigonis statuta, hinc tamen, ut vult, consequens non est, ut hæc ad regulæ Benedictinæ mentem Guigo exegerit. Cum enim titulus ille ipsummet, ut apparet, Guigonem non habeat auctorem, fieri potest, ut ab aliquo, qui, qua ratione Guigo statuta sua condidisset, minus habebat compertum, præfato codici fuerit ascriptus. Ut ut sit, ad solius regulæ Benedictinæ mentem statuta suo non exegisse seu condidisse Guigonem, ipsemet in præfatione, quam hisce præfixit, non obscure indicat. Ait enim, sese, non nova seu præcepta seu statuta, sed Consuetudines scriptis mandare, id est, quæ agi tunc solerent in Carthusia; quare, cum hæc, uti ipsemet verbis supra huc transcriptis indicat, non in sola S. Benedicti regula, sed vel in hac, vel in Epistolis beati Hieronymi, vel in aliis scripturis authenticis contineantur, consequens fit, ut Guigo statuta sua ad solam S. Benedicti regulam non exegerit, ac proin, ut ad hanc unice servandam se suosque sequaces non astrinxerint S. Bruno ejusque discipuli. Nec Sanctum ejusque discipulos sese uni S. Benedicti regulæ astrinxisse, evincit, quod Mabillonius etiam laudat, privilegium Carthusiæ Montis-Dei ab Eugenio III concessum.

493. Hoc enim pontifex statuit, ut ibidem ordo monasticus inviolabiliter servetur nontantum « secundum beati Benedicti regulam, «sed» etiam secundum normam et institutiones fratrum Carthusiensium; » ut proinde privilegii illius pontificii vi in Montis-Dei monasterio non una, imo ne tota quidem S. Benedicti regula fuerit observanda, sed eæ duntaxat hujus partes, quæ cum particularibus Carthusiensium institutionibus convenirent; ex eo autem, quod aliqua regulæ Benedictinæ instituta a S. Brunone ejusque discipulis horumve sequacibus adoptata fuerint atque observata, consequens non est, ut ad unam ac totam illam regulam observandam sese S. Bruno ejusque discipuli voluerint obstringere. Hinc pro opinione sua Mabillonius nihil posset conficere, etsi etiam ei, quod præterea in argumentum adducit, tantisper daremus, Carthusianos hodieque divini officii dispositionem retinere ex regula S. Benedicti. Verum ne hoc quidem veritati exacte videtur consonum. Etenim Massonus in opere, quod ordinis Carthusiensis annales inscripsit, in hæc statutorum Guigonis verba: « In quo (officio divino nimirum) cum cæteris monachis multum, maxime in psalmodia regulari, concordes inveniantur; » ita commentatur: « Non dicit, « in totum, » quia revera in componendo divino officio Carthusiano ritus quidem monasticus in duodecim psalmis, tribus Canticis et duodecim Lectionibus et aliis similibus assumptus est, sed non pauca etiam ei adjuncta fuerunt ex ritibus tum ecclesiæ Lugdunensis, tum Gratianopolitanæ, in cujus diœcesi sita est Carthusia, ut probari potest ex antiquis Missalibus ecclesiæ Gratianopolitanæ et modo celebrandi missam tunc ibi usitato, quæ in nostris ad unguem fere feruntur; itemque ex veteribus antiphonariis et precibus, quæ ab ecclesia Lugdunensi in nostrum usum constat fuisse transumpta. »

494. Carthusianus anonymus, annalium ordinis sui libri quarti hactenus non vulgati auctor, in auctiori hujus operis sui exemplari, quod penes me non exstat, quodque Carthusiæ Vallis-Dei est, nonnulla etiam huc spectantia pag. 56 suppeditat. Verba, quibus id facit, Carthusianus Parisiensis supra adhuc laudatus, qui illud, ut mihi ipsemet significavit, ad manum habet, quique suum nomen subticeri omnibus modis vult, describere, mecumque communicare pro summa sua humanitate est dignatus. Sunt autem hæc: «Sanctum Benedictum, cœnobiticæ vitæ in partibus Occidentalibus instauratorem, ab ipsius ordinis incunabulis nostri venerati sunt, ejus festum præ cæteris solemne semper colentes, ut ex consuetudinibus Guigonis videre est. Nec immerito, cum ex ejus regula cœnobiticæ vitæ accommoda quædam deprompserint, maxime ea, quæ circa divinum officium versantur. Unde Robertus de Monte, in tractatu de abbatibus et abbatiis de origine Carthusiensium agens, ait: « Instituta ve« ro nocturni et diurni officii secundum regulam « sancti Benedicti persolvunt. » Et noster Guigo in prologo suarum Consuetudinum dicit, « quod in « divino officio cum cæteris monachis muttum, « maxime in psalmodia regulari, concordes inve« niantur. » Non tamen ita stricte ritus sancti Benedicti observamus, quin in quibusdam discrepemus ab eis, maxime circa cæremonias tum missæ, tum divini officii, circa lectiones Matutinarum, preces Horarum, cantus, hymnos, et alia hujusmodi, quæ partim recenset cardinalis Bona. » Ita ille, simul etiam suggerens, cur Carthusiani solemne semper habuerint S. Benedicti festum, quod scilcet, non quidem solam ac totam sancti hujus monachorum Patris regulam, sed aliquot saltem ex hac capita ordinis sui seu statutis seu Consuetudinibus ascripsissent. Atque hinc factum etiam esse potest, ut Carthusiani ante S. Brunonis canonizationem S. Benedictum in sua confessione « Patrem suum » dixerint; ut proinde hinc etiam, S. Benedicti regulam

a S. Brunone primis Carthusiensibus fuisse præscriptam, neutiquam evincat Mabillonius.

495. Nec id porro etiam evincit duobus aliis hic adhuc discutiendis argumentis, quorum alterum a privilegio, per Paschalem II Lanvino, Squillacii post S. Brunonem priori concesso, alterum a professionis formula, apud Carthusianos usurpata, repetitur. Quis enim ex eo, quod hæc eadem sit, quæ Benedictinorum, merito concludendum putet, regulam, quæ horum est, Carthusianorum pariter esse? Professionis formula eadem fere est quantum ad substantiam in plerisque, ne dicam in omnibus, religiosis ordinibus, nec propterea tamen horum omnium eadem pariter est quantum ad substantiam regula. Nec refert, professionis formulam tum Carthusianorum, tum Benedictinorum iisdem plane verbis concipi. Uti enim ex eo, quod quæpiam regulæ Benedictinæ statuta verbotenus etiam in Carthusianorum regulam sint illata, consequens secundum jam dicta non est, ut hanc totam ac solam primis Carthusianis observandam S. Bruno præscripserit, ita nec hoc, ut consideranti patebit consectarium esse potest ex eo, quod, quibus verbis apud Benedictinos professionis formula concipitur, iisdem etiam hanc sibi usurpandam Carthusiani acceperint. Quod modo ad privilegium, a Paschale II Lanvino concessum pertinet, unice in hoc agitur de particulari monasterio Mentauri, a Lanvino, pontifice indulgente, tribus a Squillacio milliaribus erecto, in quo, qui vitæ eremiticæ idonei non erant, vivendi modum, a Carthusianorum reliquorum vivendi modo diversum, tenuerunt; quare, etsi etiam novis monasterii illius incolis solam et integram S. Benedicti regulam diserte fuisse præscriptam, tantisper daremus, consectarium inde nondum foret, ut hæc pariter primis Carthusiensibus a S. Brunone fuerit præscripta. Atque ita modo nullo prorsus ex argumentis, quibus Benedictinæ regulæ Carthusienses a S. Brunone fuisse astrictos, Mabillonius contendit, evictum id utcumque dari, ex omnibus jam dictis satis liquet.

496. Et vero, ut meam modo hac in re aperte dicam sententiam, Sanctum nostrum nec se, nec suos ad solam ac totam S. Benedicti regulam observandam obstrinxisse, vel ex eo palam est, quod, quæcunque observanda sibi suisque imposuit, reque ipsa observavit, ea fere omnia in Consuetudinibus Guigo scripto expresserit, multumque absit, ut hæ solam ac totam Benedictinam regulam comprehendant. Vidit id tandem, quantum opinor, Mabillonius, hincque a priori opinione nonnihil deflectens, Brunonem duntaxat «S. Benedicti regulam, quatenus anachoretarum ferebat institutum, sibi suisque sectandam» proposuisse, Annal. Bened. lib. LXVI, num. 65 scripsit. Verum ne hoc quidem, uti ex jam dictis ac porro dicendis pronum est colligere, supra adducta e scriptore illo, quem tamen hic Veterum Script. tom. VI in Præfat., num. 32 Marteneus sequitur, argumenta evincunt. Ast contra, speciale quoddam vitæ genus S. Brunonem ejusque sequaces assumpsisse, seu speciali cuidam regulæ, quæ et a Benedictina et ab aliis quibuscunque ante conditis esset diversa, sese astrinxisse, merito contendit Carthusianus anonymus, annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor, ita hujus lucubrationis suæ, ut Carthusianus Parisiensis num. 494 iterum laudatus me etiam docuit, loco ibidem citato scribens: « Hæftenus.., libro primo Disquisitionum monasticarum, tractatu nono de regulis, duodecimo sæculo scriptis, disquisitione quarta statuta nostra, quæ vere dici regulam fatetur, a regula sancti Benedicti distinguit. Et tractatu secundo libri secundi, disquisitione quinta de Carthusiensibus loquitur, tanquam diversis ab ordine Benedictimo: « Ut eos « omittam,» inquit, «qui sub S. Benedicti regula Deo » serviunt (qui potius unius ordinis variæ congrega» tiones, quam distincti ordines censendi sunt) » ordo Cathusianus plurima a S. Benedicto mu» tuatus est, etc. » Quibus verbis aperte innuit Carthusienses, etsi plurima a sancto Benedicto mutuati sint, non tamen sub ejus regula Deo servire. Et revera tractatu sexto ejusdem libri, disquisitione quarta recensens ordines, Benedictinam regulam profitentes, nullam facit mentionem Carthusiensium.

497. « Idem censuit ante ducentos annos sanctus Antonius, ita (part. nimirum II hist., tit. 15, cap. 14] scribens: « Post Benedictum omnes mo» nachi Occidentis militant sub regula beati Bene» dicti et ipsum habent in patrem, exceptis Car» thusiensibus, qui habent speciales suas constitutio» nes. » Et revera cum Guigo, primus legifer noster dicat loco citato: « In Epistolis B. Hieronymi vel in » regula B. Benedicti seu in cæteris scripturis au» thenticis omnia pene, quæ in Carthusia religiosa » agere consuevimus, contineri,» his verbis satis aperte innuit, Carthusienses sibi aliquam specialem vivendi normam præscripsisse, a cæteris regulis diversam. Quam ob rem Franciscus a Puteo, explicans illud Raynaldi nostri statutum, quo prohibetur, ne professi in ordine Cisterciensium et consimilium, ad nos transeuntes, possint habere aliquam obedientiam, declarat, quod per illud verbum CONSIMILIUM intelligantur monachi omnes, qui militant sub regula sancti Benedicti. Quis non videat, nostrum Puteanum tacite Carthusienses a cæteris sancti Benedicti monachis distinguere, tanquam alteri regulæ subditos. Nostur Boso, scribens contra eos qui dicunt ordinem Carthusiensem non habere regulam, agnoscit quidem statuta nostra ex diversis sanctorum Patrum scriptis composita esse: «Pa« tet namque, » inquit, « in eisdem statutis, quod « illa, quæ ibi scripta sunt, aut sunt de regula B. » Benedicti, aut de epistolis B. Hieronymi, aut de » collationibus Patrum seu de Vitis Patrum vel etiam » de libris Cassiani, et aliorum sanctorum doctorum » Ecclesiæ. » Deinde multas recenset regulas, subditque: « Sed ordo Carthusiensis nullam potuit as-

www.libtool.com.cn

» sumere de his prædictis, quia omnes prædictæ A
» regulæ sunt vel fuerunt de vita communi et cœ-
» nobitica instituta ; de vita vero eremitica inveni-
» tur regula laudabilis et devota, a Petio Damiano
» stylo eloquentissimo edita et digesta, sed nec il-
» lam potuerunt et noluerunt Carthusienses assu-
» mere, quia vita Carthusiensium, ut supra osten-
» sum est, quamvis a majori et digniori parte sit
» eremitica judicanda, tamen est composita ex so-
» litaria et communi.

498. « Et ideo omnino oportuit, cum nulla prius
» esset talis religio, quod sibi facerent regulam spe-
» cialem. Quia secundum regulas supra dictas beati
» Augustini, Benedicti et aliorum supra scriptorum
» monachi vel canonici simul habitare debent, simul
» comedere, simul dormire et sic de singulis, sicut B
» exigit vita cœnobitica et communis. Carthusienses
» ergo, qui pro majori parte anachoreticam vitam
» ducunt, et soli frequenter comedunt et soli dor-
» miunt, sicut superius est ostensum, non potuerunt
» sumere aliquam regulam de prædictis. Sed sibi
» novam, sanctam et rationabilem ediderunt, sancto
» Spiritu inspirante, quam, eodem Spiritu operante,
» sancta Romana Ecclesia ex certa scientia perfe-
» ctissime confirmavit, ut alibi probabimus. » Ex his
et aliis, quæ diximus supra, patet, Carthusienses
speciale quoddam vitæ monasticæ genus assumpsisse
ac proinde ordinem, ab aliis ordinibus diversum,
constituere in Ecclesia Dei. » Ita hactenus Carthu-
sianus anonymus laudatus, e rationibus, tum quas
e Bosone ipsis hujus verbis recenset, tum quas C
aliunde repetit, contendens, regulam a regulis om-
nibus antecedentibus diversam, Carthusianos ac
proin S. Brunonem, qui hos illam suo exemplo vi-
vendique modo docuerat, sibi servandam statuisse.
Et vero cum, ut Boso ait, Carthusianorum vitæ ratio
partim eremitica, partim cœnobitica sit, nec ulla e
regulis, ante S. Brunonis ætatem conscriptis, hu-
jusmodi vitæ generi foret accommoda, aliam sane,
quæ hac prærogativa gauderet, sibi suisque sequa-
cibus præcribere seu hisce exemplo suo effingere,
necesse habuere. Sanctus noster primique ejus
discipuli, idque proinde, ut verbis recitatis anna-
lium Carthusiensium auctor anonymus contendit,
re etiam vera fecisse existimandi sunt ; quod cum D
præterea ex aliis etiam supra dictis satis manife-
stum appareat, finem rei hujus discutioni impono.

§ XXIX. *An Victor III papa Carthusiensem ordinem approbarit, et qui sanctus Hugonem Gratianopolitanum episcopum sui reverentem habuerit, Carthusiæque eremum sibi donari impetrarit.*

499. Gaufredo, Vosiensi priori, qui, ut supra docui, Victori III papæ visionem, qua hic Dominum, in Carthusiæ eremo habitaculum sibi construentem, viderit, divinitus oblatam refert, in metrica, quam adornavit, Sancti nostri Vita fidem adhibuit Zacharias Benedictus, hincque, visionem illam a Deo, qui nihil facit frustra, Victori indubie, non quidem adhuc monacho, ut Gaufredus ait, sed jam papæ quo ex hac factam a sancto Carthusiæ fundationem Dei opus esse, intelligeret, itaque ad hanc apostolica auctoritate confirmandam moveretur, oblatam fuisse, ratus fuisse reipsa abs illo Carthusiæ fundationem confirmatam, in animum induxit, ut sequentes, quibus rem hanc canit, versus fidem faciunt.

Septimus excelsis titulis in sede Latina
Gregorius residens orbis retinebat habenas ;
Quo moriente, habuit Petri moderamina Victor,
Isque ad olympiacos tum forte aspexit in axes,
Felicesque choros vidit splendore corusco
Sedibus e sanctis lætum associare Tonantem ;
Qui Carthusiacos pergens invisere colles,
Hi sibi fundabant dignas in cotibus ædes
Obstupuit, montes illos et clima notavit,
Cursoremque illuc celerem celeresque tabellas
Misit et Hugoni visa hæc miracula scripsit.
Hugo admiratus, quodcunque evenerat illo
Tempore rescripsit, quæve in confinibus illis
Egerat Omnipotens, calamo dat nota volanti,
Doctorem et senos comites a turbine mundi
Conversos, septem stellarum lumina nec non
Ordinis incepti seriem, strictumque rigorem.
500. *Nuncius abscessit, Latiamque redivit ad [urbem.*
Maximus ut Pastor cepit nova nuncia, gaudens
Convocat extemplo patres, sanctumque senatum,
Quos Romana facit sublimes purpura, pandit
Omne, quod acciderat, factum, et divinitus auctum
Confirmavit opus votis concordibus aulæ,
Divinisque illud, confecto grammate, donis
Munivit, variisque effecit dotibus almum,
Servanturque notis signata bifrontibus æra.
Hic fuit ante gradum supremi culminis abbas
Montis Oliviferi, cui nomen ab urbe Casinas,
Quæ fuit Æneadum celebrata colonia quondam.
Hoc et idem plures summi fecere parentes,
Qui caput excelsum triplici diademate cingunt.

Ita ille, et visionem, quam hic canit, Victori papæ, non adhuc, ut jam dixi, Cassinensi monacho, aut, si mavis, abbati, sed jam, contra ac Gaufredus scribit, creato summo pontifici, fuisse oblatam, et abs illo Carthusiæ fundationem, cum hanc a S. Brunone factam, ex Hugone, Gratianopolitano episcopo, intellexisset, datis litteris apostolicis confirmatam fuisse, memoriæ prodens. Verum confirmationis hujus nec ipsemet Gavfredus, qui visionem Victori papæ oblatam scribit, nec ulli alii, quos quidem hactenus viderim, meminerunt scriptores, Zacharia Benedicto antiquiores. Hinc fit, ut illam ex conjectura tantum, quam e credita sibi, quæ Victori fuerit oblata, visione formavit, metricum illum Sancti nostri biographum astruxisse, vehementissime suspicer, ne dicam, pro indubitato habeam. Verum cum ex supra dictis Gaufredus, dum visionem, qua Victor III papa Deum, in solitudine Carthusiæ habitaculum sibi cunstruentem viderit, litteris mandavit, a veritate aberrarit, ab hac pariter,

www.libtool.com.cn

quam ex visione illa format, conjecturam dictam aberrare ambigendum non est.

501. Ad hæc Victor anno 1086 ad solium pontificale fuit evectus, nec vitam protraxit ultra annum proxime sequentem, quo ei Urbanus II successit; non exstitisse autem ante tempus, quo Urbanus II S. Petri cathedram occupare cœpit, pontificias litteras, ordinis Carthusiensis facientes mentionem, anonymus primorum quinque Carthusiæ priorum chronographus, seu antiquior Sancti nostri biographus, qui majoris utique fidei auctoritatisque est quam metricus, de quo hic, biographus Zacharias Benedictus, non obscure docet; postquam enim ab Urbano II litteras infra huc transcribendas, quibus Siguinus, Casæ-Dei abbas, Carthusiam Landuino hujusque sociis, qui eam, Brunone abeunte Romam, deseruerant, restituere jussus fuit, scriptas fuisse, num. 19 retulit, num. proxime sequenti subjungit: « Et istæ videntur primæ litteræ papales, quæ inveniuntur de ordine Carthusiensi facere mentionem. » Jam vero, cum litteræ illæ, quas ex dictis Urbanus scripsit, primæ sint, quæ ordinis Carthusiensis mentionem facere inveniantur, litteris scriptis a Victore III Carthusiæ fundationem confirmatam seu approbatam non fuisse, pro indubitato, accedente præterea universali de re hac scriptorum omnium antiquorum silentio, est habendum; ut proinde Zacharias Benedictus id factum, perperam notarit. Nec ex hoc tantum metricus hic sancti biographus erroris arguendus venit; verum etiam ex eo, quod S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, Carthusiensem habitum a S. Brunone suscepisse, Carthusianisque adeo fuisse etiam ascriptum, memoriæ prodat; etenim rei hujus nuspiam meminit Guigo, Hugonis accuratissimus fideque dignissimus biographus, qui tamen eam, si fuisset, omni dubio procul sciturus, scitamque litteris commendaturus fuisset.

502. Ast hic error, a subdititio Sigeberto (adi num. 297) primum profectus, utcunque excusandus videtur: etsi enim Hugo habitum Carthusiensem nunquam induerit, Carthusianus tamen quodammodo æstimari potuit, tum ob desiderium, quo, ut Carthusianum, abdicato episcopatu, profiteri posset, arsisse dignoscitur, tum ob singularem, quo in Carthusianos ferebatur, affectum frequentemque cum hisce in Carthusia commorationem. Ac maximum quidem S. Hugonis in S. Brunonem Carthusianosque affectum fuisse, palam est tum ex Guigonis verbis supra hunc transcriptis, tum ex eo quod, ut Guibertus de Novigento lib. I de Vita sua cap. 11 docet, « abbatis » quodammodo ac « provisoris » domus Carthusiensis « vices, » cum scilicet ex ea Bruno jam discessisset, agere gravatus non sit sanctus ille antistes. Accedit antiquior Sancti nostri biographus, qui eum ita in ordinem domumque Carthusiensem beneficium fuisse, num. 14 scribit, ut tum hujus, tum illius cum S. Brunone dici possit « fundator, et quamvis non primus, tamen quodammodo præcipuus institutor. » Quod autem ad Hugonis in Carthusia commorationem pertinet, fuisse hanc sane admodum frequentem, ejusdemque illum tempore ad Carthusianorum exemplar ac normam, unde et pro Carthusiano quodammodo haberi potuerit, vitam suam ad amussim exegisse, docet nos iterum Guigo in conscripta a se sancti illius antistitis Vita partim verbis supra huc jam transcriptis, partim hisce, quæ nunc subdo: « In tantum autem (S. Hugo videlicet) eremum (Carthusiæ cum S. Brunone ejusque sociis) devotus incolebat et sedulus, ut eum magister Bruno nonnunquam exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oves vestras, eisque, quod debetis, exsolvite. Eo tempore, magnæ paupertatis et humilitatis ardore succensus, voluit equitaturas suas cunctas vendere, et diviso pauperibus pretio, propriis pedibus in prædicatione discurrere. Sed homo profundi cordis, magister Bruno scilicet, cujus consiliis non aliter, quam præceptis obtemperabat abbatis, non consensit timens, ne apud se forsan extolleretur, aut a cæteris de singularitate judicaretur episcopis; aut (quod dubium non erat) id ipsum propter asperitatem et inæqualitatem itinerum consummare non posset. »

503. Nec tantum, quod jam dixi, ex hisce Guigonis verbis intelligitur, verum etiam Hugonem non minori in S. Brunonem veneratione, quam affectu fuisse, tantamque eam exstitisse, ut illum abbatis quodammodo loco haberet. Hinc merito antiquior Sancti nostri biographus transcriptis tum hisce, tum aliis, quæ jam supra data sunt, Guigonis verbis num. 14 subjungit: « Omnia prædicta sunt verba domni Guigonis scripta in Vita S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, quæ hic inserenda judicavimus, quia in eis primordia fundationis Carthusiæ declarantur, et magistri Brunonis excellentia innotescit et in hoc quod eidem tam venerabilis, tam sanctus episcopus cum tanta reverentia sic ferventer et humiliter adhærebat. » Maximo porro in amore ac pretio apud S. Hugonem exstitisse Sanctum nostrum ejusque socios, recte etiam concluseris tum ex charta, quam, si Mabillonius (neque enim an hæc uspiam existat, novi) Præfatione in sæculi VI Benedictini parte II, num. 86 recte notet, vix uno mense integro post S. Brunonis ad Hugonem accessum presbyteris et laicis sui episcopatus sanctus ille antistes scripsit, præcipiens, « Ut ne feminæ (Verba sunt Mabillonii) transeant per terram Carthusiæ fratrum, qui, Deo placere cupientes, mundum et turbas fugiebant; et ne quisquam intra terminos ipsorum possesssionis piscationem aut venationem exerceat, et sua animalia pascenda deducat, » tum ex eo quod Sancto ejusque sociis, quidquid sibi in Carthusiam juris competeret, libens cesserit, verosimillimeque etiam, ut Blomevenna, Puteanum iterum aliosque Sancti biographos sibi consentientes habens, affirmat, effecerit, ut alii, qui in eamdem eremum juris quidpiam haberent, ei data charta publica in S. Bruno-

www.libtool.com.cn

nis ejusque sociorum favorem renuntiarint. Integram illam, ut locus exigere videtur, modo huc ex apographo, Chronologico-diplomaticæ Morkensii Diatribæ supra jam sæpius laudatæ inserto, transcribo. Sic habet : « Gratia sanctæ et individuæ Trinitatis misericorditer nostræ salutis admoniti, recordati sumus humanæ statum conditionis et vitæ fragilis lapsus inevitabiles, quam sine termino ducimus in peccatis. Itaque judicavimus, nos peccati servos de manu mortis redimere, temporalia pro cœlestibus mutare, æternam hæreditatem pretio perituræ possessionis comparare, ne duplici contritione conteramur, et præsentis vitæ miserias laborum et dolorum initium sumamus.

504. «Itaque magistro Brunoni et his, qui cum eo venerunt, fratribus, ut Deo vacarent, ad inhabitandum solitudinem quærentibus, ipsis eorumque successoribus in æternam possessionem spatiosam eremum concessimus, Ego Humbertus de Miribel, una cum Odone fratre meo et cæteris, qui juris aliquid habebant in prædicto loco ; hi vero scilicet, Hugo de Tolnone, Anselmus Garcinus ; deinde Lucia et filii ejus Rostanus, Guigo, Anselmus, Pontius atque Boso, precibus et interventu prædictæ matris eorum ; Bernardus quoque Longobardus cum filiis suis ; similiter et domnus abbas Siguinus de Casa-Dei cum suorum fratrum conventu, quidquid ibi juris habere videbantur, supradictis concesserunt fratribus. Ipsa vero, quam eis dedimus, eremus hos habet terminos, scilicet infra locum, qui vocatur Clusa, et rupem claudentem vallem et pertingentem usque ad molarem claudentem et dividentem Combam-Caldam, et pervenientem usque ad rupem mediam, quæ est super Borghesos ; deinde molarem alium, qui descendendo perducitur per usque ad rupem a Bonviant. Exinde molarem alium, qui descendendo perducitur per crepidinem plataneti a Bonviant usque ad rupem, quæ est supra furnum de la Follia. Similiter ab illo monte qui de eadem rupe porrigitur usque ad montem Aillinart et a monte Aillinart descendendo extenditur juxta Mortam contra Occidentem usque ad rupem, quæ est super Correriam, et ab hac rupe porrigitur usque ad rupem de Pertuso. In le postremo protenditur descendo usque ad flumen, quod vocatur Guerus mortuus. Inde quoque ab eodem clauditur usque ad Clusam. Si qua vero persona potens aut impotens hanc donationem infregerit, tanquam sacrilegii rea ab Omnipotentis Dei gratia et fidelium consortio separata anathemate maranatha feriatur æterni ignis incendio, nisi digne satisfecerit, cum Dathan et Abiron et Juda proditore concremanda.

505. « Præfata quidem terra, his erminationibus couclusa, a magistro Brunone et ab his, qui cum eo erant, fratribus cœpit inhabitari et construi anno ab Incarnatione Domini 1084; episcopatus vero domini Hugonis, Gratianopolitani episcopi, quarto, qui videlicet laudat et corroborat hoc donum, quod fecerunt supra scriptæ personæ, cum omni conventu clericorum suorum, et quantum ad se pertinet, quidquid sui juris esso videtur, omnino concedit. Testes Hugo decanus, Joannes de Podio, et Rostagnus Guigo de Lanz, et Galterus Bueta, Petrus et Gilbertus, Agelbertus et Aldelemus, Petrus et Ricardus. Lecta est autem hæc charta Gratianopoli in ecclesia beatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ, quarta Feria secundæ hebdomadæ Dominici Adventus in præsentia prædicti domini Hugonis, Gratianopolis episcopi, atque canonicorum suorum, aliorumqua multorum, tam sacerdotum, quam cæterorum ordinum clericorum, celebrantium sanctam synodum quinto Idus Decembris.» Cum hæc charta, quæ, ut characteres chronici, quibus munita est, testantur, hebdomadæ secundæ Adventus Feria quarta, quæ in nonum Decembris diem incidit, lecta est, S. Brunone Carthusiam adhuc inhabitante, seu temporis spatio, annum 1084, quinque sequentes et partem anni 1090 complectente, data haud dubie sit, tuncque, ut computanti aut etiam Chronologiam Technicam Labbei duntaxat inspicienti patescet, Feriam, quartam hebdomadæ secundæ Advedtus in quintum Idus seu diem nonum Decembris incidere solo anno 1086, contigerit, fuisse chartam, quæ huc jam transcripta est, hoc ipso anno lectam seu datam, manifestissimum est.

506. Atque hoc primum est, quod in illam notandum occurrit. Ne porro erronea in notis chronicis a quoquam putetur, exponendum modo, qui in ea a Sancto ejusque sociis, quod anni 1084 mense Junio ex dictis factum, Carthusiæ eremus inhabitari cœpta recte dicatur anno quarto episcopatus Hugonis, Gratianopolitani episcopi, qui interim, ut supra ostendi, jam inde ab anuo 1079 electus, annique proxime sequentis initio consecratus fuit Gratianopolitanus episcopus, quique adeo, cum Carthusiæ eremus inhabitari a Sancto cœpit, quintum jam inde episcopatus annum egerit, si modo episcopatus ejus anni vel ab electione vel a consecratione sint computandi. Verum idne ita fieri necesse est? Anonymus Tractatus de S. Brunone a Carthusianis hujatibus mecum communicati auctor annos episcopatus Hugonis non ab electione, aut consecratione sed ab adita episcopatus possessione computari solitos fuisse, Hugonemque non ante exeuntem annum 1080 episcopatus Gratianopolitani possessionem adiisse, præfatus, ita mox, quo tam hoc, quam illud evictum dat, subjungit : « Asservatur in Majoris Carthusiæ tabulario donatio per Guigonem comitem et reginam Mathildem illius uxorem domui Calesiensi facta, quæ data est anno Incarnationis Domini 1110, XI Kal. Novembris anno, pontificatus domini Hugonis, episcopi Gratianopolitani XXX. Hic annus pontificatus Hugonis non est electionis aut consecrationis ; alias enim (cum scilicet, ut iterum mox monui. Hugo anno 1079 electus, annique proxime sequentis initio consecratus sit Gratianopolitanus episcopus) notandus fuisset XXXI aut XXXII, Dicendus est igitur annus possessionis, quam nondum (illum) adeptum fuisse anno 1080

www.libtool.com.cn

mense Octobri sequitur ex die designata XI Kal. Novembris.

507. « Idem necessario conficiendum est ex alio instrumento, quod extat editum De usu feodorum Delphinatus, cujus initium et finis sic habent: » Ego Hugo, Gratianopolitanus episcopus, rogatu » canonicorum concessi abbati Bosoni beatæ Mariæ » Crudatensis, et successoribus suis tres ecclesias.... » Facta est hæc donatio de tribus prædictis ecclesiis.... IV Nonas Novembris anno Incarnationis » Domini 1110, anno pontificatus domini Hugonis » episcopi XXX. » Ergo necdum episcopatum Hugo inierat sub initium Novembris anni sæpe dicti 1080.» Ad hæc ut, quod hic instituti mei ratio postulat, adjungam, cum Hugoni, utpote ex dictis anno 1079 electo, ineunteque anno 1080 consecrato Gratianopolitano episcopo, anno 1110 ad IV Nonas seu ad secundam Novembris diem jam provecto, annus ab electione consecrationeque non trigesimus, sed trigesimus primus fluxerit, et tamen instrumentum, cujus hic initium et finem Tractatus de S. Brunone auctor anonymus exhibet, anno episcopatus Hugonis trigesimo datum notetur, consequens est, ut tam in hoc, quam in altero, quo Guigo comes ejusque uxor Mathildis domui Calesiensi benefecit, anni episcopatus Hugonis, Gratianopolitani antistitis, non ab electione consecrationeve, sed ab adita post consecrationem sedis illius possessione numerentur. Jam vero, cum res ita habeat, uti laudatus Carthusianus anonymus supra affirmat, annosque adeo episcopatus Hugonis non ab electione consecrationeve, sed ab adita primum possessione computari solitos fuisse, veritati consonum appareat, non est sane, cur supra huc transcripta donationis Carthusiæ charta erroris in notis chronicis suspecta habeatur, accuseturve ex eo quod Carthusiæ eremum anno episcopatus Hugonis Gratianopolitani antistitis quarto a S. Brunone ejusque sociis inhabitari cœptam prodat; quod ex supra dictis verum esse non potest, nisi instituto computo a tempore, quo Hugo episcopatus possessionem iniit.

§ XXX. *Sanctus, a summo pontifice arcessitus, Carthusiam, rite jam ordinatam, incolarumque numero auctam, diserere cogitur : quandonam id, et quanto discipulorum Brunonis luctu factum.*

508. Quatuor aut quinque, aut etiam paucioribus a Sancti ejusque sociorum in Carthusiam ingressu elapsis annis, eo jam inde modo, qui vitæ eremiticæ maxime congruit, rite omnia, tum quantum ad religiosorum eremi incolarum habitacula, tum quantum ad vivendi normam, fuisse ordinata, dubitandum non apparet, uti etiam Sanctum ejusque socios susceptæ vitæ austeritate juxta ac Sanctimonia longe lateque inclaruisse. Atque hinc factum reor, ut et nonnulli alii ad incultam antea ac pene inaccessam eremum venerint, atque in celeberrimi, qui hanc moderabatur, Viri discipulorum numerum cooptari postularint Ac primo quidem, Petrum et Lambertum, qui una cum Sancto, Carthusiam nondum ingresso, in Siccæ-Fontanæ solitudine vitam eremiticam, uti plus semel e Mabillonio jam laudata monasterii Molismensis charta fidem facit, aliquandiu duxere, institutum a Brunone vitæ genus tandem etiam sive in Carthusia sive in Calabria esse amplexos, Historiæ litteriæ Franciæ scriptores tom. IX, pag. 241 non obscure indicant. Ibi enim opinari sese, manifestant, Petrum quidem a Petro, qui, quamvis Bethunæ natus esset, a diuturna tamen sua in Francia commoratione Francus cognominatus fuit, secundusque a S. Brunone (adi Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 639) Carthusiæ prior exstitit, Lambertum autem a Lamberto, qui Carthusiæ Calabrinæ prior seu magister religiosis hujus incolis optimas leges præscripsit, diversum non esse. Et vero, cum facile factum esse queat, ut Petrus et Lambertus, qui prius Brunonem e Siccæ-Fontanæ solitudine Gratianopolim abeuntem, sequi noluerant, consilium postea, cum de fixa a Sancto in Carthusia sede inaudivissent, mutarint atque in horridam hanc eremum, Sancto annuente, concesserint, reipsa id fecisse illos, neutiquam vero apparet absimile, licet interim Lambertum, qui cum Sancto in Siccæ-Fontanæ solitudine versatus est, eumdem cum Lamberto, Carthusiæ Calabrinæ priore, asseverare non ausim.

509. Ast quocunque modo res habeat, fuisse equidem, dum Sanctus e Carthusiæ eremo discessit, discipulos ejus numero plures, quam cum primum hanc solitudinem ingrederetur, suadent mihi binæ chartæ, infra integræ huc transcribendæ, quarum altera Rogerius, Calabriæ et Siciliæ comes, eremum Calabrinam S. Brunoni ejusque sociis donat, altera donationem hanc Rogerius Apuliæ, Calabriæ Siciliæque dux, cujus Rogerius comes patruus erat, confirmat. In priori enim comes ita loquitur: « Rogerius Dei gratia omnes Calabriæ et Siciliæ omnibus fidelibus suis et Ecclesiæ Dei filiis tam præsentibus quam futuris salutem. Notum esse volumus fraternitati vestræ, per Dei misericordiam a Galliarum partibus ad regionem istam Calabriæ sanctæ religionis, viros Brunonem videlicet et Lanvinum cum sociis eorum pervenisse, etc.» In posteriori vero Rogerius dux hunc fatur in modum: « Rogerius Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ Dei gratia dux, omnibus fidelibus Christianis præsentibus et futuris in Domino salutem. Notum esse volumus fraternitati vestræ de duobus viris Brunone scilicet et Lanvino, qui sanctæ religionis studio accensi cum sociis suis in terram Calabriæ a Galliarum partibus, disponente Deo, venerunt, etc.» Sanctus ergo, cum in Calabriam, quod ex dicendis non diu admodum ab ejus e Carthusia egressu factum, ad comitem Rogerium venit, socios sibi aliquot, e Gallia appulsos, quorum in hisce chartis mentio fit, habebat adjunctos ; quare, cum unus saltem ex his, Lanvinus videlicet, ab omnibus sex Sancti sociis, Carthusiæ eremum cum eo primum ingressis, sit diversus, consectarium fit, Sancti discipulos, dum hic e Carthusiæ eremo pontificem

www.libtool.com.cn

aditurus discederet, numero plures fuisse, quam cum solitudinem eam primum ingrederetur; Lanvinum autem, in binis laudatis chartis memoratum, ab omnibus sex dictis Sancti sociis, seu potius, quod hic potissimum dubium non nemini videri queat, a Landuino esse diversum, sic ostendo: Sanctus, uti ex dicendis patescet, non prius cum Lanvino in Calabrinam eremum secessit, dictisque binis chartis sibi illam donari ac confirmari impetravit, quam cum Carthusiam majorem, quam deseruerant, Landuinus una cum discipulis, seu Carthusianus, quibus a S. Brunone fuerat præfectus, repetiisset, ut proinde, hunc ab illo diversum esse, sit necessum.

510. Ad hæc Lanvinus, qui cum Sancto in Calabrinam eremum secessit, in Normannia, Franciæ provincia, Landuinus vero, qui, monente S. Brunone, Carthusiam Majorem repetiit, in Tuscia natus erat. Accedit, Landuinum Tuscum anno 1100, cum e Carthusia Majori, cui prior præerat, Brunonem in Calabriam venisset invisum, diem extremum (adi Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 639) clausisse; Lanvinum autem S. Brunoni, qui anno ex dicendis 1101 obiit, vixisse superstitem, eique in Carthusiæ Calabrinæ præfecturam fuisse suffectum, uti videre licet apud Mabillonium Annalium Benedictinorum lib. LXX, num. 30. Lanvinum itaque, qui cum Sancto in eremo Calabrina commoratus est, a Landuino Tusco esse distinctum, indubitatum est, quod, ne unum cum altero in decursu confundas, bene est notandum. Porro e Sancti sociis, quorum binæ chartæ proxime memoratæ mentionem faciunt, aliquod saltem adhuc alii verosimillime fuerunt a sex Sancti sociis, Carthusiæ eremum cum eo primum ingresssis, diversi; ut proinde hi, cum inde Sanctus abiit, Calabriamque petiit, numero jam aucti exstiterint. Nec est, quod reponas, socios, quibuscum Sanctus in Calabriam venisse in laudatis binis chartis memoratur, ac nominatim Lanvinum (adi in Brunonis Vita cap. 17 Zanottium) non prius ei sese, quam cum, relicta Carthusia, in Italia jam existeret adjunxisse; Sanctum enim brevi temporis spatio, quo ex dicendis, antequam in Calabriam secederet, apud pontificem commoratus est, invenisse statim Romæ, qui in disciplinam ejus sese dederint, appulsos e Galliarum partibus viros, quod tamen, ut quidquam hic contra opinionem nostram posset confici, requireretur, parum verosimile apparet.

511. Quod cum ita habeat, esse sane non videtur, cur an Sanctus, cum e Carthusia discessit, discipulorum suorum numerum auctum viderit, revocetur in dubium, magisque eum adhuc augeri indubie vidisset, si diuturnior ejus esse potuisset in Carthusia commoratio. Verum, cum sex annis, quorum ultimus saltem incompletus ex dicendis fuerit, Carthusiæ eremum prior seu potius (is enim illi proximisque ejus successoribus titulus ab omnibus fere scriptoribus tribuitur) magister rexisset, pontificium fuit allatum mandatum, quo ei, ut ad Romanam curiam sese conferret, severissime ab Urbano II papa, ad pontificalem apicem anno 1088 evecto, injungebatur. Hic olim Sancti nostri Remis, ut jam supra docui, fuerat discipulus, hincque raram viri prudentiam ingeniique sagacitatem apprime perspectam habens, eum apud se, quo ad consilia adhiberetur, habere volebat in difficillimis illis temporibus, quibus a papa dissidente frequenterque arma in pontificios in Italia movente imperatore Henrico IV, deplorandum in modum res Ecclesiæ in Italia et Germania erant turbatæ. Ut nuntius ille ad Brunonis discipulorum aures pervenit, ingens mox omnium animos luctus subiit. Audi quæ huc spectantia Blomenvenna id Sancti nostri Vita a se conscripta commemoret. « Et ecce, inquit, vix annis sex in tali conversatione exactis, rursum tentatur... Papa nempe Urbanus II, prius dictus Otto, abbas Cluniacensis, qui olim discipulus fuerat beati Brunonis, cum pontificatum summum adeptus esset, cupiens illum digne administrare, non immemor excellentissimæ doctrinæ et probitatis ejusdem sui praceptoris, vocavit eum ad sanctæ Ecclesiæ obsequium, addito etiam obedientiæ præcepto.»

512. « Quo perlecto mandato, vox in Rama audita est, ululatus et prolatus multus filiorum sancti Brunonis, nolentium consolari obtestantiumque Patrem, quod ejus orbati solatio nullo pacto in loco horroris et vastæ solitudinis perseverare possent. Sed si maneret, manerent, si abiret, abirent et ipsi. Quorum fletibus piissimus Bruno vehementer turbatus et ad compassionem motus, cum sibi quoque durissimum esset, post tam placidæ et tranquillæ solitudinis quietem rursum externis curis et inquietudinibus implicari. Nisus est tamen eorum animos sedare et consolari. Sciebat ipse scriptum esse: « Qui vos audit, me » audit, et quod semel loquitur Deus, et secundo id » ipsum non repetit. » Et ideo non aliter Apostolici jussionem, quam cœlesti oraculo ad se delapsam vocem accepit. » Quapropter alloquens suos ait: Manere vobiscum, fratres mei dilectissimi, gratissimum mihi est, separari a vobis gravissimum. Sed mandatis apostolicis obedire necessarium mihi est. Quid enim prodesset hic vobiscum exterius carnem jejuniis et abstinentiis atterere, si per inobedientiam animæ meæ damnationem contingat acquirere, etc. » Ac deinde nonnullis adhuc, quibus ultro citroque sermones miscentes inducit Sanctum ejusque discipulos, interpositis, subjungit: « Audiens hæc beatus Bruno, cum videret eos consolationem non recipere, nec persuaderi eis posse, ut manerent, metuens, ne post suum et eorum recessum eremus Carthusiæ, locus jam Deo dicatus, ad manus laicas et profanas iterum deviniret, cogitans scilicet illam cum suis repetere, commendavit et dedit eam venerabili viro domino Siguino abbati monasterii Casæ-Dei, qui unus fuerat ex primis donatoribus, de quibus diximus, confecto super hoc publico instrumento. Sicque beatus Bruno, suscepta bene-

www.libtool.com.cn

dictione a sancto Hugone, episcopo Gratianopolitano, obedientia cogente, Romam profectus est. »

513. Ita hactenus ille, Puteano, e quo iterum sua fere omnia mutuatus est, apprime consonans, nec pugnans cum antiquiore Sancti nostri biographo seu primorum quinque Carthusiæ Priorum Chronologo. Atque hi omnes tres quidem, uti etiam, qui sua e duobus horum recentioribus, Puteano scilicet et Blomenvenna, deprompsit, Surius, universos Sancti discipulos summo fuisse, cum eum e Carthusia a Pontifice accersiri intellexerunt, mœrore affectos Carthusiamque, abeunde Sancto, deserere statuisse, litteris recte consignasse videntur. Id enim, ut ut a nullo prorsus auctore synchrono seu æquali memoriæ proditum inveniatur, veritati tamen e restitutionis Carthusiæ infra huc transcribenda charta, utpote in qua ex hac eremo S. Brunonis socii ob hujus absentiam recessisse innuuntur, consonum videtur. Verum indicant etiam recentiores laudati Sancti nostri biographi, Brunonem, cum Carthusiam Siguino dedit, atque ex hac, ad pontificem se collaturus, exiit, isthuc postea redire statuisse; quod, cum instrumento, quo Sanctus, ad pontificem tendens, Siguino Casæ-Dei abbati Carthusiam donavit, nulla omnino de hac Brunoni ejusque sociis, si redirent, reddenda mentio ingeratur, parum verosimile mihi apparet. Nec verosimilius est, quod tamen etiam nonnulli volunt, instrumentum, quo Sanctus Carthusiam Casæ-Dei abbati Siguino contulit, datum ei jam tum fuisse, cum ejus discipuli e Carthusia ob dilecti ex hac Magistri discessum nondum dilaberentur, dilapsurique tantummodo brevi post a Sancto prævideretur.

514. Etenim in charta restitutionis Carthusiæ dicitur Bruno Carthusiam, cum «loci, fratribus recedentibus propter absentiam ejus, destitutionem videret,» Siguino abbati dedisse ac commendasse; ut proinde instrumentum, quo Carthusiam Siguino Sanctus dedit, collatum ei, primis Carthusiæ Majoris incolis Sancti discipulis nondum dilabentibus seu Carthusiam relinquentibus, haud fuerit, maxime cum id in fratrum seu discipulorum Sancti e Carthusia recessu factum, diserte tradatur in epistola infra pariter huc transcribenda, qua Urbanus II papa Siguino abbati, ut Carthusiæ eremum S. Brunonis discipulis, ad hanc redeuntibus, restituat, injungit. At vero, inquies, si Sanctus chartam, qua Carthusiam Siguino dedit, dilabentibus e Carthusia discipulis suis, seu in horum ex eremo illa recessu impertiit, qui verum intelligetur, esse illos ob Sancti absentiam sou eo in itinere e Carthusia versus pontificem jam existente, uti charta restitutionis Carthusiæ jam pluries laudata indicat, e Carthusia dilapsos? Mabillonius in Annalibus Benedictis lib. LXXVII, num. 92, sic scribit: «Eodem tempore, quo natus est Bernardus, Bruno, Carthusiæ Majoris primus institutor, ab Urbano II, qui ipsius apud Remos discipulus fuerat, Romam evocatur, ut ejus consiliis in Ecclesiæ moderamine uteretur,

A Ægre hanc discessionem tulit novellus grex, tanti Pastoris solatio destitutus; cunctisque, eo absente, intolerabilis visa est Carthusiæ habitatio et vitæ asperites. Sed tandem parendum fuit summi pontificis auctoritati, qui locum Seguino, abbati Casæ-Dei, commendavit. Recessit itaque Bruno e Carthusia post annos sex, quam eam incolere cœperat. Ejus discessu conturbati fratres, quæ humana tentatio est in rebus arduis deficiente magni meriti duce, locum deserunt; quod ubi Bruno rescivisset, litteris ad Seguinum, Casæ-Dei abbatem, scriptis Carthusiam ei ejusque monasterio concessit. »

515. Ita Mabillonius, Brunonem scilicet tunc demum, cum in itinere Romano aut etiam Romæ versaretur, instrumentum, quo Carthusiam in Se-
B guinum abbatem transcripsit, confecisse epistolaque ad eum misisse, indicans. Et sane, re ita considerata, facile quisque intelliget, qui, cum Sanctus jam absens esset, seu in itinere versus pontificem aut Romæ existeret, discipuli ejus dilabi e Carthusia, ipseque hisce dilabentibus seu potius dilapsis, instrumentum publicum, quo hanc Siguino Casæ-Dei abbati tradidit, donare potuerit, salva eorum omnium veritate, quæ in charta restitutionis Carthusiæ occurrunt. Attamen cum Sanctus, antequam iter Romanum susciperet, in ipso discipulorum suorum e Carthusia recessus actu Carthusiam in Siguinum Casæ-Dei abbatem transcripsisse videatur, ita malim rem gestam concipere: S. Bru-
C no, cum e Carthusia, Landuino in locum suum substituto, jam excesserat, ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum, uti reipsa fecisse a Blomenvenna aliisque narratur, sese, ei valedicturus, contulerit, discipulique interea, quos in Carthusia reliquerat, audito Sanctu discessu, Carthusiam pariter, desiderium ejus ferre haud valentes, reliquerint. Ita sane facili etiam negotio intelligetur, qui et Sanctus, e Carthusia discedens, dilabentibus ex hac discipulis suis, mox id audire et instrumentum, quo Carthusiam Siguino Casæ-Dei abbati commendavit, conficere, confectumque aut ipsemet ad hunc deferre, aut etiam ab altero deferendum curare potuerit.

516. Porro ex charta restitutionis Carthusiæ
D etiam collige, opinionem eorum, qui Sanctum in itinere, quod pontificem versus suscepit, omnes prorsus suos in Carthusia discipulos comites habuisse statuunt, veritati neutiquam posse congruere. In illa enim charta, qua hisce Siguinus Carthusiam restituit, Bruno abiens Landuinum omnibus aliis suis discipulis in Carthusia commorantibus præposuisse dicitur; qui autem factum id esse queat, si cum Sancto et Landuinus et reliqui omnes ejus discipuli iter versus pontificem susceperint? Verum nonne Sanctus aliquot saltem ex hisce socios itineris sibi habuit adjunctos! Est sane, cur id non nemo sibi persuadeat, cum, ut supra docui, in chartis Rogerii comitis, et Rogerii ducis Sanctus cum sociis sibi adjunctis e Galliæ partibus in Cala-

www.libtool.com.cn

briam dicatur advenisse, nec satapte dici id posse videatur, nisi Sanctus una cum sociis, quos sibi habebat adjunctos, iter Calabriam versus ex ipsa Gallia inchoarit. Quod si interim id displiceat, dubitandum equidem non est, quin Sanctus, cum omnes ejus Carthusienses discipuli consecuti eum in Italia essent, aliquot ex hisce, in Carthusiam remissis aliis, apud se retinuerit. Unde enim alioquin cum ad comitem Rogerium (adi num. 509 et seq.) in Calabriam accessit, socios sibi, qui e Galliarum partibus venissent, habuisset adjuncto? Sed hæc de discipulis, quo Sanctus, cum Carthusiam summi pontificis jussu deseruit, curiamque Romanam petiit, sub disciplina sua habuerit, dicta sufficiant; in tempus modo, quo sese, Carthusia deserta, ad curiam Romanam contulerit, inquiramus.

517. Baronius id anno 1092 factum statuit, quod Sanctus, uti intellexerat, anno commorationis in Carthusia sexto ad curiam Romanam fuisset evocatus, sexque anni ab anno 1086, quo, ut supra vidimus, Sancti in Carthusiam secessum consignat, ad dictum annum 1092 deducant. Verum cum ex supra dictis Bruno non anno primum 1086, sed jam inde ab anno 1084 in Carthusiæ eremo sedem fixerit, seque ut antiquissimum fideque ex dictis dignissimum primorum quator Carthusiæ priorum Chronicon in Sancti elogio, num. 7 huc transcripto, testatur, Romanam ad curiam, cum eremum Carthusiæ rexisset sex annis, contulerit, consectarium fit, ut id anno 1090, ultra mensem Junium, quo ex dictis sese in Carthusiam Sanctus abdidit, jam provecto, indubie fecerit, si anni sex, quibus in Carthusia commoratus a primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronologo traditur, pro completis sint abendi. Ac Mabillonius quidem in Annalibus Benedictinis lib. LXVII, num. 92 Sancti e Carthusia egressum anno 1090 innectit. Mabillonio consonant Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, pag. 239, uti etiam Pagius in Criticis, aliique eruditi passim omnes. Verum in Vita Urbani II papæ Mabillonii et Ruinartii Operum posthumorum tom. III inserta, pag. 69 posterior e binis hisce scriptoribus, postquam, Urbanum II papam anno 1089 concilium seu synodum Melphi celebrasse, Barii ossa S. Nicolai transtulisse, Eliam episcopum consecrasse ac tandem Calabriam perlustrando Rhegium usque penetrasse narravit, ita memorat: « Eadem etiam occasione Brunonem, Carthusianorum parentem cum Urbano Calabriam perlustrasse, plus quam probabile est. Is nempe a pontifice, suo olim, ut diximus, cum litteras vir sanctus in Remensis ecclesiæ academia doceret, discipulo, evocatus, hoc anno (1089 videlicet) ad illum accessit, nec dubium, quin etiam eum secutus fuerit in Apuliam et Calabriam, cum eo animo Brunonem accersivisset Urbanus, ut ejus consiliis in rebus difficillimis, quæ tunc frequenter emergebant, uteretur. Aliud habetur ejusdem rei argumentum, quod nempe Brunonis sanctitatis ex eo tempore adeo nota fuerit apud Calabros, ut paulo post datus ei fuerit locus in ea regione ad inhabitandum, quem reipsa anno sequenti cum nonnullis e suis incolebat. Id constat ex Rogerii comitis diplomate, quod G. Surianus in Notis ad Vitam S. Brunonis, et Ughelles tom. IX simul cum Theodori Squillacensis episcopi confirmatione ediderunt. »

518. Quod si ergo recte hic notet Ruinartius, Sanctus noster jam inde ab anno 1089, et quidem, hoc nondum ultra mensem Septembrem provecto, ad Urbanum II papam accesserit; Urbanum enim, ut vult, in Apuliam anno illo proficiscentem comitatus est, concilioque, ibidem tunc mense Septembri, ut docet, celebrato, cum eo interfuit. Verum nihilne est, quod hanc Ruinartii opinionem vetet amplecti, seu a vero alienam esse evidenter evincat? Antiquior Sancti nostri biographus num. 24 ita de Brunone prodit memoriæ: « Eremum Carthusiæ rexit sex annis, et post, ut prædictum est, a papa vocatus, et non diu post ad eremum Calabriæ, cui Turris nomen est, transiens, ibi, sancto constructo monasterio, multorum Dei servorum anachoretarum rector exstitit et minister, et ibidem felici vitæ suæ cursu peracto, migravit ad Dominum post egressum Carthusiæ undecimo anno, nec plus, nec minus, sicut in libris Consuetudinum domni Guigonis, quæ sunt in domo Carthusiæ, continetur. » Ita ille, cui si assentiendum sit, Sancti e Carthusia egressum seu accessum ad Urbanum II papam anno 1089, ultra Septembrem non provecto, Ruinartius omni dubio procul perperam innectit. Cum enim Sanctus, uti apud omnes in confesso est, infraque probabitur anno 1101, VI Octobris die, e vivis abierit, ejus de Carthusia egressum, si annus, qui ab hoc cucurrit. Undecimus, cum mox dicto emortuali ejus anno 1101 verbis recitatis ab antiquiore nostro biographo recte componatur, non anno, ut statuit Ruinartius, 1089, ultra Septembrem nondum provecto, sed anno 1090, et quidem ultra VI Octobris diem jam provecto, evenisse, necesse est, eum ab anno quidem 1089 ultra Septembrem nondum provecto, usque ad anni 1101 sextam Octobris diem anni amplius duodecim completi, anno autem 1090, ad VI Octobris diem nondum provecto, ad eamdem sextam anni 1101 Octobris diem anni amplius undecim completi excurrerint, sicque, contra ac antiquior noster biograqhus scripbit, Sanctus non undecimo, sed vel duodecimo aut etiam decimo tertio post suum e Carthusia egressum anno vivere desiisset. Verum anne hic primorum quinque Carthusiæ priorum chronologus seu antiquior Sancti nostri biographus annum 1101, Sancto emortualem, eum definito post ejus e Carthusia egressum anno undecimo recte componit?

519. Neutiquam sane: Sanctum enim, antequam annus 1090 ad Octobrem, imo ad septimam decimam Septembris diem esset provectus, e Carthusia sese ad Urbanum II papam contulisse, e charta infra huc transcribenda, qua Siguinus Casæ-Dei abbas

www.libtool.com.cn

Carthusiam redeuntibus ad hanc, a quibus, Brunone ad Urbanum abeunte, fuerat relicta, Carthusianis reddit, certum omnino est atque indubitatum, cum » anno ab Incarnatione Domini 1190, xv Kal. Octobris» data notetur, annique amplius undecim a septima decima anni 1090 Septembris die usque ad sextam anni 1101 Octobris diem, Sancto nostro emortualem, excurrerint. Atque ita quidem jam liquet, annum Brunoni emortualem definito anno post ejus e Carthusia egressum undecimo ab antiquiore Sancti nostri biographo perperam innecti. Imo vero id faciens, cum simul, Sancti discipulos, dum hic Romam ad Urbanum II papam abierat, e Carthusia in fine sexti a suo in hanc ingressu anni recessisse, num. 23 dicat, ipsemet secum pugnat, ut consideranti patebit. Verum anne etiam perperam non citat libros Consuetudinum domni Guigonis, aut an horum exemplar, quod ad manum habuit, in notis chronicis, annum, quo Sanctus a suo e Carthusia egressu obierit, exprimentibus, non fuit corruptum? Corruptum sane fuisse, omnino necesse est. Etenim libri Consuetudinum, quos laudat, alii indubie non sunt, quam Guigonis (adi, quæ § 1 a num. 4 usque ad num. 7 dicta sunt) Statuta seu consuetudines, quatuor primorum Carthusiæ priorum Chronicon, seu horum quatuor elogia sibi habentes præfixa, in quibus, non autem in ipsis Consuetudinibus, notas chronicas invenit, quibus, quo anno Sanctus post suum e Carthusia egressum obierit, definit; antiquissimum autem ac genuinum (adi iterum § 1) primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronici exemplar, Sanctum nostrum «post egressum Carthusiæ,» non, ut antiquior ejus biographus e libris consuetudinum Guigonis sese facere affirmat, «undecimo anno nec plus, nec minus,» sed «undecimo plus minus anno» abisse, memoriæ prodit.

520. Jam vero cum hæc ita habeant, ex eo sane, quod antiquior noster biographus, Brunonem a suo e Carthusia egressu «undecimo anno nec plus, nec minus obiisse;» scribat, argui non potest, a veritate esse deviam Ruinartii opinionem, quæ ex dictis Sancti e Carthusia egressum seu accessum ad Urbanum II papam anno 1089, ultra Septembrem nondum provecto, consignat. Verum nonne eidem opinioni officit quatuor primorum Carthusiæ priorum Chronicon, in quo Sanctus ad Dominum migrasse post suum e Carthusia egressum «undecimo plus minus anno» traditur? Cum hac loquendi formula significari videatur, Sanctum non definito post suum e Carthusia egressum anno undecimo, sed vel undecimo post egressum illum anno, vel aliquanto temporis spatio seu ante seu post hunc obiisse, itaque, ut non nemini forte appareat, temporis spatium, quod nec multo anterius, nec multo etiam anno illo sit posterius, designetur, nescio, an stante, quam primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologus adhibet, loquendi formula prædicta, obitus Sancti nostri, qui ex jam dictis ante duodecimum a suo e Carthusia egressu annum vita functusce rto non est, tanto temporis spatio post undecimum ab egressu illo annum collocari queat, ut is in annum usque ab illo Sancti e Carthusia egressu tertium decimum, prout Ruinartii exigit opinio, possit differri, nulla omnino ratione alia id suadente. Ait quidem Ruinartius, Brunonem eo animo ab Urbano accersitum fuisse, ut in rebus difficillimis, frequenter tunc emergentibus, consiliarius adhiberetur, idque proinde tam mature factum fuisse, ut non nisi tertio decimo anno post Bruno e vivis abierit. Verum non video, qui accidiste nequeat, ut Urbanus, etiamsi Brunonem, magistrum olim suum, et maximo in pretio haberet et ad consilia adhibere omnino vellet, ab eo tamen ad se evocando ad annum usque 1090 seu duobus circiter annis, postquam jam summus creatus fuisset pontifex, abstinere voluerit.

521. Nec id jam inde ab anno 1089 factum, etiam suadet nota Sancti, quam Ruinartius etiam in argumentum adducit, ab eo tempore apud Calabros sanctitas; præterquam enim quod hac jam tum apud populum illum inclaruisse Brunonem, Ruinartius non probet, potuit etiam sanctitatis fama, quam is vita, in Curthusiæ solitudine austerissime acta, divitiarumque, dignitatum ac mundi contemptu per totam late Galliam sibi pepererat, ad Calabros etiam jam tum fuisse perlata. Atque hinc fit, ut neque ex loco, quem ex dicendis jam inde ab anno 1090 aut certe sequentis initio ad inhabitandum in Calabria Sanctus obtinuit, neque ex ipsa etiam ejus; quæ eodem tempore accidit, ad Rhegiensem archiepiscopatum electione pro stabilienda Ruinartii opinione sat solide argui posse existimen. Ad Hæc etsi ex eo, quod anno 1090 a Rhegiensibus electus fuerit archiepiscopus, speciali quodam modo hisce notus exstitisse, ac proin in Rhegiensi civitate, quæ in extremo Calabriæ angulo sita est, jam inde ab anno, quo eam ex dictis Urbanus II papa invisit, 1089 versatus fuisse, non nemini queat videri, fieri tamen potest, ut a Rhegiensibus, etsi iis vix non omnino esset igotus, in archiepiscopum, quod, ut primorum quatuor Carthusiæ Priorum chronologus testatur, «papa Urbano volente,» factum, e sola hujus commendatione fuerit electus. At vero, ait, qui pariter Sancti e Carthusia egressum atque ad Urbanum accessum anno 1089 innectit, in Chronologica-diplomatica sua de S. Brunone Diatriba Morkensius, inter Sancti e Carthusia discessum, et discipulorum ejus, qui delectissimi Patris absentiam ferre non valentes, in Italiam pariter, eo abeunte, Carthusiam relinquentes, abierant, factum, tandem ad hanc reditum anni ut minimum unius spatium intercessisse, res tempore utrumque inter eventum medio gestæ requirunt, ac proin, cum ad Carthusiam ex jam dictis ac porro dicendis S. Brunonis discipuli ante Octobrem anni 1090 sint reversi, abiisse hunc ex illa anno 1089, ad Octobrem nondum provecto, necesse est. Ita fere quantum ad substantiam ille.

www.libtool.com.cn

522. Verum non video, inter Sancti e Carthusia discessum, illiusque discipulorum ad hanc reditum res tot tantasque evenisse, ut eæ longe etiam minori, quam anni unius, spatio geri nequierint. Quid enim? Bruno, relicta commendataque seu donata Siguino, Casæ-Dei abbati, Carthusia, in Italiam ad summum pontificem Urbanum II, a quo evocatus fuerat, sese contulit, discipulos, qui abeuntem, relicta pariter Carthusia, in Italiam fuerant secuti, benigne ad se venientes excepit, reditum iis ad Carthusiam suasit, utque reipsa ad dilectam hanc sancto Patri suo eremum Pontificiis ad Siguinum, Casæ-Dei abbatem, quibus huic, ut Carthusiam restitueret revertentibus ad hanc S. Brunonis discipulis, Urbanus papa imperabat, litteris muniti redirent, etiam effecit. Verum quidni hæc omnia sex circiter duntaxat aut septem mensium spatio gesta esse potuerint? Imo vero quid ni etiam Sanctus, uti vere ex infra dicendis factum, eo ipso anno, quo Carthusiam deseruit, atque ad Urbanum II pontificem venit, in Calabriam, obtenta ab hoc ad eremiticam vitam redeundi facultate, sese recipere potuerit? Non magis itaque, quæ Morkensius affert, quam quæ supra e Ruinartio adducta sunt, Sancti nostri e Carthusia discessum, atque ad Urbanum II, a quo accersitus fuerat, accessum ante annum 1090 cogunt statuere. Quod cum ita sit, ut, quæ mea tandem sit opinio, aperte edicam, Sanctus noster absque solida ratione statui non potest obiisse temporis spatio post suum e Carthusia egressum longiori, quam pati videatur loquendi formula, qua, ut jam dictum, a primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologo « post egressum Carthusiæ undecimo plus minus anno » diem extremum clausisse traditur; quare cum nullum plane, quod Sanctum jam inde ab anno 1089, ad Octobrem nondum provecto, unde eum tali tempore obiisse, foret consequens, e Carthusia ad pontificem discessisse, evincat, argumentum sat validum occurrat, id illum ante annum 1090, ut Mabillonius aliique communius statuunt, non fecisse, in animum induco.

523. Verum quo circiter anni illius mense res hæc acciderit? Cum « Bruno post egressum e Carthusia undecimo plus minus anno, » primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologo, a quo ex dictis non recedendum, testante, e vivis, quod anno ex dicendis 1101 factum, abierit, hicque proinde eventus non valde diu, postquam undecimus a Sancti e Carthusia egressu annus esset elapsus, statui posse videatur, dicti anni mense Martio circiter e Carthusia Bruno verosimiliter discesserit, sequentique mense Aprili aut certe Maii initio ad pontificem Urbanum, qui tunc, ut Ruinartius in hujus Vita supra plus semel jam cit. luculentissime probat, ex Apulia et Calabria Romam erat reversus, pervenerit. Ita rem factam idcirco præcipue existimo, tum quod in hac opinione Sanctus noster, utpote anno 1101 vita functus, non serius, quam cum jam quinque aut sex circiter menses post undecimum a suo e Carthusia egressu annum essent elapsi diem extremum clauserit, nec quo minus ejus obitus tanto temporis post undecimum illum annum spatio statui queat, impedire videatur loquendi formula, qua « post Carthusiæ egressum undecimo plus minus anno » obiisse, a primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologo asseritur; tum quod etiam in eadem opinione facili negotio, qui, quæ inter Sancti e Carthusia dicessum, illiusque discipulorum ad hanc reditum gesta traduntur, reipsa etiam geri potuisse intelligantur, uti ex iis, quæ § sequenti suppeditaturus sum, magis elucescet. Ad hæc cum Sanctus haud diu e Carthusia antequam eum sequerentur discipuli, abiisse videatur, opinioni isti, ut, consideranti patebit, etiam suffragatur antiquior noster biographus, utpote num. 23 scribens, e Carthusia illos recessisse « in fine sexti anni » a suo in hanc ingressu, qui ex jam supra dictis mense Junio anni 1084 evenit.

§ XXXI. *Sanctus Romam ad Urbanam papam venit, discipulis, ut Carthusiam reperant, suadet, litteras his ad Siguinum abbatem a pontifice impetrat, archiepiscopatum Rhegiensem recusat, et, ut sibi a curia in eremum iterum secedere liceat, ab Urbano obtinet.*

524. Blomenvenna in contexta a se Sancti nostri Vita ita prodit memoriæ: « Beatus Bruno, suscepta benedictione a sancto Hugone, episcopo Gratianopolitano, obedientia cogente, Romam profectus est; de cujus adventu summus pontifex ineffabili repletus gaudio benignissime eum suscepit (utpote quem intime diligebat et venerabatur) atque inter primos et præcipuos sibi peculiares familiaresque consiliarios et fideles amicos semper habuit, utens ejus semper consiliis in arduis Ecclesiæ negotiis. » Ita ille Sancti nostri biographus, sua iterum ad verbum fere hic mutuatus e Puteano, qui tamen, quod etiam Surius facit, Brunonis ad Urbanum accessum Romæ accidisse, seu Urbanum tunc, cum ad eum Bruno venit, Romæ exstitisse, diserte magis, quam Blomenvenna, tradit. Ast num vere etiam Urbanus, cum ad eum Sanctus noster venit, Romæ fuit versatus? In opinione eorum, qui Sanctum jam inde ab anno 1089, ultra Septembrem nondum provecto, ad Urbanum accessisse statuunt, Romæ verosimillime, cum id accidit, Urbanus papa, utpote quem quatuor ultimis anni illius mensibus vel in Apulia, ubi et mense Septembri Melfitanum concilium celebravit, vel in Calabria exstitisse, adducta a Ruinartio in Pontificis illius Vita probant, versatus haud fuerit. At vero cum Urbanus, ut idem Ruinartius in ejus Vita pag. 77 ostendit, Romam anno 1090, quinto Kalendas Aprilis, seu XXVIII Martii reversus jam fuerit, ibique ad mediam usque æstatem circiter substiterit, in opinione sane, quæ Sanctum non ante anni 1090 Aprilem ad Urbanum venisse, supra statuimus, Romæ hic pontifex, cum ad eum Sanctus noster venit, indubie exstiterit.

525. Quod modo ad reliqua, proxime recitatis Blomenvennæ verbis comprehensa, pertinet, veritati

www.libtool.com.cn

esse hæc apprime consona, indubitatum apparet, ac in primis quidem Sanctum ad consilia ab Urbano, utpote a quo hunc in finem, teste primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronologo, evocatus esset, fuisse adhibitum. Ad alia modo hic discutenda sermonem convertamus. Haud diu admodum, quantum apparet, ad pontificem Sanctus noster pervenerat, cum ad dilectissimum Parentem, Carthusia relicta, pariter venisse ejus discipulos, omnes Sancti nostri biographi unanimi consensu affirmant. «Venerunt autem (subdit verbis suis proxime hunc transcriptis Blomenvenna) ad eum, Spiritu sancto operante, sui omnes, qui in Carthusia cum eo fuerant, dolentes plurimum (ipse vero amplius) quod locum prædictum Carthusiæ, quem Dominus sibi elegerat, et in quo locum sibi exstruere visus fuerat, reliquissent. In mente etiam veniebant eis, non carnes, cucumeres aut pepones (sicut murmuratoribus illis in deserto), sed devotæ meditationes, orationes, lectiones, et spirituales consolationes, quas prius in eremo Carthusiæ habuerant; et ideo, cum se jam viderent in curia post tam jucundum quietis suæ silentium maximo circumdari tumultu ac strepitu, a lacrymis abstinere non poterant.» Hactenus Blomenvenna, cui iterum Puteanus, e quo sua hausit, uti etiam Surius, ad amussim fere consonat. Verum duo hic jam quæri possunt. Alterum est, an Sanctum vere in Italiam ac Romam secuti sint ejus discipuli; alterum vero, an, si res ita habeat, singulari quodam prodigiosoque modo divinitus impulsi id fecerint, prout jam mox recitata Blomenvennæ verba innuere videntur.

526. Ut ab eo, quod primum est, ducam initium, Sancti nostri discipulos ad eum, in Calabriæ eremum, pontificia curia relicta, nondum profectum, sese contulisse, concludendum apparet ex charta præsenti § transcribenda, qua Siguinus, Casæ-Dei abbas, Carthusiam Landuino, ejusque sociis, od hanc redeuntibus, restituit; in hac enim ut hi celeberrimam illam eremem, quam dilectissimo Patre suo ad pontificem abeunte, deseruerant, unanimi consensu repeterent, Bruno Romam jam profectus atque apud pontificem existens effecisse innuitur hisce verbis: «Rogatu patris nostri papæ Urbani, et precibus præmemorati fratris Brunonis, et iisdem (hujus nempe discipulis) fratribus, ut ibidem remanerent, a priore eorum Brunone plurimum confortatis, fratri Landuino, quem magister Bruno discedens (e Carthusia scilicet ad pontificem) cæteris fratribus præposuit, ipsi et cæteris fratribus sub eo degentibus et eorum successoribus donum, quod nobis prædictus Bruno (ejus videlicet discipulis, uti chartæ hujus initio dicitur, e Carthusia recedentibus) fecerat coram congregatione nobis commissa... Ego ipse frater Siguinus, prædictæ Casæ-Dei abbas... reliqui; quare cum Sanctus noster, ut unanimi consensu ad Carthusiam quam reliquerant, discipuli sui reverterentur, verosimillime, ni sibi præsentes habuisset, vel nulla omnino ratione vel certe non nisi ægerrime litteris efficere potuisset, reipsa hi tunc Sancto adfuisse ac proin eum post suum e Carthusia egressum secuti in Italiam videntur. Accedit, tum Carthusianorum traditio, tum antiquior noster biographus, qui, omnes Sancti discipulos ad eum, in curia pontificia existentem, accessisse, num. 19 indicare etiam videtur: ut, id vere factum esse, tum hæc, tum maxime, quibus Siguinus, Casæ-Dei abbas, Carthusiam, ut mox dixi, redeuntibus ad hanc S. Brunonis discipulis restituit, litteræ publicæ mihi sane verosimillimum, ne dicam indubitatum, reddant.

527. Quod nunc pertinet ad modum, quo factum sit, ut ad Sanctum, in curia pontificia existentem, omnes ejus discipuli, Carthusia relicta, accesserint, in prodigio illum pariter constituere videtur antiquior noster biographus; Sancti enim discipulos non statim a suo e Carthusia egressu dilectissimum Patrem suum in Italiam esse secutos, sed tunc alio atque alio abiisse, indicat, ac deinde cum Sanctum, ut e curia pontificia in eremum iterum secedere sibi fas esset, ab Urbano impetrasse, narravit, subjungit: «Prius tamen, quam de curia recederet, ejus, ut creditur, meritis et precibus divina misericordia omnes ejus socios et subditos revocavit, ita quod omnino omnes redire Carthusiam consenserunt;» quibus verbis utique, eorum simul, quibus ante, Sancti discipulos a suo e Carthusia egressu varias in partes fuisse dispersos, insinuavit, ratione habita, prodigium astruere videtur divinitus factum, quo hi ad Sanctum, antequam e curia pontificia discederet, confluxerint atque ad Carthusiam redire consenserint. Verum etsi quidem, ut jam dixi, ad Brunonem, in curia pontificia existentem, accessisse e Carthusia ejus discipulos, vix non indubitatum putem, prodigio tamen ullo interveniente id factum, haud facile crediderim quod res hæc, ut discipulorum Sancti in Italiam ad hunc accessus, in Siguini, Casæ-Dei abbatis, charta sæpius jam laudata fundata non sit, nec biographi nostri horumque etiam vetustor, a quibus memoriæ proditur, satis antiqui sint, ut rebus, quas soli de Sancto ejusque discipulis narrant, fidem indubitatam facere queant. Quid Sanctus, cum ad eum, quos in Carthusia habuerat, discipuli Romam accessissent, potissimum egerit, modo dispiciamus.

528. Curasse illum apud pontificem, ut commodo hospitio, in quo statui suo congrua exercitia obire possent, exciperentur, dubitandum non est, etsi interim id nullo prorsus scriptoris antiqui testimonio firmari queat. Verum cum Sanctus dilectam sibi Carthusiæ eremum a religiosis suis incolis esse desertam, ægerrime ferret, hisce, ut ad hanc redirent, suadere, identidem fuit conatus; nec frustra: cum enim, ut ut hospitio, statui suo congruo, verosimilliter, ut dictum, excepti, solita tamen, qua in Carthusia gavisi fuerant, quiete non gauderent, hincque desertæ Carthusiensis eremi eos pœniteret, reditum ad hanc suadenti Brunoni faciles aures præbuere, munitique litteris, tum pontificiis, quibus Urbanus

www.libtool.com.cn

papa Siguino, Casæ-Dei abbati, ut Carthusiam redeuntibus ad hanc S. Brunonis discipulis restitueret, præcipiebat, tum aliis, quibus illud ipsum Bruno hunc abbatem enixissime rogabat, itineri tandem ad illam, quam reliquerant, eremum revertentes, sese dederunt, ut biographi nostri unanimi consensu tradunt. Illas Urbani litteras, ex supra laudato Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non VulgatiVallis-Dei exemplari exscriptas, mecumque a jam sæpius laudato, qui sese nominari nulla ratione vult, Carthusiano Parisiensi communicatas, huc transcribo. Hisce concipiantur verbis: « Urbanus episcopus,servus servorum Dei,Charissimo filio Siguino, abbati Casæ-Dei,et omni congregationi salutem et apostolicam benedictionem. Eos, qui ob Ecclesiæ Romanæ obedientiam laboribus fatigantur, Romanæ quoque Ecclesiæ ope dignum est relevari,Quia ergo nos ad sedis apostolicæ servitium Brunonem, charissimum filium, evocavimus, ipso ad nos perveniente, ut ejus cella detrimenti aliquid patiatur,pati non possumus,quoniam nec debemus. Vestram ergo dilectionem rogamus, et rogando præcipimus, ut eamdem cellam in libertate pristina remittatis, chyrographum quoque quod vobis de eadem cella prædictus filius noster in fratrum dilapsione fecerat, pro nostra dilectione restituite, ut in liberta pristina valeat permanere. Nunc enim fratres, qui dilapsi fuerant, Deo inspirante, regressi sunt, nec aliter acquiescunt in eodem loco persistere. Sane postquam hæ vobis perlatæ sunt litteræ, intra triginta dies præfatum chyrographum pro nostræ jussionis reverentia restituere ne moremini. »

529. Porro Siguinus, statim atque hæ ac S. Brunonis litteræ exhibitæ ei fuerunt, pontificio mandato, uti omnes iterum Sancti biographi scribunt, obtemperans, Carthusiam Landuino aliisque S. Brunonis discipulis, ad hanc redeuntibus, restituit. Chartam publicam,supra sæpissime jam laudatam, qua id fecit, subjungo. Sic habet: « Ego frater Siguinus, abbas Casæ-Dei, notum fieri volo præsentibus et futuris, quod frater Bruno a D. papa Urbano Romam evocatus, videns loci destitutionem, fratribus recedentibus propter absentiam ejus,dedit locum Carthusiæ nobis et Congregationi nobis commissæ.Postmodum vero rogatu Patris nostri papæ Urbani,et precibus præmemorati fratris Brunonis, et eisdem fratribus, ut ibidem remanerent, a priore eorum Brunone plurimum confortatis, fratri Landuino, quem magister Bruno discedens cæteris fratribus præposuit,ipsi et cæteris fratribus sub eo degentibus, et eorum successoribus donum,quod nobis prædictus Bruno fecerat, coram congregatione nobis commissa in capitulo nostro sub præsentia Gratianopolinati episcopi Hugonis. Ego, ipse frater Siguinus, prædictæ Casæ-Dei abbas, cum consensu fratrum nostrorum reliquit et eis et successoribus eorum locum prædictæ Carthusiæ pro voluntate eorum omnino liberum feci, et juri eorum om nino tradidi. Sed charta, quam prædictus Bruno nobis fecerat, ideo non est reddita, quoniam a fratribus nostris in capitulo sub interdicto requisita non potuit inveniri; et si unquam inventa fuerit, eorum ipsa charta sit juris. Factum est anno ab Incarnatione Domini 1090, xv Kal. Octobris. Ego Siguinus abbas subscripsi, et in præsentia archiepiscopi Hugonis hanc chartam ex integro confirmavi. »

530. Morkensius, e cujus apographo, in chronologico-diplomaticam,quam de S. Brunone contexuit Diatribam illato, atque ad autographum, uti ait, recognito, chartam hanc descripsi, Hugonem archiepiscopum, in cujus præsentia sese jam recitatam chartam ex integro confirmasse, Siguinus, Casæ-Dei abbas, affirmat, merito ab Hugone, Gratianopolitano episcopo, utpote qui archiepiscopus non fuerit, distinctum pronuntiat, aliumque eum non esse, quam Hugonem, anno 1080 ex episcopo Diensi sedisque apostolicæ legato, supra sæpissime laudato, Lugdunensem archiepiscopum creatum, insinuat. Idem etiam in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione num. 108, ubi huc jam transcriptam chartam pariter transcribit, Columbius observat, et recte quidem; alium enim Hugonem archiepiscopum, quem Siguino, recitatam chartam confirmanti, astitisse verosimile sit, non novi. Nec est, cur mirum accidat, Hugonem alium in charta, alium in chartæ subscriptione commemorari; nihil enim obstare videtur, quo minus Siguino, Casæ-Dei abbati, tunc quidem, cum Landuino ejusque sociis Carthusiam restituit, Hugo, Gratianopolitanus episcopus; tunc vero cum chartam, qua restitutionem hanc fecit, confirmavit, Hugo, Lugdunensis archiepiscopus, adfuisse credatur. Quod si id displiceat,vide,num hæc chartæ verba, « Donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat, coram congregatione nobis commissa in capitulo nostro sub præsentia Gratianopolitani episcop. Hugonis ego ipse frater Siguinus... reliqui, » interpunctione post verbum « fecerat » omissa, positaque post nomen Hugonis legi nequeant, ut sensus chartæ sit, Brunoni quidem, dum Carthusiam Siguino Casæ-Dei abbati donavit, Hugonem Gratianopolitanum episcopum; Siguino autem, dum hanc Landuino ejusque sociis restituit,Hugonem,Lugdunensem archiepiscopum, præsentem astitisse. Utrolibet modo res habuerit, ita equidem apparet, non esse, cur e duobus Hugonibus diversis, quorum alter in ipsa charta, alter in hujus subscriptione memoratur,antiquum hocce monumentum pro suspecto habeatur.

531. Ex hoc porro præter alia non pauca, de quibus jam supra actum,etiam habemus, Landuinum aliosque Sancti discipulos Roma,quo Brunonem fuerant secuti, ab anni 1090 decimo quinto Kalendas Octobris, seu septima decima Septembris die, qua dictum monumentum datum notatur, ad Carthusiam fuisse reversos. Atque hinc jam consequitur, ut non uno amplius anno,quemadmodum nonnulli absque vade antiquo contendunt, sed paucis duntaxat men-

www.libtool.com.cn

sibus apud pontificem cum Brunone sint commorati. Verum anne omnes, qui ante Carthusiam inhabitarant, cum Landuino ad hanc tunc rediere? Omnes sane propemodum id fecerint, si Zanottio, qui, duos duntaxat, Lanvinum nimirum et Lambertum, apud Sanctum mansisse, in conscripta a se Brunonis Vita seu Historia, p. 89, affirmat, sit credendum. Verum, etsi numerum eorum, qui cum Landuino ad Carthusiam redierint, aliorumque, qui cum Brunone manserint, definire haud possim, plures tamen posteriores hosce fuisse, quam duos, a Zanottio ex dictis memoratas, palam est ex duobus supra adhuc citatis diplomatibus, quorum alterum a Rogerio, Apuliæ et Siciliæ duce, alterum a Rogerio itidem, hujus patruo, Calabriæ et Siciliæ comite, in S. Brunonis ejusque sociorum, qui in Calabriam, aliis Sancti discipulis ad Carthusiam jam reversis, secesserant, favorem fuit concessum. Tam in uno enim, quam in altero (adi num. 509) dicuntur Bruno et Lanvinus a Galliarum partibus cum sociis in Calabriam advenisse; ut proinde, Landuino aliisque nonnullis Carthusiam repetentibus, plures apud Sanctum, quam Lanvinus et Lambertus, manserint. Quomodo enim alioquin (videsis num, 510) Bruno simulque Lanvinus, si, cum in Calabriam venerunt, unus ipsis Lambertus adfuit, socios sibi e Galliarum partibus habuisse adjunctos, dici in duobus præfatis diplomatibus potuere? Quin itaque Sanctus duos ut minimum præter Lanvinum socios, aliis in Carthusiam remissis, apud se retinuerit, dubitandum vix apparet.

532. Examinemus modo, quid hisce Sanctoque deinde sit factum. Quatuor primorum Carthusiæ priorum chronologus in Sancti nostri elogio (videsis Commentarii hujus num. 7) de Brunone apud pontificem Urbanum jam versante, sic scribit : « Sed cum tumultus et mores curiæ (pontificiæ scilicet) ferre non posset, relicta curia, contempto etiam archiepiscopatu Rhegiensis ecclesiæ, ad quem, ipso papa volente, electus fuerat, in Calabriæ eremum successit, » seu, ut alias melius scribitur, *secessit*. Sanctus itaque, qui, uti hic a scriptore fide enimvero dignissimo docemur, in Calabriam, pontificia curia relicta, secessit, ad Rhegiensem etiam archiepiscopatum, antequam in regionem illam secederet, fuit electus; ut proinde, cum secessus is ex dicendis currente adhuc ipso anno 1090 acciderit, certe non serius, quam hoc etiam anno ad dignitatem illam fuerit postulatus. Verum anne id etiam non citius, quam eodem anno 1090 evenit? Id sane nullo ex capite apparet; Bruno enim ex jam dictis ante eumdem dictum annum 1090 ad pontificem non venit, nec ulla ratione verosimile videtur, fuisse eum, cum nondum ad Urbanum, discipulum olim suum, venisset, a Rhegiensibus in archiepiscopum electum. Ad hæc Ughellus, t. IX Italiæ sacræ in archiepiscopis Rhegiensibus, col. 324, Sanctum nostrum sequenti ornat elogio : « Moritur (Arnulphus Rhegiensis archiepiscopus) anno... 1090. Ejus in loco clericorum senatus sanctum Brunonem, Carthusianorum patriarcham, in archiepiscopum suum delegisse fertur; verum eum illam dignitatem recusasse, ac solitudinis amore dignitatem humiliter respuisse scribunt. Tunc Bruno, excussso mundanæ gloriæ jugo, eremum apud Scyllacium in Calabriæ finibus petiit, ubi, constructo cœnobio S. Stephano sacro, ac, Rogerio duce, ibidem angelicam vitam traduxit, meritis plenus, sanctitate non minus, quam miraculorum ac doctrinæ fama clarus obdormivit in Domino anno 1101, sepultusque est in supra relato cœnobio, ubi hactenus honorifice colitur. »

533. Ita ille, Sanctum nostrum non tantum, quod mox iterum laudatus primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologus facit, ad archiepiscopalem Rhegiensis ecclesiæ sedem electum fuisse, affirmans, verum etiam Arnulphum Rhegiensem archiepiscopum, post cujus obitum id accidit, anno 1090 diem extremum clausisse. Ipsum porro etiam, ut Morkensius in chronologico-diplomatica sua de S. Brunone diatriba docet, Severus a Neapoli, ordinis Carthusiensis alumnus, in ms. antiquo Rhegiensium archiepiscoporum catalogo notatum invenit; ut proinde Arnulphum dicto anno 1090 obiisse, dubitandum non sit, maxime cum nihil occurrat, quod aliam eventui huic epocham præstituere, utcunque suadeat. Jam vero cum res ita habeat, atque Arnulphus, ut laudatus Ughellus locos proxime cit. etiam docet, Gregorio VII, qui anno 1085 obiit, S. Petri cathedram occupante, aut certe, si id, quod Arnulphi decessor anno 1086 adhuc in vivis fuisse videatur, displiceat, Urbano II ad illam nondum evecto, Rhegiensium creatus fuerit archiepiscopus, consectarium est, ut sub Urbani pontificatu sedes Rhegiensis ante annum 1090 non vacarit, ac proin ut etiam ante hunc annum Sancti nostri ad iliam electio, utpote papa Urbano, quemadmodum primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologus verbis proxime recitatis memoriæ prodit, volente, facta non contigerit. Nec serius eamdem, ut jam supra probatum, contigisse, simili ratiocinandi modo facile etiam probabitur, si modo Rangerius ad archiepiscopatum Rhegiensem ipso anno, ut verosimilius factum, 1090 fuerit electus; cum enim ille ad annum ut minimum 1106 sedem illam tenuerit, consequens erit, ut Sancti nostri ad eamdem electio post annum 1090, utpote post quem ita, vivente Urbano, sub cujus pontificatu hæc ex dictis accidit, sedes illa non amplius vacarit, certissime haud contigerit.

534. Hinc Ruinartius in Urbani II papæ Vita jam pluries laudata num. 81 merito sic scribit : « Ad hunc annum (1090 scilicet) Brunonis ad Rhegiensem archiepiscopatum electionem, quam vulgati auctores anno 1095 consignare solent, ideo revocamus, quod hoc solummodo anno sub Urbani pontificatu sedes ilia vacua fuerit, morte scilicet Arnulphi archiepiscopi, cui, recusante dignitatem illam Brunone, substitutus est sub hujus anni finem Rangerius. Hic quippe privilegium Theodori Squillacensis episcopi supra laudatum (infra id recitabimus) confirmavit

www.libtool.com.cn

die 17 Decembris anno 1090 archiepiscopus Rhegiensis electus, ac deinceps ad annum 1106 variis conciliis et publicis instrumentis subscripsisse memoratur sub archiepiscopi titulo, ut videre est apud Ughellum tom. IX Italiæ sacræ. » Sanctum itaque Brunonem nec serius, nec citius, quam anno 1090 ad archiepiscopatum Rhegiensem fuisse electum, certum omnino atque extra omnem controversiam argumentis modo in medium adductis positum videtur; ut proinde biographi nostri recentiores, aliique scriptores, qui, Sanctum nostrum in Placentino concilio, seu hujus, ante annum 1095 non celebrati, tempore a Rhegiensibus in archiepiscopum postulatum primum fuisse, volunt, audiendi non sint. Verum quo circiter anni 1090 mense S. Brunonem in Rhegiensem archiepiscopum eligi evenit? Cum ante Aprilem dicti anni 1090 Sanctus ex dictis Romam ad Urbanum papam appulsus non sit, nec ante suum ad hunc accessum, ut pariter ex dictis apparet, ad Rhegiensem sedem electus postulatusve fuerit, consequens est, ut nec hoc ante dicti anni 1090 Aprilem acciderit; ipsone autem hoc mense, an serius, definire haud queo, omnibus prorsus, quæ ad id utcunque sufficiant, argumentis deficientibus. Attamen dispiciamus, an ex iis, quæ discipulorum S. Brunonis ad Carthusiam reditum excepere, nihil omnino, quo Sancti ad Rhegiensem archiepiscopatum electionis tempus propius adhuc definiatur, possit elici.

535. « Visum est, » inquit de Urbano papa in hujus Vita num. 82 Ruinartius, « circa hujus anni (1090 nimirum) medium, cum ei Romæ vix respirare liceret. provincias, Rogerio (Apuliæ scilicet, Calabriæ et Siciliæ duci) et Boamumdo (præcedentis fratri) subjectas, adire, ut ibi paulo liberius rerum ecclesiasticarum curam ageret. Certe eum sub medium mensis Augusti hoc anno in Campania exstitisse, constat ex privilegio sancti Basoli, quod Sinuessæ datum est hoc anno die XVIII Kalendas Septembris, Burchardo ejusdem loci abbati inscriptum. » Ut Urbano Romæ, quemadmodum hic ait Ruinartius, respirare tunc vix licuerit, factum indubie fuerit ex eo quod, cum Henricus imperator, Alpes transgressus, infesto agmine uti ex Bertholdi Constantiensis presbyteri ad Hermannum Contractum appendice ad dictum annum 1090 intelligitur, in pontificem ejusque adjutores ferretur, Romani antipapæ Guiberti asseclæ, audaciores inde facti, in officio contineri vix possent, tutamque Urbano Romæ commorationem nullo modo relinquerent. Verum, ut ad rem jam veniam, erit fortassis, qui, quod Urbanus tunc in Campaniam Roma sese receperit itaque tum Rhegiensi civitati propior sit factus, Sanctum nostrum, potifice illo, quem in Campaniam secutus fuerat, agente, ad Rhegiensem archiepiscopatum fuisse electum, suspicetur. Et vero, si Urbanus, uti anno 1089, ita etiam anno 1090 Rhegii fuisset, esset sane, cur quis non immerito id suspicaretur. Verum cum in Campania pontifex, postquam Roma esset egressus, reliqua anni illius parte commoratus fuisse videatur, nec minus efficaciter, cum Romæ adhuc existeret, quam cum in Campania jam versaretur, S. Brunonem in Rhegiensem archiepiscopum eligendum curare potuerit, feceritne id ille, cum adhuc Romæ, an cum jam in Campania ageret, plane est incertum, ac proin etiam an ante, an post mediam anni 1090 æstatem, quo tempore, ut jam dictum, Urbanus Roma in Campaniam abiit, Sanctus noster fuerit Rhegiensis electus archiepiscopus. Utut sit, id equidem anno 1090, et quidem ut minimum ad hujus Aprilem jam provecto, factum, indubitatum est ex supra dictis.

536. Nec minus, utpote in irrefragabili primorum quatuor Carthusiæ priorum chronographi testimonio (adi num. 532) fundatum, indubitatum est, S. Brunonem, cum sublimem maxime dignitatem sibi oblatam recusasset, « in Calabriæ eremum, cui Turris nomen est, » secessisse. Verum quandonam id Sanctus fecit, aut, ut ab eo, quod prius indubie fuerit, incipiam, quandonam id faciendi facultatem a pontifice Urbano obtinuit? Blomenvenna in conscripta a se Sancti nostri Vita ita prodit memoriæ : « Beatus... Bruno, cum summo pontifici propter obedientiam annis paucis adhærens non modicum Ecclesiæ profuisset suis consiliis, prudentia et sapientia incomparabili, prout ex ejusdem papæ Urbani decretis et aliis factis conjici datur, in quibus sanctus Bruno (haud dubium) indefesso labore desudaverat, semper tamen ad dilectæ suæ Rachelis amplexus, ad eremi et solitudinis quietem redire desiderans, curiæ strepitus et tumultus molestissime semper ferebat, cumque non posset ultra flammam tranti desiderii comprimere, antequam præfatus summus pontifex de Placentia transiret in Galliam, cum multa instantia vix tandem obtinuit licentiam, relicta curia, eremum, quam incoluerat, repetendi, aut aliam, si placeret, eligendi. » Hactenus Blomenvenna, præsipua saltem, quæ hic memorat, e Vita, per Puteanum contexta, mutuatus, nec Surius, qui ex ambobus hisce biographis suam de S. Brunone lucubrationem concinnavit, multum sive ab uno, sive ab altero hic dissentit; quod si autem recte notent, Sanctus a pontifice secedendi in eremum curia pontificia relicta, facultatem non prius obtinuerit, quam cum jam hic, celebrato Placentiæ concilio, in Galliam esset abiturus; quod cum anno 1095, uti inter omnes convenit, factum sit, consequens erit, ut Sanctus nec ante hunc annum, nec ante quinquennalem circiter apud Urbanum (ad eum enim ex dictis anno 1090 venerat) commorationem recedendi a curia pontificia repetendique eremum facultatem impetrarit.

537. Verum, uti Sanctum ante annum 1095, contra ac iidem Brunonis biographi scribunt, electum fuisse Rhegiensem archiepiscopum, ita etiam illum ante eumdem annum eremi vitæque solitariæ repetendæ facultatem ab Urbano obtinuisse evincunt infra huc transcribendæ chartæ Rogerii comitis, Mesimerii, Squillacensis episcopi, aliaque, e quibus

Sanctum ante annum 1095, imo jam inde ab anno 1090, aut certe ab anno 1091 in eremo Calabrina, pontificia curia relicta, fuisse versatum, manifestum est, uti quisque ex infra dicendis facile intelliget. Et vero laudati biographi, seu potius ii, e quibus horum antiquior Puteanus id hausit, Sanctum nostrum tandiu apud Urbanum papam commoratum esse, non alio forte ex capite in litteras misere, quam quod priori quinquennio, quo Calabrinam eremum inhabitavit, subinde a Pontifice illo, consiliis ejus in rebus arduis implexisque, difficillimis iis temporibus frequenter emergentibus, uti volente, e solitudine sua fuerit evocatus, uti infra docebo. Ut ut sit, Sanctum equidem non quinque annis, sed totidem duntaxat, aut forte etiam paucioribus, mensibus apud Urbanum post suum e Carthusia egressum mansisse, palam est ex eo quod ad hunc ex dictis non ante anni 1090, Aprilem aut Maium accesserit, eoque ipso anno adhuc currente, in Calabria jam exstiterit atque ibidem eremum, quam aut eodem anno 1090, aut certe non diu post inhabitare cœpit, a Rogerio, Calabriæ et Siciliæ comite, sibi concessa charta publica impetravit, uti infra dicenda aperient. Nec Sanctum diutius, quam jam statuerim, apud Urbanum papam, antequam a suo e Carthusia egressu Pontificia a curia secedendi facultatem obtineret, Calabriamque peteret, commoratum esse, credidere, ut apparet, vetustiores Carthusiani.

538. Etenim primorum quinque Carthusiæ Priorum chronologus seu antiquior Sancti nostri biographus, qui ex supra dictis sæculo XIII floruit, de S. Brunone primo quidem num. 16 et seq. ita prodit memoriæ: » Venerabilis Pater, ad, summum Pontificem veniens, eidem, non longe, sed brevi tempore assistens, consiliis et auxiliis salutaribus ejus multa onera supportabat, et multum in regimine sanctæ Dei Ecclesiæ ejus sollicitudinem sua promptitudine subievabat. Diu tamem patienter dissimulare non potuit tristimam et dolorem conceptum de suorum dispersione filiorum, et strepitus et tumultus curiæ, impedientes dulcedinem et quietem, qua frui et pasci in eremo consueverat, graviter ferens et diutius ferre non sustinens, exposita summo Pontifici sua desolatione, cum summa instantia imploravit et impetravit a curia separari et quod posset ad eremum et cellæ jam prægustatam dulcedinem et desideratam requiem repedare; » deinde vero num. 24 sequentia, quæ huc etiam faciunt, suppeditat: » Bruno igitur, vir sanctissimus et gemina scientia præditus, tam divina scilicet, quam humana,..... eremum Carthusiæ rexit sex annis, et post, ut prædictum est, a Papa vocatus, et non diu post ad eremum Calabriæ, cui Turris nomen est, transiens, ibi, sancto constructo monasterio, multorum Dei servorum anachoretarum rector exstitit et minister.» Ita ille utrobique, quantum apparet, S. Brunonem, non quinque annis, sed longe breviori temporis spatio, antequam curiæ Pontificiæ relinquendæ facultatem obtineret, atque in Calabriam secederet, apud Urbanum papam fuisse commoratum, suis quas adhibet loquendi formulis indicans. Quare, cum Carthusiani antiquiores, qui quidquam de sancto Ordinis sui Institutore litteris consignavere, sua fere omnia e laudato, cujus hic jam recitata verba sunt, primorum quinque Carthusiæ Priorum chronologo hauserint, verosimillime hujus inhærentes vestigiis Sancto nostro, non quinquennalem, sed longe minus diuturnam apud Urbanum papam commorationem attribuerint; nec sane immerito, cum Sanctus ad hunc ante anni 1090 Aprilem non venerit, hocque ipso anno Pontificiam curiam reliquerit, uti ex jam supra dictis satis liquet, magisque ex dicendis patescet.

§ XXXII. *An Sanctus a Rogerio Calabriæ comite, venationem exercente, in Calabriæ specu, in quo se cum sociis abdiderat, fuerit repertus; quo, relicta Pontificia curia, primum concesserit, et cur tunc Carthusiam non repetierit.*

539. Sanctum nostrum, Pontificia curia ex Urbani Papæ consensu relicta, in Calabriæ eremum, cui Turris nomen, secessisse, sedem ibidem, casis humilibus exstructis, fixisse, in speluncis, in quibus cum sociis morabatur, a Rogerio Calabriæ et Siciliæ comite, qui eum tum nondum cognoverit, venationem exercente, fuisse inventum, hacque occasione factum, ut eremum illam ab hoc principe obtinuerit, memoriæ produnt omnes præcipui, quos ad manum habeo, sæculo quinto decimo posteriores, S. Brunonis biographi, videlicet Zacharias Benedictus, Puteanus, Blomenvenna et Surius. Solius Blomenvennæ, quod reliquos sibi adamussim fere consonantes habeat, horumque proinde omnium locum tenere queat, verba huc spectantia, reliquis fere omnibus omissis, transcribo. Sic habent: » Cum voluntate itaque et benedictione summi Pontificis dimissus (S. Bruno nimirum) Calabriæ deserta petiit cum aliquot ejusdem propositi viris, quos ferventissimis suis exhortationibus ad mundi contemptum induxerat. Audierat enim, illic deserta esse loca plurima ad pœnitentiam agendam solitariamque vitam sectandam aptissima. Optabat, prout frequenter decreverat, redire Carthusiam ad fratres suos charissimos, quos præmiserat; sed quia summus Pontifex cum sua curia transibat in Galliam, in cujus finibus Carthusia sita est, metuebat, ne curiam, quam fugiebat, ibi declinare non posset. Et ideo ad Calabriæ potius deserta se contulit..... Venit itaque Vir sanctus ad quamdam Calabriæ eremum, cui Turris nomen est, in diœcesi Squillacensi, ibique non cellas pretiosas, quia sumptus ad eas non suppetebat, sed casas humiles de vili materia, sed in Christo pretiosa, ædificaverunt.....

540. « Cum autem dictam eremum primum inhabitare cœpissent, contigit, Domino hoc operante, ut quodam die comes Calabriæ Rogerius, cum suo non parvo comitatu et canum multitudine copiose

www.libtool.com.cn

in eadem eremo Turris venationi insistens, ad locum, ubi servi Dei habitare cœperant, devenirct: canes autem, olfactu suo diversa ferarum vestigia insequentes, ad speluncas seu casas, in quibus sanctus Bruno cum suis habitabat, devenerint. Ubi fixis pedibus, latratibus multis domino suo indicabant magnam se invenisse prædam. Quo viso, comes, cum suis concito cursu veniens, repperit Patres prædictos in eisdem speluncis, flexis genibus erectisque in cœlum vultibus ac manibus simul orantes et Deum laudantes. Videns hoc comes, magna admiratione repletus, equo, cui insibebat, desiliens, devote et hnmiliter ipsos salutavit, deque causa adventus statuque ipsorum sollicite interrogavit. A quibus cum singula per ordinem didicisset, gavisus est valde laudans Deum et glorificans, quod tali eum dignum judicasset præda. Sperabat enim religiosus comes, se terramque suam eorum meritis et precibus adjuvari apud Deum atque in pace conservari. Et propterea, ut possent ibidem quietius vivere, diutiusque perseverare, dedit eis ecclesiam Beatæ Mariæ et Beati Stephani de eremo; ubi eos frequenter visitans, de vitæ necessariis providebat, documentaque salutis ab eis libenter audiebat, beatum vero Brunonem, ipsorum omnium pastorem ac Patrem, quem præ cæteris arctius diligebat, ad se frequenter evocabat. Quem etiam in magna reverentia semper habuit, et tanquam primum in domo sua, ejus consiliis acquiescens, ejus orationibus, quibus plurimum confidebat, se jugiter commendans.

541. Hactenus Blomenvenna, seu potius omnes supra laudati S. Brunonis biographi: nunc singula aut saltem præcipua, quæ verbis recitatis adstruuntur, examinanda, ac in primis quidem, an Sanctus, obtenta a Pontifice eremum repetenti facultate, recta in Turritanam Calabriæ eremum sese receperit, ibique a Rogerio, Calabriæ et Siciliæ comite, venationem exercente, nondumque, ut recitata Blomenvennæ verba indicant, eum noscente, in specu fuerit repertus. Rogerius, Roberti Guiscardi Rogerii comitis mox dicti fratris filius, Apuliæ, Calabriæ et Sicilæ dux, in diplomate infra huc transcribendo, quo Calabrinæ eremi donationem S. Brunoni ejusque sociis a comite Rogerio patruo suo factam, anno 1093 ex dicendis confirmavit, ita loquitur: « Notum esse volumus fraternitati vestræ de duobus viris, Brunone scilicet et Lanvino, qui, sanctæ religionis studio accensi, cum sociis suis in terram Calabriæ a Calliarum partibus, disponente Deo, venerunt, et meo ductu in terram, quæ prædicta est, locum, qui eorum proposito conveniret, quæsierunt, quem cum sibi idoneum penes me non invenissent, elegerunt manere inter locum, qui dicitur Arena, et oppidum, quod appellatur Stilum. Locum autem illum Rogerius, comes Siciliæ, patruus meus,.... illis donavit: de comitatu enim ipsius per meam concessionem erat. » Cum ergo Sanctus noster ejusque socii, uti hic Rogerius dux declarat, in Calabrium, partim huic, uti infra docebo, partim comiti Rogerio tunc subditam, venerint, ibique, cum ante ipsiusmet ducis Rogerii ductu in terris huic subditis locum proposito suo aptum quæsivissent, nec invenissent, talem tandem in Rogerii comitis comitatu seu terris huic subjectis elegerint, consectarium est ut, obtenta a Pontifice curiam relinquendi eremumque petendi facultate, non recta, ut Blomenvenna verbis proxime recitatis docet, in Turritanam Calabriæ eremum Rogerio comiti subjectam, sed in terras duci Rogerio subditas, locum eremiticæ vitæ aptum ibidem quæsituri, sese contulerint.

542. Imo vero cum, ut jam dixi, loco in hisce, quem proposito suo idoneum arbitrarentur, non invento, talem in terris, uti diplomatis a Rogerio duce collati proxime recitata verba fidem faciunt, Rogerio comiti subjectis, quæsierint, verosimiliter ad hunc ante Sanctus ejusque socii, quo voti sui compotes fieri, locumque ab hoc principe, si quem proposito suo aptum in terris ejus invenirent, impetrare possent, a duce Rogerio fuerint adducti. Quod ut credam, etiam facit, quo Rogerius comes S. Brunoni ejusque sociis Calabrinam eremum concessit, diploma. In hoc enim comes sequentem fatur in modum: « Notum esse volumus fraternitati vestræ, per Dei misericordiam a Galliarum partibus ad regionem istam Calabriæ sanctæ Religionis viros, Brunonem videlicet et Lanvinum cum sociis eorum pervenisse, qui, contempta mundialis gloriæ vanitate, soli Deo elegerant militare. Horum itaque desiderium ego cognoscens, et ipsorum meritis et precibus apud Deum adjuvari desiderans, ab eorum charitate precibus multis obtinui, ut in terra mea locum sibi habilem eligerent, in quo ad serviendum Deo qualia vellent habitacula præpararent; » quibus verbis cum sese comes effecisse indicet, ut Bruno ejusque socii in terra sua, seu in Turritana Calabriæ eremo, uti ex consequentibus intelligitur, locum proposito suo aptum, in quo qualia vellent habitacula construerent, elegerint, consectarium est ut, antequam id facerent, cum comite Rogerio de re egerint, ad eum adeo a duce Rogerio, qui eos ductu suo in quærendo in terris suis loco antea ex dictis juverat, verosimiliter adducti. Atque hinc porro jam consequitur ut, electa jam sibi in prædicta eremo sede, habitaculisque qualibuscunque constructis, a Rogerio comite, rei hujus, ut Blomenvenna supra recitatis verbis aliique laudati biographi indicant, plano inscio, inter venandum inventi non fuerint.

543. Quare, ut Rogerius comes Brunoni ejusque sociis loci in ditione sua, qui eremiticæ vitæ aptus foret, optionem fecerit, contigisse puto non occasione venationis, in qua eos in specu abditos orationique intentos repererit, sed duce Rogerio interveniente, e quo cum de austerisssima Brunonis ejusque sociorum vita, sanctissimisque moribus nonnulla inaudivisset, viros hujusmodi, ut ote quo-

www.libtool.com.cn

rum precibus ac meritis auxilium sibi a Domino, uti ipsemet proxime recitatis diplomatis sui verbis indicat, adfuturum speraret, in ditione sua sedem figere desiderarit, atque ad sese adductos, ut in ea quem vellent locum sibi eligerent, rogarit. Et vero quod de S. Brunone ejusque sociis, quos, ante sibi nunquam visos penitusque ignotos, inter venandum comes Rogerius in specu Deum intentissime orantes invenerit, plurimisque idcirco beneficiis auxerit, a laudatis Sancti nostri biographis memoriæ proditur, haud sat apte, quemadmodum modo abunde indicavi, cum duobus jam citatis diplomatibus concordare, ante me in Neapoli sacra apud Surianum Annotationum in contextam a Surio Sancti nostri Vitam pag. 189 a Cæsare de Eugenio jam observatum invenio. Nec observationem hanc a vero alienam pronuntiare ausi sunt Carthusiæ Coloniensis alumnus Morkensius in sua chronologico-diplomatica de S. Brunone Diatriba et Zanottius in adornata e se Bononiensibusque in Italia Carthusianis inscripta Sancti ejusdem Vita seu Historia; vere tamen Sanctum nostrum ejusdem socios a principe Rogerio, venationi operam dante, in specu orantes fuisse inventos, hincque, ut hic in illos plurima beneficia contulerit, factum esse, conantur ostendere, idque viis duabus diversis.

544. Ac prior quidem, Sanctum non a comite Rogerio in Turritana seu Squillacensi Calabriæ eremo, sed a duce Rogerio in quodam ditionis suæ antro seu spelunca eum Lanvino aliisque, quos sibi habebat adjunctos, sociis inventum fuisse, astruit: cum autem sese huic potius opinioni, quam alteri, quæ Sanctum, non a Rogerio duce, sed comite, inventum statuit, ob supra recitata concessi a Rogerio duce diplomatis verba adhærere edixit, rationem etiam ob quam fuisse equidem reipsa Sanctum, orationi in specu vacantem, ab alterutro Rogerio, venationem exercente, inventum existimet, lectori reddit, de historia, quæ id factum prodit, sequentem scribens in modum: « Hæc pro veritate historiæ, quam ex traditione majorum agnosco verissimam, et agnoverunt compilator Fasciculi temporum, Henricus Kalkariensis De ortu et progressu Ordinis Carthusiensis, Puteanus scriptor Vitæ, scriptoresque domestici omnes. » Ne quis vero contra illam, uti ait, traditionem etiam arguat ex eo quod Sancti, in speluncis a Rogerio sive duce sive comite, venationem exercente, inventi, mentio non occurrat in utriusque hujus principis diplomatibus supra citatis, mox verbis proxime huc transcriptis sequentia hæc subjungit: « Nec est cur quis hæsitet dubitetve de veritate rei ex eo quod neque dux, neque comes, ambo Rogerii, iste in præfato diplomate, hic in suis chartis (plures enim infra recitandas, quam jam supra plus semel memoratam, in S. Brunonis ejusque sociorum favorem dedit) ullam de ea faciant mentionem, qui tamen postremus in altera sua charta longe post data meminit Capuanæ proditionis, sibi a S. Brunone in visu nocturno revelatæ; alia enim hujus et alia istius est conditio. In isto donat locum, ab hominum cultura desertum, et poterat legitime, nulla etiam data ratione; in illo vero Capuanæ proditionis reos capite damnatos tradit S. Brunoni in perpetuam servitutem; cujusmodi mancipationis causa secundem leges formanda erat. »

545. Hactenus ille, contendens scilicet non fuisse cur, etsi Sanctus vere a Rogerio seu duce seu comite, venatione animum relaxante, in spelunca una cum sociis Deum orans inventus esset, rei hujus in præmemoratis diplomatibus mentio fieret, falsamque proinde illam ex horum silentio argui non posse. Verum sit ita; fuisse equidem Sanctum, uti verosimilius esse autumat, a Rogerio duce inter venandum inventum, nullo omnino potest scriptoris sive recentioris sive antiquioris testimonia confirmari; ut proinde Morkensio id omnino gratis videatur confictum, licet interim contra hanc illius opinionem, uti contra Blomenvennæ aliorumque biographorum nostrorum, qui Sanctum in Turritana Calabriæ eremo a comite Rogerio, morari in hac illum ignorante, fuisse inventum statuunt, opinionem fieri potest, nullum omnino ex jam sæpe laudatis diplomatibus argumentum positivum queat formari, nihilque etiam aliunde obstet, quo minus a duce Rogerio in quadam ditionis suæ spelunca inventus fuisse credi queat Sanctus noster, quem, priusquam Rogerii comitis terras adiret, in terris ducis Rogerii exstitissse, recitata supra ex hujus diplomate verba fidem faciunt. At vero Surianus, qui pro opinione, Sanctum nostrum a comite Rogerio, cui prorsus adhuc ignotus erat, deserto in specu fuisse repertum, astruente, seu potius pro Surio illam tradente stat, in suis in hunc Annotationibus pag. 192, contra Cæsarem de Eugenio, qui, ut jam dictum, historiam illam cum diplomatibus supra citatis haud sat apte componi in sua Neapoli sacra observarat, diploma seu privilegium, infra recitandum, quod a Mesimerio, Squillacensi episcopo, Bruno accepit, in præsidium advocat.

546. Ita enim ibidem scribit: « Ait præfatus Cæsar exquisitam se diligentiam in hac veritate (de Brunone scilicet a Rogerio comite, cui adhuc penitus ignotus erat, in deserti seu eremi Calabrinæ latebris reperto,) pervestiganda adhibuisse: non negaverim. Sed nihilominus non vidisse diploma vel certe leviter expendisse Mesimerii, episcopi Squillacensis, multa persuadent. Si enim librasset illud, quod ibi dicit, S. Brunonem in desertis Calabriæ locis per tempus satis longum degisse, priusquam ad Squillacensem transiret eremum, utique non in fixis tentoriis, sed in obviis specubus, et hujusmodi subterraneis diversoriolis habitasse consentiret. » Hactenus ille; ast S. Brunonem in desertis Calabriæ locis, priusquam ad Squillacensem eremum transiret, per tempus satis longum degisse, Mesimerius, Græcus Squillacensis episcopus, contra ac his verbis vult, in suo diplomate, Græce

www.libtool.com.cn

scripto, nuspiam tradit. In hoc enim, quibus id facere videri queat, de S. Brunone ejusque sociis sequentia duntaxat e versione Morkensii commemorat : « Qui quidem in desertis locis degentes per tempus satis longum illuc transmigrarunt ad partes Stili in mea diœcesi; » aut, si mavis, e versione Ughelli tom. IX Italiæ sacræ, col. 425, isthæc: « Qui cum per mutos annos in locis solitariis vitam transegissent, huc ad partes Styli in mea diœcesi transmigrarunt ; » hisce autem verbis, fueritne Sanctus in Calabriæ desertis, an in aliis per tempus satis longum, antequam in Squillacensem eremum sese abderet, cum sociis suis commoratus, non edicit. Quid si Mesimerius de Carthusiæ et Siccæ Fontanæ desertis, in quibus Sanctus, antequam Calabriam adiret, per longum satis tempus seu per multos annos fuerat versatus, duntaxat loquatur ? Id sane nullo ex capite vero absimile, nedum incredibile, apparet.

547. Ad hæc de aliis etiam, quam de Carthusiæ et Siccæ Fontanæ eremis, Mesimerio sermo sit, hincne conseguens erit ut in hisce Sanctus noster a comite Rogerio, cum huic adhuc omnino esset ignotus, inter venandum fuerit inventus? Neutiquam sane, uti quisque, quantum opinor, haud difficulter agnoscet. Verum, inquies, ita equidem facile factum esse potuerit, ut, ad quod credendum Morkensius ex dictis propendet, Sanctus noster, non quidem a comite Rogerio, sed a duce homonymo, cujus is patruus erat, cum illi adhuc plane esset ignotus, in spelunca, in quam sese cum sociis receperat, inter venandum fuerit inventus. Fateor, sic habet, nec quo minus ita factum esse potuerit, repugnant diplomata supra dicta; verum anne reipsa ita factum sit, dubium mihi vel idcirco semper erit, quod res nullo plane probatæ ac certæ fidei monumento queat probari. Ad Zanottium modo veniamus. Hic , ut Sanctum, quod Surius aliique Sancti biographi tradunt, a comite Rogerio, venationi operam dante, in spelunca fuisse inventum, tueatur rem hanc non ante, sed postquam Sanctus comiti Rogerio notus esset, Turritanamque seu Squillacensem Calabriæ eremum inhabitandam ab eo jam accepisset, gestam esse statuit; quod cum ne inspeciem quidem, ut consideranti patebit, cum diplomatibus supra citatis pugnet, ac proin, quominus tunc gestum credatur, impedire hæc non possint, Zanottii non minus, quam Morkensii opinio credibilis apparet; sitne tamen reipsa veritati consona, dubium plane est, quod in nullo antiquo sat certæ fidei seu auctore seu monumento sit fundata, nec certam eam facere possint supra laudati Sancti nostri biographi, qui præterquam quod aliis eam, quam Zanottius, adjunctis vestiant, recentiores omnes sunt, quam ut sola sua auctoritate rebus, quas de S. Brunone narrant, fidem certam atque indubitatam facere possint.

548. Quare, omnibus rite libratis, Sancti e curia Pontificia in Turritanam Calabriæ eremum secessum eo fere, quem hic subdo modo accidisse, verosimillimum puto. Pontificem Roma in Campaniam subjectasque Rogerio duci ejusque fratri Boamundo ditiones media anni 1090 æstate abeuntem comitatus est ex supra dictis S. Bruno, ibidemque ab illo curiam relinquendi eremumque repetendi facultatem enixissime petit. Hac tandem obtenta, mox in Calabriam, ubi deserta loca esse plurima audierat, ad Rogerium ducem, quem forte alicubi in Campania jam viderat, suumque redeundi ad vitam solitariam desiderium edocuerat, sese contulerit; cumque, eo consentiente ducenteque, in Calabriæ parte, ei subjecta, locum eremiticæ vivæ aptum quæsivisset, nec invenisset, ad comitem Rogerium ab eodem principe, qui ad eum forto alias ob causas properabat, ductus fuerit, impetrataque ab illo, cui a Rogerio duce ob insignem vitæ sanctitatem valde fuerit commendatus, eligendi sibi in Calabriæ parte, quæ ei parebat, quencumque proposito suo idoneum arbitraretur locum, facultate, Turritanam eremum elegerit, hancque sibi, uti mox videbimus, a dicto comite Rogerio donari impetrarit. Res ita ordinata conceptaque nihil sane habet, quod vel cum diplomatibus supra laudatis pugnet, vel utcunque a verisimilitudine abhorreat. Quod cum ita sit, eo modo, quo jam dixi, Sanctum in Calabriam secessisse, Turritanamque eremum sibi donari impetrasse, vix non certum indubitatumque puto. Quod si interim, Sanctum, Deum intentissime orantem, in sibi jam data hac eremo a comite Rogerio, venationi operam dante, inventum fuisse, cum Zanottio quisquam contendat, aut id ei in Apulia a duce Rogerio obvenisse, cum Morkensio præfracte astruat, ei equidem haud magnopere refragabor, cum hæc equidem ejus opinio, ut ut minus verosimilis, cum diplomatibus supra citatis pugnatura non sit. Verum utcunque tandem hæc omnia habeant, equidem Sanctus noster, cum e curia Pontificia abiit, in Turritanam Calabriæ eremum, ut jam dictum, secessit. Ac illum quidem, cum in itinere versus hanc existeret, Barensem S. Nicolai, ac S. Michaelis in monte Gargano ecclesias invisisse, archangelum hunc bis sibi apparentem habuisse, aliaque nonnulla in contexta a se Sancti Vita cap. 18 narrat Zanottius; verum ea nullo prorsus antiquitatis testimonio vel ipse firmat, vel alibi firmata invenio.

549. Modo itaque examinandum hic restat, cur tunc sese in Calabriam potius recipere, quam ad dilectam sibi Carthusiam redire, Sancto visum fuerit? « Optabat (verba sunt Blomenvennæ supra adhuc recitata) redire ad Carthusiam ad fratres suos charissimos, quos præmiserat, sed quia summus Pontifex (Urbanus II) cum sua curia transibat in Galliam, in cujus finibus Carthusia sita est, metuebat, ne curiam, quam fugiebat, declinare non posset, et ideo an Calabriæ potius deserta se contulit; » ita ille : verum Brunonem non ob rationem, quam his verbis allegat, in Calabriam potius secessisse,

www.libtool.com.cn

quam ad Carthusiam rediisse, sola ratio temporis, quo Urbanus Papa in Galliam transiit, Sanctusque in Calabriam secessit, evincit. Urbanus enim, uti inter omnes convenit, non ante annum 1095, quo, postquam Placentiæ in Italia celebrarat concilium, in Galliam, Claro-monto aliud longe celeberrimum, in quo sacrarum adversus infideles pro Terræ Sanctæ recuperatione expeditionum fundamentum jactum fuit, celebraturus concessit; Bruno autem, uti ex jam dictis ac porro dicendis pronum est eruere, in Calibriam e curia Pontificia anno 1090 sese recepit. Sanctum ergo in Calabriam potius sese contulisse, quam ad Carthusiam rediisse, reor, quod Pontifex, difficillimis, quibus vivebat, temporibus, futurum præscius, ut subinde, Roma relicta, in terras Rogerio duci comitique homonymo subjectas, sese recipere cogeretur, Brunonem, quem interdum ad sese evocare, atque ad consilia adhibere volebat, in Galliam seu ad Carthusiam, procul ab utriusque Rogerii ditionibus dissitam, abire noluerit.

550. Ea mihi sedet sententia, quod reipsa Sanctum, cum jam in Turritana eremo versaretur, ab Urbano subinde, sive ut indictis interesset conciliis, sive alia quacunque de causa evocatum fuisse, suadeat, cujus fragmentum Mabillonius lib. LXX Annalium Benedictinorum num, 30 suppeditat, epistola a Paschale II papa, proximo Urbani successore, ad Lanvinum, Sancti nostri discipulum, proximunque in eremi Calabrinæ prioratum successorem, VI Kal. Decembris anno 1101 conscripta. Hæc enim, quam integram, ex Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati Vallis Dei exemplari descriptam, supra plus semel jam laudatus Carthusianus Parisiensis mecum communicavit, sic habet: « Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Lanvino, salutem et Apostolicam benedictionem. Quod magnopere desideravimus, et vehementi desiderio exspectavimus, hoc, Domino propitiante, peractum est. Revertente siquidem fratre R. [Richardo] Albano episcopo, pacem et concordiam eremi reformatam, et te in locum sanctæ memoriæ magistri Brunonis successisse cognovimus. Sit ergo in te ejusdem Viri spiritus, idem sit eremiticæ disciplinæ rigor, eadem morum et gravitatis constantia; quia nos, opitulante Domino, quidquid auctoritatis et potestatis ipsius Magistri probabilis sapientia et religio ab Apostolica Sede promeruit personaliter, hoc tibi, eodem te spiritu concomitante, concedimus. Volumus autem, ut in proxima Quadragesima nos visitare debeas, quatenus cordis secreta os ad os plenius proloquamur. Interim vero monemus ut de resarcienda pace terræ, quam vehementer turbatam audivimus, cum fratribus nostris et religiosis viris, qui circa te sunt, satagas, et alios ad hoc commonere procures. Abbati Sancti Juliani, quem reprehensibilem audivimus, præcipe ex nobis ut nostræ audientiæ se repræsentet; eumque de contemptu litterarum legati nostri vehementer argue. Datum Romæ sexto Kalendas Decembris. »

551. Cum ergo, uti ex hac Paschalis papæ epistola liquet, fuerit ab hoc proximo Urbani II in S. Petri Cathedram successore Romam evocatus Lanvinus, proximus Sancti in eremi Turritanæ prioratum successor, fuisse quoque ipsummet S. Brunonem, quem summis laudibus Paschalis hic effert, ab Urbano II evocatum, dubitandum non apparet. Quod cum ita sit, summum hunc pontificem, quod ad sese subinde evocare Brunonem facile posset, haud procul eum a regionibus, in quibus se non raro commoraturum prævidebat, discedere voluisse, hincque factum ut Bruno ad Carthusiam non redierit, sed in Calabriam se receperit, non immerito conjeceris. Hæc porro conjectura utcunque etiam confirmatur tum ex ordinis Carthusiensis, uti vocatur, traditione, tum ex eo quod, teste omni exceptione majori quatuor primorum Carthusiæ priorum chronologo in hoc transcripto num. 7 Sancti nostri elogio, evocatus hic e Carthusia ab Urbano II pontifice fuerit, ut consiliis suis hunc adjuvaret; unde verosimile fit, Urbanum dum Brunoni e curia sua discedendi facultatem concessit, consiliis ejus uti deinceps adhuc voluisse, hunc que in finem, dum a Calabria non nimium abesset, subinde illum ad se evocasse. Ad hæc, nisi Sanctus, quod pontifex eum haud procul a locis, in quibus ipse versabatur, commorari dictum in finem vellet, in Calabriam secessisse astruatur, quænam tandem, cur hoc post obtentam a pontifice in eremum secedenti facultatem fecerit, nec potius ad Carthusiam redierit, ratio afferetur?

§ XXXIII. *Sanctus Turritana Calabriæ eremo a comite Rogerio donatur, eique deinde a Mesimerio, Squillacensi episcopo, ac post ab Urbano II papa donatio hæc confirmatur.*

552. Sanctus, facta sibi eo modo, quo § præcedenti exposui, a Siciliæ et Calabriæ comite Rogerio eligendi in ditionibus principi huic subjectis, locum, quem eremiticæ vitæ ducendæ maxime idoneum arbitraretur, Galabriam mox diligenter perlustravit, cumque in hanc eremum, cui Turris nomen, inter Stilum et Arenam sitam intraque diœcesis Scyllacensis, seu, ut alii scribunt, Squillacensis terminos conclusam, quam proposito suo percommodam, utpote montosam valde, adituque arduam ac difficilem, judicabat, invenisset, hunc illi locum comes Rogerius publico confecto intrumento seu diplomate benignissime est largitus, donationemque deinde Mesimerius Scyllacensis episcopus ac Urbanus II papa confirmarunt. Chartas seu instrumenta, quibus in fecerunt, lectoris oculis, quod nec passim omnia ad manum sint, nec paucis, quæ de Sancto jam dicta sunt ac porro dicentur, lucem afferant juverit subjecisse, observatis ad singulorum calcem nonnullis, sive de notis chronicis, quibus muniuntur, sive de personis, quarum nomina notantur, sive de nique de aliis quibuscunque, quæ elucidatione com-

www.libreria.com.ar

mentationeve indiguerint. A Rogerii comitis diplomate transcribendo exordior. His verbis ex Morkensii recensione concipitur : « Rogerius Dei gratia comes Calabriæ et Siciliæ omnibus fidelibus suis et Ecclesiæ Dei filiis tam præsentibus quam futuris in Domino salutem. Notum esse volumus fraternitati vestræ, per Dei misericordiam a Galliarum partibus ad regionem istam Calabriæ sanctæ Religionis viros, Brunonem videlicet et Lanvinum cum sociis eorum pervenisse, qui, contempta mundialis gloriæ vanitate, soli Deo elegerunt militare.

353. « Horum itaque desiderium ego cognoscens, et ipsorum meritis et precibus apud Deum adjuvari desiderans, ab eorum charitate multis precibus obtinui, ut in terra mea locum sibi habilem eligerent, in quo ad serviendum Deo, qualia vellent, habitacula præpararent. Elegerunt si quidem in terra mea quemdam solitudinis locum situm inter locum qui dicitur Arena, et oppidum quod appellatur Stilum. Hunc ego locum ad honorem Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et ad honorem beatissimæ Mariæ semper Virginis genitricis Christi Dei et Domini nostri omniumque Sanctorum donavi eis, eorumque successoribus ibidem Deo servituris cum tota silva et terra et aqua et monte in spatium unius leugæ [*al.*, leucæ] in omni parte adjacenti, concedens et constituens, quatenus locum istum libere et quiete cum hac adjacentia sua in perpetuum possideant; nec ex hoc mihi vel alicui personæ angariam vel servitium faciant. Contestor autem et contradico ex parte Dei omnipotentis et sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis et omnium sanctorum et mea, ne sit aliquis meorum aut extraneorum, stratigotus [*al.*, strategus] videlicet aut vicecomes, rustisus aut miles, servus sive liber, qui in loco isto pascuæ, vel agriculturæ seu etiam piscationis aut lignorum occasione, aut ex quacunque causa servis Dei molestiam aut injuriam faciat; sed in eorum potestate sit prædictum locum cum tota adjacentia sua secundum voluntatem suam possidere, disponere, ordinare et erogare. Quod si quis deinceps contra hujus paginæ constitutionem venire præsumpserit, imprimis nisi digne satisfecerit, iram Dei et maledictionem incurrat, et conatu tali ad nihilum redacto, pro præsumptione tanta centum librarum auri pœnam in curia nostra sustineat.

554. « Igitur ut constitutio hæc inviolabilis et omnino firma permaneat, concedente uxore mea Adelai comitissa et filio meo Gofrido in præsentia bonorum hominum donationem istam feci et sigillo meo sigillari præcepi. Ego Gofridus, Melitensis Ecclesiæ episcopus, licet indignus, chartam hanc manu mea scripsi rogatu comitis Rogerii, laudans et confirmans constitutionem hanc, anathemate vero et excommunicatione damnans eum, quicunque hanc infringere præsumpserit, nisi tamen resipiscens satisfecerit. Facta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo. Insuper donavi Mule cum filiis suis ad custodiendam silvam. Testes autem affuerunt hii: Stephanus presbyter, Giraldus præsbyter, Petrus de Moritono [*al.*, Moritonio], Ricardus Maletus, Ragnulfus eleemosinarius, Nicolaus notarius et alii plures. » Morkensius, e cujus recensione, ut jam monui, hanc chartam hic exhibeo, integre recitatæ subjungit: « Nota, hanc chartam donationis eremus Calabrinæ, etc., ad Italia ex autographo desumptam accepi. Est quoque in Annotatis (pag. nempe 199 et tribus seqq.) ad Vitam S. Brunonis Suriani nostri. Ex hac manifeste constat, S. P. N. Brunonem cum Lanvino et aliquot sociis jam anno 1090 ex Galliæ partibus in Calabriam venisse, atque a Rogerio comite fuisse rogatum ut in ea terra sua remaneret, eligeretque eremum proposito suo ac commodam. » Ita ille, et recta sane, quamtum mihi apparet: sunt tamen, qui recitatam donationis a Rogerio factæ chartam ante annum 1091 datam non fuisse, contendunt, quod mense Januario aut Februario scriptam hanc esse velint, hique duo menses, spectata, quam Rogerius comes secutus sit, annos Domini, non ab ejus Nativitate, sed ab Incarnatione consequendo nos tribus mensibus, computandi ratione, non in annum 1090, cujus mensibus Januario et Februario Sanctus verosimillime, ne dicam indubie, in Carthusia adhuc versabatur, sed in annum 1091 incidisse debeant.

555. Verum Rogerium annos Domini, non ab ejus Incarnatione, sed a Nativitate computare solitum fuisse, varia ejus apud Rocchum Pirrum, Ughellum aliosque exstantia diplomata fidem faciunt, ut quisque, qui hæc consulere voluerit, facile deprehendet. Porro Mabillonius lib. LXVIII Annalium, num. 32 recitatam modo donationis chartam cum charta, infra a nobis etiam recitanda, qua postea Rogerius comes Turritanæ eremo, quam Brunoni ejusque sociis jam ante donarat, terminos circumscripsit seu assignavit, confundit, hancque præterea Rogerio duci perperam attribuit ; quod utrumque non possum non mirari, cum hæc ipsa charta, quam ex parte eo ipso loco transcribit, quamque, ut monui, Rogerio duci attribuit, in capite, non Rogerii ducis, sed Rogerii comitis nomen apud eum præferat, sequentiaque in contextu verba contineat: « Hunc ergo locum, situm scilicet inter locum qui dicitur Arena, et oppidum quod appellatur Stilum, seu Turritanam eremum et omnia undique in circuitu adjacentia in spatium unius leucæ Deo et B. Mariæ, ac ipsis eorumque successoribus in proprietate, sicut nostra fuerunt, sub omni immunitate atque libertate donavimus.... Rogavimus insuper venerabilem virum, Melitensem episcopum Gofredum super hac donatione nostra confirmationis chartam conscribere, quam et sigillavimus.... hanc autem donationem nostram tam domnus apostolicus noster Urbanus, quam Squillatinus episcopus Theodorus, in cujus episcopatu ipse locus situs est, laudaverunt, privilegiis confirmaverunt atque terribili anathemate munierunt; » quibus cum dicatur Urbanus papa Turritanæ Calabriæ eremi donationem, S. Brunoni

a comite Rogerio factam, confirmasse, chartaque, qua id fecit, anno 1092, uti ipsemet Mabillonius loco cit. fatetur, data fuerit, non video, qui merito hic scriptor chartam, quam ex parte recitat, quamque anno 1093 signatam exhibet, pro charta qua Rogerius dictam eremum S. Brunoni ejusque sociis primum donavit, accipere potuerit.

556. Attamen, cum Mabillonius supra recitatam, qua Rogerius Calabriæ et Siciliæ comes Turritanam eremum Sancto nostro vere donavit, chartam ad manum non habuisse videatur, hinc forte in hunc errorem inciderit; verum nihil hujusmodi utcunque excusat errorem alium, quo, ut jam monui, quam ex parte transcribit, chartam a Rogerio comite profactam, Rogerio duci, cujus is patruus erat, attribuit; hunc enim ab illo esse diversum, quicunque Historiam Siculam vel a limine salutavit, habet perspectum, nec ipsemet ignoravit Mabillonius, ut proinde id hic probare, supervacaneum foret. Attamen ut et quisque inter utrumque Rogerium distinguere, et de chartarum huc transcribendarum, quas tam Rogerius dux, quam comes, in S. Brunonis ejusque sociorum favorem dedit, ingenuitate ferre queat judicium, lubet huc nonnulla, quæ ad ambos illos principes eorumque stirpem Normannicam ac progeniem potissimum pectant, in medium proferre Trancredus ab Alta-villa, ut Gaufredus Malaterra, auctor synchronus, Historiæ Siculæ a se contextæ lib. I refert, prope Constantiam in Normannia, Galliæ provincia, nobili loco natus, sæculo undecimo floruerit, eque duabus uxoribus diversis filios genuit duodecim, e priori quidem, cujus nomen excidit, Guilielmum, cognomine Ferrea-brachia, Rogonem, Hunifredum, Gaufredum et Serlonem; e posteriori vero, quæ Fransendis cognominata fuit, Robertum, postea Guiscardum appellatum, Malgerium, Guilelmum, Alveredum, Humbertum, Trancredum ac tandem Rogerium, qui omnes, duobus exceptis, qui in patrio solo hæreditatis paternæ carpendæ causa manserunt, Italiam petierunt, factisque bellicis in Apulia potissimum et Campania clari, regiones hasce vicinasque alias, Græcis Sarracenisque, earumdem dominis, expulsis, paulatim sibi subjecerunt. Præcipue tamen eos inter enituere Robertus, Guiscardus cognominatus, et qui omnium junior erat, Rogerius, in S. Brunonem beneficiis, nec minus singulari in personas alias locaque sacra liberalitate, quam armis magnum sibi nomen apud seram etiam posteritatem adeptus.

557. Ac Robertus quidem Apuliæ ducatum una cum Calabriæ parte aliisque aliquot ditionibus vicinis tenuit, annoque 1085 vitam cum morte commutavit, tres quatuorve post se filios relinquens, quorum secundo genitus Rogerius in ducatum Apuliæ ac potiorem hæreditatis paternæ partem successit, uxoremque habuit Adelam, Roberti Frisii comitis Flandriæ filiam; Rogerius vero, qui, quamvis Calabriæ partem duntaxat teneret, supremumque totius regionis hujus dominum penes Guiscardum ac deinde penes filium ejus Rogerium exstitisse videatur, Calabriæ non minus quam Siciliæ comes audiit, tres uxores diversas, si harum tamen prima, quo ab Orderico Vitali Normannorum Historiæ lib. III, pag. 484, Judith, a Gaufredo autem Malaterra Historiæ Siculæ lib. II, cap. 29, Delicia vocatur, uxoris legitimæ nomine venire queat, matrimonio sibi junctas habuit. Prima nullos ipsi, uti laudatus Ordericus Vitalis loco cit. docet, liberos peperit; secunda, apud Malaterram lib. IV, cap. 14 Elemburga, apud Cangium in Stemmate Siculo, Annotationibus in Annam Comnenam inserto Eremburgis appellata, fillium Gaufredum, seu, ut ab aliis scribitur, Goffredum, filiasque aliquot genuit; tertia nomine Adelais, seu, ut alii signant, Adelasia, quæ Bonifacii, Marchionis Montis-ferratensis, filia erat, anno 1089 matrimonio ei fuit collocata, ex eaque procreavit duos filios, quorum alter, nomine Simon, infans obiit, alter, ut pater, Rogerius appellatus, Siciliæ rex postea factus est. Atque hæc, ut, quæ in diversa comitis Rogerii diplomata, unumque Rogerii ducis, in S. Brunonis ejusque sociorum favorem concessa, annotanda erunt, intelligantur, partim ex Gaufredo Malaterra, partim ex Orderico Vitale præmittenda hic duxi. Ac primo quidem ex his jam liquet, nihil contra proxime huc transcripti, quo Rogerius comes Turritanam seu Squillacensem Calabriæ eremum S. Brunoni anno 1090 concessit, diplomatis sinceritatem posse opponi ex eo quod, comitis uxore Adelai filioque Gaufrido concedente, datum dicatur. Nec est cur monumentum illud suspectum fiat ex eo quod in Calabria datum fuerit, comesque Rogerius anno 1090 exeunte, quo datum fuit, in Calabria exstitisse non sciatur; etsi enim, principem illum ibi tunc fuisse, Malaterra aliique, qui res ab eo gestas litteris mandarunt, expresse non edicant, nihil tamen etiam, unde contrarium certo consequatur, memoriæ produnt.

558. Venio modo ad chartam, qua Theodorus Mesimerius, Squillacensis episcopus, in cujus diœcesi Turritana eremus, ut jam monui, sita erat, factam hujus S. Brunoni a comite Rogerio donationem approbavit. Instrumenti hujus, quod Græce a Mesimerio utpote in Calabria, instrumenta publica Northmannicæ etiam dominationis initio Græce exarare solita, Ecclesiæ Græce episcopo, primitus datum fuit, ecgraphum ex ipso Græco autographo desumptum atque ex Italia sibi submissum, Morkensius, ut in suis ad illud Annotationibus ait, præ manibus habuit, idque Latine a se redditum ad chronologico-diplomaticæ, quam de S. Brunone adornavit, Diatribuæ calcem adjecit Operam dedi, ut et Græcum monumenti illius apographum, lectori hic exhibendum, nanscisci possem; verum cum frustra laborarim, alienaque interpretatione, scilicet vel Suriani in Annotationibus in scriptam a Surio Sancti Vitampag. 207 et seq., vel Ughelli tom. IX Italiæ sacræ in episcopis Squillacensibus, vel denique Morkensii, cogar esse contentus, instrumentum illud, prout a po-

www.libtool.com.cn

steriori hoc scriptore in linguam Latinam est conversum huc transcribo. Sic itaque ex ejus recensione habet : « Theodorus Mesimerius Dei misericordia episcopus Castrorum, Scyllacei, Stili et Tabernæ, ac protosyncellus, petitioni clarissimi comitis, domini nostri Rogerii, qui me rogare dignatus est pro honoratissimis monachis et eremitis, domnis scilicet Brunone et Lanvino, non quidem summa et tyrannica auctoritate mecum agens; sed, ut dixi, me rogare dignatus pro suprascriptis monachis, locum a Deo servatum, qui Turris dicitur, incolentibus in veneranda admodum ecclesia gloriosissimæ dominæ nostræ Dei Genitricis ac Sancti Joannis Baptistæ præcursoris, qui quidem in desertis locis degentes per tempus sotis longum illuc transmigrarunt ad partes Stili in mea diœcesi.

559. « Et sicut dominus noster comes vobis donavit montem, campos et molendina circa ecclesiam usque ad duo miliaria, ipsa in perpetuum possideatis, vos monachi superius laudati, et socii et successores vestri, qui hunc locum inhabitabunt usque ad sæculorum finem citra alicujus prohibitionem aut molestiam; tributum vero aut decimam, vel quamlibet vexationem vobis cæterisque sociis et successoribus, nullus nec ego ipse, vel alii, qui post me in episcopos eligentur, inferant; si quis autem ausus fuerit hoc nostrum sigillum (id est diploma) contemnere, habeat anathema a Patre et Filio et Spiritu Sancto, et a trecentis decem et octo (concilii scilicet Nicæni I) deiferis Patribus. Istud sigillum firmum et inviolabile ad sæculorum finem permaneat. Etenim ego hoc præsens sigillum bullatum pro supradictis monachis feci, et bullans mea bulla plumbea signavi ✠ mensis Decembris septima, indictione decima quinta anni millesimi nonagesimi. Ego Raingerius Dei clementia electus archiepiscopus sanctæ metropolitanæ Ecclesiæ Rhegii præsens confirmavi, prout omnino scriptum habetur, et apud ipsos Dei servos, quorum supra mentio facta est, Brunonem, Lanvinum et cæteros socios; sed et apud eos, qui successuri sunt, ratum fixumque permaneat et usque ad sæculorum finem validitatem obtineat. » Græcæ Mesimerii chartæ, hic ex recensione Morkensii jam datæ, ascripta exstat, quemadmodum hic scriptor et Surianus pag. 209 testantur, et altera Latina, seu potius paulo liberior dictæ chartæ Græcæ ab ipsomet, ut apparet Mesimerio facta interpretatio. Ut de approbota per Mesimerium, quam Rogerius comes S. Brunoni fecit, donatione suum ferre queat studiosus lector judicium, lubet et Latinam illam chartam huc transcribere.

560. His verbis concipitur : « Ego Theodorus Mesimerius, Dei gratia episcopus de Squillatio, et de Stilo et de Taberna, et protosynquillos, deno gratis, non coactus, sed comitis Rogerii precibus et consilio plurimorum procerum suorum acquiescens, terram de Turribus, scilicet duo milliaria circa ecclesiam, in monte constitutam, ex omni parte domno Brunoni et Lanvino sociisque eorumque successoribus, illum montem inhabitantibus, eo modo et tenore, ut in vita libere habeat et possideant, et post eorum decessum successores eorum similiter libere possideant montem atque terram cum bosco infra fines supradictorum duorum milliarium ab omni parte circa ecclesiam in supra dicto monte constitutam, non episcopo Squillatii nec comiti, neque cuilibet personæ aliquod servitium persolventes, et si ordinationem aliquam facere voluerint, aut consecrationem, prout libuerit, agant. His autem quicunque contraire voluerit, cum Juda proditore pereat nisi ad satisfactionem et emendationem fratribus Ecclesiæ venerit. Ego Raingerius Rhegii electus hanc chartulam confirmo et laudo, » En modo etiam, quid præcipue præter id, quod jam dixi, ad instrumenti hujus a se transcripti calcem Morkensius observet. « Πρωτοσυγκελλὸς Mesimerius (in facta scilicet ex dictis ab ipso Mesimerio, quæ Græce hujus chartæ exstat ascripta, interpretatione) Latine scripsit PROTOSYNQUILLOS, ego, imitatus quosdam Latinos, scripsi *protosyncellus*, alius forte vertet *primus sacellanus*, sed nihil ad rem, legat quisque, ut ut volet. Originale appensum habet ex cannabe alba parvam plumbeum bullam, in cujus una parte est Sanctus quidam, brachiis et palmis expansis. Arbitror esse sanctum Agacium martyrem, Syllacensium patronum, in altera vero parte sunt characteres Græci minutissimi vix legibiles. »

561. Ita ille Et recte quidem vocabulum Græcum Πρωτοσυγκελλὸς Latine vertit *Protosyncellus*; verum anne idem vocabulum Græcum recte etiam quis verterit *primus sacellanus?* Protosyncellus seu Πρωτοσυγκελλὸς idem significat, quod syncellorum primus; qualis autem significatio vocabulo *syncellus* competat, pro certo nequeo edicere. Adi Cangium in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad vocabula *Protosyncellus* et *syncellus*. Ad ea quæ chronicæ, quibus Græca Mesimerii charta munitur, notæ observanda dilucidandaque offerunt, accedo. Annus, quo instrumentum illud datum notatur, cum indictione non convenit. Quid ergo de eo hic statuemus? Spuriumne idcirco aut supposititium pronuntiabimus? Chartas, quod difficultates chronologicas complectantur, haud facile rejiciendas esse, apud Cangium in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad vocabulum *Annus* solide probatur. Verba omnia, ut ut prolixiora, quibus id fit, juverit huc transcripsisse, ne quis recitatam Mesimerii chartam, maxime si dicta, qua laborat chronologica difficultas utcunque tolli queat, facile repudiet, aut etiam suspectam duntaxat habeat. Sic habent : « Inveuntur nihilominus quædam pontificum diplomata, inquit idem auctor (Mabillonius de Re diplomatica, lib. II, c. 25, n. 9), quorum calculus recentiorem nostrum prævertit. Ejus generis duo Callisti II nobis suppeditat cruditus Chifletius in Hist. Threnorchiensi. Primum est « Datum « Albæ per manum Grisogoni S. R. E. diaconi card. « ac bibliothecarii XV Kal. Junii, ind. XIV Inc. Do- « minicæ an. 1122. Pontificatus domini Callixti

» papæ anno III. » Alterum habet easdem notas.

562. « Atqui indicto XIV convenit non anno 1122 secundum calculum nostrum, sed anno præcedenti. Unde idem Chiffletius in lemmate prioris privilegii notat datum esse privilegium an. 1122, a die 25 Martii deducto, scilicet quatenus Incarnatio novem mensibus præcedit: sed anno Dionysiano 1121, ut ostendit indictio XIV. Alia ejus generis pontificia diplomata videntur. Verum quædam reperiuntur, quorum calculus uno anno Dionysianum præcedit, non solum mensibus nivem quæ proinde non possunt ad calculum Pisanum,... » qui ab Incarnatione Dominica, prout hæc novem mensibus Nativitatem præcessit, ducit initium, itaque totidem mensibus calculum communem prævertit, « accommodari. Exstat hujusmodi autographum non dubium in archivo Dionysiano datum « XII Kal. April. ind. X, Incarnationis Domi- » nicæ anno 1103 pontificatus autem domni Paschalis » secundi papæ III. » Quæ indictio, sicuti annus Paschalis tertius anno 1102 conveniunt in Martio, nec sequenti anno convenire possunt, etiamsi calculus Pisanus admittatur; nisi integro anno dicatur hoc diploma Dionysianum præcessisse. Occurrit et aliud apud Puricellum pag. 512 ejusdem Paschalis plane consimile. « Datum Laterani per manum » Joannis S. R. E. diaconi cardinalis, XVI Kal. » Martii indict X, Incarnationis Dominicæ anno 1103, » pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ » III. » Hic idem cancellarius, eadem chronologicæ notæ, quæ eruditis discutiendæ proponuntur, aliæque similes haud raro occurrentes. Hæc fere ad verbum ex Mabillonio, fusius quidem, sed haud inutiliter ab ostendendum non facile rejiciendas esse chartas, in quibus chronologicæ difficultates occurrunt, cum et in iis animadvertantur diplomatibus, quæ nullo modo possunt in dubium revocari. »

563. Hactenus ibidem, et recte quidem, ut jam monui. Verum qui modo chronologicam, quæ in Mesimerii charta occurrit, difficultatem tollemus? Dicemusne, vel in anno, vel in indictiode errorem cubare, a librariorum oscitantia profectum, qui quis annus quæve indictio per litteras Græcas, Rogerii chartæ subscriptas, designetur, haud sat accurate notarint? Verum characteres chronici, quibus hujus instrumenti non tantum autographum, verum etiam quod Morkensio præluxit, apographum seu ecgraphum munitum fuit, non compendio per litterras numerorum locum tenentes, sed integris, uti notula in margine adjecta ipsemet hic scriptor docet, vocibus erant expressi hunc in modum : Μηνὶ Δεκεμβρίῳ εἰς τὰς ἕπτα, ἰνδικτιόνος δεκατῆς πεμπτῆς τοῦ ἐννεακοστοῦ χιλιοστοῦ ἔτους, id est, « Mensis Decembris septima, indictione decima quinta anni millesimi nonagesimi, » uti recte interpretatur Morkensius, etsi enim substantivum non adsit, cum quo feminini generis articulus τάς conveniat, subintelligitur tamen substantivum accusativi pluralis numeri ἡμέρας cum participio προβεβηκότι, quod ad substantivum μηνὶ refertur, ita ut sensus sit μηνὶ Δεκεμβρίῳ εἰς τὰς ἕπτα ἡμερὰς προβεβηκότι, id est, « mense Decembri ad septem dies jam provecto. » Sic in Appendice ad Bernardi Montfauconi Paleographium pag. 512 sequens codicis Octateuchi, in collegio universatis Oxoniensis asservati, Græca inscriptio seu potius clausula, Τέλος εἴληφεν ἡ Ὀκτάτευχος βίβλος Νοεμβρίῳ εἰς τὰς κ' Latide redditur, « finem accepit Octateuchus Novembris vigesima. » Ex iis quidem quæ Surianus in suis ad contextam a Surio Sancti Vitam annotationibus suppeditat in apographo quod scriptori huic præluxit, exaratum fuisse videtur εἰς τῆς non autem εἰς τὰς ἕπτα; verum id vel in describentis errorem, vel in dialectum, quam forte Mesimerius fuerit secutus, est refundendum. Ut ut sit, error equidem, qui a librariis commissus sit, in characteribus chronicis, quibus Mesimerii charta seu potius hujus apographum, ex Morkensii recensione huc jam transcriptum, signatur, cubare non videtur. Verum qui tandem ergo chronologica, quam characteres illi offerunt, difficultas e medio tolletur.

564. Morkensius, ad chronologico-diplomaticæ suæ calcem nonnulla pro chronicis, quibus varia, quæ potulit, diplomata seu instrumenta publica muniuntur, characteribus in concordiam revocandis lectori, proponens, de Mesimerio ait, eum « more Siculo nos consequi anno uno, atque ideo datam illius producendam esse usque ad subsequentem annum nostrum; » Quod si verum sit, Squillacensis illius antistitis charta supra recitata, quæ anno 1090 data notatur, anno proxime sequenti data fuerit, sicque indictio XV, qua signatur, cum anno quo vere data fuit, apprime congruet omnisque chronologica difficultas, qua instrumentum illud laborat, evanescet. Verum, cum hæc annos Christi computandi ratio in usu apud Siculos passim fuisse non noscatur, certumne etiam sit, nunquam cuiquam usurpatum fuisse, dispiciendum. Rochus Pirrus in Ecclesiæ Panormitanæ Notitia prima ad annum 1144, annum Christi natalem cum anno ab orbe condito 5508 a Græcis communiter componi, haucque computandi rationem ab iis in Siciliam manasse, præfatus, sic scribit : « Fridericus Sylburgius Fastos Siculos exhibet, e chronico erutos, quod in vetusta Siciliæ bibliotheca inventum est ab Hieronymo Surita, ac deinde ab Antonio Augustino in Italiam, post in Hispaniam translatum est; in eo vero annum Christi natalem statui refert sub coss. Lentulo et Pisone, et anno ab orbe condito 5507, Neque varietas hæc lectorem commovere debet, si nimorum advertat plures scriptores uno aut altero anno communem Christi æram antevertisse. Sentio igitur in Sicilia nostra juxta hanc computandi methodum in diplomatibus explicandum esse annorum ab orbe condito numerum, ut scilicet rejicias annos 5508, et qui numerus erit residuus, is Christi annum in hac communi et vulgari æra, qua nunc utimur, signabit; putavit enim Sicilia, Christum esse natum post annum ab orbe condito 5508, et primum Christi annum incidere in annum 5509. »

565. Hactenus ille. Quid si ergo, ut alii, de quibus

www.libtool.com.cn

hic Rocchus Pirrus, communem Græcorum Christi æram, qui est annus ab orbe condito 5508, uno alterove anno anteverterunt, ita Mesimerius anno uno subsecutus sit, Christumque, non anno ab orbe condito 5508, sed 5509 natum existimarit? Sane, cum alii aliis ab orbe condito annis Christum natum statuant, Mesimerium, Squillacensem seu Scyllacensem episcopum, fuisse in ea opinione, mihi neutiquam vero apparet absimile; secundum hanc autem annus ab orbe condito 6599, qui, ut computanti patebit, secundum jam dictam Siculorum et Græcorum æram communem anno Christi 1091 erat in cursu, anno Christi 1090 cucurrerit; ut proinde posterior hic Christi annus, quo charta, a Mesimerio in S. Brunonis ejusque socioıum favorem concessa, signatur, proprie pro anno 1091 sit habendus; cui, ad septimam Decembris diem, uti eadem charta fert, jam provecto, indictio quinta decima, in eodem illo instrumento signata, apprime consonat, ut computanti patescet. Atque hinc jam fit, ut illud ego, quod vere ex jam dictis, non anno 1090, quo notatur, sed anno 1091 datum fuerit, pro spurio suspectove habere non ausim, maxime cum id tanquam genuinum Ruinartius in conscripta a se Urbani II papæ Vita pag. 86, aliique viri eruditi in variis, quæ concinavere, operibus laudent, integrumque etiam non tantum suis in contextam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus Surianus, verum etiam Ughellus tom IX Italiæ sacræ inseruerit, nec scriptorem ullum hactenus invenerim, a quo censura minus faventi notetur.

566. Nec est porro, cur etiam suspectum habeatur, quod eremi Squillacensis seu Turritanæ, a Rogerio comite S. Brunoni concessæ, magnitudinem duobus milliaribus definiat, quam unius leucæ facit danationis per Rogerium comitem factæ charta supra huc jam transcripta; licet enim leuca pro tribus passuum millibus sub inde ab antiquis fuerit accepta, id tamen semper apud horum quoscunque locum non obtinuit, nec, etsi secus foret, propterea dicendus esset Mesimerius cum Rogerio comite pugnare in magnitudine, quam eremo, S. Brunoni in possessionem datæ, attribuit. Leuca enim in laudata Rogerii charta pro mensura terræ, uti apparet, accipitur; leuca autem, hoc sensu accepta, apud Francos seu in Francia, e cujus provincia Normannia Rogerius erat, duobus passuum millibus seu milliariis constabat, uti in Glossario ad vocabulum Leuca docet Cangius. At vero, inquiet non nemo, in charta, a Mesimerio concessa, Rangerius vocatur « archiepiscopus Rhegiensis electus, » ut tunc, cum hæc data fuit, consecratus seu ordinatus nondum fuisse videatur; cum autem ex supra dictis anno 1090 ad sedem Rhegiensem fuerit electus, fuisse cum anno 1091, ad 7 Decembris jam provecto, quo tempore dicta charta data notatur, nondum consecratum seu ordinatum episcopum, verosimile haud apparet, consequensque proinde fit, ut instrumentum illud, non anno 1091, quo a datum, nobis statuitur, sed anno 1090, quo reipsa signatur, verosimiliter datum fuerit, ac proin ut indictionem cum anno, quo signatur, pugnantem præferat. Ita præterea ab iis, qui Mesimerii chartam pro spuria habendam voluerint, potest argui. Verum, etsi quidem, ipso anno 1090, quæ Rhegiensem sedem Sanctus noster recusarat, fuisse ad hanc electum Rangerium, verosimilius ex dictis sit, id tamen omnino certum non est. Quid ni enim factum esse queat, ut, cum ad dignitatem illam promoveri Bruno renuisset, alium ad eamdem eligere Rhegienses sive sponte sua, sive aliunde, quo minus id facerent, impediti, aliquandiu distulerint?

567. Ut ut sit, Rangerium equidem, si eum anno 1091, ad Decembrem provecto, nondum fuisse consecratum Rhegiensem archiepiscopum, jamque tamen ab anno 1090 fuisse electum, admitti haud queat, ad dignitatem hanc, non anno 1090, sed anno 1091 fuisse promotum, idcirco statuendum est, quod memorata charta, quam tanquam Rhegiensis electus confirmavit ac laudavit, ante annum 1091 data esse posse haud videatur; quod sic ostendo: Brudo ejusque socii gloriosissimæ dominæ nostræ Dei Genitricis ac S. Joannis Baptistæ ecclesiam, in eremo Squillacensi seu Turritana sitam, incoluisse in charta illa dicuntur; hæc autem ecclesia, uti infra docebo, ædificata primum fuit, cum eremus illa a comite Rogerio S. Brunoni fuisset donata; quare cum id ex supra dictis non prius, quam cum annus 1090 ad finem jam vergeret, factum fuerit, jam inde ab hoc anno ecclesiam, gloriosissimæ Dei Genitrici et S. Joanni Baptistæ sacram, quam Sanctus ejusque socii hoc ipso etiam anno inhabitarint, in eremo Turritana exstitisse, neutiquam verosimile est, ac proin præfatum Mesimerii chartam, in qua hoc innuitur, non anno 1090, sed anno 1091 datam fuisse, necesse est. Atque ita ruit etiam, quod contra chartæ a Mesimerio datæ sinceritatem afferri adhuc poterat, argumentum, hæcque adeo pro spuria habenda non est. Proximum nunc est ut, quo ea, quæ § præsenti facere statui, opere exsequar, modo etiam Bullam, qua Urbanus II papa supra recitatas Rogerii comitis et Mesimerii, episcopi Squillacensis, chartas confirmavit, novoque favore Brunonem ejusque socios affecit, huc transcribam. His itaque verbis concipitur: « Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Chisto filiis Brunoni et Lanvino salutem et apostolicam benedictionem. Piæ voluntatis affectus studio debet prosequente compleri. Quia igitur nostri officii interest, servorum Dei quieti, prout Dominus posse dederit, providere, petitionibus vestris, filii in Christo charissimi et reverentissimi, clementer annuimus.

568. Per hujus ergo apostolici privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut locus ille, quem inhabilitationi vestræ, disponente Domino, elegistis, a jugo, potestate, injuria, molestia omnium hominum omnino liber cum tota silva et monte, terra et

aqua in spatium unius leugæ [*al.*, leucæ] in omni parte adjacenti in vestra omni modis et successorum vestrorum dispositione permaneat, sicut a vobis a dilecto nostro filio Rogerio comite condonatus est, et a confratre nostro Theodoro, Squillacino episcopo, confirmatus. Nemini intra prædictum spatium liceat pascuæ, agriculturæ seu piscationis aut lignorum occasione aut quacunque ex causa vobis aut vestris successoribus injuriam aut molestiam irrogare, sed totum secundum voluntatem vestram possideatis, disponatis, ordinetis et erogetis. Si quid præterea episcopalis officii indigueritis, ad quem potissimum vicinorum antistitum volueritis, recurrendi psæsenti decreto liberam licentiam indulgemus. Decimarum quoque usum ex vestris, vel puerorum vestrorum laboribus vestri jurisœsse censemus, Quod si quæ puerorum vestrorum offensa contigerit, id vestra tantum manu omnis eorum correctio maneat. Nec ullus se de his, quæ ad vos pertinent, sine vestra voluntate occasione aliqua intromittat, quatenus omnipotentis Dei speculationi liberis mentibus insistatis, et ad ejus faciei dulcedinem, ipso præstante, pervenire valeatis. Sane si quis in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes aut vicecomes, judex aut persona quælibet potens aut impotens, hujus nostri privilegii paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, eum honoris sui et officii periculo subjacere decernimus, et a Christi atque Ecclesiæ corpore auctoritate potestatis apostolicæ segregamus. Conservantibus autem pax a Deo, et misericordia præsentibus ac futuris sæculis conservetur. Amen. Amen. Amen. Datum per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis, pridie Idus Octobris, indictione prima, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo secundo, pontificatus autem domini Urbani secundi anno quinto. »

569. Morkensius, e cujus chronologico diplomatica de S. Brunone Diatriba pontificiæ hæ Urbani II litteræ depromptæ sunt, sequentem hanc eidem annotationem subjungit. « Bulla hæc, inquit, Urbani II papæ, uti ab Italia perscribitur, est deperdita; exemplar tamen ejus exstat in perantiquo ms. codice, qui Breviarium privilegiorum domus Calabrinæ inscribitur. In eo continentur omnia privilegia in menbrana conscripta, quæ ab anno 1090 usque ad annum 1200 huic eremo donata fuere. » Hæc ille: ne autem, quibus recitatæ Urbani litteræ signantur, notas chronicas seu annum 1092 et indictionem quintam decimam sese inter non convenire quis putet, annum a Januario, indictionem vero ab anni præcedentis aut Septembris initio more Græcorum, aut certe VIII Kal. Octobris seu XXIV Septembris die computare Urbanus incepit, e tribus vulgatis indictionum generibus Constantianam seu Cæsaream secutus. Liquet id e diversis a pontifice hoc datis bullis, ac nominatim, ut reliquas omittam, e bulla alia, in S. Brunonis favorem anno 1098 concessa, infraque huc trancribenda, quæ data notatur « Salenti mense Septembri, indict. 6, » alteraque, quæ ab illo, cum Barii Eliam archiepiscopum consecrasset, fuit concessa, quæque data notatur « apud Barum anno Dominicæ Incarnationis 1089, pontificatus II, indict. XIII, IX Octobr. » Jam vero, cum id ita sit, atque a Septembris quidem initio Constantinopolitana seu Græcorum, a XXIV vero Septembris, die Cæsarea, indictio prima, anno 1092 currere incœperit, annus et indictio, quibus huc transcriptæ Urbani papæ II, quem hoc anno et mense in Calabria fuisse, Ruinartius in Vita ejus num. 116 et seq. docet, litteræ notantur, apprime inter se conveniunt, omnisque proinde, ob quam non nemo forsan hasce spurias autumet, difficultas chronologica evanescit.

§ XXXIV. *Quid post factum a Rogerio comite eremi Calabrinæ donationem Sanctus egerit. qui hanc deinde Rogerius dux confirmarit, terminisque Rogerius comes circumscripserit.*

570. Rogerium comitem, non tantum Turritanam eremum, verum etiam ecclesiam, sanctissimæ Dei genitrici Mariæ sanctoque Stephano sacram, S. Brunoni ejusque sociis statim atque hos in specu orantes invenerat, dedisse, Blomenvenna verbis num. 540 huc transcriptis indicare videtur, nec ab eo hac in re Puteanus et Surius dissentiunt. Ast id a vero alienum apparet. Ea enim eremus, non, ut ipsi statunt, anno 1095, sed anno 1090 S. Brunoni ejusque sociis data fuit, tuncque nondum, ut videtur, ecclesiam, quæ sive sanctissimæ Dei Genitrici sive Stephano sacra esset, complectebatur. Ita autumo, quod eremi illius ecclesia, S. Stephano sacra, diu duntaxat post, uti ex infra dicendis patescet, fuerit exstructa; ecclesia vero, quæ sanctissimæ Dei genitrici Mariæ sacra esset, ante annum, uti pariter ex infra dicendis patescet, 1094 consecrata non fuerit; unde eam, ipsomet Sancto nostro curante conditam fuisse, verosimillimum, ne dicam indubitatum, apparet. Bruno scilicet, uti, cum primum Carthusiam fuerat ingressus, ecclesiam ad honorem Dei, sanctissimæ Dei genitricis et S. Joannis Baptistæ exstrui ex supra dictis caravit, ita etiam in Calabriæ eremo, cum hanc a Rogerio obtinuisset, fieri verosimillime curavit. Atque in hac quidem opinione maxime confirmor ex eo quod Rogerius comes in charta supra huc transcripta, qua prafatam Calabrinam eremum S. Brunoni ejusque sociis dedit, Ecclesiæ, quæ in hac sanctissimæ Dei genitrici sacra esset, non meminerit, ejusque nihilominus, utpote eremi pene incultæ ac desertæ, quam instrumento illo Brunoni impertiit, partem præcipuam constituentis, mentionem verosimillime, si jam tum exstitisset, facturus fuisse videatur.

571. Porro in altera charta, infra huc transcribenda annoque 1099 ex dicendis data, indicari invenio, quod tunc, cum eremus Calabrina Sancto primum data fuisset, gestum videtur, hicque proinde recensendum est. In hac itaque charta Rogerius

www.libreria.com.ar

comes de S. Brunone sequentem loquitur in modum: « Rogavi quoque humiliter, ut pro Dei amore in terra Squillacii sumere dignaretur largos redditus, quos donabam : renuens ille recipere dicebat, quod ad hoc domum sui patris meamque dimiserat, ut a mundi rebus extraneus deserviret libere Deo suo. Hic fuerat in tota domo mea, quasi primus et magnus ; » hisce autem e verbis, Sanctum aliquandiu in Rogerii comitis domo commoratum esse, apparet. Atque id quidem post datam ei Turritanam eremum, dum in hac, quæ maxime necessaria essent, ædificia qualiacunque exstruerentur, contigisse opinor; verum anonymus annal. Carthusiensium libri IV hactenus non vulgati auctor, etsi quidem, Sanctum, in Rogerii comitis curia aliquandiu commoratum existimet, id tamen, antequam Sanctus in Carthusiam secederet, factum putat. Audi, qui operis sui hactenus non vulgati num. 13 loquatur. « Qui gesta, inquit, sancti Brunonis tenuiter norunt, forsan arbitrati sunt, nos graviter hallucinatos, cum diximus, sanctum Patriarcham aliquando apud Rogerium comitem Calabriæ fuisse commoratum ante suam conversionem, qui non nisi post plantatam Carthusiam Majorem in Calabria visus fuisse perhibetur. Nova quidem fatemur nos revelare, sed ea verissima astruimus ex litteris, quas idem comes dedit sancto Brunoni, non solum jam converso, sed etiam Calabrinæ Carthusiæ magistro, seu priori jam consistenti, in quibus dicit quod sanctus Bruno renuerit accipere plurimas donationes, ab ipso Rogerio sibi oblatas, eo « quod ad hoc domum sui patris, meamque » (sunt verba Rogerii in diplomate) « dimiserat, ut a mundi rebus extraneus deserviret » libere Deo suo. Hic fuerat in tota domo mea quasi » primus et magnus, » etc. Ex quibus verbi colligimus (si bene opinamur) beatum virum mansisse in curia, et comitatu Rogerii, non post, sed ante conversionem; nam gravitas eremitici instituti istud fieri potuisse, prohibet cogitare. Sagaci tamen lectori aliter sentire posse per nos licet. »

572. Ita ille: verum opinio, quam his verbis proponit, mihi neutiquam placet : præterquam enim quod, uti ipsemet fatetur, nova omnimo, sit, nullo pœnitus fundamento innititur. Quod enim ait, eremitici instituti gravitati contrariam futuram fuisse Sancti in curia Rogerii commorationem, nihil omnino evincit. Quid ni enim Sanctus, impetrata jam a Rogerio comite Calabrina eremo, aliquandiu apud hunc, donec et ecclesia aliaque maxime necessaria ædificia exstructa essent, commorari potuerit, cumque ut diutius ibidem pergeret versari, urgeretur, humaniter id recusasse? Rem sane ita gestam, verosimillimum mihi apparet, maxime cum non videam, quo potiori modo præfatæ chartæ num. præced. huc transcripta verba veritati possint intelligi congrua, nec Sanctus ante suum in Carthusiam ingressum in Italia fuisse uspiam legatur. Ad chartam modo, qua factam a Rogerio comite eremi Calabrinæ donationem Rogerius dux confirmavit, progredior. Sic habet : « Rogerius, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, Dei gratia dux, omnibus fidelibus Christianis, præsentibus et futuris, in Domino salutem. Notum esse volumus fraternitati vestræ de duobus viris, Brunone scilicet et Lanvino, qui sanctæ religionis studio accensi cum sociis suis in terram Calabriæ a Galliarum partibus, disponente Deo, venerunt et meo ductu in terram, quæ prædicta est, locum, qui eorum proposito conveniret, quæsierunt, quem cum sibi idoneum penes me non invenissent, elegerunt manere inter locum, qui dicitur Arena, et oppidum, quod appellatur Stilum. Locum autem illum Rogerius comes Siciliæ, patruus meus et fidelis, ipsorum precibus apud Deum desiderans adjuvari, toto cordis affectu illis donavit ; de comitatu enim ipsius per meam concessionem erat et a totius servitutis debito et ab omni angaria in perpetuum liberavit ; ita siquidem ut aliquis suorum vel extraneorum stratigotus aut vicecomes, rusticus aut miles, servus aut liber, non sit, qui in eo loco pascuæ, aut agriculturæ, sive piscationis aut venationis aut lignorum occasione aut ex quacunque causa servis Dei molestiam seu injuriam faciat, sed in eorum potestate sit omnino locus prædictus, ut secundum quod voluerint, possideant, ordinent et disponant.

573. « Talem ejus loci donationem, et libertatis prædictæ concessionem ego Rogerius dux laudo et corroboro, et quoniam terra illa de meo ducatu est, ut nullam in perpetuum patiatur calumniam, modis omnibus contradico. Quod si quis contra sententiam, quæ data est, agere præsumpserit, et nostrum violaverit præceutum, certissimum habeat, quia aut de cunctis finibus nostris in æternum exterminabitur, aut gladio meo sive successorum meorum ferietur. Ut omnia igitur superius concessa firma et illibata permaneant, hanc chartulam cuidam nostro clerico Rodolpho ego Rogerius dux et uxor mea Adela scribere præcepimus, et sigillo nostro signavimus. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo quarto. Indict., im^a. » Morkensius, postquam chartam hanc integram ad suæ de S. Brunone Diatribæ calcem transcripsit, subjungit, sese ejus apographum inter Garnefeltii, Carthusiæ Coloniensis alumni, editis eremitarum antiquorum Vitis clari, Analecta reperisse, idque cum autographo concordare : Surianus autem, etsi monumentum illud cum aliis, quæ ad S. Brunonem remque Carthusianam spectant, instrumentis publicis in suas ad conscriptam a Surio Sancti Vitam annotationes inferendum non duxerit, id tamen pag. 395 laudat, aitque, anno 1094 datum fuisse. Verum, etsi etiam hunc annum ea ipsa charta exhibeat, non tunc tamen, sed anno 1093 data fuisse videri potest ex indictione I, quæ ei apponitur, quæque non anno 1094, sed anno 1093 congruit. Nec ex eo, quod binæ hæ notæ chronicæ, quibus charta illa seu diplomata munitur, sese inter non concordent, pro supposititio id est habendum, cum ex supra dictis instrumenta publica

www.libtool.com.cn

non facile ut spuria rejicienda sint, fierique possit, A ut vel in dictos characteres chronicos librariorum vitio error irrepserit, vel ut tabellio, qui Rogerii ducis jussu instrumentum hic memoratum exaravit, annos Christi, non a Nativitate, ut communiter fieri assolet, sed Pisanorum more ab Incarnatione, prout hæc Nativitatem novem mensibus præcessit, numerarit; qua computandi methodo ab anni 1093 vigesima quinta Martii die seu sanctissimæ Dei Genitricis Annuntiationis festo annus ab Incarnatione Domini 1094 jam erat in cursu, cucurritque per reliquam ejusdem anni 1093 partem, sequentisque idem sanctissimæ Dei Genitricis festum.

574. Opponi quidem hic potest, hanc computandi annos Christi methodum Rogerio duci usitatam fuisse, nullis omnino, quæ ejus nomine vel in Sici- B lia vel in Calabria data fuerint, diplomatibus posse probari; verum, præterquam quod contrarium etiam probari diplomatibus hujusmodi non possit, fieri potest, ut quamvis etiam in Calabria et Sicilia annos Christi a Nativitate ejus, aut, si mavis, a Kalendis Januarii et Rogerius dux et plerique alii numerare inciperent, tabellio tamen, qui diploma seu instrumentum, de quo hic, exaravit, computandi annos Christi modum minus etiam ibidem usitatum fuerit secutus. Sane, etsi in numerandis Christi annis Sicilia olim, contra ac Zanottius in contexta a se S. Brunonis Vita cap. 16 vult, a communi aliorum more non discederet, is tamen, ut laudatus Rocchus Pirrus in Ecclesiæ Panormitanæ Notitia I ad annum 1144 docet, in tabellionum instrumentis C usque ad scriptoris hujus ætatem mos viguit, « ut anni initium statuerent ipsi die XXV Martii, licet a Kalendis Januarii numerarent populus imo et magistratus ; ubi ergo nos dicimus, die XVIII Febr. anni 1630, dixissent ipsi die XVIII Febr. anni 1629. » Quemadmodum ergo tabelliones, de quibus hic Rocchus, annos Christi, non a Nativitate, sed contra receptum morem ab Incarnatione trimestri spatio Nativitatem subsequendo numerarunt, ita eorumdem computum novem mensibus, uti vere accidit, hanc prævertendo calculumque Pisanum sequendo ab Incarnatione seu vigesima quinta Martii die inire potuit, qui supra recitatam, de qua hic, Rogerii ducis chartam concripsit. Quod si autem ille ita D reipsa annos Christi numeravit, fuerit hæc secundum calculum communem anno, ut considerant patebit, 1093 ante Septembrem concessa, sicque indictionem cum anno, quo vere data fuit, pugnantem haud præferet. Porro charta illa Annalium Carthusiensium lib. IV hactenus non vulgato integra exstat, ibique, uti ex notitiis, a Carthusiano Parisiensi sæpissime laudato mihi submissis disco, anno 1094, indictione 2 data notatur: quod si autem notis hisce chronicis chartæ autographum vere sit munitum, nulla plane id, cum indictio 2 anno 1094 congruat, difficultate chronologica laborat, consequensque est, ut in illius exemplari, quod Morkensio præluxit, error cubuerit.

575. Verum cum hic scriptor dicat, in ipso autographo, uti e litteris, ex Italia, id est, quantum opinior, e Carthusia Calabrina acceptis, didicit, cum anno 1094 indictionem 1 componi, ipsimet anonymo Annalium Carthusiensium auctori apographum erroneum verosimilius præluxerit. Ut ut sit, cum equidem vel hunc scriptorem sequendo, vel annos Christi computandi methodum Pisanam in diplomate, de quo hic, admittendo, omnis, qua id laborare videtur, difficultas chronologica evanescat, rejiciendum ob hanc non est. Ego interim chartam illam, contra quam quoque ex Adelæ, ducis Rogerii uxoris, nomine ei incluso nihil posse objici, e dictis num. 557 liquet. hoc loco recensendam duxi, quod verosimilius, uti ex jam dictis pronum est eruere, anno 1093 data sit, forteque adeo etiam præcesserit chartam alteram, hoc ipso anno etiam datam, qua Rogerius comes donatæ a se antea S. Brunoni Calabrinæ eremo terminos assignavit, donationamque magis firmavit ac ampliavit, Lubet et illam tum alias ob causas, tum maxime ne deinceps vel Mabillonii exemplo cum charta, qua eremum illam Sancto Rogerius comes primum largitus est, a quopiam confundatur, vel pretiosum antiquitatis monumentum studioso lectori desiderandum relinquatur, integram huc transcribere. Sequentibus hisce verbis concipitur: « In nomine sanctæ individuæ Trinitatis Rogerius, divina clementia comes Calabriæ et Siciliæ: notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris, quam præsentibus, quoniam miseratio divina sanctæ religionis viros. Brunonem videlicet et Lanvinum cum sociis suis, ad nos usque transmisit, sancto suo proposito aptum solitudinis locum quærentes; quorum nos desiderio congaudentes, meritisque talium ac precibus apud Deum adjuvari confidentes, multis eos exhortati sumus precibus, ut in terra nostra locum sibi habilem eligerent, in quo ad serviendum Deo, qualia vellent, habitacula præpararent.

576, « Elegerunt itaque quemdam solitudinis locum, situm inter locum, qui dicitur Arena, et oppidum, quod appellatur Stilum. Hunc ergo locum et omnia in circuitu adjacentia in spatium unius leugæ [*al.*, leucæ *hic et infra*] Deo et beatæ Mariæ ac ipsis eorumque successoribus in proprietatem, sicut nostra fuerunt, sub omni immunitate atque libertate donavimus cum omnibus rebus infra sitis, terris, silvis, aquis, pascuis ac cæteris omnibus cultis vel incultis, mobilibus vel immobilibus. Rogavimus insuper venerabilem virum, Melitensem episcopum Gofredum, super hac donatione nostra confirmationis chartam conscribere, quam etiam sigillavimus. Sed cum postea gratia commendandi nos ipsorum orationibus supra dictos visitassemus fratres, eorumque societatem (Deo gratias) suscepissemus, prædictæ spatium leugæ his in circuitu terminis distincte per nos ipsos designavimus, ac terminorum nomina in memoriam futuris conscribere jussimus: de parte Orientis castellum, qui locus est

www.libtool.com.cn

in accumine montis de Stilo, inde vadit per serram ejusdem montis usque ad Malareposta, scilicet ad superiorem collem montis, et inde per magnam cavam, quæ versa est ad Occidentem, usque ad pedem montis descendit, in qua aqua decurrit, et inde transit duos rusceletos et vallonem in directo usque ad jugum montis, quod est apud Occidentem, sicut prædicta cava respicit, et inde per jugum ejusdem montis usque Brontismenon, et inde transit vallonem recte ad viam, quæ venit de Arena, et vadit ad locum, qui vocatur Sancta-crux, et inde in directo [*al.*, in directe] usque super cacumen montis Embacaht, et inde descendit per cavam, sicut aqua decurrit per spatulam usque ad flumen Enchinar, et inde ascendit illud flumen usque ad aliud flumen, quod vocatur Alba, et inde ascendit idem [*al.* illud flumen usque ad magnam cavam, quam Græci vocant Bachiriache, et ascendit per eamdam cavam usque ad castellum, unde incepimus.

577. «Hanc autem donationem nostram tam Dominus apostolicus Urbranus, quam Squillacinus episcopus Theodorus, in cujes episcopatu ipse locus situs est, laudaverunt, privilegiis confirmanerunt, atque terribili anathemate munierunt. Quapropter præcipiendo rogamus, et rogando præcipimus ex parte Dei omnipotentis, beatæ Mariæ, quibus ipsum concessimus locum, et nostra, ut nullus aliquando, cujuscunque dignitatis sit vel potestatis, noster aut extraneus, in toto prædicto spatio quidquam magnum vel parvum sibi vindicet, nec nos ipsi. Nullus unquam occasione aliqua vel causa fratribus ibidem Deo servituris injuriam aut molestiam irroget, vel ullam inquietudinem faciat, et illi [*al.*, nec illi] neque homines eorum aliquam angariam, aut servitium omnino faciant. Nulli, nec nobis ipsis, aliquam ibi culturam facere, ullum animal pascere, ligna incidere, venari vel piscari, aut quidquam omnino sine fratrum licentia liceat, sed in eorum potestate sit, quæcunque intra prædictum continentur spatium, juxta voluntatem suam possidere, disponere, ordinare et erogare, tanquam Dei possessionem et suam immunem atque liberam. Quod si quis aliquando hanc nostram constitutionem in aliquo violare præsumpserit, fratribus ibidem degentibus digne satisfaciat. Quod si contempserit, principi terræ, qui fuerit, centum libras auri persolvat. Ut igitur constitutio hæc inviolabilis et omnino firma permaneat, concedente uxore mea Adelai comitissa, et filio nostro Gofrido, in præsentia bonorum hominum donationem istam fecimus et sigillo proprio signavimus.

578. « Insuper donavi Mule cum filiis suis ad custodiendam silvam. Data in pratis Squillacii, ub tunc collecto exercitu morabamur. Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo tertio, indictione prima, Nonis Maii.

» ✠ Rogerius comes.
» ✠ Adelais comitissa.
» ✠ Goffredus filius comitis Rogerii.
» ✠ Guilelmus de Alta-Villa.
» ✠ Guilelmus Culchebret.
» ✠ Gosbertus de Luciaco.
» ✠ Rogerius presbyter de Stilo.
» ✠ Bastardus. »

Morkensius, e cujus sæpissime jam laudata de S. Brunone Diatriba instrumentum hoc etiam accepi, ita in illud ad calcem observat : « Chartam hanc reperi inter Analecta nostri Georgii Garnefeltii; sed quoniam hinc inde interpolata esset, subveritus, ne forte et vitiata; quare visum est mihi eam ad autographum » id est, ni fallar, ad autographi (neque enim hoc Morkensio ad manum fuisse reor) ecgraphum, « conferre ; feci et istas interpolationes in magine notavi. Ab autographo dependet in serica albi coloris corda bulla plumbea, et in ea imago Dei genitricis Mariæ brachio sinistro tenentis Fillum, in dextra sua habentem avem. » Interpolationes, quas hic memorat Morkensius, quasque in margine sese notasse ait, lectione fere duntaxat variantes sunt, easque proinde ut tales in margine pariter ascripsi.

579. Porro Morkensius in sua mox iterum laudata S. Brunone Diatriba, eo loco, quo rerum ad hunc spectantium Chronologiam texit, ad annum 1093 ita de Rogerio comite scribit : « Anno 1093 fratres (S. Brunonem scilicet ejusque socios) in eremo invisens enixe se commendat illorum precibus, participemque meritorum ut se faciant, efflagitat, et voti compos effectus, conscripta 7 Maii charta limites eremi satis ample designat ac circumscribit accurate, efficitque, ut Rogerius dux Apullæ, ejus ex fratre nepos, dato eodem adhuc anno (et quidem forte, ut jam innui, ante dictam 7 Maii diem) diplomate (id num. 572 et seq. jam recitavi) donationes factas corroboret. » Ita ille e duabus scilicet huc jam transcriptis chartis, quarum altera Rogerii ducis, altera Rogerii comitis est, deducens quæ hic memorat ; et sane, quantum ad ea, quæ ex hac posteriori deducit rectissime, ut consideranti patebit. Etenim Rogerius comes, uti ipsemet in proxime recitata charta sua docet, S. Brunonem ejusque socios « gratia commendandi se ipsorum orationibus anno 1093 invisit, eorumque societatem (pro qua re etiam Deo gratias agit) suscepit; » quibus e verbis sane, Rogerium comitem a Sancto ejusque sociis, ut meritorum suorum participem eum efficerent, flagitasse votique etiam factum esse compotem, recte concludi videtur. Ait quidem in suis in concinnatam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus pag. 221 Surianus, iisdem jam recitatis diplomatis, a Rogerio comite concessi, verbis innixus, principem hunc anno 1093 a Brunone ejusque sociis, « ut eum in societatem suam recipere, et nomen ejus inter nomina sua scribere dignarentur, » postulasse, idque re etiam vera impetrasse ; verum hoc cum interpretatione, quam transcriptis diplomatis, a Rogerio concessi, verbis Morkensius applicat, neutiquam pugnat, locumque etiam licet interim rem hanc revocari inveniam in dubium,

www.libtool.com.cn

verosimiliter obtinuit, uti ex infra adhuc laudando, quod apud Ughellum tom. IX Italiæ sacræ, col. 426 exstat, Latini in civitate Squillacensi episcopatus fundationis diplomate, quod in hoc Lanvinum « fratrem suum » vocet Rogerius comes, colligendum videtur.

580. Quod modo pertinet ad diploma, quo a Rogerio duce factæ antea S. Brunoni donationes, comite Rogerio, ut Morkensius ait, agente, confirmatæ fuerint, spontene sua, an Rogerii patrui impulsu chartam illam Sancto impertierit dux Rogerius dubium mihi admodum idcirco apparet, quod is optime etiam, uti ex supra dictis satis liquet, in S. Brunonem fuerit affectus, ac proin stimulo, ut huic benefaceret, haud indiguerit, Porro ne quis forte cuiquam contra proxime huc transcriptam Rogerii comitis chartam scrupulus oboriatur ex eo quod a comite, in pratis Squillacii cum exercitu tunc commorante, data notetur, Boamundus, Rogerii ducis frater, anno 1093 in Calabria versabatur, cumque hunc vita functum esse falso rumore inaudiisset, castra nonnulla, ad cumdem in Calabria spectantia, occupavit; qua re ad iram commotus comes Rogerius militibus suis, ut Boamundum armis lacesserent, accepit, eumque e tota Calabria expulit. Ita quantum ad substantiam sæpius hic jam laudatus ac porro laudandus auctor synchronus Gaufredus, ordinis Benedictini monachus, cognomento *Malaterra*, lib. IV, cap. 20, Historiæ Siculæ, quam ipsiusmet Rogerii comitis jussu concinnavit, uti Muratorius, qui hanc tomo quinto Rerum Italicarum scriptorum inseruit, in sua ad eamdem præfatione docet. Nihil itaque obstat, quo minus Rogerius comes, collecto exercitu, anno 1093, uti in ejus, de qua hic, charto asseritur, in pratis Scyllacii commoratus fuisse credatur. Imo vero, cum hinc, principem illum ibidem re ipsa exstitisse, dubitandum non sit, Syllaciumque haud procul a Turritana Calabriæ eremo situm sit, facile etiam factum esse potest, ut Rogerius comes, quod in eadem charta se fecisse, hic præterea ex dictis ait, S. Brunonem ejusque socios inviserit, precibus eorum se commandaverit, chartamque, de qua hic, iisdem concesserit. Quæ cum ita sint, notæque chronicæ, quibus hæc notatur, seu annus et indictio inter se conveniant, nec quidquam præterea, quod contra instrumenti illius sinceritatem faciat, aliunde occurrat, non est enim vero cur id pro suspecto, nedum pro spurio habeatur, et alia proinde, quæ ad Sanctum nostrum spectant, sermonem converte.

§ XXXV. *Sanctus constructam in eremo Calabrina ecclesiam magno apparatu consecrari curat, et magis ac magis comitem Rogerium benevolum erga se experitur.*

581. Cum Bruno ecclesiam, quam ex dictis, statim atque a comite Rogerio Turritanam Calabriæ eremum obtinuerat in honorem Dei, sanctissimæ Dei Genitricis et S. Joannis Baptistæ ædificari ibidem curavit, ad umbilicum videbat adductam, apud comitem Rogerium, ut eam solemni ritu consecrandam curaret, verosimillime egit. Utcunque res habeat, illa equidem ecclesia summo apparatu ab Aicherio, Panormitano archiepiscopo, quinque assistentibus episcopis, consecrata fuit, idque fieri laudatus come, Rogerius non tantum curavit, verum etiam sacram illam ædem donis non paucis, S. Brunoni collatis, hac occasione ditavit, uti liquet ex charta in illius ecclesiæ sanctique Brunonis favorem ab eodem comite tunc concessa. Chartæ hujus, seu diplomatis partem duntaxat Ughellus tom. IX Italiæ sacræ, col. 425, recitat, idemque etiam in Ecclesiæ Catanensis Notitia facit Rocchus Pirrus. Verum ego illam, ne venerandæ antiquitatis monumentum, quod integrum typis excusum publicaque luce donatum videre nondum mihi obtigit, curiosi lectoris oculis subtraham, integram huc e recensione Morkensii transcribo.

582. Sic habet : « In nomine Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo quarto, indictione secunda, cum ego Rogerius comes Calabriæ et Siciliæ pro Dei amore et animæ meæ remedio, et pro salute animæ Roberti Guiscardi fratris mei, gloriosissimi ducis Apuliæ et Calabriæ, et pro remedio animarum fratrum meorum atque omnium parentum et uxorum mearum vellem dedicari facere ad honorem Dei et beatæ Mariæ et beati Joannis Bapt. ecclesiam de eremo, quæ sita est inter Arenam, et oppidum quod dicitur Stilum, super territorio dicti oppidi Stili, per venerabiles et sanctissimos Patres Panormitanum archiepiscopum, Militensem [*al.*, Miletensem], Tropiensem, Neocastrensem, Cataniensem et Squillacensem episcopos collaudantibus eisdem sanctissimis Patribus, dedi beato patri Brunoni, magistro ejusdem eremi, sibi et successoribus suis monasterium Sanctæ Mariæ de Arsasia cum omnibus pertinentiis suis, ubicunque sint, eximendo eamdem ecclesiam seu monasterium de Arsasia ab hodierno die in antea in perpetuum de omni temporali servitio, et Turri ad quæ tenebatur, oppido meo de Stylo, ut ecclesia de eremo et fratres in perpetuum illam quiete habeant sine omni calumnia et sine temporali servitio, omni remoto tremari et placario, et horum omnium remotis infestationibus.

583. « Hæc autem donaria ecclesiæ prædictæ de Bosco, et fratribus ibi Deo servientibus, dotem dedi Adelayde conjuge mea consiliante et laudante et concedente Goffrido filio meo, Malgerio filio meo. Quod monasterium Arsasiæ capella mea erat exempta ab episcopali jurisdictione per sacro sanctam Romanam Ecclesiam, quod constare feci prædictis archiepiscopo et episcopis, qui testes sunt hujus donationis, et testes sunt Gosbertus de Luciaco, Paganus de Gorgis, Rogerius Bonellus [*al.*, Tonellus], Fulco Capellanus meus, qui hæc scripsit. Hæc autem dedi testimonio suprascriptorum testium et hi termini et limites Sanctæ Mariæ de Arsasia, videlicet ab arbore quercus etc. « Sequitur, » inquit hic Morkensius, « terminatio limitum, quam omitto,

www.libtool.com.cn

« quia ad rem nostram parum aut nihil facit et so- A
« lum exscribo loca, hac circumscriptione inclu-
« sa. » Cum duobus casalibus interclusis, scilicet de Sancto Andrea et Roseti, liberis et exemptis ob omni communitate casalium meorum de oppido Stili; item locum, qui dicitur cum duobus casalibus Vingi et Buaungi similiter liberis et exemptis ab omni communitate casalium meorum de dicto oppido Stili; item ecclesiam Sancti Fantini exemptam ab episcopi jurisdictione Giracei [*al.*, Giracii], quæ ad eamdem ecclesiam Arsasiæ pertinet, quæ posita est in pertinentiis Agrotteriæ in tinimento Giraci [*al.*, Giracii] cum omnibus rationibus et pertinentiis suis; item casale Arunchi in pertinentiis civitatis Squillacii cum omnibus rationibus et pertinentiis suis sicut tenere et habere eadem B ecclesia Arsasiæ consuevit.

584. « Hæc autem pernotata [*al.*, prænotata] loca dono et concedo pro eadem ecclesia in dotem domino Patri Brunoni, et successoribus ejus cum omnibus rationibus, aquarum decursibus, molendinis, nemoribus et arboribus, cultis et incultis mineriis æris et ferri et omnium metallorum, pascuis et omnibus juribus, quæ ego et curia mea habere hactenus consuevit, ita ut nemo aliquid nemo aliquid ibi, nisi dicta ecclesia eremi habeat, sicut ex tunc nemo aliquid juris habuit, nisi ego. Item concedo eidem Ecclesiæ eremi in reliqua terra mea usum liberum mineriarum æris et ferri, et pascua libera in eadem terra mea pro animalibus ejusdem Ecclesiæ, atque custodum, nec non et eorum, qui in dictis casalibus habitant. Concedo etiam, ut dicta Ecclesia eremi commendatos habere possit in supra dictis casatibus et locis, quæ eidem Ecclesiæ dedi. Nemo in supra dictis locis suo vel meo nomine aut hæredum et successorum meorum præsumat jus aliquod prosequi vel habere, nec ego, sed omnia conserventur eidem Ecclesiæ solida et intacta, quia parum est pro Dei amore suis tribuere famulis, qui mihi multa præstitit larga manu. Si vero persona aliqua, filius meus aut aliquis hæres aut successor hoc meum quassaverit donum seu privilegium, mihi vel posteris meis aut Ecclesiæ Romanæ centum libras auri persolvat, nisi ad condignam venerit satisfactionem, fratrum ibi Deo D servientium et perpetuæ subjaceat damnationi.

585. « Hæc autem acta sunt mense Augusti, cum regressus essem de expeditione, quam feceram super Guillelmum et ab obsidione Castri-Villæ, et hoc mecum privilegium ad perpetuam firmitatem jussi et mandavi et feci mea pendente bulla communiri.

« ⊕ Rogerius comes.
« ⊕ Adelais comitissa.
« ⊕ Goffridus, filius domini comitis.
« ⊕ Malgerius filius comitis Rogerii.
« ⊕ Paganus de Gorgis.
« ⊕ Josbertus de Luciaco.
« ⊕ Rogerius Bonellus [*al.*, Tonellus].
« ⊕ Ego Fulco, domini comitis Rogerii capellanus, de mandato ejus hoc privilegium scripsi et me subscripsi. »

Habe modo etiam, quam chartæ huic a se transcriptæ annotationem subnectit Morkensius. « Hanc, inquit, Ecclesiæ eremi constitutionem etiam inter Analecta Garnefeltii nostri reperi interpolatam et ad autographum recognitam rescripsi, ascripsique in margine interpolationes, asterico notatas. Sigilium est plumbeum, uti superius, et pendet ex corda crocei coloris. » Interpolationes, quas iterum hic scriptor memorat, duntaxat fere sunt lectiones nonnihil variantes; eas interim ad marginem pariter hic adjeci. Verum sunt et alia in idem instrumentum notanda. Ac primo quidem notæ chonicæ, quas in capite præfert, seu annus 1094 et indictio 2 sese inter apprime conveniunt. Nec est cur scrupulum cuiquam injiciat, quod, cum Rogerius comes ab expeditione in Gullielmum suscepta, atque a Castri-Villæ obsidione reversus esset, datum in fine dicatur.

586. Etenim, teste Historiæ Siculæ lib. IV. cap. 21 et seq. Gaufredo Malaterra, Gullielmus de Grantavul seu, ut ab aliis scribitur, de Grantemanil, qui Mabiliæ, Rogerii ducis sorori, matrimonio junctus erat, anno 1093, cum et ipse non secus ac Boamundus, de quo jam supra, Rogerium ducem e vivis abiisse, falso ad se delato rumore credidisset, varia ad principem illum, uxoris suæ fratrem, pertinentia tum castra, tum oppida, hæcque inter Castri-Villam, occupavit, cumque hæc, audita licet C memorati rumoris falsitate, domino suo legitimo, Mabiliæ uxoris ad illa jus prætexens, reddere non vellet, bello eum dux Rogerius appetiit, unaque cum Rogerio comite, patruo suo, qui ei sese adjunxerat, Castri-Villam obsedit, ac expugnavit. At vero in illo Rogerii comitis diplomate alia, quæ id forte non nemini suspectum reddat, difficultas occurrit. Cum enim, ut supra docui, Rogerius comes e priori uxore sua Judith, seu, ut aliter etiam vocatur, Delicia nullos prorsus liberos habuerit, præterque plures filias unicum duntaxat filium e secunda, Elemburga seu Eremburga cognominata quæ anno 1089 jam obierat, procrearit, unde aut quisille, qui recitato diplomati subscribitur, Rogerii comitis D filius Malgerius? Hunc sane e nulla uxorum suarum legitimarum genuisse Rogerius videtur. Quid ergo? An nothum dicemus? Verum obstat Gaufredus Malaterra, Historiæ Siculæ lib. IV, cap., 18 de Jordano qui comitis Rogerii, uti idem auctor lib. III, cap. 36 docet, filius nothus erat, sequentem scribens in modum : « Jordanus... filius comitis, propter strenuitatem suam omnibus amabilis, quem plures, quia jam Gaufredum, quod dolorem non minuit, morbus elephantinus pervaserat, comitis hæredem futurum suspicabantur (nam neque alium masculum habebat) apud Syracusam, sui juris urbem febris typo percussus est. »

587. Cum ergo, uti ex his Gaufredi verbis intelli-

www.libtool.com.cn

gitur, Rogerius comes dum Jordanus, filiius ejus nothus seu spurius febri apud Syracusos, quod anno 1092 contigisse, laudatus Malaterra lib. IV, cap. proxime cit. docet, correptus jaceret, prolem aliam masculam, quam dictum Jordanum et Goffredum non habuerit, consequens est, ut nec nothus seu spurius comitis Rogerii filius exstiterit Malgerius, qui chartæ proxime huc transcriptæ, annoque 1094 a Rogerio comite datæ subscribitur. Restat ergo, ut vel secunda Rogerii comitis uxor Elemburga, aut tertia Adelasia, dum cum eo matrimonium iniit, vidua fuerit, filiumque e prioribus nuptiis Malgerium habuerit, vel ut Malgerius ille, qui tamquam comitis Rogerii filius nomen suum adscripsit, de sacro fonte ab eo levatus aut etiam in filium adoptatus fuerit, vel denique, ut Rogerius comes præter filias, quas ei, singulis suo assignato marito, Stemma Siculum, Adnotationibus ad Annam Comnenam a Cangio insertum, et principum Normanorum Arbor genealogica Malaterræ Historiæ Siculæ apud Muratorium tom. V Rerum Italicarum Scriptorum præfiva, attribuunt, aliam saltem adhuc habuerit, huicque Malgerius ille matrimonio junctus fuerit. Ut ut sit, cum aliquo quidem ex hisce captibus factum esse queat, ut Malgerius ille Rogerii comitis filius, appellatus, fuerit, non est, cur huc transcripta principis hujus charta pro spuria suspectave ob solum, quod ei adscribitur, Malgerii filii comitis nomen habeatur. Plus aliquid centra illam facere videri potest Beati titulus, quem Sancto (adi num. 582) adjungit: attamen, cum is, etsi a charte autographo abesset, ecgrapho forsan a librario dumtaxat recentiori e veneratione in Sanctum fuerit imprudenter adjectus, huicque adhuc viventi ab ipsomet comite Rogerio, qui Brunonem, uti ex dicendis amplius patescet, pro Sancto habebat, Beati titulum fuisse attributum, prorsus incredibile non sit, ego nec idcirco instrumentum illud; quod alias suppositionis notas non habet, rejicere ausim, ut certo spurium, maxime cum veritati consonent, qnæcunque in eo de Turritanæ eeclesiæ consecratione temporeque, quo hæc facta est traduntur.

588. Ut, quam nihil hic a vero alienum pronuntiem, studiosus lector perspiciat, instrumentum publicum, apud Rocchum Pirrum in Sicilia sacra, Ughellum tom. IX Italiæ sacræ col. 425, aliosque scriptores exstans, huc ex Morkensii recensione lubet transferre; hoc enim, ecclesiam illam, quinque assistentibus episcopis, Melitensi videlicet, Tropiensi, Neocastrensi, Catanensi et Squillacensi, fuisse consecratam, ipsemet Alcherius, Panormitanus archiepiscopus, qui solemnitatem illam magno apparatu ac pompa peregit, testatur, recitatæque adeo Rogerii comitis chartæ, in qua idem traditur, monumentum illud suffragatur. Sequentibus hisce verbis concipitur: « Anno Domini nostri Jesu Christi 1094 mense Augusti, festo beatæ Mariæ assumptæ ego Alcherius Hic..., archiepiscopus Panormitanus, consecravi ecclesiam istam in honorem Dei et B, Mariæ Virginis, et B. Joannis Baptistæ in præsentia Melitensis, Tropiensis, Neocastrensis, et Squillacensis episcoporum una cum domino Rogerio comite Calabriæ, Adelaide comitissa, magistro Brunone et Lanvino, et ceteris Patribus assistentibus, et in præsentia bonorum hominum.

Ego Alcherius archiepiscopus Panormitanus.

Ego Tristerius, Tropiensis episcopus interfui.

Ego Angerius, Catanensis episcopus.

Ego Theodorus episcopus Squillacensis.

Ego N. Neocastrensis episcopus interfui. »

Porro cum proxime huc transcripta Rogerii comitis charta, in qua de Turritanæ ecclesiæ consecratione, veluti de re quam primum futura, mentio fit, mense Augusto (Adi num. 585) data notetur, jamque recitatum Alcherii, Panormitani archiepiscopi, testimonium consecrationi isti quintam decimam Augusti assignet, apprime, quibus utrumque hoc instrumentum signatur, notæ chronicæ sese inter conveniunt.

580. At vero) cum ipsum a Morkensio huc transcriptum Alcherii testimonium, non secus atque recitata Rogerii comitis charta, consecrationi tradat quinque adstitisse episcopos, Melitensem scilicet, Tropiensem, Neocastrensem, Catanensem et Squillacensem, nec tamen quinque, sed quatuor tantum, Tropiensem nimirum, Catanensem, Squillacensem et Neocastrensem, qui solemnitati isti adfuerint, episcopos, Melitensi omisso, subscriptos exhibeat, oportet, ut vel Testimonii illius apographum, in episcoporum subscriptione corruptum, Morkensio præluxerit, vel ut ipsemet in eo describendo errarit, maxime cum testimonium illud tam apud Rocchum Pirrum in ecclesiæ Catanensis Notitia ad annum 1094. num, 10, quam apud Ughellum tom. IX Italiæ sacræ, col. 425 episcopos non tantum quatuor jam laudatos, sed etiam Melitensem, subscriptos sibi habeat hoc modo ;

» ✠ Ego Archerius Nic.,.. archiepiscopus Panormitanus.

✠ Ego Tristanus Tropejensis episc. interfui.

✠ Ego An. Catanensis episc. interfui.

✠ Ego Theodorus episc. Squillacensis præsens f.

✠ Ego Goffridus Melitensis episc. interf.

✠ Ego Henricus Neocastren. episc. interfui .»

Morotius, qui in Chronologico sacri Ordinis Carthusiensis Theatro, parte VI, ad annum 1090 idem monumentum recitat, inter subscriptos ei episcopos Melitensem etiam non recenset, contra ac nihilominus, e quo illud se desumpsisse ibidem ait, Camillus Tutinus in Historiæ Ordinis Carthusiensis Prospectu facit.

590. Hinc Morkensium e Morotio, cui proinde. quod abs eo omissione ex dictis peccatum, attribuendum est, Alcherii huc jam transcriptum testimonium deprompsisse existimo; in hac autem opinione maxime etiam confimor, ex eo, quod sequentia hæc verba, « Qui omnibus vere pœnitentibus et

www.libtool.com.cn

confessis... quadraginta dies de vera indulgentia... pœnitentiæ relaxavit archiepiscopatus sui anno....» quæ in monumento isto locis proxime citt. apud Ughellum et Rocchum Pirrum vocibus hisce « In præsentia bonorum hominum » subduntur, atque a Morotio, ut ut apud Camillum Tutinum exstantia, omissa sunt, pariter omissa sint apud Morkensium, qui, unde, de quo hic disserimus, deprompserit monumentum, non edicit. Porro in diversis testimonii, ab Alcherio dati, exemplaribus jam memoratis lectiones variantes occurrunt non tantum duæ modo expositæ, quibus a Roccho, Ughello et Tutino Morotius et Morkensius dissonant, verum etiam aliæ, quibus a Morotio, Tutino et Morkesnio Ughellus et Rocchus hique etiam duo invicem discrepant in monumenti illius tum contextu, tum episcoporum, qui eidem subscripserunt, nominibus. Ut præcipuas, reliquis prætermissis, recenseam, pro lectione, qua Morotius et Morhensius in testimonii contextu legunt, Magistro Brunone et Lanvino et ceteris Patribus (Tutinus habet *Fratribus*) assistentibus, Ughellus quidem, omissa post vocem Brunone conjunctione *et*, commateque ei substituto, legit «Magistro Brunone, Lanvino B. et cæteris fratribus eremitis assistentibus;» Rocchus vero, omisso etiam commate, habet. « Magistro Brunone Lanvino et cæteris fratribus heremitis assistentibus ; » verum posterior hæc lectio, ut per se pater, omni dubio procul mendosa est.

591. Ex ea interim præcipue est factum, ut Rocchus e Brunone et Lanvino unam eamdemque personam perporam fecerit, loco supra cit. in recitatum a se Alcherii testimonium ita observans : «Ex iis verbis e Magistro Brunone Lanvino » facile intelliges, diploma illud, quod in Notit. Messan. ad annum 1094, num. VIII retulimus, a Paschali II Pontifice transmissum fuisse huic Brunoni ; in eo enim habes : «Paschalis episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio Lanvino salutem et apost. benedict. de Messanensis episcopi causa» etc. Ex episcopis, qui testimonio subscribuntur, Panormitanus archiepiscopus, qui id dedit, a Tituno, Morotio et Morkensio Alcherius, ab Ughello et Roccho Archerius, facta in nomine litteræ unius mutatione, additoque, quod per *Hic* Morotius et post hunc Morkensius in chartæ textu supplent nominis fragmento apud Ughellum quidem *Nic*, apud Rocchum autem *Nico*..., vocatur. Ast, cum archiepiscopus ille apud ipsummet Rocchum ecclesiæ Panormitanæ Notitia, ad annum 1094, num. 6 in diplomate quod Rogerius, Siciliæ et Calabriæ comes, ecclesiæ Panormitanæ anno 1095 dedit, Alcherius appelletur, nomen ejus, uti a Mutino, huncque secutis Morotio et Morkensio fit, Alcherius potius, quam Archerius efferendum puto. Quod autem pertinet ad nominis fragmentum *Nic.* aut *Nico*, quod apud Rocchum et Ughellum duntaxat in chartæ subscriptione legitur, id forte, quod integra vox non esset, omittandum duxerit, Tutinus ; verum, ut cujus nominis illud pars vero similiter sit, lectorem edoceam, Rocchus loco proxime cit., ubi Alcherium ab anno 1083 ad annum ut minimum 1099 archiepiscopalem ecclesiæ Panormitanæ sedem occupasse, edixit, Alcherio fortassis « Nicodemi appellationem sive uti secundum nomen, sive uti cognomen attributam » fuisse, dici posse arbitratur, idque, quæ ibidem affert, sat veros mile efficiunt.

592. Inter episcopos, testimonio de Turritanæ ecclesiæ consecratione subscriptos, proxime post Alcherium, ecclesiæ Panormitanæ archiepiscopum, comparet Tropiensis, seu, ut ab aliis scribitur, Tropeiensis in Ulteriori Calabria ecclesiæ antistes ; qui apud Ughellum et Rocchum locis supra citt. Tristanus ; a Morotio vero et Morkensio Tristerius nuncupatur, licet interim a Tutino Tristenus vocitetur. Ughellus tom. X Italiæ sacræ in episcopis Tropiensibus col. 450 de episcopo illo ita scribit : « Justegus vel Justeyrus, et Tusteius, qui et Tristanus est, primus Latinorum Tropeiensis ecclesiæ munus episcopale suscepit circa annum Dom. 1094, » subditque, nonnullis interpositis, concessum anno 1094 a Rogerio, Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ duce ecclesiæ Tropeiensi diploma, in qua, qui hujus tum antistes erat, Justegus nominatur. Qui ex episcopis, testimonio subscriptit, post Tropiensem sequitur, Catanensis prioribus duntaxat duabus nominis sui litteris ab Ughello et Roccho designatur ; a Tutino vero huncque secuto Morotio Augerius et a Morkensio Angerius vocatur. Antistitem hunc proprie nuncupatum fuisse Ansgerium, sedisseque ab anno. 1091 ad annum usque 1124, liquet ex iis, quæ de illo in ecclesiæ Catanensis Notitia ab anno 1091 Rocchus Pirrus in medium adducit. Quod ad Squillacensem et Melitensem episcopos, quorum subscriptio Catanensis episcopi subscriptioni proxime subditur, jam spectat, prioris ex his, qui, quemadmodum infra contra Ughellum docebo, anno 1095 aut sequenti mortalitatem explevit, eodem ubique modo nomen effertur, nec ullam etiam posterioris, quod ex dictis a Morotio huncque secuto Morkensio omittur, variationem patitur aqud Rocchum, Ughellum et Tutinum, a quibus recensetur.

593. Notandum porro est, hunc, non celeberrimæ Melitensis insulæ, sed Melitensis seu potius Militensis, Calabriæ Ulterioris civitatis, exstitisse antistitem, uti patet ex iis, quæ Rocchus Pirrus id Melitensis ecclesiæ Notitia proxime ante annum 1089, et Ughellus tom. I Italiæ sacræ in episcopis Melitensibus col. 942 et seq. in literas mittant. Ad Neocastrensem nunc tandem, qui omnium ultimus Alcherii de Turritanæ ecclesiæ consecratione testimonio subscripsit, episcopum venio. Hic, quem ab anno 1094 usque ad annum saltem 1112 sedisse adducta ab Ughello tom. IX Italiæ sacræ col. 402 et binis seq. suadent, Henricus a Roccho et Ughello nuncupatur ; licet autem a Tutino, huncque secutis Morotio et Morkensio inter episcopos testimonio mox iterum laudato subscriptos, recenseatur, nomine tamen vel

www.libtool.com.cn

Henrici vel altero, quia forte nullum in testimonii illius exemplari, quod sibi præluxit, Tutinus invenit, haud afficitur; ut proinde et hic a Tutino hujusque sequacibus Rocchus Pirrus et Ughellus lectionis diversitate sat notabili differant. Verum, etsi id ita habeat, cum equidem inter hosce omnes, quantum ad lectionem tum anni 1094, tum sanctissimæ Dei Genitricis, in cœlos assumptæ, festi, quo ecclesiæ Turritanæ consecratio fuerit peracta, apprime conveniat, nec aliunde, cur monumentum illud, quod tam varie ex dictis apud varios legitur, pro spurio suspectove habeatur, quidquam occurrat; neutiquam id ut tale ob varias variorum exemplarium variantes lectiones, quæ amanuensium librariorumve errores duntaxat plerumque sunt, rejiciendum est. Atque hinc jam, partimque e proxime recitato Rogerii comitis diplomate fit, ut ambigendum non sit, quin illa dictæ ecclesiæ, quam perperam Tutinus, uti ex hoc etiam instrumento liquet, cum ecclesia S. Mariæ de Arsafia pag. 7 Prospectus confundit, dedicatio et anno 1094, ut jam dictum, et ipso sanctissimæ Dei Genitricis in cœlos assumptæ festo fuerit peracta.

§ XXXVI. *An concilio Placentino, in quo Præfationem de beata composuerit, sanctus interfuerit, et cur, si ita sit, eo celebrato, ad majorem Carthusiam non redierit.*

594. Post sancti e curia pontificia in Turritanam Calabriæ eremum recessum duo fuisse ab Urbano II papa haud procul inde ante annum 1095 celebrata concilia, Beneventi scilicet in Campania unum, Trojæ in Apulia aliud, ex ipsis temporis hujus scriptoribus monumentisque habetur compertum. Ad primum, quod anno 1091, ut Bertholdus, Constantiensis presbyter scriptorque synchronus, in sua ad Hermannum Contractum Appendice testatur, adversus Guibertum antipapam ejusque sequaces celebratum fuit, tot episcopi et abbates, quemadmodum in veteri, e quo Labbeus illius canones edidit, codice Romano legitur convenerunt, « Ut eorum numerus facile adnotari non potuerit. » Nec patrum, qui ad secundum convenere, exiguus exstitit numerus, uti fidem facit concilii illius titulus a Labbeo in tom. X Conciliorum ex antiquis codicibus mss. illatus, hisque verbis conceptus: « Anno Dominicæ Incarnationis 1093, v Idus Martii convenit Trojæ in Apulia concilium episcoporum fere 75 abbatum 12. » Brunonem quidem ad duo hæc concilia, haud procul admodum a Calabria, eremoque, in qua versabatur, celebrata, ab Urbano e solitudine sua evocatum fuisse, verosimile vel idcirco apparet, quod, cum in eremo Calabrina jam commoraretur, subinde ex hac a potifice illo, prudentissimi viri conciliis in majoris momenti negotiis uti volente, verosimillime arcessitus fuerit, ut jam supra docui.

595. Verum anne etiam sanctus ad celeberrimum numerosissimumque concilium, anno 1095, ut Bertholdus presbyter iterum mox laudatus testatur, loco a Calabria nonnihil remotiori, Placentiæ nimirum, celebratum, aliudque, quod huic præivit, quodque (neque enim in eo quidquam statutum fuisse legitur) non tam concilium, quam præparatio ad Placentinum concilium exstitisse videtur, Guastallæ, seu, ut ab aliis scribitur, Guardistallæ aut Ewardastallæ anno 1094 exeunte habitum, ab Urbano papa fuerit evocatus? Brunonem sane jam dicto, in quo iterum Guibertus antipapa et Henricus imperator communione ecclesiastica fuere privati, concilio Placentino interfuisse, Blomenvenna, cæterique ejus biographi, sæculo quinto decimo posteriores, qui sanctum virum a suo e Carthusia discessu ad annum usque 1095 Urbano adfuisse, tuncque demum, Rhegiensi, ad quem electus, archiepiscopatu recusato, pontificiaque curia relicta, in Turritanam Calabriæ eremum sese recepisse volunt, unanimi consensu affirmant. Et vero, etsi hanc eorum assertionem nullo testimonio satis antiquo firmare queam, vero tamen neutiquam puto absimilem, cum factum facile esse queat, ut pontifex, qui sanctum celebratis Trojæ et Beneventi conciliis interesse, verosimiliter ex jam dictis voluerat, eum quoque ad Placentinum, in quo gravissimi ponderis negotia tractanda erant, e Calabrina solitudine arcessierit. Pontifici, » inquit, in jam sapius laudata Urbani papæ II Vita num. 171 Ruinartius, «in eadem synodo » (Placentina scilicet) «consiliarium adfuisse sanctum Brunonem, parentem Carthusianorum, omnes ferme vulgati auctores tradiderunt, nec animus est hanc opinionem impugnandi; at illis assentiri non possum, qui asserunt, huic sancto Viro tunc temporis oblatum fuisse a pontifice archiepiscopatum Rhegiensem in Calabria. » Ita ille, non multum, ut apparet, abludens ab opinione, qua sanctum Placentino concilio verosimiliter interfuisse, nec tamen, in hoc illi archiepiscopatum Rhegiensem fuisse oblatum, existimo.

596. At vero sunt etiam, qui Brunonem concilio isti non tantum interfuisse, verum etiam e Præfationibus, in Missa recitari solitis, decimam quæ est de beata Maria, quæque in concilio isto promulgata fuerit, concinnasse contendunt. Ac in primis quidem ita opinatur Surianus, in suis ad contextam a Surio S. Brunonis Vitam Adnotationibus pag. 192 et seq., ac deinde in sua ad eamdem Vitam Chronotaxi pag. 396. Verba ejus omnia, quorum primis, concilio Placentino interfuisse sanctum, probare potissimum nititur, huc transcribo. Priori loco hisce sequentibus utitur: «Paris difficultatis esse censetur, quod concilio dicitur (S. Bruno nempe) interfuisse Placentino, quod anno 1095 celebratum est, cum diplomata donationis » (Turritanæ eremi per Rogerium comitem) « factæ anno 1090 et confirmatæ ab Urbano II biennio post, repugnent. Sed nec hoc suo destituitur fundamento, cum Antonius Beuter, chronographus Valentinus, antiquitatum indagator egregius, in suo, quem inscripsit de Missæ cæremoniis, libello id non obscure asserat, dum ait Præfationem, quæ dicima est, de B. Maria Virgine tunc ab eo fuisse compo-

www.libtool.com.cn

sitam. Potuit igitur adhuc circa Placentini tempora concilii adhæsisse pontifici, et suo nihilominus præfuisse Turrensi monasterio; nam id solemne et solitum tunc fuisse, probant acta varia, præsertim S. Bernardi Claræ-Vallensis; in quibus legitur eum sexennio et amplius a sua abfuisse Clara-Valle, variis pro sede apostolica laboribus peregrinationibusque susceptis, ut de aliis taceamus, qui ad commune restinguendum schismatis incendium ex remotissimis orbis partibus acciti fuere; » posteriori vero istis : « Antonius Beuterius chronographus Valentinus, antiquitatum mirus observator, in libello, quem edidit de partibus et cæremoniis Missæ, refert, Præfationem de B. Maria Virgine in hoc concilio, quod Urbanus Placentiæ habuit, a Carthusiano fuisse compositam. Quis ille, nisi S. Bruno, cujus sapientiam in quodam diplomate extollit Paschalis papa, dicitque multum auctoritatis apud sedem apostolicam obtinuisse. »

597. Hactenus ille, pro opinione, quæ Præfationem de B. Maria Virgine a S. Brunone concilii Placentini tempore compositam fuisse statuit, Antonium Beuterum duntaxat allegans; verum, cum hic scriptor, utpote longissimo temporis intervallo a sancti nostri conciliique Placentini ætate remotus, sola sua auctoritate fidem indubitatam rei iste facere haud possit, potissimum modo, unde hanc is hauserit, dispiciendum. Cum laudatum a Suriano, quo commodius certiusque facere id possem, Beuteri Opus necessarium foret, nec id ad manum sit, opportune hic succurrit Morkensius in Chronologico diplomatica sua de S. Brunone Diatriba ms. ita memorans : « Sequenti anno 1094, cum Guibertini, teste eodem Bertholdo, Turrim Crescentii adhuc obtinerent, et Urbanus minime tutus foret ab hostibus, excessit Urbe in Longobardiam, ac Guastallæ ad Padum flumen, adunato sacrorum antistitum cœtu, Ecclesiæ necessitatibus consuluit, in quo Præfationem B. V. Mariæ vulgavit. Catalogus ms. Rom. Pontificum apud Papebrochium in Urbano; Sigonius et Leander Albertus in Descriptione Lombardiæ de Guardistallo. Præfationem illam, quæ decima est, a Carthusiano compositam, reperit inter antiqua monumenta Antonius Beuterus in suo libro de partibus Missæ; vult tamen in concilio Placentino promulgatam, forte in hoc posteriori, utpote celebriori, reiteratam. Beuterus ergo, quod de composita a Carthusiano, quæ de B. Maria Virgine est, Præfatione asseverat, ex antiquis monumentis hausit. Verum cum simul, quantæ hæc antiquitatis fuerint, Morkensius, quod id a Beutero notatum verosimillime non invenerit, haut edicat, verene a Carthusiano, uti e monumentis illis Beuterus didicit, composita fuerit dicta Præfatio, dubium admodum mihi adhuc apparet, cum monumenta illa, quæ Beutero præluxere, sublestæ duntaxat fidei forsan fuerint.

598. Ad hæc, etsi etiam tantisper daremus, monumenta antiqua, e quibus id Beuterus didicit, probatæ omnino notæ ac fidei fuisse, nondum tamem hinc consectarium fuerit, a S. Brunone Præfationem decimam, quæ de B. Maria Virgine est, fuisse concinnatam. Hanc enim ille, non a S. Brunone, sed a Carthusiano, non definiendo, sanctusne is, an alius fuerit, compositam fuisse, e monumentis, quæ laudat, duntaxat tradit. Reponi quidem potest, non alium Carthusianum, quam Brunonem, concilio Placentino interfuisse; verum si sanctus, uti verisimile ex dictis est, concilio isti reipsa interfuit, socium sibi habuisse adjunctum, verosimillimum, ne dicam indubitatum, apparet. Nec est cur, hoc dato, Brunoni equidem potius, quam alteri cuivis Carthusiano, qui ad concilium Placentinum comitatus eum fuerit, opus illud atttribuendum putes, quod huic ille adornando, utpote summa eruditione vir, fuerit aptissimus; præterquam enim, quod ad id magna eruditione opus haud fuerit, sanctus, uti ipsemet in sua infra huc transcribenda ad Radulphum Viridem ecclesiæ Remensis præpositum epistola docet, socios nonnullos, aut, si mavis, discipulos probe eruditos in Turritana Calabriæ eremo sibi habuit adjunctos; ut proinde abs horum uno, quem ad dictum concilium secum sanctus duxisset, Præfatio illa composita esse potuerit. At vero sunt qui hanc nec Brunonis, nec alterius cujuscunque Carthusiani, sed ipsiusmet Urbani II papæ opus esse contendunt; ac in primis quidem cardinalis Bona lib. II Rerum Liturgicarum cap. 10, num. 3, et Ruinartius in contexta a se Pontificis hujus Vita num. 176. Omnia posterioris hujus scriptoris verba, vel idcirco quod antiqua, e quibus quæ huc spectantia ibidem litteris mandat, deprompserit, seu testimonia seu monumenta comprehendant, huc transcribo.

599. Sic habent: « Recepta est apud auctores vulgatos traditio, Urbanum papam in hoc concilio » (Placentino nempe) « decimam Præfationem, quæ est de beata Maria, novem antiquis addidisse. Id diserte habetur in veteri codice ms. archimanasterii Remigiani apud Remos, ab annis circiter quingentis scripto, ubi post relatum sub Pelagii papæ nomine de novem Præfationibus decretum, eadem manu adduntur hæc verba : « Decima addita fuit in « concilio Placentino sub Urbano papa celebrato. » Rem vero sic contigisse ferunt. Cum pontifex Apud sanctam Mariam de Campania, vetustissimæ pietatis templum, sacris operaretur, ut Deus incepta concilii bene verteret, jamque Præfationem offerret; repente ex instinctu divino in illa dulcissima verba, populo demirante prorupit : « Et te in » veneratione beatæ Mariæ virginis collaudare, bene» dicere et prædicare; quæ et Unigenitum tuum » sancti Spiritus obumbratione concepit et virgini» tatis gloria permanente, huic mundo lumen æter» num effudit Jesum Christum Dominum nostrum, » per quem, » etc. Quam Præfationem universalis postmodum Ecclesia adoptando probavit, et etiam nunc retinet, Hanc nonnulli a beato Brunone editam fuisse volunt; at eam ab ipso Urbano factam fuisse,

www.libtool.com.cn

diserte tradit Pandulphus in ejus Vita, non quidem in Placentina, sed in Ewardestallensi, ut jam (num. videlicet 168) monuimus, synodo. Plura de hac Præfatione habet Petrus Maria Campus in Historia Placentina, lib. XII ad an. 1095, quæ cum non satis sibi constent, huc referre visum non est. »

600. Hactenus Ruinartius. Atque ex his quidem ejus verbis intelligitur, Præfationem, quæ de B. Maria Virgine est, non certo in concilio Placentino, sed vel in hoc, si codici Remigiano, quem laudat, fides sit, vel in Ewardestallensi seu Guastellensi, si Pandulpho credendum sit, factam fuisse. Verum, sive in hoc, quod verosimilius reor, sive in illo e binis hisce conciliis facta fuerit, vera esse potest eorum opinio, qui sanctum nostrum illius faciunt auctorem, cum nihil omnino obstet, quo minus hic tam Guastellensi, quod ex dictis anno 1094 exeunte celebratum fuit, quam Placentino, quod Guastellensi, haud multo fuit posterius, interfuisse credi queat. At vero, cum verba, e codice Remigiano a Ruinartio adducta, nihil omnino suggerant, quod dictam Præfationem ab ipsomet Urbano compositam fuisse suadeat, potissimum hic jam dispiciendum, primo quidem, an Pandulpus, qui eam ab Urbano factam asseverat, fidem indubitatam mereatur; deinde vero, an illa ejus assertio tam clara tamque distincta sit, ut nullum supersit dubium, quin ea, Præfationem illam ab ipsomet Urbano concinnatam fuisse, significatum voluerit. Ac Pandulphum quidem dignum esse, cui fides indubitata adhibeatur, dubitandum non videtur. Etsi enim eum, contra ac nonnulli censent, a Pandulpho Masca, quem Lucius II, ad pontificatum anno 1181 evectus purpuratorum Patrum senatui adscripsit, diversum esse, Muratorius tom. III Rerum Italicarum scriptorum pag. 274 verso cum Pagio recte doceat, Urbano tamen secundo pontifici fuit æqualis aut certe suppar, uti liquet ex iis quæ de eodem scriptore loco cit. idem Muratorius docet, hunc scribens in modum: « Quandoquidem Ambrosianæ bibliothecæ ditissimum promptuarium quorumdam summorum pontificum Vitas a Pandulpho Pisano conscriptas exhibet, has etiam collectioni præsenti inserere socii palatini atque ego utilissimum putavimus.

601. « Incipiunt autem a Gregorio VII et desinunt in Alexandrum III atque a scriptore proficiscuntur qui iisdem temporibus in vivis erat atque ea scriptis mandabat. Jamque, testibus Felino, Onuphrio Panvino. Ludovico a sancto Carolo aliisque, noveramus Pandulphum ejumodi Vitas elucubratum fuisse; et ex iis etiam multa in suos Annales derivarat summus ecclesiasticæ historiæ illustrator Baronius. Imo Constantinus Caietanus anno 1638 typis Romanis tradidit, ac notis illustravit Gelasii II Vitam, ab eodem Pandulpho conscriptam, ex qua intelligimus scriptorem hunc anno 1118, ecclesiasticæ militiæ adscriptum, in Romana curia vixisse. » Quin itaque Pandulphus fidem mereatur in iis quæ de Urbano II papa memoriæ prodii, dubitandum non apparet. Dispiciamus modo an Præfationem, quæ de B. Maria Virgine est, a pontifice illo compositam fuisse, tam diserte tamque expresse edicat, ut id illum proprio marte fecisse, innuat. Verba ejus huc spectantia apud Papebrochium in Propylæo Maii in Conatu chronico-historico ad Romanorum Pontificum Catalogum in Urbano II, et apud Muratorium tom. III Rerum Italicarum Scriptorum pag. 352 hæc sunt: « Sex concilia (Urbanus II, papa) celebravit, unum apud Clarimontem; alterum apud Guardestallum Longobardiæ, in quo fecit Præfationem de festivitatibus B. Mariæ Virginis; aliud vero apud Melfiam, et alterum Romæ in ecclesia B. Petri. Aliud apud Trojam in Apulia, et alterum apud Placentiam, » Hactenus Pandulphus. Atque hisce quidem verbis, fuisse ab Urbano II papa Præfationem, de qua hic, proprio marte compositam, diserte asserere visus est Ruinartio, fuisseque sane eam proprio marte ab Urbano compositam, erit dicendum, si res eo modo, quo eam (adi Ruinartii verba num. 599 recitata) contigisse ferunt, reipsa contigerit Verum, ut ad id, quod posteriori loco hic ponitur, primo respondeam, præterquam quod ii, ac in primis Petrus Maria Campus, a Ruinartio laudatus, a quibus res ita gesta narratur, recentiores omnes sint, fidemque proinde indubitatam facere haud nati, Placentiæ illam (adi iterum Ruinartii verba num. 599, locoque hisce citato Mariam Campum) ita gestam statuunt, ut ne quidem alibi initium accepisse potuerit, sicque cum Pandulpho, utpote qui eamdem Guastallæ seu Guardestalli accidisse, tradat, tantopere pugnant, ut ne quidem modo, per Morkensium supra assignato, in concordiam possint adduci.

602. Quod nunc pertinet ad mox huc transcripta verba, quibus, Præfationem de beata ab ipsomet Urbano compositam fuisse, diserte tradere Pandulphus Ruinartio est visus, cum non raro fiat, ut reges, imperatores, pontifices aliæque in potestate constitutæ personæ fecisse dicantur etiam ea, quæ non proprio ipsarum marte, sed jussu duntaxat facta sunt, nescio an futurum sit, ut quisque ob dicta Pandulphi verba Urbano papæ Præfationem illam tanquam proprio marte abs eo compositam, indubitanter adscribat. Quod ad me pertinet, cum res ita habeat, nihilque ex dictis obstet, quominus sanctus noster, ut Placentino, ita etiam Guastellensi concilio, cujus tempore Præfationem de beata concinnatam fuisse, recitata Pandulphi auctoritate, quantum reor, codici Remensi per Ruinartium supra laudato præferendi, verba verosimillimum saltem faciunt, interfuisse credatur, eam ego Brunoni indubitanter abjudicare non ausim, licet interim, an ejus opus vere sit, vehementer dubitem, tum ob jam supra dicta, tum quod opinionem quæ eamdem Urbano papæ, tanquam proprium ejus opus, attribuendam statuit, longe verosimiliorem idcirco autumem, quod ei recitata Pandulphi verba, in sensu magis naturali et obvio accepta, suffragen-

tur. Accedit, Præfationem illam (adi Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. VIII, pag. 533 et 553) fortassis et Urbano et Brunone esse antiquiorem. Sed hæc tam de decima e Præfationibus in Missa recitari solitis, quæ a nonnullis sancto attribuitur, quam de ejus in conciliis Guastellensi et Placentino præsentia disseruisse suifficiat. Dispiciamus mode, quo Bruno, finito Placentino concilio, cui ex jam dictis forsan interfuerit, sese contulerit, cur tunc saltem Carthusiam Majorem non repetierit, et quæ tum primum egerit, seu potius egisse tradatur.

603. Statim sanctum Turritanum Calabriæ eremum a Placentino concilio esse reversum, scriptores prorsus omnes, qui huic illum interfuisse adstruunt, unanimi consensu affirmant. Verum multum abest ut eos inter quantum ad rationem, ob quam tunc sanctus Calabriam petierit, nec ad Carthusiam Majorem redierit, tam recte conveniat. Alii enim, hosque inter Puteanus, Blomenvenna, et Surius, sanctum id fecisse volunt, quod, cum pontifex tunc in Galiam, in quia sita est Major Carthusia, proficisceretur, metueret, « si ipse quoque (verba sunt Surii) eo se conferret, ne aut curiam declinare non posset, aut illam non reliquisse, sed sequi videretur; » alii contra alias, quas hic omnes commemorare necesse non est, rei illius causas allegant. Verum, etsi ita sit, nec, quemadmodum supra jam docui, allegata a biographis nostris causa effecerit, ut sanctus anno 1090 ad Carthusiam non redierit, pugnare inter se idcirco dicendi non sunt, cum factum esse queat, ut diversas ob causas ad Carthusiam Majorem redire noluerit. Ac mihi quidem, quidquid tandem de causis, per alios allegatis, sit, idcirco potissimum Carthusiam Majorem non repetiisse, sed ad Turritanam Calabriæ eremum rediisse Bruno videtur, tum quod hanc cura sua summopere adhuc indigere nosset, tum quod Calabriæ et Siciliæ comes Rogerius, sanctum Virum, quem, nondum fere cognitum, quod sanctissimis ejus precibus præsidium sibi ditionibusque suis a Domino speraret adfuturum, obnixissime ex dictis, ut quem vellet, locum in ditione sua sibi diligeret, jam inde ab anno 1090 erat precatus, quemque, jam probe sibi cognitum, non secus ac sanctum colebat, reverti in Calabriam omnibus modis vellet, nec Bruno posset non satisfacere desiderio principis tam pii tamque benevoli, quem in se sociosque suos, ut jam vidimus, maxime beneficum fuerat expertus.

604. Ut ut sit, Sanctus equidem a concilio Placentino, si forte huic interfuit, in Calabrium rediit, nec Carthusiam, ut ut id facere maxime fortassis desideraret, pepetere ei visum fuit. Ac sanctum quidem, cum e concilio illo Calabriam repeteret, ad locum, duobus miliaribus Senis dissitum, divertisse, aliquandiu ibidem commoratum esse, vicinos Senenses aliquotieshinc adiisse, ac tandem monitis suis, ut ad Urbani papæ II, a quo, quod Guiberto antipapæ adhærerent, sub interdicto posita fuerat eorum civitas, obedientiam accederent, effecisse, Zanottius in S. Brunonis Historia seu Vita cap. 25 memoriæ prodit, citans etiam pro hac sua narratione Vitam S. Brunonis ms., cujus auctor sit Fulgentius Ceccaronius; verum, cum fuisse illud a Sancto nostro factum, a nullo prorsus scriptore alio commemoratum inveniam, nec Fulgentius Ceccaronius, e quo id Zanottius hausit, pro scriptore antiquo, habita ætatis, qua post S. Bruunonem floruit, ratione, possit habori, commemorari hic a Zanottio, quæ veritati consonent, asseverare haud queo, remque proinde in medio relinquens, ad ea quæ Sancto, ad eremum Calabrinam jam reverso, obvenere, discipulique ejus in Carthusia passi esse narrantur, sermonem converto.

§ XXXVII. *Gravissimam, absente sancto, religiosi Carthusiæ Majoris incolæ tentationem patiuntur; natum comiti Rogerio filium sanctus baptizat, novoque abs illo beneficio afficitur.*

605. Non redisse S. Brunonem a celebrato, cui ex dictis forsan interfuerat, Placentino concilio ad Majorem Carthusiam, religiosis hujus incolis importunum sane quam maxime accidit, si vera memorent nostri biographi; gravissimam enim, si hi recte scribant a dæmone tentationem passi sunt, in qua, si dilectis discipulis Vir sanctus adfuisset, solatio eis juxta ac auxilio esse potuisset. Tentationem illam, quæ, si locum vere habuit, haud ita dudum, uti ex dicendis intelliges, post Placentinum concilium, aliudque, quod proxime hoc excepit. Claromontanum verosimillius acciderit. Blomenvennæ verbis commemorare hic lubet. Is itaque Sancti biographus, e quo et Putaneo, quæ eodem spectantia Surius suppeditat, mutuatus est, sic scribit: » Non defuit in paradiso hoc spirituali (Carthusia nimirum) etiam serpens antiquus. Præsentiens nempe, quanta damna accepturus esset ex ordine illo, cujus fundamenta jam tunc jaciebantur, maxima illo, pusillanimitate et perplexitate turbavit, maxima illos pusillanimitate jam tunc jaciebantur, præcipue per linguas, id est eos, qui novitatis ipsos arguentes, scilicet periculum occisionis propriæ ingerebant, adeo ut prorsus nescirent, quid agendum sibi esset tum propter vitæ institutæ rigorem, tum propter eremum horribilem, in qua se periclitari, illorum moti sermonibus, formidabant et ipsi. Econtra vero timebant, si abirent, duces suas stellas Deumque offenderent.

606. Tali fuere a maligno spiritu Carthusiæ Majoris incolæ, Brucone absente, tentatione vexati; cui sane dispellendæ opportunus maxime Sanctus fuisset; verum quod hic absens præstare non potuit, benignissime id, si fides iterum scriptoribus mox dictis, præstare dignata est divina clementia. « Cumque » (subdit verbis proxime recitatis Blomenvenna) « his aliquandiu exagitati essent perplexitatibus, ecce, benignissimus Dominus, qui, nunquam deserit sperantes in se, misit ad eos, de hac re colloquentes (sicut de Spiritu scribitur, Nescis, unde veniat, aut quo vadat) virum honorabilem, crispos ac canos

habentem capillos, dicentem eis: » Perplexi estis, » fratres, utrum manere in loco hoc, an recedere » debeatis, sed ego dico vobis ex parte Dei, quia » beata Dei Genitrix semper Virgo Maria conser- » vabit vos in loco isto, si Horas ejus legeritis ante » Horas canonicas; completorium vero post eas. » Quo dicto, diparuit homo; illi vero gavisi sunt guadio magno, elegeruntque beatam Virginem Mariam in patronam ordinis, in patronum vero sanctum Joannem Baptistam. Hominem autem illum sanctum apostolum Petrum fuisse, ex illo vel maxime conjiciebant, quod successor ejus Urbanus secundus in concilio Clarimontensi Horas beatæ Mariæ a clericis quotidie dici instituit. Ex hac autem visione adeo sunt confortati in Domino, ut nec mors, nec vita ipsos posset separare a charitate Christi. » Hactenus Blomenvenna: nunc in verba ejus, seu potius in ea, quæ hisce memoriæ prodit, docetve, quædam observanda.

607. Ac primo quidem, quod pertinet ad apparitionem, qua S. Petrus primis Carthusiæ incolis seu Landuino ejusque sociis, senis specie assumpta, spectandum sese præbuerit, ad quotidianam eos pravi de sanctissima Virgine Maria Officii recitationem exercitarit, factumque sit, ut illi et periculosissima tentatione liberati fuerit, et in ordinis sui patronam quidem eamdem sanctissimam Virginem Mariam, patronum vero S. Joannem Baptistam elegerint; eventum illum quidem, ut ut nec scriptoris, nec monumenti satis antiqui seu æqualis testimonio auctoritateve confirmatum, indubitanter negare idcirco non ausim, quod ei tum constans, uti eam vocant, totius ordinis traditio, tum assiduus in eodem recitandi parvi de Sanctissima Virgine Officii usus suffragetur; verum nihilne etiam est, ob quod, an apparitio illa, eave, quæ hanc secuta narrantur, locum unquam habuerint, dubitandum queat videri? Sanctissima Virgo Maria in patronam, et sanctus Joannes Baptista in patronum, utpote in quorum honorem ex supra dictis Carthusium S. Bruno condiderit, diu ante memoratam apparitionem a Sancto ejusque discipulis verosimiliter fuere electi; ut proinde an electionis hujus causa, ut verbis recitatis Blomenvenna innuit, apparitio illa exstiterit, sit dubium, maxime cum ea (videsis Blomenvennæ verba proxime data) Landuino ejusque sociis, non S. Joannes Baptista, sed S. Petrus Apostolus videndum sese obtulisse memoretur, posterioremque proinde e duobus hisce Sanctis, non autem priorem, si electionis, quam Blomenvenna memorat, præfata apparitio causa exstitisset, in patronum sibi illi electuri fuisse videantur. Adhæc Ruinartius in Vita Urbani II Papæ sæpissime jam laudata num. 226 sic scribit: « Ferunt etiam, hac ipsa sacræ expeditionis occasione preces horarias beatæ Mariæ, quæ jam antea a Petro Damiano in suis monasteriis erant institutæ, a clericis, imo et ab ipsis laicis ex Urbani præscripto (in Claromontana scilicet synodo, in qua sacræ in Terram Sanctum expeditiones decretæ fuerunt, condito) frequentari cœpisse, ut eo pacto, qui expeditioni suscipiendæ inhabiles essent, his saltem precibus milites adjuvarent, eis tantæ Virginis patrocinium promerendo. »

608. Cum ergo, ut preces illa horariæ de beatissima Virgine, quæ vulgo ejus Officium appellari consueverunt, a clericis recitarentur, ab Urbano Papa, uti recitata Ruinartii verba declarant, clericis injunctum fuisse feratur, imo reipsa, ut apparet, in concilio Claromontano (adi Labbeum tom. X Conciliorum col. 517) fuerit injunctum, Carthusiani, ut idem facerent, recenti illo Urbani præcripto moveri potuere; quare, cum ad id apparitione, Blomenvennæ verbis jam relata, opus haud habuerint, fuerintne hac vere, ut preces illas recitandas assumerent, impulsi, dubitari posse videtur. At vero, erit fortassis qui, ut id dicta apparitione factum tueatur, concilii Claromontani celebratione fuisse hanc anteriorem, cotendat. Atque in hac quidem opinione fuisse videtur Petreius. Etenin in suis in Dorlandi Chronicon Elucidationibus lib. IV, cap. 4 sic scribit: « Apparens eis (Carthusianis) D. Petrus apostolus consilium salutare suggessit, quatenus Horas canonicas in honorem sacratissimæ Virginis quotidie decantarent, quod deinde etiam clerus universus, uti ex decretis Claremontens, concilii constat, imitandum suscepit. » Ita ille; verum quod hic asseverat, nullo plane argumento probat, nec sola sua auctoritate, ut fidem ei adhibeamus, facere potest. Dorlandus, quem sua illa observatione elucidare Petreius voluit, Sanctum Petrum Carthusianis, quibus apparet, ita loquentem inducit: » Unum noveritis, sacratissimam Dei Matram Mariam vos hic ab incommodis omnibus servaturam, et patronam vestri Ordinis futuram, tantum Horas ejus, ut nuper in Romana Ecclesia institutum est, decantetis. »

609. Carthusianis ergo S. Petrum apparuisse, eosque, ut Horas beatissimæ Virginis Mariæ decantarent, admonuisse eo tempore, quo haud ita pridem Horarum beatissimæ Virginis recitatio in Ecclesia Romana statuta fuerat, Dorlandus existimavit, ac proin, cum hæc alibi, quam in Claromontano concilio, statuta fuisse non reperiatur eo circiter tempore, quod dicta apparitio contigerit, concilio illo hanc exstitisse posteriorem. Atque hoc ipsum etiam existimavit Blomenvenna, uti satis manifestant, quæ, postquam dictam apostoli Petri apparitionem narraxit, mox subjungit, sequentia hæc ejus supra adhuc recitata verba: « Hominem autem illum sanctum apostolum Petrum fuisse, ex illo vel maxime conjiciebant quod successor ejus Urbanus secundus in consilio Clarimontensi Horas beatæ Mariæ a clericis quotidie dici instituit. » Blomenvennæ porro assentitur etiam Surius; et si autem nec hic, nec Blomenvenna et Dorlandus ullum afferant, quo opinionem suam firment, testimonium monumentumve antiquum, tribus tamen hisce scriptoribus,

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.br

si memorata S. Petri apostoli apparitio locum unquam habuit, potius adhærendum autumo, quam uni Petreio. Hic enim illlam concilio Claromontano anteriorem facere duntaxat videtur ex præconcepta opinione, qua Horas sanctissimæ Virginis Mariæ recitandi consuetudinem a Carthusianis primum usitatam ac deinde ab hisce ad alios propagatam fuisse existimat. Ast ea a veritate omni dubio procul est devia.

610. Etenim, teste Petro Diacono in Reg. S. Benedicti cap. 64, Horæ sanctissimæ Virginis jam in monte Cassino addebantur quotidie Officio majori ex constitutione Gregorii II papæ, qui anno 715, ac proin diu ante ortos Carthusienses pontificatum iniit. Adhæc earumdem Horarum recitationem in quodam suorum monasteriorum, in quibus frequentari hæc solebat, divinitus confirmatam fuisse, contra Bozonem monachum, sanctæ illius consuedinis improbatorem, Petrus Damianus, qui ante Carthusiensis Ordinis initium, conciliumque Claromontanum ad superos jam migrarat, epistola 32 ad eremitas Gamugnenses docet. Jam vero cum id ita sit, præfatam, qua S. Petrus Carthusianis apparuerit, eosque, ut quotidianum sanctissimæ Virgini Mariæ Horarum pensum solverent, monuerit, apparitionem concilio Claromontano posteriorem exstitisse, ob Dorlandi simul, Blomenvennæ et Surii auctoritatem, quæ ob jam dicta unius Petreii auctoritate potior hic esse debet, verosimilius existimo. Jam vero cum res ita habeat, fuerintne, ut quotidianus recitandi parvi de sanctissima Virgine Maria Officii usus apud Carthusianos invalesceret, apparitione illa factum, dubitari posse, ut jam dixi, videtur, ac proin, cum merito præterea, an hi, ut sanctissimam Virginem Mariam in Patronam, sanctum vero Joannem Baptistam in patronum eligerent, eadem ista apparitione impulsi fuerint, dubitandum ex jam supra dictis sit, habueritne hæc ipsa unquam locum, dubitandum etiam apparet. Mihi interim eam hic commemorare visum est, quod, quamvis ex dictis, si locum unquam habuit, concilio Claromontano fuerit posterior, fortassis tamen ipso adhuc anno 1095, cujus Novembri celebratum id fuit, acciderit, hicque de rebus, hoc circiter tempore gestis atque ad Sanctum spectantibus, esset tractandum. Rerum modo, propius nonnihil hunc tangentium, seriem prosequamur.

611. Haud dudum Bruno e Placentino concilio, si tamen huic illum interfuisse verum sit, erat reversus, cum Rogerius comes, quanto in pretio ac amore eum haberet, aliter etiam, quam donationibus, in Turritanam Calabriæ eremum, uti ante fecerat, liberalissime collatis, manifestavit. Camillus Tutinus proxime iterum laudatus in Historiæ Ordinis Carthusiensis Prospectu ad annum 1097 ita memorat: « Nascitur comiti Rogerio ex Adelaida filius, quem Bruno in ecclesia Militensi baptizat, et Lanvinus a fonte levat. Fuit is Rogerius primus Siciliæ rex. Interfuit Maraldus et ipse Carthusianus, qui melicum in hac functione Rithmum edidit. » Ita ille; verum an Rogerii, primi post exactos e Sicilia Saracenos insulæ hujus regis, nativitatem anno 1097 recte consignat? Romualdus Salernitanus, auctor synchronus, in Chronico apud Muratorium tom. VII Rerum Italicarum Scriptorum col. 196 de Rogerio; Rogerii comitis filio primoque Siciliæ rege, sic scribit: « Gloriosissimus rex Rogerius postatot victorias et triumphos apud Panormum febre mortuus est et sepultus in archiepiscopio ejusdem civitatis anno vitæ sua quinquagesimo octavo, mensibus duobus, diebus quinque, die XXVI mensis Februarii, anno regni sui XXIV; anno autem Dominicæ Incarnationis 1152, Indict. I. » Ita Romualdus; qui cum optime, quo ætatis suæ anno Rogerius rex obierit, explorata habere potuerit, reipsa hunc, ut verbis recitatis tradit, ætatis suæ anno quinquagesimo octavo obiisse, in animum induco. Rogerium quidem, non anno, uti hic Romualdus seu potius recitata scriptorique huic attributa verba signant, Dominicæ Incarnationis 1152, sed anno 1154, ad XXVII Februarii diem provecto, vitam cum morte commutasse, Pagius in Criticis ad hunc annum luculentissimis argumentis evincit, nec dubium est, quin alii adhuc errores in Chronicis, quas Romualdi huc transcriptus textus exhibet, notis cubent.

642. Verum hæ compendio per litteras, numerorum locum tenentes, scriptæ duntaxat sunt; in quas librariorum oscitantia errores facillime nec raro irrepere, experientia habetur compertum; quoto autem ætatis suæ anno diem extremum Rogerius clauserit, non compendio litteris numericis, sed vocibus integris, in quas errorem difficulter aut certe non tam facile tamque frequenter irrepere, eruditi omnes norunt, in recitato Romualdi textu exprimitur; ad hæc nihil plane uspiam occurrit, quod Rogerium altero vitæ suæ anno obiisse, suadere utcumque sit natum; ut proinde, si non certum, verosimillimum saltem sit, eum assignato in Romualdi textu Vitæ suæ anno 58, et quidem, uti infra docebo, duobus jam mensibus ac quinque diebus, qui integris pariter in eodem textu vocibus exprimuntur, jam completo, diem suum obiisse. Jam vero, cum id ita sit, annique quinquaginta octo, menses duo, dies quinque, ex anno Incarnationis Dominicæ 1154, ad 27 Januarii diem jam provecto, quo Rogerium regem e vivis abiisse, Pagius ex dictis luculentissime probatum dat, subducti, ad Dominicæ Incarnationis annum 1095, prope jam terminatum, deducant, consectarium est, ut Rogerius rex, in cujus tempus natale hic inquirimus, posteriori hoc anno, ad Decembrem jam provecto, natus sit.

613. At vero, inquies, Gaufredus Malaterra, non raro jam supra laudatus, qui majorem utique hic fidem, quam Romualdus mereri videtur, lib. IV Historiæ Siculæ, cap. 26 de Capua, per Rogerium, Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ ducem, hujusque patruum Rogerium, Calabriæ et Siciliæ comitem, obsessa, sic scribit: « Anno Dominicæ Incarnationis 1097

ibi (in castris scilicet ante Capuam obsessam) se im- A
prægnavit comitissa Adalasia de comite Rogerio; » cum autem hic de Rogerio postea rege ab Adalasia seu Adelaide concepto sermo sit, nec, quemadmodum ex infra dicendis de tempore, quo Capuæ obsidio acciderit, patescet, Rogerius comes Adalasiæ maritus ante Pentecosten, quæ anno 1097 in vigesimam quartam Maii diem incidit, in Castris ante Capuam, dato etiam, civitatem hanc anno ille a Rogerio comite fuisse obsessam, exstitisse potuerit, consectarium e recitatis Gaufredi Malaterræ verbis fit, ut Rogerius, primus Siciliæ rex, non anno 1095 fere jam finito, sed anno demun 1098 ineunte natus sit. Fateor, sic habet : verum, præterquam quod sic equidem nondum nativitas illa anno 1097, cui eam ex dictis Camillus Tutinus innectit, acciderit, esse B
de Rogerio postea rege, quem Adelasia in castris ante Capuam e Rogerio comite marito suo conceperit, in huc translatis e Malaterræ Historia Sicula verbis sermonem, probari non potest. Nec, etsi secus foret, quidquam inde pro Rogerii regis nativitate anno 1097 affigenda haberetur, cum verba illa Malaterræ attribuenda non sint, sed ad pagmæ oram, e qua deinde in ipsum textum ab imperito librario fuerint traducta, ab inepto adnotatore fuerint adscripta, uti infra ostendam, cum tam de Capuanæ obsidionis tempore, quam de diplomate, quo post hanc S. Brunoni eremoque Calabrinæ multa bona Rogerius comes contulit, sermonem instituam.

614. Mihi itaque, omnibus consideratis, Rogerium, C
Rogerii comitis filium, posteaque Siciliæ regem, non anno 1097, ut statuit Tutinus, sed anno 1095 exeunte natum esse, verosimilius adhuc manet partim ob sequentia, quæ supra adhuc recitavi, Romualdi de Rogerio rege verba, « Mortuus est... anno vitæ suæ quinquagesimo octavo, mensibus duobus, diebus quinque, » partim quod hæc, quamvis Romualdus in Chronico suo annum, numero ordinali, quem ei adjungit, designatum, pro anno completo absque additione, qua fieri id a se aperte edicat, accipere non soleat, de anno tamen quinquagesimo octavo, duobus jam mensibus ac quinque diebus completo, interpretanda hic sint, uti liquet e sepulchrali inscriptione regis Rogerii, quæ apud Rocchum Pirrum in regum Siciliæ Chronologia, D
Siciliæ Sacræ tom. I præfixa, pag. 8 exstat, quæque sic habet : « Vix. an. 59, regn. 34. obiit 1154. » Jam vero, cum id ita habeat, annique quinquaginta octo, menses duo et dies quinque, a vigesima septima Februarii die anni 1154, quo ex dictis idem princeps omni dubio procul vita functus est, ordine retrogrado computati, ad annum 1095 fere elapsum deducant, consequens est, ut tum, quemadmodum jam dictum, Rogerius rex natales sit consecutus. Quod cum ita sit, simul etiam tempus, quo baptizari cum a Brunone contigerit, determinatum habemus. Vurum unde constat, Sancto id honoris a Rogerio comite delatum fuisse, ut baptizari ab eo filium suum voluerit?

615. Inter erem Calabrinæ incolas, qui post S. Brunonis obitum novi Prioris seu Magistri, qui toti eremo præesset, electioni interfuerunt, Maraldus recensetur in infra huc transcribendo eorumdem Catalogo, qui in antiqua charta, cui singuli nomina sua ipsemet inscripserant, fuit repertus. Maraldi etiam, Carthusiensis monachi, qui Chronicon quoddam digesserit, Rocchus Pirrus in regum Siciliæ Chronologia alibique non raro meminit, eumque poetica vena divitem fuisse, atque ad annum 1095 floruisse, Morotius in Chronologico Ordinis Carthusiensis Theatro affirmat. Atque ex his omnibus jam fit, ut et Maraldum, Carthusiæ Calabrinæ alumnum, Rogerii postea regis baptismo, ut Tutinus ait, vere adstitisse, et a Sancto nostro Rogerium, primum post exactos Saracenos Siciliæ regem, uti is in Rhythmo melico, quem ea de re, Tutino aliisque testantibus, cecinit, nos docet, baptizatum vere fuisse, persuasum mihi habeam, futurumque putem, ut idem mecum e monumento isto studiosus lector persuasum sibi habeat. Id proinde integrum huc e Tutino transcribere, operæ pretium existimo, licet interim locis nonnullis ita male vel ab ipsomet auctore versiculi tornati, vel describentium errore vitiati sint, ut vix ac ne vix quidem, quid iis significetur, intelligas.

616. His itaque constat versiculis.

Totus orbis claret orbis
Claro natalitio
Marchionis Militonis
Bonifacii Itali
Neptis ornat, quem exornat
Uxor Adelasia,
Brutiorum Siculorum
Comitem Rogerium;
Et Northmannum venerandu
Donat fetu femina
Generosa, gloriosa,
Quem enixa peperit.
Avitum [an *auctum?*] *sensit, se præsensit*
Comes ille filio,
Mense deno qui terreno
Tectus exit pondere.
Melitensis fit immensis
Urbs antiqua gaudiis.
Imma cuncta stant injuncta
Lætis et Trinacria.
Chorus lætus ac discretus
Læta ludit carmina,
Pro lavacro divo sacro
Undæ tum lustralis
Comes orat et exorat
Brunum Alemanicum,
Nam tenetur, ut ligetur
Illius devotio.
Accersitus non invitus
Jubilosus advenit.
Baptizatur et lavatur
Sacro puer fumine,

www.libtool.com.cn

Lanvinus est patrinus
Nobilis Northmanicus,
Tumque sacro de lavacro
Olivo Bruno inungitur.

617. *Sistunt bellum post puellum*
Christo Deo supero.
Felix omen, tenet nomen
Puer hic Rogerius,
Canunt omnes, stant insomnes
Metris jubilantibus.
Ardet forus [an *focus*? E. P.]. *gaudet thorus*
Nimio præ gaudio.
Militensis nam ostensis
Gaudebat ecclesia,
Quia tapete cum abiete
Exornata cernitur;
Fronde viret, nemo silet,
Cuncti ludunt gaudiis.
Tum Urbanus, sed humanus
Jubilat natalibus,
Hic secundus, totus mundus
Quem adorat protinus
Christi sede cum mercede
Regni beatissimi;
Hic precatur, dum levatur,
Puerili Domino
Salutarem atque parem
Vitam Christi cœlibem.
Ergo nato, sed renato
Christus regna puero
Donet cœli dono zeli
Simul et justissimo.
Summo jugis laus frugis
Deo sit in sæcula. Amen.

618. Habueritne Adelasia, comitis Rogerii uxor, ut patrem, ita etiam avum aut patruum, nomine Bonifacium, ex horum versiculorum tertio et tribus seqq., quod admodum obscuri sint, definire non ausim; e reliquis autem, quorum quinam præterea obscuritatis vitio maxime laborent, quisque facile, me etiam tacente, perspiciet, notandi potissimum, qui et Sanctum a comite Rogerio, ut filium suum baptizaret, rogatum fuisse, et id illum muneris obiisse, docent, sunt sequentes:

Pro lavacro divo sacro
Unde tum lustralis
Comes orat et exorat
Brunum Alemanicum,
Nam tenetur, ut ligetur
Illius devotio.
Accersitus non invitus
Jubilosus advenit,
Baptizatur et lavatur
Sacro puer flumine,
Lanvinus est patrinus
Nobilis Northmanicus
Tumque sacro de lavacro
Olivo Bruno inungitur.

Atque hisce quidem versiculis quid significetur, satis-
A liquet: ne quis tamen de ultimi significatione, quæ huc potissimum spectat, forte dubitet, Bruno in hoc dativus est, a nomine Brunus, quod poeta hic, uti e duobus hisce anterioribus ejus versiculis, «Comes orat et exorat Brunum Alemanicum» manifestum fit, pro nomine Bruno usurpat, deductus, proque ablativo cum præpositione a præcedente Græcorum more adhibitus; ut versiculi illius sensus sit «Olivo a Brunone inungitur,» doceatque cum nonnullis proxime antecedentibus et consequentibus, Rogerium, Rogerii Calabriæ et Siciliæ comitis, filium, a S. Brunone Mileti in Calabria solemni ritu idque anno, uti ex jam supra dictis pronum est eruere, 1095 exeunte fuisse baptizatum.

619. Haud multum porro temporis spatium a Ro-
B gerii, postea Siciliæ regis, baptismate erat elapsum, cum sanctus benevolum iterum in se Rogerii, Calabriæ et Siciliæ comitis, animum fuit expertus. Docet id me Surianus, in suis ad conscriptam a Surio S. Brunonis Vitam Adnotationibus pag. 397 sic scribens: «Anno 1096 Rogerius comes villanos quosdam donat S. Brunoni, dato diplomate, in quo se Christianorum adjutorem intitulat.» Donatio, quam hic Surianus commemorat, eadem haud dubie est, de qua ad eumdem hisce Suriani verbis notatum annum 1096 in Ordinis Carthusiensis Historiæ Prospectu Camillus Tutinus ita loquitur, «Additur et alia ab eodem comite Brunoni et Lanvino, eorumque in dicto monasterio (Turritano scilicet in Calabria) successoribus donatio quinqua-
C ginta hominum familiæ unius in eosdem ligii et homagii. Privilegium Græco idiomate exaratur.» Privilegium seu diploma, quo donationem illam Sancto factam, Camillus Tutinus et Surianus verbis recitatis asseverant, invenire nuspiam potui, non dubito tamen, quin id alteri horum scriptorum, Tutino nempe, qui id Græce exaratum dicit, ad manum fuerit. Quare et donationem illam Sancto vere etiam a comite Rogerio factam fuisse, persuasum mihi habeo, licet interim, quo rem certiorem lectori reddere possem, privilegium illud seu diploma, hic ei exhibendum vellum habere.

§ XXXVIII. *Mortuo Theodoro Mesimerio, Græco Squil-*
D *lacensi episcopo, Joannes de Nicephoro Latinus ut substituatur, Sanctus suadet, et ab hoc deinde privilegium amplissimum, quod et a pontifice confirmari curat, Turritanæ eremo, novo jam in hac constructo S. Stephani monasterio, impetrat.*

620. Quandiu Græcis orientis imperatoribus Calabria paruerat, non alii fere Scyllacii, quam qui Ecclesiæ Græcæ essent, sederant episcopi. Verum Regione illa a gente ac principibus Normannis, qui Ecclesiæ Latinæ ritum sequebantur, sæculo undecimo subacto, in Theodori Mosimerii, Græci Scyllacensis episcopi anno 1095 aut sequentis initio e vivis sublati, locum non alium, quam qui Ecclesiæ Latinæ esset, sufficere episcopum Rogerio, Calabriæ et Siciliæ comiti, ad cujus ditionem Scyllacium aut, ut alii scribunt, Squillacum seu Squillacium spectabat, est visum suadentibus id autem ei una cum nonnulis ri-

tus Latini episcopis S. Brunone et Lanvino, in primum sedis illius ritus Latini episcopum Joannem de Nicephoro delegit. Docet hæc omnia exstans apud Ughellum tom. IX Italiæ sacræ in episcopis Squillacensibus col. 426, annoque, unde ab hoc scriptore Mesimerii obitum cum anno 1096 exeunte aut sequentis initio perperam loco citato componi liquet, 1096, indictione quinta signatum diploma, quo tunc præterea idem Rogerius in Scyllacensem sedem bona non pauca contulit, ac de novo quodammodo eam fundavit. Verba illius, eo facientia, sic habent : « Ego Rogerius Siciliæ comes et Calabriæ, una cum uxore mea, nomine Adelasia.... consilio Casssanensis episcopi Saxonis, et Vicarii D. Urbani papæ, atque D. Roberti Messinensium, Stephani.... Angerii Cathanensis, Stephani Mazariensis, Engerlandi Agrigentinensis, Rogerii Siracusan. episcoporum assensu, atque D. Brunonis et fratris nostri Lanvini eremitarum, virorum sanctorum, consiliis D. Joannem de Nicephoro, qui canonicus et decanus venerabilis sanctæ Militensis Ecclesiæ erat, vir honestus vir prudens, atque omni copiosus honestate, ibique in magistrum elegi et pontificem, et ecclesiam suam quot et quantis mihi placuit beneficiis ditabi, et honestavi dignitatibus, et quantum ad me pertinuit, destinavi et descripsi suam parochiam, » etc.

621. Cum Rogerius S. Brunonem ac Lanvinum « virorum sanctorum » titulo hic condecoret, horumque partim consilio, uti ipsemet prodit, Scyllacensi sedi Joannem de Nicephoro episcopum bonaque non pauca impertierit, argumento sane etiam dictum diploma est, quanto in pretio apud principem illum Lanvinus, ac nominatim S. Bruno exstiterit. Haud dudum porro Mesimerio, Ecclesiæ Squillacensis ritus Græci episcopo vita functo, Joannes de Nicephoro, qui ritus Latini erat, a comite Rogerio, Sancto nostro ac Lanvino suadentibus, fuerat suffectus, cum Bruno in Turritana Calabriæ eremo novam ecclesiam monasteriumque sub sanctissimæ Virginis Mariæ et S. Stephani protomartyris nomine condere incepit. « Creverat, » inquit in Historiæ Ordinis Carthusiensis Prospectu ad annum 1097 pag. 12 Camillus Tutinus, « jam multitudo monachorum in eremo S. Mariæ, et cum locus ille numerum non caperet, Rogerio comite jubente, prope eremum sub titulo ejusdem Virginis, et protomartyris Stephani peramplum ac magnificum construitur monasterium. » Sanctus ergo, si Tutino hic fides sit, non tantum priori monasterio, quod ex dictis statim a suo in Carthusiam Calabrinam ingressu in sanctissimæ Virginis Mariæ et S. Joannis Baptistæ honorem exstruxerat, novum addiderit, sed etiam id fecerit, quod et ita fieri vellet comes Rogerius, et ad eam jam multitudinem monachi excrevissent, ut eos sacrum S. Mariæ et S. Joanni Baptistæ monasterium haud caperet. Et partim quidem ob posteriorem hanc causam id fecisse Brunonem, verosimile mihi vel idcirco apparet, quod anno, quo ex dicendis sanctus ad Dominum migravit 1101, ac proin quinquennio duntaxat post Joannis de Nicephoro ad cathedram Scyllacensem promotionem elapso, monachi amplius triginta in Turritana eremo exstiterint, uti fidem facit antea adhuc laudatus monachorum hujus, qui post sancti parentis obitum Lanvino, veluti eremi magistro, obedientiam promisere, Catalogus, e charta antiqua, cui singuli eorum nomina sua inscripserunt, excerptus, atque in Annalium Carthusiensum librum quartum hactenus non vulgatum illatus.

622. Monumentum illud, e libri hujus Vallis-Dei exemplari descriptum, mecum, ut multa alia, communicare dignatus est Carthusianus Parisiensis jam supra sæpius laudatus, idemque etiam ego, quod et hic et antea citatum jam fuerit infraque citandum adhuc veniat, cum lectore, cui id minime futurum reor ingratum, communicare operæ pretium existimo. His verbis concipitur : « Frater Vugo promisi obedientiam magistro Lanvino. Similiter et frater Leo ; similiter et frater Maraldus ; similiter et frater Romanus ; simlliter et frater Stabilis ; similiter et frater Radulphus de Crucifixo; similiter et frater Ursus subdiaconus; similiter et frater Rainerius subdiaconus; similiter et frater Guildericus; similiter et frater Girardus ; siniliter et frater Tricus ; similiter et frater Gualterius Morinus ; similiter et frater Landulphus; similiter et frater Herchen (hoc nomen, notat dicti Annalium Carthusiensium libri quarti auctor anonymus, non integrum extat, quia corrosa est charta) ; similiter et frater Renaldus Cæmentarius ; similiter et F. Albertus : similiter et F. Rembaldus et F. Ugo ; similiter et F. Odo, similiter et F. Longuisus ; similiter et F. Odo ; similiter et F. Anselmus ; similiter et frater Gumbertus ; similiter et frater Bernardus ; similiter et frater Durandus ; similiter et frater Loinus ; similiter et frater Hato ; similiter et frater Fulco diaconus ; similiter et frater Heldicus ; similiter et frater Guarinus subdiaconus ; similiter et frater Lambertus. » Ita laudatus Catalogus, triginta amplius, ut computanti patebit, Turritanæ eremi monachos, qui post sancti obitum Lanvino obedientiam promiserunt, complectens; ut proinde horum numerum quinquennio etiam circiter ante, seu, promoto primum ad cathedram Scyllacensem Joanne de Nicephoro, majorem multo, quam initio exstitisse, hincque partim, ut novum S. Stephani monasterium Sanctus exstruxerit, factum esse, verosimile sane, ut jam dixi, appareat.

623. Verum causem, ob quam id Bruno fecerit, longe diversam assignet Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor anonymus. En ejus, quæ huc spectant, verba e dicti libri Vallis-Dei exemplari descripta mihique a sæpissime jam laudato, qui nomen suum prodi vetat, Carthusiano Parisiensi submissa. « Ipsam porro Calabrinam eremum, quam a Rogerio S. Brumo obtinuit, in honorem S. Mariæ et S. Joannis Baptistæ, quos jam in speciales patronos in Carthusia elegerat, construi voluit eut vidimus in litteris (supra jam recitatis Squitiacensis episcopi) Theodori, et sub

iisdem nominibus dicari curavit anno 1094 cum magno apparatu... Quale vero fuerit desertum hoc, quod colebat S. Patriarcha, sic ipse descripsit in epistola ad Radulphum, Remensis ecclesiæ tunc præpositum, dicens: « In finibus Calabriæ cum fratribus religiosis, » etc. Usque ad hæc verba inclusive: « Arcus enim si assidue sit tensus, remissior « est, et minus ad officium aptus. » Hæc S. Bruno de sua solitudine, ubi sæpius morabatur cum illis ex sociis suis, quos ad vitam anachoreticam ducendam a Deo vocatos exploraverat. Cum enim videret multos diversæ conditionis diversarumque virium homines ad se venire conversionis gratia, statuit, fortiores et in quibus vocationem ad id divinam probaverat, secum in sua eremo detinere, cæteris vero, quos minus eremiticæ vitæ idoneos censebat, monasterium construxit, in honorem S. Stephani protomartyris consecratum, unum circiter milliare ab eremo distans, in quo vitam agerent, eremiticam quidem, sed paulo remissiorem minusque rigidam. »

624. Bruno itaque, si laudato Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctore anonymo atandum sit, novum S. Stephani monasterium, quod infirmati eorum, qui eremiticæ vitæ minus apti erant, subventum vellet, ædificarit; quod etiam verum esse potest, cum nihil omnino obstet quo minus id partim ob rationem hanc, partim ob supra assignatam fecisse credatur. Quoquo modo interim res habeat, Sanctum equidem monasterio, sanctissimæ Dei Genitrici et Joanni Baptistæ sacro, quod et monasterium S. Mariæ de eremo seu de Turri dicebatur, adjecisse aliud, eidem sanctissimæ Dei Genitrici et S. Stephano protomartyri dedicatum, indubitatum est, uti etiam id anno 1099, secunda Augusti die jam fuisse inhabitatum. Etenim Rogerius, Calabriæ et Siciliæ comes, in diplomate infra huc transcribendo, quod in S. Brunonis favorem anno illo et die concessit, monasterii S. Stephani, quod tunc in eremo Turritana exstiterit, atque a fratribus inhabitatum fuerit, mentionem facit. « Nota esse volo, inquit, omnibus fidelibus Christianis benefici, quæ mihi peccatori concessit Deus orationibus reverendi viri F. Brunonis, piissimi Patris fratrum qui habitant in ecclesiis Sanctæ Mariæ de eremo, et S. protomartyris Stephani, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum quod dicitur Stilum, et Arenam. » Atque hinc jam liquet, Blomenvennam a veritate omni dubio procul aberrare, dum, postquam jam dictum, quo Rogerius comes S. Brunoni multa donavit, diploma ex parte transcripsit, mox subjungit: « Vigore itaque hujus donationis ædificavit ibi (in Turritana Calabriæ eremo) primo ecclesiam ad honorem beatæ Mariæ Virginis juxta spolianeam seu antrum quoddam subterraneum, in quo ipse manebat. Ædificavit et aliam haud procul ab illa distantem ab honorem sancti Stephani protomartyris cum contiguo illi monasterio, in quo ceteri fratres habitabant, sub cura et regimine tanti Patris Chrisio militantes. »

625. Ita ille, a sancto nostro non prius S. Stephani ecclesiam seu monasterium fuisse exstructum, tradens, quam cum per diploma, cujus partem recitat, donationem, in hoc expressam, Rogerius comes ei fecisset; quare, cum in hoc ipso diplomate monasterii illius, veluti jam exstantis seu exstructi, mentio fiat, errorem sane admittit manifestissimum, hunc autem, in quem duo etiam alii, nempe ante illum Puteanus et post illum Surius prolapsi sunt, maxime vel idcirco mirari subit, quod in ea ipsa dictì diplomatis parte, quam tam hi, quam ille, recitant, monasterii S. Stephani, veluti jam exstructi, mentio instituatur. Adhæc, in eremo Catabrina ecclesiam, sanctissimæ Dei genitrici sacram, non prius etiam fuisse a Sancto exstructam, quam cum memorato diplomate donatio, quæ in hoc exprimitur, a Rogerio comite in Sanctum nostrum collata fuisset, tam Blomenvenna verbis proxime recitatis, quam duo alii mox laudati biographi nostri, Puteanus scilicet et Surius, tradunt; quæ eorum narratio non minus, quam præcedens de S. Stephani ecclesia, erronea est, cum, dictam santissimæ Dei genitricis ecclesiam jam inde ab anno 1090 ædificari cœptam, annoque 1094 consecratam fuisse, ex jam supra dictis constet. Nec video, qui, quæ tres jam dicti biographi nostri de S. Stephani ecclesia, in eremo Calabrina a Sancto nostro post datum, de quo jam hic, diploma primum extructa, tradunt, cohærere queant cum aliis eorum verbis, quibus, S. Mariæ et S. Stephani ecclesias S. Brunoni a comite Rogerio, cum illum hic nondum sibi notum in Turritana eremo inter venandum invenisset, donatas fuisse, jam antea memoriæ prodidere. Etenim, si Sanctus unquam a comite Rogerio, venationem exercente nondumque cum noscente, fuit inventus, id certe, uti ipsimet laudati biographi admittere ex jam supra dictis debent non serius, quam anno 1095 vel sequentis initio contigerit; quod cum ita sit, quomodo verum esse potest, Brunoni tunc S. Stephani ecclesiam largitum fuisse comitem Rogerium, et tamen hanc primum post supra memoratum diploma, non citius, quam anno 1099, ex infra dicandis datum, fuisse ædificatam?

626. Fuerintne forsan Sancti nostri ætate quatuor in eremo Calabrina ecclesiæ, quarum duæ quidem, altera nempe S. Mariæ, altera S. Stephano sacra, ante Brunonis in solitudinem illam ingressum exstiterint, duæ vero, altera itidem S. Mariæ, altera S. Stephano sacra, post Sancti in eadem solitudinem ingressum exstructæ primum fuerint? Ast id nec verosimile apparet, nec ab ullo prorsus scriptore sive recentiore, sive antiquiore memoriæ proditum invenio. Et vero non quatuor, sed duas dumtaxat ecclesias seu monasteria, a Brunone ejusque discipulis inhabitata, quæ Sancti nostri ætate in Turritana Calabriæ eremo exstiterint, anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor commemorat, ad annum 1114, uti iterum sæpissime jam laudatus, quom, quod nolit, non no-

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

mino, Carthusianus Parisiensis me docuit, ita scribens : « Annis 1090 et 1097 vidimus, jam duo exstitisse (in Turritana scilicet Calabriæ eremo) monasteria tempore sancti Brunonis, unum B. Mariæ (addi potest, et S. Joanni Baptistæ) dicatum, ubi ipse morabatur; aliud non multum a priori dissitum, in ejusdem B. Mariæ et sancti Stephani honorem ædificatum, in quo cum omnibus conversis quidam etiam monachi sive minus ferventes, sive potius infirmi facti degebant, quorum ipse Lanvinus erat prior; sed omnes usque ad præsentem annum (1114 videlicet) eremitice vixerant, quasi unum tantum conventum componentes, ut constare videtur ex epistola encyclica, post mortem sancti Brunonis ad amicos ejus missa, in qua (Adi hanc, Titulis funebribus edendis præfixam) unius tantum monasterii mentionem faciunt, cum se inscribant « Humiles eremiticæ Calabriæ monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ.

627. « Et in plerisque litteris a Paschali II Lanvino datis, quas superius suis locis exscripsimus, ipse papa Lanvinum vocat « Eremitarum præpositum « et multaruman achoretarum patrem et magistrum. » Nec loquitur nisi de uno tantum monas- » terio : Pacem, inquit, et concordiam eremi (Adi » num. 550) reformatam cognovimus. » Et ad omnes scribens, « Lanvino et cæteris fratribus, domni » Brunonis eremum habitantibus salutem. » Et ad ipsum magistrum eremi, « Fratres tuos, eremi » cohabitatores, salutamus. » Sicque cremitæ dicti sunt et perstiterunt, donec tandem præsenti anno (1114 nimirum) aliud tertium erigeretur monasterium pro cœnobitis apud Squillacium, ut in supra scriptis litteris dicitur. » Hactenus ille, duo duntaxat, ut jam dixi, a Carthusianis inhabitata, quæ non tantum S. Brunonis ætate, sed etiam diu post hanc seu ad annum usque 1114 in eremo Calabrina exstiterunt, monasteria recensens. Atque unum quidem ex his, sanctissimæ Dei genitrici et S. Joanni Baptistæ dicatum, cujus priori seu magistro monasterium S. Stephani, ut ut etiam proprium priorem habens, parebat, anno 1090 candi ex dictis cæptum, anno 1094 solemni ritu magnoque apparatu, ut jam supra docui, fuit consecratum; alterum vero, eidem sanctissimæ Dei genitrici et S. Stephano protomartyri sacrum, quod postea monasterium S. Stephani de Bosco seu de Nemore nuncupatum fuit, anno 1099, secunda Augusti die, qua supra memoratum diploma datum notatur, jam erat exstructum, uti liquet ex iis quæ hac de re jam disserui. At vero quanto quidem tempore citius construi cœpit? Cum ex supra dictis monasterium seu ecclesia, sanctissimæ Dei genitrici sacra, ante annum 1094 solemni ritu consecrata haud fuerit, nec antequam hoc fieret, condi cœptum fuisse videatur S. Stepham monasterium, hujus constructio verosimillime, uti ex jam dictis quisque facile colliget, inter annum 1094 et annum 1099 evenerit ; ut proinde eam Camillus Tutinus in Historiæ ordinis Carthusiensis Prospectu anno 1097, quod et anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor facit, recte fortassis consignet.

628. Et vero cum in diplomate, quod, ut supra docui, Rogerius comes S. Brunoni anno 1096 concessit, nulla omnino, quantum reor, monasterii S. Stephani, veluti jam tum exstantis, mentio fiat, fiatque tamen in altero, cujus jam proxime memini, anni 1099 diplomate, monasterium illud S. Brunonis cura anno circiter 1097 condi cœptum fuisse, verosimillimum vel idcirco reor, quod, cum ex omnium consensu amplum exstiterit, anni saltem duo ad ejus structuram requisiti fuisse videantur, jamque ad umbilicum anno 1090 esset adductum, uti ex jam dictis nemo non intelliget, Haud dudum porro postquam ædificium hoc condi cœptum fuisset, evenit ut Joannes de Nicephoro, quam benevolo in Sanctum nostrum, cujus consilio ex dictis ad Squillacensem cathedram fuerat evectus, Turritanamque eremum animo esset, manifestarit. Etenim anno millesimo nonagesimo octavo, cum anno forte nondum integro sedisset, Henrico Neocastrensi episcopo aliisque præsentibus donationes omnes privilegiaque omnia S. Brunoni ejusque in monasterio S. Mariæ de Turri successoribus concessa confirmavit, ac tanta insuper asceterium illud libertate donavit, ut sibi ipsi et successoribus suis episcopale in id jus ademerit, quemadmodum instrumentum publicum, seu privilegium, quo id præstitit, fidem facit. Illud iterum, ex Annalium Carthusiensum libri quarti hactenus non vulgeti Vallis-Dei exemplari descriptum, mecum pro summa sua humanitate communicare dignatus est Carthusianus Parisiensis sæpissime laudatus, idque tanquam pretiosum antiquitatis monumentum, hincque, quantum opinor, futurum non ingratum, cum lectore pariter communicare hic lubet.

629. Hisce itaque verbis concipitur : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Joannes, voluntate Dei Squillacinæ sedis episcopus, SS. Patrum præcedentium vestigia secutus, facta eorum et decreta religiosa vola imitari, et pro posse meo conservare inviolata. Monasterium ergo, quod dicitur S. Maria de Turri, cui præest venerabilis pater Bruno, liberum esse laudo, assero, et confirmo, qua libertate a Rogerio comite est fundatum, et a B. PP. Urbano donatum, et ab antecessore meo bonæ memoriæ Theodoro episcopo confirmatum. Noverint ergo fideles quique et amatores veritatis, præfatum monasterium, insuper locum illum, qui Arsafia dicitur, de quo præfatum monasterium dotatum est, cum omnibus pertinentiis suis et cum omnibus hominibus, tam de clero, quam de populo, quos ad præsens supradictum monasterium habet, vel in posterum habiturum est, et extraneis quoque omnibus, qui in potestate habitant, vel sunt habituri, hac libertate donatum : nec ego, nec quilibet successorum meorum ullum episcopale jus ibi habeat, absque communi spontanea voluntate fratrum præ-

www.libtool.com.cn

dicti monasterii. Consecrationes, ordinationes, chrisma; cæterasque episcopalis officii indigentias, a quo potissimum episcopo consequantur longe vel prope, et non sit qui prohibeat. Decimæ eorum ipsis sint. Offensa subjectorum et correctio ad eos respiciant. Hæc, quæ diximus, auctoritate et privilegio mei antecessoris Theodori, natione Græci, confirmata sunt. Hæc et nos privilegio præsenti et auctoritate, quam a Deo consecuti sumus, testificamur, confirmamus, et nec mihi ipsi quandoque aliter, quod absit! sapienti, vel alicui successorum meorum hæc violare liceat. Si quis igitur pertinaciter hanc sententiam nostram, veraciter prolatam, scriptam, signatamque in signum stabilitatis, ingenio vel potentia delere studuerit, deleatur et ipse de libro viventium. Assentientibus vero et defendentibus pax et vita cum vivente et regnante in sæcula sæculorum. Amen. »

630. Diploma hoc seu privilegium, quod nullas, neque initio, neque in fine notas chronicas sibi hic adjunctas exbibet, anno 1098, indict. 6, septimo idus Maii seu nona mensis hujus die datum notari affirmat Carthusianus anonymus, e cujus illud, ut jam monui, Annalium Carthusiensium libro quarto hactenus non vulgato communicatum mecum fuit. Verum notasne illas chronicas in ipso, quod sibi præluxit, privilegii illius seu autographo seu exemplari, an alibi, invenerit, non edicit. Hinc primo an instrumentum illud anno 1098 datum vere fuisset, hæsi dubius, donec eamdem ei epocham ab Ughello tom. IX Italiæ sacræ col. 427 assignari comperi. Verum, etsi quidem diplomati isti seu beneficiis, per id Sancto collatis, Ughellus et laudatus Carthusianus anonymus eumdem annum, uti etiam indictionem, assignent, in mense tamen, quo id dari contigerit, neutiquam consonant. Hic enim, ut jam docui, nona Maii die, ille contra nona Martii die privilegium datum affirmat. Ast debetne ob id discriminis monumentum illud antiquum pro suspecto haberi? Camillus Peregrinus in adnotationibus, quas ad Lupi Protospatæ chronicon ad annum 1098 adjecit, ita observat: «Mensem Martium pro Maio sæpe alias suppositum, manifestum est; idque ex ea forte occasione natum, quod, nomina propria cum sub Nortmannorum ætate capitalibus tantummodo litteris depictis compendiarentum, Martius mensis, sic descriptus, pro Maio a recentoribus librariis sæpe numero est acceptus. Sicut in Kalendario antiqui etiam Breviarii Campani, in quo festum S. Potentianæ virginis perperam notatur ad diem 19 Martii, quod colitur 19 Maii.» Forte itaque mensis, quo Joannis de Nicephoro privilegium, supra huc transcriptum, S. Brunoni datum fuerit, littera capitali M primitus duntaxat fuerit expressus, hincque id librariorum seu describentium alii quidem mense Maio, alii contra mense Martio datum notarint.

631. Jam vero, cum res ita habeat, non est sane cui antiquum illud monumentum, quod mense Maio a Carthusiano anonymo laudato, Martio contra ab Ughello datum notetur, pro suspecto habeatur, etsi interim hinc fiat, ut, utro mense datum reipsa fuerit, determinari haud queat. Atque ita quidem ut existimem, etiam facit, tum quod nihil omnino aliud, unde diploma illud seu privilegium suspectum utcunque reddatur, uspiam occurrat, tum quod reipsa a Joanne de Nicephoro, Squillacensi episcopo, datum fuisse S. Brunoni diploma seu privilegium, fidem faciat diploma aliud, quo, quod ab eo fuerat concessum, Urbanus II papa confirmavit. Lubet et illud, quod non minus quam præcedens ad Sanctum nostrum spectet, ex Ughello, apud quem tom. IX Italiæ sacræ col. 427 et seq. exstat. huc transferre. Ita habet: «Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Brunoni et Lanvino salutem et apostolicam benedictionem. Quia igitur nostri officii interest, servorum Dei quieti et commodis, prout in Domino possederit, providere, petitionibus vestris, filii in Christo carissimi ac reverendissimi, clementer annuimus. Per hujus igitur apostolici privilegii paginam apostolica auctoritate concedimus, et firmam et stabilem et in perpetuum permansuram confirmamus donationem terrarum, quæ vobis datæ sunt in Squillacensi territorio, et conscriptæ et determinatæ et designatæ per terminos certos a dilecto nostro filio R. comite, et, Joanne confratre nostro, Squillacensi episcopo, concedente, et confirmata.

632. «Quocirca prædicta auctoritate præcipimus, statuimus et ea, quæ vobis concessa sunt, licentia interdicimus, ut a die in antea neque comiti ipsi, neque alicui hæredum suorum supradictam vestram donationem et hanc nostram confirmationem violare vel dearctare liceat. Neque de his, quæ confirmamus, aliqua re intromittat personam sine vestra voluntate, quatenus omnipotentis Dei speculationi mentibus liberis insistatis, et ad ejus faciei dulcedinem, ipso præstante, pervenire valeatis. Si qua vero persona aut hæres comitis ipsam violaverit, nisi ad condignam venerit satisfactionem, eum honoris vel officii sui periculo subjacere decernimus, et a Christo ac ecclesiæ corpore segregatus atque in æterno examine districte subjaceat ultioni sine intermissione et remedio; conservantibus autem pie a Deo et misericordia ejus præsentibus et futuris sæculis conservetur. Amen. Si vero tam legalis comes, aut ejus hæres addere aliquid huic voluerit donationi, sub hac nostra confirmatione ratum esse statuimus.

Urbanus catholicæ Eccl. episcopus.
Ego Rainerus card. subscripsi.
Ego Joannes card. SS.
Ego Alphanus Salernitanus archiepisc. SS.
Ego Amatus capellanus et sacerdos SS.
Ego Dis Capellanus SS.
Ego Constantinus Catacensis episc. SS.

Datum Salerni mense septembri, indict. 6, anno ab Incarnatione Dominica 1098.»

633. Ruinartius in Urbani II papæ Vita, narrato pontificis hujus cum Rogerio, Calabriæ et Siciliæ comite, post Capuam mense Junio anni 1098, uti infra probabo, a principe illo expugnatam, in urbe Salernitana congressu, pag. 299 ad eumdem annum 1098 ita memorat : « Paulo post id tempus, die scilicet 20 Julii sequentis pontifex ad alterius Rogerii nempe ducis Apuliæ, et Alfani archiepiscopi preces insigne privilegium Salernitanæ ecclesiæ concessit, collato ei primatu in duas metropoles, Compsanam et Acherontinam, quæ olim ipsi jure metropolitico subjectæ fuerant. Data est bulla die 13 Kalendas Augusti anno 1099, ut præferunt ejus exemplaria, sed qui a mense Martio anni præcedentis inchoandus est, ut ad præsentem annum revocari possit, At indictio 4, quæ ibi apponitur, excusari nequit, nisi error in amanuenses rejiciatur. Locus hic esset de altero Urbani rescripto agendi, quo in gratiam ejusdem ecclesiæ privilegia Cavensis monasterii revocantur, si datum Romæ non diceretur, et indictio 7, quam præfert, huic anno convenire posset. De eo inferius. At sincerum omnino et penitus indubium est illud, quod mense Septembri hujus anni (1098 nempe) Urbanus sancto Brunoni, Carthusianoram parenti, qui tunc in Squillacensi cremo morabatur, concessit, a dei confirmanda et asserenda omnia bona, quæ a Rogerio comite et Joanne, Squillacensi episcopo ipsius monasterio collata fuerant. Illud datum est Salerni hoc anno (1098 nimirum, ut jam monui) mense Septembri, indictione 6; unde conjicimus, Urbanum ea in urbe usque ad Barense concilium,» quod dicto anno 1098 mense Octobri celebratum fuit, « permansisse. »

634. Hæc de supra recitato, quod Urbanus papa S. Brunoni concessit, diplomate Ruinartius. Atque ex his quidem habemus, anno 1098 Salerni, quo loco et anno diploma datum notatur, Urbanum exstitisse; ut forte, cum civitas illa a Turritana eremo non admodum sit remota, Sanctus noster, cujus ac Lanvini petitione sese, quod jam recitavi, privilegium dedisse pontifex innuit, Salernum sese ad hunc cum Lanvino tunc contulerit, Barensique concilio, haud dudum post datum privilegium celebrato, interfuerit; quod vero ad notas chronicas, quibus privilegium pontificium signatur, pertinet, cum Urbanus II papa, quemadmodum num. 569 docui, indictione Cæsarea seu Constantiniana usus sit, hujusque generis indictio septima, non sexta, a vigesima quarta septembris anni 1098 die usque ad eumdem Septembris anni sequentis diem fuerit in cursu, consequens est ut privilegium pontificium utpote anno 1098, indictione sexta menseque Septembri notatum, mense hoc ad vigesimam quartam diem nondum provecto datum fuerit,

§ XXXIX. *Sanctus comitem Rogerium præsentissimo periculo per visionem, qua hujus illum monet, in obsidione Capuana liberat, novumque hac occasione, quo plurima ei bona Rogerius confert, diploma obtinet.*

635. Inter omnia diplomata, quæ Sanctus sive comite Rogerio, sive ab aliis quibuscunque in Turritanæ in Calabria eremi favorem impetravit, nullum est illustrius magisque a scriptoribus celebratum, quam quod Capuanæ obsidionis occasione ab illo principe anno, uti infra probabo, 1099 obtinuit. Accidit, inquit Gaufredus Malaterra Historiæ Siculæ lib. IV, cap. 25, « ut Ricardus Juvenis, Jordanis principis filius, princeps et ipse Aversæ, defuncto patre orbus, pusillus superstes, fraude Longobardorum urbe Capuana injuste jam dudum privatus, cum jam ad intelligibilem ætatem pervenisset, damnum sibi illatum videns et dolens, ac de auctoribus ultionem petere disponens, ad sibi consanguineum comitem (Calabriæ nempe et Siciliæ Rogerium) prudentes viros supplex illorsum (*supple* mittit,) ut sibi auxilium laturus accelerare non differat cum servitio suo.» Comes consanguinei sui legatione motus non exiguum collegit exercitum, hocque in illius suppetias in Campaniam adducto, et cum Rogerii ducis, cujus patruus erat, ab Richardi Aversani principis, cognati sui, copiis conjuncto Copuam, uti infra docebo, anno 1098 obsedit ac expugnavit. Verum obsidionis tempore magnum comes incurrit periculum. Sergius Græcus, quem ducentis nationis Græcæ armigeris præfecerat, pecunia cum Capuanis pactus erat, sese eis, quo noctis tempore in Rogerii exercitum ex improviso irrumpere, itaque eum cædere ac comitem ipsum necare possent, aditum aperturum. Nox jam aderat, qua affectum sortitura erat proditio, Capuanorumque copiæ, ut, quod cum hisce Sergius pactus erat, exsequerentur, paratæ adstabant, cum S. Bruno seu potius ex dicendis, facientibus id hujus meritis ac precibus, sub Brunonis habitu ac specie angelus comiti in somnis apparuit, imminentisque periculi eum commonuit. Comes hinc timore perculsus, itaque expergefactus milites excivit ad arma, structas sibi insidias dispulit, hostes fugavit, plerosque proditionis reos cepit, Capuamque haud dudum post subegit.

636. Hac porro ad felicem exitum expeditione perducta, primo se Salernum, ubi cum eo Urbanus II papa colloquium habuit, atque aliquanto temporis spatio fuit versatus, ac deinde Squillacium in Calabriam contulit. Cumque ibi quatuordecim dierum spatio adversa valetudine laboraret, S. Bruno, quo cum in morbi molestiis consolaretur, ad amantissimum sui principem, quatuor aliis religiosis eremi Calabrinæ incolis, sibi adjunctis, venit. Comes sanctum Virum benignissime de more excepit, eique quod sui etiam absens in obsidione Capuana curam gessisset, summas gratias egit, multa ei grati animi ergo donaofferens. Verum hæc Bruno, qui non se, sed angelum, principibus tempore bella adstantem, in obsidione Capuana comiti apparuisse, asseverabat, noluit accipere. Attamen, cum postea Sanctus aliqua saltem a comite sibi donari consensisset, dato hic diplomate Turritanæ eremi possessiones auctiores longe, quam ante fuissent, reddidit, militesque proditionis Capuanæ reos, quos secum

www.libtool.com.cn

ex hac Squillacium morte plectendos duxerat, vitaque tamen, Sancto nostro intercedente, donarat, ei Turritanæque eremo in servitutem perpetuam tradidit. Constant hæc omnia partim ex Gaufredo Malaterra cap. proxime cit. et duobus seqq., partim ex ipso, quod dicta bellica expeditione finita, Sancto nostro Rogerius comes dedit, diplomate. Ac id quidem tum hac de causa, tum quod a Puteano, Blomenvenna, surio in contextis a se S. Brunonis Vitis, Baronio in Annalibus ecclesiasticis, Summontio in Neapolitani regni Historia, aliisque fere omnibus scriptoribus, a quibus memoratur, ex parte duntaxat exhibeatur, integrum e Morkensii recensione § præsenti, additis etiam ad calcem, quæ commode in id hic notari poterunt, lectoris oculis subjicere ; definitionem autem temporis, tum quo datum illud fuerit, tum quo obsidio Capuana acciderit ac proin S. Bruno, comiti Rogerio in somnis apparens, imminenti periculo eum eripuerit, in § sequentem, ne alioquin præsens in nimiam molem excrescat, differre est visum.

637. Sic itaque monumentum illud habet : « In nomine Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo nonagesimo octavo, indictione sexta, gloriosus rex David spiritu præventus : « Narrabo, inquit, omnia mira« bilia tua, » propter quod ego Rogerius divina misericordia comes Calabriæ et Siciliæ notum [*al.* nota] esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia quæ mihi peccatori concessit Deus orationibus reverendi viri F. Brunonis, piissimi Patris Fratrum qui habitant in ecclesiis sanctæ Mariæ de eremo, et sancti protomartyris Stephani, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum quod dicitur Stilum, et Arenam. Cum essem in obsidione Capuæ Kalendis Martii, et præfecissem Sergium natione Græcum principem supra ducentos armigeros nationis suæ, et exercitus excubiarum magistrum, qui satanica suasione præventus principi Capuæ, promittenti auri non modicam quantitatem, ad invadendum me meumque exercitum, noctu aditum est pollicitus se præbere. Nox proditionis advenit et princeps Capuæ ejusque exercitus juxta promissum est paratus ad arma, dumque me sopori dedissem, interjecto aliquanto noctis spatio, adstitit cubili meo quidam senex reverendi vultus, scissis vestibus non valens lachrymas continere. Cui cum in visu dicerem, quæ causa ploratus et lacrymarum, visus est mihi durius lacrymari. Iterato quærenti mihi, quis esset ploratus? Sic ait : Fleo animas Christianorum, teque cum illis ; sed exsurgens quantocius arma sume, si liberare te Deus permiserit, et tuorum animas pugnatorum, Hic per totum mihi videbatur, velut si esset per omnia venerabilis pater Bruno.

638. « Expergefactus sum cum terrore grandi, pro visione pavescens, illico sumpsi arma, clamans et militibus ut armati equos ascenderent, visionem, si vera esset, satagens comprobare. Ad quem strepitum et clangorem fugientes impius Sergius, ejusque sequaces subsecuti sunt principem Capuæ, sperantes in dictam civitatem confugium sese habituros ; ceperunt autem milites inter vulneratos et sanos contum et sexaginta duos a quibus visionam fore veram probavimus. Reversus sum, Deo volente, vicesimo nono Julii mensis Squillacium, post habitam Capuæ civitatem, ubi fui per quindenam continuam infirmatus ; venit vero ad me jam dictus venerabilis pater Bruno. cum quatuor de fratrtbus suis, qui me sanctis devotisque colloquiis consolati sunt ; cui reverendo viro, et visionem retuli, et humiles egi gratias, quod me etiam absente curam in suis orationibus habuisset. Qui se humilians asseruit, non ipsum fore [*al.* fuisse], quem credidi, sed angelum Dei, qui stat pro principibus tempore belli. Rogavi quoque humiliter, ut pro Dei amore in terra Squillacii sumere dignaretur largos redditus, quos donabam ; renuens ille recipere, dicebat quod ad hoc domum sui patris, meamque dimiserat, ut a mundi rebus extraneus deserviret libere Deo suo. Hic fuerat in tota mea domo, quasi primus et magnus. Tandem vix cum eo impetrare potui, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum.

639. « Donavi autem eidem patri Brunoni, ejusque successoribus ad habendum in perpetuum absque temporali servitio monasterium S. Jacobi de Nuntauro [*al.*, Mentauro) cum castro, quod est subtus dictum monasterium, antiquitus constructum et castrum ligneum situm in cacumine montis versus mare qui mons per directum fabricati castri descendit, quod castrum Belvider a loci incolis nuncupatur, et casale S. Mariæ, quod est ad ripam dicti montis inter Orientem et Meridiem ; domum etiam meam, quæ Buttarium dicitur, cum Buttis, quæ in ea domo sunt, quæ fuerunt Roberti Guiscardi fratris mei, et dedit mihi Rogerius dux, carissimus nepos meus. Casalia Mentabri, et Oliviani, et Gasparinam, ubi antiquitus casale fueras, cum omnibus pertinentiis eorumdem, sicut hic divisæ scribuntur : videlicet a terra Coxani » etc. (descriptionem terminorum terræ hujus, quod, ut ait, nihil ad rem suam faceret, hic omisit Morkensius) « omnia autem quæcumque intra [*al.* infra] hos sunt terminos, tam vasaltos, qui in dictis casalibus habitant nunc, quam qui habitaturi sunt, tui juris, tuorumque Fratrum tibi succedentium, pater Bruno, esse concedo. Concedo etiam, ut recommendatos habeas tu, et successores tui, tam de comitatu Calabriæ et Siciliæ, quam extra undecunque sint. Habitationes casalium tibi, successoribusque tuis, quandocunque volueritis, commutare licebit et etiam monasterium ipsum S. Jacobi, quod donavi, et omnia in eadem, et de eadem terra facere, quæ ego facere potui, cum licebat.

640. « Nemini inter has divisas licebit aliquid proprium suum dicere, vel habere, cum omnibus, qui inibi possessiones habebant, voluntarium et cambium dederim satis gratum, cui terras, cui denarios, quibusdam vero, quia villani erant, perpetuas liber-

www.libtool.com.cn

tates. Multæ intra [*al.*, infra] has divisas terræ sunt, quæ ad te, pater Bruno, spectant, et successores tuos, quas cum Arsafia dedi majori ecclesiæ vestræ tempore dedicationis ipsius. Nullus intra [*al.*, infra] has divisas aviare, venari, aut in mari piscari audeat sine dictorum fratrum consensu, et de iis omnibus dicti fratres habeant jura tua, pascua sumere sive glandes, ligna incidere, aquas divertere, forestas habere, vel prata: nec quisquam omnino in iis terris contra facere, vel venire, occasione alicujus consuetudinis, prætextu nobilis vel baronis aut ab eis, sive vasallis, sive villanis, eorum, tam, illorum, qui sunt, qnam quos habituri sunt, aut recommendatis aliquid exigere servitii temporalis; nec eosdem vasallos, vel villanos cogere, ut communitates habeant cum terra Squillacii, aut Severeti, vel casalium eorumdem; sed in solida libertate, et ipsorum fratrum usus, et dominium proserventur ad perpetuos habituros. Et in mari juxta terminos, quos taxavi, jus omne habebunt, quod et ego habui temporibus retroactis.

641. « Ad petitionem fratris Lanvini hic jussi apponi terminos casalis Arunchi, et tenimenti sui, quod ab antiquo pertinet ad Arsaflam. Dedi etiam eidem patri Brunoni, et successoribus suis viridarium sancti Nicolai, quod proprium tenebam in manu mea. Dedi etiam eidem hæreditatem Calogerici villani mei, qui mortuus fuerat sine lingua et filiis, et vasallos et villanos in eodem casali commorantes, et in eadem libertate et usu tranquillo, quo sunt, et alia loca superius condonata, et per meam voluntatem liberata ab omni jugo servili tam ad dictos fratres, quam ad vasallos, recommendatos, et villanos omnique libertate gaudebunt in isto loco, qui Arunchum dicitur, et omnibus locis, qui conjungi valeant, his divisis, quos, Deo volente, habituri sunt, seu villanos, tam dominis et fidelibus Christianis, quam in locis scriptis superius, gaudere ipsos prævidi. Dono quoque tibi patri Brunoni, et successoribus tuis in perpetuum meum molendinum, et fullonem, quæ sunt subtus Squillacium juxta fontem, qui dicitur Alexi, sub omni libertate et immunitate, ut nemini teneamini pro eisdem, nec mihi, nec successoribus meis. Ab ipsa mea flomaria possitis totam aquam assumere, et positionem aquæ ductus molendini et fullonis, in ipsa terra mea, si volueritis in melius commutare, absque contradictione aliqua hominis alicujus, et mea, et successorum meorum, et de aquis, quæ in terra vestra sunt, omne beneficium faciatis ad vestræ arbitrium voluntatis.

642. « Dono etiam tibi patri Brunoni, et successoribus tuis in servos perpetuos et villanos centum duodecim lineas servorum et villanorum eorumque filios in perpetuum ubicumque sint, et morentur, cum omnibus bonis eorum, quos ad tui tuorumque successorum obsequia reservavi, qui inventi sunt apud obsidionem Capuæ in proditionis consortio Sergii pestilentis. Hos morti obnoxios in reversione mea Squillacium servaveram, diversis mortibus puniendos, sed tuis postulationibus liberatos, filiosque eorum, tibi, et successoribus tuis obligo, et filios filiorum in æternum servos perpetuos, et villanos ad beatæ Mariæ et protomartyris Stephani personalem et perpetuam servitutem. Insuper concedo ad petitionem tuam, frater Lanvine, quod animalia vestrorum vasallorum, recommendatorum et villanorum per tenimenta terrarum et locorum circum adjacentium libere pasci possint, et per omnia mea nemora glandes habere. Hoc privilegium scriptum est secundo mensis Augusti, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono, indictione septima, per manus. Fulconis capellani mei, apud Squillacium in capella Sancti Matthæi, phæsente et confirmante venerabili, et sanctissimo patre Joanne Squillacensis sedis episcopo, residente ibi juxta fores Ecclesiæ et concedente Adelaide comitissa conjuge mea, residentibus quoque mecum et testibus hujus donationis Rodulpho comite de Lorotello nepote meo, Guillielmo de Altavilla, Odone Bono-markisio; Josberto de Luciaco, Borello Malgerio filio meo, Malduitho Berengerio, Niello de Ferlit, Ricardo de Treveris, Rodulpho Pain evin, Huberto de Solma, Renaldo de Chincham, Roberto de Cuculo, Ermenfredo capellano de S. Matthæo, Roberto de Layna stratigoto villæ, Blasilio protospatario, Theodoro Manchino.

643. « Nullus contra hanc voluntariam donationem meam et desideratam præsumat in aliquo minimo, vel magno aliquid facere, vel dicere, si quidem, si fuerit rusticus, vel Burgensis, curiam meam, si quid ipse habuerit, habituram credat de rebus mobilibus, et nihilominus ipsis fratribus dacem auri libras persolvet, et eorum fratrum damna si quæ perpessi fuerint. de illorum maleficorum bonis reficientur, si accusatus fuerit, et convictus, Quod si miles aut baro, ducentas auri libras persolvet successorum meorum curiæ, sive meæ; quod si tantum non habuerit, ejus mobilia omnia mea erunt, et eisdem fratribus, nisi satisfecerit condigne, quinquaginta libras auri persolvet. Nec mihi, nec successoribus meis de omnibus, quæ libere per me data sunt, liceat in antea aliquid innovare, facere, vel contradicere in aliquo parvo vel magno. Quod si ego, quod absit, aliquando, vel successores mei contrarium fecerimus, in aliquo parvo vel magno, in omnibus supradictis iram sempiterni Dei, et beatæ Mariæ, et beati protomartyris Stephani incurramus. Et isdem pater Joannes episcopus ad petitionem meam contra tales in majori ejus ecclesia omni præsente populo, et istis, qui supradicti sunt, testibus anathema gravissimum promulgavit; conservantibus autem communionem sanctorum, et meritum bonum a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Amen, Amen, Amen.

« ✠ Rogerius Comes.
« ✠ Adelais Comitissa.
« ✠ Guilielmus de Altavilla.

« ✠ Rodulphus Comes de Lorotello,
« ✠ Odo Bonus Markisius,
« ✠ Josbertus de Luciaco.
« ✠ Niellus de Ferlit.
« ✠ Malgerius Filius Comitis Rogerii.
« ✠ Rodulphus Pain evin.
« ✠ Ricardus de Treveris.
« ✠ Ego Fulco domini Rogerii Capellanus de mandato ejus hoc privilegium scripsi, et subscripsi. »

644. Tale est amplissimum illud juxta ac celeberrimum, cujus autographo bullam plumbeam esse appensam, Morkensius ad calcem notat, privilegium seu diploma, S. Brunoni a comite Rogerio, cum ejus, sibi apparentis, monitu ac meritis liberatum sese præsentissimo periculo in obsidione Capuana fuisse non ambigeret, concessum. Nunc in id quædam observanda, ac in primis quidem in visionem, qua, S. Brunonem aut certe senem, qui sanctum huuc virum facie totiusque corporis habitu referret, in somno a se visum, monentemque auditum fuisse, Rogerius comes affirmat. Ut id eo, quo convenit, modo præstem, suffecerit fere, tamtum hic recitasse, quæ huc spectantia anonymus Annalium Carthusiensium libri quarti hactenus non vulgati auctor in litteras misit, quæque interum, ex Operis hujus Vallis-Dei exemplari descripta, Carthusianus Parisiensis sæpissime laudatus mecum communicavit. Sic itaque ille ordinis Carthusiensis annalista habet: « Ex apparitione S. Brunonis (comiti Rogerio factæ) quæstio oriri potest, an vere S. Bruno comiti Rogerio apparuerit, quoniam ipsum comitem post reditum ab obsidione (adi num. 638 diploma huc jam transcriptum) infirmum conveniens præsentialiter negavit, se ipsum fuisse, qui apparuit, sed angelum Dei, qui adstat principi tempore belli, ut legitur in priori (jam recitato scilicet) diplomate : utrum hoc S. Bruno ex humilitate dixerit, an ex rei veritate, resolvi potest ex eis, quæ scribunt (lib. nempe De cura pro mortuis cap. 10 et seq., et lib. De spiritu et anima cap. 29) S. Augustinus et post eum (lib. VII videlicet, cap 35 De offic. mort.) Durandus, dicentes quia viventes plerumque apparent in somnis dormientibus, dum ipsi se nesciunt apparere, et ab eis, qui hoc somniaverunt, audiunt dicentibus, quod eos in somnis agentes aliquid vel loquentes viderunt. Unde credibile est operationes esse angelorum, apparentium sub forma et habitu eorum, ob quorum merita apparitiones fiunt propter dispensationem providentiæ Dei ad qualecunque solatium vivorum. Sicque probabile est, angelum Dei apparuisse comiti Rogerio sub forma et habitu S. Brunonis, cujus gratia et meritis facta fuit apparitio. Videat lector Thyræum libro De apparitione spiritum, et cardinalem Bonam De discretione spirituum, præclare ista tractantes. »

945. Ita ille, et recte quidem, quantum apparet. Cum porro hisce diplomatis recitati verbis : « Nota esse volo beneficia, quæ mihi concessit Deus orationibus R. viri F. Brunonis, pissimi Patris Fratrum, qui habitant in ecclesiis sanctæ Mariæ de eremo et sancti Stephani protomartyris, » ecclesiarum duarum, scilicet S. Mariæ de eremo et S. Stephani protomartyris, veluti si essent, uti etiam ex jam dictis vere fuerunt, duo monasteria diversa, mentio fiat, hisque ambobus S. Bruno præfuisse innuatur, ita in illa observat: « Quamvis S. Bruno dicatur Pater fratrum utriusque Ecclesiæ, id tamen intelligendum est tantum de suprema auctoritate, quam in utraque habebat, tanquam patriarcha; nam Lanvinus in altero (quod scilicet anno 1101 datum fuit infraque recitabitur) diplomate dicitur prior S. Stephani. « Ad petitionem, » inquit, « Rogerius F. Lanvini prioris ecclesiæ S. Stephani, » Attamen bona, a Rogerio concessa, utrisque communia erant. Hoc patet ex priori (jam dato nimirum) diplomate, in quo Rogerius conjuratores, « et filios filiorum » (eorum videlicet) « in æternum servos perpetuos et villanos » ad beatæ Mariæ et S. Stephani protomartyris personalem et perpetuam servitutem concedit. » Cæterum, cum in transcripto diplomate monasterii S. Jacobi de Meutauro, a Rogerio S. Brunoni ejusque discipulis collati, principisque Capuani, cui Rogerium Sergius prodere voluit, mentio occurrat, tam principis hujus, quam monasterii S. Jacobi de Mentauro notitiam quelemcumque idem etiam auctor suppeditat. Ac de principe quidem sic scribit; » Nomen principis Capuæ, « cui Sergius ad invadendum Rogerium aditum noctu est pollicitus se » præbere, » non potuisse apud scriptores inveniri, fatetur Michael monachus in Sanctuario Capuano, a se edito anno 1630; sed in recognitione sui Operis, anno 1637 facta, nomen dat hujus hactenus ignoti principis : « Ignoratum, inquit mihi principis nomen tandem cognitum: D. Camillus Tutinus, Neapolitanus antiquitatum indagator, asservat Chronicon » ms., in quo legitur, Landonem, Theani comitem, » ex genere principum Longobardorum, electum » fuisse a Capuanis in principem, ejecto Richardi » filio. » At vero, cum princeps, qui a Capuanis ejectus fuit, non Richardi, sed Jordani, ut Malaterra lib. IV, cap. 26 docet, filius fuerit, contra ac in Chronico illo ms., apud Tutinum asservato, legitur, suspectum mihi hoc apparet, ac proin facere non potest, ut, Landonem fuisse Capuanorum principem, cui Rogerium tradere voluerit Sergius, pro certo habeam.

646. Quod modo ad monasterium S. Jacobi de Mentauro pertinet, ita de hoc laudatus Ordinis Carthusiensis annalista observat : « Monasterium S. Jacobi de Mentauro, a Rogerio concessum S. Brunoni, juxta notas nostri Constantii est grangia, quæ modo dicitur S. Anna, in qua sub initium recuperationis hujus Carthusiæ unus conversus assidue morabatur. Ibidem post mortem S. Brunonis Lanvinus quosdam monachos, vitæ eremiticæ minus idoneos, cum licentia pontificis constituit, qui cœnobiticam vitam agerent, ut suo loco dicemus. » Atque

www.libtool.com.cn

id etiam, quod hic postea se dicturum spondet laudatus Annalium Carthusiensium auctor, re etiam ipsa ad annum 1114 exsecutus est, ita ibidem scribens: « Quod autem pertinet ad res Carthusienses in Calabria, hoc anno (1114 videlicet) Lanvinus, cum juxta licentiam anno elapso a Paschali (summo pontifice) obtentam, multos non solum e gentibus, sed etiam ex longinquis partibus, ut loquuntur bullæ pontificiæ, ad vitam eremiticam recepisset, cernens, quosdam ex eis minus ad eam aptos esse, decrevit aliud monasterium constituere, in quo saltem cœnobitice conversarentur. Id ille sapienter excogitavit; cum enim juxta Regulam, a sancto Patriarcha non scrptis, sed viva voce traditam, ea tantum conditione inter nos reciperetur novitius, « ut, si forte « nostrum nequiret aut nollet tolerare propositum, « ad sæculum nequaquam rediret, sed aliquod po- « tius aliud religionis genus, quod ferre posset, ac- « ciperet. » Sic honori et saluti consulebatur egredientis novitii, qui ex eremo statim ad cœnobium transmeare poterat. Utriusque monasterii curam magister eremi habebat, et qui cœnobitis præerat sub nomine præpositi vel decani, vel etiam prioris, eidem magitro, tanquam supremo priori, morem gerebat juxta decretum summi pontificis Paschalis, a quo sequentes litteras Lanvinus in hunc finem obtinuit. Paschalis episcopus servus servorum Dei, » etc.

647. Hæc laudatus Annalista anonymus; alia porro fere non sunt, quæ in transcriptum Rogerii comitis diploma observanda hic sint; posset quidem quidpiam præterea notari in verba, quibus, Sanctum aliquandiu in Rogerii comitis domo commoratum esse, in instrumento illo innuitur; verum de hisce num. 571 et seq. actum jam satis, est, uti etiam num. 586 et seq. de Malgerio, qui in diplomatis et contextu et subscriptionibus « comitis Rogerii filius » vocatur, nec tamen filius ejus seu legitimus seu nothus exstitit. Quod vero pertinet ad alios, qui diplomati aut subscribuntur, aut donationi, per hoc factæ, testes interfuisse in instrumenti ejusdem contextu memorantur, Rodulphus comes de Lorotello, quem in hoc « nepotem suum » Rogerius comes vocat, patruum hunc, ut e Cangio in Annotationibus in Annam Comnenam pag. 238 et seq. facile intelliges, verosimiliter habuit; e reliquis autem, quorum aliqui aliis etiam jam datis Rogerii comitis diplomatibus subscribuntur, non pauci instrumentis nonnullis publicis, apud Rocchum Pirrum in Sicilia sacra exstantibus atque a Rogerio comite datis, subscripti etiam, uti quisque, hæc consulere voluerit, deprehendet, reperiuntur; quod hic saltem, cum distinctam singulorum notitiam dare non possim, juverit notasse. Cæterum, ne Commentarius, qui mole sua modum jam fere excedit, absque necessitate adhuc crescat, quid quæque in diplomate hic dato occurrentia vocabula barbara significent, non expono; atque ita tum ad hoc, tum ad alia Sancto nostro concessa diplomata faciendum haud gravate duxi, quod a studioso lectore vocabulorum illorum significatio, tum in Indicibus notris onomasticis, tum in Cangii mediæ et infimæ Latinitatis Glossario, facile inveniri queat.

§ XI. *Quo tempore Rogerius comes Capuam obsederit, et an eodem anno, quo id accidit, diploma, quod, civitate hac subacta, Brunoni hic princeps contulit, datum fuerit.*

648. Quo tempore a comite Rogerio Capuam obsiden contigerit, ipsemet nos hic princeps in proxime huc transcripto, quod S. Brunoni concessit, diplomate sat aperte docet. Etenim hujus initio ita loquitur: « In nomine Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, gloriosus rex David, Spiritu Sancto præventus, « Narrabo, » inpuit, » omnia mirabilia tua. » Propter quod ego Rogerius, divina misericordia comes Calabriæ et Siciliæ, nota esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia, quæ mihi peccatori concessit Deus orationibus reverendi viri F. Brunonis, pissimi patris fratrum, qui habitant in ecclesiis sanctæ Mariæ de eremo, et S. protomartyris Stephani, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum quod dicitur Stilum et Arenam, cum essem in obsidione Capuæ Kalendis Martii et præfecissem Sergium, natione Græcum, principem super ducentos armigeros nationis suæ, et exercitus excubiarum magistrum, etc. » Hisce ausem, sese anno 1098 in Capuæ obsidione fuisse, significat. Etenim verba omnia, quæ inter duas hasce voces « Indictione sexta, » et alias hasce « cum essem in obsidione Capuæ » interjiciuntur, pro præfatiuncula duntaxat, parenthesi inclusa, debent haberi, ita ut sensus sit, « Anno ab Incarnatione ejusdem (Jesu-Christi) 1098, Indictione sexta... cum essem in obsidione Capuæ Kalendis Martii. » Ita autumo, primo quidem, quod in altero diplomate, infra huc transcribendo annoque 1101 dato, ipsemet Rogerius comes, obsidionem Capuanam anno 1098 contigisse, apertissime indicet hisce verbis: « Hæc sunt nomina eorum.... qui inventi sunt in obsidione civitatis Capuæ Kalendis Martii, Incarnationis Domini anno 1098, indictione sexta, quos ego Rogerius, etc. » Deinde vero quod in dicto diplomate, in cujus epocham præsenti § inquirendum, annus, quo hoc datum sit, per annum 1098 designari non possit, cum id Sancto ex dicendis comes Rogerius ante annum, qui obsidionem Capuanam ac proin oblatam in hac principi isti Sancti apparitionem, proxime excepit, non impertierit, annoque 1098 bellicam hanc expeditionem contigisse, aliunde constet, uti jam nunc probare aggredior.

649. Lupus Protospata auctor synchronus, qui, quod bene notandum, annum more Græcorum a Septembri inchoat, apud Muratorium tom. V rerum Italicarum scriptorum pag. 47 sic scribit: « Anno 1098 mense Octobris apparuit stella cometes... et hoc anno comprehensa est Capua a Rogerio comite

www.libtool.com.cn

mense Martii. » At vero Michael monachus in Sanctuario Capuano, diploma, de quo hic disserimus, e cameræ regiæ actis integrum exscriptum, legendum sibi traditum fuisse, præfatus, ita scribit: « Lupus Protospata editus a P. D. Antonio Carraciolo scribit, annum 1098 fuisse Capuæ obsidionis annum; sed non est recedendum a computatione Baronii, qui juxta Gaufredi narrationem obsidionis annum notat 1097; cui anonymus Cassinensis, cum eodem Protospata impressus, consentit; imo et hoc privilegium astipulatur. En Rogerius ab obsidione Squillacium redit vicesima nona Julii. Idem secunda Augusti privilegium hoc sancto Brunoni concedit. At quia inter privilegii concessionem et Rogerii reditum multi intercedunt dies, præsertim illi quindecim, per quos Rogerius (adi num. 638) infirmatur, a sancto Brunone visitur, de facienda donatione tractat, idcirco Julius et Augustus, nominati menses, ad eumdem annum pertinere non possunt, sed Julius cum sua vicesima nona est anni 1097, et Augustus cum sua secunda die est anni 1098. » Hactenus ille : et recte quidem, mensem Julium, quo Squillacium ab obsidione Capuana reversus est comes Rogerius mensemque Augustum, quo diploma datum notatur, ad duos annos diversos spectare, affirmat; comes enim, uti ipsemet (adi iterum num. 638) in diplomate docet, vigesima nona Julii Squillacium rediit; diploma vero secunda Augusti die datum signatur; ut, si comitis reditus, et diplomatis concessio ad diversos annos non spectarent, hanc inter et illum tres duntaxat dies intercessissent; quod, uti ex ipsiusmet diplomatis contextu (videsis denuo eumdem num. 638) apparet, verosimile non est.

650. Verum, etsi quidem recte, ut jam dictum, mensem Julium, quo Squillacium comes Rogerius ab obsidione Capuana rediit, mensemque Augustum, quo diploma percelebre Sancto dedit, ad duos annos diversos laudatus scriptor referat, Capuanam tamen obsidionem contra apertum Lupi Protospatæ testimonium anno 1097 cum Baronio, a quo non recedendum pronuntiat, perperam innectit ob Gaufredi Malaterræ, scriptoris pariter synchroni, auctoritatem. Etenim, etsi quidem in Sicula Scriptoris hujus Historia lib. IV, cap. 26 verba, quibus obsidio illa anno 1097 non obscure consignatur, occurrant, ea tamen Malaterræ non sunt, certoque, quam eventui isti Lupus Protospata proxime huc transcriptis verbis præstituit, epocha retinenda est. Duo hæc asserta ex jam nunc dicendis patescent. A posteriori seu a veritate epochæ, quam obsidioni Capuanæ Lupus Protospata, anno 1098 eam illigans, assignat, demonstrandæ duco initium. Romualdus Salernitanus, auctor suppar, in Chronico de cruce signatis Christianis, bellum in Oriente contra infideles gerentibus, sic scribit : « Ceperunt Antiochiam, civitatem famosissimam, in anno Incarnati Verbi millesimo nonagesimo octavo, Indict. VI; » ac deinde, nonnullis, quæ huc non faciunt, interposits, subjungit : « Ipso quoque anno, eadem Indictione, Rogerius dux una cum Rogerio Siciliæ comite urbem Capuanam obsedit, et quadragesimo die ejus obsidionis acquisitam eam Riccardo principi reddidit. » Reponi quidem hic potest, in notis chronicis, quibus Romualdus rerum, quas narrat, tempus determinat, errores sæpenumero cubare; verum, etsi id ita sit, id tamen fere; ut Romualdi opus expendenti palam fiet, locum duntaxat obtinet, cum characteres chronicos compendio per numeros, litterasve, numerorum locum tenentes exprimit; expugnatæ autem a Christianis Antiochiæ annum 1098, quo etiam a duce Rogerio, ejusque patruo comite Rogerio Capuam fuisse obsessam, memoriæ prodit, non compendio per numeros, litterasve numerorum locum tenentes, sed per voces integras designat, vereque fuisse a Christianis anno, ut notat, 1098 Antiochiam expugnatam, apud omnes in confesso est; ut proinde, cum in anno 1098, quo id factum, signat, non erret, errare etiam censendus non sit, dum eodum loco obsidionem Capuanam eidem anno 1098 affligit.

651. Verum res hæc secus habeat, parvique faciendum hic sit Romualdi testimonium, Capuanam equidem obsidionem ab hoc scriptore et Lupo Protospata anno 1098 recte consignari, Eadmerus, qui non tantum obsidionis illius tempore floruit, verum etiam ei præsens adfuit, indubitatum facit. Hic S. Anselmo, Cantuariensi archiepiscopo, ut toto vitæ tempore, ita etiam anno 1099 ex Anglia Romam discedenti ac deinde ad Rogerium, Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ ducem, in castris ante Capuam obsessam existentem, properanti comes adhæsit assiduus, illiusque, uti apud nos tom. II Aprilis, pag. 865 videre licet, non tantum vitam in duos libros divisam contexuit, verum etiam a Seldeno typis vulgatos ac deinde in præfatum operis nostri tomum illatos historiæ Novorum in Anglia sex libros, quorum quatuor prioribus res quoque, ad eumdem sanctum Canthuariensem archiepiscopum spectantes, ac nominatim dictum iter ejus Romanum, atque ad ducem Rogerium ante Capuam accessum complexus est; hujus autem historiæ apud nos lib. II, cap. 2, num. 19 in fine, postquam, qui tandem post multas molestias Anselmus Romam adeundi facultatem a rege angliæ impetrarit, lectorem edocuit, subjungit : « Anno ab Incarnatione Filii Dei millesimo nonagesimo septimo acta sunt hæc, feria quinta, quæ fuit Idus Octobris; » ac deinde, nonnullis, quæ haud dudum post quintam decimam Octobris diem anno hisce verbis assignato gesta fuere, interjectis, sancti illius antistitis iter, Roman versus susceptum, enarrat; ut proinde hoc ille eodem anno 1097 indubie sit aggresus. Porro Anselmus in itinere illo, uti partim ex ejus vitæ, ab Eadmero ex dictis pariter conscriptæ atque in præfatum operis nostri tomum illatæ lib. II, cap. 4, partim e dictæ historiæ, quæ eumdem Eadmerum auctorem habet, lib. itidem II, cap. 2 et seq. intelligitur, natalitiam

www.libtool.com.cn

Christi festivitatem cum sancto Hugone abbate Cluniaci celebravit, inde Lugdunum progressus est, hincque iter prosecutus, cum Segusio ignotus transiisset, apud sanctum Michaelem de Clusa in Pedemontio passionis ac resurrectionis Dominicæ solemnia celebravit, feliciterque Guibertinorum, quæ paratæ ei erant, evitatis insidiis, Romam tandem haud dudum post pervenit.

652. Porro, diebus decem Romæ transactis, invitatus a Joanne, suo olim apud Beccum discipulo, tunc vero abbate Sancti Salvatoris prope Telesium, urbem in terra laboris, ad eum divertit; cum autem ab hoc in villam monasterii sui, nomine Sclaviam, in vicimo monte sitam, ductus fuisset, ibique aliquanto temporis spatio degisset, ad ducem Rogerium accessit, qui, in castris ante Capuam obsessam tunc versans, insignemque viri sanctitatem edoctus, cum, ut ad se veniret, invitarat. Ita fere quantum ad substantiam, ut jam monui, Eadmerus, partim in conscripta a se S. Anselmi Vita, partim in Novorum Angliæ Historia locis supra citt. Jam vero cum Anselmus, teste Eadmero, auctore ex dictis synchrono, sanctumque hunc antistitem in itinere illo comitato, anno 1097, mense Octobri ex Anglia Romam versus iter arripuerit, eoque haud dudum post resurrectionis Dominicæ festum, quod anni 1097 Octobrem proxime excepit, appulerit, nec multo post ad Rogerium ducem, qui una cum patruo suo comite Rogerio, cognatoque Richardo Capuam tunc obsidedat, accesserit, ex iis sane, quæ Anselmus, auctor omni exceptione hic major, memoriæ prodit, consectarium est, ut Capua anno 1098 omni dubio procul fuerit obsessa. Atque hoc primum, quod hic ostendendum erat, alterum est, ut verba, quibus in Sicula Gaufredi Malaterræ historia, Capuæ obsidionem, qua durante, S. Bruno comiti Rogerio apparuit, imminentique periculo eum eripuit, anno 1097 contigisse indicatur, scriptoris hujus non esse, probatum nunc dem. Verba illa ita habent: « Anno Dominicæ Incarnationis 1097 ibi (in castris nempe ante Capuam obsessam) se imprægnavit comitissa Adelasia de comite Rogerio; » hæc autem, ut ante me Peregrinus in suis ad lupi protospatæ Chronicon recte observavit, glossula dumtaxat sunt, ab otioso adnotatore ad paginæ oram adscripta, et ex hac deinde in ipsum auctoris textum ab imperito librario translata.

653. Id sic ostendo: Malaterra Historiæ Siculæ libro IV, cap. 26 sub finem sic habet: « Ipse autem comes (Rogerius scilicet) omni diliculo ante lucem surgens, utrumque exercitum, pontem transeundo « (quem nempe,» ut laudatus Peregrinus loco cit. notat, « super Vulturnum construxerat, ut suo exer- » citui, et ducis Rogerii principisque Richardi com- » munis, facil sque pateret via, qui trans flumen » ad septentrionem Capuam obsidebant) » invisens, utrum attenti essent ad excubias, visum ibat. Porro ipsi rubore perfundebantur, quod juvenes ipsi et ad quos peculiarius negotium attinebat, segniores forent comite provectioris ætatis, et corporis plagarum laborumque asperitatis viro vigilantiore existente. Nam et ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat, omnesque in ejus exemplo vigilantiores reddebantur.» Ita hactenus textus, qui Malaterræ extra omnem controversiam est; huic autem, quæ dictum libri quarti cap. 26 terminant, quæque an Malaterræ sint, hic quærimus, recitata num. præced. de imprægnata ante Capuam Adelasia verba proxime subduntur, ac deinde sequitur caput 27, quod ita inchoatur: « Cum ista aguntur, papa Urbanus colloquium ducis et comitis desiderans a Roma progrediens. Capuam, ubi obsessionem tenebant, venit. » Tale est, quod historiæ Siculæ libri quarti caput 27 apud Malaterram habet, initium; verum quis non videt, per verba de imprægnata in castris ante Capuam Adelasia, quæ hoc inter et Malaterræ genuinum, quem jam recitavi, quemque caput proxime præcedens suppeditat, textum interjiciuntur, continentem scriptoris hujus narrationem perturbatam reddi ac divisam? Quod cum ita sit, nec vitiosus adeo in narrandis rebus modus in Malaterram quadrare videatur, verba illa non ipsi, sed inepto adnotatori, ut jam dixi, attribuenda sunt. Ut res certior evadat, juverit eam alio adhuc argumento firmasse.

654. Malaterra in præfatione lib. II operis sui, seu historiæ Siculæ a se conscriptæ, temporum sese annorumque ordinem in narrando servaturum pollicitus, id ipsum sese facturum, lib. IV, cap. 18 ejusdem operis iterum profitetur; postquam autem temporum annorumque in narrando ordini ita sese bis obstrinxit, eodem libro quarto, cujus cap. 18 hanc sibi obligationem secundo imposuit, cap. 25 narrat, qui comes Rogerius filiam, Hunganorum regi in matrimonium dederit, eamque ab Henrico, Leocastrensi episcopo, anno 1097, mense Maio in Pannoniam itinere maritimo duci curarit. En ipsa ejus verba: « Anno itaque, inquit, Incarnationis millesimo nonagesimo septimo, apparatis, quæ necessaria erant, mense Maio cum trecentis militibus usque Thermas conducere facit (comes Rogerius filiam suam) Henricum Leocastrensem episcopum et quosdam de fidelibus suis, abinde maritimo cursu usque Pannoniam cum puella procedere faciens, qui, navibus apparatis puellam cum multis sponsalibus intromittentes, velis vento commissis, prospera aura flante per æquora feruntur usque dum in portum Albæ, qui juris regum Ungarorum est, impune applicant. » Hæc, quæ anno 1097 partim mense Maio, partim paulo serius gesta sunt, dicto lic. IV cap. 25 Malaterra; qui autem comes Rogerius a Richardo, principe Aversano et a Rogerio duce consanguineis suis, ut suppetias eis adversus Capuanos, Richardo rebelles, ferret, missa etiam ad eum a Rogerio duce uxore sua, rogatus fuerit, cap. proxime seq. exponit, ac deinde eodem cap. subjungit; « Comes autem pietate consanguinei principis et multis verbis ducissæ, sibi a duce delegatæ, legatione deprecatoris et humilitate exponentis il-

www.libtool.com.cn

lectus et persuasus, exercitum, qualem nunquam antea habuisse dignoscitur, ab omni Sicilia et Calabria forti imperio conflato, prima hebdomada Agrilis secunda pace Pharum transiens illorsum (versus Capuam nempe seu, quibus suppetias laturus ibat, versus Richardum, Aversanum principem, et Rogerium ducem) accelerat. »

655. Hæc loco cit. Malaterra, ibidem etiam mox tradens, qui Rogerius, cum Pharum mense Aprili trajecisset, per Calabriam et Apuliam exercitum duxerit, ducem Rogerium in via obvium habuerit, Pentecosten prope flumen, « Sabatum » seu, uti ipse scribit, « Sabbatum » vocatum, celebrarit, ac castra tandem ad Capuam posuerit, hancqua urbem una cum duce Rogerio et Richardo principe Aversano obsederit; cum autem, postquam, quod anno 1097 mense Maio gestum fuerat, narravit, scriptor ille, qui sese temporum annorumque ordinem in narrando servare profitetur, ea omnia, uti ex jam dictis liquet, in litteras mittat, oportet, ut secundum ipsammet narrationem ejus et Aprilis, quo Pharum comes Rogerius trajecit et Pentecoste, quam prope flumen Sabatum celebravit, ipsumque adeo etiam tempus, quo brevi post castra ad Capuam posuit, urbemque hanc obsedit, non ad annum 1097, sed ad proxime subsequentem spectent. Et vero, nisi ita res habeat, Malaterra secum ipsemet pugnare erit dicendus; cum enim, uti ex dictis narrat, comes Rogerius, postquam Pharum mense Aprili trajecisset, Pentecostenque prope flumen Sabatum celebrasset, Capuam obsederit, si Aprilis ille cum anno 1097, quo Pascha quinta Aprilis ac proinde Pentecosten vigesima quarta Maii celebrari contigit fuerit conjunctus, consequens erit, ut dicti, anni 1097 mense Maio comes Rogerius partim in Calabria aut certe Apulia, partim in castris ante Capuam exstiterit. Atqui Malaterra hunc principem eo ipso anno et mense neque in Calabria Apuliave, neque in castris ante Capuam, sed in Sicilia præsentem facit, libro IV, scilicet, cap. 25, ut jam docui, memoriæ prodens, abs illo, in Sicilia, uti ex eorum, quæ ibidem scribit, contextu liquet, tunc existente, e regione hac filiam suam in Pannoniam matrimonio regni hujus regi conjungendam, eodem anno ac mense sub Henrici Leocastrensis episcopi ductu maritimo itinere missam fuisse.

656. Jam vero, cum hæc ita habeant, ne Malaterra, quem, quæ sese inter pugnent, scripsisse, nemo dixerit, Rogerium comitem, quem toto mense Maio anni 1097 præsentem in Sicilia facit, eo ipso mense in Apulia et in castris ante Capuam, a Sicilia procul dissitis, præsentem sistere sit dicendus, necesse omnino est, ut mensis Aprilis, quo Rogerius comes, ut scriptor ille narrat, Pharum trajecit, Pentecoste, quam prope flumen Sabatum celebravit, tempusque, quo brevi post Capuam obsedit, non ad annum 1097 sed ad proxime sequentem etiam secundum ipsum Malaterram spectarint. Hinc porro jum consequitur, ut hic scriptor obsidionem Capuanam non alio, quam Lupus Protospata, anno consignet, ac proin, ut vel verba de imprægnata anno 1097 in castris ante Capuam Adelasia supra huc transcripta Malaterræ non sint, vel ut, si ipsi, non autem inepto adnotatori, debeant attribui, error in annum 1097, quo illa afficiuntur, librariorum vitio oscitantiave irrepserit, proque anno illo annus 1098 debeat substitui. Porro Pagius in criticis, Malaterram, a quo obsidionem Capuanam anno 1097 consignari, ob memorata verba de imprægnata ante Capuam Adalasia arbitrabatur, cum Lupo Protospata, qui eamdem obsidionem anno 1098 innectit, in concordiam adducere volens, fuisse anno 1097 Capuam obsideri cœptam, annoque demum 1098, ad mensem Maium provecto, expugnatam astruxit. Verum, cum ex jam dictis non anno 1097, ut nonnuli ob verba de imprægnata anno illo ante Capuam Adalasia persuasum sibi habuere, sed anno 1098 Capuanam obsidionem accidisse, ipsemet Malaterra tradat scriptor ille corrigendus est.

657. Quod si enim ipso standum foret, consectarium esset, ut pluribus mensibus Capuana obsidio tenuerit; hoc autem a vero alienum esse constat, tum ex Malaterra, qui Rogerium comitem anno 1098 prope flumen Sabatum Pentecosten, quæ anno isto in sextam decimam Maii incidit, celebrasse, tunc demum exercitum Capuæ obsidendæ admovisse, nec diu admodum post urbem illam deditione accepisse, partim lib. IV, cap. cit., partim, quæ hoc proxime excipiunt, cap. 27, et duobus seqq. docet, tum etiam ex Romualdo Salernitano et monacho Cassinensi anonymo, ab Antonio Caracciolo primum ac deinde a Camillo-Peregrinio luce publica donato tandemque a Muratorio, additis etiam posterioris hujus editoris Annotationibus, una cum Lupo Protospata in tomum V rerum Italicarum scriptorum illato; qui ambo Capuam quadragesimo obsidionis die deditionem fecisse, seu a duce Rogerio patruoque ejus comite Rogerio subactam fuisse, in chronicis suis diserte tradunt, prior quidem verbis num. 650 huc transriptis, posterior vero hisce sequentibus: « Dux Rogerius cum comite Rogerio Capuam per quadraginta dies obsidentes receperunt, et Richardo Jordani filio restituerunt, » Isthæc quidem ad annum 1097, unde pro obsidione Capuana anno huic affigenda non nemo forte arguat, in codice Cassinensi 47, e quo monachi illius anonymi Chronicon a Caracciolo primum fuit editum, apud hunc et Muratorium referuntur; verum Peregrinius in hunc codicis illius locum ita observat: « De more annum anticipa Codex XLVII, et ex eo editus. Non sic codex CXCIX, in quo ista sub anno sunt 1098. » Ita ille: Capuæ autem, uti ex iis, quæ in suo ad Chronicon illud monito prævio observat, facile perspicies, obsidionem deditionemque in codice Cassinensi 47 ad annum 1097 referri, non laudato monacho anonymo, qui eodem circiter tempore, quo Capua fuit obsessa, floruit, sed librario recentiori, qui, quæ hic in litteras miserat, pro suo

www.libtool.com.cn

arbitrio digesserit, annisque distinxerit, est adscribendum. Quod cum ita sit, nihil etiam contra opinionem, qua obsidionem Capuanam anno 1098 affigimus, e monacho illo anonymo habetur, manetque adeo a Lupo Protospata, qui hoc ipro anno bellicam illam Rogeriorum ducis et comitis expeditionem consignat, non esse recedendum.

658. Verum, etsi quidem ita quantum ad annum, quo hic scriptor Capuæ deditionem consignat, res habeat, aliter tamen de mense, cui eam affigit, censendum est. Etenim civitatem illam « mense Martio a comite Rogerio comprehensam » notat; id autem serius, quam anno 1098 ad mensem Martium provecto, evenisse, liquet tum ex S. Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi Vita, per Eadmerum conscripta, tum etiam ex Gaufredo Malaterra. Ut id ex dicta Anselmi vita constare, primo probem, Eadmerus in hac apud nos tom. II Aprilis pag. 886 et seq., Resurrectionis Dominicæ festum, quod anno 1098 in vigesimam octavam Martii incidit, se simul ac S. Anselmum in S. Michaelis cœnobio, in ditione Pedemontana sito, celebrasse, Romam deinde advenisse, decem diebus ibidem transactis, in terram Laboris ad S. Salvatoris monasterium, a cujus abbate, suo olim discipulo, amicissime invitatus fuerat, divertisse, ac tandem ad Rogerium ducem, qui Capuam obsidebat, quique eum, ut ad se veniret, rogari jusserat, accessisse aliquantoque temporis spatio apud eum mansisse, memoriæ prodit. Jam vero, cum id ita sit, nec, si anno 1098 jam inde a Martio deditionem Capua fecisset, S. Anselmus, Canthuariensis archiepiscopus, qui ex jam dictis obsidioni Capuanæ aliquandiu interfuit, nullo modo ei, uti ex omnibus, e Sancti hujus antistitis vita modo adductis, quisque facile intelliget, interesse potuisset, fit sane ex hac, comiti Rogerio anno 1098 mense Martio Capuam sese non dedidisse, omnino perspicuum. Nec minus id ex Malaterra manifestum efficitur. Cum enim, uti ex jam dictis scriptor hic memoriæ prodit Rogerius comes non prius, quam cum Pentecosten, quæ anno 1098 in sextam decimam Maii diem incidit, prope flumen Sabatum celebrasset, Capuæ obsidendæ copias admoverit, ei enimvero civitatem hanc jam inde ab anni illius mense Martio deditam non fuisse, e Malaterra indubitatum est.

659. Ast, inquies, quis ergo pro Martio, quem urbis Capuanæ deditioni Lupus Protospata assignat, mensis substituendus? Pagius in Criticis ad annum 1098, Henschenius in suis in Eadmeri Novorum Angliæ librum II, cap. 2 annotationibus, aliique eruditi pro Maio pronuntiant; Pereginus vero in suis in Lupum Protospatam annotationibus, an Junius etiam Martio in Protospatæ de Capuæ deditione textu, supra huc transcripto, non possit substitui, subdubitat. Ita enim ibidem scribit : « Capua itaque recuperata est, ut citius, extremo mense Maio, atque ingruente æstate, numerandi cum videantur quadraginta dies obsidionis (a Romualdo scilicet ut supra docui, et anonymo Cassinensi assignati) non ab accessu comitis, sed ab die, qua principes Richardus II, qui Aversam proximam urbem retinuerat, Capuam solus circumvallaverat; nam alioquin receptam eam fuisse, dicendum est, mense Junii; quod equidem non recusaverim, si in Lupo mensis Martii restitui debeat Junii, non Maii. Verum enimvero mensem Martium pro Maio sæpe alias suppositum, manifestum est, idque ex ea forte occasione natum, quod nomina propria, cum sub Nortmannorum ætate capitalibus tantummodo litteris depictis compendiarentur, Martius mensis, sic descriptus, pro Maio a recentioribus librariis sæpenumero est acceptus. Sicut in Kalendario antiqui etiam Breviarii Campani, in quo festum S. Potentianæ virginis perperam notatur ad diem 19 Martii, quod colitur 19 Maii. »

660. Ita ille, nonnihil quidem, ut jam monui, an pro mense Martio, quo in Lupi Protospatæ Chronico Capua capta narratur, reponendus sit Maius, subdubitans, simulque tamen in opinionem, quæ Martio Maium substitui omnino vult, magis propendens, hincque, ut eam tueatur, urbem Capuanam, cui obsidendæ exercitum suum certe ante decimam sextam Maii diem, uti ex supra dictis facile est colligere, Rogerius comes non admovit, a Richardo principe Aversano circumvallatam fuisse, et a tempore, quo hoc factum est, non autem ab eo, quo ad castra cum exercitu suo Rogerius comes primum accessit, quadraginta dies, quibus ex Romualdi Salernitani et anonymi Cassinensis, scriptorum supra laudatorum, testimonio, obsidio Capuana tenuit, numerandos esse, pronuntians. Verum Capuam nec ante comitis Rogerii adventum circumvallatam, nec, currente adhuc mense Maio, quo ad eam princeps is castra posuit, subactam fuisse, ex iis, quæ Malaterra Historiæ Siculæ lib. IV, cap. 26 et binis seqq. memoriæ prodit, concludendum apparet. Etenim Rogerius comes, uti ibidem is scriptor narrat, cum versus Apuliam e Calabria exercitum duceret, obvium sibi apud Liscum habuit ducem Rogerium, tractatuque sese inter habito, hic quidem Melfam, ille vero Beneventum versus movit exercitum; ut proinde, properante jam ad Capuam obsidendam comite Rogerio, ad civitatem hanc nondum castrametaretur ducis Rogerii exercitus, quo eam princeps Richardus, proprias ex dicendis, quibus id fecisset, copias sufficientes haud habens, circumvallatam jam tum tenere potuerit. Porro comes Rogerius, Benevento, cum aliquanto temporis spatio prope hanc urbem refecisset exercitum, movens, ad Sabatum fluvium castrametatus est, cumque ibi Pentecostes festum, anno illo, qui fuit ex supra dictis a Christi Nativitate 1098, in sextam decimam Maii diem incidens celebrasset, nec diu pos, ut apparet, e legatis quos ad Capuanos miserat, nullo modo hosce vel pacis consilia admittere, vel cum principe Richardo

www.Abbrodi.comnet

in gratiam velle redire, intellexisset, cum exercitu tandem Capuam obsessurus Capuanos fines est ingressus.

661. Audi modo, quæ præterea huc spectantia cap. 26 Malaterra suppeditet.« At, inquit de comite Rogerio, ubi legatis regredientibus, eos (Capuanos) nil moliri, sed prorsus in malitia sua superbe persistere audit, inde (a fluvio Sabato) commovens Capuanos fines pervadit, quo diliculo cum mille armatis exercitum præcedens ad urbem (Capuanam nempe) accedit, extractos plurimos militariter dejectos domnose indificavit, multosque amplius læsisset, ni pulvis, equorum pedibus excitatus, et a vento condensissime agitatus, intercessisset. Sic ad castra sua reversus in crastinum cum toto exercitu urbi se viciniorem conferens a Meridiana plaga obsidione vallando a ripa Orientali usque ad Occidentalem cingit. »Cum ergo Capuani, uti ex his Malaterræ verbis intelligitur, in comitem Rogerium, qui ad eorum urbem, antequam exercitum suum ei admovisset, mille duntaxat militibus stipatus accesserat, armatam militum manum emiserint, circumvallatam Capuam tum nondum fuisse, apparet. Ad hæc cum Malaterra comitem Rogerium, exercitu suo capuæ jam admoto, ab orientali hanc occidentalique plaga cinxisse, verbis proxime recitatis tradat, hisque sequentia, « Dux autem et princeps cum suo exercitu ab aquilonari parte obsidentes urbem tendunt prægravari, »mox subjungat, innuere videtur, Capuam eo ipso tempore, quo eam a meridionali et occidentali plaga comes Rogerius cinxit, a septentrionali plaga per ducem Rogerium et principem Richardum circumdatam primum fuisse; ut proinde illam hic ante comitis Rogerii accessum circumvalasse putandus non sit.

662. Et vero principi Richardo, ut id tum faceret, copiæ sufficientes fuisse non videntur. Præterquam enim, quod solam Aversam, parvumque civitati huic adjacentem terrarum tractum sub ditione sua teneret, Malaterra verbis jam nunc recitatis etiam hæc proxime adjungit:« Porro comes, cujus consilio omnes incedebant, quia sollicitior, quia prudentior in omnibus agendis vigilandi cura erat, pontem ex lignis erigens ita trans flumen (Vulturnum nempe) ordinavit, ut suo exercitui et ducis, libero aditu patente, fieret transitus, sicque urbs ab utroque exercitu in tantum oppressa est, ut nulla ex parte arida vel liquida egrediendi tuto vel ingrediendi aditus pateret. » Hisce autem e verbis, utpote quibus Malaterra duos duntaxat exercitus, alterum Rogerio comiti, alterum Rogerio duci parentem, commemoret, colligendum apparet, paucas duntaxat copias principi Richardo, qui tamen, quas habebat, haud dubie omnes fere ad expeditionem illam, quod felix hujus successus maxime illius interesset, adduxerit, in ducis Rogerii exercitu fuisse, licet interim hic tam Richardi, quod nimirum aliquas sallem hic princeps copias in illo haberet, quam Rogerii ducis exercitus a Malaterra verbis aliis supra huc transcriptis etiam vocetur. Jam vero, cum principi Richardo parum admodum, uti ex jam dictis videtur, a copiis fuerit prospectum, Capuam ante comitis Rogerii ad eam adventum abs illo, cui neque tum ex dictis ducis Rogerii exercitus aderat, circumvallatam, fuisse, parum verosimile apparet.

663. Hinc porro jam consequitur, ut verosimiliter Capuana obsidio tunc primum, cum urbi huic exercitum comes Rogerius admovisset, initium acceperit, ac proin ut mense Maio, cum sic ex dictis ante sextam decimam mensis hujus diem inchoata non fuerit, diesque quadraginta tenuerit, ad exitum adducta non fuerit. Verum, demus etiam tantisper, a principe Richardo Capuam ante comitis Rogerii ad eum cum exercitu suo accessum circumvallatam fuisse, nec sic civitatem illam mense Maio deditionem fecisse, verosimile evadet. Cum enim, uti ex supra dictis liquet, comes Rogerius ad Sabatum fluxium a Benevento haud procul, sexta decima Maii die, in quam anno 1098 Pentecoste incidebat, cum exercitu suo substiteri, hocque festum ibidem celebrarit, nec statim post cum eodem inde movisse videatur, ad Capuam eum ante vigesimam Maii diem castra non posuisse, verosimillimum apparet; ut proinde, si urbs hæc, currente adhuc Maio, deditionem fecerit, consectarium futurum sit, ut diebus duntaxat decem circiter obsidioni ejus interesse comes Rogerius potuerit. Verum diebus amplius decem bellicæ isti expeditioni principem illum adfuisse, ex iis, quæ tum Malaterra Historiæ Siculæ lib. IV, cap. 26 et binis seqq., tum Eadmerus in S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi Vita, apud nos tom. II Aprils pag. 887, num, 45 et seq., memoriæ produnt, munifestum apparet. Ut quæ huc spectantia Malaterra loco cit. suppeditat, remque minus, quam quæ Eadmerus suggerit, dilucide evincunt, brevitatis ergo omittam, posterioris duntaxat scriptoris hujus verba, nec nisi quæ huc potissimum faciunt, lubet transcribere.

664. Postquam itaque, S. Anselmum, ut ad ducem Apuliæ Rogerium, Capuana obsidione occupatum, ad quam expeditionem bellicam, ut ait, Rogerius Siciliæ comes multa Saracenorum millia adduxerat, eique proinde tum intererat, sese conferre dignaretur, invitatum fuisse, paucis narravit, mox subdit :« Ascendimus, ivimus et plures in obsidione dies exegimus, remoti in tentoriis a frequentia et tumultu perstrepentis exercitus. Erat autem, ubi eramus, quædam ecclesiola penitus deserta et juxta ostium cisterna desuper dirupta, magnæ profunditatis hiatum sua diruptione prætendens. In qua ecclesia velut in camera, pro velle conversabamur, tam quieti, quam operi in ea indulgentes, et ducem ipsum cum suis nobiscum singulis diebus, ut volebamus, in promptu habentes. Quadam vero nocte, cum in ea dormiremus, contigit Anselmum sui corporis necessitate silentio surgere, et, ne inquietaremur, suo more lento pede ad ostium tendere. Quod

www.libtool.com.cn

cum exisset, et immemor foveæ per tenebras in partem divertisset, in profundum cecidit clamosa voce cadendo dicens : Sancta Maria ! Ad quem sonitum nos ac socii nostri, qui in tentoriis quiescebant, expergefacti lectis posilivimus, accurrentes hominem in profundo vidimus, et præ timore simul et angustia cordis exanimati fere sumus. Quod ipse percipiens, mox levato capite, vultu jucundo, intuitu nobis innuit, nil læsionis sese perpessum. Descendentes igitur quidam ex nostris ex altera parte ipsius præcipitii, qua via erat descendendi, eduxerunt cum a loco sanum omnino atque incolumem.

665. « Cum post hæc sedis apostolicæ pontifex Urbanus illo adventaret, ei ab Anselmo et principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti mundialis gloriæ pompa prosecutus ductus est in tentorium, quod juxta nos sibi cæteris excellentius constitutum erat. Sicque, donec civitas in deditionem transiit, obsidio illius dominum papam et Anselmum vicinos habuit, ita ut familia utrorumque magis videretur una, quam duæ, nec facile quivis declinaret et papam, qui non diverteret ad Anselmum. Papa namque colebatur a cunctis, quemadmodum pater et pastor communis; Anselmus vero diligebatur ab omnibus, sicut homo mansuetus et mitis, et cui suo judicio nihil debebatur a quovis. » Cum ergo, uti verbis hic jam recitatis Eadmerus docet, S. Anselmus, qui tunc, uti idem Eadmerus paulo ante tradidit, in S. Salvatoris prope Telesam monasterii villa Sclavia versabatur, a Rogerio duce, ut ad se ad castra ante Capuam veniret, invitatus fuerit in hisce, quibus tum, teste iterum paulo post verba jam recitata Eadmero, comes Rogerius intererat, per plures dies fuerit moratus, post hosce ad eadem castra Urbanus II papa accesserit, et cum Anselmo, donec obsidio deditione urbis terminaretur, ibidem manserit, Eadmerus sane, dum hæc omnia, durante obsidione Capuana, præsenteque comite Rogerio, accidisse tradit, diebus amplius decem obsidionem illam, cum ei jam præfatus comes interesset, tenuisse, omnino indicare videtur, maxime cum verbis proxime recitatis nonnulla etiam adjungat, quibus Anselmum, durante obsidione, in ducis comitisque castris frequenter fuisse, non obscure indicat. Jam vero, cum hæc ita habeant, diebus amplius decem Capuanæ obsidioni Rogerius comes verosimillime interfuerit, ac proin, dato etiam, illam ante hujus accessum inceptam jam fuisse, non fecisse tamen, mense Maio adhuc currente, Capuanos deditionem ex iis, quæ Eadmerus narrat, verosimillimum adhuc, ne dicam, indubitatum erit. Ad hæc, non verno, sed æstivo tempore Capuam fuisse subactam, Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi lib. IV, cap. 10 docet, eique etiam Eadmerus, utpote S. Anselsum in villa Sclavia, et qua ad castra ante Capuam a duce Rogerio invitatus fuit, ætatis tempore esse versatum in sancti hujus antistitis apud nos Vita num. 43 tradens, suffragatur. Quare, cum Maium stricte loquendo æstivum tempus non complectatur, Capua hoc mense, stantibus iis, quæ Petrus Diaconus et Eadmerus scribunt, subacta haud fuerit.

666. Et hanc quidem civitatem, mense Maio adhuc currente, deditionem non fecisse, fusius hic operioiusque probare volui, tum ut quam proxime fieri potest, apparitionis; qua comitem Rogerium præsentissimo periculo Sanctus, seu potius, ut supra dictum, sub hujus specie angelus exemit, tempus noscatur, tum ut pro Martio, cui Capuæ deditionem Lupus Protospata affigit, non Maium, sed Junium, aut etiam, quod tamen minus placet, Julium reponendum esse, pateat, sicque ob mensem, quo civitatis illius deditionem accidisse, Rogerii comitis diploma, ultimo huc transcriptum, exigit, suspectum id non habeatur. Cum enim, sese (adi num. 648) in Capuana obsidione « Kalendis Martii » exstitisse, Rogerius comes in illo affirmet, hicque certe, uti ex jam supra dictis liquet, ante sextam decimam Maii Capuæ obsidendæ exercitum non admoverit seu, quod eodem recidit, in civitatis hujus obsidione non fuerit, sane pro Martio, cujus Kalendis seu prima die in obsidione Capuana sese exstitisse ait, non Maius, sed Junius aut forte etiam Julius debet substitui. Ne vero ob chronicum illum errorem instrumentum illud, velut spurium suppositiumque quis rejiciat, unde ortus is esse queat, reque etiam verosimiliter ortus sit, expono. Cum sus Nortmamorum ætate, ut Peregrinius in suis in Lupi Protospatæ Chronicon annotationibus supra docet, nomina propria capitalibus tantummodo litteris depictis compendiarentus fieri potest, ut hoc modo mensis, quo, sese in Capuana obsidione exstitisse, Rogerius comes in dicto diplomate affirmat, tantummodo fuerit expressus, utque deinde, capitali illa littera, qua mensis iste erat expressus, vel vetustate in autographo exesa, vel casu quopiam detrita, librarius minus peritus, qui id describebat, eo loco, quo litteram, quam aut quod fere detrita esset, aut etiam præ formæ singularitate legere non poterat, exstitisse aut adhuc existere animadvertebat, ad vocem « Kalendis, » ut sensum compleret, « Martii » adjecerit, ratus scilicet Lupi Protospatæ, cujus Chronicon forsan legerat, auctoritate ac fide civitatem Capuanam, cujus obsidioni sese interfuisse, loco illo comitem Rogerium asseverare observabat, deditionem mense Martio fecisse.

667. At vero, inquies, etsi quidem modo jam exposito factum esse queat, ut error chronicus, supra notatus, in proxime recitatum Rogerii comitis diploma seu potius hujus sive apographum sive ecgraphum irrepserit, id tamen vere ita factum esse, nullo argumento indiciove sat certo potest probari. Fateor, sic habet; verum si non illo, alio certe modo, quo in documenta etiam sincera seu potius horum ecgrapha errores illabsi noscuntur, memoratum errorem in instrumentum illud irrepsisse necesse est, cum equidem et nullo prorsus alio, quo pro suspecto, nedum pro certe spurio, haberi debeat,

www.liceoclassico.it

vitio laboret, et a scriptoribus quam plurimis, tanquam genuinum ac sincerum, laudetur, nec ab ullo prorsus, quod sciam, rejiciatur. Restat modo, ut id non anno 1098, quo Capuam obsideri contigit; sed anno 1099, datum ostendam. Monumentum illud antiquum, seu potius, e quo id transcripsi, exstans in Chronologico diplomatica de S. Brunone Morkinsii Diatribams, illius apographum ita sub finem habet : « Hoc privilegium scriptum est secundo mensis Augusti anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo nono, indictione septima ; » fuit itaque, in cujus epocham hic inquirendum, diploma, non anno 1098, seu eodem anno, quo Capua fuit obsessa, sed anno, qui obsidionem hanc proxime excepit, 1099 a comite Rogerio S. Brunoni concessum. Verum duos, qui nobis hic adversantur, scriptores probe eruditos invenio, Michaelem monachum supra adhuc laudatum et Camillum Peregrinium in suis ad Lupum Protospatam annotationibus. Ac prior quidem, etsi alio anno, quam quo Capua fuit obsessa, diplomata datum velit, id tamen, cum simul urbis hujus obsidinem anno 1097 accidisse contendat, anno 1098 datum putat; hæc autem ei sedet sententia, quod, ut ait, in diplomatis exemplari, quod in actis cameræ regiæ asservatur, anno 1098 datum id fuisse, legerit. Verum sit ita : cum equidem idem instrumentum et secunda Augusti die et indictione septima etiam notari fateatur, errorem in laudato a se cameræ regiæ exemplari vel quantum ad annum, vel quantum ad indictionem cubare fateatur, necesse est.

668. Etenim ab anni 1097 prima Septembris die usque ad anni 1098 primam itidem Septembris diem indictio sexta, et a prima iterum hujus posterioris anni Septembris die usque ad primam itidem anni 1099 Septembris diem indictio septima cucurrit; ut proinde diplomatis cameræ regiæ exemplar, quod Michaeli monacho legere datum fuit, quodque, ut ait, secunda Augusti anno 1098, indictione septima signatur, annum cum indictione non convenientem præferat, utque adeo, cum in notis chronicis esse corruptum, hinc constet, per sese annum nobis, quo vere datum fuerit, certum atque indubitatum reddere non possit. Quod cum ita sit, Rogeriumque diploma secunda Augusti die ipsiusmet anni, cujus (adi num. 638) vigesima nona Julii die, ac proin tribus tantum diebus ante, Squillacium ex obsidione Capuana, anno ex dictis 1098 facta, advenerat, Brunoni impertiisse, parum verosimile appareat, notis chronicis, quæ, quo tempore instrumentum illud datum seu scriptum fuerit, in hujus huc transcripto e Morkensii Chronologico-diplomatica de S. Brunone Diatriba exemplari signant, standum puto, idque proinde anno, uti in hoc notatur 1099 datum fuisse. Verum, ut ad Camillum Peregrinium, qui Capuam anno 1098 a comite Rogerio, fuisse obsessam, eodemque anno diploma, de quo hic, Sancto nostro a principe illo concessum vult, jam veniam, hic in annotationibus, quas Lupi Protospatæ Chronico ad annum 1098 subnexuit, de diplomate, in cujus epocham hic inquirimus, sequentem scribit in modum : « At hoc ipso in diplomate aliud insidere mendum, legendumque in eo opinor, Rogerium reversum « Vigesima nona Junii mensis « Squillacium, » non Julii, « nisi mavis » nona « Julii, perhabita Capuæ civitate, et per quindenam « continuam fuisse ibidem infirmatum ; » privilegiumque fecisse « die 2 Augusti anno ab Incarna- « tione Domini 1098 indictione VI » (male nonnulli edunt indictione VII) « confirmante Joanne Squilla- « censis sedis episcopo, residente juxta fores eccle- « siæ. »

669. « Nec cum viro docto sentiendum est, privilegium datum quidem in anno 1098, minime tamen Capuam obsessam, receptamque, ut Lupus perhibet, eodem anno, sed anno antecedenti, sicut habet Gaufredus Malaterra, qui ejusce obsidionis tempore « affirmat, ibi imprægnatam in anno 1097 comitis- « sam Adelesiam de comite Rogerio ; » haud, inquam, annus dati diplomatis ab anno Capuanæ obsidionis ægrotantisque comitis Rogerii distinguendus videtur ; nec comes ultroneam suam donationem post susceptum beneficium in annum sequentem distulisse, nulla interim exposita ejusmodi dilationis occasione, que sane nulla : quin imo convenientissime dixerimus, non revoluto nec universario anno Rogerium rediisse Squillacium ; sed cum primum e Capua illuc appulit ac per valetudinem valuit, præfatum privilegium indulsisse. » Ita hactenus Peregrinius diploma seu privilegium eo ipso anno, quo Capua a comite Rogerio fuit obsessa, eique reddita, S. Brunoni datum fuisse, idcirco, ut apparet, potissimum, ne dicam unice, contendens, quod, privilegium illud, Sancto nostro a comite Rogerio grati animi ergo, quod, eo apparente monenteque, gravissimum periculum ante Capuam evasisset, liberalissime concessum, anno amplius post beneficium acceptum integro a principe illo, in Brunonem optime affecto ac maxime benevolo, dilatum fuisse, verosimile haud putarit, ita scilicet an imo comparatus, quod nullam comiti, ob quam in annum id differret, esse potuisse causam, crediderit, aut certe, quænam illi esse potuerit, haud compererit. Verum, etsi quidem comes eo ipso anno, quo ab obsidione Capuana rediit, privilegium illud amplissimum S. Brunoni impertiri paratissimus fuerit, reque etiam ipsa, si liberum id ei omnino fuisset, haud dubie impertiisset, rationem tamen, ob quam id tunc non fecerit, ipsummet diploma seu privilegium suggerit.

670. Etenim in hoc Rogerius comes (adi num. 638) de se, cum primum ab obsidione Capuana Squillacium esset reversus, ita loquitur : « Rogavi quoque (S. Brunonem videlicet) humiliter, ut pro Dei amore in terra Squillacii sumere dignaretur largos redditus, quos donabam : renuens ille recipere dicebat, quod ad hoc domum sui Patris meamque dimiserat, ut a mundi rebus extraneus deser-

www.libtool.com.cn

viret libere Deo suo. Hic fuerat in tota mea domo quasi primus et magnus. Tandem vix cum eo impetrare potui, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum. » Quod itaque ipso anno 1098, quo Capua obsessa subactaque a comite Rogerio fuit, amplissimum, de quo hic nobis sermo, privilegium S. Brunoni concessum a comite Rogerio non fuerit, in causa fuit, non hic, sed ipsemet S. Bruno, qui nimirum donationes largissimas liberalissimasque, sibi, tunc ab hoc principe oblatas, noluerit accipere, quique tandem, cum scilicet annus amplius integer a tempore, quo sibi a comite Rogerio donationes illæ Squillacii oblatæ fuerant, esset elapsus, quampiam harum partem in se publico instrumento transcribi ægre consenserit Quod si pro vigesima nona Julii die, qua post captam Capuam Rogerius Squillacium in diplomate dicitur reversus, poni posset, ut Peregrinio placet, vigesima nona Junii, aut etiam nona Julii dies, neutiquam sane ipsum hoc instrumentum, quo minus anno 1098 datum crederetur, characteribus chronicis sibi inclusis obstaret; verum cum cubare in instrumentis antiquis errores, de quibus non omnino constat admittendum non sit, nec in instrumento, de quo hic, vigesimam nonam Julii perperam notari alicunde constet, Peregrinio hac in re assentiri non possum, idque non ante annum 1099 datum ob rationes jam adductas existimo, maxime cum anno illo apud Surianum etiam signetur, ipsumque etiam autographum eodem anno notatum, quemadmodum, quæ mecum Carthusianus Parisiensis sæpissime laudatus e quarti annalium Carthusiensium libri hactenus non vulgati, quod ad Vallis Dei Carthusiam spectat, exemplari communicavit, excerpta me docent, Serverus à Neapoli invenerit. Nec est, quod adhuc opponas Rogerium comitem anno 1098 Squillacii exstitisse, diplomaque, de quo jam disputatum, Squillacii etiam datum notari; quid ni enim Rogerius anno 1098, iterumque anno 1099 Squillacii esse potuerit?

§ XLI. *Ducem etiam Rogerium benevolum in se iterum Sanctus experitur, visitur a Landuino Carthusiæ Majoris priore, perque hunc, quem ægre a se dimittit, ad Carthusiæ fratres litteras scribit. Hæ una cum litteris, ad Radulphum Viridem scriptis, hic producuntur.*

672. Non tantum post obsidionem Capuanam, in qua ex dictis præsentissimo periculo, facientibus id Sancti meritis, comes Rogerius fuerat liberatus, principem hunc de novo beneficum erga se sensit Sanctus noster; verum etiam, cujus ille patruus erat, Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ ducem Rogerium. «Anno 1099, » inquit Surianus in suis ad conscriptam a Surio Sancti Vitam Annotationibus pag. 400, « Rogerius dux Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ, anno ducatus sui XIV dedit ecclesiæ S. Mariæ, quæ in eremo sita est, loco, qui ab incolis Turris dicitur, villanos, quos apud Squillacium habebat, pro Dei amore et M. Brunonis, qui monasterio præerat, reverentia. Diplomati subscripserunt Rogerius, archiepiscopus Regitanus; post quem Rogerius dux, Fallo Castanensis episcopus et papæ vicarius; Arnulphus Cusentinus archiepiscopus, Tustenus episc., Guido Roberti ducis filius. » Donationem hanc memorat quoque in Historiæ Carthusiensis Prospectu pag. 14 Camillus Tutinus ; verum, cum diplomata, quo facta a Suriano traditur, ad manum non sit, plura de hac addere consultum non duco, ac proin ad alia progredior.

672. Surianus in suis in contextam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus pas. 172 hæc Surii de Sancto verba «Crebro ad eos» (religiosas Carthusiæ Majoris incolas) scripsit, ita commentatur: « Cum... de die in diem differretur ejus (S. Brunonis nempe) reditus, mittitur ad eum Landuinus prior ex Carthusia, qui cum eo comitia quodammodo auspicaretur, et conferret de universali Ordinis instituto. Et ille quidem magnis itineribus ad eum profectus cum eo contulit, quantum res et tempus patiebantur, cumque regredi cœpisset itinere, quo venerat, incidit in manus antipapæ, a quo cum nullis precibus aut minis adduci posset, ut legitimum pontificem negaret, in teterrimum carcerum conjectus est, ubi et exstinctus est, veram in Christi vicarium testatus fidelitatem ad ultimum usque spiritum.» Ita ille; ac primo quidem Lauduinum ad S. Brunonen in Calabriam venisse, litteræ, præsenti § ricitandæ, quas per hunc, cum ad majorem Carthusiam reverteretur, ad suos in hac commorantes discipulos Sanctus misit, indubitatum ipso statim sui initio faciunt. Quare elogii, quo a primorum quatuor Carthusiæ priorum Chronologo, fide ex dictis § longe dignissimo, apud Labbeum tom. 1 Bibliotheca novæ librorum mss. pag. 639 Landuinus ornatur, sequentia de secundo hoc Carthusiæ Majoris priore verba: «Qui cum ad magistrum Brunonem pergeret, incidit in manus Guiberti schismatici, » ita debent intelligi, ut simul Landuini ad S. Brunonem accessum, ejusdemque ab hoc reditum seu totum, quod sancti Patris sui visendi causa Landuinus confecit, iter complectantur. Cum enim, uti idem Chronologus docet, Landuinus, in Guiberti antipapæ manus illapsus, in carcerem, in quo abiit, fuerit conjectus, consectarium foret, ut ad Brunonem in Turritanam Calabriæ eremum non pervenerit, si cum in itinere, ut sanctum Patrem suum inviseret, versus hanc esset, in manus Guiberti inciderit, ut recitata laudati chronologi verba prima fronte significare videntur.

675. Quod autem ad causam, ob quam Landuinus longissimo periculosissimoque intinere ad Sanctum in Calabriam venerit, nunc spectat, id ille non tantum, ut cum sancto Patriarcha de communi vitæ, quod sequebantur, instituto conferret, verum etiam ut, si fieri quoquo modo posset, e Calabria ad Carthusiam sanctum Virum reduceret, verosimillime fecerit. Ita mihi persuasum habeo, tum quod Landuinus, aliique, qui sub eo in majori Carthusia vivebant, religiosi viri summo sancti Patris sui desiderio, uti

www.libtool.com.cn

ex dictis de illorum, ob hujus absentiam e Carthusia recessu manifestum est, tenerentur, tum quod Sanctus scriptas ad hosce, quas, ut jam dixi, per Landuinum misit, infraque integras huc transcribam, litteras ita concludat : « De me, fratres, scitote, quoniam mihi unicum post Deum est desiderium veniendi ad vos et videndi vos. Et, quando potero, opere adimplebo, Deo adjuvante ; » quibus e verbis apparet, Sanctum a suis Carthusiæ discipulis, aut si mavis, horum nomine a Lauduino, ut ad hanc reverteretur, rogatum fuisse. Landuinum, ut reditum ad Carthusiam S. Brunoni suaderet, ad Turritanam Calabriæ eremum venisse Zanottius quoque in contexta a se sancti Patriarchæ Vita cap. 29 existimat; et recte quidem, uti ex jam dictis apparet; verum, quod addit de fratre converso ad Carthusiam antea cum litteris a Brunone e Calabria misso, cum quo isthuc revertente ad sanctum Patrem suum Landuinus sese contulerit, antiquo certæ fidei monumento nec ipse firmat nec ego firmare queo. Citat quidem, ut sæpe alias, in inferiori paginæ margine Monumenta Calabriæ mss., verum quæ qualiaque illa sint, nuspiam edicit. Imo vero ea, utpote, an quæ narrant, vera sint, dubitare sese, subinde indicans, pro certæ indubitatæque fidei documentis nec ipsemet habuisse videtur.

674. Verum, etsi id ita habeat, Landuinum tamen, ut pariter ibidem narrat, a S. Brunone amicissime fuisse exceptum, nemo est, qui revocet in dubium, uti etiam Sanctum inter et illum de Carthusianæ vitæ instituto fuisse tractatum. Silent quidem de hisce scriptores antiqui; verum præterquam quod horum, ut similia credantur, testimonium non requiratur, a Sancto cum Landuino de Carthusiensi instituto hujusque in Carthusia sectatoribus sermones habitos fuisse, fidem facit jam bis laudata epistola quam per revertentem ad Carthusiam Lauduinum misit ad suos in hac commorantes discipulos. In ea enim, de religiosa horum Vita, diciplinæ rigore, sanctisque moribus sese nonnulla e Landuino intellexisse indicat, ut eam evolventi patescet. Nec minus ex eadem patescit, Landuinum a S. Brunone, non secus atque amantissimum filium a patre exceptum fuisse. En verba, quæ id manifestum faciunt. « Fratrem..., inquit Sanctus, Landwinun nobiscum detinere volui propter graves et crebras infirmitates nostras; sed quia sibi nihil sanum, nihil jucundum, nihil vitale et utile sine vobis reputat, non acquievit, protestans mihi in lacrymarum fonte pro vobis emanante, et suspiriis multis, quanti apud eum sitis, et quam perfecta charitate vos diligat. Unde coactionem nullam facere volui, ne læderem eum aut vos, quos charissimos pro merito virtutum vestrarum habeo. » Ita Sanctus : qui vero nunc summo amore ac benevolentia non excepisse arbitretur illum, quem apud se, gravibus jam assiduisque fere, ut verba recitata fidem faciunt, infirmitatibus conflictatum, tam libenter detinuisset ? Verum Landuinus, utut benevole adeo ac amanter a sancto Patro exceptus, utque longiori temporis spatio apud eum in Turritana eremo commorari vellet, enixissime rogatus, dilectissimos sibi Carthusiæ incolas, ne diuturniori sua absentia eos affligeret, maluit revisere, nec illi revertendi ad hosce Sanctus, etsi id ex obedientiæ virtute, qua virum sibi tenebat obstrictum, facere potuisset, facultatem noluit negare.

675. Qua itaque Landuinum, ad se in Calabriam venientem, amoris ac benevolentiæ significatione exceperat, eadem illum a se dimisit, tradita ei, quam scripserat, quamque Landuinum, cum in Carthusiam redux esset, religiosis hujus incolis dare debebat, in manus epistola. Verum Landuinus, cum eadem, qua ad Sanctum venerat, via Carthusiam repeteret, a Guiberti antipapæ sectatoribus captus est, ab iisque, quod hunc pro legitimo Christi in terris vicario nollet agnoscere, in tetrum carcerem conjectus, in quo inedia consumptus occubuit. Præcipua, quæ huc spectant, primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologi verba, supra jam recitata, iterum huc transcribo, quo ex his maxime innotescat tempus, quo circiter et S. Bruno jam memoratam epistolam scripserit, et Landuinus eum in Calabriæ eremo inviserit, postque a Guiberti asseclis captus diem extremum, eximio plane in sedem apostolicam fidei relicto exemplo, in carcere clauserit. Hunc itaque scriptor ille de Landuino scribidt in modum : « Incidit in manus Guiberti schismatici, quod multum horrebat. Adversus cujus minas et promissiones, dolos et violentias, divina juvante gratia, modis omnibus perseveravit inflexus. Quem in suo defunctum errore lacrymabiliter planxit, adeo ut circumstantibus argueretur, quod eum fleret, a cujus perversitate Ecclesiam suam Christi bonitas liberasset. Post ejus obitus septimum diem etiam ipse defunctus est, positusque in monasterio S. Andreæ ad pedem montis Siraptis, cui vicinum est castrum, ubi captus in custodia tenebatur. » Lauduinus ergo, uti hisce verbis scriptor ille, fide utique ex dictis dignissimus, indubitatum facit, septimo post Guiberti antipapæ obitum die e carcere, in quem, quod a legitimi Papæ partibus discedere non vellet, fuerat conjectus, ad Dominum migravit.

676. Quam ob rem, cum Guibertus antipapa, ad ad annum 1100 Pagius in Criticis ex Hugone Flaviniacensi docet, anno 1100, concilio Valentino, quod hoc ipso anno 11 Kal. Octobris, id est, trigesima Septembris die inchoatum, brevique post finitum fuit, durante, vita functus sit, consequens est ut Landuinus, utpote qui septem duntaxat diebus Guiberto fuerit superstes, anno 1100, mense Octobri currente, vitam hanc mortalem cum immortali commutarit. Attamen Landuinus, uti e Chronologico-diplomatica Morkensii de S. Brunone Diatriba disco, 14 Septembris obiisse, in Carthusiæ Menologio notatur. Et vero cum Hugonis Flaviniacensis textus, e quo tempus, quo Guibertus pseudo-pontifex obierit, loco cit. Pagius definit, verbis hisce, « In spatio

www.libtool.com.cn

temporis, quo Valentinense celebratum est concilium, obiit Wibertus, » duntaxat constet, nescio, an Hugo ita nequeat intelligi, ut, Wibertum seu Guibertum antipapam eo circiter tempore, quo Valentinense celebratum fuit concilium, e vivis excessisse, significatum duntaxat voluerit; quod si autem Hugo ita queat intelligi, Guibertum septima Septembris die, quo scriptor ille cum Menologio Carthusiensi in concordiam adducatur, obiisse, erit dicendum. Utut sit, certum equidem ex dicto Hugonis Flaviniacensis textu est, Guibertum antipapam ac proin ex dictis etiam Lauduinum anno 1100 obiisse, huncque, cum id accidit, ad Septembrem ut minimum fuisse provectum. Jam vero, cum id ita sit, consequens est ut certe serius, quam anno 1100, nec Landuinus S. Brunonem, in Turritana Calabriæ eremo commorantem, inviserit, nec hic per illum, e Calabria Carthusiam repetentem, epistolam plus semel jam memoratam ad religiosos hujus alumnos, amantissimosque suos discipulos miserit. Verum anne hæc etiam ante eumdem annum 1100 non evenere ?

667. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum 1099, num. 109, sic scribit : « Hoc anno Landuinus Majoris Carthusiæ prior ad Brunonem, in Calabria degentem, profectus est, tum ut eum inviseret, tum ut de variis instituti sui dubiis consuleret. Ejus adventus tam gratus ac jucundus fuit venerabili Patri, ut eum secum retinere tentaverit. Verum non tulit Landuinus fratres suos, quos in Majori Carthusia reliquerat et de suo reditu certiores fecerat, ejus præsentia et directione fraudari. Tam justo ejus proposito acquiescens Pater sanctus, eum a se discedere passus est, datis ad fratres Majoris Carthusiæ litteris, quarum priorem partem huc afferre lubet. » Transcribit modo Mabillonius priorem litterarum, quas hic memorat, partem, ae deinde, postquam etiam, nonnullis interpositis, posteriorem earumdem partem recitavit, subjungit : « in fine » (litterarum scilicet, quarum verba non pauca in Opus suum intulit) « testatur Vir sanctus, unicum sibi post Deum esse desiderium eos revisendi et primo quoque tempore se id opere exsecuturum, si fieri possit. At neque Brunoni datum est in Galliam reverti, neque Landuino ipsi, qui in reditu a Guiberto antipapa comprehensus inflexusque ad ejus minas et promissiones, tandiu in carcere detentus est, quoad schismaticus superstes fuit, scilicet usque ad annum sequentem. » Existimavit itaque Mabillonius, anno 1099 et Landuinum ad S Brunonem in Calabriam venisse, et, cum inde ad Carthusiam Majorem reverteretur, a Guiberto captum et in carcerem conjectum fuisse; ut adeo e scriptoris illius opinione etiam litteræ, per Landuinum ad Carthusiæ Majoris alumnos a sancto missæ, in quarum epocham præcipue hic inquirendum, anno 1099 scriptæ fuerint.

678. Verum cum laudatus Mabillonius nullam plane, cur ita existimarit, rationem adducat in medium, annique 1100 menses octo, mensem hujus Septembrem, ante quem ex dictis Landuinus certe non obiit, prægressi, temporis spatium satis longum constituant, ut eo Landuinus S. Brunonem, in Calabriæ eremo versantem, invisere, aliquandiu apud eum morari, ac in reditu deinde ad Carthusiam a Guiberto captus atque in carcerem conjectus inedia in hoc interire potuerit, dubium mihi admodum est, annone 1099, an sequentis initio Landuinus Brunonem inviserit, litterasque hic ad primævos suos Carthusiæ discipulos per illum horum priorem, a se abeuntem, miserit. Quoquo modo interim res habeat, ea equidem vel anno 1099 vel proxime sequenti ac proin etiam non citius, quam anno 1099, facta esse, satis ex jam dictis liquit. Atque hinc est, carne ab ordine chronico, quem quantum fieri commode potest, in rebus ad Sanctum spectantibus recensendis sequi statui, deflectam, agere hoc loco voluerim tum de Landuini ad Sanctum nostrum in Calabriam accessu, tum de epistola, quam, religiosis hujus incolis tradendam, Landuino abeunti Vir sanctus dedit. Hæc porro, quamvis Landuino reverti in Galliam haud obtigerit, ad eorum tamen, quibus erat inscripta, manus pervenit, si Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, pag. 249, recte notent. Et sane recte eos notare, verosimile ex eo videtur, quod pretiosum illud monumentum ad posteros pervenerit. Integrum id cujus duas partes duntaxat Mabillonius in Benedictinos a se contextos Annales intulit, Sancti Opera, Coloniæ Agrippinæ anno 1611 ac deinde iterum 1640 excusa, tom. III complectuntur, uti etiam Suriani in concinnatama Surio Brunonis Vitam Annotationes. Lubet illud ex hisce huc transferre.

679. Sic habet : « Fratribus suis unice dilectis in Christo F. Bruno salutem in domino. Cognito rationabilis, et vere laudandæ disciplinæ vestræ inflexibili rigore, ex crebra ac dulci relatione beatissimi fratris nostri Landouini : nec non audito sancto amore vestro, et incessanti studio erga ea, quæ integritatis et honestatis, sunt exsultat spiritus meus in Domino. Vere enim exsulto et feror in laudem et gratiarum actiones Domino, et tamen amare suspiro. Exulto quidem, ut justum est, pro incremento frugum virtutum vestrarum, me autem doleo et erubesco, inertem et socordem jacere in sorde peccatorum meorum. Gaudete ergo, fratres mei charissimi, pro sorte beatitudinis vestræ, et pro larga manu gratiæ Dei in vos. Gaudete, quia evasistis fluctuantis mundi multimoda pericula et naufragia. Gaudeto, quia quietam et tutam stationem portus secretioris obtinuistis, ad quem cum multi venire desiderent, multi quoque non nullo conatu contendant, non perveniunt tamen. Multi vero postquam potiti fuere, exclusi sunt, quoniam nulli eorum desuper concessum est.

680. « Ideo, fratres mei, certum ac probatum sit vobis, quod, quicunque optabili hoc usus est bono, si quocunque modo id amiserit, usque in finem dolebit, si quis respectus, vel cura salutis animæ suæ sibi fuerit. De vobis, dilectissimis fratribus meis

www.libtool.com.cn

laicis, dico : Magnificat anima mea Dominum, quia magnificentiam misericordiæ suæ super vos intueor secundum intimationem prioris vestri et Patris amantissimi, qui multum gloriatur pro vobis et gaudet. Gaudemus et nos, quoniam cum scientiæ litterarum expertes sitis, potens Deus digito suo inscribit in cordibus vestris, non solum amorem, sed et notitiam sanctæ legis suæ. Opere enim ostenditis, quid amatis, quidve nostis. Nam cum obedientiam veram cum omni cautela et studio observatis (quæ est exsecutio mandatorum Dei, et clavis, ac signaculum totius spiritualis disciplinæ, quæ nunquam est sine multa humilitate et egregia patientia, quam semper comitatur castus amor Domini et vera charitas) manifestum est, vos sapienter legere ipsum fructum suavissimum et utilem Scripturæ divinæ. Ergo, fratres mei, permanete in eo, ad quod pervenistis, et morbidum gregem quorumdam vanissimorum laicorum ut pestem vitate, qui chartulas suas circumferunt mussitantes, quæ non intelligunt, nec amant, quibus verbis et factis contradicunt. Qui otiosi et gyrovagi, quotquot bonis et religiosis detrahunt, et se in hoc laudabiles putant, si laudandos infamaverint, quibus obedientia et omnis disciplina odio est.

681. « Fratrem vero Landwinum nobiscum detinere volui propter graves et crebras infirmitates nostras: sed quia sibi nihil sanum, nihil jucundum, nihil vitale et utile esse sine vobis reputat, non acquievit protestans mihi in lacrymarum fonte pro vobis emanante, et suspiriis multis, quanti apud eum sitis et quam perfecta charitate vos diligat. Unde coaciionem nullam facere volui, ne læderem eum, aut vos, quos charissimos pro merito virtutum vestrarum habeo. Quapropter fraternitatem vestram sedulo moneo, et submisse atque unice precor, ut charitatem, quam corde gestatis, exsecutione operis in ipsum, utpote in priorem et Patrem vestrum charissimum, ostendatis, benigne et provide subministrando, quæ sibi pro multimoda valetudine sua necessaria sunt. Quod si vobis in hoc humanitatis officio non consenserit, malens periclitari de salute et vita, quam aliquid de disciplinæ corporalis rigore omitiere, quod prorsus improbandum est, forsitan erubescet, ut, qui primus in religione est, in hac parte posterior inveniatur, metuens ne occasione sui aliquis ex vobis remissior vel tepidior fiat, quod nullatenus formidandum puto. Ne hujus gratiæ expertes sitis nostram vicem in hoc tantum vestræ charitati concedimus, ut liceat vobis reverenter eum cogere ad ea, quæ saluti suæ commodastis.

682. « De me, fratres, scitote quoniam mihi unicum post Deum est desiderium veniendi ad vos, et videndi vos. Et quando potero, opere adimplebo, Deo adjuvante. Valete. » Surianus, ubi hanc epistolam integram recitavit, ita mox in eam observat : « De hac parænetica dicere liceat, quod Petrus abbas Cellensis epist. 3, lib. III scripsit ad priorem et fratres Carthusiæ de Monte Dei : « In crassitudine animæ bene pastæ, in abundantia dulcedinis Dei « scripsistis, et sicut adipe et pinguedine spiritalis « lætitiæ fauces meas replevistis. Sermo namque « vester talis non est, qui adulterinis formis superinductis speciem pietatis repræsentet, et virtutem « abneget. Hoc enim illorum est, qui in corde, et « corde loquuntur, vel qui molliunt sermones suos « super oleum, cum ipsi sint jacula. Non autem verbum vestrum sic insulsum, sed gratiæ plenitudine « confortatum viscera replet Sanctorum, etc. » Hæc Petri Venerabilis verba, quæ de epistola, a Brunone ad Carthusiæ Majoris alumnos scripta, merito pronuntiari posse Surianus affirmat, non minori jure pronuntiaris de altera epistola, supra jam sæpissime laudata, qua Vir sanctus Radulphum Viridem, Remensis ecclesiæ præpositum, ad voti, in habita olim cum eo et Fulcio Monoculo de faisis mundi delectationibus collatione emissi, exsolutionem vehementissime hortatus est. Tanto hæc animi erga antiquum amicum affectu, tanta cordis, ut ita dicam, effusione, tanta Spiritus divini unctione scripta est. Integram eam Commentarii hujus initio videre non licuit, quod, quibus nulla sui parte mutila inserta est, libri nulli, nec ipsa Opera S. Brunonis, Coloniæ Agrippinæ anno 1611 impressa, annoque 1640 ibidem recusa, ad manum essent.

683. Verum cum hæc tandem urbis hujus Carthusiani pro sua humanitate commodare mihi dignati sint, descriptum ex hisce pretiosum illud monumentum lubet etiam huc transferre, ut et id, quod paucis duntaxat libris insertum invenitur, quodque ne quidem in Sancti Opera, apud Judocum Badium anno 1524 Parisiis excusa, penesque nos exstantia, illatum fuisse miror, lectori in promptu sit, et ita simul fidem supra plus semel datam liberem. Sic itaque habet : « Domino suo venerando Radulpho, Remensi præposito, sincerissimæ charitatis cultu observando, Bruno salutem. Veteris approbatæ amicitiæ fides eo præclarior et laude ampliori dignior in te conspicitur, quo rarior apud homines reperitur. Quanquam enim longo terrarum tractu et prolixiore temporis spatio corpora ab invicem sejuncta sint, animus tamen benevolentiæ tuæ ab amico avelli non potuit. Quod quidem litteris tuis suavissimis (in quibus mihi amice blanditus es) nec non beneficiis, non solum mihi, verum etiam fratri Bernardo causa nostri large impensis, aliisque indiciis nonnullis satis ostensum est. Unde grates, non quidem meritis pares, sed tamen ex puro fonte manantes, benignitati tuæ rependimus, Peregrinum quemdam in aliis legationibus satis fidelem cum litteris ad te dudum direximus, sed huc usque non comparet. Dignum judicavimus unum ex nostris charitati tuæ transmittere, qui omnia, quæ circa nos sunt (quia minus ad hæc calamo et atramento sufficimus (copiosius viva voce prosequatur.

684. Notificamus ergo dilectioni tuæ, dignationi tuæ, quoniam in tibi non ingratum putamus, nos corpore (utinam sic mente) valere, et quæ ad exte-

www.libtool.com.cn

riora pertinent, satis esse pro voto. Verum etiam operior, supplicans divinæ misericordiæ manum, quæ omnes inferiores sanet infirmitates meas, et satiet in bonis desiderium meum. In finibus autem Calabriæ cum fratribus religiosis, et aliquot bene eruditis (qui in excubiis persistentes divinis exspectant reditum Domini sui, ut, cum pulsa verit, confestim aperiant ei) eremum incolo, ab hominum habitatione satis undique remotam. De cujus amœnitate aerisque temperie et sospitate vel planitie ampla et grata, inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata et florida pascua, quid dignum dicam? Aut collium undique se leniter erigentium prospectum opacarumque vallium recessum cum amabili fluminum, rivorum fontiun que copia quis sufficienter explicet? Nec irrigui desunt horti, diversarumque arborum fertilitas. Verum quid his diutius immoror? Alia quippe sunt oblectamenta viri prudentis, gratiora et utiliora valde, quia divina. Verumtamen arctiori disciplina, studiisque spiritualibus animus infirmior fatigatus, sæpius his relevatur ac respirat, Arcus enim si assidue sit tensus, remissior est, et minus ad officium aptus. Quid vero solitudo eremique silentium amatoribus suis utilitatis jucunditatisque conferat, norunt hi solum, qui experti sunt. Hic namque viris strenuis tam redire in se licet, quam libet; et habitare secum, virtutumque germina instanter excolere, atque de paradisi feliciter fructibus uti. Hic oculus illo conquiritur, cujus sereno intuitu vulneratur Sponsus amore, quo mundo et puro conspicitur Deus. Hic otium celebratur negotiosum, et in quieta pausatur actione.

685. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet, quam mundus ignorat, et gaudium in Spiritu S. Hæc est illa Rachel formosa, pulchra aspectu, a Jacob plus dilecta, licet minus filiorum ferax, quam Lia fecundior, sed lippa. Pauciores enim sunt contemplationis, quam actionis filii. Verumtamen Joseph et Benjamin plus sunt cæteris fratribus a patre dilecti. Hæc pars illa optima, quam Maria elegit, quæ non auferetur. Hæc Sunamitis pulcherrima sola in omnibus finibus Israel reperta, quæ David foveret senem et calefaceret. Quam tu, frater charissime, utinam unice diligeres, ut ejus amplexibus fotus divino caleres amore! Cujus si charitas semel animo insederit, mox illecebrosa illa et blanda deceptrix gloria mundi tibi sorderet, sollicitasque opes (menti sane onerosas) leviter abjiceres; nec non voluptates fastidires prorsus, æque animo corporique nocivas. Novit namque prudentia tua, quis dicat : « Qui diligit « mundum, et ea, quæ sunt in mundo » (quæ sunt voluptates carnis, concupiscentia oculorum, atque ambitio sæculi) « non est charitas Patris in eo. » Et item : « Qui est amicus mundi hujus, inimicus Dei « constituitur. » Quid ergo tam iniquum, quid sic insanæ et præcipitatæ mentis, quid tam est perniciosum quidve infelicius, quam contra eum, cujus potentiæ resistere, cujusve ultionem justitiæ effugere non vales, inimicitias exercere te velle? Nunquid fortiores illo sumus? Nunquid, quia patientia pietatis suæ nos modo ad pœnitentiam provocat, injurias contemptus tandem non ulciscetur?

686. Quid enim est perversius, quid tam rationem, justitiam ipsamque naturam oppugnans, quam creaturam plus diligere quam Factorem? Quid ergo agendum censes, charissime? Quid nisi divinis cedere consiliis, cedere veritati, quæ fallere non potest? Consulit namque in commune dicens : « Ve- « nite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, « et ego reficiam vos; » Nonne pessimus et inutilis est labor, concupiscentia distendi, sollicitu inibus et anxietatibus, timore et dolore, pro concupitis incessanter affligi? Quod vero onus est gravius, quam quod mentem a sublimi dignitatis suæ arce in infirma deprimit, quod est injustitia omnis? Fuge ergo, frater mi, fuge has molestias et miserias omnes, et transfer te a tempestate hujui mundi in tutam et quietam portus stationem. Novit etiam prudentia tua, quid nobis Sapientia dicat. « Nisi quis « renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest « meus esse discipulus. » Quod quam pulchrum, quam sit utile, quamque jucundum in schola ejus sub disciplina Spiritus S. manere, divinam adipisci philosophiam, quæ sola dat beatitudinem veram, quis non videat? Quapropter operæ pretium est, diligenti examinatione prudentiam tuam ista perpendere; quod si amor Dei te non invitat, tantorum prœmiorum utilitas te non provocat, saltem necessitas et timor pœnarum ad hoc compllere debet.

687. Scis namque, qua sponsione obligatus es, et quam omnipotens est ac terribilis sit, cui temetipsum munus gratum et omnino acceptabile devovisti; cui nec mentiri licet, nec expedit. Nec enim patitur inulte se irrideri. Reminiscitur quippe dilectio tua, quod, cum ego et tu et Fulcius Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo a jacenti domui Adæ, ubi tunc hospitabat [*al. melius.*, hospitabatur], de falsis oblectationibus et perituris mundi hujus divitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu ut opinor, tractaremus; unde divino amore ferventes promisimus ac vovimus Spiritui S., in proximo fugitiva sæculi relinquere, et æterna captare, nec non monachicum habitum recipere, Quod et in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus. Quo moram faciente aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. Quid ergo super est. charissime, nisi a tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam grandi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras Potentissimi, et propter hoc cruciatus immanes? Quis namque inultum relinqueret, se a quolibet sibi subdito defraudari munere promisso, maxime si id magnæ foret sibi æstimationis et pretii? Quapropter erede, non mihi, sed prophetæ, imo Spiritui S. dicenti : « Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes, a qui in circuitu ejus affertis munera. Terribili et ei,

« qui aufert spiritum principum, terribili apud reges « terræ. » Cur hæc omnia inculcat Spiritus Dei, nisi ut te voventem perurgeat reddere, quod vovisti.

688. Quid vero reddere gravaris, quod nullam bonorum tuorum facit jacturam vel imminutionem, quodque tua potius, quam illius, cui persolveris, accumulat lucra? Quocirca non te detineant divitiæ fallaces, quia inopiam expellere nequeunt : nec dignitas præpositūræ, quæ non sine magno administrare possunt periculo animæ. Aliena namque, quorum minister sis et non possessor, in proprios usus convertere (ut pace tua dicam) tam est odiosum, quam iniquum. Quod si splendoris et gloriæ appetens multam voluēris retinere familiam, nonne cum tua, quæ ex justo habes, non suppetunt, necesse e t, ut quoquo pacto eripias aliis, quod aliis largiaris? Quod non est, esse beneficum aut liberalem : nihil enim est liberale, quod non idem justum. Verum et hoc dilectioni tuæ persuasum cupio, ne pro domini archiepiscopi necessitudine, qui plurimum consiliis tuis credit et nititur, quæ non omnia justa vel utilia facile dantur, a tam sublimi declines aponsione; divina revocetis charitate, quæ quanto est justior, tanto et utilior. Quid autem tam justum tamque utile, quidve naturæ humanæ sic insitum et congruum, quam diligere bonum? Et quid aliud tam bonum, quam Deus? Imo quid aliud bonum, nisi solus Deus? Unde anima sancta, hujus boni incomparabilem decorem, splendorem, pulchritudinem ex parte sentiens, amoris flamma succensa, dici : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, « quando veniam et apparebo ante faciem Dei. »

689. « Utinam non asperneris amicum monentem; utinam non surda aure audias verba Spiritus Dei, utinam desiderio longæque exspectationi meæ satisfacias, dilectissime, ne diutius crucietur pro te anima mea curis sollicitudinibusque atque timore. Nam si venerit (quod Deus avertat!) te prius, quam debiti votum solveris, ab hac recedere vita, me continua tristitia sine aliqua spei consolatione tabescentem relinques. Quapropter et te exoratum et imprecatum cupio, ut vel causa orationis ad sanctum Nicolaum, inde ad nos usque venire digneris, quatenus videas eum, qui te unice diligit, et statum rerum nostrarum ac religionis ordinem, nec non quæ ad communem utilitatem spectant, mutua viva voce tractare possimus. Et confido in Domino, quod non pœnitebit tanti itineris subiisse laborem. Epistolaris brevitatis excessi modum, quia dum corpore te habere non possum, saltem diutius sermocinando tecum morabor; fraternitatem tuam diu incolumem memorem consilii nostri nec voti immemorem vigere sedulus exopto. Vitam S. Remigii nobis transmittas, oro, quia nusquam in partibus nostris reperitur. Vale. » Hanc a Sancto epistolam, cum in Turritana Calabriæ eremo versaretur, scriptam fuisse, ipsamet ejus verba num. 684 posita manifestant; ut autem, cur sub hujus finem ad S. Nicolaum Bruno Radulphum invitet, habeatur perspectum, sciendum est, sancti illius præsulis Myrensis corpus Myra Barium, Apuliæ civitatem, anno 1087, ut Lupus Protospata in Chronico aliique docent, fuisse translatum; quod cum plurimis ab eo tempore miraculis ibidem inclaruisset, peregrinationibus frequentissimis, ad id Barium e remotissimis etiam regionibus susceptis, honorabatur.

690. Porro, antequam jam recitatam epistolam ad Radulphum Viridem Sanctus scriberet, litteris jam ab eo fuerat conventus, aliasque ad antiquum illum, cui tamen an redditæ fuissent, est dubium, amicum suum miserat. Fas est hæc omnia colligere ex ipsa, quam jam dedi, Sancti nostri ad Radulphum epistola. Hæc enim initio sic habet : « Quanquam longo terrarum tractu et prolixiore temporis spatio corpora ab invicem sejuncta sint, animus tamen benevolentiæ tuæ ac amico avelli non potuit. Quod quidem litteris tuis suavissimis (in quibus mihi amice blanditus es) nec non beneficiis non solum mihi, verum etiam fratri Bernardo causa nostri large impensis aliisque indiciis nonnullis satis ostensum est. Unde grates, non quidem meritis pares, sed tamen ex puro fonte manentes, benignitati tuæ rependimus. Peregrinum quemdam in aliis legationibus satis fidelem cum litteris ad te dudum direximus, sed huc usque non comparet. Dignum judicavimus unum ex nostris charitati tuæ transmittere, qui omnia, quæ circa nos sunt, quia minus ad hæc calamo et atramento sufficimus, copiosius viva voce prosequatur. Notificamus ergo dilectioni tuæ, etc. » Tale est epistolæ, a Sancto ad Radulphum Viridem scriptæ, initium; e verbis autem jam datis, quibus constat, fuisse illam ad hunc antiquum Brunonis amicum per aliquem e Turritanæ eremi alumnis missam, manifestum est. Verum quis fuerit, cui id onus Sanctus injunxerit, procerto nequeo edicere, uti nec quis exstiterit ille frater Bernardus, cui Sancti nostri causa benefecisse Radulphus Viridis memoratur proxime huc translatis epistolæ ad hunc verbis. Antiquus quidem, quem supra adhuc laudavi, Catalogus monachorum, qui post Sancti obitum Lanvino, tanquam priori, obedientiam in Turritana eremo promisere fratrem quemdam, nomine Bernardum, exhibet.

691. Verum hunc cum fratre Bernardo, qui Brunonis causa a Radulpho amantissime fuit exceptus, asseverare eumdem idcirco non ausim, quod Bernardus in dicto Catalogo memoratus, si res ita haberet, e Territana eremo ad Radulphum a Sancto missus fuisse deberet, idque factum non fuisse appareat, cum Bruno, si id fecisset, epistolam per eum ad Radulphum verosimiliter misisset, et tamen, antequam ad hunc epistolam huc jam transcriptam daret, unam duntaxat ad eum adhuc aliam, quam per peregrinum misit, scripsisse e datis epistolæ ad Radulphum verbis videatur. Porro, uti quis Bernardus ille, a Radulpho Brunonis causa benignissime exceptus, exstiterit, in obscuro est, ita etiam annus, quo epistola, quam per unum e suis ad Radulphum

Sanctus misit, scripta sit, omnino me latet. Verum etsi id ita sit, eam tamen idcirco commemorare hic libuit, quod epistola, quam ad primos suos in Carthusia dicipulos Sanctus scripsit, recensenda foret, rectusque ordo ut tam de una quam de altera uno eodemque loco tractetur, exigere videatur. Atque hinc etiam est cur jam supra eo ipso loco, quo de binis jam memoratis Sancti epistolis agi conveniebat, de reliquis etiam omnibus, quæ vel Sancti vere sunt vel ei saltem attribuuntur, lucubrationibus serie continua agere constituerim, reque etiam vera §§ binis sequentibus sim acturus.

§ XLII. *Sanctus Commentarios in Psalmos et in S. Pauli apostoli Epistolas, qui nomine ejus circumferuntur, re etiam vera adornavit; quandonam id et qua methodo fecerit, et quænam præterea lucubrationes certo ei debeant attribui.*

692. Commentarios duos, alterum in Psalmos, alterum in omnes S. Pauli apostoli, Epistolas, una cum nonnullis Opusculis seu Tractatibus Sermonumque collectione sat ampla Judocus Ascensius e ms. quod a Guilielmo Bibaucio, Carthusiæ Majoris Priore, acceperat, S. Brunonis, Carthusianorum institutoris, nomine, Parisiis anno 1524, typorum beneficio vulgavit; eademque deinde Opera omnia, additis etiam nonnullis aliis, volumineque unico, quo ab Ascensio edita fuerant, in tres tomos diversos, quorum prior Commentarium in Psalmos, secundus Commentarium in S. Pauli Epistolas, ac tertius denique Opuscula Sermonesque complectitur, discreto Coloniæ Agrippinæ anno 1611 iterumque anno 1640 Brunonis pariter Carthusiani nomine fuere recusa. Verum alia ex iis sunt, quæ Sanctum nostrum certo habent auctorem; alia contra, quæ an illius sint diceptatur. Ac de prioribus quidem præsenti §, quo, quæ Opera præter duas § præcedenti recitatas Epistolas sancto Carthusianorum Parenti debeant attribui, lectorem edocere statui, agere jam nunc aggredior, tractatu de posterioribus in § sequentem rejecto. A Commentario in Psalmos duco initium.

693. Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, pag. 243, a nonnullis non aliam ob causam, quam quod S. Brunonem Signiensem cum S. Brunone Carthusianorum fundatore confuderint, ex Operum abs hoc concinnatorum Catalogo Commentarium quempiam in Psalmos erasum fuisse, præfatis, ita fere quantum ad substantiam subjungunt: Quo difficultas isthæc melius elucidetur, nosse refert, unius nondum integri sæculi spatio, ab anno scilicet 1040 usque ad annum 1123 tres floruisse Brunones, qui celebris omnes nominis fuerunt, Psalmis explanandis commentandisve omnes operam dederunt: S. Bruno scilicet, Herbipolensis episcopus, anno 1045 vita functus; S. Bruno, de quo hic nobis sermo; et S. Bruno, episcopus Signiensis, anno 1123 e vivis sublatus. Prioris in Psalterium Opus una cum allis ejus lucubrationibus jam inde ab anno 1494 typis fuit excusum, et ab his deinde sejunctum Herbipoli anno 1531 ac deinde iterum Lipsiæ anno 1533, quæ posterior editio ad proxime antecedentem, a Joanne Cochlæo factam, fuit exacta. Tandem in Bibliothecam Patrum fuit illata, extatque in Lugdunensi hujus editione tom. XVIII. Episcopi Signiensis Commentarius luce publica donatus est a Marchesio, Operumque ejus tomi primi, in quo inter Commentarium in Deuteronomium, interque Commentarium in Cantica canticorum ponitur, partem constituit.

694. Hæc fere, ut jam dixi, quantum ad substantiam illi; atque ita quænam, tum S. Brunoni Herbipolitano, tum S. Brunoni Signiensi, qui ambo Psalmos commentati sunt, expositio in hosce attribuenda sit, lectorum potissimum edocent; antequam autem, quænam S. Brunoni, Carthusianorum institutori, quem Psalmos pariter explanasse admittunt, ascribenda sit, expondant, argumenta primum, quibus re etiam vera commentatum esse Psalmos Sanctum nostrum probare nituntur, in medium adducunt. Eadem fere, quo id ipsum probem, adhibere hic lubet, cum alia, quæ validiora sint, invenire haud potuerim. Paucis e versiculis, quibus inter funebres Sancti Titulos recudendos tit. 107 Miciacensis prope Aurelianum abbatiæ monachi Sanctum celebrant, primum locum obtinet sequens hic: « Doctus psalmista, clarissimus atque sophista. » Regulares Noliensis S. Vincentii in Inferiori Pictavensi provincia monasterii canonici in titulo funebri 173, quo Sancto parentarunt, ita habent: « Bruno namque veram scientiam et prudentiam liberalium artium, nec non ceteras cardinales virtutes habuit, et servavit, quas in bono fine consummavit. Dudum siquidem Ecclesiæ sedis Remensium summus didascalus, utpote in Psalterio et ceteris scientiis luculentissimus, et columna totius metropolis diu exstitit. » Cum ergo altero e binis hisce Titulis funebribus Sancti nostri in Psalmis doctrina, altero, ut apparet, in his explanandis commentadisve claritas celebretur, ad expositionem commentariumve, quem in hosce ille concinnarit, alludi videtur; hinc autem, fuisse vere a Brunone Psalmos commentario explanatos, concludendum cum supra laudatis Historiæ litterariæ Franciæ Scriptoribus, apparet.

695. Attamen, cum fieri queat ut præfatis binis Titulis funebribus, non ad Psalmorum, quem Sanctus in litteras miserit, Commentarium, sed ad eorumdem, quam, cum Remis alibive altioris ordinis litteras doceret, viva voce fecerit, explanationem alludi non nemo forte contendat, Commentarium a Brunone in Psalmos fuisse reipsa compositum, aliis adhuc argumentis cum laudatis Historiæ litterariæ Franciæ Scriptoribus lubet firmare. Sæculo eodem quo Sanctus obiit, fuisse ab hoc in Psalmos Commentarium contextum, tam firmiter habebatur persuasum, ut librarius, si in simile forsan, quod auctoris nomen non præferret, scriptum incidisset, acceptum ex hoc ecgraphum tam in capite et ad calcem epistolæ dedicatoriæ, quam in ipso Operis titulo S. Brunonis, Carthusianorum institutoris, nomine insigniret. Ecgraphum hujusmodi Mabillonii

tempore in Silvinicensi Ordinis Cluniacensis monasterio, duarum horarum spatio a Molinis in Burgundia sito, asservabatur ; in eo enim, uti ipsemet hic scriptor, qui illud ibidem invenit, Operum posthumorum tom II, pag.29 testatur, legebatur, « Incipit Epistola Brunonis Carthusiensis præpositi ad Hugonem Astensem episcopum. Domino suo Hugoni, etc.... Explicit Epistola Brunonis Carthusiensis præpositi, etc. Incipit expositio Psalterii, excepta a Brunone, Carthusiense præposito, ex tractatibus sanctorum Patrum;» ac Mabillonius quidem, ecgraphum illud compositi a S. Brunone, episcopo Signino, in Psalmos Commentarii exemplar, cujus initium ab exemplaribus excusis differret, esse existimavit lib. 70 Annalium Benedictinorum num.29; verum, aiunt Historiæ lit. Franciæ scriptores loco citato, neque Operis quod ab hoc antistite compositum, neque illius, quod a sancto Carthusiensis Ordinis Fundatore fuit contextum, exemplar est. Prima, quæ in Operis contextu leguntur, verba ostendunt, concinnatum esse ab Odone, Astendi monacho, Commentarium, quem Marchesius ad Operum Brunonis Signici, cui inscriptus est, calcem publici juris fecit. Librarius itaque, de quo jam mox sumus locuti, non solum in auctoris, cui scriptum illud attribuendum, verum etiam in Mecænatis, cui dedicatum fuit, nomine erravit, nisi forte, quod subinde etiam alias factum reperitur, duobus diversis, Hugoni nempe, Astensi episcopo, uti in Ms. exemplari legitur, et Brunoni Signino, uti exemplar excusum præfert, fuerit inscriptum.

696. Ita quantum ad substantiam Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores laudati. Jam vero, cum librarii antiqui, si quem forte auctoris nomine destitutum in Psalmis Commentarium invenere, nomen ei S. Brunonis, Carthusianorum institutoris, ascripserint, in ea sane illos, qua Opus hujusmodi a Sancto illo fuisse concinnatum, existimarunt, opinione fuisse, dubitandum non est ; quod proinde re etiam vera fuisse a Sancto factum, argumento est perquam valido. Ad id porro accedit, a scriptoribus fere omnibus, qui celebriores in re litteraria auctores, scriptosque ab hisce libros recensent, Commentarium in Psalmos, qui a S. Brunone, Ordinis Carthusiensis fundatore, adornatus sit, commemorari. At vero, inquiet fortasssis non nemo, sola plurium Brunonum homonymia factum esse potest ut Commentarius in Psalmos, quem ex iis unus, a S. Brunone Carthusiano diversus, contexuerat, huic tamen per errorem a librariis fueris ascriptus. Fateor, fieri id ita omnino potuit ; verum ita etiam reipsa factum esse, parum mihi verosimile apparet. Quod si enim, ut Sancto nostro quispiam in Psalmos Commentarius attribueretur, sola plurium Brunonum, a quorum aliquod Opus hujusmodi fuerit compositum, homonymia sit factum, quidni etiam hac accidit ut Commentarii, tum qui a S. Brunone, Herbipolitano episcopo. in omnia Veteris et Novi Testamenti Cantica, tum qui a S. Brunone Signino in Moysis libros, in Job, in Cantica canticorum et Apocalypsim sunt contexti, Brunoni nostro fuerit ascripti ? Sane, cum a nullis prorsus scriptoribus sive antiquioribus sive recentioribus id factum inveniatur, et tamen, ut jam dictum, ab hisce fere omnibus quispiam in Psalmos Commentarius Brunoni Carthusiano attribuatur multum enimvero vel hinc confirmatur opinio, quæ vere ab hoc Commentarium in Psalmos fuisse elaboratum astruit, eaque adeo, utpote tum idcirco, tum alias ob causas jam adductas, longe verosimillima aut etiam prorsus indubitata, est standum.

697. Cum porro res ita habeat. dubitandum etiam non apparet, quin Commentarius a S. Brunone Carthusiano in Psalmos conscriptus, is ipse sit qui primum anno 1524 Parisiis apud Judocum Ascensium, ac deinde anno 1611, iterumque anno 1640 typis Coloniensibus prodiit. Hic enim Commentarius a Commentario, qui Brunoni Herbipolitano episcopo tribuitur, multum differt, nec contra ac a nonnullis, qui propterea Sancto nostro contexti in Psalmos Commentarii honorem perperam ademerant, putatum ex errore aliquando fuit, cum Commentario, qui Brunonis, episcopi Signini, nonem præfert, est idem ; quod iterum, fuisse a Sancto nostro in Psalmos Commentarium elaboratum, argumento est; ut omnia, quo hic illi ascribatur, concurrant, quemadmodum Historiæ litterariæ Franciæ scriptores, quorum fere omnia hactenus hic adducta sunt, tom. IX, pag. 245 recte observant, mox etiam ibidem. quid de hoc S. Brunonis, Carthusianorum institutoris, Opere censeant, sequentem fere exponentes in modum: Quicunque id attentione vel mediocri evolverit, difficile admodum, esse fatebitur, invenire generis hujus scriptum, quod simul sit magis solidum et clarum, magis concisum et ab obscuritatis vitio alienum. Si notum magis fuisset magis etiam fuisset usitatum, neque adeo, quam huc usque fuit, neglectum ; recte Psalmorum intelligentiæ inspirandæ judicatum fuisset aptissimum. Auctorem præfert scientiarum omnium gnarum, Deique spiritu repletum, qualem S. Brunonem, post eos qui melius illum novere, exhibuimus. Ita fere quantum ad substantiam illi; quam autem hæc quæ de dicto Sancti Opere generatim hic affirmant, veritati consonent, ostendunt quæ deinde, nonnullis interpositis, quantum ad methodum in eo servatam magis particularia adjungunt.

698. Atque ea quidem eo propemodum recidunt: Postquam Sanctus, quid per Psalterium intelligatur, sensusque diversos, litteralem scilicet, moralem et mysticum, in Psalmis distinguendos, brevi Præfatione exposuit, ad textus expositionem progeditur. Methodum hanc ita servat, ut, cum sensum litteralem assignat, semper eum ad sensum spiritualem seu mysticum, a Spiritu sancto in Psalmis præcipue intentum, referat. Ita Bruno Jesum Christum ejusque membra, seu hunc ejusque Ecclesiam ubique fere monstrat. Et vero sola hæc via est quæ ad perfectam Psalmorum intelligentiam deducat. Sanctus noster antiquos Patres, qui ante illum

www.libtool.com.cn

nosce explanarant, evolverat, eosque interdum, ac nominatim S. Ambrosium et S. Augustinum etiam citat, verbis tamen illorum non transcriptis, ut quæ ex iisdem accepit, ea sibi quodammodo propria reddiderit, integrumque Opus ex ipsa ejus penu sit depromptum. Dum singulorum Psalmorum, quod, multa rebus obscuris luce affusa, facit, titulos exponit, liguam Hebraicam calluisse sese manifestissime prodit. Idem liquet e variis in Operis contextu occurentibus locis, uti etiam eum ad primigenium seu Hebraicum textum, ut, quem Vulgata offert, melius exponat, recurrere. In toto Commentarii decursu mirationem de se concitat, ac potissimum, dum Jesu Christi myteria, ac quempiam Psalmorum locum per alium sacræ Scripturæ textum exponit. Stylo utitur conciso, simplici, nervoso, claro, nitido tamque probe Latino, quam cujuscunque alterius, qui eodem, quo Sanctus, sæculo floruit, scriptoris stylus esse potuerit. Eximii hujus Commentarii editiones alias, quam quas Opera, S. Brunonis nomine tum Parisiis anno 1524, tum Coloniæ Agrippinæ anno 1611, ac deinde iterum anno 1640 typis excusa, in capitæ præferunt, non novimus, ut jam supra dictum. Optandum interim foret ut Opus omnium fidelium, ac maxime eorum qui publico precum divinarum ministerio consecrati sunt, manibus tereretur.

699. Tale est quod de præclaro Sancti nostri in Psalmos Commentario Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores ferunt judicium; quod mihi sane apparet æquissimum, sit tamen exceperis quod de Opere illo integro e propria sancti penu deprompto et tamen partim e Sanctis Patribus accepto involvit. Restat modo, ut quo id tempore Bruno elucubrarit, determinem. Cum Sancto nostro, ut sacræ Scripturæ studio vacaret, tum maxime, dum in Carthusia Majori ac deinde in Turritana Calabriæ eremo versaretur, otium fuisse videatur fuisse tunc ab illo, de quo hic nobis sermo, Commentarium concinatum verosimile potest videri. Attamen, cum nihil omnino obstet quo minus id etiam dum Remis adhuc scholarum præfecturam gereret, altiorisque ordinis scientias doceret, fecisse queat, nec quidquam quod anachoretarum potius, quibus in solitudine præerat, quam aliorum quorumcunque fidelium instructionem spectet, in illa Sancti nostri lucubratione occurrat, hancne ille, cum sæculo nuntium jam remisisset, an ante adornarit, dubium admodum ac incertum apparet. Nec quo tempore lucubratio altera, seu in omnes S. Pauli apostoli Epistolas Commentarius, qui inter Opera Sancti nomine excusa non infimum locum tenet, integrumque Coloniensis horum editionis tomum secundum implet, concinnatus sit, certius definiri potest, uti patescet ex iis quæ dicam, cum Brunoni Carthusiano Opus illud vere attribuendum ostendero.

700. Plurium Brunonum homonymia, quæ, ut Sancto nostro in Psalmos, quem tamen adornarat, Commentarius adjudicaretur, aliquando ex supra dictis fecit, locum hic habere nulla prorsus ratione potest. Etenim scriptor auctorve nullus est Brunoni homonymus, qui eodem, quo hic sæculo, aut saltem ætate floruerit, Commentariumque in S. Pauli apostoli Epistolas concinnarit. Quare, si, S. Brunonem, Carthusianorum Institutorem, hasc esse commentatum, argumento sat solido, alicunde quæsito, possit probari, omnia penitus Operis exemplaria, quæ Sancti nomine insigniuntur, opinioni eorum, qui huic illud ascribunt, suffragantur; re autem vera sat solidum, quod S. Pauli apostoli Epistolas commentatum esse Sanctum nostrum ostendit, argumentum ex ejus in Psalmos Commentario, cum contextus hic ab illo ex dictis certo sit, deducitur. Idem enim stylus, eademque methodus, quam in Psalmis commentandis secutus est Sanctus, in Commentario etiam, quo S. Pauli Epistolas exposuit, invenitur. Voces, id est, quas in explanandis Psalmis, quo præcedentem auctoris locutionem locutione altera seu phrasi clariorem meliusve explicatam reddat, non raro adhibet, frequenter etiam in S. Pauli apostoli Epistolarum Commentario recurrunt. Ad hæc, quod quin postremum hoc Opus S. Brunonis vere sit, dubitandi omnem locum adimit, clausula est, in antiquo Commentarii hujus exemplari a Mabillonio reperta hisque verbis concepta: » Explicit Glossarius Brunonis eremitæ super Epistolas B. Pauli apostoli. »

701. Atque ita Sancto, qui nomine ejus editus est, scriptum in omnes S. Pauli Apostoli Epistolas Commentarium merito attribui, modo habemus; de tempore adeo quo hunc a Brunone concinnari contigerit, nunc dicamus. Sunt quidem qui sanctum, cum in solitudine seu Carthusiana seu Turritana jam versaretur, Opus illud contexuisse verosimilius autumant: et sane, cum tunc omni alia cura liber conscribendis libris vacare facile potuerit, esse videtur cur id eum tunc fecisse non immerito æstimes; attamen cum Bruno, dum Remis adhuc, sæculo nondum relicto, versaretur, studiis animum assidue excoluerit, facileque interea Opus illud concinnare potuerit, non est etiam cur id tum certo non fecisse sit credendus. Quapropter idne tunc, an cum in solitudinem jam secessisset præstiterit, ambigendum quam maxime videtur; cum autem, quo dubium id esse desinat, non tantum non in ipso illo Opere, sed nec alibi quidquam occurrat, tempus, quo Commentarium proxime memoratum Sanctus scripserit, non minus sane, quam quo Commentarium in Psalmos adornarit, apparet incertum: idque adeo in medio relinquens, quæ de methodo, quam in Opere illo adornando secutus est sanctus noster, dicenda sunt expedio. Integrum primo capitis cujusque textum transcribit, singulasque deinde ex ordine sententias clare ac succincte exponit, unice studens ut omnia quæ in hisce continentur, seu ethicæ seu fidei ac dogmatis capita lectori manifesta efficiat. Sententiarum verba ad Grammaticæ leges nonnunquam explanat; nonnunquam etiam, quæ verbis allis

www.libtool.com.cn

Græcæ et Hebraice, quod utramque hanc linguam eum calluisse argumento est, significatio competat, exponit. Hæc fere etiam, quantum ad substantiam, omnia de methodo quam in suo in S. Pauli Epistolas Commentario Sanctus noster tenuit, Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores laudati tom. IX, pag. 247 suppeditant, addentes etiam nonnulla de Sancti quantum ad Dei gratiam et liberum hominis sub hac arbitrium doctrina.

702. Verum cum hæc ad methodum a Sancto in suo, de quo hic nobis sermo, Opere servatam non spectent, longiusque, quam par sit, ab instituto nostro, quod duntaxat, quæ Sancto attribuantur Opera, et quo, quæ illius vere sunt, tempore, modoque scripta sint, examinari exigit, nos abducerent, missis iis, de Paræneticо ad cœlestia capessenda Epigrammate, præclaraque fidei confessione, quæ e scriptis Sancto nostro indubio attribuendis commemoranda adhuc hic restant, quæpiam proferre in medium nunc lubet. Ac primo quidem Paræneticum illud Epigramma seu, ut ab aliis vocatur, Elegiam de mundi contemptu Brunonis certo esse, vel ex eo liquet quod auctori alteri neque a recentioribus neque a vetustioribus scriptoribus attribuatur; quanti autem pretii id sit, cuique tum ex Opusculi, quod integrum num. 56 jam recitavi, inspectione, tum e sæpius repetitis ejusdem in Opera varia, quæ omnia hic recensere operæ pretium non est, illationibus dijudicandum relinquo. Quod modo ad præclaram, quæ Sancti etiam certo est, fidei confessionem spectat, hanc Vir sanctus cum morti sese vicinum sentiret, emisit, eique nominatim, quæ ad SS. Trinitatis ac divini Verbi Incarnationem spectant, insuerit; in fine etiam, verosimillime ut, pro more (adi num 69) tunc usitato, quantopere Berengarii hæresim detestaretur ostenderet, adjungens: « Credo etiam Sacramenta, quæ sancta credit et veneratur Ecclesia, et nominatim panem et vinum quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum Sanguinem, quæ et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum et in spe salutis æternæ. » Scripti hujus fragmenta duntaxat aliqua in conscriptas a se Sancti Vitas intulerant ejus biographi; verum id integrum Surianus in suis ad contextam a Surio Sancti Vitam Annotationibus pag. 253 et seq., ac deinde etiam Mabillonius, quarto Analectorum tomo p. 400 et seq. publici juris fecit. Integrum id nos pariter, cum de tempore, quo Sanctus obiit, tractabimus, Commentario huic inseremus; de Operibus quæ Sancto attribuuntur, nec tamen ejus certo sunt, modo agendum.

§ XLIII. *An opera, a jam memoratis diversa, quæ Sancti nomine edita sunt, vere eum habeant auctorem.*

703. Lucubrationes quæ Sancti nomine editæ sunt, et tamen an eum vere habeant auctorem disceptatur, in opuscula seu tractatus particulares, et in sermones seu homilias dividuntur. Ut, quæ in decursu dicenda sunt, studioso lectori clarius queant proponi, singularum illarum lucubrationum qualemcunque notitiam, antequam an Sanctum nostrum vere habeant auctorem inquiram, præmitto, translatis huc titulis saltem, quibus quæque tom. III Operum, nomine Brunonis Coloniæ Agrippinæ anno 1611 iterumque anno 1640 editorum, afficiuntur. Ac primo quidem tituli, quibus opuscula horumque capita insigniuntur, sequentes hi sunt: « Liber de laudibus Ecclesiæ; capita octo, nempe I de Paradiso, II De arca Noe, III De tabernaculo fœderis, IV De templo Salomonis, V De muliere, per quam significatur Ecclesia, VI Do civitate sancta Hierusalem, VII De Basilicis, quæ ab episcopis ordinantur, VIII De evangelicis lectionibus. Liber de ornamentis Ecclesiæ, continens capita duodecim, I De fide, II De spe, III De charitate, IV De quatuor virtutibus cardinalibus, V De humilitate, VI De misericordia, VII De pace, VIII De patientia, IX De castitate, X De obedientia, XI De abstinentia, XII In quibus virtutibus Ecclesia ornatur. Liber de novis continens capita decem, nempe I De novo mundo, II De cœlis novis, III De nubibus novis, IV De montibus novis, V De arboribus novis, VI De animalibus novis, VII De potestatibus novis, VIII De novo mari ac novis piscatoribus, IX De avibus novis, X De fluminibus novis. »

704. Atque hi quidem opusculorum, ad quorum etiam primi caput ultimum sermo de ecclesiæ dedicatione adjicitur, tituli sunt sermonum vero seu homiliarum, quas liber, qui de festivitatibus festivitatum inscribitur, comprehendit, sequentes: « De SS. Trinitate sermones tres. De Nativitate Domini sermo unus. In octava Epiphaniæ sermo unus. In Ramis Palmarum sermones duo. In Cœna Domini sermo unus. In die Parasceves sermones duo. In die sancto Paschæ sermo unus. In Ascensione Dominica sermones duo. In die sancto Pentecostes sermones duo. Sermones quinque de beata Virgine, I De laude B. Mariæ Civitatis Dei, II De Nativitate ejusdem, III In Purificatione, IV In Annuntiatione, V In Assumptione, Sermones quinque, I De Martyribus, II De Christo vite, et ejus vinea, III De Martyribus, IV De bonis et malis fratribus cohabitantibus, aut martyribus simul occisis, V De laudando Deo instrumentis musicis, per quæ martyrum cruciatus et confessorum afflictiones et confessiones designantur. » Sermonibus hisce seu homiliis, quas, quæ jam supra memoravi, Sancti nomine edita opera complectuntur, sermones de SS. Confessoribus undecim, aliique tres subduntur. Ac horum quidem posteriorum primus inscribitur. « De Virginibus, II De sancto Michaele archangelo, III De contemptu divitiarum; » aliorum vere undecim, qui hosce præcedunt, primus est « De sale et luce ex verbis Domini, et civitate in monte posita de apostolis et ceteris doctoribus ac confessoribus, II De lucerna posita super candelabrum, applicata Salo-

www.libreoffice.org

moni, Christo et beato Benedicto, in cujus festo habitus est, et applicabilis cuilibet confessori, III De diversis oculis et de episcopis, IV De puteis Abrahæ id est, sacræ Scripturæ, quos aperiunt apostoli et catholici, doctores, V De lumbis præcinctis et lucernis ardentibus confessorum, VI De talentis unicuique, sed præcipue episcopis et aliis prælatis ad lucrum faciendum in illis a Domino creditis, VII De confessoribus, quibus vigilandum est, VIII De continentia et mundo corde, deque pontificum officio per rationale significato, IX De quovis Sancto, qui relictis omnibus, Deum secutus est, etiam de Virgine, X De apostolis, evangelistis et doctoribus sanctis, XI De doctoribus et prædicatoribus sanctis. »

705. Atque hæc sunt opuscula omnia seu tractatus, itemque homiliæ seu sermones, qui operum Sancti nostri nomine, curante Theodoro Petreio, Coloniæ Agrippinæ anno 1611, iterumque post hujus obitum anno 1640, typis excusorum, tomum tertium constituunt. Verum Historiæ litterariæ Franciæ Scriptores tom. IX, pag. 242, opusculis omnibus seu tractatibus, ac sermonibus, qui Brunoni Carthusiano tum in hac operum ejus editione, tum in altera, supra memorata atque a Judoco Badio, seu, uti a patria etiam vocatur, Ascensio anno 1524 adornata, attribuuntur, generatim recensitis, subjungunt : « Verum e grandi illo scriptorum, in duabus illis editionibus S. Brunonis nomine excusorum, numero expungi debent hinc opuscula omnia seu tractatus particulares, hinc sermones omnes seu homiliæ. Nec hi, nec illi, ut ut nomine ejus condecorati, ad eum pertinent, tantumque per errorem, ex ipso illo nomine natum, contigit ut ascripti ei fuerint. Totidem sunt fetus calami S. Brunonis Signini episcopi, anno 1123 vita functi, ac proin Carthusianorum Institutori æqualis. Dubitari hac de re non potest, dum huic illos a Petro Diacono Cassinensique bibliothecario, qui ante idem (duodecimum) sæculum medium scripsit, in operum suorum duobus, opusculo nempe De viris illustribus Cassinensibus, et Chronico monasterii Cassinensis, ubi eos singulatim enumerat, attribui videmus. Et vero Mauro Marchesio, Cassinensi decano, curæ fuit asserere eos ac reddere vero suo auctori, sub cujus nomine Venetiis imprimi eos fecit, duobus tomis discretos, qui non nisi unum molis justæ volumen constituunt. Editio est anni 1641, et exacta ad plura antiqua mss., quæ complectuntur alia ejusdem antistitis opera, quæ inter nonnulla sunt, quæ Petri Diaconi diligentiam fugerant. »

706. Hactenus illi ; verum cum inter opera, quæ Maurus Marchesius anno 1651 Venetiis S. Brunonis Signini seu Signiensis episcopi nomine edidit, sint etiam, uti ipsimet hic fatentur, nonnulla, quæ in suppeditato a Petro diacono operum, quæ Sanctus hic ordinis Benedictini antistes contexuit, elencho non occurrunt, cur Marchesio, nec etiam S. Brunonis Signini esse contendenti, assensum, uti verbis recitatis faciunt, præbuere? An quod in antiquis mss., opera alia, quæ Signini præsulis certo sunt complectentibus, fuerint a Marchesio reperta? Hanc sane ob causam ita opinatos illos esse, ex ultima verborum huc translatorum periodo apparet. Verum cum ex Brunonis nomine, quod Sanctus Carthusianorum institutor cum sancto ordinis Benedictini Signino episcopo habet commune, factum esse queat, imo reipsa, quemadmodum laudati Historiæ lit. Franciæ scriptores verbis recitatis volunt, factum sit ut opera quæ a Petro diacono S. Brunoni Signino diserte attribuuntur, S. Brunoni Carthusiano a librariis fuerint adscripta, quidni etiam factum eodem ex capite esse queat ut opuscula seu opera quæpiam, in suppeditato a Petro diacono operum, quæ Bruno Signinus composuit, Catalogo expresse non memorata, huic per errorem a librariis, mss. antiquorum, in quibus a Marchesio fuere inventa, auctoribus fuerint ascripta, licet interim non illius, sed S. Brunonis Carthusianorum institutoris essent? Aiunt quidem illa in mss. hisce antiquis, e quibus a Marchesio eruta fuere, adjuncta fuisse aliis operibus, quæ Brunonis Signini esse, certum omnino est atque indubitatum. Verum quid tum? Codex ms. antiquus, e quo S. Brunonis Carthusiani opera anno 1524, Judocus Ascensius edidit, alterque, qui tum in Carthusia Majori asservabatur, scriptis in Psalmos et in omnes S. Pauli apostoli Epistolas Commentariis, qui Sancti nostri certo sunt, adjuncta etiam, ut laudatus Judocus Ascensius in præfixa hisce epistola dedicatoria fidem facit, alia habebat opuscula, quæ una cum Commentariis illis hic vulgavit, quæque tamen omnia S. Brunonis Carthusiani non sunt, uti mox. præfatis scriptoribus, qui nulla ex hisce ei attribuunt, partim assentiendo docebo.

707 Atque ego quidem, ut ea in dictos mss. codices seu in horum unum, e quo deinde alter sit transcriptus, fuerint illata, factum reor ex ignorantia præcipitive judicio librarii, qui, cum omnia Sancti nostri opera describenda sibi sumpsisset, forteque fortuna in opuscula quæ Brunonis simpliciter nomen, nullo, addito nomini huic titulo, præferrent, ea Brunonis nostri. aut nullo plane aut perexiguo præmisso examine, esse existimarit eaque propterea aliis a se jam descriptis genuinis hujus operibus adjecerit. Verum cum res ita habeat quidni etiam simili ratione factum esse queat, ut in codices mss. antiquos, qui Marchesio præluxere, aut saltem in horum unum, et quo reliqui deinde fuerint descripti, opuscula aliqua, quæ S. Brunonis, Signini episcopi, non sunt, fuerint illata? Ex opusculis itaque homiliisque, quæ Sancti nostri nomine Parisiis ac deinde Coloniæ Agrippinæ in lucem prodiere, atque a Marchesio interim hunque secutis Historiæ litterariæ Franciæ scriptoribus S. Brunoni, Signino episcopo, attribuuntur, vere huic illa attribuenda videntur, quæ tum tituli parum vulgaris, quem præferunt, tum argumenti, quod tractant, ratione conveniunt cum operibus, quæ a Brunone,

www.libtool.com.cn

Signino seu Signiensi episcopo, concinnata fuisse, Petrus Diaconus in Opusculo De viris illustribus Casinensibus cap. 34 alibive diserte testatur. Ea sedet sententia, quod, quamvis hic scriptor a veritate etiam subinde deviasse deprehendatur, nec cum Leone Marsicano, qui, quod deinde Petrus continuavit, Casinense Chronicon incepit, gravitate et auctoritate comparandus videatur, Brunoni tamen Signino opera, quæ sancti hujus antistitis non essent, ascripsisse censendus non sit, cum haud dudum, postquam hic ad Dominum migrasset, in monasterio Casinensi, uti, qui primus ejus De viris illustribus Opusculum publice juris fecit, apud Muratorium tom. VI Rerum Italicarum scriptorum Joannes Baptista Marus in sua in id præfatione aliique bibliographi passim docent, bibliothecarium egerit, credibilique proinde sit, ad manum eum habuisse opera, quæ a Sancto illo præsule, qui et ipse aliquandiu in monasterio Casinensi monachum atque etiam abbatem egerat, scripta esse, loco citato asserverat.

708. Hinc cum Petrus Diaconus, fuisse a Brunone Signiensi expositionem in Psalterium, in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Numerum, in Deuteronomium, in Cantica canticorum et in Judicum conscriptam, capite citato præfatus, mox subjungat : « Fecit et Sermones hos : De laudibus Ecclesiæ in dedicatione templi, De Paradiso, De arca Noe, De tabernaculo fœderis, De templo Salomonis, et de muliere, per quam Ecclesia significatur. De civitate sancta Hierusalem ; De basilicis, quæ ab episcopis dedicantur. Item De evangeliis; De ornamentis Ecclesiæ, De fide, De spe, De charitate, De quatuor virtutibus, De humilitate, De misericordia, De pace, De patientia, De castitate, De obedientia, de abstinentia : Ubi Ecclesia ornatur, De novo mundo, De cœlis novis, De nubibus novis, De montibus novis, De arboribus novis, De potestatibus novis, De mari et piscatoribus novis, De avibus novis, De fluminibus novis, De animalibus novis, » libros seu tractatus tres, num. 703 memoratos, Sanctoque nostro in præfatis operum ejus editionibus ascriptos, quorum primus, in capita octo divisus, « De laudibus Ecclesiæ, » secundus, capita duodecim complectens, « De ornamentis Ecclesiæ, » ac tertius denique, capitibus decem discretus, De novis inscribitur, a S. Brunone, Signino seu Signiensi episcopo, fuisse reipsa contextos, verosimillimum e titulorum, argumentum, quod tractant, exprimentium, insolentia, seu novitate, apud Petrum Diaconum quoque hic occurrente, apparet. Verum, quod ad librum, qui « De festivitatibus festivitatum » inscribitur, spectat, cum hic, prout sive Sancti nostri sive Brunonis Signini nomine est editus, sermones non paucos, quos neque ex titulo singulari seu parum vulgari, qui apud Petrum Diaconum quoque loco proxime cit. occurrat, neque aliunde sancti illius antistitis esse certo constat, complectatur, sintne huic illi, an Sancto nostro attribuendi, est dubium, cum, præterquam quod prioris e binis hisce Sanctis esse, neque e Petro Diacono neque aliunde, ut jam dictum, constet, fieri possit ut in mss. codices, in quibus a Mauro Marchesio, una cum operibus Brunonem Signiensem certo habentibus auctorem, fuere inventi, ratione supra exposita, ut ut vere sancti hujus antistitis non essent, fuerint illati.

709. At vero, inquies, Petrus in Chronici Casinensis supplemento, lib. IV, cap. 31, de Brunone Signiensi sic scribit : « Non autem idem vir otiose hic vixisse credendus est, qui tales ac tantos nobis Scripturarum exposuerit libros, de quibus summam. illorum scilicet qui in nostris manibus venere, pandere curamus, super Psalterium, super Genesim, super Exodum, super Leviticum, super Numerum, super Deuteronomium, super Isaiam, super Cantica canticorum, super Judicum, super Apocalypsim. De totius autem anni festivitatibus atque diebus Dominicis composuit sermones sexaginta novem, homelias centum quinquaginta quinque. » Quibus verbis cum Petrus Diaconus plures sermones homiliasque S. Brunoni, Signiensi episcopo, attribuat, quam cap. 34 De viriris illustribus recenseat, simulque sese omnia, quæ a Sancto hoc antistite composita fuere, opera ad manum non habuisse innuat, fieri facile potest ut sermones in Operum S. Brunonis Carthusiani editionibus supra memoratis Sancti hujus Patriarchæ nomine vulgati, ut ut apud Petrum Diaconum in homiliarum sermonumque S. Brunonis Signini elencho titulis parum usitatis insolitisve affecti non reperiantur, concinnati tamen vere ab hoc fuerint. Fateor, sic habet : verum cum equidem homilias sermonesque dictos Brunonem Signiensem habere auctorem, e Petro Diacono certum, ut jam dictum, non sit, fuerintque ex jam supra dictis iidem tam in codicibus mss. antiquis, qui, quæ S. Brunonis Carthusiani certo sunt, opera complectebantur, quam in codicibus itidem mss. antiquis, qui, quas nemo Brunoni Signino negat, lucubrationes continebant, reperti, sintne huic Sancto ex ordine Benedictino præsuli, an potius S. Brunoni, Carthusianorum institutori attribuendi, manet adhuc dubium.

710. Nec est quod reponas, constare saltem e Petro Diacono, plures fuisse a Brunone Signino sermones compositos, eosque proinde, de quibus hic disserimus, huic potius esse, quam Brunoni Carthusiano ascribendos : uti enim, quin Bruno Signiensis plures, imo plurimos sermones concinnarit, ambigendum non est, ita nec, quin id Bruno noster fecerit, revocari potest in dubium, Ita colligendum reor e Sancti tum Epitaphio, tum Titulo funebri, inter recudendos 166 ; in priori enim e binis hisce monumentis antiquis, quod Brunonis tumulo fuit ascriptum, Sanctus hic Carthusianorum Institutor ita loquens inducitur :

Primus in hac eremo Christi fundator ovilis.
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.

Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies eremi.
Doctor eram, præco Christi, etc.

In posteriori vero, quo Andegavensis S. Mauricii ecclesia Sancto nostro parentavit, sequens una cum multus aliis de S. Brunone legitur versiculus : » Multos sermones faciebat per regiones. » Cum ergo Sanctus noster, uti e jam recitatis, quæ præfata bina monumenta antiqua suppeditant, testimoniis manifestum est, præconem Christi egerit, dubitandum non est, quin sermones etiam, quos ad populum dixit, concinnarit. Quod cum ita sit, non est sane cur, ob sermonum a S. Brunone, Signiensi episcopo, compositorum multitudinem, huic potius, quam Brunoni nostro attribuamus editos hujus nomine sermones, qui titulis, argumentum quod tractant exprimentibus, insolitis seu parum vulgaribus haud distinguuntur.

711. Reponi quidem potest, sermones quos Sanctus ad populum habuit, non lingua Latina, sed idiomate vulgari fuisse indubie conscriptos, ac proin ex horum quos concinnarit multitudine, pro sermonibus Latine conscriptis, de quibus hic disputamus, ei attribuendis argui non posse; verum ex eo quod multos Bruno idiomate vulgari sermones adornarit, multos etiam eum, quos ad suos vel in altioris ordinis scientiis Remis discipulos vel in Carthusiæ Calabriæque eremis monachos dixerit, Latine concinnasse, credibile apparet. Quare quorumdam saltem ex iis qui nomine ejusque prodierunt, nec a Petro Diacono Brunoni Signiensi diserte attribuuntur, revera ipsum esse auctorem, vero prorsus absimile non est, licet interim id de omnibus illis, ac nominatim de eo qui inter undecim ei attributos De confessoribus sermones secundum locum obtinet, asseverare non ausim, quod, quemadmodum Marchesius, in sua De S. Brunone Signino ejusque operibus dissertatione historica, hisce præfixa, recte notat, in fine ea contineat, quæ non nisi a monacho, Regulam Benedictinam professo, dici potuisse videntur. Primi quidem Carthusiani jam inde ab ipsis S. Brunonis temporibus S. Benedictum Patrem suum appellavere, ejusdemque festum solemni ritu hodieque celebrant ; ut proinde, etsi etiam et in sermone illo auctor, quod tamen non facit, Patris nomine condecoraret S. Benedictum, propterea tamen Brunoni, Carthusianorum institutori, esse eum certo abjudicandum, consectarium nondum foret; verum in fine ejusdem ea præterea tum de S. Benedicto, tum de domibus Benedictinis proloquitur, quæ nescio an in virum S. Benedicti Regulam non professum quadrare facile admissuri sint omnes qui illum, de quo hic, sermonem attente evolverint.

712. Ut ut sit, aliquos equidem e sermonibus, qui Sancto nostro in operum ejus editionibus supra laudatis attribuuntur, re etiam vera ad eum fortassis pertinere, ex iis quæ jam ante adduxi in medium, in animum induco, etsi interim in iis plane eadem non videatur, quæ in aliis Sancti operibus, styli ratio; aliquantulum enim diversam in diversis scriptionis generibus styli rationem ab uno eodemque scriptore subinde adhiberi, quid mirum ? Verum quandonam sermones illos Sanctus composuerit ? Cum exhortationes, quas complectuntur, monachis ut plurimum conveniant, fuerint verosimilius iidem ab illo, cum in eremo seu Carthusiana seu Turritana jam versaretur, compositi, atque ad eos, qui in disciplinam ejus ibidem sese dederant, pronunciati. Nec propterea tamem putes verosimile non esse Sanctum nostrum, cum Remis adhuc versaretur, verba ad populum, contra ac num. 95, docuimus, unquam fecisse : etsi enim Latinos, de quibus hic, sermones tunc verosimillime haud habuerit, habere potuit alios, idiomate vulgari contextos, qui modo interciderint aut nunquam etiam in litteras missi fuerint. Idem etiam puta de sermonibus, si quos forte Sanctus, cum in solitudinem, sæculo relicto, jam secessisset, ad populum unquam habuerit ; quod re etiam ipsa factum esse vero haud apparet absimile. Quidni enim factum esse queat ut Sanctus noster, etsi jam eremitarum, quorum ad populum verba facere non est, vitæ institutum amplexus, sermones subinde ad populum habuerit aut in itineribus, quæ ex dictis confecit, aut in ecclesiis, eremo seu Turritanæ, seu Carthusianæ, quam incolebat, vicinis, ad eas ab episcopis, per pia incensaque Viri, cujus raram vitæ sanctitatem perspectam habebant, monita gregi sibi commisso prodesse volentibus, evocatus? « Multos sermones (verba sunt proxime laudati, quo Sancto parentatum fuit, Tituli funebris) faciebat per regiones. »

713. Sed hæc de sermonibus; quod Sanctus composuerit atque ad populum discipulosve suos dixerit, disseruisse sufficiat. Sunt porro duo adhuc alia opera, quæ Sancto nostro præter jam supra recensita attribuuntur Primum horum est, cujus meminit Possevinus in Apparatu sacro, operum omnium, quæ vel Sanctus vere contexuit, vel contexta ab eo credi a nonnullis sciebat, elencho subjungens : « Exstat autem ms. liber De laudibus vitæ solitariæ, ab eodem Brunone conscriptus, apud Paulum Rogerium, Carthusianum, Carthusiæ Venetæ. » Hinc Theodorus Petreius, cum. omnia S. Brunonis opera Coloniæ Agrippinæ recudi esset curaturus, librum illum, quo una cum hisce imprimeretur, habere desiderans, in Carthusiana, quam adornavit, Bibliotheca pag. 33, enumeratis omnibus quæ Brunonis esse putabat operibus, adjecit : « Quibus (operibus nempe a Brunone compositis) Possevinus addit librum De laudibus vitæ solitariæ, quem dicit Veneta in Carthusia apud Paulum Rogerium, nostræ familiæ Religiosum, manuscriptum asservari ; quo utinam potiri liceret ! ut nimirum simul cum cæteris Divi Brunonis operibus, jamjam per nos de superiorum voluntate revidendis recudendisque prelo committatur. » Libri quoque De vitæ solitariæ laudibus, qui apud Paulum Rogerium, Carthusiæ Venetæ

www.libtool.com.cn

alumnum, asservatur, e Possevino in suis in contextam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus pag. 251, Surianus meminit. Verum cum Petreius ea, quæ jam dixi, in contexta a se, annoque 1609 typis vulgata ordinis Carthusiensis Scriptorum Bibliotheca in litteras mittat, nec tamen laudatus, qui a Brunone scriptus sit, De vitæ solitariæ laudibus liber in lucem hactenus, quod sciam, fuerit prolatus, multum dubito, an errore factum non sit, ut librum illum ms. apud Paulum Rogerium, Barthusiæ Venetæ allumnum, exstare existimarit Possevinus.

714. Quid si apud Paulum Rogerium liber quispiam exstiterit, opuscula nonnulla, S. Brunoni Carthusiano attributa, complectens, eique, quod epistolam quoque a Sancto ad Radulphum Viridem scriptam, in qua nonnulla in vitæ solitariæ laudem commemorantur, contineret, titulus libri De vitæ solitariæ laudibus fuerit ascriptus? Atque hæc de primo e duobus operibus, quæ in operum, Sancto attributorum, editionibus non sunt, et tamen ei, ut jam monui, a nonnullis ascribuntur ; quod modo ad secundum ex hisce pertinet, oratio hæc est ad Jesum crucifixum, a vocibus hisce : « Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, » etc., incepta, quam Meleager Pentimalli, brevi a se conscriptæ, annoque 1622 typis Romanis vulgatæ S. Brunonis Vitæ præfixit, Sanctoque huic Carthusianorum Institutori attribuit. Verum, inquit fere quantum ad substantiam in sua de S. Brunone Historia seu Vita Zannottius, sæpius jam supra laudatus, multum hic errat Pentimallius, cum oratio illa, ut Antonius Maggius, Augustinianus Bononiensis, in opere quod anno 1700 typis editit, probatum dat, S. Augustino vitate Hipponensi, cujus episcopus erat et a Wandalis undique obsessa, fuerit composita, quo ea et gregem sibi commissum ad divinum auxilium implorandum animaret, et propria sua peccata ante Crucifixum genuflexus amare plangeret. Alia de operibus, quæ vel Sancti sint, vel ei attribuantur, dicenda non invenio, ac proin ad alia, quæ ad eum pertinent, jam propero.

§ XLIV. *Benevolum interum erga se Sanctus comitem Rogerium, decretorio morbo jam decumbentem, experitur, huncque deinde vita functum haud dudum post sequitur, confirmatis ei antea a Paschali papa donationibus omnibus, privilegiisque, quæ vel a comite Rogerio vel ab aliis acceperat.*

715. Milites omnes, qui in obsidione Capuana Rogerium comitem, dominum suum, Capuanis prodere voluerant, captique, cum proditionis consilium exsecutioni jamjam essent madaturi, fuerant, Sancto nostro hic in servitutem perpetuam, dato, quod § XXXIX integrum fere recitavi, diplomate, anno 1099 ex dictis jam tradiderat; verum cum in hoc singulorum illorum militum, filiorumque eorumdem, quos simul Sancto Turritanæque eremo in servitutem perpetuam is princeps pariter tunc dederat, nomina non essent expressa, Lanvinus, monasterii S. Stephani Prior, ad majorem donationis firmitatem a comite Rogerio ex ægritudine, e qua obiit, Mileti decumbente, diploma aliud, in quo hæc singillatim exprimuntur, postulavit, princepsque singulari suo in S. Brunonem amore, ut dubitandum non apparet, non parum ad id impellente, postulationi ejus annuens diploma, quale is cupiebat, impertiit. Exstat id, sed initio, quantum opinor, mutilum, apud Surianum in Annotationibus ad conscriptam a Surio Sancti Vitam pag. 234 et sequentibus.

716. Hisce verbis concipitur : « Hæc sunt nomina et lineæ servorum et villanorum centum duodecim, qui inventi sunt cum Sergio proditore in obsidione civitatis Capuæ Kalendis Martii, Incarnationis Domini anno millesimo nonagesimo octavo, indictione sexta, quos ego Rogerius, Calabriæ et Siciliæ per Dei voluntatem comes, pro miraculo, quod Deus dignatus est mihi visibiliter ostendere orationibus B. Brunonis ad salutem fidelium Christianorum, qui mecum erant, et meam, donavi eidem P. Brunoni, ejusque successoribus non solum ipsos, sed etiam filios filiorum suorum usque in sempiternum, in servos perpetuos et villanos cum omnibus bonis eorum mobilibus et stabilibus, habitis et habendis, ubique locorum sistentibus, cujuscunque sint artis sive negotii, sive marinarii ; quos proditorus ex sententia interfici diversis generibus suppliciorum damnaveram ; sed ad petitionem dicti P. Brunonis tum eis mortem perniciosam peperci; et ad ecclesiarum B. Mariæ de eremo et B. prothomartyris Stephani obligavi perpetuas servitutes et villanigia, et inde fieri feci chirographum apud Squillatium cum donatione qnam feci de monasterio S. Jacobi de Muntauro et tenimenti sui. Sed eorum nomina et lineæ non habentur in eodem chirographo. Ad petitionem autem F. Lanvini, Prioris ecclesiæ S. Stephani, isto privilegio jussi poni in memoriam sempiternam, et hæc nomina et lineæ dictorum servorum et villanorum. »

717. Rogerius modo familiarum, quas in servitutem perpetuam S. Brunoni ejusque successoribus dedit, nomina recenset, quæ, qui volet inveniet loco citatato apud Surianum, qui primo quidem in horum nonnulla, quæ transcribit, ita observat : « Nomina harum familiarum impræsentiarum perseverant pro magna parte, et degunt in pagis monasterio (Territano scilicet in Calabria seu S. Stephani de Nemore) subjectis in utroque foro, qui sunt Serra, Spatul, Bivungium, Gasparina et Montaurum, et in Monte-pavone in temporalibus tantum subjecto, uti putatur fuisse Olivianum vel Arunchum, et in aliis circumpositis pagis et oppidis. Quædam mutaverunt vocales litteras vel syllabas paucas. » Deinde vero, reliquarum, quas Sancto in servitutem Rogerius dedit, familiarum allatis nominibus, diplomatis, seu privilegii, cujus jam initium dedi, finem seu clausulam subnectit : sic autem hæc habet : « Hæ sunt centum duodedim lineæ servorum et villanorum, quos dedi P. Brunoni et successoribus ejus

www.libtool.com.cn

cum omnibus bonis eorum, ubicunque sint, in perpetuum, et habitent ubicunque; et ii fuerunt quasi omnes de tenimento Squillacii et Suberati. Hoc privelegium scriptum est quarto Junii mensis in capella S. Martini, quæ sita est in medio civitatis Mileti, infirmo existente Domino meo comite, per manus mei Fulconis capellani dicti domini comitis, et recitatum in camera, ubi idem dominus meus comes infirmus jacebat, præsente domina mea Adelaide comitissa et concedente Malgerio domini comitis filio, præsentibus Petro de Moritonio, Roberto de Layna, Toraldo Carbonello, Raynaldo de Climpcam, Uberto de Selona, Incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno millesimo centesimo primo, indictione nona. Amen. † Rogerius comes, Adelais comitissa. Petrus de Moritonio. Malgerius, filius comitis Rogerii. Robertus de Layna. Thoraldus Carbonellus. Raynaldus de Climpcam. Ubertus de Solona. Ego Fulco domini comitis Rogerii capellanus de mandato ejus hoc privilegium scripsi et me subscripsi. »

718. Morkensius, qui in chronologico-diplomaticam, quam de S. Brunone digessit, Diatribam ms. instrumenti hujus partem intulit, sigillum plumbeum autographo e corda esse appensum, e litteris, quas ex Italia, id est, e Turritana, ni fallar, Carthusia acceperit, observat, atque adamussim fere cum Suriano tum in dicti instrumenti clausula, quam integram dat, tum in personis, eidem instrumento subscriptis, convenit. Nec inobservatum relinquit, non uno eodemque modo eorum, qui diplomatibus, quæ dedit, subscripserunt, nomina ubique exarari; illum enim, qui exempli gratia in uno diplomate Ubertus de solma vocatur, in altero Ubertum de Solona aut de Selona appellari; verum addit, quod et mihi hic dicendum est, sese, cum instrumentorum illorum autographa ad manum non habeat, sintne hoc vel isto modo nomina illa scribenda, definire non posse. Atque hæc quidem in instrumentum illud Morkensius; verum, cum fieri possit ut non nemo forte, an Rogerius, qui proditionis Capuanæ reos Brunoni in servitutem tradidit, Sanctusque, qui eosdem hoc modo sibi subjici permisit, contra mansuetudinem christianam non peccarit, hæreat dubius, e more, Brunonis ætate justis de causis recepto, omni hunc fuisse culpa immunem, Surianus in suis in contextam a Surio Sancti Vitam Annotationibus pag. 247 et sequentibus recte ostendit. Porro, si auctori huic fides sit, Rogerius comes, non solum, quo de agimus, diploma seu privilegium in S. Brunonis Turritanæque eremi favorem anno 1101 concessit, verum etiam duo adhuc alia.

719. Etenim, postquam in Chronotaxi, quam sui in S. Brunonis Vitam Annotationibus adjecit, factam diplomatis, quo dates a se S. Brunoni in servitutem proditionis Capuanæ reos, expressis singulorum nominibus, Rogerius comes recensuit, concessionem verbis supra datis ad dictum annum 1101 commemoravit, mox ad eumdem annum subjungit: « Item alio sub diplomate dedit prædictus Rogerius comes ecclesiæ B. Mariæ de eremo, et magistro Brunoni casale Arunchium cum omnibus pertinentiis suis, et omnes villanos. Insuper concessit eidem ecclesiæ B. Mariæ et supradictis fratribus suis molendinum subtus Squillacium, constitutum ad fontem de Alexi. Hanc donationem rursus confirmavit prædictus comes in grandi et peremptoria sua ægritudine coram Roberto, electo Melitensium episcopo, et Joanne Squillacino episcopo. » Ab hisce, quæ hic Surianus tradit, non prorsus abludit in Historiæ ordinis Carthusiensis Prospectu Camillus Tutinus, ita ad annum 1102 scribens: « Comes Rogerius donat monasterio S. Mariæ de eremo, nec non Brunoni et Lanvino monachis et successoribus in perpetuum tria castra Aruncum, Montem-aureum et Olivianum et eorum cives atque insuper molendinum in civitate Squillacii. » Verum, prætèrquam quod Tutinus hæc ad annum 1102, quo ex dicendis comes Rogerius jam obierat, perperam indubie commemoret, non satis capio qui verum esse queat, vel tria castra, Aruncum nempe, Montem-aureum seu Mentaurum, et Olivianum una cum Squillacensi molendino, ut Tutinus hic scribit, vel etiam duntaxat Aruncium et præfatum molendinum, ut Surianus ait, Sancto nostro post annum 1099, uti ambo hi scriptores tradunt, a comite Rogerio concessa primum fuisse; etenim, ut diploma, num. 637 et seqq. recitatum, fidem facit, molendinum illud et duo e tribus dictis castris, Mentaurum nimirum et Olivanum seu Olivianum, fuere ab hoc principe S. Brunoni Turritanæque eremo jam inde ab anno 1099 collata, tertiumque, quod alii Aruncum seu Arunchum, alii Aruncium vocant, jam inde etiam ab anno 1094, uti e diplomate, num. 582 et binis seqq. huc transcripto, liquet. Credo itaque, aut binos laudatos scriptores tantum velle, a comite Rogerio castrorum illorum seu (adi num. 717) pagorum donationes, Sancto nostro prius factas, novis datis diplomatibus semel atque iterum fuisse post annum 1099 confirmatas, aut, quod verosimilius reor, non tantum Tutinum, quod quisque, cum in ipso anno, quo res gesta sit, ex jam dictis certo erret, facile admittet, verum etiam Surianum hallucinari.

720. Atque id quidem etiam, quantum ad posteriorem hunc scriptorem, haud admodum difficulter induco in animum, quod in diplomatis, mox memorati annoque ex dictis 1099 dati, parte, quam ipsemet operis sui pag. 223 et seqq. recitat, tum Aruncii, tum Squillacensis molendini donatio, S. Brunoni a comite Rogerio facta occurrat. Nec est quod pro Suriano hic reponas, comitem Rogerium reorum duntaxat, quos Sancto per diploma anni 1099 in servitutem tradidit, et monasterii S. Jacobi de Mentauro, quod S. Brunoni per diploma itidem anni 1099 impertiit, in diplomate anni 1101, quo donationes anno 1099 Sancto a se factas recenset facere mentionem, ac proin, non Surianum, qui Arunchum et molendinum subtus Squillacium S. Brunoni anno 1101 a comite Rogerio datum fuisse scribit, hallu-

www.libtool.com.cn

cinari, sed diploma anni 1099 num. 637 et seqq. huc translatum, quo et hæc et alia multa, proxime recitatis Tutini verbis partim memorata, Sancto comes dederit, esse corruptum; Arunchum enim seu Aruncum S. Brunoni comes non primum per diploma anni 1099 impertiit, sed jam antea (adi num. 583) per diploma anni 1094 impertito terminos seu limites (videsis num. 641) jussit apponi; quod vero pertinet ad molendinum subtus Squillacium, hoc quidem una cum Oliviano seu Olivano aliisque nonnullis per diploma anni 1099 Sancto primum largitus est comes Rogerius; verum præterquam quod non pauca ex his ad Monasterium S. Jacobi de Mentauro spectarent, sicque hujus mentionem in dicto anni 1101 diplomate faciens Rogerius mentionem pariter illorum faciat, fieri potest ut hic princeps donationes, quas in S. Brunonem anno 1099 contulerat, non omnes, sed præcipuas duntaxat commemorare in præfato anni 1101 diplomate voluerit; ut proinde, quas in hoc non recenset; factus dicto anno 1099 non fuisse, consequens non sit. Jam vero cum hæc ita habeant, non Tantum Tutinus, sed etiam Surianus, dum, anno 1101 Arunchum et Squillacense molendinum Sancto nostro a comite Rogerio datum fuisse scribit, fuerit hallucinatus.

721. Atque id ex eo factum suspicor, quod, cum comitem Rogerium, Arunchi, molendini Squillacensis, aliarumque multarum rerum donationes, quas Sancto antea fecerat, anno 1101 confirmasse alicubi legisset, confirmationem hanc pro prima donatione quantum ad Arunchum et molendinum Squillacense acceperit, in erroneam hanc opinionem inductus, partim quod datum num. 582 et binis seqq. diploma ad manum non habuerit, animumque ad recitatum a se anni 1099 diploma non adverterit, partim quod diplomatis, quo anno 1101 donationes omnes, antea a se S. Brunoni factas, comes Rogerius confirmavit, partem duntaxat, supra huc allatam, in quo nec Arunchi, nec molendini Squillacensis mentio fit, ad manum habuerit. Ne vero quis putet, perperam a me, quod ex comitis Rogerii anni 1101 diplomate supra huc transcriptum est, pro hujus duntaxat parte haberi. Morkensius in chronologico-diplomatica sua de S. Brunone Diatriba ad annum 1101 sic scribit: « Rogerius comes Calabriæ et Siciliæ in peremptoria ægritudine sua donationes, immunitates ac privilegia S. Brunoni ac fratribus eremi Calabrinæ hactenus concessa confirmat data charta apud Miletum 4 Junii, in qua et Capuanæ proditionis reos nomine quemlibet suo exprimit. » Hæc Morkensius, qui, uti ipsemet ait, integrum comitis Rogerii diploma, postremo huc transcriptum, præ manibus habuit; cum autem diploma, cujus verbis recitatis meminit, quarta, ut ait, Junii datum fuerit, de alio sane diptomate, quam quo Rogerius comes singulorum, quos Sancto in servitutem tradidit, nomina expressisse a Suriano narratur, non loquitur; quod cum ita sit, consequens est ut hoc Rogerius non tantum nomina illa recensuerit, verum etiam donationes omnes, S. Brunoni antea factas, confirmarit, utque proinde, cum diploma illud, prout apud Surianum exstat, confirmationem illam non complectatur, non pro instrumento integro, sed pro ejusdem parte duntaxat possi haberi.

722. Surianus porro, postquam hanc in medium adduxit, paucis duntaxat, quæ hic commemorari necesse non est, interjectis subjungit: « Cæterum hoc ipso, » quo nempe ultimo jam memoratum diploma datum notatur, « mense Junio (XXI die, ut in emortuali libro Carthusiæ illius, Calabrinæ nempe S. Stephani, legitur, vel XXII ut in Cassinensi) Rogerius comes obiit anno 1101, ut habet Chronicon Lupi Protospathæ, qui hoc tempore vivebat in Apulia, quamvis male Julium habet pro Junio, forte scriptoris vitio. Felix vel hoc nomine princeps, quod post hanc liberalissimam donationem, velut in altero sæculo recepturus mercedem ad Deum statim migrarit pulcherrimis misericordiæ fructibus cohonestatus; quem trimestri tantum post evoluto spatio sequutus est S. Bruno, eodem, quo Rogerius, anno de istis mundi turbinibus extractus, de morte jam proxima lætus et de vicina accersitione securus, postquam præcessisse eum vidit, de cujus adhuc unius salute cogebatur esse sollicitus. Quem etiam tanto ocius et festinantius sequi voluisse visus est, ut apud summum judicem Deum pro animæ ejus absolutione, si forte locis obnoxia purgatoriis teneretur adhuc, fiducialius intercederet, oblatis prius sacrificiis corporis et sanguinis illius, qui a Matre quinque siclis olim fuerat redemptus. » Ita ille et recte quidem, quantum opinor, Rogerium comitem mense Junio, non Julio, ut Lupsus Protospatha scribit, obiisse, e Carthusiæ S. Stephani Necrologio contendit, licet interim Fazellus lib. VII, decade 2 et post hunc Rocchus Pirrus in regnum Siciliæ Chronologia pro mense Julio stent; mensem enim hunc Rogerio emortualem a Fazello notari, sola Lupi Protospathæ, ni fallar, auctoritate est factum, nec raro fit, ut in Lupi Chronico, quod in hujus autographo, ut apparet, mensium nomina unica duntaxat capitali seu initiali littera exarata fuerint, mensis Martius pro Maio aut contra, itemque mensis Julius pro Junio aut contra a librariis positus inveniatur. Jam vero, cum res ita habeat, Rogerius septem duntaxat aut octodecim dies a dato, quo, quascunque antea S. Brunoni fecerat, donationes confirmavit, diplomate in vivis mansis superstes.

723. Sanctum nostrum una cum Lanvino ad Rogerium, extremo suo morbo Mileti laborantem, accurrisse, piisque adhortationibus et monitis in gravissimis decretoriæ ægritudinis molestiis assidue eumdem esse consolatum, Zanottius in conscripta a sese Sancti Vita seu Historia, uti eam vocat, cap. 30 scribit, addens etiam Brunonem cum Mileto, e vivis jam sublato comite Rogerio, in Turritanam eremum esset reversus, exsequias pro principe illo, cui sane plurimum erat obstrictus, celebrari, magnumque Missarum numerum fieri curasse, ac monachis suis

www.libtool.com.cn

præterea injunxisse ut precibus, jejuniisque ac aliis pœnitentiæ operibus multiplicatis divinam misericordiam pro principis in Turritanam eremum beneficentissimi anima implorarent. Ita loco citato ille. Et sane hoc postremum, quod etiam a Sancto factum fuisse Surianis verbis proxime recitatis in fine innuit, nemo facile, quantum opinor, qui Sanctum ab ingrati animi vitio longissime haud dubie exstitisse alienum, considerarit, in dubium revocavit, etsi interim res nullo plane antiquitatis testimonio confirmata inveniatur. Nec, quin Sanctus aut ipsemet ad comitem Rogerium, gravissimo morbo, quo diem extremum clausit, Mileti decumbentem, quo eum in ægritudinis molestiis solaretur, piisque monitis ad æternitatis iter præpararet, sese contulerit, aut saltem Lanvinum aliumve e suis, qui id præstaret, miserit, ambigendum videtur, cum anno 1098, ut supra vidimus, eumdem comitem Rogerium, ut eum in morbi, quo ab obsidione Capuana reversus Squillacii tum decumbebat, molestiis solaretur, quatuor etiam sibi adjunctis sociis, adierit, nec Miletum a Turritana eremo multo longius, quam Squillacium, sit remotum.

724. Attamen, cum Sanctus jam inde ab anno 1100 aut etiam (adi num. 678) jam inde ab anno 1099 continuis fere ac gravibus, uti ipsa epistola supra jam data, quam tunc per Landuinum ad Majoris Carthusiæ fratres misit, fidem facit, infirmitatibus laborarit, nec dudum post, uti infra videbimus, e mortali hac vita ad immortalem migrarit, fueritne tunc ille, quo minus ipsemet comitem, adversa valetudine Mileti laborantem, adiret, morbo impeditus, non parum ambigo, licet interim, quin vel ipsemet Sanctus id fecerit, vel alium sui loco ad Rogerium miserit, dubitandum non arbitror, ut jam dixi. Ut ut interim res habeat, summæ equidem curæ amantissimi principis, a quo plurima beneficia acceperat, salutem S. Brunoni fuisse, facile quisque ex jam dictis intelliget. Nec vero apparet absimile, precibus suis apud Deum effecisse illum, ut comes Rogerius vitam, inter assiduas fere belli turbas actam, felici exitu tandem terminaret, e misera hac lacrymarum ærumnarumque valle ad æterna cœli gaudia translatus. Haud dudum porro, ut jam monui post Rogerii comitis obitum Sanctus quoque e vivis excessit; ante tamen quam id fieret, donationes, immunitates, diplomata omnia, Turritanæ eremo hactenus concessa, a Paschale II, summo pontifice, qui Urbano II anno 1099 e vivis sublato, in S. Petri cathedram successerat, confirmari impetravit. Anno scilicet 1101, ad Julium jam provecto, Miletum venerat Paschalis, hacque occasione postulari ab eo curavit, aut etiam ipsemet per se Sanctus postulavit, ut, quæ Turritanæ eremo sive a comite Rogerio, sive ab aliis quibuscunque fuerant collata, ea ipse concessa bulla roboraret, sancti autem viri postulato benignissime pontifex annuit.

725. Paschalis papa, inquit ad annum 1101 in Chronotaxi, suis ad contextam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus addita, pag. 403 Surianus : « Mileti existens VI Kal. Augusti ad petitionem S. Brunonis et Lanvini donationem loci, quem pro habitatione sua (Bruno scilicet ejusque socii) elegerant, factam ab egregiæ memoriæ comite Rogerio, et confirmatam, ab Urbano II, rursus diplomate suo confirmat, itemque donationes alias et privilegia eisdem concessa. » Tutinus, donationem duntaxat, qua Rogerius comes S. Brunoni tria castra Aruncum, Montem aureum, et Olivanum, atque insuper Squillacense molendinum impertierat, a Paschali confirmatam fuisse, in Historiæ Carthusiensis Prospectu pag. 14 scribit. Verum Suriano assentiendum mihi suadet Morkensius, qui bullam aut, si mavis, Breve, quod Brunoni Paschalis impertiit, integrum hactenus in Calabrina S. Stephani domo seu Carthusia asservari, in chronologico-diplomatica sua de S. Brunone Diatriba affirmat, hunceque præterea scribit in modum : « Paschalis II papa VI Kal. Augusti anno 1011 Mileti existens omnes donationes, immunitates cæteraque priviligia, a Rogeriis duce et comite concessa, ab episcopis (adi num. 558 et seq.) Rheginensibus et Squillacensibus approbata, et ab Urbano II confirmata, data bulla corroborat. » Ita ille, et recte quidem, quantum opinor, licet interim ipsam bullam pontificiam, quo certius de illis, quæ hic memoriæ proditi, pronuntiare possem, ad manum vellem habere.

726. At vero, cum modicum duntaxat temporis spatium post concessam a Paschale Bullam esset elapsum, languore seu infirmitatibus, quibuscum Sanctus, ut dictum, jam ab anno 1100 aut etiam paulo citius fuerat conflictatus, paulatim ingravescentibus, gravissimum incidit in morbum, quo tandem ad extrema deductus e mortali hac vita ad immortalem, vocante eum ad cœlestes nuptias Domino, migravit; ut autem vir Sanctus mortem sibi appropinquare sensit, fratres suos seu discipulos ad se vocavit, eisque totius vitæ suæ ab infantia cursum exposuit, aliaque præstitit, quæ in encyclica, quam de sancti Patris sui obitu scripserunt, quamque integram Titulis funebribus præmittam, epistola religiosi Turritanæ eremi incolæ exponunt. « Sciens, inquiunt, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus suis, ab ipsa infantia singulas ætates suas replicavit, et totius temporis sui scientia et sententia dignum, » id est, ut Mabillonius in Annalibus lib. LXX, num. 29 interpretatur, « divina animadversione dignum proclamavit. Postea fidem suam de Trinitate protracto et profundo sermone exposuit et conclusit sic. » Professionis fidei modo, quam Sanctus tunc emisit, partem subjungunt ; verum hanc, tum ut, quod supra promisi, præstem, tum ne hic pretiosum venerandæ antiquitatis puræque ac illibatæ Sancti nostri fidei monumentum studioso lectori desiderandum relinquam, integram huc transferre lubet e quarto, cui ad pag. 400 exstat insertum, Analectorum Mabillonii tomo.

www.libtool.com.cn

727. Ita habet : « Credo firmiter in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ex utroque procedentem, et has tres personas unum Deum. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Credo quod Virgo castissima fuerit ante partum, virgo in partu, et post partum, virgo in æternum permanserit. Credo, quod idem Dei Filius conceptus sit inter homines, ut verus homo, sine peccato. Credo quod idem Dei Filius invidiose a perfidis Judæis captus sit, injuriose tractatus, injuste ligitus, consputus, flagellatus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferos, ut captivos suos inde liberaret, descendit propter redemptionem nostram, et resurrexit Ascendit ad cœlos, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo Sacramenta quæ Catholica credit et veneratur Ecclesia : et nominatim, quod consecratur in altari, verum corpus esse, veram carnem et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quem et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ. Credo carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen. Confiteor et credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum naturalem, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur, Ipse Pater a nullo originem ducit, ex quo Filius nativitatem, et Spiritus sanctus processionem accepit. Fons ipse igitur et origo est totius divinitatis: ipse quoque Pater essentia quidem ineffabilis, subtantia sua Filium genit ineffabiliter, nec tamen aliud, quam quod ipse est. Genuit Deus Deum, Lux Lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in cœlo et in terra. Amen. »

728. Monumentum hoc apud Mabillonium sequentem in capite titulum aut, si mavis, scriptam a Sancti discipulis notulam præfert : « Fidem magistri Brunonis, quam communiter fratribus suis protestatus est, cum horam sibi appropinquare sensisset, ut omnis carnis viam ingrederetur, scriptam servare curavimus, eo quod satis intime coram Deo nos illius fidei testes esse rogaret. » Surianus, qui quoque monumentum illud integrum, a Mabilloniano exemplari in nonnullis duntaxat exigui momenti lectionibus diversum, in suis ad concinnatam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus pag. 253 et seq. recitat, fuisse id in domo S. Stephani anno 1514, quo hanc postliminio ad Carthusiensem ordinem revocari contigit, in fine cujusdam veteris Menologli repertum, observat ; ut proinde, qua id Sancti discipuli, Calabrinam eremum incolentes, servari sese curasse, produnt, exstans apud Mabillonium, moxque huc transcripta notula pro suspecta habenda non sit. Nec est cur scrupulum cuiquam moveat, quod religiosi Turritanæ eremi incolæ in epistola encyclica proxime laudata de Sancto dicant : « Fidem suam de Trinitate protracto et profundo sermone exposuit et conclusit sic, « Credo » etiam sacramenta quæ sancta credit et venera- » tur Ecclesia: et nominatim panem et vinum, quæ » consecrantur in altari, post consecrationem verum » corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram » carnem et verum sanguinem, quæ et nos accipi- » mus in remissionem peccatorum nostrorum, et in » spe salutis æternæ, » nec tamen verbis hisce concludatur modo data, quam Sanctus morti proximus emisit, fidei professio; etsi enim hisce de recondito Eucharistiæ sacramento verbis alia nonnulla, quæ ad fidem de sanctissima Trinitate spectant, in jam recitato e Mabillonii Analectis monumento subdantur, ipso tamen etiam hujus initio verba, quibus suam Sanctus de eadem sanctissima Trinitate fidem exposuit, ponuntur, nec nisi post verba, quibus, quæ alia adhuc crederet, Sanctus professus est, sequuntur proxime huc transcripta, quibus suam de sanctissimo reconditoque Euchararistiæ sacramento fidem fratribus astantibus declaravit.

729. Quod cum ita sit, merito utcunque Turritanæ eremi incolæ seu S. Brunonis discipuli in præfata epistola encyclica, sanctum Patrem suum, quam jam moriturus emisit, fidei suæ professionem iis, quæ de Eucharistia crederet, conclusisse seu terminasse, aiunt, licet interim verbis, per laudatos Sancti discipulos allatis, quibus id fecit, alia nonnulla de sanctissima Trinitate subdantur. Quod si id displiceat, dicendum equidem potius videtur, Turritanæ eremi Sancti discipulos in loquendo minus fuisse exactos, quam antiquum, quod e Mabillonii Analectis dedi, documentum esse corruptum, aut in ordine, quo, quæ complectitur, tam apud hunc, quam apud Surianum posita sunt, esse perturbatum. Qnid hoc præterea ratione doctrinæ, doctrinæ Berengarianæ e diametro quantum ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum oppositæ, annotandum offerat, facile quisque ex iis, quæ num. 68 et seq. dicta sunt, perspiciet. Quare eo remisisse lectorem contentus, ea modo, quæ de tempore, quo Sanctus ad Superos migravit, dicenda hic restant, expedio. Sancti in Turritanæ eremo discipuli in epistola encyclica, ad diversas ecclesias monasteriaque scripta jamque sæpius laudata, qua hisce dilectissimi Patris sui obitum nuntiarunt, precesque pro ejus anima ab iisdem postularunt, ita sub finem scribunt : «Proxima die Dominica sancta illa anima (Brunonis videlicet) carne soluta est pridie Nonas, id est, sexta die, Octobris anno Domini millesimo centisimo primo. » Et carminibus, quibus Epitaphium, Sancti tumulo appositum infraque huc transcribendum, constat, penultimum sic habet: «Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit. » Quare, cum proxime a Sancti obitu dicta epistola encyclica scripta sit, nec dudum etiam post epitaphium illud Sancti tumulto appositum fuisse videatur, dubitandum sane nullo modo est, quin Bruno et anno 1101 et sexta Octobris die ad Dominum migrarit; ut enimvero mirandum sit, Tutinum in Historiæ Car-

thusiensis Prospectu, pag. 14 S. Brunonis obitum anno 1102 innexuisse.

730. Nec minus mirandum est, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IX in inferiori paginæ 239 ora notare, concipi non posse qui Ruinartius in Urbani II papæ Vita; num. 2 pag. 8, S. Brunonis obitum anno 1099 innectat; ibi enim Ruinartius, non de Brunone; sed de Urbano II papa, qui hoc anno obierit, sermonem facit, nec alibi, quod sciam, in eadem Urbani papæ Vita alio anno, quam nos, Sancti nostri obitum consignat; ut proinde illum male interpretati laudati scriptores verosimillime fuerint. Porro antiquior Sancti nostri biographus de eo num. ultimo ita prodit memoriæ : « Migravit ad Dominum post egressum Carthusiæ undecimo anno nec plus nec minus, sicut in libris Consuetudinum domni Guigonis, quæ sunt in domo Carthusiæ, continetur; » verum in verbis hisce errorem cubare, vocibusque « undecimo anno nec plus nec minus » substituendas esse, quas suppeditatum a primorum quatuor Carthusiæ Priorum chronologo hicque num. 7 jam datum Sancti elogium exhibet, has sequentes, « undecimo plus anno, » palam est ex iis, quæ § XXX de tempore quo Sanctus e Carthusia Romam ab Urbano II papa arcessitus fuit, disserens num. 518 et seq. in medium adduxi. Atque hæc de anno et die quo Bruno e mortali hac vita ad immortalem migravit, dicta sufficiant ; ad ea modo, quæ Sancti obitum secuta sunt, gradum faciamus.

§ XLV. *Quia in eremi Turritanæ Ecclesia Sanctus fuerit sepultus, et quid de miraculis, sepulturam ejus secutis, aliisque nonnullis ad eum utcunque spectantibus ac tempus, quo in Sanctorum, seu potius beatorum album relatus fuit, prægressis, sit censendum.*

751. Cum duæ, ut jam supra docui, in Turritana eremo Ecclesiæ, quarum una sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ et S. Joanni Baptistæ, altera eidem Dei Genitrici et S. Stephano protomartyri sacra esset, Sancti nostri ætate exstiterint, fueritne is in hac, an in illa terræ mandatus, potest non immerito dubitari, aliis pro priori e duabus illis ecclesiis, aut certe pro hujus quæ simpliciter etiam « Ecclesia S. Mariæ de eremo » dicebatur, cœmeterio ; aliis contra pro posteriori e duabus dictis ecclesiis pronuntiantibus, licet interim in concordiam omnes utcunque fortassis queant adduci, uti ex infra dicendis pronum erit colligere. Ac Brunonem quidem in S. Stephani Ecclesia, quæ et temporis lapsu « Ecclesia S. Stephani de nemore seu de bosco » dicta fuit, sepultum fuisse, Blomenvenna hunceque secutus Surius in conscripta a se sancti Vita diserie, ut apparet, affirmant. Binis hisce Sancti biographis sese deinde junxerunt Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. 70, num, 29, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. IV, pag. 240 aliique nonnulli. At vero Camilus Tutinus in Historiæ ordinis Carthusiensi. Prospectu, Sanctum nostrum in Ecclesia S. Mariæ de eremo sepulturam nactum esse, non minus diserte tradit, pag. 15 sic scribens : « Corpus S. Brunonis a monachis sepulturæ traditur in Ecclesia sanctæ Mariæ de eremo prope ejus altare. » Ad hæc, Sancti vita jam functi corpus, cum trium dierum spatio publicæ venerationi in ecclesia S. Mariæ de eremo expositum fuisset, ad extremam deinde cœmeterii, huic adjuncti, partem, uti ipsemet injunxerat, delatum, in arca marmorea ibidem sepultum fuisso, in S. Brunonis Vita seu Historia cap. 31 Zanottius scribit, Monumenta Calabriæ mss. pro se laudans; etsi autem, qualia hæc aut quantæ antiquitatis sint, nuspiam edicat, sanctum tamen, non in Ecclesia S. Stephani, sed vel in Ecclesia S. Mariæ de eremo, ut Tutinus tradit, vel saltem in adjuncto huic cœmeterio, ut Zanottius e Monumentis illis memoriæ prodit, terræ mandatum fuisse, credendum videtur, quod eum in monasterii, in quo ex dictis decem circiter annis vitam eremiticam duxerat, Ecclesia aut saltem in hujus cœmeterio potius, quam in monasterii alterius, quod nunquam incoluerat, monachisque, vitæ eremiticæ minus aptis exstruxerat, Ecclesia sepeliri voluisse, verosimile appareat.

732. Ad hæc Morotius in Chronologico ordinis Carthusiensis Theatro pag. 226 sic scribit : « S. Brunone in sanctorum album relato, ejus corpus ab Ecclesia S. Mariæ de Turri ad aliam S. Stephani de nemore translatum est. » Ita ille; cui cum præterea alii nonnulli scriptores hic assentiantur, vere fuisse S. Brunonis, sanctis seu potius ob dicenda beatis jam ascripti corpus ad Ecclesiam S. Stephani ex Ecclesia S. Mariæ translatum, indubitatum apparet, maxime cum nullus prorsus scriptor occurrat, qui contrarium prodat memoriæ. Jam vero cum id ita sit, Sanctusque e loco, quo terræ fuerat mandatus, ad S. Stephani Ecclesiam verosimiliter fuerit translatus, fuisse eum in Ecclesia S. Mariæ de eremo sepulturam nactum, verosimile apparet. At vero inquies, postquam monasterium S. Stephani a Carthusiensi instituto ad Cisterciense anno 1192 defecerat, abbates illius veriti, ne Carthusiani sacras Institutoris sui reliquias repeterent, summa eas semper cura, ut Blomenvenna et post hunc Surius in suis de Brunone lucubrationibus e facta per Carthusianorum Neapolitanorum (adi num. 780) Priorem relatione memoriæ produnt, custodierunt; quod ut facerent securius, nunc hoc, nunc illo loco, abbate duntaxat, alioque viro fide digno rem noscente, sacra illa pignora collocarunt; ut proinde ex eo quod hæc e S. Mariæ de eremo Ecclesia ad Ecclesiam S. Stephani de nemore seu de bosco, cum anno 1514 sanctorum seu beatorum catalogo Brunonem ascribi contigisset, fuerint translata, consectarium neutiquam sit, ut in eadem S. Mariæ Ecclesia terræ fuissent mandata. Ita contra opinionem qua Sanctum, non in Ecclesia S. Stephani, sed in Ecclesia S. Mariæ aut saltem in hujus cœmeterio sepulturam nactum arbitramur, potest argui.

www.libtool.com.cn

733. Verum quid si ad præfatum Carthusianorum priorem, quod de occultatis a Cisterciensibus S. Brunonis reliquis Blomenvenna et Surius memorant, falso duntaxat rumore fuerit delatum? Esse sane apparet, cur ita factum putetur. Etenim sacrum Sancti corpus anno 1513, Sancti canonizationem, uti eam vocant, proxime prægresso, in S. Mariæ Ecclesia, ut Tutinus in Historiæ ordinis Carthusiensis Prospectu ad annum 1513 memoriæ prodit, fuit repertum, nec verosimile videtur, factum id fuisse ex eo, quod abbates S. Stephani pretiosum thesaurum, quo eum ocultarent, e monasterio S. Stephani, commorationis suæ loco, in cujus Ecclesia primitus fuisset reconditus, ad Ecclasiam S. Mariæ, a dicto monasterio sejunctam seu dissitam, transtulissent. Jam vero cum id ita sit, fuisse, S. Brunonem in Ecclesia S. Mariæ aut saltem in adjuncto huic cœmeterio terræ mandatum, verosimilius, omnibus consideratis, apparet. Nec est, quod hic objicias anno 1513 datam infraque recitandam Leonis X papæ bullam, in qua (adi num. 755) sequentia isthæc, « In cujus (Monasterii nimirum S. Stephani) Ecclesia corpus S. Brunonis, dicti ordinis institutoris, dicitur esse reconditum, » verba occurrunt; præterquam enim quod ex aliorum duntaxat, qui facile decipi potuere, relatione seu opinione pontifex ita ibidem loquatur, cellulæ a S. Brunone prope Ecclesiam S. Mariæ de eremo exstructæ, quamdamque una cum hac monasterii speciem præferentes, jam inde ab anno, quo religiosi hujus, monasteriique S. Stephani incolæ ad Cisterciensem ordinem sese ex dicendis transtulere, 1192 aut etiam citius inhabitari, ut apparet, desierunt, ecclesiæ S. Mariæ curam interim ac dominium monasterio S. Stephani gerente; adeo ut hoc ab illo tempore duas ecclesias, alteram nempe S. Mariæ, alteram S. Stephani dictam, habuerit, utque sub monasterii S. Stephani de Bosco nomine, non hoc tantum, sed etiam S. Mariæ de eremo monasterium venisse videatur. Ita omnino autumo, quod in monumentis omnibus, anno 1192 posterioribus, in quibus de religiosis Turritanæ eremi ædibus sermo fit, solum S. Stephani de Bosco monasterium memoretur.

734. Jam vero, cum id ita sit, S. Brunonis corpus, ut ut S. Mariæ Ecclesia esset reconditum, in monasterii S. Stephani Ecclesia jacere, a Leone papa dici absque veritatis dispendio in bulla cit. potuit. Nec apparet, Blomenvennam aliosque, qui sancti corpus in monasterio S. Stephani seu in hujus Ecclesia sepultum fuisse, scribunt, de Ecclesia sanctæ Mariæ non posse intelligi. Verum sive tandem Sanctus in hac, sive in illa eremi Calabrinæ Ecclesia tumulum nactus fuerit, sequens equidem ad hunc, uti in conscripta a se Sancti Vita Blomenvenna, sermonem de Brunonis sepultura instituens, testatur, Epitaphium fuit appositum :

Promus in hac eremo Christi fundatur ovilis
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies eremi
Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe,
Desuper illud erat gratia, non meritum,
Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit,
Spiritui requiem, qui legis ista, pete.

Ita ille Sancti nostri biographus : ei autem in concinnata a se sancti Vita Puteanus etiam consentit ; in posteriori tamen hujus editione, apud Judocum Ascensium Parisiis anno 1524 adornata, in carminibus, quibus jam datum Sancti epitaphium constat, mutatio quæpiam facta est. Pro primo enim hexametro, verosimillime quod in eo contra prosodiæ leges secunda syllaba in vocabulo eremus contrahatur, positum est hoc aliud : « Primus in hac Christi fundator ovilis eremo ; » secundo autem pentametro eadem verosimillime de causa substitutum est hoc sequens aliud : « Transtulit ad Calabros grata quies nemoris. » Ad hæc Surius pro ultimo epitaphii recitati pentametro sequens exhibet : « Ossa manent tumulo, spiritus astra petit. » Verum cum et in antiquiori Vitæ a Putaneo contextæ editione, Basileæ haud dudum post annum 1514 adornata et in antiquis documentis, ad editionis hujus calcem adjectis, tria jam dicta carmina eodem modo, quo apud Blomenvennam, legantur, fuisse sane eodem etiam modo primitus scripta, Sanctique tumulo apposita, verosimillimum, ne dicam, indubitatum apparet.

735. Discutiamus modo quæ post Sancti sepulturam contigisse narrantur. « Sepultus est autem, » inquit in sancti Vita Blomenvenna, « vir Dei in monasterio suo Sancti Stephani protomartyris post summum altare ; ad cujus sepulcrum fons emanat vivus, qui divina clementia et ejus meritis multis fidelium optatæ remedia confert sanitatis Ubi etiam ut alibi legitur, est videre mirabile, cæcos illuminari, surdos ad auditum restitui, mancos mutilatosque sanari, leprosos mundari, a dæmone obsessos ocius repurgari. Verum his omnibus miraculis, si divo Hieronymo creditur, illud est magis mirandum quod ferme omnes in rotulo (titulorum funebrium edendorum [seriem, E. P.] complexo) prædicto stupere se ostendunt, dum toties replicant ac consona voce prædicant, gloriam illum et honorem tantum calcare et in tanta vitæ austeritate, veritate et perfectione cursum vitæ feliciter consummare potuisse. » Ita ille : ne autem quisquam de fontis, ad Sancti tumulum, uti hic astruere videtur, prodigio excitati, veritate fortassis ambigat, mox subjungit : « Non debet autem cuiquam scrupulum movere, si fons ille jam ad sepulcrum Viri Dei non cernatur ; fontes quippe miraculose educti non semper sunt perpetui sicut nec fons olei, qui tempore nativitatis Christi Romæ legitur emanasse. Vidi ego ad sanctum Mauricium in loco decollationis ejus foramen sine oleo, per quod olim emanasse oleum ab accolis loci illius vasserebatur. Miracula enim a Domino fiunt in revelationem et commendationem sanctitatis servorum ejus, et ideo, ubi eorum sanctitas perfectæ in-

notuerit, non nunquam miracula cessant. De sancto Nicolao legitur, quod ex sacris ossibus ejus oleum emanaverit; sed ob demerita populi, uno e successoribus suis de sede sua injuste expulso, fluere desierit.

736. « Pari modo existimandum est de fonte S. Brunonis, nimirum exsulante a monasterio ejus religione, ab ipso sanctissime inchoata. Cum enim vir Sanctus obdormisset in Domino, mansit monasterium ipsum in proposito vitæ eremiticæ sive ordinis Carthusiensis, quam prius in eremo Carthusiæ et postea in Calabriæ eremo sanctus Bruno instituit. Successerunt ei in regimine dictæ domus quinque Priores usque ad tempora venerabilis Guigonis, Prioris Majoris Carthusiæ. Cunctis vero diebus seniorum, qui viderant et audierant et novorant omnia opera Domini, quæ per servum suum Brunonem operari dignatus est; quibus tandem succedentibus aliis, qui hæc non noverant, cum jam ordo Carthusiensis in Gallia circa Carthusiam et alibi multiplicari cœpisset, monasterium illud Calabriæ solum remansit a sanctitate et fervore tanti Patris per teporem degenerans. Cum vero a domo Carthusiæ visitatores et reformatores petens, propter distantiam nimiam habere non posset, ad aliud propositum, ordinem scilicet Cisterciensem, qui, tum recens plantatus et a sancto Bernardo verbo atque exemplo rigatus, in magno fervore perseverabat, se contulit, cum jam in proposito Carthusiensis ordinis, in quo fundata fuerat, annis sexaginta durasset. » Ita hactenus Blomenvenna, iterum hic sibi, ut sæpe alias, quantum ad substantiam Surium, non tamen Puteanum, utpote qui Sancti meritis multa post ejus obitum miracula operari Dominum dignatum esse, generatim duntaxat scribat, consentientem habens. Verum quid modo de fonte, qui ad Sancti tumulum prodigio excitatus fuerit, de miraculis ad hunc, facientibus id Sancti meritis, magno numero patratis, de tempore, quo is exaruerit seu esse desierit, ac tandem etiam de causa, ob quam hoc acciderit, sentiendum est?

737. Ut a prodigio excitati ad tumulum fontis ducam initium, cum hujus nec Puteanus in conscripta a se Brunonis Vita, nec ullus, quod sciam, scriptor seu æqualis seu suppar mentionem faciat, esse sane videtur cur, an vere ad Sancti tumulum miraculo fons eruperit, in dubium a non nemine revocetur. Et vero cum inventi fuerint qui, quemadmodum supra vidimus, in Carthusia, cum hanc Sanctus ejusque socii primum fuissent ingressi, divinitus fuisse excitatum fontem, confixerint, aut saltem ex errore crediderint, quidni etiam factum esse queat ut, vel ex errore vel ex fingendi licentia, prodigio ad Sancti nostri tumulum ebulliisse fontem, in litteras missum fuerit, propensiusque deinde ac facilius, quam par esset, a prodigiorum amantibus creditum? Attamen cum sequentia hæc verba, « Juxta sepulcrum ejus (S. Brunonis nimirum) immediate fons vivus emanat, qui divina clementia in hujus Viri sancti meritis multis languoribus fidelium optatæ confert remedia sanitatis, » primorum quinque Carthusiæ Priorum chronologus seu antiquior Sancti nostri biographus num. ultimo suppeditet, isque, ut jam supra docui, sæculo tertio decimo, ac proin, duobus forte nondum post Sancti obitum sæculis elapsis, floruerit, nec eum, quod de fonte, ad Sancti tumulum prodigiose excitato, verbis recitatis memorat, aut ex antiquiori monumento, aut saltem e traditione hausisse, vero appareat absimile, e terra ad Brunonis tumulum, aut, si mavis, ex hoc ipso non erupisse prodigiosum fontem, indubitanter asseverare non ausim, licet interim de re, quod indubitatæ prorsus ac certæ fidei vade non innitatur, multum dubitem.

738. Nec dubitationem, quæ, quod non amplius, ipsomet Blomenvenna verbis recitatis fatente, ad Sancti tumulum fons inveniatur, non parum augetur, tollere queunt quæ potissimum hic Sancti biographus in causa fuisse scribit ut prodigiosus fons ille exaruerit seu esse desierit. Dato enim, vere fuisse fontem ad Sancti tumulum prodigio excitatum, desiisse eum, quod, ut per verba num. 736 recitata (utpote per vocem Religio (adi num. 742) idem ibidem, quod per vocem Ordo, intelligens) velle videtur, religiosi Turritanæ eremi incolæ Cisterciense institutum essent amplexi, parum verosimile apparet, cum hi duntaxat id fecerint, ut, collapsa apud eos religiosa disciplina, a vita minus austera, ad quam, primævo instituti sui rigore relicto, defecerant, ad vivendi normam magis rigidam magisque sanctam transeuntes Deo perfectius possint famulari, quemadmodum ipsemet Blomenvenna verbis recitatis indicare videtur, fidemque etiam facit mox recitanda Cœlestini papæ bulla seu breve. Sunt quidem qui illos a Carthusiensi instituto ob causas quæ Deo minus placere debuerint, resiliisse contendunt; verum hisce assentiendum non esse alii volunt, nec quorum ex parte veritas stet, multum ad rem nostram facit. Demus enim etiam, justam omnino, ob quam Turritanæ eremi incolæ a Carthusiensi ad Cisterciense institutum deflexerint, causam non exstitisse, nec sic tamen verosimile evadet, factum esse ut fons, qui ad tumulum S Brunonis prodigio excitatus fuisset, ob eorum ad Cisterciense institutum defectionem, exaruerit. Qualiscunque enim ea fuerit, sese equidem ad vitæ institutum nullo prorsus e capite contemnendum multisque nomini ussummopere commendandum transtulere, nec id, nisi assentiente ac approbante summo pontifice Cœlestino, fecere, uti e bulla, qua hic eis ad Cisterciensem ordinem transeundi facultatem fecit, manifestum est.

739. Hanc idcirco e Suriano, qui eam suis ad compositam a Surio S. Brunonis Vitam Annotationibus seu potius Chronotaxi hisce adjectæ pag. 469 et seq. inseruit, transferre huc lubet. Sic habet: « Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, di-

www.libtool.com.cn

lectis filiis fratribus cœnobii S. Stephani de Bosco in Calabria salutem et apostolicam benedictionem. Ad religionis ordinem propagandum et ad suos palmites extendendos ex officii nostri debito propensiori cura debemus intendere, et ipsum divina flagrantia pullulantem tenere pro viribus, et fovero. Cum igitur divina inspiratione præventi sub Cisterciensis ordinis observantia volueritis militare et super hoc confirmationem apostolicam et favorem Prior vester, ad nos veniens, obnixe petierit, fratrum nostrorum communicato consilio, cum dexteræ Excelsi mutatio videatur, vestrum hoc propositum commendamus, et, ut amodo sub eadem observantia et correctione abbatis et fratrum Fossæ-Novæ vivere debeatis, et gratum Deo famulatum Deo impendere, auctoritate apostolica, salvo Ecclesiæ Romanæ jure, confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ constitutionis et confirmationis infringere, etc. Datum Laterani, III Idus decemb. Pontificatus nostri anno 2. » Cum ergo, uti e Pontificia hæc bulla seu brevi intelligitur, cœnobii S. Stephani de Bosco in Calabria fratres seu religiosi Turritanæ eremi incolæ, non tantum non repugnante, sed etiam probante propositumque eorum laudante pontifice, ad Cisterciensem ordinem migrarint, sicque id faciendo contra Deum indubie non peccarint, nescio enim vero, an futurum sit, ut quisque sat verosimile arbitretur, illum eorum transitum causam esse potuisse, ob quam Turritanæ eremi fons, qui ad Sancti tumulum prodigio excitatus fuerit, existere desierit, aut, si mavis, exaruerit. Jam vero, cum res ita habeat, manet sane ex supra dictis, ac maxime ex eo, quod fons, qui prodigio excitatus fuerit, non amplius existat, æque ac ante dubium, an miraculo hujusmodi locus unquam fuerit.

740. Nec multum ad rem facit, prodigiosos fontes non esse semper perpetuos; etsi enim id verum esse dederimus, consequens duntaxat erit, ut, etsi ad Sancti tumulum fons non amplius inveniatur, fons tamen prodigiosus ibidem existere aliquando potuerit; unde reipsa etiam fontem hujusmodi ibidem olim exstitisse, pro indubitato nullus certe habebit. Quod si interim fons prodigiosus ad Sancti nostri tumulum unquam exstiterit, atque ob causam, a laudatis scriptoribus adductam, duntaxat desierit, is equidem diutius, quam annis quinquaginta aut sexaginta durarit. Eten m cum Cœlestinus II papa anno 1144, quo monasterium S. Stephani de Bosco ad Cisterciensem ordinem nondum fuisse translatum, ac proin fontem, qui ad S. Brunonis tumulum prodigio fuerit excitatus, nondum esse desiisse, apud omnes, qui miraculum istud admittunt, in confesso est, vitam cum morte commutarit, nec tamen serius, quam sæculo duodecimo, dictum monasterium ad Cisterciensiem ordinem transierit, Cœlestinus papa, qui bullam jam recitatam monasterii S. Stephani de Bosco fratribus impertiit, alius esse non potest, quam Cœlestinus III; quare, cum hic anno 1191, ad Aprilem jam provecto, ad supremam Ecclesiæ cathedram fuerit evectus, bullaque tertio Idus seu 11 Decembris die, anno Pontificatus ejus secundo data notetur, consectarium est, ut monasterii S. Stephani de Bosco fratres seu religiosi Turritanæ eremi incolæ anno demum 1192 aut sequentis initio ad Cisterciensem ordinem transierint, ac proin, ut monasterium illud non tantum annis circiter sexaginta, ut Blomenvenna verbis supra huc transcriptis tradit, sed centum propemodum et amplius in vitæ, quod in eo secutus fuerat S. Bruno, instituto durarit, pluresque etiam, quam quinque, instituti Carthusiensis, antequam ad Cistercienses transiret, priores habuerit.

741. Et vero Camillus Tutinus in brevi, quod suo Historiæ ordinis Carthusiensis prospectui attexuit, Chronico Priores non tantum quinque, sed tredecim, qui ad S. Brunonis præcriptum Turritanam S. Stephani domum, antequam hæc Cisterciense institutum amplecteretur, ad annum usque 1192 rexere, suo singulis nomine apposito, recenset, eorumque, qui post quintum a S. Brunone floruit, anno 1138 obiisse notat. Et sane a Tutino plures etiam, quam quinque, qui ad normam, a Sancto nostro in Turritana Calabriæ eremo institutam, vitam exegerint, Priores recte enumerari, verosimillimum apparet, tum ex jam dictis, tum etiam ex iis, quæ huc facientia in sua de Carthusianorum initiis Dissertatione num. 20 et aliquot seqq. Columbius, uti hunc consulenti patescet, in medium adducit. Jam vero, cum hæc ita habeant, nec fons, qui prodigio ad S. Brunonis tumulum ortus sit, exaruisse, seu esse, antequam S. Stephani monasterium ad Cisterciense institutum transiisset, desiisse a Blomenvenna, aliisque, qui ejusdem cum eo opinionis sunt, statuatur, consequens est, ut fons ille non tantum quinquaginta circiter aut sexaginta, sed nonaginta amplius annis post Sancti nostri obitum debeat durasse, etsi interim id in opinione dictorum scriptorum, qui eremi Calabrinæ ad Cistercienses defectionem jam inde ab anno 1160 aut etiam citius factam statuunt, a veritate omnino sit alienum. Atque hæc sunt, quæ tum de prodigioso illo fonte, ad Sancti tumulum, uti a scriptoribus supra laudatis refertur, exorto, tum de tempore quo, et causa ob quam esse is desierit, dicenda occurrunt. Proximum est ut de miraculis, quæ magno numero per Sancti merita fuisse patrata, ac maxime in favorem eorum, qui e memorato prodigioso fonte bibissent, contigisse Blomenvenna verbis supra huc translatis aliique memoriæ produnt, nunc tractem.

742. « Licet, inquit de S. Brunone Blomenvenna, miraculis multis claruisse legatur, tamen, quod sine dolore recolere nequeo, non sunt hujusmodi miracula ea, qua decuit, diligentia conscripta; aut, si conscripta fuerunt, alterius religionis (Cisterciensis videlicet) monachis in monasterium ejus intrantibus, primum negligentius scripta custodita, deinde deperdita sunt. » Ita ille, adamussim etiam sibi Su-

www.libtool.com.cn

rium, et quantum ad miraculorum, quæ generatim Sancti meritis patrata fuerint, multitudinem Puteanum pariter consentientem habens; verum nullum prorsus, quod a Sancto patratum fuerit, miraculum in particulari recensent; assertionem autem qua multa a Sancto patrata fuisse miracula generatim traditur, scriptoris saltem synchroni fideque digni testimonio confirmari velim. Fuisse quidem multos male habentes, qui e fonte, ad tumulum prodigiose exorto, bibissent, pristinæ sanitati restitutos, antiquior etiam Sancti nostri biographus verbis supra datis affirmat; verum nec hic sat antiquus est, ut tuto ei fidere possimus. Nec quidquam facit, quod præsentis temporis verbis utens sequentem scribat in modum, «Juxta sepulchrum ejus immediate fons vivum emanat, qui divina clementia in hujus viri Sancti meritis multis langoribus fidelium optatæ confert remedia sanitatis, » sicque de fonte prodigioso, qui ætate sua adhuc exstiterit, miraculisque, quæ tum haustis ex hoc aquis patrata fuerint, sermonem facere videatur; dato enim etiam hunc nostrum biographum de miraculis tempore suo gestis facere sermonem, fidem is sibi, cum in Carthusia majori a Turritana eremo non parum dissita scripserit, certam undequaque atque indubitatam ægre admodum in eorum narratione conciliaturus apud omnes est. Ad hæc historicorum in morem, qui, quæ temporibus præteritis gesta sunt, per præsentis temporis verba non raro exponunt, fortassis hic loquitur.

743. Blomenvenna et Surius eo ipso loco, quo fontem, ad Brunonis tumulum prodigio excitatum, ætate sua non amplius exstitisse fatentur, de eo, non secus atque si adhuc exstitisset, per præsentis temporis verbum loquuntur, prior quidem hoc modo: « Ad cujus (S. Brunonis nempe) sepulchrum fons emanat vivus; » posterior vero isto: « Ad ejus sepulcrum fons vivus prorumpit. » Nec alterius, quam præsentis temporis verbo, quo, multis olim hausta e fonte illo aqua sanitatem fuisse restitutam, declarent, ibidem utuntur; ut proinde ex eo, quod antiquior Sancti nostri biographus de miraculis, quæ S. Brunonis meritis patrata fuerint, per præsentis temporis verbum loquatur, consequens non sit, ut hæc ætate sua gesta esse significatum voluerit. Jam vero, cum id ita sit, an non de iis duntaxat, quæ dudum etiam ante ætatem suam gesta fuerint, sermonem instituat, admodum est dubium, ac proin, quod de miraculis magno numero per Sancti merita gestis, memoriæ prodit, certum omnino atque indubitatum facere non potest, licet interim, quin aliquot saltem miracula Sanctus, beatis nondum adscriptus, patrarit, e sanctitatis fama, qua apud Calabros ante id tempus per quadringentos amplius annos inclaruit, dubitandum non appareat. Et vero Surianus, in suis ad S. Brunonem Vitam annotationibus, multa miracula, quæ Deus ad declarandam S. Brunonis, confessoris sui, gloriam operari ad ejus invocationem dignatus est, ad nostram cognitionem scriptorum inopia temporumque injuria non pervenisse, pag. 314 præfatus, non pauca, quæ post factam Brunonis, uti eam vocant canonizationem, evenisse ejus intercessione narrantur, in medium adducit, hisque etiam duo præmittit, quæ, antequam Bruno in sanctorum seu beatorum album referretur, accidere.

744. Cum de rebus modo, quæ, priusquam Sancto cultus, Sanctis, proprius, pontificia auctoritate deferretur, evenere, hic tractem, lubet huc et duo illa prodigia transferre, lectori, quantum reor, in summa multorum miraculorum, Sancti meritis ante permissum ejus cultum ecclesiasticum patratorum, quæ ad cognitionem nostram pervenerant, paucitate futura non ingrata. Primum, in quo tamen, an Sanctus partem habuerit, est dubium, sic habet: « Anno Domini 1131 cum illustris Gaufridus de Lorotello, comes Cantazarii in Calabria, filius Rodulphi comitis de Lorotello, nepotis comitis Rogerii, fundatoris ac dotatoris eremi S. Mariæ de Turre revocasset donationes cujusdam ecclesiæ omnium Sanctorum, et terrarum et vinearum in tenimento oppidi Badulati, a se et a matre sua Berta factas, Deo vindice, gravi apostemate est in pectore sauciatus, unde et ad extrema devenit, atque, condito testamento, cum morti proximus esset, a Rogerio de Arenis admonitus, ut res injuste ablatas restitueret, simul ac ablata restituit, sanguine ex ore et naribus fluente, sanitati pristinæ est redditus; quod clarius ex ipsiusmet verbis et instrumento restitutionis patebit, ubi sic ait: « Anno ab Incarnatione » Domini 1131, indict. VIII mense Octobris, cum » ego Gaufridus de Lorotello, Cantazari comes, » juvenili cupiditate tenerer, ne, quod domina » mater mea venerabilis Berta pro ecclesia omnium » Sanctorum de tenimento de Padulato, quam de» derat B. Mariæ de eremo ac beato Protomartyri » terras cultas et incultas, arbores domesticas et » silvestres quoque vilianos et vineas confirmarem, » sed potius revocarem, plus expetens temporalia » quam æterna, Deo permittente, post meæ revoca» tionis triennium in stomacho sui horribili aposte» mate sauciatus adeo dure, ut, vitalibus spiritus » diminutis, a medicis desperarer.

745. « Verum post conditum testamentum dixit » mihi dominus Rogerius de Arenis, qui modo testis » adfuit testamento apud Castellum novum, ubi eo » tempore infirmabar: Confirma puro restituendi » proposito, quæ revocasti B. protomartyri Ste» phano; est enim tanti meriti apud Deum, quod te » poterit ab isto apostemate liberare. Quibus verbis » auditis, jussi per novum testamentum, quod in » momento iterum condidi, confirmari. Mirum in » modum cœpi subito sanguine putrido, fluente de » ore et naribus, liberari. Quo viso miraculo devo» tus misi litteras fratribus eremitis eo die, quo na» vis Genuensium, ab Alexandria veniens in portum » Castelli novi, ruinam est passa. Venit autem ad » me ad castrum meum Cantazarii Rodulphus de

www.libtool.com.cn

» Crucifixo, eremitarum S. Mariæ, et S. protomar-
» tyris Sthephani magister, et cum eo frater Arnal-
» dus et Odo, et Guido monachi, quibus præsenti-
» bus præcepi præsens privilegium per manus scribæ
» Roberii conscribi, et quæ domina mater mea
» dederat, » etc. Tale est e Suriani recensione primum, quod hic commemorandum duxi, miraculum, instrumento etiam publico confirmatum. Cum vero, nec forte immerito, an in hoc partem quampiam S. Bruno habuerit dubitari posse videatur, dicto instrumento publico, quo id firmat, mox subjungit: « Quod (miraculum nempe jam relatum) etiam S. Brunoni tribui debere ob curam quam in cœlo positus domus suæ gerit, nemo est qui ambigat. » Ita ille, partem saltem in relato miraculo S. Brunoni attribuendam, sese non dubitare indicans; verum in altero, quod hic etiam dandum, miraculo seu potius apparitione partem habuisse Sanctum, certum omnino est, uti quisque facile fatebitur, qui vel id duntaxat perlegerit.

746. En verba, quibus a laudato Suriano pag. 317 et seq. refertur. « Circa annum 1510 Valenciæ in Aragonia Joannes Aloysius Bertranus Tabellio, qui multo tempore fuit benefactor et procurator Carthusiæ Portæ-Cœli, ob magnam, quam erga S. Brunonem devotionem gerebat, ex diuturna ægritudine ad mortis confinia devenerat ante feriam quartam Majoris hebdomadæ, et cum a medicis de ejus salute conclamatum esset, subito aperiens oculos petiit vestes ad induendum) atque interrogantibus respondit, sanctos Vicentium Ferrerium et S. Brunonem ad se intrasse, et sibi dixisse nequaquam hac vice se moriturum, sed ad ecclesiam ea feria quarta ad divina officia audienda accedere debere, quod et reipsa præstitit. Atque ob id adeo inposterum S. Brunonem dilexit, ut, cum postea anno 1514 Leo X ejus festum solemniter in ecclesiis Ordinis concessisset, ipse suis sumptibus, eamdem Carthusiam petens; ejus festivitatem tam in ecclesia quam in trichoro peregi procuraverit ad obitum usque. » Joannes Aloysius Bertranus, cui apparitio hic relata obtigit, e secunda uxore, quam priori mortua, duxerat, S. Ludovicum Bertrandum ordinis prædicatorum, de quo ad IX mensis hujus diem, quo colitur, apud nos agetur, postea genuit. Docet id nos tum ipsa, in qua eadem apparitio narratur, sancti hujus confessoris Vita, a Vincentio Justiniano Antist, Valentino ordinis S. Dominici alumno, idiomate Hispanico conscripta ac deinde altero ejusdem ordinis religioso in linguam Italicam versa, tum etiam laudatus Surianus in apparitionis alterius eidem Aloysio Bertrano oblatæ infraque in Appendice ad gloriam posthumam memorandæ, quam apparitioni jam narratæ proxime subjungit, relatione. Atque ita quidem, cum memorata apparitione, facientibus id tam S. Brunonis quam S. Vincentii Ferrerii meritis, Aloysius Bertrandus, periculosissime decumbens, subito atque insperato pristinæ fuerit sanitati restitutus, miraculum modo habemus, quod partim saltem Sancti nostri intercessione, fuerit patratum, quodque etiam ejus canonizationem, seu vivæ vocis oraculum, quo ex dicendis Leo X papa cultu Sanctis proprio in ordine Carthusiensi eum coli permisit, præcessit; verum alia tum patrata, in quibus Sanctus partem habuerit, diligentissima licet facta indagine, invenire haud quivi.

747. Porro Zanotius, qui in contexta a se S. Brunonis Vita cap. 34 jam relatam, patrique S. Ludovici Bertrandi oblatam S. Brunonis et S. Vincentii Ferrerii apparitionem etiam refert, cap, 32, quo e Sancti nostri tumulo fontem prorupisse cum nonnullis aliis se prægressis scribit, e mss. quæ laudat, Calabriæ monumentis addit, virtutem, dicti fontis aquis a Deo sanandi morbos inditam, ad parvi lacus, in quo Sanctus, cum in vivis esset, corpus suum, quo id castigaret, mergere subinde solebat, aquas transiisse, cum primum Turritanum S. Stephani monasterium a Carthusiensi instituto ad Cisterciense deflexisset. Quo autem id probet, nostra adhuc ætate, ac maxime Pentecostes, qua sacrum Sancti corpus ex ecclesia S. Mariæ ad ecclesiam S. Stephani fuit translatum, tribus diebus festis aquarum illarum virtute innumera propemodum quotannis beneficia divinitus conferri, miraculaque patrari, adjungit idem scriptor penes quem tum quantum ad hæc, tum quantum ad virtutem, a prodigiosi fontis aquis ad præfati lacus aquas translatam, fides sit. Cæterum ut miraculo, quod jam inde a Sancti obitu cœptum, hodieque perseverare fertur, § hunc claudam, Blomenvenna, quem dein secutus est et Surius, sub finem a se contextæ Sancti Vita sic scribit: « A monasterio autem isto (Turritano nempe S. Stephani) per crepidinem torrentis plano itinere 1500 passuum pervenitur ad antrum devotissimum. Montibus siquidem artum satis et cinctum nemoribus, ejusdem vallis extrema clardentibus, deviis et solitariis, nec ultra aditum humano usui præbentibus. Supra istud antrum ædificatum est haud grande sacellum cum altari sub titulo sancti Brunonis, Coloniensis magistri, sanctæ Mariæ de Turri, ordinis Carthusiensis institutoris primi, cujus ibi imago depicta cernitur. In hoc antro item Dei servus ex eo tempore, quo primum illuc venit, usque in diem mortis suæ incredibili fervore permansit. Ad indicium et commendationem vero eximiæ sanctitatis ejus usque in hodiernum diem locus, in quo post excessus contemplationum laxa membra nuda humo collidebat, herbam nunquam reddit in spatio, quo tum ipsius sacri corporis mensura tendebatur, cum tamen circumquaque crescere cernatur. Hoc tam evidens miraculum omnes loci illius accolæ constantissime asseverant. »

748. Hactenus ille: verum quidquid sit de perseverante hodieque miraculo, quod verbis hisce memoratur, quodque in medio relinquendum arbitror, Sanctum equidem, contra ac Blomenvenna hic tradit, a die quo Turritanam S. Mariæ in Calabria eremum primum ingressus est, ad suum usque ob-

www.libtool.com.cn

itum in antro, per verba recitata designato. commoratum non esse seu habitasse, certum omnino atque indubitatum mihi facit vel solum Mesimerii, Squillacensis episcopi, diploma seu privilegium num. 558 et seq. datum. In hoc enim antistes ille sequentem loquitur in modum : « Me rogare (comes Rogerius) dignatus est pro honoratissimis monachis et eremitis, domnis scilicet Brunone et Lanvino... locum a Deo servatum, qui Turris dicitur, incolentibus in veneranda admodum ecclesia gloriosissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis, ac sancti Joannis Baptistæ præcursoris; quibus verbis cum tam Brunonem quam Lanvinum in sanctissimæ Dei genitricis ecclesia habitasse, non obscure hic innuat, toto Sanctum tempore, quo in eremo Calabrina versatus est, in præfato antro commoratum esse, Blomenvennæ aliorumve, absque antiquo vade id asserentium, auctoritate prudenter quis credat? Blomenvennæ quidem alii scriptores recentiores suffragantur; verum nec hi ullum pro se laudant auctorem monumentumve antiquum. Nec est cur pro iis in medium hic quisquam adducat, quæ memorato antro, ut Zanottius in sancti Vita cap. 31 in fine testatum facit, inscripta leguntur, sequentia verba : « In summa veneratione ac reverentia habendus est locus iste, fratres carissimi, in quo fidelis Christi servus ac sacræ paginæ doctor Bruno multiplici pœnarum genere corpus suum afflixit; in quo post hujus miseræ vitæ cursum ad cœlum evolavit; » fuisse enim hæc vel statim a Sancti obitu, vel saltem haud dudum post antro apposita, pro certo quis asserat? Quod ad me pertinet, multum dubitandum reor, an Sancti canonizatione, uti eam vocant, antiquiora sint. Brunonem itaque subinde quidem, quo orationi divinarumque rerum meditationi ac contemplationi quietius vacaret, in antrum, a Blomenvenna memoratum, quod a S. Mariæ de eremo ecclesia seu monasterio, quod Sanctus incolebat, haud multum aberat, secessisse, haud difficulter crediderim; habitaritne tamen in eo, hærebo dubius, donec validiora, quæ omnem de hoc dubitationem animo eximere nata sint, argumenta producantur in medium.

§ XLVI. *Leo X papa ordini Carthusiensi Turritanum in Calabria S. Stephani monasterium jubet restitui, cultumque Sancti ecclesiasticum permittit.*

749. In Titulis funebribus non paucis infra recudendis seu diversarum ecclesiarum monasteriorumve ad litteras encyclicas infra pariter recudendas, quibus S. Brunonis obitus nuntiatus eis a Sancti e Turritana eremo discipulis fuerat, responsoriis non tantum a doctrina virtuteque eximia Sanctus laudatur, verum etiam eum non tam illorum, qui responsorias illas dabant, quam hoscemet illius precibus indigere declaratur; quod sane illum pro viro sancto cognitum jam tum universim fuisse argumento est. Verum, etsi res ita habuerit, anni tamen jam amplius quadringenti, quod mirum videri potest, ab ejus obitu erant elapsi, cum necdum a quopiam, quantum apparet, tentatum quidquam fuerat, quo Vir ille celeberrimus juxta ac sanctissimus, qui et clarissimum ordinem instituerat, et virtutibus suis plane eximiis Carthusiam primum ac deinde Calabriam potissimum illustrarat, seu sanctorum seu beatorum numero a summo pontifice adscriberetur.

750. Addit Bailletus tom. III Vitarum, col. 91, Sancti memoriam toto illo quadringentorum annorum spatio in Calabria apud homines adeo fuisse neglectam, ut nullus plane ab hisce religionis cultus tum illi fuerit delatus. Verum hac in re falsum fuisse scriptorem illum, ex iis, quæ sub contextæ a se Sancti Vitæ finem in litteras mittit Blomenvenna verosimile apparet. Etenim ibidem sic habet : « Al hæc loca (nempe ad autrum, in quo Sanctus habitarit, et ad ecclesiam S. Mariæ de eremo) populorum catervæ, senes cum junioribus, parvuli et mulieres, nobiles et ignobiles, principes et domini ob sanctissimi Brunonis venerationem et devotionem ad ejus etiam beneficia obtinenda, quasi degat in humanis, eum attendentes, certatim confluunt, reverenter accedunt, orant, adorant. Præcipue vero antrum seu specum, de quo supra, in quo fere semper solus Domino famulabatur, tanta reverentia et affectu, incredibilique fide frequentatur, quod etiam quandoque plures cernuntur non nisi nudis pedibus a monasterio præfato (S. Stephani nempe) illud accedere. Alii flexis genibus ambulando antrum sacrum, terram et saxa ex devotione lingentes, lacrymisque infusi circumeunt. Porro de antro ipso seu rupe aliquid pro maximis habituri reliquiis detrahunt, atque ita ad propria remeant cum gaudio.

751. « Quanta vero devotione ad hunc sanctissimum Patrem Brunonem afficiantur Calabriæ episcopi, abbates, prælati, religiosi, principes etiam, comites, barones vulgusque universum, nemo verbis explicare sufficiet. Est præterea non longe a monasterio præfato spatio passuum 300 nemus amplissimum, quod Golo nominant, ab ipso servo Dei deputatum ap instaurationem monasterii ejus duntaxat. Si quis vero ausu temerario contra sancti viri ordinationem venire attemptaverit (fama est omnium Calabriæ populorum longa experientia firmata) divinam ultionem non evadit. » Hæc ille : quæ cum, Sancto nondum diu per Leonem X in sanctorum, seu potius ex dicendis beatorum, album relato, in litteras miserit, nec tunc primum, cum id factum a pontifice illo fuisset, eximium plane ac singularem, qualem verbis recitatis depingit, cultum in Calabria sancto fuisse delatum, verosimile appareat, Bailleto asserenti, Brunonem, cum beatis a Leone papa adscriberetur, fuisse et ex omnium fere in Calabria memoria deletum, et nullo ibidem cultu affectum, indubitanter assentiri non ausim, maxime cum ex veneratione, qua erga Sanctum, etiam beatis nondum adscriptum, Calabriæ populos fuisse, recitata Blomenvennæ verba indicant, verosimile

appareat, fuisse illi etiam cultum Sanctis proprium ab hisce delatum.

752. Verum, ut ut sit, fuisse eum equidem, etiam eumnondumbeatorumhonoresaCarthusianispublice sibi deferri obtinuisset, pro Sancto ab hisce aliisque habitum henoratumve, ex apparitionis, qua Bruno sese una cum S. Vincentio Ferrerio spectandum Aloysio Bertrano ægrotanti exhibuit, relatione jam data,utpoteinquaergaBrunonem,tanquamsanctum, modo peculiari affectusis fuissetraditur,fas est colligere utietiamexeo,quodCarthusianitandem,quieum fatente ipsomet. Bailleto, privatim saltem sanctorum honoribus in Darthusiis a Calabrina diversis colebant, de illius seu canonizatione seu beatificatione procuranda etiam cogitarint. Camillus Tutinus sæpissime jam laudatas,in historiæ ordinis Carthusiensis prospectu ad annum 1504, pro quo tamen perperam scribitur 1503, ita prodit memoriæ : «In generali (Carthusianorum) capitulo, hoc anno celebrato, priores Carthusiani tractarunt de procuranda canonizatione S. Brunonis, et de recuperanda Carthusia S.Stephani de nemore,quæ fere annos tercentum penes Cistercienses, et deinde (sæculi nimirum, si in brevi monasterii S. Stephani de nemo Chronico apudTutinum pag. 195 recte notetur, quinti decimi initio, aut etiam nonnihil citius) ad abbates commendatarios pervenerat. Hinc ad litem prosequendam Jacobus de Aragonia, prior Carthusiæ Neapolitanæ, Matthæus prior Bononiæ, Ludovicus prior Mantuanæ Carthusiæ,et Hugo prior Carthusiæ Romanæ deputantur.Erat ea tempestate abbas commendatarius Ludovicus cardinalis de Aragonia,Ferdinandi I regis Neap. nepos. Jacobusigitur, quem supra memoravimus, cum esset cardinalis affinis, Romæ cum eodem cæterique priores de restitutione agunt, et plurimis hinc inde articulis discussis, et conditionibus appositis, cardinalis se exuere passus est. Verum cum ejus redditus jure emphiteotico ab Evangelista Tornafrancia Catacensi possiderentur, quo [*an* qui?] etiam suo juri cedere promiserat,Jacobus cætera impletus Neapolim venit sed Evangelista, quem oblatæ conditionis pœnituerat, fuga dilabitur; verum regiis adhibitis diligentiis interceptus, ac promisso stare coactus est. »

753. Ita ille, non tantum Carthusianos sancti Patris sui canonizationi procurandæ, verum etiam Calabrino S. Stephani monasterio de nemore recuperando animum adjecisse operamque porro dedisse,tradens.Neque vero religiosorum illorum virorum frustra hic conatus fuit ; primo enim S. Stephani domum seu monasterium ordini suo restitui, ac deinde in album, si non sanctorum, beatorum saltem, primum suum institutorem pontificia auctoritate referri obtinuerunt, uti patescet ex iis quæ de duobus hisce capitibus pro instituti mei ratione dicenda hic sunt. A Calabrini monasterii recuperatione, quod hæc Sancti canonizationem seu potius beatificationem præcesserit,duco initium.Ac primo quidem an Carthusiani de monasterio illo recuperando jam inde ab anno 1504 cogitarint, ipsemet Camillus Tutinus, qui id jam tum ab iis factum, verbis mox datis scribit, dubitare me facit. Etenim in chronico, quod concinnato a se ordinis Carthusiensis prospectui attexuit, ita memorat : « Anno 1505 Carthusiani monachi in capitulo generali Jacobo de Aragonia Carthusiæ Neapolitanæ,Matthæo Bononiensis, Ludovico Mantuæ, Hugoni Romanæ prioribus demandarunt,ut monasterium S.Stephani religioni restituendum curarent. Hi post varios eam memoratis cardinali et Tornafrancia tractatus,post decennium protractos, mutuis hinc inde petitionibus conclusis, eo controversiam adduxerunt, ut monasterium in summi pontificis Leonis X manibus cardinalis resignaret, quo adimpleto, pontifex Carthusianis cum omnibus ejus bonis iterum concessit et tradidit, et abbatialem titulum suppressit per bullam dat. Romæ 1513. » Quare, cum Tutinus, ordinis Carthusiensis prioribus hic nominatis a capito generali, ut monasterii S. Stephani recuperationem tentarent, anno demum 1505, quod jam inde ab anno 1504 factum fuisse, verbis supra recitatis in prospectu docuerat, in mandatis datum fuisse, hic scribat, hocne, an illo anno Carthusiæ S. Stephani recuperationem tentare decreverint Carthusiani, dubium sane ipsemet efficit.

754. Attamen, cum monasterium illud postquam anni jam decem ab incepto de restituendo eo Carthusianis tractatu essent elapsi, in manus pontificis, qui id deinde Carthusianis reddidit, resignatum fuisse, verbis proxime datis etiam tradat, fuisse vere jam inde ab anno 1504 a Carthusianis de dicto monasterio recuperando tractatum, verosimilius apparet, quod bulla, qua id eis pontifex Leo X reddi jussit, anno 1513, uti ipsemet etiam Tutinus verbis recitatis fatetur, data notetur, facileque quidem ab anno 1504,non tamen ab anno 1505 ad annum usque 1513 annos decem excurrisse, queat intelligi. Instrumentum illud, quod et ei locum hic concedi, postulatum a me fuerit, et nonnulla, quæ jam dicta sunt, confirmet, huc transcribo. Hisce verbis concipitur: « Leo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pro commisso nobis de super apostolatus officio quo universalis Ecclesiæ regimini præsidemus, de ecclesiarum et monasteriorum, aliorumque regularium locorum omnium statu prospere et salubriter dirigendo continua reddimur attentione solliciti : unde aliqua ex eisdem monasteriis et locis, ut in eis gratior Deo vigeat observantia, crescat divinus cultus, et fidelium augeatur devotio, novis nonnunquam committimus gubernanda rectoribus, per quorum solertiæ studium et providam diligentiam monasteria et loca ipsa, etiam alias votivis in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis.

755. « Sane monasterio S. Stephani de Bosco Cisterciensis ordinis Squillacensis diœcesis, quod dilectus filius noster Aloysius sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis ex concessione et dispen-

www.libtool.com.cn

satione apostolica in commendam nuper obtinebat (commenda hujusmodi ex eo, quod idem Aloysius cardinalis illi hodie in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam cessante) adhuc eo, quo, dum eidem Aloysio cardinali commedatum fuit, vacabat, modo vacante; nos vero, ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio et in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro expressis habentes ad provisionem super ipsius monasterii regimine celerem et felicem, ne monasterium ipsum longæ vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam desuper cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectos filios fratres Carthusiensis, ordinis, in quibus regularis disciplinæ observantia, vitæ sanctimonia, et exemplares mores in dies tam quam novi palmites in agro Domini pullulare noscuntur, direximus oculos mentis nostræ. Sperantes, quod si in monasterio prædicto, in cujus ecclesia corpus S. Brunonis dicti ordinis Carthusiensis institutoris dicitur esse reconditum, et quod, ut ab aliquibus asseritur, olim ejusdem Carthusiensis ordinis domus fuit, dignitas abbatialis et Cisterciensis ordo perpetuo supprimerentur et exstinguerentur, et ordo Carthusiensis hujusmodi institueretur, et plantaretur: et de cætero monasterium ipsum domus sub eadem invocatione S. Stephani nuncuparetur, et dicti Carthusiensis ordinis fratribus per eos juxta ipsorum ritus et mores ac regularia instituta prout aliæ ejusdum Carthusiensis ordinis domus reguntur et gubernantur, regendum et gubernandum perpetuo concederetur, ex hoc gratia Deo et accepta in dicto monasterio introduceretur bene beateque vivendi norma, augeretur divinus cultus, aliasque ejusdem monasterii statui in spiritualibus et temporalibus cum circumvicinorum fidelium spirituali consolatione feliciter consuleretur.

756. « Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de dictorum fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore præsentium in eodem monasterio quovis modo, et ex cujuscumque persona vacet, etiamsi ejus provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dignitatem abbatialem et Cisterciensem ordinem hujusmodi perpetuo supprimimus et exstinguimus, et dictum Carthusiensem ordinem, ita quod de cætero non monasterium, sed domus ejusdem S. Stephani sit et denominetur, instituimus; illudque cum omnibus et singulis ejus mobilibus et immobilibus bonis, juribus et pertinentiis suis, dictis fratribus per unum priorem et fratres in decenti numero juxta eorum ritus et mores ac instituta regularia prædicta, et prout aliæ dicti Carthusiensis ordinis domus reguntur et gubernantur, regendum et gubernandum perpetuo concedimus. Itaque liceat dilectis filiis modernis dicti Carthusiensis ordinis visitatoribus in provincia remotioris Lombardiæ juxta morem ejusdem Carthusiensis ordinis, infra cujus provinciæ limites dicta domus S. Stephani consistit, Carthusiensis ordinis et illius fratrum hujusmodi nomine corporalem domus S. Stephani bonorum ac jurium et pertinentiarum prædictarum possessionem per se vel per alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et, sicut præmittitur, regendam et gubernandam perpetuo retinere, illiusque, fructus, redditus et proventus in fratrum et domus eorum usus utilitatemque convertere, diœcesani loci et cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita.

757. » Ac priori et fratribus in ipsa domo S. Stephani pro tempore degentibus, quod ipsi et dicta domus omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, indulgentiis, exemptionibus, præeminentiis, favoribus, et indultis spiritualibus et temporalibus, quibus aliæ dicti Carthusiensis ordinis domus aut priores et fratres in illis pro tempore degentes generaliter utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, et gaudere libere et licite possint, de simili consilio auctoritate præfata indulgemus, non obtantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum ordinum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, exstinctionis, concessionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio decimo, decimo septimo Kalendas Junuarii, Pontificatus nostri anno primo. » Carthusianis itaque, ut. ex huc jam transcripta Bulla manifestum est, Calabrinum S. Stephani de Bosco monasterium, si a Ludovico seu Aloysio de Aragonia, S. Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, de quo in Pontificum et cardinalium Vitis tom. III, col. 187, Oldoinus, risignatum, anno 1513, 16 Decembris die, Leo X restituit; hujus autem haud dudum post possessionem illi adiere.

758. « Jacobus de Aragonia, » inquit in suo ordinis Carthusiensis prospectu ad annum 1514 Camillus Tutinus, « prior Neapol. cum priore Clarimontis, aliisque monachis et fratribus conversis Carthusianis die 27 Februarii monasterii S. Stephani de nemore possessionem cepit. » Dicti itaque monasterii possessionem anni 1514 vigesima septima Februarii die ac proin tribus nondum postquam id eis restistutum fuisset, elapsis mensibus, possessionem adiere Carthusiani; qui autem factum id sit, Zanottius in sua de S. Brunone Historia cap. 33 se-

www.libtool.com.cn

quentem fere in modum exponit: Jacobus de Aragonia, Carthusiæ Neapolitanæ prior provinciæque visitator, ac Petrus Acerri, Claromontanæ in Basilicata regni Neapolitani provincia Carthusiæ prior convisitatorque, qui designati ad id fuerant, priores Bononiensem, Mantuanum et Romanum adjunctos sibi habentes litterisque pontificis ac regiis muniti, auxilio, quod eis Adamus Toraldus, Badulati baro, præstitit, sese ad S. Stephani monasterium contulerunt; quo cum pervenissent, a Cisterciensibus, qui voluntatis pontificis, per acceptas ab hoc litteras, jam ante facti fuerant certiores, supplicantium in morem interfestivum æris campani sonitum obviam venientibus recepti ecclesiam mox sunt ingressi, cumque litteras pontificias ac regias prælegissent, modo a jure præscripto, monasterii possessionem, solemnibus post rem factam Deo actis gratiis, adierunt. Ita fere quantum ad substantiam ille e Calabriæ monumentis mss., quæ, quod recentiori memoria gesta memorent, fidem hic mereri puto. Leo porro, qui erga Carthusianos benevolum sese præfati monasterii restitutione monstrarat, alio haud dudum post majori adhuc favore eos affecit. Etenim eodem anno 1514 miraculis, quæ a S. Brunone patrata ferebantur, via judiciaria non discussis, Carthusianis, ut festum ejus annuum officio ecclesiastico celebrare, ejusque in precibus horariis commemorationem quotidie agere possent, vivæ vocis oraculo concessit. Id litteræ, quas ea de re Antonius cardinalis Papiensis, Carthusianorum protector, ipso anno 1514 ad hos dedit, manifestum faciunt. Eas adeo, quod et ad Sancti nostri gloriam multum faciant, e Benedicti XIV papæ de beatorum canonizatione et servorum Dei beatificatione lib. I, cap. 41, huc transcribo.

749. His verbis concipiuntur: « Antonius miseratione divina tituli sanctæ Praxedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis Papiensis necnon totius ordinis Carthusiensis protector universis, et singulis præsentes nostras inspecturis, et lecturis salutem in Domino sempiternam. Cum ex nostro protectionis officio benevolentiaque, ac pietate, qua universo Carthusiensi ordini prædicto afficimur, hodie ad pedes sanctissimi domini nostri Leonis divina providentia papæ X præsentavimus venerabiles religiosos viros DD. Matthæum Bononiæ, Ludovicum Mantuæ, Jocobum Neapolis, et Hugonem S. crucis in Urbe ejusdem Carthusiensis ordinis domorum priores; et tam nos, quam religiosi prædicti plura de laudibus, præconiis, ac vitæ sanctitate beati Brunonis confessoris, ejusdem ordinis Carthusiensis primi fundatoris, ac institutoris, sanctitati suæ retulissemus, et exposuissemus; qui Vir beatus, declinante Christiana militia, et propter iniquitatis abundantiam charitate plurimum frigescente, tanquam dux strenuus ad resistendum hostibus novum in Ecclesia instruxit et instauravit exercitum, et in vineam, quam Dominus sua dextera plantaverat, jam vitiorum vepribus et spinis obsitam, veluti solertissimus pater familias, tot fideles conduxit operarios, ut uberiores in dies ex ea fructus sanctæ Ecclesiæ proveniant, et odorem suavitatis proferat, et sanctitatis.

760. « Ipsius namque beati confessoris multiplex doctrinæ, vitæ castigatissimæ, innocentiæ, ac munditiæ exemplum plurimos generans sancta adoptionis filios, generatque, et nutrit in dies incessanter; cujus meritis ordo præfatus exornatur, et comprobatur miraculis, et assidue, quasi de virtute in virtutem, crescit, rigans montes de superioribus suis, et de fructu odorum suorum satiatur terra. Idcirco nos una cum præfatis prioribus ab eodem Domino, Domino nostro, venerabilium virorum Francisci de Puteo moderni generalis, aliorumque priorum, et universorum monachorum, monialium, conversorum, et personarum dicti ordinis nomine humiliter supplicavimus, ut pro omnipotentis Dei gloria, qui in suorum exsultat veneratione Sanctorum, ac beati prædicti confessoris honore, illiusque evidentissimis sanctitatis operibus, signique virtutum, quibus in carne positus claruit, et ad cœlos evocatus perpetuo splendet, proque tam præclari ordinis decore de apostolica munificentia, et benignitate sub sexta Octobris die, qua die, posita carnis sarcina, idem beatus Bruno confessor ad perpetuam evolarit gloriam, festum quotannis in ejus memoriam, ac solemne officium dignis in Domino laudibus, et honoribus celebrandi, et commemorationem ejusdem cæteris diebus faciendi licentiam concedere dignaretur; quamvis idem beatus Bruno confessor non reperiatur aliter canonizatus per summos pontifices prædecessores suos, ut moris est.

761. « Qui præfatus sanctissimus Dominus noster papa asserens, se jamdudum de laudibus, ac sanctitate ejusdem beati confessoris plurima intellexisse, arbitratus dignum esse, ac consonum rationi, ut, quem Deus in hoc sæculo tantis donis et gratiis insignivit, assumptum in cœlis, magis ac magis venerandum, et cui viventi dederat cor omnipotens ad præcepta, et legem vitæ, et disciplinæ, eidem nunc apud thronum divinæ gloriæ existenti impendatur in terris debitæ devotionis obsequium; hujusmodi nostris, et præfatorum priorum supplicationibus libenter annuens, dictis domino Francisco moderno, ac pro tempore generali existenti, et aliis prioribus, monachis, monialibus, conversis ac personis dicti ordinis, in ipsius ordinis duntaxat domibus, et eorum ecclesiis, seu capellis, festum prædictum solemniter colendi, et devotione debita celebrandi, præfatique Brunonis corpus, et memoriam dignis in Domino laudibus prosequendi, et venerandi, officiumque conveniens in honore ipsius beati confessoris agendi, et decantanti necnon commemorationem singulis diebus faciendi, ex tunc, et de cætero in perpetuum cum Dei benedictione licentiam vivæ vocis oraculo nobis facto benigne, ac favorabiliter concessit pariter, ac indulsit; non obstante quod idem beatus Bruno confessor

www.libtool.com.cn

non inveniatur aliter canonizatus, ut supra : præsentibus quoque ibidem reverendissimo in Christo patre D. D. Laurentio Putio tituli sanctorum quatuor coronatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinale et reverendo patre domino Francisco Amellino cameræ apostolicæ clerico.

762. « Quare, ne apud quemquam de hujusmodi concessione possit aliquod dubium suboriri, præsentes manu propria subscriptas, et nostri soliti sigilli appensione munitas confici jussimus, et per nostrum quoque secretarium subscribi fecimus in fidem, robur, et testimonium præmissorum, et veritatis. Datum Romæ in apostolico palatio die 19 mensis Julii anno 1514, pontificatus vero Domini nostri anno secundo. Antonius cardinalis Sanctæ Praxedis protector manu propria. Antonius Testa Verulanus. » Tales sunt litteræ, quibus Antonius, S. R. E. tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis Papiensis, ordinisque Carthusiensis protector, publice testatus est, quibuscumque ad hunc ordinem spectantibus sive viris sive mulieribus facultatem deferendi S. Brunoni cultum, iisdem litteris expressum, Leonem decimum, summum pontificem, vivæ vocis oraculo indulsisse. Zanottius in adornata a se S. Brunonis historia seu Vita, cap. 33, ita fere quantum ad substantiam scribit : Leo decimus papa anno 1514, die decima nona Julii, Brevi, ab Antonio cardinali Papiensi, ordinis Carthusiensis protectore, sibi oblato, subscripsit, quo, ut monachi, moniales, atquæ aliæ quæcumque personæ S. Brunonis institutum profitentes, in monasteriis suis S. Brunonis festum solemni ritu officioque proprio sexta Octobris die quotannis celebrare, ejusdemque sancti Patris sui commemorationem in quotidiano officio ecclesiastico facere possint, concessit. Brevis hujusmodi autographum in majori Carthusia modo asservatur, in eoque pontificiæ approbationis testes fuisse leguntur cardinalis Laurentius Puccius et Franciscus Armellinus, reverendæ cameræ apostolicæ clericus.

763. Ita fere, ut jam monui, quantum ad substantiam ille. Verum recitatas Antonii cardinalis Papiensis litteras fuisse abs hoc scriptore pro Brevi, quod Leo decimus papa concesserit, perperam acceptas, dubitandum non est, cum datum hoc fuisse scribat eodem anno et die, quo illæ datæ notantur, easdemque, quarum tamen nomina paulo aliter scribit, personas etiam, nempe S. R. E. cardinalem Laurentium Putium, et Franciscum Amellinum, Cameræ apostolicæ clericum, qui pontifici, cum vivæ vocis oraculo præfatam facultatem Carthusianis concessit, in ipsis recitatis Antonii cardinalis Papiensis litteris adfuisse memorantur, Brevis pariter, quod Leoni decimo Antonius cardinalis, ordinis Carthusiensis protector, obtulerit, approbationi seu subscriptioni, per pontificem hunc factæ, præsentes adstitisse affirmet. Ad hæc Leonem, non Brevi, quod concesserit, sed vivæ duntaxat vocis oraculo, Carthusianis, ut sanctum ordinis sui institutorem honorare modo jam dicto possent, anno 1514, 19 Julii die indulsisse, Antonii cardinalis recitatæ litteræ, eo ipso anno 1514 ac die 19 Julii, quo breve hujusmodi ex Zanottii opinione datum fuisset, signatæ, fidem faciunt; ut sane, quin is scriptor hallucinatus hic sit, dubitari nullatenus debeat. Nec ii qui S. Brunonem a Leone decimo canonizatione, æquipollenti saltem, Sanctis fuisse ascriptum contendunt, ab errore immunes videntur, quemadmodum § sequens aperiet.

§ XLVII. *An Leo X papa Brunonem etiam canonizarit, et quænam, ad gloriam Sancti posthumam facientia, concessam ab hoc pontifice cultum ei deferendi facultatem proxime sint secuta.*

764. Leonem X papam non tantum, ut ecclesiasticus Brunoni cultus deferretur, concessisse, verum etiam Sanctis eum ascripsisse seu canonizasse, nonnulli existimant; ac imprimis quidem ex his exstitisse videtur eruditissimus Annalium ecclesiasticorum parens Baronius, utpote in suis ad Martyrologium Romanum adnotationibus hodie de Brunone ita observans : Vita functus est anno Domini 1101, relatusque est inter sanctos a Leone decimo pontifice. » Verum aliter longe sensit Benedictus XIV papa; etenim in suo De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione opere, lib. I, cap. 41, § III, nullo pacto dici posse sanctum Brunonem a Leone X canonizatum fuisse, contendit, et sane non immerito, uti probant, tum quæ ipsemet ibidem adducit, tum quæ nos modo adducturi hic sumus. Cum canonizatio, uti infra docebo, cultus præceptum importet, non fuisse sane Brunonem vivæ vocis oraculo, quo, ut ei cultus ecclesiasticus deferri posset, anno 1514 duntaxat impertiisse Leonem X papam, e recitatis cardinalis Papiensis litteris intelligitur, in sanctorum numerum ab hoc pontifice relatum seu canonizatum, manifestum est. Quare ut, sanctum Carthusianorum institutorem canonizatum a Leone fuisse verum esse queat, oportet ut altera hic illud post declaratione, vel vivæ itidem vocis oraculo vel litteris expressa, fecerit. Verum declarationis, vivæ vocis oraculo factæ atque a declaratione, in cardinalis Papiensis litteris memorata, distinctæ, qua in sanctorum numerum Leo papa Brunonem retulerit, nullus omnino scriptor meminit.

765. Quod autem a l litteris seu bulla expressam, qua id fecerit, declarationem spectat, Tutinus quidem in Historiæ ordinis Carthusiensis prospectu, pag. 135, postquam, Leonem X, ut publicus S. Brunoni cultus deferri posset, anno 1514 vivæ vocis oraculo concessisse, narravit, ad annum 1515 subjungit : « Leo X bullam canonizationis sancti Brunonis generali ordinis Carthusiensis transmisit, et in ea plura in ordine servanda injungit. » Tutino porro, bullam a Leone, qua Sanctus canonizatus fuerit, datam fuisse, hic tradenti, alii etiam nonnulli assentiuntur. Nescio tamen, an hisce accenseri debeat Surius. Etsi enim ad scriptæ a se Sancti

www.libtool.com.cn

nostri Vitæ calcem metrice hunc in modum ejus canonizationem describat :

Papa Leo, gestis et majestate verendus,
Cardineis patribus celebri circumdatus actu,
Certior est factus, quam sancte vixerit olim
Bruno; quod obsequium, dum vixit, præstitit urbi,
Quodque per hunc cultu divino Ecclesia crevit.
Hujus et audierat certo miracula quædam.
Propterea votis Patrum concordibus illum
Rettulit in Divos; festum concessit eidem
Octobris sexta celebrari luce quotannis;
(Illo nempe die moriens ascendit olympum)
Erigere huic statuas, ac ædificare sacella
Permittens; super his confecta diplomata confert.
Ordinis hæc nostri mater Carthusia servat
Inter Romani multa instrumenta senatus;

huic tamen descriptioni præfigit hunc titulum : « Canonizatio, ut vocant, S. Brunonis carmine conscripta ; » quibus e vocibus, fueritne vere a Leone papa Bruno canonizatus, dubitasse potest videri. Ad hæc per diploma, cujus hic meminit, cum Zanottio (adi num. 762) Breve duntaxat, quo Sancti cultum Leo permisit, fortassis intelligit. Ut ut sit, bullam equidem, qua S. Brunonem Leo X canonizarit, datam non fuisse, pro indubitato debet haberi.

766. Id sic ostendo : quod si bulla hujusmodi, quæ, facta licet tum Romæ, tum alibi diligentissima indagine, inveniri haud potuit, anno 1515 a Leone data fuisset, ea utique aut generali reverendorum Patrum Carthusianorum capitulo, die septima Maii et sequentibus dicto anno 1515 in Carthusia Majori celebrato, si Maium sit prægressa, aut certe, si mense hoc fuerit posterior, generali eorumdem reverendorum Patrum capitulo, anno 1516 die 21 Aprilis et sequentibus in Majori itidem Carthusia celebrato, nota fuisset : neutri autem e capitulis hisce generalibus nota illa fuisse ullo modo videtur. Patres enim, ut quotannis, prout a Leone pontifice fuerat concessum, S. Brunonis festum sexta Octobris die solemni ritu celebretur, officium conveniens de eo agatur, quotidianaque in officio ecclesiastico commemoratio instituatur, in priori e duobus illis capitulis generalibus ordinaverunt, hancque ordinationem nova condita in posteriori capitulo ordinatione confirmaverunt, injungentes præterea ut S. Bruno et in Litaniis conventualibus invocetur, et martyrologio inscribatur; bullam autem, qua Brunonem canonizarit, cultumque illum ei deferri pontifex jusserit, non commemorant, facere id utique, si bullæ hujusmodi cognitionem habuissent, non omissuri. Ut quam verum id sit, studiosus lector perspiciat, nihilque, quod ad gloriam Sancti posthumam spectet, prætereat, ambas ordinationes illas, e Majori Carthusia a Carthusiano Parisiensi supra sæpissime jam laudato mihi procuratas huc transcribo. Prior seu illa, quæ in capitulo generali anni 1515 condita fuit, sic habet : « Cum sanctissimus dominus noster dominus Leo divina providentia papa decimus et modernus, nobis et ordini nostro sua gratia dederit et concesserit licentiam et auctoritatem, ut in singulis domibus dicti nostri ordinis, et earum ecclesiis seu capellis possimus festum beati Brunonis Patris nostri solemniter colere, et debita devotione celebrare, ejusque corpus et memoriam dignis in Domino laudibus prosequi et venerari et officium conveniens in honorem ipsius agere et decantare, nec non commemorationem singulis diebus de eo facere, et alias, prout in desuper confectis litteris (nimirum cardinalis Papiensis, quas § præced. dedi) plenius continetur.

767. « Propterea ne tantam gratiam neglexisse videamur, ad Dei et ejusdem Patris nostri laudem et honorem, Ordinis incrementum, et nostram nostrorumque omnium salutem, consolationem, et pacem, dictarum litterarum mentem et tenorem insequentes, volumus et ordinamus, quod de cætero annis singulis perpetuis futuris temporibus die sexta mensis Octobris, qua die idem Pater noster, carne solutus, beata fuit immortalitate vestitus, festum prædictum in omnibus et singulis domibus totius Ordinis nostri prædicti et earum ecclesiis seu capellis in honorem et sub nomine et vocabulo ejusdem beati Brunonis confessoris cum candelis solemniter celebretur, et ab omnibus et singulis prioribus, monachis, conversis, et aliis personis dicti nostri Ordinis debita devotione colatur, ejusque corpus et memoria dignis in Domino laudibus veneretur, fiatque et decantetur de eo ipsa die sexta Octobris solemne officium cum duodecim lectionibus, capitulo, refectorio, et cæteris cæremoniis, quæ in solemnibus festis candelarum solent observari, in hunc videlicet, qui sequitur, modum. Ad primas Vesperas Antiphona super psalmos, Sint lumbi. Responsorium, « Beatus servus. » Ad Matutinas octo primæ lectiones, sermo beati Augustini episcopi, qui incipit : « Dominus noster Jesus Christus, » sicut in festo S. Martini. Quatuor vero ultimæ, Homilia beati Gregorii papæ, quæ incipit : « Sancti Évangelii, » super Evangelio secundum Lucam : « Sint lumbi vestri, » sicut in festo S. Benedicti. Ad Missam dictum evangelium : Sint lumbi vestri. » Cætera omnia tam in Missa, utriusque Vesperis, Matutinis, quam cæteris Horis fiant sicut unius confessoris non episcopi, exceptis orationibus, quæ dicentur prout infra in pede præsentis ordinationis sunt notatæ. Volumus pariter et ordinamus, quod in vigilia dicti festi fiat abstinentia et in die fiat sermo in capitulo monachorum et conversorum ad laudem ejusdem Sancti, et ad reformationem Ordinis, et cessetur ipsa die ab omnibus operibus, ut divinis laudibus facilius et devotius intendere valeamus.

768. « Item ordinamus, quod dictum festum scribatur in Calendariis ordinis sub dicta die sexta Octobris, et in Letaniis post sanctum Benedictum ponatur, scribatur, et ab inde dicatur « Sancte Bruno, « ora pro nobis. » Item pariter Ordinamus, quod singulis diebus, quibus cætera dicuntur solita suffragia in Matutinis et Vesperis, immediate post

www.libtool.com.cn

commemorationem sancti Joannis fiat de eo memoratio in hunc modum : Antiphona, Similabo. Versus, Justum deduxit. Oratio, » Omnipotens sempiterne Deus, etc. Ut per ejus intercessionem et » merita divinam in præsenti gratiam, et æternam » in futuro gloriam consequi mereamur. » Sequuntur Orationes ad Missam dicendæ, quarum prima dicetur in die ad utrasque Vesperas, Laudes et Tertiam, et quotidie ad commemorationem in Matutinis et Vesperis. ORATIO. « Omnipotens sempiterne Deus » qui renuntiantibus sæculo mansiones paras in » cœlo, immensam clementiam tuam humiliter im» ploramus, ut, intercedente beato Brunone confes» sore tuo, vota, quæ profitendo fecimus, fideliter » implere, et ad ea, quæ perseverantibus in te di» gnatus es promittere, valeamus salubriter perve» nire. Per. » SECRETA. « Sacrandum tibi, Domine, » munus offerimus, majestatem tuam suppliciter » exorantes, ut per intercessionem et merita beati » Brunonis confessoris tui, a peccatis omnibus et » peccatorum omnium pœnis absoluti, acceptum » tibi sacrificium in tuæ Passionis et nostræ Re» demptionis memoriam offerre valeamus. Qui vi» vis. » COMPLENDA. « Per hæc sancta, quæ sumpsi» mus, Domine Deus, pium in nobis accende sanctæ » Religionis affectum, ut ejus, quem ut patrem in » terris colimus, vestigia insequentes, quod, te do» nante, promisimus, te operante, implere, et cum » vitæ finis advenerit, ad te, qui via, veritas, et vi» ta es, pervenire mereamur. Qui vivis, » etc.

769. Posterior, seu quæ anno 1516 fuit præscripta, his verbis concipitur : « Ordinationem in præcedenti capitulo factam circa celebrationem festi beati Brunonis Patris nostri confirmamus, et eam perpetuo in Ordine nostro observari volumus et mandamus, hoc addito, quod, sicut in Letaniis privatis, ita et in conventualibus ponatur et scribatur, et ab inde dicatur : « Sancte Bruno, ora pro nobis. » Et in Martyrologio sub die sexta Octobris scribantur hæc verba : in Calabria depositio beati Brunonis confessoris, primi institutoris ordinis Carthusiensis. Et nihilominus ordinamus, quod de vita ejus noviter impressa legatur in refectorio singulis annis in singulis domibus Ordinis in dicto festo. » Duas has ordinationes, quæ e codice ordinationum, a capitulis generalibus conditarum, in titulo, iis in capite præfixo, desumptæ notantur, cum ipsis autographis concordare testatur ipsemet, qui iisdem subscribitur, reverendissimus ordinis Carthusiensis minister generalis Franciscus Biclet. Expende modo, studiose lector, duo ista jam recitata documenta, vixque dubito quin futurum sit, ut fateare, in horum saltem posteriori Carthusianos generalis anno 1516 celebrati capituli Patres pontificiarum, quibus S. Bruno canonizatus fuisset, litterarum facturos fuisse mentionem, si ad illorum hæ cognitionem venissent, missæque adeo, ut Tutinus verbis proxime recitatis memoriæ prodit, ad ordinis Carthusiensis generalem fuissent. Cum enim, qua pontifex, publice Sanctum coli, vivæ duntaxat vocis oraculo impertierat, facultatis mentionem in priori facere capituli generalis anni 1515 Patres non omiserint, quis Bullæ pontificiæ, cultum Brunonis ecclesiasticum non tantum permittentis, sed etiam decernentis seu præcipientis, si bullam hujusmodi novissent, mentionem, arbitretur, capituli anni 1516 Patres facturos non fuisse in dictorum documentorum posteriori, quo confirmarunt, quod antea de cultu sancto Patri suo deferendo, cum is a pontifice, non præceptus, sed permissus duntaxat fuisset, statuerant ?

770. Adhæc in posteriori e duabus recitatis ordinationibus, anno ex dictis 1516 condita, generalis capituli tunc celebrati Patres bullæ pontificiæ, a Leone decimo papa ad ordinis Carthusiensis generalem missæ, qua hic pontifex S. Brunonem canonizarit, non tantum non meminere, sed bullam hujusmodi a Leone ad ordinis sui generalem missam non fuisse, in hac ipsa ordinatione sua conjiciendi ansam præbent. Dum enim hac, ut sanctus ordinis sui institutor martyrologio inscribatur, præcipiunt, non cum Sancti, sed cum Beati dumtaxat titulo fieri id jubent, secus tamen verosimillime facturi, si bullæ pontificiæ vi, qua Bruno canonizatione saltem æquipollenti, ut vocant, canonizatus fuisset, Sancti titulum ei competere perspectum habuissent. Nec est, quod reponas, Brunonem in præfata ordinatione, utpote qua per voces hasce, « Sancte Bruno, ora pro nobis, » in Litaniis conventualibus invocari jubetur, Sancti titulo etiam condecorari : e cœlitibus enim, qui in Litaniis hujusmodi, publice recitari haud solitis, invocantur, tam ii qui sunt, quam ii qui non sunt, in sanctorum album canonizatione seu formali seu æquipollenti relati, Sancti titulo solent affici. Verum demus etiam, nullius plane roboris esse, quæ e capitularibus Carthusianorum ordinationibus contra assertam a Camillo Tutino, quam ad ordinis Carthusiensis generalem anno 1515 Leo X papa miserit, canonizationis S. Brunonis bullam in medium hactenus adduximus ; bullam equidem hujusmodi a pontifice illo datam nunquam fuisse, ac proin nec ad ordinis Carthusiensis generalem missam, indubitatum esse vel idcirco debet, quod S. Bruno, Carthusianorum parens ac institutor, a Leone decimo canonizatione nec formali nec æquipollenti Sanctorum numero fuerit adscriptus, uti, quæ jam nunc dicturus sum, manifestum efficient.

771. Ante omnia, ut, an vere Sanctus a Leone canonizatus fuerit, melius perspiciatur, quid et canonizatio et beatificatio sit, sicque quidnam hanc inter et illam discriminis intercedat, videamus. Canonizatio, ut Benedictus XIV De servorum Dei beatificatione, et beatorum canonizatione lib. I, cap. 41, num. 1 docet, duplex est, alia formalis, alia æquipollens. Formalis, quæ fit a summo pontifice, servata forma judiciali prolataque sententia, et observatis consuetis cæremoniis. Æquipollens, cum Dei servus, in antiqua cultus possessione existens, fama virtutum et miraculorum celebris, nulla prolata sententia

www.libtool.com.cn

nec servato ordine judiciali, omissisque consuetis cæremoniis, coli jubetur in universa Ecclesia certo die per officii et missæ recitationem celebrationemque, ritu etiam, contra ac in canonizationis formalis bullis (adi laudatum Benedicti XIV opus lib. I, cap. 38, num. 5 et seq.) fieri assolet, seu duplici seu semiduplici, quo fieri illud debeat, expresse ac nominatim, uti e variis canonizationis æquipollentis exemplis, a Benedicto XIV operis, mox iterum citati, lib. I, cap. 41, adductis, intelligitur, determinato seu præscripto, ulteriorique proinde (adi iterum laudatum Benedicti XIV opus lib. I, cap. 38, num. 5 et seq.) constitutione, ut Sanctus, qui canonizatione æquipollenti canonizatus fuit, ita coli possit, non requisita. Quod modo ad beatificationem spectat, hæc, non secus atque canonizatio, in formalem, atque æquipollentem dividitur : formalis quidem est, quando, prævia formali discussione virtutum et miraculorum, pontifex indulget ut servus Dei colatur, tanquam beatus, in aliquo certo loco; æquipollens vero, cum summus pontifex, prævia judiciali probatione famæ virtutum et miraculorum, approbat sententiam latam a judice ordinario vel delegato super casu excepto a decretis Urbani VIII. Ita quantum ad substantiam in opere laudato lib. I, cap. 42, num. 8, idem Benedictus XIV.

772. In eo itaque canonizatio seu formalis seu æquipollens a beatificatione seu formali seu æquipollenti potissimum differt, quod beatificatio permissionem duntaxat, canonizatio cultus præceptum importet, itemque quod in beatificatione cultus ad aliquam provinciam, diœcesim, civitatem religiosamve familiam contrahatur, in canonizatione ad Ecclesiam universam extendatur. Jam vero, cum hæc ita habeant, ac maxime quidem cum in iis, quæ ad beatum, qui canonizatur, spectant, examinandis judicialis ordo seu forma ad canonizationem formaem requiratur, Brunonem sane hac Sanctis non fuisse a Leone adscriptum, manifestum est. Neque vero id quisquam contendit. Quod autem ad canonizationem æquipollentem pertinet, nec hac Brunonem sanctis Leo adscripsit. Hunc enim in universa Ecclesia per officium et missæ celebrationem coli, eo modo, quem canonizationis æquipollentis descriptio, num. præced. dat a. includit, nunquam præcepit. Liquet id ex eo, quod, quemadmodum in Appendice ad gloriam Sancti posthumam probabo, anno 1623 a Gregorio XV papa, ut « festum S. Brunonis... die sexta Octobris... in Missali et Breviario Romano reponi, officiumque de eo semiduplex (verba sunt bullæ, a Gregorio hac de re datæ, infraque recitandæ) ab omnibus ubique fidelibus recitari libere et licite posset ac valeret, » Carthusianis supplicantibus, concessum demum fuerit ; unde consequitur, ut enimvero, Sanctum in universa Ecclesia per officium et missæ celebrationem coli, eo modo, quem canonizationis æquipollentis descriptio, num præced. data, involvit, Leo X papa jam antea haud præcepisset. Atque hinc, simulque ev ante dictis ulterius consequitur, ut nec bullam, qua S. Brunonem canonizarit, anno 1515 dederit, nedum ad ordinis Carthusiensis generalem miserit, contra ac verbis supra recitatis Camillus Tutinus tradit, aliique nonnulli, ab eo, quantum opinor, in errorem inducti, hodieque existimant.

773. Porro cum Sanctus noster, qui ex jam dictis a Leone X canonizatus non fuit, non aliter quam vivæ vocis oraculo, quo, ut cultu ecclesiastico officere eum possent, Carthusianis fuit concessum, a præfato pontifice beatis fuisse adscriptus inveniatur, non fuisse etiam id abs hoc factum beatificatione formali, sed tantum æquipollenti, facile, quantum opinor, quisque intelliget partim e jam data tum formalis, tum æquipollentis servorum Dei beatificationis descriptione seu notitia, partim ex modo, quo in cœlitum honoribus S. Brunoni concedendis Leo papa processisse asseritur tum a Blomenvenna hunceque secuto Surio in concinnatis a se sancti Vitis, tum ab Antonio S. R. E. cardinali Papiensi in litteris supra huc transcriptis. Ad formalem enim (adi num. 771) beatificationem formalis, quæ huic præeat seu prævia sit, virtutum miraculorumque servi Dei, qui beatis adscribendus proponitur, discussio requiritur; modus autem, quo Leo decimus in concedendis S. Brunoni cœlitum honoribus processit, sequens fuit : Cum hic pontifex, cui, ut S. Brunonem festo annuo officioque ecclesiastico honorandi quotidianamque de eo in precibus horariis commemorationem faciendi facultatem ordini Carthusiensi concedere dignaretur, priores Carthusiani deputati, et Antonius S. R. E. cardinalis Papiensis totius mox dicti ordinis, cujus protector erat, nomine supplicabant, « jam dudum de laudibus ac sanctitate ejusdem beati confessoris plurima intellexisset, arbitratus dignum esse ac consonum rationi, ut, quem Deus in hoc sæculo tantis donis et gratiis insignivit, assumptum in cœlis magis ac magis venerandum, et cui viventi dederat cor omnipotens ad præcepta et legem vitæ et disciplinæ, eidem nunc apud thronum divinæ gloriæ existenti impendatur in terris debitæ devotionis obsequium,» postulationi eorum lubentissime consensit.

774. Ita supra jam datæ num. 759 et seqq. Antonii cardinalis litteræ. Nec ab hisce ea in re Blomenvenna, cui etiam in substantia Surius ad amussim consonat, multum abludit. En ejus huc spectantia verba. Sic habent : « Sanctissimus dominus noster (nimirum Leo decimus papa) cum multorum relatione de eximia sanctitate beati Brunonis frequenter audisset, posthabita miraculorum inquisitione, indignum arbitratus est, eum, quem Deus tantis in hoc sæculo ornasset donis et gratiis, nunc assumptum in cœlis maximis non efferri præconiis, et cui dedisset omnipotens cor ad præceptum et legem vitæ et disciplinæ, eidem nunc, apud thronum divinæ gloriæ quiescenti, debitæ devotionis obsequium non impendi in terris. Et propterea non modo generose auctoritate apostolica annuit, verum etiam voluit ut

www.libtool.com.cn

in singulis domibus totius ordinis Carthusiensis.... festum sanctissimi Brunonis confessoris annis singulis die sexta Octobris.... solemniter colatur, et congrua debitaque devotione celebretur. »Jam vero, cum Leo papa non formali virtutum miraculorumque discussione præmissa, sed sanctitatis dumtaxat, uti e jam datis Antonii cardinalis litterarum et Blomenvennæ verbis intelligitur, fama impulsus, cultum ecclesiasticum, hisce itidem expressum, S. Brunoni deferri permiserit, manifestissimum sane est, formali id eum, utpote ad quam formalis virtutum miraculorumque discussio ex dictis requiritur, beatificatione non fecisse, ac proin nec hac, sed tantum æquipollenti, qualis tunc erat in usu, quæque sententiæ, a judice ordinario vel delegato super excepto ab Urbani VIII decretis, utpote tum nondum exsistentibus, casu latæ, approbationem pontificiam non exigebat, Sanctum nostrum beatis fuisse adscriptum.

775. Verum qualiscumque demum modus fuerit, quo Brunonem, sanctissimum Carthusianorum institutorem, beatis adcribi, a Leone decimo, summo pontifice contigerit, fuit equidem ab hoc, ut illi cælitum honores publice deferre possent, Carthusianis concessum. Nec dudum hi facultatem illam irritam esse siverunt. Etenim ut in singulis ordinis sui domibus permissus a summo pontifice cultus ab omnibus prorsus seu clericis seu conversis sancto Parenti suo deferretur, in capitulo generali, quod anno 1515, dictæ facultatis concesssionem proxime secuto, celebratum fuit, districte, quemadmodum ordinatio in hoc condita supraque huc transcripta fidem facit, statuerunt, jamque ab ipso anno 1514, quo concessa eis a pontifice dicta facultas fuerat, corpus S. Brunonis e S. Mariæ de Turri, quemadmodum, nemine eis hac in re contradicente, Tutinus in Historiæ ordinis Carthusiensis prospectu pag. 136 aliique docent, ecclesia ad ecclesiam S. Stephani de nemore translulerant. Id quidem loco cit. dictus Tutinus, eodem demum anno 1515, quo condita fuit in generali ordinis Carthusiensis capitulo memorata ordinatio, factum scribit; verum quemadmodum hic scriptor, qui non prius quam seculo proxime elapso floruit, ac proin diu a re gesta abfuit, in asserenda bulla, ad Carthusianos missa, qua Leo decimus papa S. Brunonem canonizarit, hallucinatus ex dictis est, ita etiam hic in assignando anno, quo sacræ Sancti reliquiæ ex ecclesia S. Mariæ ad ecclesiam S. Stephani de nemore fuerint translatæ, omni dubio procul hallucinatur. Blomenvenna enim, qui eo ipso tempore, quo memorata sacrarum Sancti reliquiarum translatio contigit, in vivis exstitit, Carthusiæque Coloniensis (adi in chronologico ordinis Carthusiensis Theatro Merotium et in Bibliotheca Carthusiana Petreium) priorem egit, fuisse illam jam inde ab anno 1514 factam, in contexta a se S. Brunonis Vita e Matthæi, Carthusiæ Bononiensis prioris, qui rei gestæ interfuerat, relatione memoriæ prodit, omnesque prorsus scriptores alios, de re illa tra-

A ctantes, quos quidem viderim, sibi consentientes habet.

776. Verba, quibus Blomenvenna dictam translationem anno 1514 e laudati Bononiensis prioris, qui præsens huic adfuerat, testimonio affigit, sequentia hæc sunt: « Anno domini... 1514 domnus Matthæus, prior domus Bononiæ, qui et ipse ad negotium supra dictum (restitutionem monasterii S. Stephani) urgendum deputatus fuerat, cum translationi ossium sancti Brunonis personaliter interesset, sacrum illius caput, ne cum ossibus altari imponeretur, tenebat in manibus; turbis vero congregatis et amantissimi sui Patroni sanctis reliquiis privari formidantibus, satisfaciebat dicendo, opus, sacrum caput, ab ossibus segregatum, auro et argento vestiri lapidi-
B busque pretiosis ornari: atque ita diligentis custodiæ suspicionem ipsis auferens, ex speciali licentia summi Pontificis partem aliquam capitis detraxit, et aliis communicavit, et præcipue venerabili patri Gregorio, priori domus Friburgensis, portionem modicam de eodem capite dedit anno Domini 1515 tempore capituli generalis, quam ille, minutatim dividens, per domos provinciæ Rheni, sibi tanquam visitatori principali commissas, distribuit. Quia vero sanctus Bruno natione Coloniensis fuit, præfatus dominus Mathæus reservaverat portionem parvam de eodem capite pro priore domus Coloniæ, eique in præsentia reverendi prioris Majoris Carthusiæ donavit plurimum gaudenti et devotione magna suscipienti anno 1516; qui Coloniam reversus eodem
C anno pretiosissimum gratissimumque ibi munus in ecclesia domus suæ deposuit die Inventionis sancti Stephani; pulveres vero, ex divisione decidentes, distribuit domibus provinciæ Teuthoniæ, scilicet sancti Salvatoris prope Trajectum, sanctæ Mariæ in Monichusen, sancti Andreæ prope Amsterdam, et sancti Bartholomæi prope Delfft.

777. « Translatum est autem corpus sancti Brunonis anno Domini 1514 per dominum Joannem Rufi abbatem, et. ut mihi retulit dominus Matthæus, de quo supra, impositum majori altari, ex candido marmore constructo, circumposito tabulato spissitudinis quatuor digitorum, crate etiam ferrea undique gyrante ipsum altare, cujus etiam mensa est de mar-
D more candido. Est autem altare istud locatum in capite ecclesiæ sancti Stephani de Busco. » Ita ille, apertissime sane docens, sacrum S. Brunonis corpus anno 1514 fuisse translatum. Nec hoc tantum e recitatis Blomenvennæ verbis habemus, verum etiam per Joannem Rufi abbatem, qui melius fortassis a Surio aliisque Joannes abbas S. Rufii vocatur, translationem fuisse peractam, eique etiam Matthæum, Carthusiæ Bononiensis Priorem, interfuisse. Ait porro in Sancti Vita a se conscripta cap. 33 Zanottius, solemnitati isti non tantum hunc, verum etiam Neapolitanæ, Claromontanæ in Basilicata regni Neapolitani provincia, Mantuanæ et Romanæ Carthusiarum priores præsentes adstitisse. Et vero, licet id scriptoris synchroni æqualisve testimonio confirma-

www.libtool.com.cn

tum nuspiam inveniam, vel ex eo tamen, quod iidem priores, ut Turritanum S. Stephani monasterium Ordini suo restituendum curarent, deputati antea fuerint, verosimillimum autumo. Sed hæc de iis, quæ ad sacri thesauri translationem spectant dixisse sufficiat; nunc de hoc ipso nonnulla dicamus. Ex eo, dum solemnitas ista perageretur, per Matthæum, Carthusiæ Bononiensis priorem, capitis partem fuisse modo, quem exponit, decerptam, Blomenvenna verbis proxime datis docet, uti etiam partis illius portionem unam Gregorio, Carthusiæ Friburgensis priori, anno 1515, alteramque Carthusiæ Coloniensis priori anno 1516 a laudato Mattheo, Carthusianorum Bononiensium priore, fuisse donatam.

778. Ac prior quidem Coloniensis, cui sacrum hoc donum fuit collatum, ipsemet qui isthæc in litteras mittit, quique, quod Leidæ seu Lugduni Batavorum natus sit, Leidensis etiam a patria nominatus non raro invenitur, Blomenvenna exstitit, uti liquet tum ex tempore, quo Carthusiæ Coloniensi a Petreio et Morotio præfuisse memoratur, tum ex Surio, qui eadem, quæ verbis jam datis Blomenvenna, in conscripta a se Sancti nostri Vita memorans, sequentia prodit memoriæ : « Quia sanctus Bruno patriam habuit Coloniam Agrippinam, idem dominus Matthæus ejus capitis parvam portionem donavit domino Petro Leidensi, Carthusiæ Coloniensis priori, cui munus illud fuit longe gratissimum, quique domum reversus anno 1516 donum pretiosissimum in ecclesia Carthusiæ Coloniensis die 3 Augusti reverenter deposuit. » Ita Surius. Verum qui factum, ut Matthæus, Carthusiæ Bononiensis prior, capitis S. Brunonis portionem Gregorio, Carthusiæ Friburgensis priori, provinciæque Rheni visitatori anno 1515, uti Blomenvenna verbis recitatis testatur, in generali ordinis Carthusiensis capitulo, de more in Carthusia celebrato, impertierit, nec tamen eodem tempore partem capitis, Carthusiæ Coloniensi quæ et ipsa in Rheni provincia sita est, destinatam, Blomenvennæ, qui etiam tunc provinciæ Rheni visitator erat, in manus tradiderit? Cum e duobus singularum ordinis Carthusiensis provinciarum visitatoribus unus dumtaxat, uti in opere quod ordinis Carthusiensis Annales inscripsit, Innocentius le Masson lib. III, cap. 22 docet, ad capitulum generale, in Carthusia Majori celebrandum, teneatur quotannis accedere, capituloque generali anni 1515 Gregorius, Carthusiæ Friburgensis prior, tanquam dictæ Rheni provinciæ visitator, interfuerit, facile intelligitur, qui factum esse queat, ut Blomenvenna, licet et ipse provinciæ Rheni visitator esset, capitulo generali anno 1515 non interfuerit, utque adeo ipsi Matthæus, Carthusiæ Bononiensis prior, parvam capitis S. Brunonis portionem, quam Carthusiæ Coloniensi, quod in hac civitate natus Sanctus esset, destinarat, ante annum 1516 in manus non tradiderit, seu ad illud usque tempus, quo illum capitulo generali interfuturum sciebat, in manus tradendum reservarit.

779. Porro translationis Sancti nostri occasione non tantum sacrorum ejus lipsanorum partem Carthusiæ Friburgensis prior, alteramque Coloniensis Carthusiæ prior, qui cum aliis Provinciarum Rheni et Teutoniæ seu Belgii Carthusiis, ut Blomenvenna etiam verbis supra huc transcriptis docet, sacrum donum communicarunt, obtinuere ; verum etiam e sacro Carthusiensium ordine alii non pauci, ut dubitandum non apparet. Ac imprimis quidem Carthusiæ Parisiensis alumni os digiti, quod hodieque, ut Bailletus tom. III Vitarum col. 91 docet, ad pedem statuæ, Brunonem exhibentis, cernitur, sibi impetravere: At vero Zanottius in contexta a se Sancti Vita cap. XXXIII assertionem præterea huc facientem suppeditat, quæ, an veritati consonet, animi pendeo. Ait enim, eo ipso tempore, quo sacrum Sancti nostri corpus transferri contigit, Jacobum de Aragonia, Carthusiæ Neapolitanæ priorem, e S. Brunonis corpore inferioris mandibulæ partem una cum duobus dentibus, facta sibi ad hoc a Pontifice facultate, cepisse, sacraque illa lipsana ad Franciscum a Puteo, Carthusiæ Majoris priorem, qui ad solemnem Sancto cultum procurandum non parum contulerat, dono misisse ; Blomenvenna autem, qui ex jam dictis rei gestæ fuit æqualis, eamque etiam e Matthæo, Carthusiæ Bononiensis priore, qui Sanctis translationi præsens adstitit, verosimiliter audivit, sacrum illud donum Francisco a Puteo, Carthusiæ Majoris priori, citius quam anno 1514, factum fuisse, idque ei non dono missum, sed ab ipsomet Jacobo de Aragonia, Carthusiæ Neapolitanæ priore, coram oblatum fuisse, memoriæ prodit.

780. En ejus huc facientia verba: »Cum negotium, inquit, hujus restitutionis (Calabrini scilicet S. Stephani monasterii) urgeretur seu tractaretur, tempore, quo capitulum generale Carthusiæ celebrabatur, venit prior domus Neapolitanæ, cui negotium hoc commissum erat, et præsentavit reverendo patri domino Francisco, priori domus Majoris Carthusiæ, partem mandibulæ cum duobus dentibus sancti Brunonis, narravitque cunctis audire cupientibus, abbates domus sancti Stephani, in qua sacrum corpus beati Brunonis requiescit, tanta diligentia sacras reliquias ejusdem metu Carthusiensium, ne scilicet illud substraherent, custodivisse, ut, ossibus separatis atque ad diversa secretiora loca repositis, eis sacræ essent reliquiæ, præter abbatem et alium fide dignum. » Hactenus ille. Atque his quidem suis verbis, ut consideranti patebit, apertissime tradit, Sancti mandibulam una cum duobus ejus dentibus ad Puteanum, Majoris Carthusiæ priorem, a Neapolitanorum Carthusianorum priore dono non fuisse submissam, sed hunc ipsum, contra ac Zanottius scribit, dicto Carthusiæ Majoris priori, cum capituli generalis tempore præsens ei adesset, sacrum illud munus obtulisse; quod autem ad tempus, quo res acciderit, spectat, tunc eam, cum, ut S. Stephani monasterium ordini suo restitueretur, Carthusiani

instarent, gestam scribit, ac proin antequam id A hisce restitutum fuisset. Jam vero cum restitutionis hujus negotium anno 1514 mense Februario ex supra dictis Pontificii decreti, anno 1513 dati, quo ea fieri jubebatur, exsecutione terminatum fuerit, tuncque generale anni 1514 Carthusianorum capitulum, cujus tempore Jacobus, Neapolitanus prior; præfatum sacrum donum Francisco a Puteo offerre potuerit, celebratum certe (neque enim ante Pascha generalia sua capitula Carthusiani unquam habent) nondum fuisset, ex iis sane, quæ Blomenvenna verbis recitatis scribit, consectarium omnino est, ut ante annum 1514, contra ac Zanottius tradit, Sancti nostri mandibulam una cum duobus ejus dentibus Francisco a Puteo, Carthusiæ Majoris priori, per Jacobum, Neapolitanæ Carthusiæ priorem, offerri con- B tigerit.

781. Ast, inquies, cum Cistercienses, dum penes ipsos esset S. Stephani monasterium, studiose admodum ac callide, quemadmodum ex ipsismet recitatis Blomevennæ verbis intelligitur, sacra S. Brunonis ossa occuluerint, qui factum; ut ex hisce mandibulam, quam una cum duobus Sancti dentibus Carthusiæ Majoris priori dono daret, Jacobus, Carthusiæ Neapolitanæ prior, antequam monasterium illud Carthusianis restitutum esset, obtinuerit? Fateor, est sane cur nodus hic solutu appareat difficilis. Attamen cum locus, quo S. Brunonis corpus, aut, si mavis, sacra ejus ossa es ent recondita, Antonio Sabino, bonorum omnium ac redituum monasterii S. Stephani procuratori seu C præfecto per cardinalem de Aragonia, commendatarium hujus abbatem, constituto, jam inde ab anno 1513, si Tutinus recte notet, aut etiam, si Zanottio fides sit, jam inde ab anno 1502 divinitus fuerit revelatus, fieri potest, ut mandibulam ex iis duosque dentes ante annum 1514 a dicto cardinali, qui bene erga Carthusianos erat affectus, Jacobus, Carthusiæ Neapolitanæ prior, affinitate cum eo conjunctus, acceperit. Quod cum ita sit, mandibulam S. Brunonis cum duobus ejus dentibus ante annum 1514 Francisco a Puteo, Carthusiæ Majoris priori, datam fuisse, ob ea, quæ Blomenvenna, auctor synchronus, ea de re memoriæ prodit, verosimilius, quam oppositum, a Zanottio, auctore recentiore, traditum, mihi apparet, licet interim huic D etiam suffragetur Camillus Tutinus, in Historiæ ordinis Carthusiensis prospectu scribens, anno 1514 reliquias, aliquot, de Brunonis corpore collectas, Carthusiis Majori, Coloniensi et Parisiensi distributas fuisse; cum enim is scriptor, quantum ad sancti reliquias, quas Coloniensis Carthusia anno 1514 obtinuerit, ex jam supra dictis certo erret, pondus iis, quæ de tempore, quo Sancti mandibula una cum duobus ejus dentibus Francisco a Puteo seu Carthusiæ Majori tradita fuerit, Zanotius in litteras mittit, addere non potest.

782. Cæterum etsi duidem, quæ de tempore ac modo, quo capitis S. Brunonis mandibulam una cum duobus dentibus a Jocobo de Aragonia, Carthusiæ Neopolitanæ priore, Franciscus a Puteo, Carthusiæ Majoris prior, obtinuerit, Zanottius in litteras mittit, pro certis atque indubitatis, uti jam dicta probant, haberi haud queant, ei tamen, residuam capitis S. Brunonis partem, hermæ argenteo, Sanctum repræsentanti, inclusam, in Calabrino S. Stephani monasterio honorifice hodieque asservari, lucubrationis suæ sæpissime laudatæ cap. 33 proxime cit. asserenti, absque ullo scrupulo assentiendum apparet. Præterquam enim quod Mattheus, Carthusiæ Bononensis prior sacrum Sancti caput a reliquis ossibus sejunctum, auro et argento vestiendum, gemmisque ornandum esse, populo adstanti, ut Blomenvenna verbis supra recitatis docet, in Sancti translatione declararit, scriptor ille e Calabriæ monumentis, quæ sæpissime laudat, certo rescire potuit quæ ea de re memoriæ prodit, atque vel hinc dubitandum etiam non est quin veritati consonet, quod de reliquo Sancti corpore in S. Stephani monasterio sub magnifico altari in arca marmorea hodieque asservato e Calabriæ pariter, quantum opinor, monumentis loco cit. docet, licet interim hæc in rebus, ab ætate nostra remotioribus, fidem indubitatam facere non possint, hincque non pauca, quæ ex hisce Zanottius hausit, quæque data opera confutare operæ pretium non erat, asserta silentio prætereunda seu negligenda in commentarii hujus decursu duxerim, non secus ac nonnulla alia quæ ab aliis scriptoribus recentioribus traduntur, nec sat probato veritatis aut etiam verisimilitudinis fundamento suffulta arbitratus sum.

VITA ANTIQUIOR,

Auctore primorum quinque Carthusiæ priorum chronologo anonymo,

Ex antiquissimo bibliothecæ Carthusianorum Coloniensium ms. deprompta (1).

CAPUT UNICUM.

Occasio conversionis S. Brunonis: solitudinem petere statuit, alios in idem propositum, attrahit, Gratianopolim pergit, in Carthusiæ eremum secedit, ad pontificem, ex hac evocatus, se confert, solitudinem repetendi facultatem ab eo impetrat; in Turritanam Calabriæ eremum se abdit, ibique moritur.

1. Anno Dominicæ incarnationis 1082 vel circa illum, dum solemne studium floreret Parisiis, præ-

(1) De hac Sancti Vita, auctore, a quo, et tempore quo scripta videtur, Commentarii prævii num. 8 et septem seqq., quæ necessaria congruaque arbitratus sum, in medium adduxi, uti etiam de

cipue in philosophia et theologia, et jure canonico, sicut generaliter consuevit, tale prodigium ibi dicitur accidisse. Quidam enim doctor præcipuus, et vita, ut videbatur, fama atque doctrina et scientia inter omnes doctores Parisienses excellenter honoratus, et mirabiliter gratiosus, gravi et ultima infirmitate præventus, non diu decumbens diem clausit extremum.

2. Cumque tota die, qua defunctus est, more Parisiensi in aula, funere in feretro decumbente, fuissent continue decantata divina officia, in crastino mane, congregata ibidem universitate (2) Parisiensi tam scholarium quam doctorum, ut tam honorabili viro solemnem et honorabilem præberent funeralis officii sepulturam, cum reverendi viri feretrum, in quo funus jacebat, vellent elevare ad ecclesiam deferendum, subito, cunctis stupentibus, qui mortuus videbatur et erat, elevato capite, resedit in feretro, et, omnibus audientibus, alta et terribili voce clamabat : Justo Dei judicio accusatus sum, et, hoc dicto, caput deposuit, et decubuit mortuus, sicut prius.

3. Qua voce cuncti attoniti et territi deliberaveruut, ipsum illo die nullo modo fore sepeliendum, sed usque in crastinum reservandum. Mane ergo sequenti cum multitudo maxima convenisset, et dictum funus, sicut prius, vellent ad ecclesiam deportare, defunctus, sicut prius, elevato capite, dolorosa, et terribili voce intonuit : Justo Dei judicio judicatus sum.

4. Quam vocem multitudo, quæ aderat, clare intelligens et audiens stupuit plus quam prius, et alterutrum conquirentes quid sibi vellent innuere tam insoliti et inexperti defuncti clamores, adhuc determinaverunt ipsum ad aliud crastinum usque nullatenus tumulandum, Tertio vero die cum propter ista prodigia civitas convenisset, et funus, cunctis præparatis, vellent ad tumulum deportare, defunctus, sicut prius, jam tertio altissimo et mœstissimo clamore personuit : Justo Dei judico condemnatus sum (3).

5. Qua horribili sententia audita, quasi omnes immenso fuerunt timore et tremore percussi, certi facti de condemnatione tanti viri, qui inter alios et super alios videbatur honestate vitæ, claritate famæ, dignitatis excellentia, et multiplici scientia ac sapientia præfulgere. Ea tempestate erat ibi magister Bruno (4), natione Teutonicus, de civitate Colonia non obscuris parentibus natus (5), ecclesiæ Remensis canonicus et ibidem scholarum magister in theologia (6), qui supra criptis vocibus salubriter territus atque compunctus allocutus est quosdam socios ibi præsentes infrascriptis vel similibus verbis :

6. « Eia, charissimi, quid faciemus ? Omnes simul peribimus, non salvabitur, nisi qui fugerit. Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet ? Si homo tantæ dignitatis, tantæ litteraturæ, qui videbatur tam honestæ vitæ, qui erat, tam celebris famæ, sic indubitanter damnatus est, quid nos miserrimi homunculi faciemus ? Si lugubri voce unius homuncionis tam horribili et stupendo timore et tremore concussi et stupefacti sumus, quid faciemus, dum rugitus leonis, cum extremi judicii tuba aures nostras perculerit ? Cum omnes audiemus : Surgite, mortui, venite ad judicium ? Quo tunc fugiemus ? Quomodo in tam horrendo judicio, ubi columnæ cœli contremiscent, et angeli terrebuntur et territi purgabuntur [*an* turbabuntur ?], apparere poterimus ? Ubi tunc latebimus ?

7. « Impossibile erit latere, intolerabile apparere; fugiamus igitur a facie gladii Dei, præoccupemus faciem ejus in confessione, venite adoremus, et procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos. Postquam igitur hodie vocem ejus stupendam audivimus, non obduremus corda nostra, sed exeamus de medio Babylonis, egrediamur Pentapolim, igne et sulphure jam succensam, et exemplo beati Pauli eremitæ, beatorum Antonii. Arsenii, Evagrii aliorumque sanctorum cum beato Joanne Baptista antra deserti quæramus, in montibus nos salvos faciamus, ut æterni Judicis iram, et sententiam damnationis æternæ, et diluvii [*an* diluvium ?] peccatorum in arca Noe, et in navicula Petri, in qua Christus ventum et tempestatem cessare fecit, id est, in navi pœnitentiæ evadere valeamus et pervenire possimus ad portum et tranquilitatem salutis æternæ. »

8. His vel similibus verbis atque sententiis se-

antiquissimo, e quo deprompta illa fuit ac nobiscum communicata, ms. primorum quinque Carthusiæ priorum chronici exemplari.

(1) Hanc Sancti Vitam ante sæculum tertium decimum concinnatam non fuisse, verosimillimum, imo prope indubitatum, apparet ex *Universitatis* nomine, quo hic condecoratur Parisiensis academia. Adi Commentarium prævium num. 12 et 15 ; iis autem, quæ ibidem dicta sunt, addi potest, pontifices Romanos Innocentium III, qui anno 1216 obiit, Honorium itidem III, Innocentium IV et Alexandrum pariter IV sæculo XIII privilegia academiæ Parisiensi impertiisse, cumque litteræ, hunc in finem datæ, a vocibus *Noverit universitas vestra*, aut *Universitas magistrorum et scholarium* inchoarentur, factum hinc, uti inter eruditos fere omnes modo convenit, primum esse ut academia Parisiensis nuncupata fuerit *Universitas*.

(3) Quid de hic narrato Parisiensis defuncti, qui, sese damnatum, e feretro vociferatus sit, horrendo spectaculo, sive publice ad coram multis, sive, paucis duntaxat præsentibus, factum adstruatur, sentiendum sit, uti etiam an ferali historia *S. Bruno* in eremum pulsus fuerit, studioso lectori ex iis quæ de hac Commentarii prævii §§ X et tredecim seqq. disserui, dijudicandum relinquo.

(4) Dato etiam, horribile damnati spetaculum Parisiis accidisse, eique etiam *S. Brunonem* interfuisse, hinc tamen consequens nondum erit ut tum ibidem Sanctus docuerit. Vide Commentarii prævii num. 173 et seqq.

(5) De nobili *Brunonis* genere videsis Commentarium prævium § II.

(6) Theologiam scilicet Remis *Bruno* docuit, uti Commentarii prævii num. 78 et seqq. ostendi.

ipsum et quosdam socios alloquens et exhortans deliberaverunt ipse et sex alii probi viri secum abrenuntiare mundo et pompis ejus, et ad perpetuam pœnitentiam peragendam eremi deserta competentia quærere, et ibidem, relictis omnibus divitiis et deliciis et honoribus hujus mundi, accipere singuli cruces suas, et nudi nudum Christum sequi per arctam viam, quæ ducit ad vitam, et latam ac spatiosam deserere, quæ amatores et sectatores mundi perducit ad supplicia damnatorum.

9. Et ideo, quia audierant famam sanctitatis sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani, qui prius aliquo tempore ejusdem magistri Brunonis in scholis creditur socius exstitisse (7), sancto spiritu inspirante, proposuerunt ad memoratum sanctum episcopum simul accedere, et ejusdem auxilium et concilium requirere, ut in ejus diœcesi, quam audierant multis desertis montibus abundare, mererentur locum congruum obtinere, in quo suum sanctum et salubre propositum possent effectui mancipare. Septem igitur sancti viri suprascripti prædicta de causa ad prædictum sanctum episcopum, duce sancto spiritu, pervenerunt (8).

10. Et, ut utar omnino verbis scriptis in legenda Vitæ S. Hugonis episcopi memorati, per summum pontificem, qui eum canonizavit, approbata, et confirmata (9) : « Adest magister Bruno vir religiosus, scientia famosus, honestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum; habebat autem socios magistrum Landuinum, qui post eum prior Carthusiæ exstitit, duos Stephanos, Burgensem et Diensem (hi Sancti Rufi canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ eis, abbate favente, sese conjunxerant), Hugonem etiam (10), quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio (11), duos laicos, quos appellamus conversos, Andream et Guarinum; quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant (12). Hæc ergo spe, simul et suavi sanctæ conversationis odore trahente, venerunt; quos episcopus, non solum gratanter, sed et reverenter suscepit, tractavit et voti compotes fecit.

11. « Ipso namque consulente et juvante ac concomitante, Carthusiæ solitudinem intraverunt atque exstruxerunt anno Domini millesimo octogesimo quarto; episcopatus vero dicti sancti Hugonis quarto (13). Viderat autem præfatus sanctus episcopus circa idem tempus per somnium in eadem solitudine Dominum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem ducatum sibi prebentes itineris (14). Erant vero et hi septem; Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, comitati esse hic narrantur, videsis Commentarii prævii § XXV, a num. 434 usque ad num. 441.

(7) Actum apud nos est de sancto isto Gratianopolitano episcopo ad 1 Aprilis diem, quo nomen ejus Martyrologio Romano exstat insertum : *Anno* autem *ab incarnatione Domini*, uti ibidem Guigo, quintus Carthusiæ majoris prior, Hugoni æqualis sanctaque amicitia, quamdiu vixit, conjunctus, in illius Vita, quam, jubente summo pontifice Innocentio II, concinnavit, num. 33 testatur, *millesimo centesimo trigesimo secundo, ætatis... suæ ad minus octogesimo, mense quarto*, e mortali hac vita ad immortalem migravit; quare, cum ante annum 1052 natus haud fuisse videatur; *Bruno* autem jam inde ab anno circiter 1030. uti in Commentario prævio § II docui, natales sit consecutus, docereque Remis jam inde ab anno 1050 aut etiam citius e dictis ibidem § IV inceperit, ex utriusque ætate liquet, hujus potius illum *in scholis discipulum*, quam *socium*, contra ac biographus noster ferri hic ait, aliquando exstitisse, licet interim nec hoc, utpote nullo etiam antiquitatis testimonio firmari valens, asseverare ausim.

(8) Sanctum nostrum ejusque socios, viso Parisiis ferali damnati spectaculo, ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, recta sese contulisse, biographus hic docet; ast hoc a vero alienum esse probant, quæ in Commentario prævio, num. 414 et seqq. in medium adduxi.

(9) Guigoni quidem, quinto Carthusiæ majoris priori, Innocentius II papa, postquam anno 1134 (adi operis nostri tom. I Aprilis pag. 36, num. 4) in concilio Pisano Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, biennio dumtaxat ante vita functum, sanctis adscripsisset, in mandatis dedit, ut hujus sancti antistitis gesta omnia litteris consignaret; verum lucubrationem, qua id Guigo, pontificio præcepto obtemperans, fecit, a pontifice illo, uti hic biographus noster tradit, confirmatam approbatamque fuisse, a scriptoribus antiquis memoriæ proditum non invenio, licet interim res vero neutiquam appareat absimilis.

(10) De Landuino, duobus Stephanis, Burgensi scilicet ac Diensi, monasterio S. Rufi, e quo hi fuerunt, nec non Hugone capellano, qui sanctum ad Sanctus, cum ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accessit, sacerdotio initiatus non fuerit, Commentarii prævii num. 442 et seqq. discussum invenies.

(11) An ex his Guigonis verbis consequens sit ut

(12) Quid ex hisce Guigonis verbis consectarium appareat, Commentarii prævii num. 420 vide expositum.

(13) Anno Christi hic signato vere esse sanctum, comitesque ejus Carthusiæ eremum ingressos, luculentissime, quæ in Comm. præv., num. 470 et tribus seqq. in medium protuli, contra Baronium potissimum aliosque, anno 1086 id factum, contendentes, evincunt. Nec eventum illum cum anno quarto Hugonis episcopatus, etsi etiam ad hunc ille jam inde ab anno 1079 fuerit promotus, perperam componi, palam est ex iis quæ ibidem num. 506 et seq. hanc in rem disserui. Verba interim omnia, quæ tempus ingressus S. Brunonis ejusque sociorum in Carthusiam exprimunt, quæque, veluti a Guigone in Vita S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, suppeditata, hic citantur, ab hac Guigonis lucubratione, tum apud nos, tum apud Surium absunt; ut adeo vel exemplaria, e quibus tum apud nos, tum quod Surium conscripta a Guigone S. Hugonis Vita publici juris facta est, dictorum verborum omissione fuerint vitiata, vel ut biographo nostro, qui præterea in nonnullis aliis lectionibus a dicta, prout apud nos et Suriam edita est, sancti illius antistitis Vita dissonat, Vitæ ejusdem exemplar corruptum præluxerit, Ac postremum quidem hoc verosimilius vel ex eo puto, quod elogii quoque, Commentarii prævii num. 7 dati, exemplar, quod ei præluxit, quodque tamen pro incorrupto habuit, fuerit corruptum, uti liquet ex iis quæ ejusdem Commentarii prævii num. 519 dicta sunt.

(14) De oblata hac S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, visione ejusque adjunctis videsis Commentarii prævii num. 423 et aliquot seqq.

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

quapropter non istorum tantum, sed et qui successerunt eis, concilia libenter amplexus est, et usque ad mortem Carthusiæ habitatores semper fovit, et beneficiis et conciliis; licet vero et prius divini amoris totus arderet incendiis, nec aliter tamen ad disciplinæ cœlestis exercitia eorum exemplis et familiaritate inferbuit, quam si flammanti quis faci plures alias circumponat ardentes.

12. « Erat cum eis non ut dominus aut episcopus, sed ut socius, sed ut frater humillimus et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus; adeo ut vir venerabilis Guillelmus prior tunc S. Laurentii (15), postea S. Theofridi abbas magistro Brunoni etiam ipse non modica religiosa devotione alligatus, beati Hugonis tunc contubernalis (bini quippe per singulas habitabant cellas), apud magistrum Brunonem non leviter conquereretur quod pene omnia ad humilitatem spectantia intra cellam præriperet officia episcopus, non saltem secum ut socius, sed potius conversaretur ut famulus.

13. « In tantum autem eremum devotus incolebat et sedulus, ut eum magister Bruno non nunquam exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oves vestras, eisque, quod debetis, exolvite. Eo tempore magnæ paupertatis et humilitatis ardore succensus dictus episcopus voluit equitaturas suas cunctas vendere, et de ipsarum pretio pauperibus erogare, propriisque pedibus in prædicatione discurrere; sed homo profundi cordis magister Bruno, cujus consiliis non aliter quam præceptis obtemperabat abbatis, non consensit, timens ne apud se de hoc forsitan extolleretur, aut a cæteris de singularitate judicaretur episcopis, aut, quod dubium non erat, id ipsum propter asperitatem et inæqualitatem consummare non posset itinerum. »

14. Omnia prædicta sunt verba domni Guigonis scripta in Vita S. Hugonis Gratianopolitani episcopi, quæ hic inserenda judicavimus, quia in eis primordia fundationis Carthusiæ declarantur, et magistri Brunonis excellentia innotescit et in hoc, quod eidem tam venerabilis, tam sanctus episcopus cum tanta reverentia, sic ferventer et humiliter adhærebat, et cum eodem vere dici potest domus et ordinis Carthusiensis patronus et fundator; et quamvis non primus, tamen quodammodo præcipuus institutor. Feliciter igitur fundata et inchoata fuit domus, et ordo Carthusiensis tempore summi pontificis Gregorii septimi, cui in papatu successit papa Victor, qui valde modicum, id est, tantum uno anno et mensibus quatuor circiter vixit. Quo mortuo, Urbanus secundus creatus est, cujus magister Bruno prius præceptor fuerat et magister (16).

15. Hic cito post creationem suam recordatus sapientiæ et sanctitatis et discretionis eximiæ magistri sui Brunonis, statim cogitavit eum habere, ut eum dirigeret et juvaret ad apostolatus sollicitudinem et onera perferenda (17). Cum igitur præfatus magister Bruno jam sex annis eremum Carthusiæ inhabitasset, et vocatus ad curiam Romanam, oporteret eum summo pontifici obedire, et filiorum suorum cellicolarum societatem gratissimam, saltem ad tempus, deserere, ipsi subditi sui tanto sunt propter hoc dolore concussi, et tanta tristitia perturbati, quod omnino etiam ipsi dixerunt, se nullo modo in Carthusia mansuros, si eosdem accideret, tam dulcissimi et dilectissimi Patris orbari præsentia et providentia spoliari.

16. Magister igitur Bruno propter istam filiorum desolationem non leviter desolatus, obedientiæ tamen debitum summo pontifici non volens nec valens licite denegare, ne locus Carthusiæ, a cellicolis derelictus, ad profanas et indignas manus, aut usus sæcularium deveniret, ipsum Casæ-Dei abbati, qui fuerat unus de primis fundatoribus, facta donatione et cessione, reliquit, confecto super hoc ei publico instrumento (18). Deinde venerabilis Pater, ad summum pontificem veniens, eidem non longo, sed brevi tempore assistens, consiliis, et auxiliis salutaribus ejus multa onera suppartabat, et multum in regimine sanctæ Dei Ecclesiæ, ejus sollicitudinem sua promptitudine sublevabat.

17. Diu tamen patienter dissimulare non potuit tristitiam, et dolorem conceptum de suorum dispersione filiorum, et strepitus et tumultus curiæ, impedientes dulcedinem et quietem, qua frui et pasci in eremo consueverat, graviter ferens et diutius ferre non sustinens, exposita summo pontifici sua

(15) Cella est seu prioratus in urbis Gratianopolitanæ suburbio, a mox hic subjecto S. Theofridi, de quo operis nostri tom. I Aprilis, pag. 41, in Anontatis ad lit. d, monasterio dependens · hujus autem e cellæ illius priore postea abbas hic memoratus Guillelmus, licet vitam eremiticam seu solitariam in Carthusia cum Hugone et Brunone duxerit, propterea tamen non magis, quam prior e binis hisce Sanctis Carthusianus exstitit. Adi Galliam Christianam auctam tom. II, col. 766.

(16) Prior e tribus hisce pontificibus anno 1085 excessit e vivis, cumque, qui ei fuerat suffectus nomenque « Victoris assumpserat, » Desiderius anno 1087 etiam obiisset, ad S. Petri cathedram evectus tandem est Otto seu Odo, qui Urbani II nomen accepit, quique S. Brunone Remis magistro usus aliquando fuerat uti in Commentario prævio num. 96 ostendi.

(17) Fuisse Sanctum ab Urbano II papa e Carthusia evocatum, e primorum quatuor Carthusiæ priorum chronologo apud Labbeum tom. I bibliothecæ novæ librorum mss. pag. 638 indubitatum est, uti etiam Brunonem, antequam id fieret, Carthusiam, uti mox hic subditur, rexisse sex annis; verum posteriorem ex hisce non pro completo, sed pro incompleto duntaxat habendum esse, facile quisque colliget ex iis quæ § XXX de tempore, quo Sanctus ad Urbanum II papam accessit, disserui.

(18) De instrumento hoc, per S. Brunonem Seguino, celeberrimi diœcesis Claromontensis in Alvernia monasterii Casæ-Dei abbati, qui recte hic, quemadmodum recitatæ commentarii prævii num. 503 et binis seqq. donationis Carthusiæ litteræ fidem faciunt, e primis hujus donatoribus unus exstitisse dicitur, concesso, adi Comment. prævium num. 513 et binis seqq.

www.libtool.com.cn

desolatione, cum summa instantia imploravit et impetravit a curia separari, et quod posset ad eremum et cellæ jam prægustatam dulcedinem et desideratam requiem repedare.

18. « Et cum summus pontifex vellet eum confirmare in archiepiscopum Regiensem, ad quam ecclesiam, ipso papa annuente, electus fuerat (19), nullo modo consensit, sed ipso spreto atque contempto, apostolico valefaciens ad Calabriæ quandam eremum, cui Turris nomen erat, Deo duce, pervenit, ibique, multis clericis et laicis congregatis, monasterium instituit, in quo usque ad finem vitæ suæ in solitariæ vitæ proposito humilitate constans, charitate flagrans, devotione fervens, Deo semper adhæsit, et ibidem itinerarii sui cursum feliciter consummavit (20). Quem gloriosum Patrem adeptum fuisse bravium, et coronam felicitatis æternæ divina clementia per nonnulla miraculosa indicia declaravit.

19. « Prius tamen quam de curia recederet, ejus, ut creditur, meritis et precibus, divina misericordia omnes ejus socios et subditos revocavit, ita quod omnino omnes redire Carthusiam consenserunt (21). Et ideo magister Bruno impetravit a summo pontifice litteras ad venerabilem virum Siguinum abbatem monasterii Casæ-Dei, quatenus locum Carthusiæ derelictum per magistrum Brunonem omnino infra triginta dies a receptione papalium litterarum redderet et restitueret sociis ac subditis magistri Brunonis cum omni pristina libertate.

20. « Et istæ videntur primæ titteræ papales, quæ inveniuntur de ordine Carthusiensi facere mentionem (23); quæ circa principium Cartularii Carthusiæ sunt conscriptæ. Abbas vero Siguinus, recepto mandato apostolico, gratanter et hilariter obedivit, et magistro Landuino ac suis sociis locum Carthusiæ libere et liberum reddidit per publicum instrumentum, quod circa principium Cartularii Carthusiæ est transcriptum (23). Prædictum autem fratrem Landuinum magister Bruno priorem ordinaverat Carthusiæ, antequam ad partes Calabriæ transmearet (24).

21. « Quia igitur judicia Dei sunt incomprehensibilia et abyssus multa, non est locus Carthusiæ indignior judicandus ex eo, quod, postquam sex annis fuerat divino cultui dedicatus, a prædictis sanctis viris fuerit derelictus; sed potius propter hoc est mirabilior et dignior reputandus, quasi, qui etiam derelictus, tantæ virtutis fuerit, quod suos incolas meruerit ac prævaluerit revocare, nec sine Dei cultoribus, nec absque divinis laudibus potuerit remanere.

22. « Sicut etiam divinæ dispensationis Providentia apostolos, jam cœli et terræ principes, æterna prædestinatione constitutos, in passione Christi nihilominus cadere permisit, et a veritate Christianæ fidei separari (25), ita etiam quod aliqui ex discipulis, civitate sanctificata Jerusalem derelicta, ad castella extrinseca infidelitatis vento dispersi desperationis fluctibus vacillabant, Christo verumtamen corporaliter resurgente, resurrexerunt et ipsi spiritualiter, constantiores et firmiores in fide, et amore Christi postmodum permansuri, et quia jam recesserant ab Jerusalem stadiis sexaginta, eodem die redeuntes fuerunt Christi visione cum aliis discipulis reformati; ita Deus Carthusiæ incolas primo dimisit recedere, ut postea redeuntes firmiores existerent, et in sancta perseverantia fortiores.

23. Qui enim in fine sexti anni recesserant, in septimo anno redierunt (26), ut daretur eis intelligi, quod, sicut septima die Dominus in creatione primaria a laboriosis operibus requievit, et post passionem eodem die quievit similiter in sepulcro, et septimus annus in lege generali [*al.*, naturali] fuerat deditus requiei, et septies septimus annus dicitur jubilei, ita septimo anno habitatores Carthusiæ redeuntes, ibidem a similibus cessantes operibus peccatorum, spirituali contemplationis requie recreati et in sepulcro Christi, id est in claustro et cellis absconditi quiescentes, tandem ad septimum septenarium jubilei, laudem et requiem æternam æternæ gloriæ designantis, ipsi tunc numero septem feliciter pervenirent.

24. Bruno igitur, vir sanctissimus et gemina scientia præditus, tam divina scilicet quam humana,

(19) Ad Rhegiensem in Calabria archiepiscopatum Sanctus noster electus seu postulatus fuit anno 1090, uti probant, quæ huc spectantia in commentario num. 532 et seq. adduxi.

(20) Anno scilicet, ut commentarii prævii num. 729 docui, 1101, cum sibi jam in Turritana eremo triginta circiter discipulos adjunxisset, uti e Turritanorum, qui Landuino post Sancti obitum obedientiam promiserunt, monachorum catalogo, in commentarium prævium num. 622 illato, fas est colligere.

(21) Ut omnes Brunonis discipuli Romam ad eum convenerint, miraculo factum, innuere hic videtur noster biographus; quade re, quid sentiam, Commentarii prævii num. 527 edixi.

(22) Pontificias illas litteras commentarii prævii num. 528 integras dedi; in iis autem, non ordinis Carthusiensis, sed cellæ duntaxat seu monasterii, a Brunone constructi, mentio fit.

(23) Instrumentum istud in commentarium prævium intuli num. 529. Cæterum quid de tempore: quo floruerit hic Sancti nostri biographus, e cartulario Carthusiensi, cujus hic meminit, concludendum appareat, videsis commentarii prævii num. 12 et seqq. expositum.

(24 Landuinum S. Bruno, non tum primum, cum apud pontificem jam existeret, uti hic indicari videtur, sed cum e Carthusia abiret, priorem constituit, uti liquet e recitatis in commentario prævio num. 529 litteris, quibus Carthusiam Landuino aliisque Sancti discipulis Siguinus, Casæ-Dei abbas, restituit.

(25) Omnes apostolos in Christi Passione a fide defecisse, soli heterodoxi asserunt; quare a vero hic aberrat biographus.

(26) Liruet hinc, etiam secumdum hunc biographum nostrum annos sex quibus S. Bruno, antequam ab Urbano II papa Romam evocaretur, Carthusiam rexit, incompletos duntaxat fuisse.

eloquentia Tulliana præclarus, discretione, devotione, morum excellenti honestate præfulgens, cælestiumque virtutum copioso thesauro ditatus atque dotatus, Deo et hominibus dilectus et gratus, eremum Carthusiæ rexit sex annis, et post, ut prædictum est, a papa vocatus, et non diu post (27) ad eremum Calabriæ, cui Turris nomen est, transiens, ibi, sancto constructo monasterio, multorum Dei servorum anachoretarum rector exstitit et minister A [*al.*, magister], et ibidem, felici vitæ suæ cursu peracto, migravit ad Dominum post egressum Carthusiæ undecimo anno nec plus, nec minus, sicut in libris Consuetudinum domni Guigonis, quæ sunt in domo Carthusiæ, continetur (28). Juxta sepulcrum ejus immediate fons vivus emanat, qui divina clementia in hujus Viri sancti meritis multis languoribus fidelium optatæ confert remedia sanitatis (29). »

www.libtool.com.cn

VITA ALTERA

Auctore Francisco a Puteo Carthusiæ Mojoris priore,

Ex editione Basileæ anno circiter 1515 adornata.

PROLOGUS.

Cur Sancti Vitam describere aggrediatur, auctor exponit.

1. Non solum Dominum in sanctis ejus, sed etiam ipsos sanctos in Domino laudare jubemur, sicut scriptum est : « Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua (30). Homines divites in virtute, et pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Quorum corpora in pace sepulta sunt : et laudem eorum nuntiat Ecclesia. » Laudemus, inquam, et verbo et imitatione dignos laude monstremus viros, sic a virtute dictos, non quidem viatores, cum Veritas dicat : « Neminem salutaveritis in via (31); sed gloriosos, scilicet in gloriam jam receptos, et de sua immortalitate securos; et parentes nostros spirituales, quorum fidem et opera imitari debemus, et quorum doctrina et exemplis Deo geniti sumus, secundum illud Apostoli : « Per Evangelium ego vos genui (32). » In generatione sua, id est, secundum ea quæ fecerunt in vita sua. C

2. « Homines divites in virtute. » Nam virtutes veræ divitiæ sunt, quæ violenter auferri non possunt. « Pulchritudinis studium habenles. » Per veram fidem et debitam ordinationem cogitationum, affectionum et operum. « Pacificantes, » id est, pacem habentes et facientes in domibus suis. Quorum corpora in exspectatione pacis perfectæ, quæ dabitur in resurrectione, sepulta sunt : et laudem D eorum nuntiat Ecclesia, eorom videlicet exempla, et gloriosa facta narrando ad Dei honorem et aliorum informationem. Hoc est enim illud juge sacrificium quod in Dei Ecclesia sine intermissione offertur. Sacrificium acceptabile, holocaustum pingue, non hircorum aut vitulorum, sed laudis; dum scilicet laudatur Deus in sanctis suis ab homine, quem creavit, quem redemit, cui et regnum cœleste promisit. Hoc est sacrificium Deo gratum, credentibus vero utile et necessarium. Necessarium quidem, cum per prophetam Dominus dicat : « Immola Deo sacrificium laudis (33). » Ei vero gratum et acceptabile, quia « sacrificium laudis, inquit, honorificabit me (34). » Nobis autem utile, quia illic ostendam illi salutare Dei, Christum scilicet, qui caput est omnium sanctorum, et merces eorum. B

3. Laudemus igitur, dilectissimi fratres, Dominum in sanctis ejus : et præcipue in hoc beatissimo patre nostro Brunone, cujus hodie festivitas agitur, qui nos in Christo genuit : qui vitæ viam nobis in eremo præparavit, et vivendi normam suo exemplo monstravit. Et quamvis eum ut dignum est laudare non sufficiamus; ab ejus tamen laude cessare non debemus. Exaltemus itaque eum et laudemus, quantum possumus, quia major est omni laude. Narremus mirabilia ejus, quæ fecit ; annuntiemus inter gentes opera ejus, ut ex eis glorificetur Deus, et ut nos eum, quem Patrem habere meruimus in terris, socium et confratrem, ejus nos adjuvantibus meritis et precibus, habere mereamur in cœlis.

CAPUT PRIMUM.

Occasione defuncti, qui sese damnatum, inter solemnes exsequias e feretro proclamat, in solitudinem secedere Bruno statuit, alios in idem propositum attrahit, iterque cum his ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, suscipit.

4. Temporibus Gregorii septimi, Romani pontificis (35), et Henrici quarti imperatoris (36) circa

(27) Paucis duntaxat mensibus Bruno apud Urbanum papam, antequam in Turritanam Calabriæ eremum secederet, commoratus est, uti manifestum fit ex iis, quæ commontarii prævii § 31 dicta sunt.

(28) Errorem hic in biographo nostro cubare, indubitatum est. Adi commentarii prævii § 30.

(29) De prodigioso, qui hic memoratur, fonte, miraculisque, quæ aquaram ejus virtute fuerint patrata, videsis commentarium prævium num. 735 et aliquot seqq.

(30) Ecclesiastici XLIV, 1.

(31) Ita fere Lucæ X, 4.

(32) Ad Corinthios IV, 15.

(33) Psalmo XLIX, 14.

(34) Psalmo XLIX, 23.

(35) Sanctus hic pontifex ad S. Petri cathedram anno 1073 fuit evectus, annoque 1085 obiit, uti ad 25 Maii diem, quo colitur, Romanoque inscriptus est, in comment. Vitæ ejus prævio docuimus.

(36) Henrico patri anno 1056 successit, annoque

annum salutis nostræ octogesimum secundum supra millesimum, cum in Parisiensi civitate solemne floreret studium, abundans tum multitudine scholarium et perquam copiosa caterva doctorum solemnium in omni doctrinarum genere, tale in ea contigit horrendum et memorandum spectaculum. Quidam enim selemnis doctor, inter cæteros doctores præcipuus, scientia et moribus excellenter ornatus, ac præ cæteris honoratus, gravi quadam infirmitate prævenlus, lecto decumbens, vitæ suæ diem clausit extremum. Cui cum solemnes de more pararentur exsequiæ, ad eum honorandum convenit magistrorum, studentium, et quorumdam civium multitudo copiosa. Quibus comitantibus et funus prosequentibus, defuncti corpus ad ecclesiam, in qua sepulturæ dandum erat, delatum est. Cumque ab invitatis ecclesiasticis, qui tunc aderant, defunctorum solitum decantaretur Officium, cum ventum est ad eam lectionem, quæ incipit: « Responde mihi, » surrexit, qui erat mortuus, et erecto paululum capite, resedit in feretro, cunctisque videntibus et audientibus, ac præ novitate rei stupentibus, alta, licet horrenda, vece clamare cœpit et ait : JUSTO DEI JUDICIO ACCUSATUS SUM.

5. Quo dicto, iterum recubuit. Illi vero, qui hæc audierant et viderant, non modicum nec immerito territi; decreverunt consulte quidem et provide, sepulturam ejus in crastinum differendam, rei exitum præstolantes. Die itaque sequenti cum tantum spectaculum jam fuisset in tanta civitate divulgatum, ad dictam ecclesiam convenit maxima et quasi innumerabilis utriusque populi multitudo. Ubi reinceptis et inde continuatis exsequiis, dum ventum est ad ejusdem lectionis initium, idem defunctus, ut pridie, de loculo, in quo mortuus jacebat, exsiliens, dixit: JUSTO DEI JUDICIO JUDICATUS SUM. Et hoc dicto, infra feretrum iterum se recepit ; unde crevit inter astantes admiratio non parva. Quia tamen ex hoc nondum fuerant de ejus reprobatione certi ; cum verba illa accusatus sum et judicatus sum, possent etiam in bonam partem interpretari, tanquam ipse primo injuste fuisset ante tribunal Christi ab eo, qui perdere cuncta festinat, indebite accusatus, et inde justo Dei judicio ab ejus calumniosa accusatione liberatus, cunctis placuit et in sequentem tertium diem ejus sepulturam proferre.

6. Tertia itaque die factus est concursus nimius virorum et mulierum, ita ut pene tota civitas ad tam mirandum Dei judicium agnoscendum confluereret. Et ecce, cum priore more exsequiæ continuarentur et fierent, surrexit jam tertio idem defunctus, et voce valida, cunctis mortalibus metuenda, dixit : JUSTO DEI JUDICIO CONDEMNATUS SUM. Quæ vox, tam stupenda et horrenda, et a sæculo inaudita, omnes, qui astabant, pene exanimes reddidit. Qui tamen omnes, eum tanquam a Domino reprobatum, et ejus justo judicio (ut ipse idem attestatus erat) condemnatum, omni Ecclesiæ suffragio, necnon et ecclesiastica sepultura indignum judicantes, in sterquillinio sepeliri fecerunt (37). Unde cum in Parisiensi et cæteris vicinis ecclesiis quarta lectio in agendis justis defunctorum incipiat per quantas habeo iniquitates, omissis verbis seu dictionibus illis prioribus : Responde mihi, fertur a nonnullis, quod dicta verba fuerunt ex tunc inde deleta ob perpetuam et indelebilem tam expavendi judicii memoriam (38).

7. Aderat autem tunc huic tam horrendo spectaculo inter cæteros doctores beatus Bruno, natione Teutonicus ex civitate insigni et regia Agrippina Colonia, de parentibus, non tam genere quam virtute claris et nobilibus ortus (39), Remensis ecclesiæ canonicus, doctor et scholarium Parisiensium magister (40). Doctor utique in divinis præcipue litteris, ut ejus scripta testantur (41), eruditissimus et præ cæteris honoratus. Qui ex his tam insolitis, tam horribilibus, et toties iteratis vocibus salubriter territus, et quasi consternatus, vocatis nonnullis ex sibi magis familiaribus sociis et discipulis (inter quos erant magister Landuinus, qui post eum primus prior Carthusiæ fuit, duo Stephani, unus Burgensis, alter Diensis, ambo canonici sancti Rufi secus Valentiam Allobrogum, Hugo Capellanus, et duo laici (Andreas scilicet et Guarinus) ait (42) :

1106 vivere desiit, uti ad utrumque hunc annum Pagius in Criticis aliique scriptores docent.

(37) Quid de tota illa luctuosa damnati Historia sentiendum sit, colligere potest studiosus lector ex iis, quæ in commentario prævio § 10 et tredecim sequentibus fuse in rem illam disputata sunt. Notet interim imprimis, horrendi prodigii narrationem, a Puteano hic suppeditatam, a narratione, quam concinnata ab antiquiore sancti nostri biographo Vita complectitur, non parum in adjunctis discrepare. Præterquam enim, quod hæc sepulturæ in sterquilinio non meminerit, prodigium non publice in ecclesia, uti hic Puteanus ait, sed intra privatos domus defuncti parietes, cum corpus ejus, terræ mandandum, ad ecclesiam deferendum esset, evenisse refert, licet interim, non secus ac Puteani narratio, rem coram ingenti populi multitudine gestam memoriæ prodat.

(38) Fuerintne S. Brunonis ætate ullæ in Parisiensi defunctorum Officio Lectiones recitatæ, est dubium, uti etiam an, si vere recitatæ fuerint, una ex hisce a vocibus *Responde mihi* incœperit. Adi commentarii prævii num. 228 et seq.

(39) Sanctum nobili genere Coloniæ Agrippinæ natum esse, inter omnes convenit.

(48) Brunonem scholarum seu, quemadmodum hic scribitur scholarium, non Parisiensium, sed Remensium magistrum existitisse, in ejus elogio, commentarii prævii num. 7 dato, diserte traditur. Neque vero sanctus, dato etiam, eum ferali damnati prodigio Parisiis astitisse, litteras unquam ibi docuit, uti ostendunt, quæ huc facientia comment. prævii § 8 adduxi in medium.

(41) In primis scilicet duo commentarii, quorum alterum in psalmos, alterum in omnes S. Pauli apostoli Epistolas concinnavit. Adi commentarii prævii § 42.

(42) De Landuino, aliisque, quos sanctus allocutus hic memoratur, uti etiam de S. Rufi monasterio

www.libtool.com.cn

Frequenter, cum Apostolum legeremus, audivimus, nunc vero etiam experimento didicimus, fratres mei in Christo dilectissimi et desiderantissimi, quam incomprehensibilia sint judicia Dei et investigabiles viæ ejus.

8. Hunc enim defunctum, dum adhuc viveret, et vidimus et cognovimus, virum utique humana sapientia doctum, virtutibus (si tamen veræ in talibus virtutes sint) ac moribus ornatum, et secundum exteriorem sapientiam castum, prudentem, pudicum, domui suæ bene præpositum et ab omnibus honoratum, ac magno in pretio habitum, nunc vero ex ore ejus audivimus, justo Dei judicio esse condemnatum. justo quidem, quoniam justus Dominus et justitias dilexit, cujus propterea judicia non possunt esse nisi justa, licet plerumque et ut plurimum occulta sint : Justo, inquit, Dei judicio condemnatus sum. Vox profecto terribilis et metuenda; quæ, o utinam, sonaret jugiter in auribus nostris, et cordis intima penetraret, ut cum cujus judicium effugere non possumus, timeremus, et timendo fugeremus a ventura ira, et salutis, dum tempus est, quæreremus opportuna media! Consideremus, quæso, fratres mei, quid isti nunc in inferno prodest tanto labore quæsita scientia, cum continua et perpetua laboret cæcitate et ignorantia? Quid divitiæ, cum nec guttam aquæ ad refrigerandam linguam habere valeat (43)? Quid honores, quid deliciæ? cum tot nunc cogatur subire tormenta, quot in mundo habuit oblectamenta.

9. Vidimus corpus ejus nunc sine honore sepeliri in sterquilinio, cogitemus, animam ejus sepultam esse in inferno, æternis incendiis cum impiis æternaliter cruciandam; ubi vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur; ubi ardor incomparabilis, fœtor intolerabilis, dolor interminabilis. Ubi quærent homines mortem, nec invenient. Nam tunc mors immortalis erit, quæ depascet eos, non ut moriantur, sed ut ad pœnas iterum renoventur. Quid igitur faciemus? Ad cujus consilium fugiemus? Omnes enim nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; nec est, qui faciat bonum, non est usque unum. Omnes peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Omnes nos filii iræ sumus, pari propterea pœna digni, nisi nos inde eripiat misericordia Christi. Quid faciemus? Nonne et omnes simul peribimus? Nonne, si huic non pepercit, nec angelis peccantibus, nec ramis naturalibus, putamus quod neque parcat et nobis? Putamus quod sit abbreviata manus ejus, ut ultra misereri non possit? Aut quod cotinebit in ira sua misericordias suas? Absit.

10. Quid igitur faciemus? O fratres mei, in re tam perplexa, tam ardua, et tam gravi, ne in viribus propris confidisse videamur, quæramus consilium. Non a Judæis, qui in sola legis observatione justificari se credunt. Non a Græcis et antiquis eorum philosophis, qui in sua virtute confidunt. Non a cæteris sæculi hujus conquisitoribus et sapientibus, qui ignorant quæ Dei sunt: sed potius ab iis qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Consulamus igitur primo advocatum nostrum, quem habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, et, quid dicat, audiamus. Quoniam, inquit, impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei, pœnitemini et credite Evangelio (44), quia nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis (45). Audiamus et Domini præcursorem Joannem, de quo scriptum est, quod inter natos mulierum non surrexit major eo (46). Ipse enim prædicans in deserto Judææ baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ait: « Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum (47). »

11. Et iterum ad Pharisæos et Sadducæos: « Genimina (inquit), viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? « Facite igitur dignos fructus pœnitentiæ (48). » Audiamus etiam principem apostolorum Petrum dicentem in Actibus apostolorum ad populum Judæorum: « Pœnitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra (49). » Et iterum, cum quidam ex eis compuncti corde dicerent ad Petrum et ad reliquos apostolos: « Quid faciemus, viri fratres? » Petrus vice omnium respondit: « Pœnitentiam agite, et baptizetur unesquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti (50). » Hinc propheta ait: « Si pœnitentiam egerit gens ista a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei (51). « Et Sapiens, « Si pœnitentiam (inquit) non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum (52). » Hoc itaque sanum est et salubre consilium, fratres mei, si Dei justam vindictam et trememdum ejus judicium effugere volumus, ut pœnitentiam agamus. et lacrymis peccata purgemus. Hæc namque est via quæ ducit ad vitam. Hæc secunda post naufragium tabula per quam peccatores salvantur, et per quam Deus ad misericordiam inclinatur.

12. Propterea, dilectissimi, abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, suscipiamus in mansuetudine insitum verbum, quod potest salvare animas nostras. Convertamur ad Dominum, et miserebitur nostri, quoniam benignus est et præstabilis super malitia; nec vuli mortem peccatorum,

videsis, quæ commentarii prævii num. 433 et aliquot seqq. adducta sunt.

(43) Ad divitem Epulonem hic alluditur.

(44) Marci I, 15.

(45) Ita fere Lucæ XIII, 5.

(46) Matthæi XI, 11.

(47) Matthæi III, 2.

(48) Ita fere Lucæ III, 7, 8.

(49) Act. III, 19.

(50) Act. II, 38.

(51) Jeremiæ XVIII, 8.

(52) Ecclesiastici II, 22.

www.libtool.com.cn

sed magis ut convertantur et vivant. Nec converti differamus in crastinum ; quia, qui pœnitentibus veniam spopondit, peccantibus diem crastinum non promisit Unde qui congruum pœnitentiæ tempus perdunt, frustra ante regni januam cum precibus veniunt. Quibus per Salomonem Dominus ait : « Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis. quod timebatis, advenerit. Cum venerit repentina calamitas, et interitus, quasi tempestas, ingruerit, quando venerit super vos tribulatio et angustia; tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me (53). »

13. Simus igitur factores verbi hujus, et non auditores, fallentes nosmetipsos. Imitemur saltem Ninivitas illos, qui conversi sunt in prædicatione Jonæ, et prædicaverunt jejunium, et involuti sunt saccis, et egerunt pœnitentiam. Et vidit Dominus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est super malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. Sic et nos faciamus; quia major est, quam Jonas hic, qui ait : Pœnitemini et credite Evangelio. Aperiamus pulsanti, vocantem sequamur. Quid dico vocantem, imo certe trahentem et cogentem intrare. Non enim vox ista, quam nunc audivimus, facta est propter eum, qui defunctus est, quia, quamvis sit apud inferos pœnitentia, sera tamen et infructuosa, sed propter nos, ut nobis vox ipsa proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter exspectat. Non igitur ultra de die in diem differamus: quia, qua hora Dominus venturus, sit, ignoramus, nec incertam mortis horam prævidere valemus.

14. His auditis, unus ex astantibus, magister scilicet Landuinus, natione Tuscus, ex civitate Luca, vir utique doctus et timoratus, ait : « Magister bone, jam scimus quia verax es, et legem Dei in veritate doces; » verba enim tua verissima sunt, quia Dei iram et justam indignationem effugere non poterimus. nisi lacrymis peccata purgemus. Verum quia scriptum est quod « omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (54); » quis, quæso, innocens inter malos tutus vivere aut dignos pœnitentiæ fructus agere potest, ubi superbia inflat, avaritia enervat, luxuria inquinat? Ubi lites, contentiones, æmulationes, oblocutiones, invidiæ ? Ubi fiunt latrocinia, perpetrantur homicidia, falsa proferuntur testimonia, committuntur adulteria, incestus, fornicationes, sacrilegia, veneficia, et similia? Ubi periit in conversatione simplicitas, in societate charitas, in actione justitia, in locutione veritas, et in proximorum necessitate pietas ? Ubi denique refrixit charitas et superabundavit omnis iniquitas, teste propheta, qui ait : « Non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terra (55). » Aspexi illam, et ecce vana erat, et cœlos, et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur, et omnes colles turbati sunt. Intuitus sum, et ecce non erat justus, et omne volatile cœli recessit (56).

15. Unde difficile videtur, imo pene impossibile, mundum quemquam et ab omni peccato liberum, in mundo posse vivere aut dignos in eo agere fructus pœnitentiæ. Nam, ut Augustinus ait, inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat (57). Nilque prosunt lamenta, si replicantur peccata. Et vulnus iteratum sanatur tardius. Et Gregorius : Qui, inquit, admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ se graviori subjicit; unde ad veram pœnitentiam (58) necessario requiritur ut peccatorum causæ penitus excidantur. Et propterea si ad hunc pœnitentiæ perfectæ gradum pervenire volumus (quia mundum istum sensibilem, quem cercimus, quandiu in carne vivimus, omnino deserere non possumus) necesse est ut saltem, quæ in mundo sunt, omnia penitus relinquamus, dicente Domino : « Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus (59). » Et iterum ad adolescentem de vita æterna interrogantem : « Si vis, inquit, perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me (60). »

16. Qui, cum hæc audiens tristis abscessisset, ait ad discipulos Dominus: « Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum (61). » Hinc ait Sapiens : « Qui confidit in divitiis, corruet (62); et qui festinat ditari, non erit innocens. » Et iterum: « Si dives fueris, non eris immunis a delicto (63). » Nam « qui volunt divites fieri, inquit Apostolus, incidunt in laqueum diaboli (64). » His igitur omnibus, juxta Domini consilium, calcatis, distractis et pauperibus erogatis, Christum sequamur et imitemur. « Qui, cum dives esset, egenus factus est, ut nos ejus ditaremur inopia. » Et quia, doctissime Magister, te docente, veritatis viam et justitiæ semitam agnovimus, cum periculosum sit, vicino serpente dormire, et inter flammas illæsis pedibus ambulare difficile, restat ut locum nobis inquiramus, in quo, licet in mundo, quasi sine mundo ab hominum consortio separati, peccata nostra deflere et pœnitentiæ dignos fructus facere perfectionem contendat.

(53) Proverbiorum I, 24, 28,
(54) Epist. I Joannis II, 16.
(55) Ita fere Osee IV, 1.
(56) Paulo aliter Jeremiæ IV, 23-25.
(57) Non quod ea haud fuerint vere pœnitenti peccata antecedentia remissa, sed quod, qui relabitur, relatum ex eadem fructum amittat.
(58) Eam scilicet, qua quis, relicto peccato, ad
(59) Lucæ XIV, 33.
(60) Ita fere Mathæi XIX, 21.
(61) Mathæi XIX, 23.
(62) Ita fere Proverbiorum XI, 28.
(63) Ecclesiastici XI, 10.
(64) Epist. I ad Timotheum VI, 9.

www.libtool.com.cn

valeamus. Doce nos igitur, quæso, et locum talem nobis ostende, et quidquid inde decreveris, faciemus. Nam salus nostra in manu tua est.

17. Ad hæc beatus Bruno respondit : Viri fratres et Patres, audite, non me, sed mecum simul audiamus, inquam, illum summum secretorum Dei conscium, et prophetam eximium David, cui Dominus incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit Audiamus primo quid dixerit, audiamus deinde quid fecerit. Ipse enim tunc, sicut et nos nunc, contristatus in exercitatione sua, et conturbatus a voce inimici et a tribulatione peccatoris, dixit : « Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me; timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. » Et dixit : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? » Deinde subjecit, et ait : « Ecce, elongavi fugiens, et mansi in solitudine (65). » Ecce, inquit, elongavi ab omni occasione et circumstantia peccatorum, et mundum istum mente et corpore fugiens, et mansi perseveranter, non in civitate, sed « in solitudine. » Ille enim fugiens se elongat, ut Gregorius ait, qui a turba desideriorum terrenorum in altam Dei contemplationem se sublevat; manet vero « in solitudine, » qui perseverat in remota mentis intentione. Unde idem Propheta, ut Dei virtutem et Dei gloriam videre mereretur, se solitudinis locum petiisse testatur, dicens : « In terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam (66). »

18. Solitudo namque est viæ, quæ ducit ad vitam; ubi pro terrenis cœlestia, pro transitoriis mutantur æterna. Hæc est locus pœnitentiæ, via justitiæ, semita gratiæ, scala gloriæ. Hæc est, inquam, scala illa, quam vidit Jacob in solitudine in terra stantem et cœlum tangentem; quæ homines vehit in cœlum, et angelos ad nostrum recipit auxilium. Hæc est virtutum nutrix, patientiæ custos, purissimæ simplicitatis magistra et fraudulentæ duplicitatis ignara. Hæc est quies laborantium, consolatio mœrentium, et in æstu refrigerium, in qua est turris David ædificata cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, et omnis in ea armatura fortium. In qua est campus divini certaminis, angelorum spectaculum, et palæstra viriliter dimicantium luctatorum. In qua Adam tandiu salvus fuit, quandiu solus mansit. Data vero ipsi in auxilium muliere, mox cecidit. Unde raptus est Henoch in solitudinem paradisi, ne malitia immutaret cor ejus. In qua Abraham, dum solus sederet subtus ilicem Mambræ; tres vidit, et unum adoravit. In qua Jacob dum, præmissis omnibus, solus manet, benedictione simul et nominis mutatione felix efficitur, plus assecutus uno momento solus quam toto vitæ suæ tempore comitatus.

19. Moyses, cum minasset gregem ad interiora deserti, Dominum in ardenti rubo videre et audire meruit dicentem sibi : « Solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est (67). » Cui nunquam, nisi cum solus esset, Dominus apparuit. David, ad deserta fugiens, Saulis evasit insidias. Jeremias poscens aquam dari capiti suo, et oculis suis fontem lacrymarum, ut lugeret interfectos populi sui, locum quoque, ubi se tam sancto possit in opere liberius exercere postulat dicens : « Quis dabit mihi diversorium viatorum in solitudine (68), » tanquam hoc ei in civitate facere non vacaret, hoc modo indicans, quod impedirent socii gratiam lacrymarum. Quin etiam, cum dixisset : « Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, » addidissetque : « Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, » adjecit et ait : « Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se supra se (69), » Elias, in monte ad ostium speluncæ, solus, Dominum transeuntem agnovit. Et Eliseus duplicem ejus spiritum, dum tolleretur, accepit. Joannes Baptista, ab utero Spiritu sancto repletus, nec mirabili nativitate, nec parentum sanctitate securus, frequentiam hominum tanquam periculosam fugiens, solitudinis deserta petiit, ubi quid virtutis, quidve meriti acquisierit, baptismus Christi, et pro justititia mors suscepta monstravit. Talis enim factus est in solitudine, ut dignus esset lavantem omnia Christum, solus lavare, et pro veritate nec carcerem, nec mortem declinare.

20 Quid plura? Jesus Christus Dominus noster, cujus virtus nec secreto juvari, nec publico poterat impediri, ductus est in desertum, non dubium, quin a spiritu suo, ut tentaretur a diabolo. Christus idem, relictis turbis, ascendit in montem solus orare. Christus in deserto turbas pavit, suo exemplo nobis quantum solitudo prosit, insinuans. Sancti etiam et venerabiles Patres, Paulus, Antonius, Hilarion, duo Macharii, Eulalius, Arsenius, Evagrius, Basilius, Benedictus, et cæteri nobis innumerabiles, quantum in solitudine profecerint, vosipsi considerate. Et probabitis, suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptisma lacrymarum, magis nulla re quam solitudine posse juvari. Hinc est, quod de peccatrice anima, quam cupit ad se Dominus revocare, propheta ait : « Adducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus (70). » De ea vero quæ, carnis vinculis absoluta, æterna gaudia intrare meruit, in Canticis dicitur : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? (71) »

(65) Adi Psalmum LIV, 3, 8.
(66) Psalmo LXII, 3.
(67) Exodi III, 5.
(68) Ita fere Jeremiæ IX, 2.
(69) Threnorum III, 27, 28.
(70) Ita fere Osee II, 14.
(71) Cantic. canticor, VIII, 5.

www.libtool.com.cn

Quæ non invenitur per vicos aut plateas civitatis, sed in solitudine. Igitur, fratres mei, oremus deum ut nobis locum talem dignetur ostendere, in quo, quæ jam, eo inspirante, mente concepimus, possimus opere perficere.

21. Facta itaque oratione, duo Stephani, Burgensis et Diensis, canonici, dixerunt : Patres et præceptores venerabiles, non longe a civitate Valentia, cui cohæret monasterium nostrum Sancti Ruffi (72) prope fluenta Rhodani, in confinibus diœcesis Diensis, unde alter nostrum originem duxit, est civitas alia Gratianopolitana, sic dicta vel quia sub Gratiano imperatore condita, vel ab etymologia nominis, quasi gratiosa, nobilis et populosa. Et in ea est beatus Hugo, ejusdem civitatis episcopus, qui ante sui assumptionem ad episcopalem dignitatem, erat canonicus Ecclesiæ Valentianæ oriundus de Castro Novo super flumen Isaram, quod quatuor duntaxat milliaribus a civitate distat (73). Quem nos ipsi, et vidimus et cognovimus virum utique sanctum, justum et rectum ac timentem Deum.

22. Si enim laudatur castitas, quis illo mundior? Si sermonis veritas, quis in loquendo cautior? Si Dei charitas, quis ferventior? Si proximi, quis benignior? Si humilitas, quis dejectior? Si eleemosyna, quis largior ? Si oratio, quis devotior ? Si lacrymarum flumina, quis in illis effusior ? Si contemplatio, quis sublimior? Si tolerantia, quis in tribulatione fortior? Si justitia, quis districtior? Si prudentia, quis circumspectior ? Si temperantia, quis moderantior ? Exceptis iis, quæ clero et plebi per eum bona advenerant. Hic itaque habet in diœcesi sua montes altissimos, et in eis deserta loca quam plurima ab omni hominum transitu et consortio separata, ad hanc pœnitentiam arctam peragendam propterea optime disposita. Cumque ipse exemplo suo et doctrina homines ad pœnitentiam invitet et trahat, si ad eum libet accedere, locum, quem quærimus, poterimus ab eo faciliter impetrare. Pius enim, benignus et misericors est. Qui et in adventu nostro gaudebit et voti compotes faciet. Nos quoque vos in via dirigemus, quam et novimus et frequenter ambulavimus.

23. Tunc Hugo, quem rognominabant Capellanum eo quo solus sine canonico aut pastorali beneficio sacerdotio sacellani inter eos fungeretur (74), ait : Audivi certe plura de viro hoc, cujus fama jam ubique redolet, quia vir Dei et sanctus est, salutem animarum sitiens. Qui propterea, quia charitas, qua ipse plenus est, nunquam excidit, nos libenter (ut spero) accipiet. Et quanquam ego jam senex sum et debilis, et via hæc arcta est, et difficilis, quia tamen « arcta via ducit ad vitam, lata vero ad perditionem, » cum nulla sit ætas ad pœnitentiam sera, dicente Domino : « Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum ejus (75). » Qui et reddi jussit singulis in vinea sua laborantibus denarios singulos, novissimis sicut et primis ; si decreveritis illuc accedere, et hanc viam aggredi, et ego sequar, et quocunque perrexeritis, pergam. Et quæcunque vos terra receperit, me recipiet, ibique locum capiam sepulturæ, solaque mors nos ab invicem separabit.

24. Hæc audientes reliqui duo, Andreas scilicet et Guarinus, pariter dixerunt. Nos semper audivimus et ex auditu credimus quia benignus est et misericors Deus et præstabilis super malitia, qui neminem vult perire, sed omnes potius salvos facere, et ad agnitionem veritatis venire, apud quem non est personarum acceptio, sed in omni gente, qui fecerit voluntatem ejus, acceptus est illi. Et quanquam nos ambo litteras ignoramus, Christum tamen et hunc crucifixum, fide novimus, sine quo omne scire nescire est. Et quidquid Ecclesia credit, firmiter credimus, et simpliciter confitemur, sperantes in hac fide salvari, et remissionem peccatorum accipere per verbum ejus. Vellemus tamen informari, cum Dominus per plusquam prophetam suum nos admoneat, ut faciamus dignos pœnitentiæ fructus, quales sint isti digni fructus. Quibus beatus Bruno respondens, pœnitentia, inquit, est arbor, quam in medio Ecclesiæ suæ plantavit cœlestis agricola. Cujus radix est contritio cordis, rami sunt opera bona, folia, confessio integra, fructus vero, satisfactionis pœna

25. Unde ille facit pœnitentiam, sed non dignos fructus, qui tantum dolet de commissis. Ille vero agit pœnitentiam et fructus, sed non dignos fructus, qui et dolet, et in parte satisfacit. Sed ille facit dignos fructus, qui in dolore cordis tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam, secundum illud Apocalypsis : « Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum (76). » Et in Deuteronomio : « Pro mensura peccati erit et plagarum modus (77). » Unde non solum fructus pœnitentiæ, sed etiam dignos fructus pœnitentiæ admonet esse faciendos Nam hoc justitia exigit, ait Gregorius, ut, si quis in culpam lapsus est, tantopere a se debeat licita abscindere, quanto

(72) De hoc monasterio videsis commentarium prævium num. 436.

(73) De sancto hoc antistite, de quo ad diem I Aprilis, quo colitur, actum apud nos jam est, videsis etiam. quæ Vitæ præced. subnexa sunt, Adnotata ad lit. g.

(74) Guigo, de S. Brunone ejusque sociis, ad S. Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, accedentibus, in scripta a se sancti hujus antistitis Vita verba faciens, solum ex illis Hugonem, qui *capellanus* dicebatur, sacerdotio functum fuisse, tradit; illum autem Puteanus ita hic interpretatur, ut significatum duntaxat voluerit, Hugonem tunc solum exstitisse, non quidem qui sacerdotio initiatus esset, sed qui præterea dignitate seu canonici seu pastoris auctus foret? Verum hujusmodi interpretationem verbis Guigonis (vide hæc comment. prævii num. 442) parum admodum esse accommodam, quis non videat ?

(75) Ezechielis XVIII, 21, 22 : *Si.... impius egerit pœnitentiam,.. omnium iniquitatum ejus... non recordabor.*

(76) Apocalypseos XVIII, 7.

(77) Deuteronom. XXV, 2.

www.libtool.com.cn

se noverit illicita perpetrasse. Non igitur ultra negligamus, fratres mei dilectissimi, pœnitentiæ tempus, nec ultra de die in diem differamus. Quia, qua hora Dominus venturus est, ignoramus, et nemo nostrum scit, utrum amore, an odio dignus sit. Jam securis ad radicem arboris posita est. Jam iste, quem viventem cognovimus, ut ex ejus ore jam frequentes audivimus, justo Dei judicio damnatus est et æternis cruciatibus datus.

26. Quid igitur faciemus nos peccatores et miseri, qui ex operibus, quæ fecimus, justificari non possumus? Nunquid personarum acceptor est Deus? Absit. Non est enim apud Deum transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio, sed quibus vult, miseretur, et quos vult, indurat. Quid, inquam, aliud faciemus, nisi ut fugiamus a ventura ira? Dedit enim Dominus metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus. Hinc et propheta ait : « Fugite de medio Babylonis, ut salvet unusquisque animam suam (78) ; » et iterum : « Recedite de medio Babylonis, et de terra Chaldæorum egredimini, et estote quasi hædi ante gregem (79). » Et iterum : « Fugite, salvate animas, et eritis quasi miricæ in deserto (80). » Item alius propheta : « Oh! oh! oh! fugite de terra aquilonis, quoniam in quatuor ventis cœli dispersi vos (81). » Et beatus Job : « Fugite, inquit, a facie gladii, quoniam iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium (82). » Et sponsa in Canticis ad sponsum : « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum (83). » Quid, inquam, aliud hortantur omnes isti, nisi ut mundum istum contemnendo fugiamus, qui recte per Babylonem et aquilonem designatur. Nam Babylon interpretatur confusio ; ab aquilone vero pandetur omne malum.

27. Fugiamus igitur, quia eum non melius quam fugiendo superamus. Fugiamus, inquam, non sicut Jonas, a facie Domini, sed ad ipsum Dominum, ubique præsentem, humiliter deprecantes, ut per suam misericordiam avertat a nobis indignationem suam, quam juste meruimus, ne et nos omnes cum isto et cæteris impiis pariter pereamus (84). Hæc dicens tam ipse, quam qui aderant cæteri, lacrymas ultra continere non valentes, fleverunt pariter, et prostrati in terram levaverunt voces suas dicentes : Domine Deus omnipotens, cujus misericordia omne superexcedit judicium; qui non lætaris in perditione morientium, sed eis potius pœnitendi tempus concedis et spatium, qui Abraham servum tuum de terra sua et de cognatione sua et de domo patris sui exire præcepisti, qui populum tuum in manu potenti edixisti de terra Ægypti, qui vere pœnitentibus veniam promisisti, extende super nos, quæsumus, misericordiam tuam, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui doceat nos, quid agere debeamus, et dirigat nos in via justitiæ, et in semitis mandatorum tuorum, et locum, quem elegeris, nobis ostendat ; in quo tibi digne servire, mundi hujus pericula evadere, et dignos pœnitentiæ fructus facere valeamus.

28. Defende nos, Domine, ab insidiis inimicorum nostrorum, qui festinant cuncta perdere, et non intres in judicium cum servis tuis ; sed per meritum passionis Jesu Christi Filii tui Domini nostri ab omnibus peccatis expiatos, fac nos post hujus vitæ exitum, ad eum, qui via, veritas et vita est ab omni pœna liberos feliciter pervenire, Dominum nostrum Jesum Christum qui tecum in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Cumque respondissent omnes: *Amen*, surgentes inde, uno animo eademque sententia vendiderunt et pauperibus dederunt omnia sua, et vale dicentes omnibus suis charis et notis, Spiritu sancto ducti venerunt, licet longa et laboriosa via, angelo Domini eos antecedente, dirigente et protegente, ad memoratum beatissimum Hugonem Gratianopolitanum episcopum (85).

CAPUT II.

Bruno una cum sociis suis ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, venit, Carthusiæ eremum ab eo obtinet, austere admodum in hac vivit, ac post sexennium circiter a pontifice evocatur, vocantique obtemperare statuit.

29. Factum est autem, dum appropinquarent civitati, vidit idem episcopus in somnis Deum, in solitudine Carthusiæ dignum sibi habitaculum construentem. Vidit etiam stellas septem aureas, in modum coronæ dispositas, a terra paululum elevatas, et a cæteris, quæ in firmamento sunt, in situ, motu, colore et splendore differentes, ejusdem numeri viris septem (tot enim ipsi erant) itineris ducatum præbentes (86). Mane autem facto, cum esset super visione hujusmodi sollicitus, adfuerunt pulsantes ad fores episcopalis palatii dicti septem viri, beatus scilicet Bruno cum suo, licet brevi, sancto tamen collegio. Quod cum fuisset eidem episcopo nuntiatum, confestim jubet eos introduci. Ipsi vero ingressi, et ad pedes ejus humiliter prostrati, petita et obtenta benedictione, sui ad eum adventus causas enarrantes, petierunt, ut locum aliquem dignaretur eis in sua diœcesi ostendere, et sua benigna clementia, pia erogatione concedere; in quo a mundi hujus periculis, et ab hominum cæterorum consortio

(78) Ita fere Jeremiæ LI, 6.
(79) Jeremiæ L, 8.
(80) Jeremiæ XLVIII, 6.
(81) Ita fere Zachariæ II, 6.
(82) Ita fere Jobi XIX, 29.
(83) Cant. cantic. VIII, 14.
(84) Benigna interpretatione hic indiget biographus ; neque enim, Jonam, uti velle videtur, periisse seu damnatum esse, putandum est.

(85) Adi, quæ in Vitam præced. ad not. 8 adnotata sunt.

(86) Quid de hic memorata stellarum septem visione, S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, divinitus oblata, ejusque adjunctis, quæ hic referuntur, nec tamen in Guigone, sancti hujus antistitis biographo, aliove vade antiquo fundantur, sentiendum sit, commentarii prævii § 25 vide expositum.

www.libtool.com.cn

segregati, desiderium suum perficere, soli Deo digne servire, et dignum ipsi habitaculum possent exstruere.

30. Hæc audiens beatissimus episcopus, tanquam non amplius de visione, quam jam impletam videbat, sollicitus, eos cum ingenti gaudio, non solum gratanter, sed etiam reverenter suscepit, et benigne tractavit. Quibus et visionem illam, quam nocte illa per somnum viderat, enarravit, et ait : Fratres et filii mei in Christo dilectissimi, propositum et desiderium vestrum non solum non reprobo, sed etiam vehementer commendo. Mundus enim iste, talibus et tantis plenus est laqueis, periculis, calamitatibus et miseriis, ut electos plerumque cogat prospera quæque despicere, et Deum per adversa quærere, cum non possint Deum simul cum mundo diligere. Nam duo isti amores duas civitates constituunt, quæ sibi invicem adversantur Dei scilicet et diaboli. Deus autem bonus, imo summum bonum est. Mundus vero totus in maligno positus est. Hinc præ cæteris magnis dilectus apostolus ait : « Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo (87).» Unde cum decrevisset Deus Sodomorum civitates delere, ait angelus ad beatum Lot, qui ad Dei civitatem pertinebat, « Salva, inquiens, animam tuam, et noli respicere post tergum, nec stes in omni loco circa regionem, sed in monte salvum te fac, ne et tu similiter pereas (88).» Sancti enim illi, quibus dignus non erat mundus, Apostolo teste, « egentes, angustiati, afflicti, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terræ (89). »

31. Et ideo testimonio fidei probati inventi sunt. Quorum vestigia sequi et imitari laudabile est et utile, sed difficile in regionibus istis frigidis maxime, quæ non sunt sicut Ægyptus, Thebais, Scythia (90), aut Palæstina. Est enim in montibus istis altissimis, quos cernitis inter cæteras solitudines, eremus quædam, quæ Carthusia nuncupatur, decem fere milliaribus a civitate distans, ampla quidem, sed penitus inhabitata, solis feris pervia ; hominibus vero et cæteris mansuetis animantibus propter loci asperitatem pene incognita, altis et tanquam excisis hinc inde rupibus et scopulis circumvallata, infructuosis arboribus consita, supra modum frigida, et pro majore parte temporis nivibus operta, et adeo prærupta, sterilis, et infructuosa, uti nihil in ea seri valeat sive meti. In cujus medio est quidam parvus fluvius, qui Gnerus mortuus, quasi quædam imago mortis, dicitur, ex circumstantibus undique montibus collectus et cum strepitu maximo, torrentium aut inundantium aquarum more, fluens. Ad quam quidem Carthusianam eremum est accessus gravis et laboriosus, ingressus vero difficilis et periculosus, utpote inter duas miræ altitudinis rupes, quæ velut rectæ lineæ sursum se erigunt, et in culmen tandem pene coeunt, ita ut introeuntibus horrori sint et terrori.

32. Et ut paucis agam, tanta est loci illius asperitas, tantus horror, ut carcer potius aut purgatorii locus, quam humanæ vitæ habitaculum dici possit (91). Unde difficile videbitur sine singulari dono Dei, apud quem nihil est impossibile, homines illic habitare posse, aut saltem diu perseverare ; scitis autem, fratres mei, quam grave sit post missam manum ad aratrum retro aspicere. Unde metuendum est exemplum uxoris Lot, quæ retrospexit, et ubi aspexit, ibi remansit, et in salem conversa est, ut suo prudentes condiret exemplo (92). Cum autem verbis illis finem fecisset beatissimus episcopus, B. Bruno respondit : Reverendissime Pater, terribilis profecto est, ut audivimus, et jam in parte cernimus, locus iste. Nos autem locum talem ad pœnitendum quærimus. Et quanquam infirmi sumus et fragiles, in Dei tamen, qui potens est, misericordia confidimus, et speramus, ut qui nobis dedit huc veniendi voluntatem, dabit et perseverandi potestatem cum non sit abbreviata manus ejus, quominus, sicut olim, ita et nobis nunc magnalia sua possit ostendere. Ipse enim scopulos torrentium inclinavit, ut requiesceret populus in Arnon, et recumberet in finibus Moabitarum. Ipse Jonathan et armigerum ejus, reptantes manibus et pedibus, per eminentes petras et scopulos, in modum dentium præruptos, de hostium manibus, data ipsis de illis victoria, liberavit.

33. Ipse tantam multitudinem filiorum Israel et vulgus innumerabile in deserto manna de cœlo misso nutrivit. Nunquid et nunc panem dare non poterit, aut parare mensam populo suo? Ipse corvis præcepit ut pascerent Eliam in Carmelo, qui et paverunt Paulum in Ægypto. Ipse prandium, quod messoribus Habacuc paraverat in Judæa, Danieli misit in Chaldæam. Ipse panes in deserto multiplicavit, ex quibus tantam hominum multitudinem satiavit. Ipse dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Ipse pascit volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea Nonne et nos Domino pluris sumus illis ? Non itaque, etiamsi nobis defuerint humana solatia, de Dei præsentia diffidemus, et providentia, cum potens sit

(87) Joannis Epist. I, II, 15.
(88) Ita fere Geneseos XIX, 17.
(89) Ad Hebræos XI, 37, 38.
(90) Loquitur hic indubie noster biographus, non de Scythia, septentrionali Asiæ regione, in qua non minus quam in terrarum tractu, Carthusiæ eremum complectente, frigida est aeris temperies, sed de Ægypti deserto Schetes seu Sciti, *Schytia* etiam a nonnullis nuncupato, quod, non secus atque alias Ægypti ac Palæstinæ solitudines, ingens olim, uti apud Rosweydum in Vitis Patrum videre licet, anachoretarum multitudo incolebat.
(91) Ut, quam horrida fuerit Carthusiæ solitudo, antequam hanc cum sociis suis sanctus noster ingrederetur, distinctius explanatum invenias, adi commentarium prævium § 26.
(92) Orationem hanc, seu exhortationem, quam S. Hugo ad Brunonem ejusque socios habuerit, penitus esse a biographo confictam, unusquisque, quantum opinor, propense in animum inducet.

www.libtool.com.cn

de lapidibus istis, quos vidimus, panes facere, et aquam in vinum convertere. Qui etiam, cum voluerit, potens est dare nivem sicut lanam, et nebulam sicut cinerem spargere. De tanta igitur ejus paientia et bonitate confisi, iterum ac iterum humiliter supplicamus, ne desiderium nostrum ultra differas, aut nos in hac nostra petitione confundas (93). Tunc beatus Hugo, eorum constantiam, et in cœpto proposito perseverantiam considerans, ne eorum vocationi, et divinæ voluntati resistere videretur, ait: Desiderium vestrum, dilectissimi, ego pariter implere desidero, nec ideo distuli, ut auferatur, sed ut dilatione potius augeatur.

34. Videns itaque voluntatem vestram, in Christi charitate radicatam et fundatam, vobis et iis, quos eadem charitas vobiscum traxerit, nunc et in posterum, fratres, locum prædictum, et quidquid juris vel actionis in eo habeo, plena libertate concedo. Et hoc idem a cæteris omnibus, qui jus aliquod in eo habent, fieri procurabo, vobisque et vestris omnibus omnem possibilem mihi humanitatem, quandiu vixero, libenter exhibebo. Et nihilominus pro pace et quiete vestra ad removendum ea quæ vestra proposito contraria sunt, domum unam super pontem, qui inter duas rupes prædictas situs est, in introitu dictæ solitudinis ædificari volo, et auctoritate divina prohibebo, ut feminæ per terminos vestros nullatenus transeant, neque viri arma portantes. Prohibebo pariter intra dictos terminos piscationem, venationem, et avium captionem, ovium, cararum, atque omnium domesticorum animalium pascua et transitum, Deum rogans, ut obedientes huic nostræ donationi et prohibitioni in sua gratia multiplicet, et in omnibus bonis, quæ ibidem usque in sæculi finem gerenda sunt, partem eisdem tribuat; inobedientes vero divino judicio puniendos relinquo, quos et per sæcularem potestatem puniri curabo (94).

35. His dictis, surgens amplexatus est eos, flevitque præ gaudio super singulos eorum, laudans et benedicens Deum de adventu ipsorum. Et deinde benedixit eis dicens: Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiæ nec mensuras ponere possumus, nec tempora definire; qui, quos vis, vocas, et quos vocas, hos justificas et magnificas, respice, quæsumus, oculis clementiæ tuæ super hos famulos tuos, quos ad tuæ servitutis obsequium invitare dignatus es, et præsta auxilium gratiæ tuæ, ut, quæ tibi placita sunt, tota virtute perficiant. Reple eos venerabilibus virtutibus tuis, quibus muniti, carnis, mundi et dæmonum insidias superare, et inde victoriæ coronam immarcessibilem recipere valeant, crescereque eos facias in mille millia, et eos, necnon et illos qui eorum vestigia secuti fuerint, et in dicta solitudine usque in finem vitæ suæ in vera humilitate et charitate perseveraverint, ab omni culpa et pœna liberos, sanctorum tuorum collegio sociare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

36. Post hæc autem, quia dictus Bruno et ejus sodales omnes erant propter itineris labores non modicum nec immerito fatigati, retinuit eos idem beatissimus episcopus in suo episcopali palatio, et eos sua solita benignitate procuravit et recreavit per dies aliquot. Quibus expletis et præparatis ac dispositis omnibus quæ necessaria erant in via, ascenderunt in montem et intraverunt ac inhabitare cœperunt dictam eremum Carthusiæ circa solemnitatem nativitatis sancti Joannis Baptistæ, anno salutis nostræ supra millesimum octogesimo quarto (95), antecedente et dirigente eos, ac in omnibus et per omnia adjuvante, et de necessariis providente præfato beato Hugone episcopo (96). Et ibidem in parte superiore montis, quæ nunc dicitur. Ad Beatam Mariam de Casalibus, ædificare cœperunt ecclesiam, necnon et parvas cellulas, non longe a dicta ecclesia distantes, circa quemdam fontem, qui usque in præsentem diem vocatur fons Brunonis, de se tamen invicem distinctas et aliquantulum separatas, ne alter alterius solitudinem impediret (97). In quibus singuli per singulas more illorum antiquorum Ægyptiorum monachorum habitabant (98). Ubi silentio, lectioni, orationi atque operi manuum, maxime in conscribendis libris, jugiter insistebant (99). Qui exinde dicti sunt fratres Carthusienses, a nomine loci nomen sibi imponentes, a quibus etiam ordo iste Carthusiensis originem sumpsit pariter et nomen.

(93) Esse pariter Brunoni hanc responsionem pro arbitrio hic affictam, uti et Hugoni verba, quæ proxime subduntur, indubitatum apparet.

(94) Mabillonius præfatione in sæculi sexti Benedictini part. II, num. 86 meminit chartæ, mense Julio anni 1084 ad diœcesis Gratianopolitanæ, in qua Carthusia sita est, presbyteros ac laicos datæ, in qua, ne feminæ per Carthusiæ fratrum, qui Deo placere cupientes, mundum et turbas fugiebant, terram transeant, et ne quisquam intra terminos ipsorum possessionis piscationem aut venationem exerceat, et sua animalia pascenda deducat, Hugo episcopus præceperit; verum ego, facta licet diligentissima indagine, chartam illam nuspiam invenire quivi.

(95) Recte hanc Brunonis in Carthusiam ingressui epocham a Puteano hic præstitui, liquet ex iis quæ commentarii prævii num. 470 et seqq. adduxi.

(96) Vera hic prædicari, liquet ex iis, quæ commentarii prævii num. 502 et seq. dicta sunt.

(97) De fonte, S. Brunonis nomine hodieque distincto, aliisque, hic memoratis, consule commentarium prævium § 27.

(98) Puteanus, qui in pierisque, quæ de S. Brunone ejusque sociis, Carthusiam primum ingressis, scribit, cum Blomenvenna consentit, perperam ab eo hic dissentit; illos enim tunc, non singulos, sed binos singulas inhabitasse cellas, Guigo in Hugonis, Gratianopolitani episcopi, Vita, ut commentarii prævii num. 475 videre licet, memoriæ prodit; hoc autem scriptore, utpote synchrono fideque dignissimo, standum est, etsi interim Carthusiani haud dudum post sancti obitum non bini, sed singuli singulas cellas occuparint.

(99) Consule comment. præv. num. 487.

www.libtool.com.cn

37. Ipsi enim septem (beato Brunone cæteros, qui sibi eum in priorem et animarum suarum pastorem elegerant, et cujus obedientiæ, beato Hugone episcopo annuente, se submiserant, dirigente [100]) volentes mundum, quem reliquerant, et quæ in mundo sunt, omnia, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, sibi subjicere, quamdam vivendi normam satis arduam instituerunt, quam et ipsi tenuerunt, et posteris suis tenendam mandaverunt. Nam contra superbiam, quæ initium est omnis peccati, et contra ejus nefandam sobolem, invidiam scilicet, ambitionem et vanam gloriam, et si qua sunt alia, fecerunt sibi vestes breves et angustas de grosso panno albo, vili et rudi, quæ eos contemptibiles intuentibus redderent et abjectos, et illis horrori essent potius, quam ipsis honori. Et quamvis in sordido habitu interdum superbia lateat, fecerunt tamen ipsi ad eam profugandam, quidquid facere potuerunt. Contra cupiditatem vero, quæ radix omnium malorum dicitur, et avaritiam, quæ idolorum servitus nuncupatur, certos terminos juxta locorum suorum fertilitatem aut sterilitatem majores minoresve præfixerant, ita ut extra eos, etiamsi totus mundus eis offerretur, nec saltem, quantum pes humanus occupare potest, liceret possidere.

38. Certum etiam numerum, quem transgredi nullo modo liceret, animalibus et pecoribus imposuerunt. Et ut non esset eis quandoque necessarium, vel plus terræ quam dictum est, possessioni suæ addere, aut pecorum numerum augere, duodecim tantum monachos cum tertio decimo priore, ac sexdecim conversis, paucisque mercenariis, nullo prorsus superaddito, in suis domibus esse perpetuo decreverunt. Ad edomandam autem carnis concupiscentiam, et legem membrorum, quæ repugnant legi mentis, duris semper ad carnem ciliciis utebantur. Secunda, quarta et sexta feriis, pane et aqua et sale, sicut placebat, contenti erant. Tertia vero, quinta et Sabbato legumina vel aliquid hujusmodi et vinum, et in feria quinta etiam caseum vel aliquid aliud a coquinario recipiebant, ab omni tamen esu carnium tam sani quam infirmi perpetuo abstinebant. Panes albos non comedebant, sed solum tortas (101), licet de tritico. Vinum purum nunquam bibebant, sed bene dilutum, quod vocant limphatum, et hoc duntaxat in prandio et cœna, et diebus illis, quibus eo uti et cœnare licebat. Jejuniis fere continuis et prolixis vigiliis carnem macerabant. Pisces nunquam emebant, sed si forte gratis eis dabantur, eos in charitate recipiebant, et juxta offerentium voluntatem (diebus tamen, quibus eis vesci licebat) distribuebant.

39. Officium divinum, diurnum pariter et nocturnum, tam in ecclesia, diebus et horis illis quibus in eam conveniebant, quam per cellas, non perfunctorie, ut quidam, sed intentissime, oculis in terram demissis, cordibus vero in cœlum fixis, devotissime persolvebant. Totum quoque suum, tam interiorem quam exteriorem, hominem habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis aliis, intentum, imo affixum Deo, exhibebant. Diebus vero Dominicis et certis sanctorum festivitatibus tantum antiquorum eremitarum more, ne ab aliis sacris operibus, licet dignitate inferioribus, impedirentur, missæ sacrificium offerebant, quo omnes pariter conveniebant. Et ipsis diebus in refectorio simul ad ritum monachorum comedebant. Aliis vero diebus in cellis suis sub arcto silentio, orationi, meditationi, contemplationi, et cæteris piis et devotis exercitiis sine intermissione vacabant, ita ut, ubi prius fuerant specus et cubilia ferarum, tunc videres choros castrorum, cuneos prophetarum, conventus monachorum, et cœtus angelorum (102).

40. Memoratus autem episcopus sanctus Hugo eos frequenter visitabat, et ut filios tenerrime diligebat; quos usque ad mortem suam et non tantum eos, sed et qui eis exinde successerunt, conciliis semper fovit, et beneficiis. Eratque inter eos, non ut dominus aut episcopus, sed ut socius et frater humillimus, et ad cunctorum (quantum in ipso erat) obsequia paratissimus. In tantum autem devotus eremum incolebat, ut eum interdum beatus Bruno inde exire et ad oves suas redire compelleret. Ite, inquit, ite ad oves vestras, et quod eis debetis, exsolvite (103). Ipso etiam beatissimo episcope instante et procurante, circumvicini omnes, tam ecclesiatici quam nobiles et populares, videntes beati Brunonis et ejus sodalium tam sanctam ac tam honestam ac devotam conversationem, dederunt eisdem, quidquid juris habebant in dictis montibus, et intra fines et limites dictæ solitudinis (104). Isti itaque sunt, o felix Carthusia, primi Patres illi, qui hanc vastam solitudinem primi inhabitare cœperunt, et in ea ordinem hunc, qui a te nomen velut oleum ubique terrarum effusum accepit, primi fundaverunt. Isti sunt septem columnæ, quas Sa-

(100) Cum Sanctus, antequam in Carthusiam se abderet, aliquandiu eremitice, ut commentarii prævii num. 414 et aliquot seqq. docui, in Siccæ-Fontanæ solitudine vixerit, dubitandum apparet, an a sociis, in Carthusiam eum secutis, in Priorem, cum nondum cum hisce ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, venisset, electus non fuerit, contra ac iis, quæ hic scribit. Puteanus existimasse videtur.

(101) Consuetudinum Guigonis cap. 34, num. 3 ita habet: *Panis, quamvis de tritico, torta est; panem enim album non facimus*: Massonus autem in opere, quod Annales Carthusienses inscripsit, in Adnotat. ad dictum cap. tortam interpretatur *panem subrufum*.

(102) De vivendi norma, quam Sanctus ejusque socii in Carthusia tenuerint, videsis commentarii prævii num. 485 et binis seqq.

(103) Sanctus vere ita Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, obsequentem habuit. Consule commentarii prævii num. 502.

(104) Instrumentum, quo id illi fecerunt, commentarii prævii num. 503 et seqq. integrum dedi.

www.libros.com.ch

pientia excidit, et in quibus sibi domum ædificavit. A Isti sunt septem boves ascendentes de fluvio, et septem spicæ in culmo uno. Et septem buccinæ, quarum usus erat in jubileo.

41. Isti sunt septem candelabra, in quorum medio Joannes scribens septem Ecclesiis, quæ erant in Asia, perhibet se vidisse similem filio hominis vestitum podere, tenentemque in dextera sua septem stellas, quæ septem Ecclesiarum sunt angeli; et in medio throni Agnum stantem, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, in omnem terram missi. Isti sunt septem sportæ fragmentis plenæ, et septem signacula libri clausi, et septem viri Spiritu sancto pleni, quos in diaconos ad ministrandum elegerunt apostoli, et septem gradus, quos vidit Ezechiel ad B ascensum exterioris atrii, Iste est septenarius, propter septem Spiritus sancti dona sacratus. Iste septenarius numerus primus in monadibus perfectus est redditus ex suis partibus aggregatus. Nam unum et sex, duo et quinque, tria et quatuor, quæ sunt partes ejus aliquotæ, septem faciunt. Hinc est, quod septimus dies, et septima hebdomada, et septimus mensis, et septimus annus, tanquam perfecti, erant lege feriati.

42. Septem etiam diebus agitur et repetitur omne tempus. « Et septimo die cessavit Deus ab omni opere. » Et septimo die Christus in sepulcro quievit. In quibus omnibus notatur hujus sacrati septenarii numeri, et in eo hujus sacræ religionis (quæ ab ejusdem numeri viris istis septem primo C instituta est) perfectio. Quæ recte figurata dicitur per stellas illas septem, quas in eorum adventu magnum hujus septenarii demonstrvtt, tam propter magnum hujus septenarii sacramentum, quam propter stellarum sublimitatem, stabilitatem, claritatem, puritatem et quantitatem. Istæ namque virtutes religiosis omnibus nedum conveniunt, sed etiam necessariæ sunt: qui debent sicunt stellæ esse in cælo, per contemplationem in mentis affectum, non in terra. Nam species cœli est gloria stellarum, ait sapiens (105), secundo debent esse in cœpto religiosis proposito firmi et stabiles. Nam ideo posuit Deus stellas in firmamento ut essent in signa et tempora, et dies, et menses et annos. Unde scri- D ptum est quod stellæ manentes in cursu suo et ordine, pugnaverunt contra Sisaram (106), id est contra diabolum; sic enim Sisara interpretatur *excludens gaudentem*. Tertio debent esse in tribulatione patientes, ut sint sicut stella matutina in medio nebulæ.

43. Fecit enim Deus lunam et stellas, ut præessent nocti. Quarto sicut in stellas non cadit corruptio, nec casus, nec error secundum philosophum; ita et ipsi debent servare carnis integritatem sine corruptione, ut dicere possint illud Apocalypsis: « Ego sum genus et radix David, stella splendida et matutina (107). » Et ne de eis dicatur, quod stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quinto, sicut stellarum quælibet major est tota terra, quamvis brevis et quasi punctalis, et modica, videatur in exteriori apparentia, sic religiosi debent semper crescere per charitatem, minui vero per humilitatem. Hæc enim duo, humilitas scilicet et charitas, sunt duo religionis extrema, initium et finis, sine quibus cætera, quæ mediant, omnia sunt potius pœna, quam merito digna. O igitur iterum atque iterum felix Carthusia, tandiu sterilis, nunc vero fecunda! Felices montes, qui tales meruerunt habere incolas et cultores! Felix denique religio ista divinitus instituta, quæ religiones cæteras post Augustinum et Benedictum antiquitate præcedit, et has illas etiam vitæ austeritate! De cujus origine hæc pauca, ut ad cœptum propositum redeamus, sufficiant.

44. Beatus itaque Bruno, de quo nobis sermo, in hac vitæ austeritate cum suis in dicta solitudine fere sex annorum spatio perseveravit, die ac nocte sine intermissione jejuniis, orationibus et aliis exercitiis religiosis vacans (108). Contigit autem ut, mortuo Gregorio septimo pontifice Romano, succederet ei in papatu Victor tertius; quo item pest paucos menses mortuo, successit ei Urbanus secundus, prius dictus Othq, monachus et abbas Cluniacensis, qui ejusdem beati Brunonis, dum in minoribus ageret, fuerat discipulus (109). Qui paulo post sui assumptionem ad apostolatus apicem, non immemor doctrinæ et probitatis ejusdem beati Brunonis, sui olim præceptoris, volensque in sibi a Christo credita administratione ejus uti consiliis, vocavit eum ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequium, addito etiam obedientiæ præcepto. Dictus vero beatus Bruno, percepto hujusmodi mandato, non modicum turbatus est, quippe qui jam solitudinis dulcedinem gustaverat. Tenebat enim eum Maria, ut quiesceret, trahebat Martha, ut laboraret, rogabant fratres, ne se desereret, papa, ut obediret. Terrebat curia, si illuc accederet: conscientia vero timorata ignorabat quid in re tam perplexa ageret.

45. Tandem obedientia vicit. Sciebat enim quod vera obedientia moras non recipit, nec excusationem aut dilationem admittit. Hinc ad fratres et discipulos suos ait: Manere vobiscum, fratres mei dilectissimi, gratissimum; a vobis separari gravissimum; mandatis vero apostolis obedire necessarium mihi est. Nam in majoribus est regendi ac jubendi auctoritas: in minoribus vero obsequendi necessitas. Unde quasi peccatum ariolandi, est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, propterea quod Apostolus ait, ut « omnis anima sublimioribus potestatibus subdita

(105) Ecclesiastici XLIII, 10.
(106) Judic. V, 20.
(107) Apocalypseos XXII 16.

(108) Notata adi in Vitam præced. ad not. 17.
(109) Videsis, quæ in Adnotatis in Vitam præced. ad not. 16 adduxi.

www.libtool.com.cn

sit, quia non est potestas nisi a Deo; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt, et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistit, ipse sibi damnationem acquirit (110). » Quid igitur mihi prodesset exterius hic vobiscum jejuniis et abstinentiis carnem atterere, et per inobedientiam, animæ meæ damnationem acquirere? Nolite itaque, fratres, super recessu meo contristari, ne superaddatis dolorem dolori, sed potius in ea vocatione, in qua vocati estis, perseverate Et ego, expleta mihi injuncta obedientia, ad vos revertar, Domino concedente.

46. Tunc omnes cum lacrymis et ejulatu magno clamare cœperunt dicentes: Cur nos, Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Tu es enim post Deum omnis spes nostra, totumque refugium. Tu nobis in adversis præsidium, in prosperis solatium, in tentatione consilium, in infirmitate subsidium. Quid igitur, te recedente, faciemus, aut ad quem, te absente, recurremus? Erimus profecto sicut oves errantes, non habentes pastorem. Si igitur te ad Romanum pontificem obedientia trahat, trahet nos tecum supereminens charitas, quæ est in Christo Jesu, quam separare non poterit, neque mors, neque vita, neque creatura aliqua. Beatus itaque Bruno hæc audiens, timens ne propter suum et suorum inde discessum locus prædictus, jam Deo dicatus, ad manus laicas et profanas iterum deveniret, nolensque illum omnino deserere, sed post expletam sibi impositam pœnitientiam eum intendens cum suis repetere, commendavit et dedit illum venerabili viro domino Siguino, abbati monasterii Casæ Dei, qui fuerat unus ex primis donatoribus prædictis, et habebat quandam cellam sibi vicinam prope Gratianopolim subter castrum Curnilhionis (111).

CAPUT III.

Sanctus e Carthusia Romam se confert, secutis huc discipulis, ut Carthusiam repetant, suadet, ipseque in Calabriæ, obtenta a pontifice secedenti facultate, recusatoque Rhegiensi archiepiscopatu, deserta sese abdit, benevolum ibi erga se comitem Rogerium habet, novas Ecclesias condit, sanctissimeque vivit ac moritur.

47. Et deinde a beato Hugone episcopo benedictione suscepta, Romam accessit (112). Urgebat enim apostolicum imperium. Quem pontifex, de ejus, quem intime diligebat, adventu plurimum gaudens benigne suscepit, et inter primos et præcipuos sibi peculiares ac familiares consiliarios et fideles amicos habuit. Cujus in majoribus causis et arduis Ecclesiæ negotiis utebatur et adhærebat consiliis. Convenerunt autem ad eum, Spiritu sancto hoc operante, cæteri fratres omnes (113), qui prius cum eo in Carthusia fuerant, dolentes plurimum, ipse vero magis, quod locum prædictum Carthusiæ, quem dominus sibi elegerat, et in quo dignum illi habitaculum construxerat (114), reliquissent. Dum enim eis in mentem venirent, non sicut murmuratoribus illis in deserto, carnes, cucumeres, aut pepones, sed devotæ illæ meditationes, orationes, lectiones, et spiritales consolationes, quas prius in solitudine prædicta Carthusiæ habuerant; et viderent tumultus, strepitus, et pericula curiæ, non poterant se a lacrymis continere.

48. Tandem vero suasu et inductione ejusdem beati Brunonis, cum nondum posset ipse pro se licentiam seu commeatum redeundi a pontifice obtinere, tanquam illi in tunc occurrentibus negotiis necessarius, omnes unanimiter consenserunt ad Carthusiam reverti, obtentis prius ab eodem summo pontifice litteris ad prædictum abbatem Signinum pro restitutione dicti loci (115); quem illi beatus Bruno inde discedens (ut jam dictum est) remiserat. Magistro itaque Landuino, quem cæteris fratribus beatus Pater Bruno in priorem loco sui præposuerat (116), ductore, omnes Carthusiam repetiverunt. Quibus Siguinus abbas rogatu summi pontificis et ejusdem beati Brunonis, cum consensu sui conventus et in præsentia præfati beati Hugonis Gratianopolitani episcopi, et alterius Hugonis Lugdunensis archiepiscopi, locum prædictum Carthusiæ libere remisit (117), ac juri eorum et successorum eorumdem tradidit perpetuo possidendum. Et extunc dictus Landuinus prior, et cæteri fratres ac eorum successores usque in præsentem diem dictam eremum Carthusiæ cum suis finibus et juribus tenuerunt et possederunt, perseverantes in ea sub communi obedientia capituli generalis potius Carthusiensis ordinis, quod ibidem annis singulis celebratur juxta vivendi normam ab eodem beato Brunone primo, et deinde a cæteris Carthusiæ prioribus, et a dicto generali capitulo eis datam (118).

49. Dictus vero beatus Bruno eidem Urbano

(110) Ad Roman. XIII, 1 et 2; ibi tamen pro hisce vocibus, *Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt*, istæ aliæ de potestatibus leguntur : *Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.*

(111) Charta, qua id sanctus fecit, reperta postea haud fuit. Adi comment. prævii num. 529.

(112) Anno scilicet 1090, ad Martium circiter provecto, uti in commentario prævio num. 523 docui.

(113) Miraculo interveniente, id factum non est. Consule comment. prævium num. 527.

(114) Nimirum secundum visionem, S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, paulo ante S. Brunonis ejusque sociorum ad hunc accessum, divinitus oblatam, de qua videsis commentarii prævii § 25.

(115) Litteras illas integras commentarii prævii num. 528 exhibui.

(116) Cum nimirum e Carthusia ab Urbano II papa arcessitus Romam se contulit. Adi Comment. prævii num. 516 et 529.

(117) De hac Carthusiæ restitutione, per Siguinum Casæ-Dei abbatem, facta, illiusque adjunctis, quæ hic memorantur, videsis commentarium prævium num. 528 et binis seqq.

(118) Sub S. Anthelmo, septimo ex recensione Morotii Carthusiæ Majoris priore, de annuo cogendo totius ordinis capitulo cogitari primum apud Car-

pontifici charus, in regimine Ecclesiæ utiliter et fideliter inserviebat. Erat enim tunc Ecclesia in turbatione maxima propter persecutionem Henrici quarti imperatoris prædicti, qui quemdam Gilbertum, quem Clementem vocavit, de facto in papatum intruserat (119). Qui ambo, Henricus scilicet et antipapa Clemens, verum pontificem Urbanum persequebantur. Quorum furorem idem Urbanus declinans, cum in Romanis (et merito) minime confideret postquam in Melphi consilium habuisset, Placentiam venit, et ibi aliud concilium celebravit (120), in quo inter cætera petulantiam quorumdam ecclesiasticorum, Gratiano teste, animosissime compescuit. Et plura in eos decreta fecit, maxime contra ecclesiasticos incontinentes et simoniacos, et contra proprietarios et instabiles monachos (121). Deinde nec ibi securus, ejusdem imperatoris iterum furorem fugiens, relicta Italia, in Gallias transmigravit (122). Ubi denuo de salute fidei cogitans, aliud concilium apud Clarummontem, civitatem Alvernorum, convocari fecit, in quo, eodem Gratiano teste, plures alias constitutiones ordinavit, quæ ad erigendum labentis Ecclesiæ statum respicere videbantur. Et inter cætera statuit, ut Horæ beatæ Mariæ a clericis quotidie dicerentur, et ut in Sabbatis ejus Officium solemniter celebraretur (123).

50. Legi autem in quadam historia, quæ Fasciculus temporum dicitur, quod hoc beata Virgo fratribus in Carthusia revelaverat, haud dubium, quin beato Brononi et ejus sodalibus, cum ipsi soli adhuc Carthusienses dicerentur (124). In eodem etiam concilio rem memoratu dignam fecit. Nam principes Galliæ, et cæteram multitudinem, quæ ad concilium convenerat, ad expeditione contra Turcas pro recuperatione Terræ Sanctæ taliter animavit, ut trecenta millia hominum nomen suum in militiam Christi dederint, signumque crucis susceperint. Inter quos erat Gotfridus de Bouillon, dux Lotharingiæ; quo duce moventes per Germanorum fines atque Pannoniam, Bysantium vadunt, ac deinde, transmisso Hellesponto, Nicæam primo, mox Antiochiam, et plures alias Sarracenorum urbes, deinde Hierosolymam civitatem sanctam, et omnem circa regionem capiunt (125). Ubi dum vellent Christiani dictum Gotfridum in regem coronare, renuit ipse, dicens se nolle auream terre coronam in ea urbe, ubi Christus spineam tulerat (126). Tenuerunt autem dictus Gotfridus et septem alii reges Christiani post eum annis octoginta octo dignum regnum Hierosolymitanum (127), devictis Babyloniis et Ægyptis cum magna infidelium strage, et maximo incremento nominis Christiani. Quibus omnibus causam dedit idem pontifex Urbanus in dicto Claromontensi concilio.

51. Cum itaque beatus Bruno eidem pontifici propter obedientiæ meritum certis annis, licet paucis, adhæsisset, et non modicum Ecclesiæ sanctæ Dei circa ejus reformationem et circa recuperationem Terræ Sanctæ suis consiliis profuisset, ut ejusdem Urbani inde secuta decreta, et alia ejus acta prædicta testantur, nec posset diutius tantas inquietudines, et curiæ tumultus ac strepitus sustinere, ad solitudinis ac cellæ, quam dimiserat, quietem jugiter aspirans, antequam idem pontifex de Placentia transiret ad Galliam, humiliter et cum geminata instantia ab eodem pontifice petiit et tandem obti-

thusianos cœpit, idque sub Basilio, proximo Anthelmi successore, exsecutioni demum fuit mandatum, ut Colombius in sua de Carthusianorum initiis dissertatione num. 57 et seq. ostendit. Quod cum ita sit, non omnia, quæ hic biographus memorat, accuratæ veritati consonant.

(119) Factum id est anno 1080, quemadmodum in sua ad Hermannum Contractum Appendice ad hunc annum decet Bertholdus, Constantiensis presbyter, assentientibus ei etiam scriptoribus aliis, qui tractant de calamitatibus, quas ab Henrico IV, aliis III, sub Gregorio VII potissimum et Urbano II, Romanis pontificibus, Ecclesia passa est.

(120) Urbanus II papa, uti in hujus Vita Ruinartius dilucide ostendit, concilium Melphi anno 1089, Placentiæque deinde aliud anno 1095 celebravit. Quare is pontifex non statim a celebrato, Melphi concilio, prout quis e scribendi, quo biographus hic utitur, modo putare posset, sed sex duntaxat annis post Placentiam se contulit. Nec, quo Henrici furorem declinaret, id tunc, contra ac præterea Puteanus hic docet, Urbanus fecit; tunc enim Pontificii adversus Guibertum antipapam, ejusque sectatores ubique fere, quemadmodum laudatus Bertholdus presbyter ad annum 1095 docet, prævalebant, idque ita, ut *in media Longobardia in civitate Placentina inter ipsos schismaticos*, id est Guibertinos, *et contra ipsos generalem synodum condixerit*, reque etiam ipsa *circa mediam Quadragesimam Placentiæ* dicto anno 1095 celebrarit.

(121) De rebus, ab Urbano II papa in concilio Placentino statutis, consuli etiam potest auctor synchronus Bertholdus, Constantiensis presbyter, ad annum 1095, et Labbeus, tom. X Concil. col. 500 et quinque seqq.

(122) Concilium Claromontanum, quod decernendæ parandæque in Terram Sanctam expeditionis causa convocatum præcipue fuit, quodque nulla re magis, quam hac, omnibus passim notum est, anno etiam 1095 mense Decembri, uti inter omnes convenit, fuit celebratum; unde simul et ex mox dictis ad not. 120 manifestum est, Urbanum papam tunc, cum id, uti mox hic subditur, convocavit, in Galliam, quo Henrici furorem declinaret, non concessisse, contra ac hic traditur.

(123) Adi hac de re Ruinartium in Urbani papæ Vita num. 226, uti etiam commentarium prævium num. 607 et seq.

(124) Operis, *Fasciculi temporum* nomine distincti, in quo vere id ad annum 1094 legitur, auctor est Wernerus Rolevinck, ordinis Carthusiensis alumnus; verum hic, utpote qui ante sæculum XV haud floruit, recentior est, quam ut reiisti fidem certam atque indubitatam conciliare possit.

(125) Veritati, quæ hic affirmat Puteanus, esse apprime consona, uti etiam quo singula tempore gesta sint, videre est ex Historiis, quas de sacris in Terram Sanctam expeditionibus scripsere Guilielmus Tyrius, aliique antiqui expeditionum illarum scriptores, anno 1611 Hanoviæ typis Wechelianis sub titulo *Gesta Dei per Francos* simul editi.

(126) Ita Tyrius, lib. IX, cap. 9.

(127) Fuit scilicet anno 1099 Hierosolyma a Christianis expugnata, iisque anno 1187 a Saladino erepta, uti omnium, qui de re illa tractant, scriptorum concors fort testimonium.

www.libtool.com.cn

nuit veniam et commeatum, ut relicta curia, eremum, quam reliquerat, repeteret, aut aliam sibi quæreret, quam Dominus ipsi dignaretur ostendere (128). Et cum idem pontifex voluisset eum confirmare in archiepiscopatu Ecclesiæ Rhegiensis, quæ est prima metropolis totius Calabriæ, ad quam, eodem annuente pontifice, electus fuerat, ipse electioni a se factæ, sciens ex iis, quæ in Scriptura sacra legerat, et ex iis, quæ in curia et viderat et audierat, qualia et quanta sint in prælatione pericula, consentire recusavit (129), non quidem pertinaciter, sed solo quietis amore et desiderio, servata semper (ut decens est) ad superiorem obedientia et humilitate, et ad proximos charitate.

52. Tunc enim, ut dicebat beatus Gregorius, ante Dei oculos vera servatur humilitas, cum hoc, quod quis utiliter subire præcipitur, pertinaciter non recusat. Unde potest quis etiam idoneus laudabiliter ex humilitate prælationis officium recusare, eodem Gregorio dicente, quod prælatio propter meliorem intentionem fugienda est, maxime cum ad hoc superna voluntas agnoscitur. Cum voluntate igitur, venia et benedictione pontificis idem beatus Bruno, relicta curia. Calabriæ deserta penetravit, non quidem solus, sed junctis sibi quibusdam aliis ejusdem propositi viris, quos bonus odor vitæ ipsius ad solitudinem quærendam traxerat (130). Audiverat enim, illic deserta esse loca et solitaria quamplurima, ad peragendum pœnitentiam aptissima. Et quamvis intenderet et optaret, prout jam sæpius decreverat, Carthusiam repetere, quam reliquerat, et illuc fratres suos sequi, quos ante præmiserat, quia tamen (ut prædictum est) pontifex cum curia sua transibat ad Galliam, in cujus finibus sita est Carthusia, ne curiam, quam fugiebat, sequi videretur, sed ut elongaretur ab ea, Calabriam potius elegit, quam Carthusiam (131), cum ea tamen semper intentione et voluntate, ut, sedatis rebus, ut primum commode posset, Carthusiam repeteret, prout in quibusdam ejus litteris, quas ex Calabria scripsit fratribus suis, qui erant in Carthusia, apparet, quaram verba sunt hæc: De me, fratres, scitote, quoniam mihi unicum post Deum est desiderium veniendi ad vos, et videndi, et quando potero, opere adimplebo, Deo adjuvante (132).

53. Venit itaque cum suis prædictis ad quamdam eremum in finibus Calabriæ, quæ dicitur Turris in diœcesi Squillacensi (133), ibique non cellas, quia sumptus ad eas non suppetebant, sed speluncas plures sive cavernas eremitis congruentes de vili quidem materia, sed in Christo pretiosa ædificavit, in quibus nocturnis excubiis pariter atque diurnis ipse et qui cum eo convenerant fratres, divinis laudibus et orationibus insistebant, in ea austeritate vitæ, quam ipse prius in Carthusia tenuerat, et suis tenendam præcederat. Contigit autem, Domino hoc operante, dum quadam die princeps Calabriæ Rogerus (134) cum suo non parvo comitatu, et cum canum multitudine copiosa in dicta eremo Turris venaretur feras, canes olfactu suo diversa ferarum ipsarum vestigia insequentes, ad dictas speluncas, in quibus beatus Bruno, et qui cum eo venerant, fratres pariter habitabant, devenirent. Ubi, fixis pedibus, latratibus multis domino suo indicabant, se prædam magnam aliquam invenisse. Ad quos dictus princeps cum suis concito cursu veniens reperit patres prædictos in dictis speluncis, flexis genibus et erectis in cœlum vultibus et manibus simul orantes et Deum laudantes (135).

54. Quod ille intuens, magna admiratione repletus, de equo, cui insidebat, desiliens devote et humiliter salutavit, et de eorum illuc adventu, et singulorum statu diligenter interrogavit. Quibus cognitis, gavisus est valde, Deum laudans et glorificans, quod tali se dignatus esset præda dignum facere, sperans et se et terram suam eorum meritis et precibus adjuvari, et in pace tueri. Et propterea ut possent ibidem quietius vivere et diutius perseverare, dedit eis ecclesiam Beatæ Mariæ et Sancti Stephani de eremo (136); ubi eos frequenter visitabat, et de vitæ necessariis providebat, documentaque salutis ab eis libenter audiebat. Et beatum Bruno-

(128) Citius Bruno, quam, cum Urbanus II papa, celebrato Placentiæ concilio, Gallias petit, solitudinis repetendæ facultatem ab eo petit, ac obtinuit. Videsis commentarii prævii num. 536 et binis seqq.

(129) Non serius, quam anno 1090, contra ac existimavit biographus, ad archiepiscopatum Rhegiensem, quem recusavit, electus fuit Sanctus. Adi comment. præv. hum. 532 et binis seqq.

(130) Ex his unus fuit Lanvinus Northmanus, a Landuino Tusco diversus, Sanctus autem hunc, aliosque, quibuscum e pontificia curia Calabria deserta petiit, ad solitariæ vitæ propositum non tunc primum, cum Romæ versaretur attraxisse, sed jam inde ab eo tempore, quo in Carthusiæ adhuc morabatur, sibi habuisse adjunctos videtur, uti facile colliges ex iis, quæ commentarii præv. num. 510 dicta sunt.

(131) Urbrnus II papa, cum Sanctus in Calabriam secessit, Galliam non adiit, ac proin ratio, ob quam tunc Carthusiam non repetiisse hic asseritur, non subsistit. Videsis commentarium prævium num. 549 et binis seqq.

(132) Cum verba hæc integram § 41 datam, quam Sanctus ad Carthusiæ fratres, per Landuinum, ad hosce revertentem, misit, epistolam claudant, hæc haud dubie ea ipsa est, cujus hic meminit Sancti nostri biographus.

(133) De hac eremo videsis commentarii prævii num. 552 et seqq.

(134) Princeps hic seu potius Calabriæ et Siciliæ comes quis fuerit, commentarii prævii num. 556 et seqq. explanatum invenies.

(135) Sanctum nostrum, cum comiti Calabriæ et Siciliæ Rogerio ignotus adhuc esset, non fuisse ab hoc, venationi operam dante, in speluncis repertum, dilucide, quantum apparet, probant quæ commentarii prævii num. 541 et binis seqq. in medium adduxi.

(136) Duas hasce ecclesias, uti hic biographus noster indicare videtur, S. Brunoni ejusque sociis a comite Rogerio, statim atque hos, in specu orantes, inter venandum invenerat, donatas fuisse, a vero alienum apparet. Adi commentarium prævium num. 570.

www.libtool.com.cn

nem, ipsorum omnium pastorem et Patrem, quem præ cæteris intime diligebat, ad se frequenter evocabat; quem in magna reverentia semper habebat, et quasi primum in domo sua : cujus consiliis acquiescebat, et ejus se orationibus jugiter commendabat; in quibus plurimum confidebat (137).

55. Nec eum fefellit opinio. Nam Deus eum Brunonis meritis a præparata in eum proditione in obsidione Capuanæ civitatis (138) liberavit, ut idem princeps in suis patentibus litteris (139) per hæc verba testatur: Ego Rogerius divina misericordia comes Calabriæ et Siciliæ notum [*Al.*, nota] esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia, quæ mihi peccatori concessit Deus orationibus reverendi mei fratris Brunonis, piissimi Patris fratrum, qui habitant in ecclesiis Sanctæ Mariæ de Eremo, et Sancti Stephani protomartyris, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum, quod dicitur Stillum, et Arenam. Cum essem in obsidione Capuæ Kalendis Martiis, et præfecissem Sergium, natione Græcum, principem super ducentos armigeros nationis suæ, et exercitus excubiarum magistrum; qui Satanica persuasione præventus, prius ipsi principe Capue promittente auri non modicam quantitatem, ad invadendum me meumque exercitum noctu aditum pollicitus est se præbiturum.

56. Nox proditionis advenit, princeps Capuæ ejusque exercitus juxta promissum est paratus ad arma, dumque me sopori dedissem, interjecto aliquanto noctis spatio, astitit cubili meo quidam senex reverendi vultus, vestibus scissis, non valens lacrymas continere. Cui cum in visu dicerem : Quæ causa ploratus ? Sic ait : Fleo animas Christianorum, teque cum illis simul. Exsurge quamprimum, sume arma, si liberari Deus permiserit, tuorumque animas pugnatorum. Hic mihi per totum videbatur, veluti si esset per omnia venerabilis Pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi provisione pavescens, Illico sumpsi arma, clamans militibus, ut armati equos conscenderent, visionem, A an vera esset, satagens experiri. aA quem strepitum et clamorem, fugientes impius Sergius ejusque sequaces subsecuti sunt principem Capuæ, sperantes se in dictam civitatem confugium habituros. Ceperunt autem milites nostri inter vulneratos et sanos centum sexaginta duos (140) quibus et visionem fuisse veram comprobavimus.

57. Reversus sum, Deo volente, vicesima nona Julii mensis Squillacium, præhabita Capua civitate, ubi fui per quindenam continuam ægrotans. Venit vero jam dictus venerabilis Bruno cum quatuor de fratribus suis, qui me suis sanctis devotisque colloquiis consolati sunt. Cui reverendo Viro visionem retuli et humiles gratias egi, qui de me etiam absente, suis in orationibus curam habuisset. Qui se B humiliter asseruit, non ipsum fuisse, quem vidisse credidi, sed Dei angelum, qui astat principibus tempore belli (141). Rogavi quoque ipsum humiliter, ut propterea de rebus meis in terra Squillacensi sumure dignaretur largos redditus, quos donabam, renuens ille, recipere nolle dicebat, quod ad hoc domum sui patris meamque dimiserat, ut omnino de rebus extraneis liber deserviret Deo nostro. Hic fuerat in tota domo mea quasi primus et magnus (142). Tandem vix ab eo impetrare potui, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum.

58. Donavi enim eidem Patri Brunoni ejusque successoribus ad habendum in perpetuum, absque temporali servitio monasterium Sancti Jacobi cum C castro, et complures res, compluraque bona alia, cum amplissimis libertatibus, in dictis litteris specifice declaratis. Ædificavit itaque beatus Bruno inibi vigore donationis prædictæ primo ecclesiam quamdam ad honorem beatæ Mariæ virginis juxta speluncam seu antrum quoddam subterraneum, in quo solus ipse manebat. Demum vero pariter ædificavit ecclesiam aliam, a superiore non longe distantem, cum contiguo illi monasterio sub vocabulo Sancti Stephani protomartyris (143), in quo cæteri fratres habitabant, et sub cura et regimine tanti

(137) Quæ hic de comitis Rogerii erga S. Brunonem veneratione summa ac amore memorantur, veritati sane apprime consonant, uti abunde probant, quæ comment, prævii locis non paucis disserui.

(138) De occasione, qua obsidio hæc contigerit, periculoque, quod hujus tempore comes Rogerius ex proditione, in se parata, fuerit expositus, videsis commentarii prævii num. 635 et seq.

(139) Litteras hasce seu diploma in commentarium prævium num. 637 et sex seqq. intuli ; id autem non anno 1098, quo, quemadmodum commentarii prævii § 40 probavi, obsidio Capuana contigit, sed anno 1099 datum fuisse, probant, quæ eodem § 40 adduxi in medium.

(140) Fueritne inter captos, an fuga evaserit proditionis dux Sergius, compertum haud habeo ; quod si interim inter captos vere fuerit, oportet, ut veniam a Rogerio comite non obtinuerit, sed morte fuerit multatus, cum nomem ejus inter captos proditionis Capuanæ reos, quos omnes Rogerius S. Brunoni Turitanæque eremo in servitutem dedit, apud Surianum in illorum elencho non reperiatur.

(141) De apparitione, a comite Rogerio hic narrata, quæ huic fuerit, non per S. Brunonem, sed D per angelum, sub ejus specie ac habitu oblata, videsis commentarii prævii num. 644.

142) Consequens ex his verbis non est, ut Sanctus ante suum in Carthusiam secessum in Rogerii comitis curia versatus aliquandiu fuerit. Adi commentarii prævii num. 571 et seq.

(143) Sanctus quidem, ut § 38 commentarii prævii docui, præter ecclesiam, sanctissimæ Dei Genitrici sacram, quam in Turritana eremo prius exstruxerat, ecclesiam alteram, S. Stephano dicatam, exstruxit : verum vel unam vel alteram e duabus hisce ecclesiis, uti hic biographus indicat, extrui non prius cœptam fuisse, quam cum per diploma, quod supra ex parte hic recitatur, donationem, in hoc expressam, S. Brunoni comes Rogerius fecisset, omni dubio procul a veritate alienum est uti quisque, qui commentarii prævii num. 624 et binis seqq. dicta expenderit, haud difficulter agnoscet.

www.libtool.com.cn

Patris Christo Domino militabant (144). Cum quibus ipse usque ad diem mortis suæ perseveravit in ea observatione, quam prius cœperat et docuerat in Carthusia, nec declinavit ex ea. Veniens autem ad mortem, sciens quod venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus suis, ab infantia singulas ætates suas recensuit, et totius temporis sui scientia et sententia dignum (145) proclamavit, exportans eos et admonens ad charitatem et humilitatem et ad perseverantiam.

59. Postea vero fidem suam de Trinitate protracto et profundo sermone exposuit et conclusit sic : Credo etiam sacramenta, quæ sancta credit et veneratur Ecclesia, et nominatim panem et vinum, quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum sanguinem, quæ et nos accipimus in remissionem peccatorum, et in spe salutis æternæ (146). Proxima autem die Dominica sancta illa anima carne soluta est pridie Nonas Octobris, anno Domini millesimo centesimo primo. Corpus vero ejus fratres ibidem honorifice condiderunt Ad cujus sepulcrum tale fuit appositum epitaphium

Primus in hac eremo Christi fundator ovilis
Promerui fieri, qui tegor hoc tumulo.
Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies eremi.
Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe,
Desuper illud erat, gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit,
Spiritui requiem, qui legis ista, pete (147).

60. Hanc autem ejus sanctam vitam mortemque pretiosam secuta sunt miracula multa, quæ Dominus gloriosi sui confessoris intercessionibus et meritis operari dignatus est, quamvis miracula sanctum non faciant, cum non neget Apostolus montes sine charitate posse transferri, Et propterea non sunt in talibus expetenda seu quærenda miracula, quæ cum malis possunt haberi communia. Nam et magi Pharaonis incantationibus suis multa signa fecerunt. Judas etiam, filius perditionis, vivens miracula fecit, qui et cum cæteris apostolis ejiciendi dæmonia potestatem accepit. Multi etiam alii signa fecerunt, nec tamen ob hoc sanctiores, imo potius deteriores et damnabiliores effecti sunt. Qui cum in judicio dicent : « Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonio ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Respondebit illis Dominus : Quia non novi vos. Discedite a me, omnes operarii iniquitatis (148). » Hinc est, quod, cum eidem Domino discipuli redeuntes dicerent : « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo, ait illis : Nolite gaudere quia spiritus subjiciuntur vobis. » Et tanquam quærerent : « In quo ergo, magister bone, gaudebimus ? In hoc, inquit, gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (149). »

61. Multi vero e contrario sancti sunt, a quibus nulla vel pauca facta leguntur miracula, sicut complures martyres, de quorum sanctitate nullus dubitat. Complures etiam confessores, qui ad fidei illuminationem multa scripserunt, in eminentia doctrinæ, sanctitatis probationem habentes, ut Augustinus, Gregorius et similes. Unde cum in canonizatione sancti Thomæ Aquinatis de miraculis quærerent, respondit papa non esse de eis inquirendum Nam tot miracula fecit, quot quæstiones terminavit (150). Plures igitur fuerunt, qui in eremo vixerunt in asperitate vitæ a conversatione hominum elongati, in continua pugna contra tentationes et vitia perseverantes, seipsos abnegantes, patrem, matrem et omnia, quæ possederant, relinquentes, crucem suam portantes, et Christum sequentes, sicut Paulus primus eremita, cujus respectu Antonius ait se solum monachi gerere nomen. Sicut et Arsenius, Hilarion, Macharius, Eulalius et cæteri plures. Sicut et hic pater noster beatus Bruno, qui non minus cæteris fecisse videtur. Quibus omni sufficit pro sanctitatis testimonio verbum Domini dicentis in persona Sapientiæ :

(144) In monasterio isto Monachos, vitæ eremiticæ minus aptos, sanctus constituisse putatur, eisque, suprema sibi servata præfectura, Lanvinum præfecit priorem. Adi Comment. præv. num. 623, 626, 645 et 716.

(145) Quid verosimilius phrasi hac significetur, videsis Comment. præv. num. 726.

(146) Integram fidei professionem, a *Brunone* morti proximo emissam, nec tamen hisce verbis terminatam, in Comment. præv. num. 727 intuli.

(147) Hic, uti etiam aliis locis nonnullis, a Basileensi Vitæ hujus editione (adi comment. præv. num. 734) nonnihil dissonat posterior Parisiensis anni 1524 ; hanc autem, etsi non hic, alibi tamen subinde, cum lectiones meliores magisve arridentes offerret, sum secutus, quod lucubratio isthæc tanti non sit, ut primævum ejus textum scrupulose ubique exprimi, multum intersit.

(148) Nonnihil aliter Matthæi VII, 22 et seq.

(149) Lucæ x, 20.

(150) Sanctorum numero S. Thomam Aquinatem anno 1323, uti apud nos ad diem 7 Martii, qua de sancto illo Ecclesiæ doctore egimus, videre est, Joannes XXII papa ascripsit ; hic autem de miraculis, quæ S. Thomas patrasset, non esse inquirendum, haud dixit, sed contra diligentissime in ea fecit inquiri. Liquet id tum e dicti Sancti canonizationis bulla, tom. I Bullarii a Laertio Cherubino inserta, tum ex *processu inquisitionis factæ super vita, conversatione et miraculis recol. mem. fr. Thomæ de Aquino* ; ad præfatum 7 Martii diem in operis nostri primum mensis hujus tomum pag. 686 et seqq. illato. Ad hæc etsi quidem, quemadmodum in conscripta a se S. Thomæ Aquinatis Vita, eidem Martii tomo apud nos intexta, num. 81 Guilielmus de Thoco, auctor synchronus, memoriæ prodit, Joannes papa Dominicanorum deputatis, qui ad eum, ut inquiri in S. Thomæ miracula apostolica auctoritate juberet, postulatum venerant, *divino afflatus Spiritu* dixerit, sese credere S. Thomæ doctrinam non potuisse esse sine miraculo, aliaque deinde nonnulla, quæ hanc plurimum commendant, in consistorio coram cardinalibus protulerit, illum tamen, quæ hic Puteanus scribit, de S. Thoma asseruisse, nuspiam invenio ; neque vero a pontifice illo, tot hunc Sanctum fecisse miracula, quot quæstiones terminasset, dictum fuisse, sat verosimile autumo.

« Qui elucidant me vitam æternam habebunt (151). »

62. Et iterum de eadem sapientia loquens, « supra salutem, inquit, et speciem dilexi illam: » et proposui pro luce habere illam, quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondi. Infinitus enim est thesaurus ejus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati (152). Et in Evangelio, cum dixisset Simon Petrus ad Christum: « Ecce nos reliquimus omnia. et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » Respondit: « Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit (153). » Et iterum ad discipulos suos: « Amen dico vobis quia vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (154). » Et ad adolescentem de vita æterna interrogantem ait: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (155). »

63. His itaque solis sanctitatis patris nostri Brunonis testimoniis sanctissimus papa noster, dominus Leo decimus hoc tempore pontifex Maximus (156), sine aliqua miraculorum inquisitione contentus, dignum arbitratus est et rationi consonum, eum quem Deus tantis in hoc sæculo donis insignivit et gratiis, nunc assumptum in cœlos maximis efferendum præconiis, ut cui viventi dederat Omnipotens cor ad præceptum et legem vitæ et disciplinæ, eidem nunc, apud thronum divinæ gloria quiescenti, debitæ devotionis obsequium impendatur in terris. Et propterea voluit idem pontifex, et nobis et ordini nostro apostolica auctoritate concessit, ut in singulis domibus totius nostri ordinis et earum ecclesiis seu capellis festum ejusdem patris nostri Brunonis confessoris annis singulis die sexta mensis Octobris, qua die illa ejus beata anima, carnis vinculis exuta, ad cœlestia regna migravit, solemniter colatur (157), et congrua ac debita devotione celebretur, ejusque corpus et memoria dignis in Domino laudibus veneretur, et

A conveniens Officium in honorem ipsius agitur et decantetur, et ut de eo diebus singulis commemorationem facere valeamus. Idem etiam pontifex domum prædictam sancti Stephani, quam (ut jam sæpe dictum est) beatus Bruno pater noster in finibus Calabriæ post erectam prius per eum Carthusiam fundaverat, et in qua corpus ejus conditum jacet (158), per monachos alterius ordinis multis annis occupatam, ordini nostro restituit, et sub cura juxta ritum, mores ac regularia instituta ejusdem nostri ordinis regendam et gubernandam commisit, prout in desuper confectis litteris apostolicis continetur (159).

64. Gaudeamus itaque omnes, mei dilectissimi, gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beati Patris nostri Brunonis B de cujus solemnitate gaudent angeli et collaudant Filium Dei. Hæc namque est dies illa, quam fecit Dominus. Dies, inquam, illa, quæ ab angelis in cœlis continua, a nobis vero in terris ad Dei laudem et tanti Patris memoriam annua devotione recolitur. Exsultemus igitur et lætemur in ea, et omnipotenti Deo, qui per suam misericordiam hujus nostræ militiæ ducem et principem tantis ac talibus donis et gratiis prævenit in via, et tantis dotibus ac tanta gloria deinde remuneravit in patria, dignas, quas possumus, laudus et gratias humiliter referamus, et ejusdem sancti merita dignis efferamus laudum præconiis. Præceptum enim habemus de honorandis parentibus, nedum carnalibus, sed et tanto magis his, qui nos in Christo genuerunt, spiritualibus. Unde scriptum est quia gloria hominis ex honore patris sui est, et dedecus filii pater sine honore; et quia, qui honorat patrem suum, vita vivet longiori, et jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur, et superveniet ei benedictio a Deo, et benedictio illius in novissimo manet (160).

65. Agamus insuper Deo laudes et gratias, qui, sicut post quadringentos et triginta annos a repromissione facta Abrahæ, filios Israel per manum Moysi de servitute Ægyptiarum liberavit, ita et nunc post totidem annos, quadragintos scilicet et triginta, hunc Patrem nostrum, et per eum fundatam domum prædictam sancti Stephani per manus summi legislatoris, Romani pontificis, Christi in

(151) Ecclesiastici XXIV, 31.
(152) Sapientiæ VII, 10, 13-14.
(153) Matthæi XIX, 29.
(154) Ibid., 27 et seq.
(155) Ita fere etiam ibid., 21.
(156) Scripsit hanc Sancti nostri Vitam Puteanus anno circiter 1515; Leo autem X, ab anno 1513 ad annum usque 1521 S. Petri cathedram occupavit.
(157) Cum Leo X papa sanctum nostrum canonizatione nec formali, nec æquipollenti, quæ utraque cultus præceptum importat, sanctis ascripserit, sed tantum, ut commentarii prævii § ultimo probavi, beatificatione æquipollenti, per solam cultus, quæ in cardinalis Papiensis litteris, Commentarii prævii § 46 datis, exprimitur, permissionem facta, biographus noster, quæ veritati accurate consonent, hic non scribit, si per præteriti temporis verbum *voluit* idem hic intelligat, quod per præteriti itidem temporis verbum *injunxit*.
(158) Modo quidem sacrum sancti corpus in Turritana S. Stephani ecclesia honorifice asservatur; verum in ecclesia S. Mariæ verosimilius terræ fuit mandatum. Adi Comment. præv. num. 731 et binnis seqq.
(159) Bullam seu litteras apostolicas, quibus hoc pontifex ille fecit, Commentarii prævii num. 754 et tribus seqq. integras dedi.
(160) Paulo aliter Ecclesiastici III, 6, 7, 13.

www.libtool.com.cn

terris vicarii, de manu alienorum redimere, et sub nostri ordinis possessionem et obedientiam restituere dignatus est. Tot enim anni, quadrageati scilicet et triginta, numerantur ab ejusdem ordinis initio, quasi quodam divino præsagio, usque ad annum millesimum quingentesimum quartum decimum (161), quo anno idem pontifex eumdem Patrem nostrum et dictam ejus domum, in qua, ut jam sæpe dictum est, conditus jacet, a prædicta servitute liberavit. Et quia tunc Dominum in sanctis ejus, et sanctos in Domino digne veneramur et colimus, cum sanctorum virtutes et mores imitamur et sequimur, sicut et ille Deum perfecte diligit, qui ejus mandata custodit.

66. Propterea, venerabiles patres et fratres in Christo dilectissimi, si veri filii sumus, non degeneres, sequamur, et quantum, Domino cooperante, poterimus, imitemur hujus Patris nostri beati Brunonis mores et vestigia. Decet enim filios similes esse patri, cum Dominus, de seipso loquens, dicat non posse Filium a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Et quod quæcunque ille fecerit, hæc et filius similiter faciat (162). Quemadmodum igitur ille fecit, ita et nos pariter faciamus. Carthusienses enim sumus, et a Carthusia, ut jam audivimus, nomen accepimus. Curthusia autem juxta etymologiam sui nominis secundum Hieronymum in interpretatione Hebraicorum nominum dicta est a chartus, quod interpretatur *perfecte vocatus*, vel *perfecta vocatio* ; et *ia*, quod est dominus vel dominator, quasi a Domino perfecta vocatio ; et inde Carthusianus dictus est, tanquam a Domino perfecte vel ad perfectionem vocatus (163).

(161) Anno scilicet 1084, quo sanctus ejusque socii Carthusiæ eremum primum sunt ingressi, Carthusiensis ordo initium accepisse censetur.

(162) Joannis v, 19.

(163) Non pauca adhuc, quæ non secus atque jam data Vitæ *S. Brunonis* nomine notavit vulgavitque Puteanus, hic adjiciuntur; verum cum nihil plane, quod a sancto gestum sit, complectantur, tantumque una cum iis, quæ tribus ultimis numeris modo hic dedi, orationem ad Carthusianos hortatoriam constituant, ab iis, cum merito pro parte Vitæ sancti nostri haberi haud queant, recensendis abstinendum duxi. Ea interim, quæ in hic suppeditatam a biographo nostro Carthusiæ etymologiam Theophilus Raynaudus in Stylita mystico, puncto 4, num. 9 observat, lubet hic lectori proponere. Sic itaque ibidem habet: *Quidquid sit de vocis* (Carthusiæ nimirum *originatione primæva, quis neget ad veritatem dixisse eum, qui Carthusiæ nomen a carne tusa et macerata dictum videri, affirmavit? Primævam hanc fuisse originationem hujus vocis, asserere non ausim, qui sciam, ante apulsos illuc S. Brunonem ac socios id jam fuisse loco nomen, ut liquet ex cap.* IX *et* X *Actorum* a Surio scilicet editorum S. Brunonis. *Nisi si post sanctorum illic habitationem et exceptas illic ab eis macerationes et contusiones corporis, contigit inditam tunc appellationem retrotrahi ad tempus, priusquam a Sanctis incoleretur, siquando de anteriori illo tempore incideret sermo. Nam ipsa quoque Scriptura plerumque nomina locorum desumit a posterioribus eventibus, ut fuse prosequitur S. Chrysostomus. Quamvis igitur notatio nominis Carthusiæ, a carne tusa et macerata, videri possit incerta; tamen notationi illi subjecta notio perspicue est ad veritatem. Quadrat sane multo magis, quam illa alia, pro qua* (post Puteanum nempe hic) *satagit Petrus Sutoris, derivans Carthusiæ vocabulum, a duplici Hebraica voce, quarum altera* CARTUS *juxta S. Hieronymum perfectum vocationem sonet; altera, hoc est,* IA, *Deum designet, ita ut sensus eit, Curthusium esse perfectam vocationem Dei.* Hæc adde iis, quæ Comment. prævii num. 28 dicta sunt.

VITA TERTIA

E Vitis per Puteanum et Blomenvennam scriptis, a Surio collecta.

CAPUT PRIMUM.

Defunctus, sese damnatum, e feretro publice proclamat; spectaculi hujus occasione in solitudinem ad pœnitentiam agendam secedere Sanctus statuit, cum aliquot aliis, quos ad idem faciendum movit, ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, iter arripit, benigneque ab hoc excipitur.

1. Beatissimus Bruno, sacri Carthusiani instituti primus auctor et architectus, natione Germanus, in insigni Colonia Agrippina parentes habuit et genere et virtute claros (164), quibus tamen ille, atque adeo toti familiæ suæ, majorem, vitæ suæ sanctimonia attulit splendorem. Ab ipsis autem incunabulis, gratia Dei illum dirigente, semper ad meliora proficere studuit, et cum adhuc puer esset, nihil præ se puerile tulit, sed ætatem morum gravitate vincens et quasi futuræ religionis specimen quoddam exhibens, multorum monachorum pater et institutor divinitus parabatur. Sortitus vero a Domino est animam bonam, ut Scripturæ verbis utamur, præclaram indolem, illustre ingenium, memoriam tenacem, voluntatem ad optima quæque consectanda studiose propensam.

2. Itaque missus est Lutetiam Parisiorum, ut illic litteris et disciplinis liberalibus erudiretur. Ubi tan-

(164) De *S. Brunonis* patria, parentibus ac nobili genere videsis Commentarii prævii § 2, uti etiam annotanda in titulum funebrem 97.

www.libtool.com.cn

tum ille profecit præ cæteris coætaneis suis, ut inter primos philosophos numeratur (165), et scholarum magister effectus sit (166). Ad sacræ quoque theologiæ studia se conferens, in theologis doctissimus et celeberrimus habitus est, possuntque ei rei testimonium haud vulgare perhibere scripta ejus, quæ exstant (167). Fuit vero etiam Remensis ecclesiæ canonicus (168). Per id tempus cum in hujusmodi optimis studiis versaretur Bruno, Gregorio VII Romano pontifice sanctissimo (169), et Henrico tertio imperatore (170), circa annum salutis millesimum octogesimum secundum; Parisiis litterarum studia florebant, et erat illic tum magna turba studiosorum, tum non pauci doctores insignes. Accidit autem sane horrendum et sæculis omnibus memorandum in ea tum urbe spectaculum, quod Carthusianæ vitæ instituendæ occasionem præbuit, divina id agente providentia, quæ multorum voluit consulere saluti.

3. Quidam enim valde celebris doctor, præ cæteris multa doctrina et eximia morum honestate instructus, quantum quidem ex vitæ consuetudine homines, qui externa sola intuentur, pectoris arcana videre non possunt, conjicere et existimare possent; tum etiam ante alios illius ipsius et doctrinæ probitatis causa honoratus, in gravem morbum incidit. et lecto decumbens, morbo ingravescente, diem clausit extremum, ante tamen, more Christiano, ut vir catholicus, ecclesisticis munitus sacramentis, cumque ei ex recepta apud Christianos consuetudine celebres pararentur exsequiæ funeris ejus cohonestandi gratia, magistrorum, studiosorum, et civium ingens advenit multitudo ; quibus funus ipsum prosequentibus, defuncti examine corpus in templum, ubi sepulturæ mandandum erat, illatum est. Viris autem ecclesiasticis, qui ad id invitati fuerant, solitum officium peragentibus et preces illas, quas vigilias defunctorum vocant, recitantibus, ubi ventum est ad eam lectionem, cujus initium est, Responde mihi, is, qui erat vita functus, in ipso feretro erexit se, et, paululum elevato capite, cunctis videntibus et audientibus, et ad tantam rei novitatem non immerito stupentibus, alta et horrenda voce dixit: JUSTO DEI JUDICIO ACCUSATUS SUM; et his dictis, rursus in feretro deposuit caput.

4. Qui vero ejus verba audierunt, et gestus viderunt, non mediocriter perterrefacti, consulte quidem et provide decreverunt sepulturam ejus in diem crastinum differendam, tam inusitatæ rei exitum præstolaturi. Altera luce, cum jam facti hujus fama tota urbe esset diffusa, et omnium aures implevisset, ad eam ecclesiam innumera prope hominum utriusque sexus turba confluxit. Tum vero denuo repetitis exsequiis, postquam lectionis supradictæ initium recitari cœpit, idem defunctus, erecto capite, ingenti rursus voce clamat, JUSTO DEI JUDICIO JUDICATUS SUM, moxque in feretrum se reponit. Corripiuntur astantes omnes summa et incredibili admiratione, horrendumque spectaculum stupore afficit universos. Sed quia tamen necdum ea, quæ hactenus dixerat, se justo Dei judicio et accusatum, et judicatum, apertam habebant damnationis ejus significationem, cum possent etiam in bonam accipi partem, quod primo quidem inique ad Christi tribunal accusatus esset ab eo, qui perdere cuncta festinat, et qui a studio calumniandi diabolus, id est, calumniator recte dictus est, postea vero ab ejus calumniis æquissimi Judicis sententia vindicatus esset, cunctis visum est, etiam in tertium diem ejus protrahere sepulturam.

5. Eo autem illucescente, tota fere civitas accurrit, tam inusitatum et terribile Dei judicium nosse cupiens, cumque eodem modo iterarentur exsequiarum ritus, et ad lectionem, quam diximus, perventum esset,

Tum rursum exanimus feretro caput extulit alto,
Atque infelicem se contemplando, locutus,
Sic ait immenso luctu grandique boatu :
Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis.
Heu infelicem cur me genuere parentes ?
Ah ! miser æternos vado damnatus ad ignes.
Indeque conticuit semper, jacuitque supinus (171).

Ad eam vocem quis tam possit esse ferreo pectore, ut non totus a se discedat? Recte dixit Propheta : « Judicia Dei abyssus multa. » Notus erat vir ille omni plebi, et cum nemo de illo quidquam minus suspicaretur, justo Dei judicio damnatum se dixit. Penetravit illa terribilis vox, Juxto Dei judicio damnatus sum, ipsas ossium medullas videbanturque astantes omnes pene exanimes.

(165) Incepta Coloniæ Agrippinæ politioris litteraturæ studia Remis absolvit sanctus, Turonisque deinde sub Berangerio philosophiæ placita excepit, nec scitur ullis aliis altioris ordinis scientiis Lutetiæ Parisiorum operam dedisse. Adi commentarii prævii § 3 et 4.

(166) Parisiis etiam nunquam docuisse *Bronomem*, verosimillimum sane evadit ex iis, quæ Commentarii prævii § 8 disserui.

(167) Hæc inter præcipuum locum tenent Commentari duo, alter in Psalmos, alter in omnes S. Pauli apostoli Epistolas conscriptus, de quibus quid sentiendum sit, Commentarii prævii § 42 exposui.

(168) Vopissimum sane hoc esse probant, quæ Commentarii prævii num. 84 adduxi.

(169) Vide dicta ad not. 35 Vitæ præcedentis cap. 1.

(170) Princeps hic, qui tum in Vita præcedenti, tum in altera, a Blomenvenna contexta, *Henricus quartus* vocatur, *tertius* a Surio ad plurimum scriptorum aliorum exemplar duntaxat hic dicitur, quod Henricum I, cognomento *Aucupem*, qui, quamvis ab anno 919 usque ad annum 936 Germaniæ regnum tenuerit, imperator tamen nunquam coronatus fuit, imperatoribus accensendum haud duxerit.

(171) Carmina hæc e metrica, de qua videsis commentarium prævium num. 19, sancti Vita, per Zacchariam Benedictum descripta, sunt deprompta, modica dumtaxat in tertio et quinto mutatione facta.

www.libtool.com.cn

6. Non enim vulgare illis propenebatur exemplum, nec erat illa res ludicra aut parvi momenti. Damnatum ille se justo Dei judicio clamabat, qui sic inter homines vixisse visus esset, ut ab omnibus sanctus putaretur. Dicebant alii ad alios : Si sic accidit huic tanto viro, tam insigni, quid nos miseri exspectare debemus ? Tandem ea tamen omnium fuit sententia, quandoquidem ille palam confessus esset, se justo Dei judicio condemnatum et reprobatum, ut omni Ecclesiæ suffragio et ipsa quoque ecclesiastica sepultura indignus censeretur, et in loco profano in sterquilinio sepeliretur ; quod etiam factum est (172). Sunt, qui affirment, ob perpetuam hujus expavescendi judicii memoriam, ab eo tempore in ea, quam toties jam commemoravimus, lectione, omissa esse duo hæc verba, Responde mihi (173). Fuit sane multis efficax incitamentum ad vitam animumque corrigendum tam inauditum miraculum.

7. Nam et ipse venerabilis Bruno, cum præsens adesset, et suis oculis atque auribus omnia dicta factaque hausisset, nimium formidando obstupefactus exemplo, totus in lacrymas resolutus, acerbe plorabat, cogitans secum divini judicii severitatem, incertum hujus vitæ exitum, et quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Territus ergo et salubriter compunctus, accersivit ad se nonnullos ex magis familiaribus sociis et discipulis suis, magistrum Landuinum, qui post eum primus fuit Carthusiæ præfectus, sive prior, duos Stephanos, Burgensem et Diensem, ambos canonicos Sancti Rufi, Hugonem, quem dicebant Capellanum, quod solus inter eos sacerdotio initiatus esset (174), duos laicos, Andream et Guarinum, qui et ipse huic spectaculo interfuerant, aitque lacrymabundus ad eos : Ecce, fratres et amici mei, in Christo unice chari, vidimus per hos dies et audivimus admiranda plane atque stupenda, quæ tamen nobis possint magnam afferre utilitatem, si ita, ut par est, defuncti hujus, modis omnibus infelicissimi, non periculum aut casus dubius, sed certissima damnatio cautos nos faciat, et sollicitos ad placandum Dominum, cujus manum effugere nemo potest.

8. Et quis, obsecro, tam saxeo sit pectore, quem tale exemplum ad agendam pœnitentiam non invitet modo, sed etiam impellat ? Aut quis tam lethali pressus sit somno vitiorum ut deplorati hominis hujus infaustis clamoribus, imo et tonitruis non excitetur et expergefiat ad curandam salutem suam? Novimus hunc virum multa sapientia præditum, moribus ornatum, castum, pudicum, prudentem, ab omnibus honoratum et magno in pretio habitum.

A At nunc ex ejus ore audivimus justo eum Dei judicio condemnatum. Qua voce quid possit aut dici, aut fingi terribilius ? Quis ad ejus auditum non totus contremiscat ? Quid est enim damnatum esse, nisi in ea incidisse mala, quæ nulla mens capere, nulla lingua explicare potest ? Quæ tamen si quandoque finem haberent, possent saltem utcunque videri tolerabilia ; jam vero cum sint longe acerbissima, nec ullum unquam etiam post infinitas annorum myriades finem accipiant, non possunt non esse omnium miserrimi et infelicissimi, qui ad ea devolvuntur.

9. Videamus nunc, fratres mei, quid apud inferos prosit ei tam multo labore parta scientia, cum illic sempiterna laboret cæcitate et ignorantia ? Quid B opes et copiæ, cum nec una ei suppetat aquæ gutta, qua possit æstuantis gehennæ ardoribus exustam refrigerare linguam ? Quid honores et deliciæ, cum tot nunc in omnem æternitatem cogatur ferre tormenta, quot in mundo habuit oblectamenta ? Vidimus corpus ejus cum summa ignominia sepeliri in sterquilinio, cogitemus animam ejus sulphureis semper arsuram flammis, sepultam in inferno, ubi vermis eorum non morietur, nec ignis exstinguetur, ubi ignis sævit intolerabilis, fœtor cruciat abominabilis, dolor vastat ineffabilis. Cogitemus hæc, fratres mei, nec perfunctorie, sed serio cogitemus, et salutari animarum nostrarum amplectendo remedio nobis prospiciamus, ne etiam nos cum C illo pereamus. Unicum autem superest remedium vera pœnitentia, cum ipse Salvator dicat : « Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis (175). » Plena est Scriptura vocibus ad pœnitentiam hortantibus. Hanc itaque nos amplectamur, fratres charissimi, si volumus justum Dei effugere judicium. Sint nobis lacrymæ nostræ panes die ac nocte, et iis diluamus sordes peccatorum nostrorum.

10. Voces illæ, quas audivimus, non propter illum editæ sunt, qui defunctus est, sed propter nos, ut nobis proficiant, quos adhuc divina patientia longanimiter exspectat. Non differamus, quæso, vitæ correctionem de die in diem, cum nesciamus, qua hora Dominus noster venturus sit. Qui enim, ut ait beatissimus pontifex Gregorius, pœnitenti venia spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. His verbis compuncti sunt corde omnes illi, D et ardenti desiderio cupiebant dare se pœnitentiæ, sed modum et locum necdum videbant. Itaque percontanti de his Landuino, viro docto et pio, sanctus Bruno respondit : Spectaculum, quod vidimus, quod nos salubri mœrore affecit, quod conturbavit et exterruit nos, et pœnæ sempiternæ formidine adduxit

(172) Adi, quæ in Annotatis, præcedentis sancti Vitæ capiti 1 subnexis, ad not. 37 dicta sunt.

(173) Adi, quæ in antecedentis sancti Vitæ caput 1 ad not 38, notata sunt.

(174) De Hugone Capellano, qui solus ex iis, quos sanctus ad se accersierit, sacerdotio initiatus fuisse hic dicitur, itemque Landuino et aliis, hic recensitis, videsis commentarii prævii § 25 a num. 434 usque ad finem.

(175) Ita fere Lucæ XIII, 3.

www.libtool.com.cn

ad pœnitentiam, id efficiat in nobis, ut mundum hunc toto pectore contemnamus, et quoad ejus fieri potest, extra illum aufugiamus. Succurrat nobis, quid de se olim dixerit S. David, contristatus in exercitatione sua, et conturbatus a voce inimici, et a tribulatione peccatoris; quando cor ejus intra ipsum conturbatum fuit, et formido mortis cecidit super eum, timor quoque et tremor venerunt super eum, et contexerunt eum tenebræ, quæ omnia, ut nostis, nos quoque experti sumus.

11. « Quis dabit mihi, inquit, pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? Ecce, elongavi fugiens, et mansi in solitudine (176). » Fugere nos admonet hominum frequentiam et peccandi occasiones, et degere in solitudine, quæ locus est opportunus agendæ pœnitentiæ, virtutum doctrix, gloriæ revelatrix. Eam ergo nos par est studiosissime inquirere, in ea diligentissime commorari, et usque ad supremum vitæ diem extra eam pedem non efferre. Habemus exempla in ipso Salvatore, quem constat sæpe deserta expetiisse loca, ut nos ad similia provocaret. Joannes Baptista, quo inter natos mulierum nemo surrexit major, in desertis fuit usque ad diem ostensionis suæ. Longum sit, cæteros commemorare homines sanctissimos, qui se in intimas solitudines abdiderunt, nihil cum hoc mundo fallacissimo commercii habere volentes. Inter hæc inflammantur eorum animi, et ardent solitariæ vitæ desiderio; sed cum incertum haberent, quem potissimum locum expeterent, sanctus Bruno aliquem virum bonum et fidelem inquirendum dicit, qui eis locum opportunum indicet. Tum Stephani duo, Burgensis et Diensis, non longe, aiunt, a Valentia, cui nostrum Sancti Rufi adhæret monasterium (177), urbs est Gratianopolis, et in ea beatus Hugo episcopus, quem nos sæpe vidimus et bene cognitum habemus (178).

12. Est ille vir sanctissimus, justus ac rectus et timens Deum, atque in omni virtutum genere probe exercitatus. In ejus diœcesi sunt montes altissimi, in iis deserta loca permulta, ab omni hominum consuetudine et habitatione separata, atque ea causa pœnitentiæ agendæ maxime opportuna. Et cum sanctus episcopus verbis et exemplis omnes invitet ad pœnitentiam, ubi ad eum venerimus, adventus noster ei erit gratissimus, facietque nos voti compotes. Est enim perhumanus, benignus et clemens. Habebitis autem nos hujus itineris duces, quod nos crebro emensi sumus. Mox etiam Hugo sacerdos: Audivi, inquit, et ego multa de viro hoc, quippe cujus fama jam ubique redolet; habeoque exploratissimum, eum virum esse sanctum, et animarum saluti summopere studentem; nec dubium, quin libentissime nos accepturus sit, et modis omnibus nobis opem allaturus. Et licet ego jam affecta ætate et infirma sim valetudine, viaque hæc ardua et difficilis, quando tamen arcta via est, quæ ducit ad vitam, nec ulla ætas sera est ad pœnitentiam, si statueritis eo proficisci, ego me vobis comitem præbebo, nec quidquam nos separabit, nisi sola mors, Christi charitate perenniter copulatos atque conjunctos. Eamdem animi alacritatem et promptitudinem exhibuere etiam Andreas et Guarinus, homines laici et idiotæ, petieruntque breviter doceri, quo pacto dignos pœnitentiæ fructus Deo offerrent.

13. Quod cum a beato Brunone factum esset et quædam etiam de vitæ hujus fragilitate et inconstantia, de mundi vanitate et fallacia, de incerto ab hac vita exitu, de doctoris recenti damnatione ille commemorasset, ab omnium oculis dulces lacrymarum rivuli dimanarunt, moxque in novam Christi æterni regis militiam simul omnes conjurant, rogant omnipotentem Deum, ut ipsos in sancto proposito confirmet, et angelum suum bonum ad ipsos mittat, qui sit itineris dux, et ad locum suæ majestati gratum ipsos perducat. Deinde cum de rebus et facultatibus suis constituissent, et omnia sua recte expedivissent, valedicunt amicis et notis. Et sancto eos ducente Spiritu, atque angelo Domini antecedente, dirigente ac protegente, longo et molesto ac duro itinere ad beatissimum Hugonem, episcopum Gratianopolitanum, se conferunt (179). In ipso autem itinere ad quemdam magnæ religionis eremitam divertunt, ut ab eo, tanquam experto, discant de vita solitaria (180). Ejus autem sermonibus et piis adhortationibus alacriores effecti, majorique amore in eam vitam inflammati, pergunt ire Gratianopolim.

14. Per idem autem tempus vidit sanctus Hugo episcopus in somnis, Deum in ea eremo, quæ Carthusia dicebatur, suæ majestati domum exædificantem, septem quoque stellas colore rutilo, in orbem dispositas, et a terra paululum sublevatas, ab illis cœlestibus situ, motu, colore et splendore discrepantes, itineris ducatum sibi præstantes (181). Et

(176) Psalmo LIV, 5-8.

(177) In assignando monasterii hujus situ cum Puteano et Blomenvenna, quos secutus est, Surius hic errat. Adi Commentarii prævii num. 436.

(178) Vide, quæ de sancto hoc Gratianopolitano episcopo Annotata in antiquiorem sancti Vitam ad not. 7 suppeditent.

(179) An Sanctus, dato etiam, eum prodigio defuncti, qui se damnatum e feretro vociferatus sit, in eremum pulsum fuisse, recta sese, uti hic biographus indicare videtur, ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, cum sociis contulerit, in Commentario prævio a num. 414 discussum est.

(180) De hoc eremita, a sancto ejusque sociis in via consulto, quem apud Blomenvennam ex Henrico Kalbar, non apud Puteanum etiam, Surius commemorari invenit, videsis Commentarii prævii num. 414.

(181) De visione hac, S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, oblata, adjunctisque, quibus hic a Surio binisque eum prægressis sancti nostri biographis, Puteano videlicet et Blomenvenna, ornatur, videsis Commentarii prvæii num. 423 et aliquot seqq.

www.libtool.com.cn

cum de ea visione cogitaret, septem viri, beatus Bruno cum sex sociis, ad fores pelatii assistunt. Ejus rei meminit vir venerabilis Guigo in Vita, quam scripsit, ejusdem beati viri. Adest, inquit, magister Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis et gravitatis ac totis maturitatis quasi quoddam simulacrum. Habebat autem socios supra memoratos : quærebant vero locum eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant. Hæc Guigo (182). Cum ergo nuntiatum esset episcopo viros septem stare præ foribus, qui cupiant cum ipso colloqui, confestim eos jubet introduci. Ingressis illis, et ad pedes ejus humiliter prostratis optatam impertit benedictionem, cumque ab eo elevati pariter consedissent, causam adventus eorum diligenter inquirit. Sanctus Bruno, quid Parisiis vidissent et audissent, et quemadmodum ipsi inter se de vita solitaria complectenda sancte conspirassent, exponit, et locum pœnitentiæ aptum petit ab episcopo.

15. At ille præ rei novitate primum obstupescit; sed tamen accurate contemplans eorum conversionem, animi constantiam, ardui propositi, pluribus quandoque profuturi, et visioni suæ accommodati, magnam utilitatem, cum ingenti gaudio eos amplexatur, et non modo libenter, sed etiam reverenter excipit illos, et tractat peramanter ac benigne. Divino quoque Spiritu eum docente, intelligit jam visionem, eisque totam commemorat, locumque, quem expeterent, sibi jam divinitus demonstratum dicit. Septem enim viros, terrena respuentes, deserta loca inquirentes, et pro cœlestium desiderio, studio ac amore, instar stellarum micantes, nihil ambigebat illis, quas viderat, stellis esse designatos (183). Itaque volens eos hortari ad perseverantiam, quæ sola obtinet æternæ salutis amplissimas coronas, ex apostolo Paulo locum illum protulit, ubi sic ait : « Sancti, quibus dignus non erat mundus, egentes, angustiati, afflicti circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ (184). » Horum exempla, inquit, sequi, et in eorum vestigiis insistere, laudabile et valde salutare est, sed difficile certe, in his præsertim regionibus frigidis, quæ non sunt uti Ægyptus et Palæstina (185).

16. Vobis autem locus divinitus assignatus est eremus quædam in altissimis montibus, quam Carthusiam vocant. Ampla illa quidem, sed prorsus inculta, atque a nemine habitata, solis feris pervia, hominibus vero et cæteris domesticis animantibus propter loci asperitatem pene incognita et inaccessa. Altas et tanquam excisas hinc inde rupes et scopulos, arboresque silvestres et infrugiferas habet, estque supra modum frigida, et magna anni parte nivibus operta. Tum quoque adeo prærupta, sterilis et infructuosa est, ut nihil in ea neque seri neque meti possit. Ad eam vero etiam accessus et aditus difficilis et periculosus est propter duas præcelsas rupes, quæ, cum directe in sublime sese subrigant, in ipso vertice propemodum coalescere videntur, ita ut introeuntibus et horrori sint et terrori. In ejus medio fluviolus est, qui, ex montibus illis collectus, cum ingenti murmure instar torrentium aut aquarum inundantium decurrit.

17. Et ut multa paucis comprehendam, tanta est ejus eremi asperitas et horror tantus, ut carceris cujusdam potius, quam humanæ habitationis nomen mereatur ; nec facile sane videtur, ut quisquam illic absque singulari Dei præpotentis beneficio habitare, aut certe diu perdurare queat (186). Nostis autem vos ipsi, fratres mei, quam turpe et probrosum sit, post missam manum ad aratrum retro aspicere. Nostis uxorem Lot, ubi respexit, ibi constitisse, et in salis statuam conversam esse, ut suo prudentes condiret exemplo. Hæc et pleraque alia cum dixisset ille beatissimus antistes, S. Bruno respondit : Revera terribilis est locus iste, reverendissime pater, et posset sua ista immanitate absterrere nos, si nos huc alio animo accessissemus, quam ut talis nobis detur locus, omnia Christi amore perferre cupientibus. Et licet fragiles nos simus et infirmi sane, attamen divina freti misericordia, qua nos nitimur et non viribus nostris, plane nobis persuademus, qui nobis præstitit huc veniendi animum et promptam voluntatem eum quoque perseverandi daturum facultatem.

18. Quam ob rem humiliter et obnixe precamur, ne nostrum differas desiderium, neque nos in hac petitione nostra patiaris ferre repulsam. Cernens vero beatus antistes eorum constantiam, et immotum perseverandi propositum, ita ait ad eos : Equidem sanctum hoc desiderium vestrum, dilectissimi,

(182) Nimirum num 11 in citata hic mox a Surio S. Hugonis, Gratianopolitani episcopi, Vita, tomo I Aprilis apud nos edita, quam, jubente Innocentio II papa, conscripsit. Adi etiam, quæ in antiquiorem S. Brunonis Vitam ad not. 9 notavi.

(183) Etsi pleraque Brunonis ejusque sociorum cum S. Hugone, Gratianopolitano episcopo, congressus adjuncta, quæ hic Surius e Blomenvenna et Puteano refert, vero neutiquam appareant absimilia, nullo tamen antiquitatis testimonio queunt firmari. Atque hoc quidem nominatim locum obtinet quantum ad factum a Brunone de doctore damnato sermonem. Adi Commentarium prævium num. 430.

(184) Ad Hebræos XI, 38.

(185) In pluribus olim Ægypti et Palæstinæ, quæ regiones calidiore, quam, quæ Gratianopoli adjacent, aeris temperie gaudent, solitudinibus ingens anachoretarum multitudo fuit versata, uti in Vitis Patrum apud Rosweydum videre licet.

(186) Prolixam eremi Carthusiæ descriptionem ex Innocentio Massono lectori exhibui in Commentario prævio num. 447 et binis seqq.

www.libtool.com.cn

et probo valde, et summopere complere appeto, et jam nunc ad locum optatum et ostensum divinitus vos perducam. Deditque eis eremum Carthusiæ, et quidquid in ea juris et actionis haberet. Promisit etiam se idem impetraturum ab aliis, qui aliquid sibi in ea juris vindicarent (187); tum quoque constructurum se domum in ponte, qui est inter eas, quas diximus, rupes duas, ut possent ab ingressu arceri feminæ, atque etiam viri arma ferentes. Denique prohibiturum illic venationem et piscationem omnem (188). Post hæc complectens eos flevit super singulos præ gaudio, laudans et benedicens Deum pro illorum adventu, detinuitque eos apud se, et ex itinere fatigatos pro sua humanitate ad dies aliquot reficiendos curavit.

CAPUT II.

Carthusiæ eremum Sanctus ingreditur, ex hac, in qua sanctissime vivit, ab Urbano II papa evocatur, discipulis, Romam eum consecutis, ut Carthusiam repetant, suadet, Rhegiensem archiepiscopatum recusat, ac deinde a pontifice repetendæ solitudinis facultatem impetrat.

19. Iis exactis diebus, ascenderunt in montem, atque incolere cœperunt Carthusiæ solitudinem circa solemnitatem nativitatis sancti Joannis Baptistæ anno salutis nostræ millesimo octogesimo quarto (189), antecedente, comitante ac dirigente et adjuvante eos in omnibus, res quoque necessarias eis suppeditante beato Hugone episcopo. Exstructa tum ab illis est in editiori montis parte, quæ nunc dicitur ad Beatam Mariam de Casalibus, ecclesia, et parva domicilia vel cellulæ apud fontem, qui usque in præsens fons sancti Brunonis appellatur (190), haud procul ab ea ecclesia distantes, sed inter se tamen aliæ ab aliis separatæ, ne alter alterius quietem et solitudinem interturbaret. Atque in iis cellutis singulis bini fratres degebant (191), et quemadmodum prisci illi Ægypti monachi, silentio, orationi, lectioni, cordis puritati, et rerum divinarum contemplationi vacabant, certis etiam horis operi manuum, præsertim conscribendis libris, incumbentes, tum ut suæ inopiæ consulerent, tum etiam, ut ne quam darent occasionem illis, qui quærunt occasionem, sanctum eorum institutum calumniandi, quod nullam Ecclesiæ Dei navarent operam, sed suis duntaxat rebus studerent (192).

20. Solent enim imperiti homines eos otiosos et sanctæ Ecclesiæ parum utiles existimare, qui, ab hominibus separati, soli Deo et sibi duntaxat vacent. Nesciunt enim id genus spiritalium rerum ignari et rudes, quantum possint apud Deum efficere preces sanctorum hominum, etiam in abditissimis solitudinibus commorantium, idque ob vitæ puritatem et innocentiam, quam facilius tueri possunt, qui extra homines vivunt, quam qui hominum turbis admiscentur, nisi sancta, ut id faciant, eos cogat obedientia, quando etiam ethnicus quidam dicere potuit, se nunquam fuisse inter homines, quin seipso minor rediret. Sed tamen sanctissimi Patres nostri, qui Carthusianæ vitæ prima jecere fundamenta, nihil tale sibi tribuentes, etiam libris scribendis operam dare voluerunt, et, ut sui successores id facerent, hortati sunt, ut saltem manibus verbum Dei prædicarent, quando ore non possent. Sic enim loquuntur statuta Patrum antiquorum (193).

21. Itaque his et aliis piis exercitiis sese occupantes, omnem curam suam, ut Psalmista admonet (194), super Dominum jactabant, nec quidquam de crastino solliciti erant earum rerum, quæ ad diem crastinum pertinerent, cogitatione omni in Dominum rejecta, non ignorantes illud propheticum : Ego autem mendicus sum et pauper, sed Dominus sollicitus est mei, cujus est terra et plenitudo ejus, qui dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum (195). » Tanta vero in illis charitas inerat, ut alii alios mutuis officiis intervertere conarentur, tantaque Sumilitas, ut certatim eorum, quæ recte fecissent, laudem et gloriam in alios transferre singuli cuperent. Sed ita fiebat, ut, dum quisque vult sub alterius umbra delitescere, repercussus virtutum splendor omnes præclarius illustraret. Erat in cunctis spectata morum gravitas et maturitas, et nihilominus inter tot virtutum ornamenta horror et contemptus vanitatis omnis, quæ, haud secus ac tinea pannos, virtutes et merita omnia exedit. Licebat in eis angelicam admirari vitam. Vivebant in multa patientia, in vigiliis, in

(187) Adi Commentarii prævii num. 503 et binos seqq.

(188) Videsis, quæ in secundum Vitæ præcedentis caput ad not. 94 Annotata sunt.

(189) Carthusiæ eremum vere anno hic assignato, menseque Junio, cujus dies quarta supra vigesimam S. Joanni Baptistæ sacra est, ingressum esse S. Brunonem, Commentarii prævii num. 470 et tribus seqq. invicte probatum dedi.

(190) Ibi modo (adi Commentarii prævii num. 447, 448 et 477) exstat sacellum, S. Brunoni sacrum, cujus cum nec Surius hic, nec Blomenvenna et Puteanus in conscriptis a se Sancti Vitis uspiam meminerint, fuisse illud primum post Surii, aut certe post Blomenvennæ et Puteani ætatem constructum, conjicio.

(191) Haud diu post S. Brunonis obitum Carthusiani jam non bini, sed singuli singulas cellas inhabitabant. Adi Commentarii prævii num. 475 et 486.

(192) Vivendi modum, quem Sanctus ejusque socii in Carthusia tenuere, Commentarii prævii num. 485 et binis seqq. exposui.

(193) Consuetudines nempe, a Guigone conscriptæ cap. 28, uti Commentarii prævii num. 487 et binis seqq. exposui..

(193) Consuetudines nempe, a Guigone conscriptæ cap. 28, uti Commentarii prævii num. 487 docui.

(194) Psalmo LIV, 23.

(195) Psalmo XXXIX, 18.

www.libtool.com.cn

jejunis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spirito Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.

22. Initio quidem, cum in eam solitudinem pervenissent, casas verius quam cellas, sibi extruxerunt. Inter eos autem degens vir sanctissimus Bruno, et fundamenta Carthusianæ religionis jaciens, verbis et exemplis præclare eos instituebat. Utenim inter astra sol, sic ille inter alios vitæ sanctitate excellere videbatur. In ejus pectore æterna Patris æterni sapientia Christus Dominus tanquam in sublimi arca residebat, et Spiritus sanctus sibi gratissimum condiderat domicilium; sublimis enim et ardui instituti futuris et architectus singulari debuit cœlestis gratiæ prærogativa eminere. Apparet autem sane, etiam ante Carthusiæ habitationem virum eum fuisse raræ cujusdam probitatis, integritatis, et gravitatis (196), quod partim testantur ea, quæ supra dicta sunt, et confirmabunt etiam alia, quæ dicturi sumus. Inde ergo colligi facile potest, qualem ille se tum præbuerit, cum jam, toto mundo contempto, vitam voluit ducere eremiticam, id est, rebus hujus mundi emortuam, et solis cœlestibus inhiantem.

23. Qui enim, inter homines degens et mundi hujus prosperis successibus florens, virtutis studiosus fuit, multo sane præclarius et sublimius in horrida illa solitudine ita se comparavit, ut non solum virtutis studiosus, sed etiam virtutum omnium eximio splendore ornatus videri jure posset. Nec dubium quin in ab ejus excellenti sanctitate in omnia Carthusiani instituti monasteria illustria virtutum dimanarint exempla, quibus effectum sit, ut Carthusianus ordo hodieque præ cæteris, quod tamen pace omnium dictum volumus, priscum illum rigorem suum retinere videatur, non quod nihil de eo remiserit, sed quod non ab eo sic deflexerit, ut magnam aliquam ruinam fecisse censendus sit. Remissæ sunt nonnihil paucis tolerabiles abstilentiæ illæ, sed tamen manet perpetuus piscium esus, multa jejunia, prolixæ vigiliæ, diuturnæ preces, multaque alia carni sane molesta. Porro beatissimus Hugo episcopus, cujus sanctitatis fama celebris jam in omnes se regiones effuderat, tametsi eos omnes, qui cum sancto Brunone in Carthusiæ eremo degebant, multo amore et veneratione prosequebatur, at ipsum tamen Brunonem, quod in eo majora cerneret divinæ gratiæ ornamenta, in tanto honore et reverentia habuit, ut ejus consiliis non aliter, quam præceptis abbatis, obtemperaret.

24. Et licet, ut ait in ejus Vita Guigo, etiam prius divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad disciplinæ cœlestis exercitia eorum exemplis et familiaritate inferbuit, quam si flammanti quis faci plures circumponat alias ardentes. Eratque cum eis non ut dominus aut episcopus, sed ut socius et frater humillimus et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus, adeo ut vir venerabilis Guilhelmus, prior tunc sancti Laurentii (197), postea S. Theofredi abbas, magistro Brunoni etiam ipse religiosa devotione non mediocriter alligatus, beati Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas) apud magistrum Brunonem non leviter conqueretur, quod pene omnia, ad humilitatem spectantia, intra cellam sibi præriperet officia, et episcopus non secum saltem ut socius, sed potius conversaretur ut famulus non licere sibi, tristis asserens, ex servilibus operibus quidquam attingere, quæ juxta morem debebant per vices efficere, eo sibi cuncta præripiente. In tantum autem eremum devotus incolebat et sedulus, ut eum magister Bruno nonnunquam exire compelleret, ite dicens, ite ad oves vestras, eisque, quod debetis exsolvite.

25. Volebat etiam eo tempore, magnæ paupertatis et humilitatis ardore succensus, equitaturas suas cunctas vendere, et diviso pauperibus precio, propriis pedibus in prædicatione discurrere. Sed homo profundi cordis magister Bruno non consensit, timens ne apud se forsan extolleretur, aut a cæteris de singularite judicaretur episcopus, aut (quod dubium non erat) id ipsum propter asperitatem et inæqualitatem consummare non posset itinerum. Ita quidem in beati Hugonis Vita, quam lector offendet, primo Aprilis die (198), scribit is, quem diximus, Guigo, gravis in primis auctor et fide dignissimus. Potest autem ex his perspicue animadverti, quantæ auctoritatis et existimationis fuerit beatus Bruno apud tam insignem episcopum, ut qui ei haud secus, atque suo abbati, raro eximiæ humilitatis exemplo obedierit, ob ejus procul dubio excellentem sanctitatem et sapientiam. Sunt, qui scribant, eumdem episcopum a beato Brunone Carthusiani instituti habitum monasticum accepisse (199).

26. Eo quoque instante et efficiente, circumvicini omnes, tam ecclesiastici, quam nobiles et plebeii, prona voluntate dedere beato Brunoni et fratribus ejus, perspecta eorum tam sancta, honesta et religiosa conversatione, quidquid juris obtinerent in Carthusiæ montibus, et intra limites ejus deserti (200). Etsi autem beatus Bruno, olim in mundo celebris, jam omni mundi hujus calcata gloria, in

(196) Quam id apprime veritati consonet, liquet potissimum ex iis, quæ Commentarii prævii § 4 et quatuor seqq. dicta sunt.

(197) Adi quæ ad not. 15 in Vitam antiquiorem supra annota sunt.

(198) Et apud nos tom. I Aprilis, cui eadem sancti illius Gratianopolitani episcopi Vita exstat inserta, pag. 40, num. 11 et seqq.

(199) A veritate, qui hoc scribunt, aberrant. Adi Commentarii prævii num. 501 et seq.

(200) Chartam publicam, qua id anno 1086 fecerunt, integram intuli in Commentarium prævium num. 303 et binis seqq.

www.libtool.com.cn

eremo latitare, solique Deo ardenti amore ac desiderio inhærere, gustare, quam suavis sit Dominus, atque extra eum prorsus nihil appetere summopere studeret, non potuit tamen usquequaque voto potiri suo. Nam cum non totos sex annos in illa exigua quidem, sed sancta sodalitate exegisset, pontifex Urbanus secundus, qui olim beati viri discipulus fuerat, cum ad illud sublime præcipui honoris fastigium evectus esset, cuperetque tantum munus accurate implere, non immemor egregiæ virtutis et illustris doctrinæ ejus sui præceptoris, accivit eum per litteras ad sanctæ Ecclesiæ præstanda officia, graviter præcipiens, ne venire ad Urbem cunctaretur (201).

27. Illo pontificis mandato perlecto, ingens dolor invasit fratres et filios ejus omnes; nec admittebant consolationem, protestantes, nullo pacto in ea vasta solitudine posse perdurare, si tanti Patris præsentia orbarentur; se quidem mansuros, si maneret ipse; sin abiret, se pariter abituros. Eorum lacrymis vir piissimus valde consternatus, et multa commiseratione permotus, cum ipsi quoque acerbissimum videretur post tantum amicæ solitudinis quietem, tantam animi tranquillitatem et conscientiæ serenitatem ad mundi hujus curas et strepitus revocari, eos blande consolari nitebatur. Sciebat enim scriptum esse : « qui vos audit, me audit (202) : » itemque : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit (203), » atque ea causa pontificis mandatum non aliter accepit, quam cœlesti oraculo ad se delatam vocem esset accepturus, aitque ad fratres : « Manere vobiscum, mihi, in Domino dilectissimi fratres, gratissimum ; separari a vobis, gravissimum : sed mandatis apostolocis obedire, ut ipsi quoque nostis, necessarium est.

28. « Scitis in ejus locum successisse pontificem, cui dictum est a Christo. « Pasce oves meas (204). » Non potest ergo numerari in ovibus Christi, qui non vult illi parere, cui Christus commisit pascendas oves suas. Ecquid vero mihi prodesse queat, hic vobiscum corpus afficere inedia et jejuniis, durisque suscepti instituti laboribus et exercitiis atterere, si interim per inobedientiam perdam animam meam? Nolite igitur, fratres mei, importunis hisce lacrymis affligere cor meum, et dolores meos doloribus vestris cumulare : sed in qua vocatione vocati estis, in ea permaneatis, atque in hoc loco perseveretis. Confido autem in Domino, qui per nos humiles sibi habitaculum in hoc deserto construere visus est beato Hugoni episcopo; quod propositum gratiæ suæ hoc nostro divortio non patietur in irritum redigi : sed potius præstabit pro benignitate sua, ut ego in hac tentatione, mihi sane permolesta, obediens et fidelis inventus, ejus auctus benedictione, ad vos lætus revertar. Nec dubitare debetis, etiamsi corpore ad tempus a vobis abero, quin semper vobiscum spiritu sim futurus. »

29. Hæc illo dicente, omnes cum lacrymis elevant vocem, aiuntque ad eum : « Tu es Pater venerande, post Deum spes nostra, tu refugium nostrum tu consolatio et consilium nostrum. Te ergo recedente, quid nos facturi sumus? Aut, te absente, ad quem recurremus? Erimus profecto sicut oves non habentes pastorem. Quamobrem si ad pontificem te trahit obedientia, tecum nos una trahat supereminens charitas, quæ est in Christo Jesu, quem separare et convellere non poterit neque mors, neque vita, neque ulla creatura. » Audiens hæc beatus Bruno, cernensque eos nullam admittere consolationem, nec persuadere se illis posse, ut in Carthusia manerent, ne locus ille jam Deo dicatus, ad manus laicas et profanas rursus devolveretur, quod prudenter ille timebat, commendavit et dedit eum venerabili viro Siguino abbati Casæ-Dei, qui fuit unus ex primis donatoribus (205), sed ita tamen id fecit, ut omnino constitueret reverti cum suis ad Carthusiam (206). Peractis autem omnibus perceptaque bertissimi Hugonis episcopi benedictione, urgente pontificis mandato, Romam profectus est.

30. Potest autem ex his quoque non obscure perspici, quam eximia fuerit virtute præditus a quo sic pendebant religiosi fratres illi, ut vitam ipsam prorsus insuaven et molestam sibi putarent, si ejus præsentia frustrari ipsos oporteret. Ubi autem beatus Bruno Romam venit, pontifex, ejus adventu mire exhilaratus, humanissime eum excepit, quippe quem unice amaret et veneraretur, atque in primis et intimis consiliariis et fidelibus amicis semper eum habuit, ejus consiliis in arduis Ecclesiæ negociis nunquam non utens. Convenerunt autem ad eum, agente

(201) De evocato e Carthusia S. Brunone per Urbanum II papam, qui, quemadmodum Commentarii prævii num. 96 docui, ejus aliquando Remis discipulus fuerat, videsis Commentarii prævii § 30. intelligesque ex iis, quæ ibidem disserui, Sanctum nostrum vere, uti hic Surius ait, non integros sex, sed annos duntaxat quinque, et sex aut septem menses in Carthusia commoratum fuisse, quando ex ab Urbano, qui anno 1088 ad supremam Ecclesiæ cathedram fuerat evectus, arcessitus fuit.

(202) Lucæ x, 16.

(203) Ad Rom. XIII, 1.

(204) Joannis XXI, 17.

(205) Celeberrimæ hujus in Arvernia abbatiæ regimini, quemadmodum Mabillonius in Annalibus Benedict. lib. LXV, num. 35 docet, admotus fuit hic nominatus abbas anno 1078, annoque 1094, ut laudati operis lib. LXVIII, num. 103 idem auctor tradit, munere illo sese abdicavit; fuisse autem eum ex iis, qui Carthusiæ eremum Sancto dedere, fidem facit Commentarii prævii num. 503 et binis seqq. recitata, qua hæc Sancto ejusque discipulis anno 1086 data fuit, charta publica.

(206) Parum hoc verosimile apparet. Adi Comment. præv. num. 513.

www.libtool.com.cn

id Spiritu Dei, fratres omnes, quos in Carthusia apud se habuerat (207), et multo dolore affici cœpere, ipso vel maxime dolente, quod Carthusiæ solitudinem, quam Dominus sibi elegerat, reliquissent. In mentem enim eis veniebant, non carnes, aut cucumeres et poponeas, ut illis murmuratoribus Israelitis in deserto, sed sanctæ meditationes, ferventes orationes, studiosæ lectiones, et spirituales consolationes, quibus in Carthusiano deserto perfruiti erant, nec poterant erumpentes cohibere lacrymas, cum cernerent ex tam alta quiete et tranquillo silentio in molestissimos strepitus et varios rerum tumultus se conjectos esse.

31. Sed cum beatus Bruno a pontifice recedendi copiam necdum impetrare posset, persuasit fratribus, ut ad Carthusiam redirent, obtinuitque a pontifice litteras ad abbatem Siguinum (208), ut Carthusiæ eremum ipsis restitueret. Præfecit quoque eis suo loco priorem Landuinum, quo duce omnes ad Carthusiam reversi sunt (209). Animadvertit ex his quoque lector, quis vir fuerit beatus Bruno, quem tanti fecerit ipse totius pastor Ecclesiæ, quemque tantum apud se familiaritatis et auctoritatis locum habere voluerit. Nos nolumus exaggerare singula, ne prolixi simus. Postquam autem fratres cum Landuino in Carthusiam venere, et pontificis litteras Siguino abbati exhibuerunt, fratribus ejus cœnobii assentientibus, præsente S. Hugone Gratianopolitano episcopo, et Hugone Lugdunensi archiepiscopo, libere eis desertum Carthusianum remisit, et tum illis. tum successoribus eorum perpetuo tradidit possidendum (210). Et hæ quidem primæ fuere Romani pontificis litteræ de Carthusiano instituto, quæ magno sunt documento, ab ipsis Carthusianæ religionis initiis, eam a sede apostolica approbatam esse (211).

32, ab eo autem die Carthusiana solitudo semper in Carthusianorum ditione permansit, simulque Carthusiana religio usque in præsens illic perducat. Ubi vero sanctus Bruno, in pontificis curia degens, fratres illos incolumes ad Carthusiam revertisse, locumque illum obtinere, et tranquilla pace ac quiete frui cognovit, crebro ad eos scripsit, hortans illos, ut in via Domini constanter perseverarent. Verum non defuit in hoc spiritali paradiso tortuosus ille coluber et serpens antiquus. Præsentiens enim jam tunc, quanta ad ipsum reditura essent damna ac detrimenta ex illo præclaro sublimis et angelicæ vitæ instituto, cujus fundamenta tum substruebantur immodicam illis fratribus pusillanimitatem et perplexitatem injecit, adhibitis ad eam rem, tanquam aptissimis instrumentis, quorumdam malignorum hominum linguis fraudulentis et fallaciosis, qui, novitatis eos insimulantes, aiebant, illos in mortis discrimen sese conjicere. Et effectum sane est ab illis, ut optimi patres prorsus dubitarent, quidnam agendum ipsis esset, tum propter susceptæ vitæ austeritatem, tum propter deserti illius horrorem et vastitatem, in qua, illorum nequam hominum moti sermonibus, in vitæ periculum se venturos etiam ipsi jam formidabant. Contra autem non parum verebantur, si inde recederent, se Deum et stellas duces, quas episcopus Hugo viderat, offensuros.

33. His perplexitatibus aliquandiu bene multum exagitatis illis, ecce, benignissimus Deus, qui nunquam deserit sperantes in se, mittit ad eos, his de rebus inter se colloquentes, virum venerabilem, cano capite, crispo capillo, qui ait ad eos: « Perplexi estis, fratres, utrum hoc in loco permanere, vel ex eo excedere debeatis. Sed ego dico vobis verbis omnipotentis Dei Genitricem, Virginem perpetuam, vos in hoc deserto loco conservaturam, si in ejus honorem quotidie legere velitis preces ejus horarias. » His dictis, repente ab eorum oculis ablatus est. At illi, incredibili affecti gaudio, illam sacrosanctam Virginem, cui scirent ejus Filium, regem immortalem omnium sæculorum, nihil negare posse, patronam totius Carthusiani instituti sibi delegerunt, et beatissimum Domini præcursorem Joannem patronum. Hominem autem illum, qui eis apparuit, sanctum apostolum Petrum fuisse, inde vel maxime conjiciebant, quod ejus successor Urbanus secundus in concilio Claromontensi beatissimæ matris Dei preces horarias a toto clero dicendas instituit. Ex hac autem visione adeo sunt confortati in Domino, ut neque mors, neque vita illos separare posset a charitate Christi (212).

54. Cum autem beatus Bruno summo pontifici ad annos paucos strenuam navasset operam, nec parum Ecclesiæ Dei profuisset consilio, prudentia et sapientia sua, molestissime interim ferens curiæ strepitus et tumultus, quibus posthabitis, optabat semper redire ad tranquillum vitæ solitariæ portum, tandem ultra ferre non sustinens tanti desiderii flammam, antequam pontifex e Placentia abiret in Gallias multa precum instantia vix tandem obtinuit ad

(207) Videsis Comment. præv. nnm. 527.

(208) Commentarii prævii num. 528 integras hasce studioso lectori exhibui.

(209) Landuinum a Brunone Carthusiæ fratribus tunc primum, cum hi Romam ad Sanctum jam venissent, Carthusiamque repetere consensissent, præfectum fuisse, innuere hic videtur Surius; verum id jam inde ab eo tempore, quo Sanctus, pontificio obtemperans mandato, relicta Carthusia, Romam petiit, factum esss, fidem facit publicum, quo Sancti discipulis Carthusiæ eremum Siguinus restituit, instrumentum, Commentarii prævii num. 529 recitatum.

(210) Videsis quæ de hac Carthusiæ restitutione Commentarii prævii num. 529 et seq. in medium fuere adducta.

(211) Vivendi modum, quem S. Bruno ejusque socii in Carthusia tenuere, Urbano II, summo pontifici, placuisse, argumento sane sunt litteræ hic memoratæ; verum in hisce (adi Commentarii prævii num. 528) cellæ dumtaxat seu monasterii S. Brunonis, non instituti Carthusiani, mentio fit.

(212) Videsis quæ de visione hac adjunctisque, eam comitatis, dicta sunt Commentarii prævii num. 605 et quinque seqq.

suam eremum recedendi, aut certe aliam, si sic visum esset, expetendi, copiam et facultatem. Per id tempus, annuente eodem pontifice, electus fuit vir sanctissimus Rheginensis Ecclesiæ, quæ est prima totius Calabriæ metropolis, archiepiscopus, multusque in eo erat Urbanus pontifex, ut eum in ea dignitate confirmaret; sed non ignorans ille, quot periculis, quot curis et molestiis ejusmodi ecclesiasticæ functiones obnoxiæ sint, noluit electioni præbere assensum (213). Neque id pertinaciter tamen, sed modeste et humiliter, solo quietis amore, servata erga pontificem obedientia et submissione, et erga proximos charitate.

35. Tandem cum bona venia et benedictione pontificis a curia discedens, Calabriæ deserta loca expetiit, adjunctis sibi aliquot ejusdem propositi viris, quos jam vitæ ejus odor bonus et ferventes exhortationes ad mundi contemptum adduxerant (214). Didicerat enim in Calabriæ regione multas esse solitudines, agendæ pœnitentiæ et vitæ solitariæ consectandæ aptissimas, Maluisset ille quidem quod etiam crebro apud se constituerat, redire in Carthusiam ad fratres charissimos, quos eo remiserat; sed quia summus pontifex cum sua curia proficiscebatur in Galliam in cujus finibus Carthusia sita est, verebatur, si ipse quoque eo se conferret, ne aut curiam declinare non posset, aut illam non reliquisse, sed sequi videretur. Potius igitur visum est Calabriam petere, nihil interim mutata voluntate suos in Carthusia revisendi; compositis sedatisque rebus (215). Satis hoc declarant litteræ, quas ex Calabriæ solitudine fratribus in Carthusia degentibus scripsit, in quarum calce sic habet: De me autem fratres, scitote, quoniam unicum mihi post Deum est desiderium veniendi ad vos et vivendi, et quando potero, opere ad implebo, Deo adjuvante (216).

36. In ipsa autem Calabria venit ad quamdam eremum, cui Turris nomen est, in diœcesi Squillacensi (217), ibique non cellas alicujus pretii. quod sumptus non suppeterent, sed casas humiles ex vili quidem materia, sed in Christo pretiosa ædificarunt. Quanta autem vitæ integritate et sanctitate cum suis illic versatus sit, quibus vacaverit pietatis et religionis exercitiis, quis verbis explicare queat? Potest quidem id aliqua ex parte innotescere ex epistola, quam vir sanctus scripsit ad Radulphum Remensis Ecclesiæ tunc præpositum, postea episcopum, ubi inter cætera ait: »In finibus Calabriæ cum tratribus religiosis, et aliquot bene eruditis, qui, in excubiis persistentes divinis, exspectant reditum Domini sui, ut, cum pulsalverit, confestim aperian tei, eremum incolo, ab hominum habitatione satis undique remotam. De cujus amœnitate aerisque temperie et sospitate, vel planitie ampla et grata, inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata et florida pascua, quid dignum dicam? Aut collium undique leniter se erigentium prospectum, opacarumque vallium recessum, cum amabili fluminum, rivorum, fontiumque copia, quis sufficienter explicet? Nec irrigui desunt horti, diversarumque arborum fertilitas. »

37. Verum quid nis diutius immoror? Alia quippe sunt oblectamenta viri prudentis, gratiora et utiliora valde, quia divina. Verumtamen arctiori disciplina studiisque spiritalibus animus infirmior fatigatus, sæpius his relevatur ac respirat. Arcus enim, si assidue sit tensus, remissior est, et minus ad officium aptus. Quid vero solitudo eremique silentium amatoribus suis utilitatis jucunditatisque conferat, norunt hi solum, qui experti sunt. Hic namque viris strenuis tam in se redire licet, quam libet, et habitare secum, virtutumque germina instanter excolere, atque de paradisi feliciter fructibus uti. Hic oculus ille conquiritur, cujus sereno intuitu vulneratur sponsus amore, quo mundo et puro conspiciturDeus. Hic otium celebratur negotiosum, et in quieta pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet, quam ignorat mundus et gaudium in Spiritu sancto. Hæc est illa Rachel formosa, pulchra aspectu, a Jacob plus dilecta, minus filiorum ferax, quam Lia fecundior, sed lippa. Pauciores enim sunt contemplationis, quam actionis filii. Verumtamen Joseph et Benjamin plus sunt cæteris fratribus a patre dilecti. Hæc pars illa optima, quam Maria elegit, quæ non auferetur. Hæc Sunamitis pulcherrima sola in omnibus finibus Israel reperta, quæ David foveret senem et calefaceret. Hæc in illis litteris (218) scribit vir sanctus, e quibus in ejus eximiam prædicationem multa peti possent, sed nos ad alia transimus.

CAPUT III.

In Turritana eremo a comite Rogerio invenitur, præsentissimo periculo hunc liberat, duo ibi ejusdem liberalitate monasteria exstruit, horum altero ad mortem usque sanctissime vivit, post obitum miraculis claret, tandemque, pontifice permittente, a Carthusianis cœlitum honoribus afficitur.

38. Postquam in ea turrensi eremo beatus Bruno

(213) Sanctus sub concilii Placentini, anno 1095 celebrati, tempus nec primum ad Rhegiensem archiepiscopatum fuit electus, nec eremum repetendi facultatem a pontifie obtinuit, contra ac Surius hic docet. Adi Commentarii prævii num. 532, 533, 536 et seq.

(214) Consule, quæ in tertium Vitæ præced. caput ad not. 130 notavi.

(215) Cum pontifex anno 1095, celebrato Placentiæ concilio, in Galliam abierit, Calabriamque Bruno jam inde ab anno 1090 adierit, liquet sane non subsistere rationem, ob quam. cum in Calabriam secessit, Carthusiam non repetiisse hic asseritur.

(216) Litteras, quas hæ voces terminant, quasque ad Carthusiæ fratres per Landuinum, ad hanc e Calabria revertentem, Sanctus misit, Commentarii prævii num. 679 et seqq. integras dedi.

(217) Adi cemment. præv. num. 552.

(218) Quo vera hic prædicari a biographo deprehendas, adi Commentarii prævii § 41, quo litteras illas integras recitavi, eaque, quæ congrua duxi, in easdem notavi.

primum habitare cœpit cum sociis, accidit, Deo id efficiente, ut quodam die Rogerius comes Calabriæ (219), cum non parvo suorum grege et multa canum frequentia in eadem solitudine venationi incumbens, ad eum locum, quem sibi incolendum sumpserant servi Dei, totius rei nescius parveniret. Ubi cum canes sagaciter diversa ferarum vestigia explorarent, ad casas, in quibus beatus Bruno cum fratribus commorabatur, accurrerunt, atque illic, fixis pedibus, magno latratu indicabant domino suo, opimam se reperisse prædam. Comes, id conspicatus, ocius cum suis advolat, offendit Patres illos in speluncis suis flexis genibus, erectisque in cœlum vultibus ac manibus simul orantes et laudantes Deum (220). Tum ille, magna admiratione repletus, ab equo, cui insidebat, desilit, pie et comiter illos salutat, qua causa eo advenerint, et quæ eorum sit conditio, acurate perquirit. Postquam ex iis didicit omnia, impense lætatus est, laudans et glorificans Deum, qui tali ipsum præda dignum judicasset.

39. Persuadebat enim sibi, neque id temere, se terramque suam eorum meritis et precibus apud Deum adjutum et in pace conservatum iri. Atque ea causa, ut possent illic quietius vivere et diutius permanere, dedit eis ecclesiam Sanctæ Mariæ et Beati Stephani de eremo (221). Ubi sane etiam crebro eos invisit, et res vitæ degendæ necessarias eis tribuit, et ea, quæ ad salutem animæ pertinerent, libenter ab eis audivit. Ipsum vero beatum Brunonem, aliorum pastorem et patrem, non solum præ cæteris arctius complectebatur, sed etiam sæpius ad se evocabat, multamque ei præstans reverentiam, semper eum primo loco habuit in domo sua, ejusque consiliis libenter parebat, et precibus, quibus plurimum fidebat, perpetuo sese commendabat (222): nec eum fefellit opinio. Ejus enim beati viri meritis Dominus apræsentissimo periculo et structis ei periculis illum liberavit ; id quod comes ipse in Dei gloriam, et ob divulgandam ubique sancti Brunonis sanctitatem litteris suis testatum reliquit in hæc verba:

40. « Ego Rogerius, divina misericordia comes Calabriæ et Siciliæ nota esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia, quæ mihi peccatori concessit Deus orationibus reverendi mei fratris Brunonis, piissimi patris fratrum, qui habitant in ecclesiis Sanctæ Mariæ de eremo, et Sancti Stephani protomartyris, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum, quod dicitur Stilum, et Arenam. Cum essem in obsidione Capuæ (223) Kalendis Martii, et præfecis-

(219) Pro principis hujus notitia adi Comment. præv. num. 556 et seq.

(220) De fictitia hac, ut apparet, sancti ejusque sociorum per comitem Rogerium, venationi vacantem, inventione videsis Commentarium prævium num. 541 et binis seqq.

(221) Quid de duabus hisce ecclesiis, quas S. Brunoni ejusque sociis, statim atque hosce in specu orantes invenerat, comes Rogerius donarit, sentiendum sit, Commentarii prævii num. 570 aperui.

(222) Vide, quæ in Vitæ præcedentis caput 3 notavi ad not. 137.

sem Sergium natione Græcum, principem super ducentos armigeros nationis suæ, et exercitus excubiarum magistrum; qui Satanica persuasione præventus, prius ipsi principi Capuæ, promittenti auri non modicam quantitatem, ad invadendum me meumque exercitum, noctu aditum pollicicitus est se præbere.

41. Nox proditionis advenit; princeps Capuæ ejusque exercitus juxta promissum est paratus ad arma, dumque me sopori dedissem, interjecto aliquanto noctis spatio, astitit cubili meo quidam senex reverendi vultus, vestibus scissis, non valens lacrymas continere. Cui cum in visu dicerem, quæ causa ploratus et lacrymarum esset, visus est mihi durius lacrymari. Iterato quærenti mihi, quis esset ploratus sic ait: Fleo animas Christianorum, teque cum illis simul. Exsurge quamprimum, sume arma, si liberare te Deus permiserit, tuorumque animas pugnatorum. Hic mihi per totum videbatur, velut si esset per omnia venerabilis pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi, pro visione pavescens. Illico sumpsi arma, clamans militibus, ut armati equos conscenderent, visionem, si vera esset, satagens comprobare.

42. « Ad quem strepitum et clangorem fugientes impius Sergius ejusque sequaces subsecuti sunt principem Capuæ, sperantes se in dictam civitatem confugium habuisse. Ceperunt autem milites, inter vulneratos et sanos, centum sexaginta duos (224), a quibus visionem fore veram comprobavimus. Reversus sum, Deo volente, vicesima nona Julii mensis Squillacium, perhabita [*al.*, præhabita] Capuæ civitate, ubi fui per quindenam continuam infirmatus. Venit vero jam dictus venerabilis Bruno cum quatuor de fratribus suis, qui me suis sanctis devotisque colloquiis consolati sunt. Cui reverendo viro visionem retuli, et humiles gratias egi, qui de me etiam absente suis in orationibus curam habuisset.

43. « Qui se humiliter asseruit non ipsum fore, quem credidi, sed Dei angelum, qui astat principi tempore belli (225). Rogavi quoque ipsum humiliter, ut propterea de rebus meis in terra Squillacensi sumere dignaretur largos reditus, quos donabam. Renuens ille, recipere nolle dicebat, quod ad hoc domum sui patris meamque dimisorat, ut omnino de rebus extraneis liber, deserviret Deo suo. Hic fuerat in tota domo mea, quasi primus et magnus (226). Tandem vix ab eo impetrare potui, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum. Donavi

(223) Obsidio hæc, cujus occasionem Commentarii prævii num. 635 exposui anno 1098 evenit quemadmodum Commentarii prævii § 40 docui.

(224) An Sergius hos inter fuerit, est dubium. Consule quæ in Vitæ præcedentis caput 3 annotata sunt ad not. 140.

(225) De visione hac, comiti Rogerio in somnis oblata, videsis Commentarii prævii num. 644.

(226) Ne ex his comitis Rogerii, verbis putes, S. Brunonem ante suum in Carthusiam secessum aliquandiu fuisse in principis istius aula versatum. Adi Commentarii prævii num. 571 et seq.

www.libtool.com.cn

enim eidem patri Brunoni ejusque successoribus ad habendum in perpetuum absque temporali servitio monasterium S. Jacobi cum castro, et quam plura, res et bona alia, cum amplissimis libertatibus, in dictis litteris (227) specifice declaratis. » Hæc comes ille.

44. Hac autem comitis liberalitate et donatione fretus beatus Bruno condidit ibi primo ecclesiam in honorem Matris Dei apud specum quamdam subterraneam, in qua ipse morabatur. Deinde exstruxit etiam alteram, haud procul ab illa distantem, in honorum sancti protomartyris Stephani (228), cum monasterio illi conjuncto, in quo cæteri fratres habitabant, sub cura et gubernatione tanti Patris Christo militantes (229). Cum quibus vir sanctus usque ad diem vitæ extremum in ea perseveravit vivendi ratione et vitæ asperitate, quam antea in Carthusia cœperat et docuerat, interim etiam sollicite curam eorum gerens, qui in Carthusiæ eremo degebant (230), præfecto eis, ut ante diximus magistro Landuino.

45. Qui quidem vir venerabilis, ne a vestigiis et institutis tanti Patris et præceptoris sui deflecteret, neve aliter suos institueret, quam ab illo cum sociis fratribus didicisset, iter longissimum suscepit ad ipsam usque Calabriæ eremum, singula accuratius ex illo percontaturus. Sed cum a sanctissimo viro rediret, in manus Giberti schismatici incidit, et cum non posset a sententia deduci, pro justitiæ defensione in custodia detentus est; unde paulo post dimissus, non multo interjecto tempore, impollutum Christo spiritum reddidit (231).

46. Incidit vero etiam beatissimus Pater Bruno in gravissimam valetudinem, morboque augmenta capessente, quemadmodum sese habuerit, fratres et filii ejus his verbis in scripto quodam explicant: Ut sciatis, quanta fiducia, quam certa spe liberationis ejus preces fundatis, transitum illius brevi titulo innotescimus, ut in sancti viri consummatione veritatem et perfectionem transactæ vitæ colligatis. Sciens enim quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus suis, ab ipsa infantia singulas ætates suas replicavit, et totius temporis sui cursum scientia et sententia dignum (232) proclamavit.

47. Postea fidem suam de Trinitate, protracto et profundo sermone exposuit et conclusit sic (233): Credo etiam sacramenta, quæ sancta credit et veneratur Ecclesia, et nominatim panem et vinum, quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum sanguinem, quæ et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, et in spe salutis æternæ. Proximo inde Dominico die sancta illa anima carne soluta est pridie Nonas Octobris anno Christi millesimo centesimo primo, corpusque ejus fratres illic honorifice condiderunt.

48. Ad ejus sepulcrum hujusmodi epitaphium appositum est:

Primus in hac Christi fundator ovilis eremo
Promerui fieri, qui, tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies nemoris.
Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe,
Desuper illud erat gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit,
Ossa manent tumulo, spiritus astra petit (234).

Ejus autem sanctissimam vitam mortemque pretiosam consecuta sunt multa miracula, quæ ob ejus præclara merita Christus effecit. Post obitum ejus et sepulturam fratres monasterii ejus chartas miserunt, ut habet consuetudo, in diversas provincias, atque in ipsam quoque Britanniam, quibus et ejus e vita decessum significarunt, et ut preces pro sancta illius anima Domino offerrentur, petierunt (235).

49. Sciebant enim non esse justum, qui non peccet. Et primo quidem fratres et discipuli ejus, deinde etiam alii, qui eum noverant, quibusque cognita erat ejus eximia eruditio et vitæ sanctimonia, testimonium de iis, vel prosa, vel carmine in iis chartis ascripsere. Quæ omnia commemorare si velimus, nimium prolixi erimus; si prætermittere omnia tot gravissimorum hominum testimonia, ingratitudinis et impudentiæ notam non effugiemus, præsertim quando ex iis eximia beati viri sanctitas non obscure potest adimadverti; et expedit sane non ignorari ea, quæ annotaturi sumus, vel ob id potissimum, quod quidam inepti insulsi homines, et sibi et aliis persuadere ausi sunt, hunc beatum virum eum esse doctorem, quem uos in hujus historiæ initio damnatum esse diximus; quod quidem vanissimum est, nescio, cujus somniatoris, commentum, cum satis constet, illum damnatum doctorem beatis-

(227) Integras hasce Commentarii prævii num. 637 et sex. seqq. recitatas invenies,

(228) Nec Sanctus, postquam in Turritanam eremum secessit, continuo in specu, uti hic Surius velle videtur, commoratus est, nec binas ecclesias, hic memoratas, post datum, cujus part proxime hic recitatur, diploma primum condidit. Adi Commentarii prævii num. 624 et binis seqq. itemque num. 748.

(229) Monasterio huic Sanctus Lanvinum præfecit priorem. Consule Comment. prævii num. 626, 645 et 716.

(230) Verissimum sane hoc apparet ex litteris, in Commentario prævio § 41 recitatis, quas ad Carthusiæ fratres per Landuinum, ad hosce e Calabria revertentem, Sanctus misit.

(231) Landuinus, qui, ex Calabria, quo Brunonis visendi causa iverat, Carthusiam repetens in manus Guiberti antipapæ incidit atque in carcerem fuit conjectus, inedia in hoc, quemadmodum ex iis, quæ Commentarii prævii § 41 disserui, fas est colligere, interiit; ut proinde a veritate aberret Surius, qui illum non prius, quam cum e carcere, in quem conjectus fuerat, dimissus paulo post esset, obiisse, hic scribit.

(232) Pro pharsis hujus significatione adi Commentarium prævium num. 726.

(233) Integram fidei professionem, a Sancto, morti vicinum se sentiente, emissam, Commentarii prævii num. 727 studioso lectori exhibui; verbis interim, quæ hic subductur, ibidem haud terminatur.

(234) E versibus hisce aliquot dissonant a versibus, quibus sancti Epitaphium primitus fuit conceptum. Consule Commentarium prævium num. 734.

(235) Consule Comment. præv. num. 24 et seq.

www.libtool.com.cn

simo Brunoni et sociis ejus occasionem præbuisse de vita sanctius instituenda serio cogitandi, et, relictis omnibus hujus mundi rebus, in horridam solitudinem commigrandi (236).

50. Hæc tantorum virorum, tot insignium collegiorum et personarum præclara testimonia (237) abunde, ni fallor, sufficiunt ad ostendendam beatissimi Patris Brunonis excellentem doctrinam, morum honestatem, et vitæ sanctimoniam, etiamsi nulla ejus miracula exstarent. Atqui vero multis etiam miraculis claruisse legitur, sed ea tamen, quod sine dolore commemorare non possum, non ea diligentia, qua par erat, annotata sunt, aut si annotata sunt, alterius instituti monachis, ejus monasterium occupantibus, primo quidem negligentius custodita, deinde vero etiam perdita sunt. Sepultus est vir præstantissimus in monasterio suo S. Stephani post summum altare (238). Ad ejus sepulcrum fons vivus prorumpit, qui Christi virtute et ejus meritis multivaria affert permultis remedia sanitatis. Illuminantur illic cæci, surdi audiunt, manci et mutili redintegrantur, leprosi mundantur, dæmoniaci ocius repurgantur. Sed his omnibus miraculis illud admirabilius est, quod, sicut toties repetunt jam allata testimonia, gloriam et honorem omnem respuere, et in tanta vitæ austeritate, integritate et perfectione perseverare potuit.

51. Non debet autem cuiquam scrupulum movere, si fons ille jam non cernatur ad beati viri sepulcrum. Fontes enim miraculose ebulliientes, non semper perpetui sunt, et interdum propter hominum demerita ejusmodi Dei beneficia subtrahuntur. Fiunt enim miracula divinitus, ut commendentur et declarentur merita sanctorum; quæ ubi satis innotuisse videntur, cessant nonnunquam miracula. Nec valde mirandum est, si fons ille ablatus est, exsulante ab ejus monasterio sanctissima illa vivendi ratione, quam illic vir sanctissimus instituerat (239). Cum enim obdormiisset et Domino, in Carthusianæ vitæ instituto perseveraverit illud monasterium sub quinque prioribus, qui ei successerunt, usque ad tempora venerabilis Guigonis prioris Carthusiæ. Inde in Gallia crescente ordine Carthusiensi, solum illud Calabriæ monasterium a beati Patris Brunonis fervore et sanctitate tepescendo degeneravit. Et petebant quidem ejus habitatores a Carthusia visitatores et reformatores, sed nimia locorum intercapedo non facile id obtinebat.

52. Itaque ad Cisterciense institutum illi se transtulere, quod, tum recens ortum, incomparabilis viri beati Bernardi abbatis Claravallensis insigni sanctitate, multoque labore mirifice propagatum, in magno fervore durabat (240). Ad illud autem tempus in Carthusianæ religionis professione permanserat illud monasterium annos sexaginta (241). Sed Cisterciensi quoque religione successu temporis ibi tepescente, tandem monasterium sancti Brunonis factum est commendatitium (242) usque ad hæc sanctissimi pontificis Leonis decimi tempora. Is pontifex, cum multorum relatione de eximia beati Brunonis sanctitate crebro audiisset, omissa miraculorum inquisitione indignum arbitratus est, eum, quem præpotens Deus, in hac vita tot auxisset donis et charismatibus, et nunc cœlesti afficeret beatitudine, in terris non eximia laude et prædicatione efferri, nec debita piæ devotionis officia persolvi apud thronum divinæ gloriæ quiescenti, cui dedisset Dominus cor ad præceptum et legem vitæ et disciplinæ.

53. Itaque non modo auctoritate apostolica clementer annuit, sed etiam voluit, ut in singulis monasteriis totius ordinis Carthusiensis, et earum ecclesiis sive sacellis festum sanctissimi Brunonis confessoris annis singulis die sexto Octobris, quo decessit e vita, solemniter colatur, et congrua debitaque devotione celebretur; ipsius etiam corpus atque memoria dignam in Domino laudem habeat ac venerationem; conveniens etiam officium in honore ipsius agatur et decantetur, nec non quotidie in divino officio de eo commemoratio fiat (243). Domum præterea sancti Stephani, quam beatus Bruno in Calabria condiderat, et in qua sacrum ejus corpus quiescit, idem pontifex a Cisterciensibus ad Carthusionos revocavit anno salutis millesimo quingentesimo decimo quarto (244), ut deinceps illic Carthusiano more et instituto vivatur. Cum autem hæc res ageretur,

(236) Ita hic Surius: et recte sane, ut impiam de sancto calumniam confutet, mox subjungit nonnullos, quibus sancto a variis ecclesiis parentatum fuit, titulos funebres; ast cum non hos tantum, verum etiam omnes alios, quibus Brunonem, vita functum, Italiæ, Galliæ et Angliæ Ecclesiæ plurimæ ac personæ celebrarunt, daturus infra sim, ab iis, quos Surius recenset, huc transcribendis abstineo.

(237) Titulis funebribus nimirum, quos ex dictis nota præcedenti recitavit, expressa.

(238) De Turritanæ eremi ecclesia, in qua sepulturam nactus sit S. Bruno, videsis Commentarii prævii num. 731 et binis seqq. disputata.

(239) De fonte, qui ad Sancti tumulum, uti hic traditur, prodigio excitatus fuerit, rationeque, ob quam fons ille desiisse seu exaruisse simul asseritur, consule, quæ Commentarii prævii num. 735 et aliquot seqq. dicta sunt.

(240) De S. Bernardo, primo Claravallensi abbate, apud nos tom. IV Augusti ad 20 hujus mensis diem, quo colitur Romanoque Mrl. exstat insertus, actum jam est; is autem Cisterciensi Ordini, qui, anno 1098 primum inceptus, anno 1100 a Paschali II papa approbatus fuerat, anno 1113 nomen dedit, vitamque in eo sanctissime actam anno 1152 felicissime terminavit, uti probant, quæ in præfato tomo de sancto illo abbate dicta sunt.

(241) Turritanum S. Stephani monasterium diutius, quam hic statuatur, Carthusiensi instituto mansit addictum. Adi Commentarii prævii num. 740 et seq.

(242) Pro tempore, quo id factum sit, adi Comment. prævii num. 752.

(243) Videsis, quæ in Vitæ præcedentis caput 3 annotata sunt ad not. 157.

(244) Bulla, qua Leo X papa Turritanum S. Stephani monasterium Carthusianis restituit, anno 1513 data notatur; hi autem possessionem illius adierunt anno 1514. Adi Commentarium prævium § 46, quo Bullam illam integram dedi.

www.indeol.com.ch

prior Carthusiæ Neapolitanæ, cui ejus urgendæ et promovendæ negotium datum erat, exibuit reverendo Patri domino Francisco, Magnæ Carthusiæ priori, partem mandibulæ cum duobus dentibus sancti Brunonis (245), aitque abbates sancti Stephani, ubi, ut dictum est, sacrum corpus beati Brunonis quiescit, tanta cura illius sacras reliquias semper asservasse, veriti [veritos], ne Carthusiani eas repeterent, ut ossibus in diversa occulta luco repositis, iisdemque locis crebro mutatis, nemo præter abbatem et alium virum fide dignum, quidquam de illis comperti habuerit (246).

54. Porro anno Christi millesimo quingentesimo decimo quarta sacra illa ossa translata sunt et ei translationi interfuit dominus Mattæus prior Bononiensis Carthusiæ. Is sacrum illius caput, ne cum ossibus altari imponeretur, manibus tenebat, turbisque amantissimi Patroni sanctis reliquis se privatum iri reformidantibus ita satisfecit: Oportet, inquit, sacrum caput, ab ossibus segregatum, auro, argento et lapidibus pretiosis ornari. His verbis vulgo suspicionem omnem adimens, summi pontificis speciali permissu partem quamdam de capite detraxit, aliisque inde communicavit, præsertim venerabili Patri Gregorio priori Friburgensi, qui per domos provinciæ Rhenanæ, cujus erat visitator, particulas distribuit anno 1515. Et quia sanctus Bruno patriam habuit Coloniam Agrippinam, idem dominus Matthæus ejus capitis parvam portionem donavit domino Petro Leidensi, Carthusiæ Coloniensis priori (247), cui munus illud fuit longe gratissimum, quique domum reversus anno 1516 donum pretiosissimum in ecclesia Carthusiæ Coloniensis die 3 Augusti reverenter deposuit.

55. Ipsum vero beatissimi Brunonis sacrum corpus transtulit Joannes abbas sancti Rufi, anno, ut dictum, 1514, imposuitque ecclesiæ sancti Stephani summæ aræ, ex candido marmore extructæ. Ab hoc monasterio ad passus mille quingentos abest specus valde religiosa, inter montes angusto loco sita, nemoribus cincta, quæ illius vallis extrema claudunt, prorsusque devia et hominibus inaccessa sunt. Supra hanc specum conditum est haud grande sacellum cum altari, ubi titulus habetur sancti Brunonis Coloniensis magistri eremi sanctæ Mariæ de Turri Ordinis Carthusiensii institutoris primi, cujus etiam imago illic picta cernitur. In hac specu ille vir Dei ab eo tempore, quo primum illuc venit, usque ad obitum incredibili spiritus fervore permansit (248). Porro in argumentum et commendationem sanctitatis ejus, usque in hodiernum diem locus ille, in quo post excessus contemplationum defessa membra nudæ humo allidebat, nunquam herbam gignit ad mensuram corporis ejus, cum tamen circumquaque herbescat. Hoc tam illustre miraculum omnes loci ejus accolæ constantissime asseverant (249). Est præterea illic ad lapidis jactum ecclesia beatissimæ Mariæ, a comite Rogerio constructa pro servo Dei magistro Brunone, et magistro Lanvino Nortmanna ejus socio (250).

56. Ad hæc loca populorum catervæ, senes et pueri, viri ac feminæ, nobiles et plebeii, principes et magnates, ob sanctissimi Brunonis venerationem et piam erga illum animi devotionem, atque etiam ob impetranda ejus beneficia, perinde ac si degat in humanis, eum animis contemplantes, certatim confluunt, reverenter accedunt, venerantur et orant. Præcipue vero specum illam, in qua fere solus semper Deo serviebat, tanta reverentia, fide et affectu frequentant, ut complures non nisi nudis pedibus a jam dicto monasterio eo accedere conspiciantur. Alii genibus reptando, sacram illam specum, terram et saxa ex animi pietate lingunt, et lacrymabundi circumeunt, atque de ipsa specu quidpiam abradunt pro magnis reliquiis habituri, sicque alacres ad sua abscedunt. Nec quisquam sane verbis explicare queat, quanta animi devotione et studio virum sanctissimum prosequantur Calabriæ episcopi, abbates, prælati, religiosi, itemque principes, comites, barones, et plebs universa (251). Denique non longe a supradicto monasterio nemus amplissimum est, quod Folo vocant a viro Dei non nisi instaurando monasterio deputatum. Quod si quis temerarius contra hanc ejus voluntatem venire ausus sit, quemadmodum fama apud omnes Calabros longo usu firmata testatur, divinam ultionem non evadit, faciente et hoc et permulta alia, ad declarandam fidelissimi Servi sui sanctitatem præpotente Deo, cui est honor et gloria in sæculorum. Amen.

(245) Quid ex iis, quæ hic Surius post Blomenvennam tradit, sit consequens, videsis Commentarii prævii num. 779 et seqq.

(246) Eo modo, quo hic asseritur, occultatas fuisse ab abbatibus S. Stephani S. Brunonis reliquias, certum non est. Consule Comment. prævii num. 733.

(247) Anno scilicet, quo ipsemet hic prior generali ordinis Carthusiensis capitulo interfuit, 1516. Adi Comment. prævii num. 777 et seq.

(248) Quid de continua, quæ hic asseritur, Sancti in specu commoratione sentiam, Commentarii prævii num. 748 edixi.

(249) Miraculum hoc in medio reliqui, Comment. prævii num. 748.

(250) Ecclesiæ hujus, ut ex Comment. prævii num. 733 intelliges, curam gerunt Carthusiani, qui Turritanum S. Stephani monasterium incolunt, hoeque, quod modo, Brunonis nomine ad Stephani nomen adjecto, « SS. Stephani et Bruno domus » vocatur, non id ipsum est, quod S. Bruno exstruxit, sed aliud, quod ab hoc jam collapso sagittæ circiter jactu est dissitum, uti intelligo ex notitiis, quas ex Annalium Carthusiensium libri 4 hactenus non vulgati Vallis-Dei exemplari descripsit, mecumque communicavit Carthusianus Parisiensis, sæpissime in Comment. prævio laudatus.

(251) Summa hodieque apud Calabros in veneratione esse S. Brunonem, docet in contexta a se ejus Vita cap. 34 Zanottius.

www.libtool.com.cn

EPISTOLA ENCYCLICA[252]

a S. Brunonis obitum quaquaversum nuntiarunt ejus in Turritana eromo discipuli, solitaque pro illius anima suffragia postularunt

Primo loco, quem primatum et caput in Ecclesia A credimus et confitemur, apostolicæ sedis præsulem totamque illam principalem curiam humiles eremitæ Calabriæ monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus fundator pater Bruno fuit et prælatus, dum in carne viveret, debita subjectione veneramur et salutamus, sanctique Patris nostri obitum pridie Nonas Octobris denuntiamus, ut meritis eorum et precibus adjuvetur apud Deum. Salutamus quoque universam sanctam Ecclesiam in ordinibus et professionibus suis, canonicos, monachos, eremitas, Deo dicatas sanctas virgines, quibus et omnibus spirituali præsentia prosternimur, ut defuncti Patris nostri memores esse velint; ut dilectæ illi animæ si adhæsit macula (cum non sit justus qui non peccet) multiplicatis intercessoribus et precum B instantia detergatur, et transeat ad requiem. Precamur quoque ut quorumcunque locorum congregationes, aut personæ religiosæ, ejus agant memoriam, se nominatim non pigeat in hac charta subscribere; separatim vero, si qui volunt ejus memoriam scriptam et anniversariam observare, scribantur, ut congruam vicem singulis rependamus, prout pauci sufficimus. Ut autem sciatis quanta fiducia, quam certa spe liberationis ejus preces fundatis, transitum illius [*supple* ad] utilitatem brevi titulo innotescimus, ut in sancti viri consummatione veritatem et perfectionem transactæ vitæ colligatis. Sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus suis, ab ipsa infantia singulas ætates suas replicavit, et totius temporis sui scientia et sententia dignum proclamavit. Postea fidem suam de Trinitate protracto et profundo sermone exposuit et conclusit sic : « Credo etiam sacramenta quæ sancta credit et veneratur Ecclesia, et nominatim panem et vinum quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram carnem et verum sanguinem quæ et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum et in spe salutis æternæ. » Proxima die Dominica sancta illa anima carne soluta est pridie Nonas Octobris anno Domini millesimo centesimo primo. Orate pro eo et pro nobis peccatoribus. Fratrem nostrum, harum litterarum latorem, obedientiæ gratia peregrinantem, vestræ charitati commendamus. Valete.

(252) Epistolæ huic quaquaversum ex more tunc usitato (adi Commentarii prævii num. 24 et seq.) pro annuntiando Brunonis obitu missæ, titulisque Funebribus seu datis ad hanc responsoriis, quæ ad Vitæ S. Brunonis, per Puteanum scriptæ annoque circiter 1515 typis Basileensibus excusæ, calcem ad- C jiciuntur, præfixæ, septem præmittuntur versiculi, qui ibidem pro altero Sancti epitaphio obtruduntur; alii autem titulum funebrem, quo ab ipsis religiosis Turritanæ eremi incolis Sancto parentatum fuerit, esse illos contendunt. Verum mihi nec unum, nec alterum placet; non primum, quod epitaphii speciem præferre haud videantur; non secundum, quod versiculis illis ad jam datam epistolam, quod tamen, ut titulum funebrem constituerent, ex dictis in Commentario prævio num. 24 esset necessum, responsum haud fuerit. Ut ut sit, ethopœiam, qua S. Brunonis mores lectori ob oculos ponuntur, haud inepte dixeris, nec mihi vero prorsus apparet absimile, a sancti discipulis, quo, qualis hic fuisset, utcumque docerent, epistolæ encyclicæ jam datæ fuisse adjunctos. Ut illos adeo, antequam ad titulos funebres progrediar, huc etiam modo transcribam, locus exigit. Sic habent :

Laudatus Bruno fuit in multis et in uno.
Vir fuit æqualis vitæ, vir in hoc specialis.
Semper erat festo vultu, sermone modesto.
Cum terrore patris monstravit viscera matris.
Nullus eum magnum, sed mitem sensit ut [agnum.
Prorsus in hac vita verus fuit Israelita.
Hunc Deus a pœnis rape, sedibus infer amœnis.

Porro Adnotationibus nonnulla, quæ in funebribus Sancti Titulis, jam mox hic subdendis, occurrunt, illustraturum me, in Comment. prævio num. 24 significavi; ne autem supposititios hosce esse quis putet, locorum etiam sacrorum, quorum nomine signantur, ætatem, cum potero idque conducere existimaro, indicabo, aut certe, an et quid de iis comperire potissimum potuerim, post singulas, quibus dictos titulos discreturus sum, sectiones notabo, licet interim vitia, quibus hi contra prosodiæ rectæque constructionis leges laborant, plerumque inobservata, quod nimis frequentia sint, præterire sit fixum.

www.libtool.com.cn

TITULI FUNEBRES

Seu diversæ ad epistolam præcedentem responsoriæ (253)

SECTIO I.

Titulus fratrum montis Amati (254).

1. Notum autem facimus sanctitati vestræ, nos fratres de vivo, humiles habitatores montis Amati, una cum domino nostro priore Hyeronimo in communi statuisse, pro reverendissimo charissimoque Brunone, vestræ Congregationis patre, septem diebus pro ejus venerabili transitu Vigilias (255) et Missas celebrare, in matricula (256) conscribere, anniversarium diem agere. Oramus et obnixe petimus ut nostri in omnibus bonis vestris memores sitis. Valete.

Fratrum Fiscielensis cœnobii (257).

2. Nos Fisciclenses fratres pro reverendissimo ac religiosissimo domino Brunone, eminentissimo eremita, supplicationum preces intentissime, libenti valde animo, Creatori Deo cum oblationis sacræ libamine persolvemus, et ejus venerabile nomen inter amantissima fratrum nostrorum nomina conscribemus, ejusque anniversarium diem, prout charitas vestra petit, devotius celebrabimus (258).

Rangerii Brunonis discipuli.

3. Ego Rangerius, viri venerabilis Brunonis quondam discipulus (259), precum supplicationes offerre desidero Deo omnipotenti, ut, qui illum tanta honestavit gratia, tanta pietate decoravit, secundum suæ fidei meritum conferat et coronam. Specialiter autem et pro debito speciali et amoris privilegio que Brunonis diem sese celebratura, eadem duo monasteria in suis ad hanc responsoriis seu Titulis funebribus promittant, puto hosce eo ordine, quo hic ponuntur, eidem chartæ separatæ fuisse inscriptos; quod etiam existimo quantum ad nonnullos alios, inter titulum proxime sequentem et Titulum quintum decimum interjectos, quibus expresse anniversariæ Sancti lucis celebratio promittitur; qui enim dictam epistolam encyclicam circumtulit, ex Etruria, duo præfata monasteria, Fisciclense nimirum et Montis Amati, complectente, Lugdunum petiit; quare cum loca sacra, quorum Tituli isti sunt, haud multum a via quæ ex Etruria Lugdunum ducit abducant, tunc ea omnia, idque eo ordine quo iidem hic subduntur, verosimillime adiit.

(253) De modo quo, rationeque ob quam Titulos funebres seu datas ad epistolam encyclicam, qua S. Brunonis obitum quaquaversum nuntiarunt ejus discipuli, responsorias etiam hic edere visum sit, Consule commentarium prævium num. 24 et seq., ubi etiam invenies unde quid de hisce generatim sentiendum sit statuas.

(254) Lubinus in Brevi abbatiarum Italiæ Notitia pag. 226 recenset ordinis S. Benedicti abbatiam, Titulo S. Salvatoris Montis Amiati insignitam atque in territorio et diœcesi Clusina Veteris Etruriæ sitam, quam anno circiter 743, uti in Episcopis Clusinis tom. III Italiæ sacræ Ughellus et post hunc Mabillonius tom. II Annalium Benedictinorum lib. XXII, num. 24 docet, Rachis seu Ratchisus, Longobardorum rex, fundavit; fuisse autem ex hac abbatia fratres, quorum nomine funebris hic Sancti Titulus signatur, mihi vix non indubitatum apparet, licet interim monasterium, cujus illi fuerunt, non *Mons Amiatus*, sed unius litterulæ suppressione *Mons Amiatus* hic appelletur.

(255) Id est officium, pro defunctis cani solitum, prout id hodieque vocatur.

(256) Vox hæc catalogum hic significat, cui defunctos, pro quibus specialiter orare statuerant, monasteria ecclesiæve solebant inscribere.

(257) Abbatia est Lucanæ seu Lucensis in Italia diœcesis, Titulo S. Salvatoris nobilis sæculoque X fundata. Adi in abbatiarum Italiæ Brevi Notitia pag. 134 Lubinum, qui tamen abbatiam illam seu monasterium, non *Fisciclense*, sed vel *Fisceclense*, vel *Ficiscli*, aut etiam *Ficoclense* appellari, ibidem docet.

(258) In epistola encyclica, obitus S. Brunonis nuntia, jam supra Titulis funebribus præmissa, petunt Calabrini ejus discipuli, ut, qui, hac accepta, universarium defuncti Patris sui diem essent acturi, ii, non rotulo, præfatam epistolam complectenti, sed chartæ separatæ sese seu suas ad eamdem responsorias inscribant: quare, cum facile factum esse queat, ut e duobus monasteriis, Fisciclensi nimirum et Montis Amati, utpote haud procul admodum invicem distantibus, unum proxime post alterum, qui epistolam encyclicam, obitus S. Brunonis nuntiam, circumtulit, adierit, anniversarium-

(259) Sunt qui velint Rangerium, cujus hic Titulus nomine insignitur, eum ipsum esse Rangerium qui, postquam Sanctus noster Rhegiensem, ad quem anno 1090 electus fuerat, archiepiscopatum recusasset, ad cathedram hanc, uti apud Ughellum tom. IX Italiæ sacræ in archiepiscopis Rhegiensibus videre licet, fuit promotus: verum ms. de S. Brunone Tractatus, quem Carthusiani hujates mecum communicavere, auctor anonymus censet Rangerium, qui Titulum hunc scripsit, seque in hoc S. Brunonis discipulum vocat, esse potius illum Rangerium, qui, quemadmodum Ughellus tom. I Italiæ sacræ in Episcopis Lucensibus docet, anno 1098 Lucensem cathedram occupabat, annoque 1112 excessit e vivis. Et vero cum inter duos Titulos, eidem chartæ separatæ (adi dicta ad not. præced.) inscriptos, quorum altero a S. Fisciclensi diœcesis Lucensis monasterio, altero a S. Frigiani cœnobio, in ipsa ex dicendis civitate Lucensi sito, anniversaria sancti commemoratio fuit promissa, Titulus Rangerii nomine notatus, quo factum pariter id fuit, medius hic ponatur, fuerit verosimiliter et hic eidem chartæ separatæ inscriptus; quod cum ita sit, Rangerius, qui eum scripsit, aut in dicta civitate Lucensi aut ab ea haud procul, cum id fecit, verosimiliter exstiterit, satque proinde probabilis laudati auctoris anonymi opinio potest videri, licet interim nullo modo pro certa queat haberi, quod nec ex ipso, de quo hic, Titulo, nec ex inscriptione, quam hic præfert, Rangerium, quem habet auctorem, episcopum exstitisse constet.

www.libtool.com.cn

anniversariam ejus memoriam exhibebo pro opportunitate rerum et temporis.

S Frigiani Lucensis ecclesiæ.

4. Nos, humiles Sancti Frigiani (260) Lucensis ecclesiæ fratres, pro tanto viro et tam glorioso voluntariæ officium commemorationis impendimus (261), credentes nos apud Deum ejus sanctis commendari meritis.

Ecclesiæ Placentinæ.

5. Nos sanctissimæ Mariæ, sanctæque Justinæ Placentinæ matricis ecclesiæ (262) parvi meriti fratres, pro tam venerabilis viri gloriosissima anima debitas ardenti animo exsequias agere voluntarie promittimus, ejusque sanctam memoriam in nostra matricula (263) amantissime inseremus.

Monasterii Sancti Sepulcri (264).

6 Monasterii Sancti Sepulchri congregatio voluntarie adimplebit quod petitis (265).

Ecclesiæ S. Martini de S. Petra.

7. Ecclesiæ nos canonici Sancti Martini, quæ dicitur Petra (266), gratanter hanc chartam accipientes, humilique mente recordationem in nostra matricula conscribentes, religiosi hujus viri, Brunonis scilicet, memoriam in die ejus anniversarii facientes.

Clusini cœnobii (267).

8. Clusinum collegium, satis humile et exiguum, pro Brunone, religionis socio, insignisque fidei magistro eximio, ac suis orationibus in vita sanctissimi viri Patris nostri Benedicti dedito, mœrens se fore destitutum tanti viri solatio, dictim (268) exorabit Dominum, imponendo fratribus Missas, et Psalterium suum complendo videlicet tricennarium (269) Quem, etiam inter nomina fratrum diligenter habebit impositum, ejusque festum devote celebrabit annuum, ut sibi det requiem, Michaele precante, perennem. Orationum vestrarum clypeo muniri optamus quibus ascisci inter sanctorum consortia nos et defunctos nostros minime dubitamus.

Sugusiensis ecclesiæ (270).

9. Auctoritas sanxit divina, nec non apostolica habet sententia invicem fratres portare onera; hujus ergo auctoritatis dogmate fulcita Segusiensis ecclesia nostra humilis et exigua, fundendo preces, Dei exorat clementiam, ut tanti religiosi viri anima, videlicet Brunonis functi, delictorum veniam consequatur, perenni Dei gratia (271).

Præposituræ Ulciensis.

10. Nos humiles fratres sancti Laurentii Ulciensis ecclesiæ, quæ alio nomine Plebs martyrum vocatur (272), pro tanto viro, tamque religioso, pro quo etiam totus orbis terrarum preces incessanter fundere debet, officium cum tricenario (273), et deinceps an-

(260) Intra civitatis Lucensis muros, quemadmodum Lubinus in Abbatiarum Italiæ brevi notitia pag. 192 docet, monasterium, sæculo sexto fundatum, concluditur, quod S Frigidiani seu *Frigiani* appellatur : quin adeo hujus ipsius sit præsens funebris Sancti Titulus, dubitandum non apparet.

(261) Nescio an qui hunc Titulum scripserunt, anniversariam Sancti lucem sese acturos hac loquendi formula non promiserint. Ut ut sit, promissum equidem id fuisse videtur tam hoc, quam duobus adhuc aliis, rem pariter diserte non exprimentibus, funebribus Titulis, sexto nempe et nono, quorum alter monasterii S. Sepulcri, alter ecclesiæ Segusiensis est : cum enim omnes tres pluribus Titulis, qui chartæ separatæ (vide dicta ad notam 258) fuere inscripti, interserantur, fuisse eos eidem chartæ separatæ pariter inscriptos, verosimile apparet; hoc ipso autem, quod chartæ separatæ fuerint inscripti, sese illi, qui eos scripserunt, anniversarium Sancti diem celebraturos, promisisse videntur ex iis quæ in not. 258 dicta sunt.

(262) Id est, ecclesiæ cathedralis. Adi Cangium in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis an vocabula *Ecclesia Matrix*.

(263) Adi notam 256.

(264) Cum ecclesiæ cathedralis Placentinæ Titulo proxime subdatur hic Titulus, monasterium S. Sepulcri, cujus nomen præfert, aliud indubie quemadmodum ex modo dictis ad litt. notas 258 et 271 facile colliges, non est, quam quæ nomine illo insignitur, Placentina ordinis S. Benedicti abbatia, anno 1056 fundata, ut Lubinus in Abbatiarum Italia brevi Notitiæ pag. 300 docet.

(265) Vide notam 261.

(266) Monasterii hujus notitiam nuspiam invenire quivi : id tamen inter Placentiam et Clusinum diœcesis Taurinensis cœnobium, cujus Titulus proxime hic subjungitur, situm fuisse existimo ob ea quæ supra dixi in not. 258.

(267) Lubinus in Abbatiarum Italiæ brevi Notitia duas ordinis Benedictini abbatias, a Clusa nomen habentes, quarum altera S. Victori, altera S. Michaeli sacra est, pag, 104 recenset; quin autem harum posterior sit Clusinum hic memoratum monasterium, dubitandum non est, tum quod ea sola Sancto sit antiquior, tum quod Titulus subjectus hunc includat versiculum :

Ut sibi det requiem, Michaele precante, perennem.

(268) Id est, quotidie.

(269) Id est, Officium triginta missarum, diebus totidem pro defunctis absolvendum. Adi Cangium in Glosssario mediæ et infimæ Latinitatis ad vocabulum *Tricenarium*.

(270) Segusium, incolis *Susa* urbs Italiæ est in Pedemontio ad radices Alpium Cottiarum, quibus in Sabaudiam et Galliam est transitus. Cum urbs illa eo tempore quo Sanctus noster obiit, seu sæculi XII initio, præter S. Justi abbatiæ ecclesiam plures adhuc alias, quarum tamen nulla erat cathedralis, fuerit complexa, an et quænam harum in particulari, et an non omnes potius simul hic designentur, definire non possum. Anne forsan abbatiæ S. Justi ecclesia, quod illius abbas, ut in S. R. E. cardinalium, archiepiscoporum et Penemontanæ regionis chronologica Historia cap. 22 Franciscus Augustinus ab Ecclesia docet, episcopalia jura non pauca Segusii exerceret, *Segusiensis ecclesia* per excellentiam nominatur?

(271) Adi iterum notam 261.

(272) In geographica Delphinatus vicinarumque regionum tabula, historicis, quæ anno 1711 Parisiis prodiere, monumentis præfixa, Segusio haud procul Lugdunum versus occurrit Ulcium pagus haud dubie, qui, in aliis Delphinatus geographicis tabulis eodem situ positus, nomine Gallico *Oulx* distinguitur. Fratres adeo, qui pagi illius ecclesiam, S. Laurentio sacram, administrabant, seu præposituram incolebant, Titulum hunc (adi dicta ad notam 258) verosimillime scripserunt.

(273) Id est, ni fallar, Officium de defunctis, quod *Vigilias* vocant, una cum triginta missis. Vide not. 269.

www.libtool.com.cn

niversarium ejus, divina subministrante gratia, A persolvemus.

Ecclesiæ Gratianopolitanæ.

11. Gratianopolitana ecclesia, quam dominus Bruno Monachus atque eremita sibi eremum facere, habitationemque prius destinavit (274), quanto tunc gavisa est in ejus præsentia, eam nimirum existimans perpetuam habere, tanto nunc magis dolet præ cæteris super tanti tamque incomparabilis viri absentia. Quocirca officium ejus commemorationis assiduum usque tricesimum (275) libenter persolvit. Panem quoque et vinum cum cæteris ferculis, quæ fratres ejusdem Congregationis interim sumpsere, eadem pro ejusdem viri anima pauperibus largita sunt. Diem vero migrationis suæ, quo animam suam, memoratu dignam, Deo reddidit, in B catalogo summorum illustrium virorum ponens, anniversariam et celebrem se habere indesinenter repromisit. Nos itaque humili prece vos precamur ut nostri sitis memores, quatenus orationum precumque vestrarum possimus fieri participes.

Eremi Carthusiæ prope Gratianopolim.

12. Nos quoque Carthusiæ fratres piissimi Patris nostri Brunonis, viri valde clarissimi, solatio miserabiliter præ omnibus destituti, quid pro ejus dilecta anima et sancta faciamus definire nequimus. Vincunt enim merita beneficiorum ejus erga nos, quidquid possumus, et valemus. Itaque sicut pro unico patre ac domino nostro nunc et sine fine orabimus, et qualiscunque missarum, cæterique C spiritualis exercitii consuetudo circa defunctos apud nos tenetur, pro illius anima omni tempore tanquam filii persolvemus (276).

Fratrum Casæ-Dei subtus Curnillionem prope Gratianopolim.

13. Nos fratres et servi servorum Casæ-Dei habitantes in cellula Beatæ Mariæ, quæ alio nomine dicitur Cornelio (277), et est vicina eremo Carthusiæ, pro sanctitate tanti viri, cujus doctrina, et exemplo stirps tanta in Christo fructificavit, septem diebus celebrabimus officium et missas, et dabimus panem et vinum cum cæteris ferculis pauperibus, sicut uni ex fratribus nostris, et memoriam anniversariam ejus in catalogo nostro scribemus.

Fratrum S. Ruffi in costa S. Andreæ.

14. Nos fratres ex canonicis Sancti Ruffi, commorantes in quadam cellula Sancti Andreæ, quæ vulgo Costa vocatur (278), pro piissimi anima Brunonis, per septem dies continuatos Matutinas et missas celebrabimus (279), et sicuti uni ex nobis pro ejus animæ solatio præbendam (280) dabimus et in catalogo fratrum nostrorum nomen ejus scriptum habebimus.

Athanacensis cœnobii Lugduni (281).

15. Athanacensis vero cœtus divino oraculo præmonitus, pro anima religiosi Deoque dilecti Brunonis generale officium (282), simulque preces, et orationes persolvit, et conscriptis cum eo fratribus obsequia commendationis exhibuit.

Majoris ecclesiæ Lugdunensis.

16. Sic mors prudenti parcit, velut insipienti.
Prudens Bruno fuit, cito morte ruit.
Nempe jacet Bruno tumulo depressus in uno,
Qui quantum potuit, justitiæ studuit.
Floruit et vita factus simplex eremita.
Si fuit iste reus, tu sibi parce, Deus,
Cui dantur frustra pro Psalmis carmina pulchra.
Plus prodesset ei ter Missrere mei.

S. Mariæ Blesensis (283).

17. Non est deffendum, nec patris morte dolendum.
Non obiit Bruno, qui partem fixit in uno (284).
Hunc Deus excepit, comitem pia turba recepit.

(274) Carthusiæ eremus scilicet, quam Sanctus, priusquam in Calabriam secesserit, inhabitavit, in diœcesi Gratianopolitana sita est.

(275) Diem nempe. Adi Cangium in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad Vocabulum *Trigesimum*.

(276) Anniversarium sancti Patris sui diem sese D acturos, sat aperte etiam hic promittunt religiosi eremi Carthusiæ incolæ.

(277) Cellula hæc seu prioratus, a celeberrima Ordinis et Benedicti in Alvernia Casæ-Dei abbatia dependens, Gratianopolitanæ urbis parti, Lugdunum respicienti, ad dexteram Isaræ fluvii ripam adjacet, quemadmodum disco e laudata ad lit. *u* Delphinatus Tabula geographica.

(278) In eadem Tabula geographica Gratianopolim inter et Lugdunum locus occurrit, *Costa S. Andreæ* vocatus, qui proinde aut ipsa est, quæ hic memoratur, cellula seu prioratus, a S. Ruffi monasterio, prope Valentiam modo sito dependens, aut hunc certe, si adhuc subsistat, complectitur.

(279) Officium, quod olim *Septenarium* vocabant, quodque per septem dies continuos pro mortuis agebatur, hic promittitur. Adi Cangium in Glossario ad vocabulum *Septenarius*.

(280) Præbenda, ni fallar, hic significat eleemosynam, postione monachica, seu monasterii constantem; ut fratres, quorum hic Titulus est, per septem sese dies tantum cibi ac potus quantum interea ipsorum communitas esset sumptura, pauperibus esse daturos, etiam promisisse videantur. Adi Titulum XI.

(281) Olim extra Lugduni muros erat, modo ipsis inclusum est hoc ordinis Benedictini monasterium, ad confluentes Araris et Rhodani sæculo VI aut etiam citius exstructum. Consule Galliam Christianam auctam tom IV, col. 233.

(282) Id est, Officium solemniori, quo potest, ritu pro defunctis celebratum. Adi in Glossarii Cangiani Supplemento Carpentierum ad vocabula *Officium generale*.

(283) In civitate Blesensi, quemadmodum Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. VIII, col. 1388 docent, conspicitur canonicorum regularium, cui sæculo IX canonici sæculares serviere, abbatia, *beata Maria Blesensis* etiam *Burgus-Medius* appellata Isthæc haud dubiè per S. Mariam Blesensem hic designatur.

(248) Alludi videtur ad illud Lucæ X, 42 : *Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit.*

S. Petri Climiacensis cœnobii (285).

18. Jure dolor poni debet pro morte patroni (286).
Gaudeat et mater, gaudet ut ipse pater.
Fecimus obsequium quod chartula jussit agendum.
Et nobis iidem vos faciatis idem.

S. Romani de ecclesia Lugdunensi archidiaconi (287).

19. Domine tibi Bruno, qui semper rege sub uno
Sacram servasti legem, nec eam violasti,
Finis adest vitæ, tristantur ob hoc eremitiæ.
Sunt tibi post fatum summæ data gaudia vitæ.
Non ergo pro te gemitus edant eremitæ.
Nam mundo vivens loca deserta subiisti.
Nunc cœlos nactus lætaris in agmine Chisti.

S. Vincentii Cabillonensis ecclesiæ (288).

20. Cum bene præteritam testetur littera vitam,
Et cum posse mori nulli dematur honori,
Fletus deponi debent pro morte patroni.
Namque Deus sedem superam sibi tradidit ædem.
Nunc igitur, fratres, psalmos missasque canentes
Reddamus Christo laudes et carmina nostro,
Ut prosit cunctis, quod nos adolebimus isti.

S. Mariæ Belvensis ecclesiæ (289).

21. Ivit ab hac vita Bruno simplex eremita;
Tollitur arce poli, terris super astra relictis,
Et sic cum Christo mundo requiescit ab isto,
Orans pro cuntis viventibus, et modo functis (290).

S. Anthonii Conteiensis (291).

22. Quidquid habet mundus, quidquid vitale vocatur,
Si bene discrevi, sub mobilitate moratur.
Unde sub incerta mutabilitate tenemur.
Res quoque non stabiles et nos et nostra videmur.
Volvitur in fatis, volvuntur fata diurna.
Ipsa quidem titubant, quasi commoveantur in urna.
Dulcedo mundi res labilis et metuenda,
Et sibi suppositi velut ignis flamma cavenda.
Accipiunt omnes tali dulcedine letum.
Dulcedo pereat, quæ confert fel et acetum.
Decipit hæc cunctos sibi grata compede junctos,
Deceptis tandem mercedem donat eamdem,
Merces illa quidem datur omnibus exitus idem.
O miser omnis homo, quamvis, quod decipieris,
A Cernas, ipse tamen modicum curare videris,
Et probo deceptum te lumen cordis habere.
Obscuratur enim, possis ne damna videre.
Nec retinenda tenes, nec vis removenda movere.
Heu! miseræ mentes, metuenda parum metuentes,
Quæ breviter curant quæ longo tempore durant,
His nimis intentæ, quæ sunt mutata repente!
Mors, timidum nomen, miserabile præbuit omen
Venturæ genti primo male nota parenti.
Mors subit, et moritur vivens, nec finis habetur
Certus in hac vita: Bruno probat hoc eremita.
Bruno ruit, cui sylva domus, cibus herba fuere;
Qui, quia mundus erat, mundum contempsit habere.
Sancta parens Christi, quæ sola Deo placuisti,
B Concedas, ut ei data sit sedes requiei.

Ejusdem.

23. Bruno Dei, cultor, vitiorum nobilis ultor,
Ante Dei faciem possideas requiem.
Lector securus quia nunc sospes subiturus.
Huic completa tamen debita dicat: Amen.

S. Petri Carnotensis (292).

24. Concio Silvestris, lacrymarum parce fluentis:
Pastoris vita, fidei cultu redimita,
Votum lætandi nobis dat, non lacrymandi.
Si mundo moritur, paradisi sede potitur.
Perdomuit carnem; dum cœli tendit ad arcem
Se sociat Christo mundo dum migrat ab isto.
Si qua tamen carnis violavit viscera Patris
Culpa, licet parva, tergat miseratio larga
C Ejus quem toto properavit cernere voto.
O miles Christi, qui pugnæ victor abisti,
Quam bene certasti, quia certando superasti!
Spernens terrena, stipendia carpis amœna,
Vivis et exsultas, et ad aulæ limina pulsas.
Christe, tuo fesso, quia te petit, obvius esto
Dans illi requiem, dans sine fine diem.

S. Dionysii prope Parisios.

25. Si prosa, vel versus possent conferre salutem,
Nec prosa, nec versus tollent tibi, Bruno, salutem,
Nam prosa vel versus de te volat ore dicaci,
Quæ tibi sic prosunt: Serpentis ab ore minaci

(285) Cum monasterium, quod *Climiacense* vocetur, nuspiam inveniam, in modum quo scriptum est hoc nomen mendum irrepsisse puto, proque *Climiacensis* legendum *Cluniacensis*; ut hoc anno 910 conditum monasterium hic designetur.

(286) Id est, magistri, domini aut etiam prioris.

(287) Quid hæc Tituli subjecti sibi velit inscriptio, haud satis intelligo.

(288) Cabilonensis seu Cabillonensis cathedralis ecclesia jam inde ab anno 541 S. Vincenti martyris, priori, quod habuerat, S. Stephani relicto, nomen accepit; ut alia haud dubie quam hæc in isthac inscriptione non designetur.

(289) In civitate Belvensi, seu, ut modo communius scribitur, Bellovacensi, præter ecclesiam cathedralem, S. Petro apostolorum principi sacram, sex sunt ecclesiæ collegiatæ, quarum una sanctissimæ Dei genitrici Mariæ dedicata est; ut ad hanc, ni forte hic *Belvensis* pro *Belnensis* perperam scriptum sit, urbisque adeo Belnæ, quæ in Burgundia a civitate Cabilonensi haud admodum procul sita est, ecclesia SS. Dei Genitrici sacra designetur, subjectus Titulus verosimillime spectet.

D (290) In cœlum receptum esse S. Brunonem, oraque ibi pro viventibus, haud obscure in hoc Titulo indicatur. Idem etiam fere fit in quatuor Titulis proxime prægressis, infraque in multis aliis, quod sane eum proxime etiam post suum obitum pro Sancto a non paucis habitum fuisse, argumento est. Consule etiam Comment. prævium num. 749 et Sancti Vitam a Surio scriptam num. 45.

(291) Anne hic forte curata, quæ in generali diœcesis Ambianensis beneficiorum Catalogo anno 1648 Parisiis excuso, pag. 22 recensetur, Conteiensis seu Contiacensis S. Antonii in Picardia ecclesia designatur?

(292) Jam ante sæculum x, uti in Gallia Christiana aucta tom. VIII, col. 1213, videre licet, ad radices montis, cui urbs Carnotensis superimposita est, exstitit ordinis Benedictini monasterium, quod *Sanctus Petrus in Valle* appellatur. Hoc ipsum haud dubie per S. Petrum Carnotensem hic designatur.

www.libreria-ecclesia.it

Si tormentari prohiberent, atque vorari,
Si prosa, vel versus possunt conferre salutem.
Cum strepitu vocis sonet ergo melodia cordis,
Ut prosa, vel versus, quod continet, id meditemur,
Quodque sonat, fieri Dominum de corde precemur.
Bruno digne pater, ut eo salveris ab igne,
Qui non justorum, sed semper erit reproborum.
Et si quid minus est, quod non perfectio donet,
Id tibi donari defectibus et supperaddi
Nostra luis possit devotio, si Deus audit.
Sed Deus audiet, et faciet, quia justa rogamus.
Audiat ergo Deus, et det quæ justa rogamus,
Ut tibi fine carens cœlestis lux tibuatur
Et tecum nostris, et cunctis hic titulatis.

S. Germani Parisiensi ep. (293).

26. Mentibus in nostris deberet semper haberi
Lux, in qua reprobi mala tollent, sen bona justi.
Hanc timuit Bruno, sophiæ qui verus amator,
Exuit hic veterem mortali carne parentem.
Ipsum de terra Christus devexit ad astra.
Serve Dei Bruno, te suscipiat tuus auctor.
Perpetua possis uti requie paradisi,
Hanc habeant omnes nostri cunctique fideles.

S. Maglorii Parisiensis (294).

27. Occiduis Morbis resolutis, cur dolet orbis?
Consumpta pœna, si pace fruuntur amœna,
Non opus est flendi, quia gaudent luce perenni.
Est homo laudandus: tamen est hac vos juvandus,
Parce Redemptor ei terrenæ materiei.

S. Petri Fossatensis (295).

28. Anima ejus in Christi nomine requiescat in [pace. Amen.
Nil prosunt animæ; versus si fecero mille;
Vos orate tamen, pace quiescat, amen.

A *S. Crucis Sanctique Faronis Meldensis* (296).

29. Cognitus iste satis doctrina erat atque beatis
Moribus et vita Bruno sapiens eremita,
Principiis primis, summis, fulgebat et imis.
Post monachus factus, jam cœlica gaudia nactus.
Ecce jacet Bruno tumulo conclusus in uno.
Nam sic tolluntur sapientes, dum moriuntur,
In domni castra; pollentia desuper astra.
Nullus miretur, si Bruno sanctus habetur:
Hoc meruit vita dici semplex eremita.
At si peccavit quod necdum forte piavit,
Hoc sibi condonet Dominus, cœloque coronet.

S. Petri Casiacensis cœnobii (297).

30. Qui pro salute hominum dignatus est fieri
Homo, dignetur concedere veniam vestro patrono.

B SECTIO II.

Titulus ecclesiæ S. Mariæ Carnotensis (298).

31. Ecclesiæ murus Bruno fuit haud ruiturus:
Nam bonus, atque piæ mentis fuit, atque sophiæ.
Doctor erat verus: fleat ipsum plebs bona clerus.
Jnstus, sincerus, morum gravitate severus
Mortuus est Bruno, pugnando rege sub uno.
Qui sic pugnavit, Ducis hostes quod superavit.
Cujus miles erat, quapropter prœmia quærat
A duce Sanctorum lætissima regna polorum.
Et nos mille modis, Psalmis oremus, et odis,
Ut det Chrisius ei lucem summæ requiei.
Nam si promeruit hanc mercedem quis habere,
Nullus Brunonem putet hæc mercede carere.

C *Versus scholares* (299).

32. Quis fuerit Bruno, momento temporis uno,
Nescius, huc veniat, discere si cupiat.
Iste fuit justus, sapiens nimis, atque venustus;
Sed nulli nocuit discere quod potuit.

(293) Aliud Porisiis S. Germani, Parisiensis episcopi, seu templum, seu monasterio non est, quam quod *S. Germanus a Pratis* dicitur; quare hoc, quod jam inde a sæculo sexto fuit fundamentum, in hac subjecti Tituli inscriptione designari puto.

(294) Exstinctum modo est hoc, quod diu ante S. Brunonis ætatem fundatum fuerat, Parisiense monasterium. Adi Galliam Christianam auctam, col. 306 et tribus seqq.

(295) Additur in Basileensi horum titulorum editione: *Quo loco sanctus Maurus beati Benedicti discipulus corpore quiescit*; ut adeo monasterium, quod hac inscriptione designatur, aliud non sit quam Fossatense S. Mauri, quod sæculo nono, uti Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. VII, coll. 282 et 284 docent, fuit exstrnctum modoque est abolitum.

(296) Amplam hujus monasterii, quod S. Brunone multo est antiquius, notitiam subministrant Galliæ Christianiæ auctæ Scriptores tom. VIII, col. 1688 et binis et seqq.

(297) Hoc monasterium, quod ad lævam Matronæ ripam duabus leucis infro Castrum-Theodorici in diœcesi Suessionensi situm est, sæculo nono, imo octavo, creditur antiquius. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 427 et seqq.

(298) Ecclesia cathedralis Carnotensis beatam Mariam in cœlos assumptam, uti Gallia Christiana aucta tom. VIII, col. 1091, me docet, veneratur patronam; quare non aliam hic quam istam designari puto ecclesiam. Porro cum inter hujus Carnotensis ecclesiæ Titulum hic subjectum, Titulumque vigesimum quartum, qui monasterii S. Petri, in Carnotensi civitate siti, est, nonnulli alii Tituli, videlicet S. Dionysii prope Parisios, S. Germani a Pratis, Maglorii Pariensiensis, S. Petri Fossatensis, S. Faronis Meldensis et S. Petri Casiacensis, in diœcesi Suessionensi siti, interjiciantur, nec ullo modo verosimile appareat, eremi Turritanæ fratrem, qui epistolam encyclicam, obitus S. Brunonis nuntiam, circumtulit, in itinere, quod hunc in finem confecit, Carnotum iterum, postquam ex hac urbe Parisios, Meldasque deinde et Casiacum, diœcesis Suessionensis cœnobium, se contulisset, fuisse reversum, certum apparet, Titulos funebres omnes, qui chartæ separatæ, in Adnotatis, sectioni præcedenti subnexis, notam 258 memoratæ, non fuere inscripti, non accurate eo ordine, quo in Rotulum seu Rollum (adi Comment. prævii num. 24) fuere conjecti, in Basileensi, quam sequor, éditione recenseri: ii autem, qui hanc curarunt, ordinem illum maxime, ut apparet, interrupere Titulorum nonnullorum interpositione, qui chartis separatis, quod iis anniversariæ Sanctis lucis celebratio promitteretur, erant inscripti. Res ex iis quæ infra suis locis annotabuntur magis patescet.

(299) Cuilibet olim cathedrali ecclesiæ sua erat schola, in qua, qui volebant, politiori litteratura aliisque scientiis imbuebantur. Titulus itaque, qui huic inscriptioni subditur, eorum est qui ecclesiæ cathedralis Carnotensis scholam frequentabant.

www.libtool.com.cn

Cui pia vota damus, nostrumque patrem rogitamus, A
Ut fugiens rabiem, possideat requiem.
Si Bruno vixit sicut vixisse putatur,
Vivat in æternum paradisi sede fruatur.
Flos erat hic patrum, solamen, glorsa fratrum,
Veri sectator, divinæ legis amator,
Semita justitiæ, fons hic, et origo sophiæ,
Lux, speculum mundi, rerum sublime cacumen,
Labentum baculus, miserorum dulce levamen;
Nec mens fracta malis, nec erat nimis alta secun-
[dis.
Hic sibi non vixit, sed mundo, quem bene rexit.
Non hic, sed vita spoliata flet hoc eremita.
Vita non eguit, qui mundo, non sibi, vixit.
Ut narrem breviter, quis narret sufficienter?
Quam, phœbe phœbo quam cætera sydera lunæ, B
Tam, totus mundus ascit tibi, Gallice Bruno (300).

S. Margaritæ cœnobii (301).

33. Cum Patre sit Nato laus et cum Flamine sacro,
Mundum sustentat, cœlum ditione gubernat.
Angeli cum seraphim, pariterque beata cherubim
Cum cæteris sanctis, justis, simul atque beatis.
Occurrant illi simul exsultantes, et læti.
Et tamen cum ipsis, astantibus undique turmis,
Virtutum thronis, et potestatibus justis
Vere beatificent Dominum, regem quoque laudent,
Inclyti Brunonis adsint animæque parati.
Abraham mox, Isaac, et Jacob, Job et Helias,
Isaias, Daniel, David, sanctissimus Johel,
Abacuc, Abdias, Sophonias et Hieremias
Cum vatum cæteris sistent obtutibus Christi. C
Supplices, et læti deposcant dono ditari,
Et nos cum ipsis demus pia cantica laudis
Quamvis indigni, mereatur luce beari;
Exsultat cœlum, terra gemit, nunc, et resultat.

S. Mariæ Novi Monasterii (302).

34. Nos fratres Novi Monasterii, sicut postulastis pro Patre vestro, sanctæ recordationis viro domino Brunone, clementia Domini prompto animo exorabimus.

S. Benigni Divionensis (303).

35. Est quia surgendum, non est de morte dolen-
[dum.
Parcere mors nescit, justus bene morte quiescit.
Mutua vota damus nostris eademque rogamus.

S. Stephani Divionensis (304).

36. Qui regit omne quod est, hunc noxa solvat ab
[omni
Hunc societ justis, qui regit omne quod est.
Quæ petitis vestris eadem persolvite nostris
Obsequia, psalmos cantica, vota, preces.
Spiritus in cœlo Brunonis suscipiatur
Et sit cum Christo, dum vixit, quem sequebatur. B
Impetret et nobis, quod se possimus adire,
Quos cupit hic mundus peccati fæce perire.

S. Petri Besuensis (305).

37. Transit ab hac vita Bruno summus eremita,
Quem deflent cuncti sapientes atque periti.
Hic sapiens vixit, sapiens et alta migravit.
Jam cœlum teneat, jam Christo sedulus astet,
Pro sibi devotis securus fratribus orans.

S. Mariæ Castellionensis (306).

38. Bruno vir hic magnus fuit ac simplex, velut
[agnus,
Qui mundum cernens vilescere cunctaque spernens
Vitam mutavit corpusque fame maceravit.
Post monachus factus, eremi vastissima nactus,
Hanc linquens sedem cœli conscendit ad ædem,
In qua detur ei locus optatus requiei,
Et si quem læsit vel si quod crimine adhæsit,
Hoc condonet ei gratia magna Dei.

Lingonensis ecclesiæ episcopi (307).

39. Robertus, Lingonensis ecclesiæ servus, rogabat ejusdem ecclesiæ canonicos et sacerdotes, mona-

(300) Ne hinc inferas, S. Brunonem natione Gallum fuisse. Adi Commentarium prævium num. 42.

(301) Additur in editione Basileensi: *Quod situm est in eremo.* Verum nec cœnobium, nec ecclesiam inveni, cui hæc inscriptio conveniat. Nec cœnobium istud asseverare ausim aut in diœcesi Carnotensi aut prope illam situm fuisse. Neutrum enim ex eo, quod Titulus ejus hic Titulo ecclesiæ cathedralis Carno- D
tensis subjungatur, potest concludi, cum Tituli funebres, chartæ separatæ, de qua in Annotatis, sectioni præcedenti subnexis, notam 258, non inscripti, eo ordine, quo in Rotulo funebri, epistolam encyclicam, mortis S. Brunonis nuntiam, complectente positi fuere, non semper recenseantur, quemadmodum ad notam 253 jam. docui.

(302) Nisi ad Novigentinam diœcesis Laudunensis abbatiam, santissimæ Dei genitricis nomine insignitam, annoque ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 603, docent, 1076 fundatam, spectet Titulus subjectus, definire pariter nequeo quodnam hic monasterium designetur, aut quonam circiter loco, quod hic *Novi S. Mariæ monasterii* titulo insignitur, situm fuerit. Causa quantum ad hoc postremum liquet ex iis quæ ad not. præced. dicta sunt.

(303) Monasterium, S. Benigni nomine insignitum, cujus hæc est inscriptio Titulusque subjectus, in diœcesi Lingonensi situm est. Adi Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. IV, col. 668, qui id anno circiter 500 fundatum fuisse, Ibidem docent.

(304) Vetus sæcularis S. Stephani Divionensis in diœcesi Lingonensi ecclesia, quæ anno 1113 S. Augustini regulam amplexa, anno 1611 a statu regulari ad sæcularem est reversa, sua proprie nescit D
exordia, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores, qui hæc interim ab ineunte sæculo nono duntaxat repetunt, tom. IV, col 752, docent.

(305) Ordinis S. Benedicti monasterium hoc est, in diœcesi Lingonensi quatuor ab urbe Divione leucis situm, quod sæculo septimo fuit extructum. Adi Galliam Christianam auctam tom. IV, col 703.

(306) In suburbana (adi Galliam Christianam auctam tom. IV, col. 770) civitatis Castellionensis ecclesia, quæ S. Mariæ nomine decorabatur, canonici primo a Brunone episcopo Lingonensi (in diœcesi enim Lingonensi civitas illa sita est) sub sæculi decimi finem fuere instituti, indeque parochia ac tandem abbatia exstitit. Illa hud dubie hic designatur.

(307) De hoc Lingonensi episcopo, cujus subjectus titulus est, videsis Commentarium prævium num. 96 et seq.

www.libreria.it.comsch

chos, eremitas, in episcopatu Lingonensi Domino servientes, ut orent pro anima charissimi magistri sui Brunonis, et eleemosynas pauperibus largiantur memoriamque obitus sui, in quibus poterit, ecclesiis, scriptam observari faciet.

S. Mariæ Molismensis (308).

40. Tempore dispositio migrat de corpore Bruno,
Cujus, dum fixit, vita Deo placuit.
Subveniant illi, quibus est permissa potestas,
Ut sit ei requies et sine fine dies.

Nostris versiculis, qui habitamus Molernium, addentes vobis, qui estis Turri, innotescimus, quod pro domino Brunone, patrono vestro, nostro autem familiarissimo (309), Missarum solemnia diebus triginta celebravimus, ejus etiam obitus anniversarium diem in catalogo fratrum nostrorum conscripsimus.

S. Michaelis Tornodrensis cœnobii (310).

41. Mors pia justorum, fruitur quia regna polorum,
Morte sua sacro sociatus in agmine Bruno
Vivat et in requie potiatur dona sophiæ :
Gaudeat hic felix, videat faciem quoque Patris,
Cernere quam Christus faciet sine fine beatos.

S. Germani Antissiodorensis (311).

42. Mansio Brunonis sit perpes cœlitus omnis,
Cumque Deo vita fiat ei socia,
Nobis vota dari semper curate precari
Illius meritis sedibus æthereis.

S. Stephani Antissiodorensis (312).

43. Bruno pius pastor, puræ pietatis amator,
Dæmonis ignitas superavit ubique sagittas,
Subjectis largus fuit hic nimis et sibi parcus,
Factis implebat, quidquid per verba docebat,
Non se prælatum, sed se cupiebat amatum,
Gaudeat in cœlis, quia vixit corde fidelis.

S. Mariæ et S. Joannis Reomensis cœnobii (313).

44. Dans bona, Christe, poli famulo da regna Brunoni,
Mutanti florem mundi cunctumque decorem
Deserto vili, quod regno charius illi
Hac fuit in vita. Jam cessant plurima scripta :
Debita doctori reddantur vota Brunoni,
Atque suis cunctis nostris quoque reddite functis,
Christi veraces famuli justique sequaces,
Qui charam fortis ererum colitis modo Turris;
Quæ vos, ut vestrum, perducet ad astra Magistrum.

Notum sit vobis, charissimi, nos Reomenses fratres vestri memoriam Patroni in missis et orationibus triginta egisse diebus, ipsiusque nomen cum nostrorum nominibus fratrum, sicut decet, scripsisse.

Lamberti abbatis Putrariensis (314).

45. Ego frater Lambertus, Pultariensis monasterii ex necessitate apostolicæ obedientiæ servus et procurator exiguus, hujus eximii magistri Brunonis in litteralis doctrinæ scientia a primordio meæ conversationis de sæculo in eruditione catholicæ conversationis et veræ religionis discipulus, ejusdem piissimi Patris nostri et informatoris memoriam in septenariis et tricenariis officiis et anniversaria die sui obitus, cum canticis spiritualibus, et pauperum refocillatione quotannis recolenda, cum commissis mihi filiis et fratribus procurare et devote prosequi non fatigabimur, et quos poterimus, ad orandum pro eo excitabimus (315).

S. Petri Aremarensis cœnobii (316).

46. Fons et origo boni, Jesu, pius esto Brunoni
Ne leo tangat ovem, fer, bone Pastor, opem,
Agnus Bruno tuus sit, sit non dæmonis hædus,
Si meruit pœnas, parce reo, bonitas.

S. Petri Trecorum (317).

47. Ut titulus dicit, mundi tentamina vicit

(308) Celebre omni dubio procul hic designatur ordinis S. Benedicti monasterium, quod Molismi aut etiam Molernii nomine distinguitur, quodque a S. Roberto, primo illius abbate, sæculo undecimo, quemadmodum ad XXIX Aprilis, quo apud nos de hoc Sancto actum jam est, docuimus, multum jam provecto in finibus Lingonum Montembarrum inter et Mussiacum in sanctissimæ Virginis Mariæ honorem fuit exstructum.

(309) Hinc confirmatur opinio quæ, S. Brunonem, Carthusianorum institutorem, antequam in Carthusiæ eremum secederet, in Siccæ-Fontanæ solitudine aliquandiu esse commoratum, astruit. Consule Comment. prævium num. 417.

(310) Hoc ordinis S. Benedicti monasterium, quod in diœcesi Lingonensi in monte Voluto, urbi Tornodorensi imminente, situm est, anno 980 a Milane, Tornodorensi comite, cooperante Widrico diœcesano, instaurarum fuit, Adi Galliam Christianam auctam tom. IV, col. 712.

(311) Antiquissimum hoc ordinis S. Benedicti monasterium in ipsa Antissiodorensi urbe situm est, fuitque diutissime ante S. Brunonis ætatem constructum, ut videre licet ex iis quæ de eo Sammarthani fratres in Gallia Christiana antiqua tom. IV, pag. 477, suppeditant.

(312) Cathedralis Antissiodori seu Autissiodori ecclesia S. Stephano sacra est. Hujus adeo esse puto subjectum Titulum; neque enim video cujus alterius seu ecclesiæ seu monasterii esse queat.

(313) Dubitandum non est quin hic designetur Reomaense seu Reomense diœcesis Lingonensis monasterium, quod, cum primitus sanctissimæ Virgini Mariæ fuisset dicatum, postea etiam a S Joanne, primo suo abbate, qui id anno circiter 440 fundavit, appellatum fuit. Adi iterum Galliam Christianam auctam tom. IV, col. 658.

(314) De Lamberto abbate, cujus est Titulus subjectus, monasterioque Pultariensi, cui ille præfuit, videsis Commentarium prævium num. 97 et seq., uti etiam Galliam Christianam auctam tom. IV, col. 724 et seq.

(315) Egregie enimvero sese gratum erga S. Brunonem, magistrum olim suum, hic præbet Lambertus, Pultariensis abbas; ut autem videas quid per septenaria et tricenaria officia hic promittat, consule not. 269 et 279.

(316) Hoc ordinis S. Benedicti cœnobium, quod in diœcesi Trecensi quatuor ab urbe Trecassina leucis situm est, anno 837 fuit fundatum, quemadmodum videre est apud Sammarthanos fratres in Gallia Christiana antiqua tom IV, pag. 78.

(317) Cum nullus Trecis, qui S. Petri nomine insignitus sit, locus sacer præter cathedralem ecclesiam existat, hæc haud, dubie hic designatur.

www.libtool.com.cn

Bruno vir sapiens, jussa Dei faciens.
Sprevit opes multas, sibi nec fuit ulla facultas,
Sed quidquid potuit, fratris exhibuit.
Fugit ab hac vita, monachus fit et hinc eremita;
Dum sic abstinuit, regna poli meruit.
Sed quia jure pari decet hoc pro fratre precari,
Poscimus ut requies sit tibi quæque dies.

S. Petri insulæ Germanicæ (318)

48. Mortua, mors, utinam ve carcere clausa fuisses,
Nec tantum mundo Doctorem subripuisses,
Pro quo nos petimus Christum, fontem bonitatis,
Ut det Brunoni munus solitæ pietatis.
Christe, Patris Verbum, regnum concede supernum
Brunoni famulo, qui se tibi pectore puro
Vivens conjunxit mundanaque gaudia sprevit.
Vos igitur, fratres, eremitica claustra colentes,
Quod nos pro vestris facimus, nunc reddito nostris,
Subtracti leto potiantur quo paradiso.

S. Stephani Catalmiensis ecclesiæ (319).

49. Commisit protoplastus homo, cur postera proles
Patris facta luens tendat in interitum?
Omnes intereunt, sed non omnes cruciantur.
Mors venit injustis, vita salusque bonis.
Hic igitur Bruno, vir sanctæ religionis,
Mundum contemnens, cœlica promeruit.
Nos ergo Dominum devota mente precamur,
Ut qui justus erat justificetur adhuc.

S. Petri cœnobii de Monte (320).

50. Nos gessit moriens Christus de morte resurgens;
Spes in morte Deus, gloria sola Deus.
Brunoni requiem tu confer, Christe, perennem,
Gaudia cum sanctis sint sibi pro meritis.

S. Basoli (321).

51. Bruno polum subeat, quem strenua vita venustat,
Quod merito fidei gloria crescat ei.

S. Mariæ Remensis metropolis.

52 Hic Pater eximius fundator religionis
Exemplar sese fratribus exhibuit,
Dans illis formam spernendi vilia mundi,
Cœlestis patriæ præmia dum sequitur
Pro cujus culpa non credimus esse gemendum,
Quem jam gaudentem credimus in requie.

A Nam si cui sancto requiem bona vita meretur,
Huic quoque pro meritis summa datur requies;
Qui cum multimode nostra polleret in urbe,
Solamenque suis atque decus fieret;
Cumque faveret ei fortuna per omnia, jamque
Hunc præferremus omnibus et merito:
Namque benignus erat omnique peritus in arte
Facundusque satis divitiisque potens,
Omnia postposuit Christo nudumque secutus
Christum, cum multis suscipit hunc cremus (322).
Propterea requiem sibi credimus esse paratam.
Si tamen ulla levis hæsit ei macula
(Nam patet in terris nullum sine labe morari),
Hanc Deus abstergat dando sibi veniam.

Alius ejusdem ecclesiæ.

B 53. Ut servire Joseph dominæ contempsit amori,
Et fugit amplexus incestos mente virili,
Sic contempta jacet, Bruno, tibi gloria mundi.
Amplecti dum te cuperet tibi brachia tendens
Multas mundus opes multos obtendit amores;
Tuque fuga lapsus, pompali veste rejecta,
Amplectens eremum vestiris sorte beata.
Hunc tantum talem cœlestibus esse sodalem
Credimus, hunc rogitat fratrum devotio tota,
Ut Domino pro se dignetur fundere vota:
Pars tamen interior si traxerit ab exteriore
Quid sordis, Deus, hoc pietatis dilue rore.

Item alius ejusdem.

C 54. Judicis examen venturi Bruno pavescens
Mundanas contempsit opes eremumque petivit (323)
Atque suavis ibi fructus emisit odoris,
Ad Christum revocans quos gloria vana fefellit.
Nocte dieque Dei præceptis invigilabat
Omnibus exemplar, eremi quos vita decorat.
O quam felici meriti mercede fruuntur,
Qui socii turmis cœlestibus efficiuntur,
Lucis et inveniunt loca, quæ sunt nescia pestis,
In quibus æternis celebrantur gaudia festis,
Ad quæ suspirans hic dissolvi cupiebat,
Posset ut in Christo sic conregnare beatis!
Denique finito certamine carne solutus
Optatisque fruens conscendit ad æthera liber.
Verum si quid ei terrenæ sortis [sordis] adhæsit,
D Quatenus ad tumulum [cumulum] mercedis nil sibi [desit,

(318) Loci hujus notitiam nuspiam invenire quivi.

(319) *Catalmiensis* pro *Catalaunensis* mendose hic scriptum puto civitatisque adeo Catalaunensis cathedralem, quæ S. Stephanum protomartyrem, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 858 et 859 docent, agnoscit patronum, ecclesiam designari.

(320) Situm est hoc monasterium in diœcesi Catalaunensi, eratque jam inde sæculo undecimo exstructum. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col 927.

(321) Hoc monasterium, quod in diœcesi Remensi situm est, a S. Nivardo, Remensi archiepiscopo, anno circiter 673, quemadmodum ad primum Septembris diem, quo de illo apud nos actum, ostendinus, e vivis sublato, exstructum fuisse docent Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 196.

(322) Hinc collige, Brunonem, cum in eremum secessit, non Parisiis, sed Remis, summos inter fortunæ secundæ favores fuisse versatum. Adi commentarium prævium num. 154 et binis seqq.

(323) Ad Parisiense defuncti, qui suam ipsemet damnationem denuntiarit, prodigium hic alludi conjicit anonymus Tractatus de S. Brunone, a Carthusianis hujatibus mecum communicati, auctor. Verum conjecturæ isti pro astruenda ferali historia multum roboris non inesse ipsemet fateturis scriptor. Consule Commentarium prævium § 21.

www.libtool.com.cn

Pulsemus Dominum precibus, quem cuncta veren- [tur,
Nulla quod inferni tormenta sibi dominentur.

Alius iterum ejusdem.

55. Iste vir Eliæ par Baptistæque Johanni,
Hic eremi cultor fuit et bonitatis amator,
Hic Abrahæ similis pius exstitit atque fidelis;
Iste velut Petrus Domini mandata secutus
Omnia contempsit et Christo pauper adhæsit;
Maluit hic Christo pauper, quam vivere mundo
Dives, sicque Dei plene præcepta peregit.
Sed quia, quæ mundi sunt, mors rapit omnia se- [cum,
Mundo sublatum junxit cœlestibus istum.
Nos vero Domini deposcamus pietatem,
Ut tanto Patri mundani si quid adhæsit
Pulveris, abstergat Deus illud fons pietatis.

Adhuc alius ejusdem.

55. Quem tenerum docuit mater Remensis alum- [cum (324),
Propositi tenuisse fidem lætata Brunonem,
Migrantem ad Dominum lacrymis precibusque [salutat.

SS. Martyrum Sergii et Bacchi Andegavensis (325).

57. Justi vel reprobi manet unica sors moriendi
Et simul ad finem deducit transitus idem;
Sed judex operum sedes discernit eorum ·
Vir bonus ad requiem transit, peccator ad ignem.

S. Petri cœnobii puellarum (326).

58. Vitæ forma piæ, totius acerra sophiæ,
Bruno pater, vita, si transmigravit ab ista,
Ad Domini nutum liquet illum carne solutum,
Qui justum merita voluit donare corona;
Quem licet æthereis fidamus inesse choreis,
Haud tamen obsequii deerunt solacia nostri.

S. Symphoriani martyris in urbe Remensi (327).

59. Si quid lugere de morte juvetque dolere,
Tunc nos tristemur, super hoc quoque Patre [fleamus;
Sed quia nec luctus nec clamor ad æthera ductus
A Quemquam de morte valet ad vitam revocare,
Oremus Christum, pro nobis in cruce fixum,
Cœlesti vita potiatur ut hic eremita.
Scribimus hæc vobis et idem, petimus, date nobis.

Ecclesiæ SS. Trinitatis (328).

60. Ut petitis, fratres, a nobis, sic faciemus;
Sed Bruno cum Christo regnat, sicut reputamus,
Quem cruce prælata sectatus hic est eremita,
Illecebris mundi constanti mente repulsis.

S. Dionysii Remensis (329).

61. Cunctas liquit opes, cunctos simul orbis honores
Pro te, Christe Pater, pro cœli munere pauper
Bruno fatus iter, quorum fuit ante magister (330)
Quattuor ut fontes, ex una parte meantes,
B Quos paradisus habet, mundi per regna fluentes
Exundant terras, sic hic quos imbuit, ornat,
Implet et informat, inflammat, dirigit, armat,
Cudit et illustrat et adhuc regit, excolit, optat.
Syderis instar orat cunctis, quos ipse docebat.
Inter cœlicolas Christi requiescat in aula.

S. Remigii Francorum apostoli (331).

62. Ne doleatis, oves, Pastoris funere flentes;
Nam non est flendus, fuerat cui vivere Christus
Atque mori lucrum superando dæmonis astum,
Hic Pater eximinus, nobis merito venerandus;
Nec solum nobis, sed quos sol flammeus urit.
Quem fovet ipse Deus, quem jam retinet paradisus
In requie pacis, cur talem, quæso, doletis?
C Raptus enim mundo donatur vivere cœlo,
Et vivit vere, studuit quia vivere juste.
Conregnare tibi, Deus, annue, quæsumus, illi
Æterna requie dans tecum perpetuari.

S. Nicasii Remorum archiepiscopi (332).

63. Deus, fidelium lumen et animarum, animam hujus viri catholici ab omni solvat vinculo delictorum.

SS. Martyrum Timothei et Apollinaris (333).

64. Hujus Doctoris fuit hæc vis cordis et oris,

(324) Hinc colligimus, S. Brunonem, adhuc admodum juvenem, litteris operam in civitate Remensi dedisse. Adi Comment. prævium num. 54.

(325) Monasterium horum sanctorum martyrum nomine insignitum, quod in civitatis episcopalis Andegavensis suburbio situm est, sæculo octavo D fuisse constructum, aiunt religiosi illius incolæ. Adi in Gallia Christiana veteri tom. IV, pag. 820, Sammarthanos fratres.

(326) Duo olim in urbe Remensi S. Petri nomine distincta exstitere sacrarum viginum monasteria, quorum alterum Superius, alterum Inferius nominabatur. Postremum ex his (vide Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 178), verosimillime ætate S Brunonis jam erat abolitum; primum adeo, quod sub finem sæculi sexti, uti apud dictos Scriptores tomo eodem, col. 270, est videre, fuit exstructum, quodque modo adhuc superstes est, hic designari conjicio, ne forte quod tamen non puto, pro puellari, quod alibi situm sit, cœnobio pronuntiandum potius sit.

(327) Sæculo undecimo condito fuit hæc ordinis S. Benedicti abbatia. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 807.

(328) Quisnam hic locus sacer designetur, pro certo determinare non possum.

(329) Remense hoc monasterium diu ante S. Brunonis ætatem fuit conditum, uti liquet ex iis quæ D de illo Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom IX, col. 228, memoriæ produnt.

(330) Brunonem exemplo suo effecisse ut nonnulli, quos antea scientias seu sacras seu profanas docuerat, in eremum sese pœnitentiæ agendæ ergo receperint, non omnino inepte ex hoc funebri ejus Titulo conjeceris.

(331) In urbe Remensi situm est insigne hoc monasterium, nec paucorum annorum cursu S. Brunonis ætatem præcessit, Adi Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. IX, col 219 et seqq.

(332) Est et hoc monasterium in urbe Remensi situm, ac S. Brunonis ætate longe antiquius. Adi iterum Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. IX, col. 204 et seqq.

(333) Remis existit collegiata ecclesia, quæ S. Timothei dicitur. Hæc, ni fallar, hic designatur.

www.libtool.com.cn

Ut toto cunctos superaret in orbe magistros:
Sic meditando bonus fuit atque loquendo disertus.
Huic se tota dedit sapientia totaque sedit
Hujus in arcanis dives penetralibus hospes.
Quod dico, novi, mecum quoque Francia novit,
Et totus novit per climata quattuor orbis.
Hæc illum docuit res hujus spernere mundi
Et solum fecit perquirere gaudia cœli.
Huic si quid sordis de carnis lege cohæsit
(Nam cuncti penitus carnali lege gravamur)
Omnipotens tollat, qui crimina nostra relaxat,
Impleat atque sibi votum, quod semper amavit.

S. Bartholomæi apostoli in monte Or (334).

65. Orbis amarescens claudescit pondere mortis,
Et trahit ad speciem humanæ per devia sortis,
Margit et exsilio propriorum quæque tabescens.
Unde tumescis, homo miser, hac ætate senescens?
Fonte Caribdineo mergeris ad ultima finis,
Ac cinis in cineres solveris, ut umbra lucernis.
Est labor ejus amor et inextricabilis error,
Defectu cujus animam complectitur horror,
Postquam nudata fuerit de carcere carnis
Vel Satanæ ducibus, heu! circumsepta catervis.
Quod metuens animosus in hoc discrimine Bruno
Servitio penetrat eremum certaminis uno;
Linquit opes mundique decus, ne gloria pœna
Fiat in interitum, sed currens nectare vena
Dulcescat fluctus animi cordisque tenorem
In se constringens scelerum constringat amorem
Per cursus varios operum virtute honorum,
Mortificando caput mortis cum jure malorum.
Quapropter meruit consortia Cœlicolarum
Liber ab hoste stygis aut rerum tartarearum,
Et sociatur ei per quem reparabitur orbis,
Quam longus meta tam purus denique morbis,
Quo requiescat amen misere de morte resurgens
Nec lædat serpens fœda prurigine turgens.

SECTIO III.

Titulus S. Mariæ Laudunensis (335).

66. Bruno decus cleri, decus et prudentia mundi,
Dum fuit in terris, florebat acumine mentis,
Dum fuit inter nos (336), florebat et in documentis.
Integritas morum cumulum supplevit honorum;

A Sed postquam nostra delegit cedere vita,
Vester collega vestrisque locis eremita
Deposuit curam pœnitus totius honoris,
Amplectens curum Christi solius amoris.
Vos igitur, fratres, eremi deserta colentes,
Fallacem mumdum sic jam superasse videntes
Egregium Patrem, ne triste faratis obisse,
Quem nos regna poli divina putamus adisse.
Cum sit cœlicola, potuit quid majus habere?
Dum fuit in terris, hæc illi vota fuere.

Alius ejusdem.

67. Gaudens doctorem, quem Francia, Bruno, re-
[cepit,
Clauderis in terra Calabrinus nunc eremita;
Quod clamant omnes, ut tibi sit requies.

B *Monialium S. Joannis Baptistæ* (337).

68. Bruno laudaris, tua vita decens renovatur
Versibus et scriptis, nec, quanta fuit, memoratur.
Ipse pius, simplex, plenus Deitatis amore,
Impiger et mundus fuit, omni dignus honore.
Vivit adhuc Bruno, sibi traditur a Patre vita.
Clericus ipse fuit, fit monachus, hinc eremita.
Nunc jacet exsangue corpus, tamen hoc veneratur.
Vivit adhuc Bruno, cujus flatus gratulatur.
Ipse fatigatus per tempora necque reatus,
Nunc sibi concedat Deus, ut semper requiescat.

S. Nicolai de Saltu Vedocii (338).

69. Haud doleat quisquam, morti succumbere quem-
[quam,
C Cum vivat potius. Qui corporis enecat æstus,
Hic in perpetuum jus mortis vitat acerbum;
Et tibi det jugem cum Sanctis, Bruno, quietem.

B. Mariæ Noniandi (339).

70. Egregius Bruno non est laudandus in uno,
Qui docuit clerum, pater exstitit et monachorum,
Atque Deo charus per claros splenduit actus.
Omnibus hic nobis sit semper commemorandus,
Ipsius ut statum capiat Deus immaculatum,
Missis et psalmis societur civibus almis.

Alius ejusdem.

71. Dum vixit Bruno, monuit fecitque monendo,
Ut nobis mundus vilescat, ne pereamus.
Mundus habet fraudes, istis conjungit et artes.

(334) Cum S. Bartholomæi nomine, quemadmodum Galliæ Christ. auctæ scriptores tom. IX, col. 181, docent, S. Theodorici monasterium, in monte, veteribus Gallis *Or* nuncupato, tribus ab urbe Remensi milliaribus situm, annoque circiter 500 exstructum, olim etiam venerit, dubitandum non apparet quin hic illud designetur.

(335) Laudonensis seu potius Laudunensis cathedralis ecclesia sanctissimæ Dei Genitrici sacra est; ut vel hinc; spectare ad hanc subjectum Titulum, dubitandum non appareat.

(336) Gallos scilicet, aut, si mavis, archidiœcesis Remensis, cujus Laudunensis episcopatus suffraganeus est, incolas.

(337) Intra urbis Laudunensis ambitum (adi Galliam Christianam auctam tom. IX, col. 587 et seq.). S. Salaberga virgo sæculo VII ædificavit parthenonem, S. Joannis Baptistæ nomine per longissimum temporis spatium postea vocatum, in quo sacræ

D vsrgines perseverarunt ad annum usque 1128, quo sanctimonialibus monachos substituere in coacta Atrebati provinciæ Remensis synodo fuit decretum. Hujus itaque parthenonis indubie est Titulus subjectus, qui, quod etiam hic notandum, per hunc, quem includit, versiculum sequentem, *Clericus ipse fuit, fit monachus, hinc eremita,* opinioni eorum, qui S. Brunonem, cum mundo valedixit, non recta in Carthusiam secessisse astruunt, suffragatur, quemadmodum Commentarii prævii num. 416 docui.

(338) Hoc cœnobium, quod tribus circiter leucis ab urbe Lauduno in silva Vedogia, seu Voegia, *Saltus Vedocii* nomine hic dictincta, situm est, anno circiter 1080 natales videtur fuisse sortitum. Adi Galliam Christ. auct tom IX, col. 610 et seq.

(339) Locus sacer, qui hoc nomine hodie appelletur, olimve fuerit appellatus, nuspiam a me fuit inventus.

www.libtool.com.cn

Denique mellitis incautos vulnerat armis,
Mellificatque dolos, ut sic perdat male cautos.
Nestro Brunoni nunquam potuit dominari;
Ne dominetur ei, nudus deserta petivit,
Mansit et in pace, pax ut sibi longa maneret.

Ecclesiæ Suessionensis.

72. Suessorum mater ecclesia (340) fratribus dilectissimis, et Deo charis consistentibus in eremo, quæ dicitur Turris, conversationem supernam habere semper per Christum. Piissimi ac Deo dilecti Patris, vere venerabilis Brunonis, cognito sancto ac glorioso decessu, dulciter super tali, tantoque viro commoti fuimus; Officium autem ejus felici animæ fidelium more impendimus, et ad ejus beatam memoriam anniversarie recolendam diem quo carnis carcere egressus est, quomodo a vobis denuntiatam accepimus sanctam ejus resolutionem, in nostra matricula scripsimus, orantes, et deprecantes, ut ejus sanctissimis vestrisque precibus adjuvemur tam vivi quam defuncti. Amen.

SS. Medardi et Sebastiani Suessione (341).

73. Plebs pia Medardi, regalis et inclyta Sancti,
Flentibus et mœstis solamina grata salutis.
Qui gemitis functum, functi deponite luctum,
Nil juvat exstinctum deffere, dolere sepultum.
Sed potius voto prosint libamina sancta.
Hæc tribuantur ei, quicunque pericula mortis
Pertimet, horrescit, pereuntibus omnibus orbis
Continuis precibus succurrat, et auxilietur.
Dum petit et rogitat, pro se quoque quisque laborat.
Cum Moyses orat, superat plebs Israelita,
Dum cessat votis, cadit illico, vincit et hostis.
Nos simul oremus, nec cesset spiritus ullus.
Vota juvant hominem, dum vivit et exit ad horam.
Quæ perimit vitam, tulit improba mors eremitam,
Quæ nocet et lædit justum, satis impia lædit.
Hæc tam crudelis necat insatiata Caribdis,
Quos vovet omniparens nullum miserata dolores,
Salvet ab hac hominem, qui pertulit in cruce mortem,
Et vitam tribuat, quam non Proserpina rumpat.

S. Mariæ Blesensis (342).

74. Bruno, vir egregiæ probitatis, gemma sophiæ,
Cujus honestatis sit præsens chartula testis.
Pacis habet fidem cœli translatus ad ædem.
Ergo laudemus Dominum, veneremur, amemus,
Per quem servorum decoratur vita suorum.

Alius ejusdem.

75. Usus eras eremo, liquisti terrea, Bruno,
Nec mors morte tua tonuit penitus tua jura.
Solvitur in cineres corpus, fit cœlicus hæres.

S. Krileffi Blesensis (343).

76. Contrahit omnis homo primi discrimina fati,
Et cunctæ vitium nocet Evæ posteritati.
Exercens igitur studium mors impietatis
Aggreditur, solvitque virum tantæ probitatis.

S. Mariæ Bernaci (344).

77. Doctor doctorum fuit, exemplarque bonorum
Nostris temporibus Bruno vir eximius,
Esseque pœnalis culpæ nil credimus illi,
Ipse Deum nobis conciliet meritis.

S. Crucis Aurelianensis (345).

78. Summum Bruno decus et gloria temporis hujus,
Carne jaces, sed parte manes meliore superstes,
Et justi recipis nunc præmia grata laboris,
Præclaris merito doctoribus associatus.
Vivens in Christo nostri, vir sancte, memento
Doctrinæque tuæ, quæ toto fulget in orbo,
Christo funde preces, mereamur ut esse sequaces,
Quique Deum pro te fraterno more rogamus,
Bruno, tuis semper precibus, vir sancte, juvemur.

Vos quoque, sanctissimi fratres, qui tantum ac talem patronum ad cælos præmistis, omni humanæ compassionis dolore postposito, gaudete et exsultate in Domino, dignosque tanto Patre vos fuisse moribus ostendite, ut, ipso pro nobis intercedente, dignetur vobis Dominus, si non scientia parem, honesta saltem vita consimilem Patrem providere. Valete.

Abbatis. S. Joannis Suessionensis cœnobii (346).

79. Dilectis in Christo et Deo dignis fratribus,

(340) Id est ecclesia cathedralis. Quam porro vocabulum Matricula, in hoc Titulo occurrens, significationem in eo habeat, in Adnotato, quod sectioni primæ ad notam 256 subnexui, expositum invenies.

(341) Dubitandum non est quin hic insigne designetur S. Medardi cœnobium, in urbe Suessionensi sæculo VII fundatum, de quo Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom IX, col. 405 et seqq

(342) Eamdem hanc inscriptionem præfert Titulus decimus septimus; quare existimo Biesensem hanc (dide notam 283) canonicorum regularium S. Augustini abbatiam S. Brunoni parentasse tribus Titulis diversis, nimirum præfato XVII et duobus hic subjectis, quos ambos posteriores sequentemque ab isto priori disjunxerint, qui Titulos Sancti funebres edendos curarunt: adeo, quod supra monui, verum est, id hosce eo ordine non fecisse, quo Tituli isti rotulo funebri, epistelam encyclicam, mortis S. Brunonis nuntiam, complectenti fuere inscripti.

(343) In generali benificiorum diœcesis Carnotensis Catalogo, Parisiis anno 1648 excuso, pag. 87, recensetur prope Blesas, quæ urbs, antequam ei anno 1697 episcopalis cathedra concederetur, in diœcesi Carnotensi sita erat, insignitus S. Carilefi seu Krileffi nomine Prioratus; hunc adeo hic designari conjicio.

(344) Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. XI, col. 830, inter ecclesiæ Lexoviensis monasteria recensent unum, quod sæculo XI in honorem sanctissimæ Dei Genitricis fuisse exstructum docent, quodque cum Bernaicum vocent., ipsum indubie est, quod unius duntaxat litterulæ mutatione Bernacum hic appellatur.

(345) Cathedralis Aurelianensis ecclesia, uti e Gallia Christiana aucta tom VIII, col. 1409, intelligo, S. Cruci est dicata: ut isthæc indubie hic designetur.

(346) Indubie hic designatur monasterium, in monte seu colle, urbi Suessionensi contiguo, situm quod modo S. Joannes in vineis nuncupatur, quodque sæculo XI fuil fundatum. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 456; de Petro autem,

www.libtool.com.cn

Calabriæ reverendis eremitis, in monasterio sanctæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ Deo famulantibus, Petrus sancti Johannis Suessionensis canonicorum regularium humilis abbas, totaque fratrum cum eo degens et Deo serviens congregatio, bene incœpisse, melius persevera, feliciter consummare. Audito beato fine sancti Patris vestri et magistri mei Brunonis, a cujus ore sanæ doctrinæ fluenta plerumque haurire contigit, et, si opere non complevi, de absentia vehementer tristamur, carnales evasisse angustias et requiem adeptum esse et cum Deo vivere, prout conjecturam de mundicia et perfectione transactæ vitæ, nobis satis notæ, facere possumus, vehementius congaudemus. Ejus ergo memoriam tum quia magister noster fuit, tum quia precibus ejus et vestris confidimus, tanto apud Deum efficacioribus, quanto sanctioribus, hoc modo habituros, promittimus triginta diebus missas ei Vigilias pro remedio ejus vestrorumque fratrum defunctorum celebrantes. In libro autem, ubi nomina fratrum defunctorum scripta sunt, nomen ejus conscrimus, anniversarium depositionis ejus diem debita veneratione, Deo volente, celebrabimus, et omnium beneficiorum quæ apud nos fiunt et in locis quæ ad nos pertinent, eum participem desideramus et vos participes suscipimus.

S Symphoriani martyris Belvacensis (347).

80. Abbatem sanctum narrant hunc scripta fuisse,
Commissumque gregem virtutis iter docuisse;
Ergo si vixit rotulus (348) testatur ut iste,
Te sibi perpetuam requiem petimus dare, Christe.

S. Quintini Belvacensis (349).

81. Humilis congregatio sancti Quintini Belvacensis, sperans, patrocinio reverendi Patris sui Brunonis apud Deum se adjuvari, obedienter ei tricesimum (350) ascribit et cum fratribus suis memoriam ipsius vestrumque omnium amodo tenebit.

Raptus ab hac vita Christum sitiens eremita,
Ne mala mutarent sanctam præsentia vitam,
Quidquid proposuit vivens, moriendo probavit,
Proderit Ecclesiæ fidei vestigia nosse.

Quidam frater de præfata Ecclesia, Gauherius nomine, sanctæ recordationis viro, quem multum diligebat et solum nostris temporibus mundo renuntiasse, prædicabat, tricesimum faciet et quandiu vixerit, inter familiares suos in memoria diligenter habebit.

S. Luciani Belvagorum apostoli (351).

82. Dux eremitarum, lux corruit ecclesiarum,
Hunc eremus plorat, quem quisque fidelis honorat.
Est etenim dignus, quoniam fuit ipse benignus.
Num mundum sprevit mundanaque cuncta reliquit,
Exercens vitam de se faciens eremitam.
Verus in ætheris eremita sit ipse choreis,
Vivens cum nostris hic fratribus attitulatis (352).

S. Fusciani de Sylva (353).

83. Bruno, vir excellens, probus et vitiosa repellens.
Discipulus Christi, vita testante, fuisti,
Vita, quies, sine nocte dies, reparatio mira,
Ipso dante tibi, pateant ad gaudia vera.

S. Petri Corbeiæ (354).

84. Divitias Bruno mundanas postposuisti,
Exemploque tuo postponendas docuisti,
Et loca deserti pro Rege poli coluisti,
Dulcibus alloquiis multorum corda rigasti,
Talibus extemplo factis exstas imitator
Sanctorum Patrum, qui doctrinis viguerunt,
Illic insidias hostis per tempora multa
Passus mansisti, cujus fraudes superasti.
Nunc tamen in Christo complesti fine beato
Mortalis vitæ cursus, et gaudia vitæ
Perpetuæ defunctus habes, hæc est tua merces.

S. Quinteni Vermandensis (355).

85. Dum moritur Bruno, moritur, quod traxit ab uno,
Stat meritum cujus, quia vivit spiritus ejus.
Vita beatorum, spes atque corona piorum,
Ipsum sydereis societ super astra choreis.

monasterii illius abbate, cujus subjectus Titulus est, videsis Commentarium prævium num. 97 et binis seqq. Notandum porro ex subnexis sectioni secundæ Adnotatis ad notam 298, nec hunc Titulum, duos proxime antecedentes et 73 eo ordine, quo hic ponuntur, rotulo funebri fuisse inscriptos.

(347) Hoc monasterium in colle, urbi Bellovacensi imminente, sæculo XI initium accepit, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 807, docent.

(348) Pro vocis hujus significatione adi Commentarium prævium num. 24.

(349) Hoc monasterium in sancti martyris Quintini honorem et memoriam haud longe a mœnibus Bellovaci anno 1067 fuit exstructum. Ita Gallia Christiana aucta tom, IX, col. 818.

(350) Vocabuli hujus significationem in adnotatis, sectioni primæ subnexis, ad notam 269 suppeditavi.

(351 Sæculo sexto fuit hoc monasterium trecentis a Bellovaco passibus exstructum. Adi iterum Galliam Christianam auctam tom. IX, col. 778.

(352) Hinc colligendum puto Titulo huic fuisse ascriptos nonnullos vita functos, pro quibus a religiosis Turritanæ eremi incolis orari postularint monasterii S Luciani monachi.

(353) Hic indubie designatur diœcesis Ambianensis monasterium, quod a Galliæ Christianæ auctæ Scriptoribus tom. X, col. 1302, *S. Fuscianus in nemore* vocatur, quodque uti ex iis, quæ ibidem in litteras mittunt, manifestum est S. Brunonis ætate longe est antiquius.

(354) De hoc monasterio, quod sæculo septimo quatuor ab urbe Ambianensi leucis, præcipua ejus basilica SS. Petro et Paulo dedicata, fuit exstructum. Videsis denuo Galliam Christianam auctam tom. X, col. 1263.

(355) Hoc monasterium, quod etiam *S. Quintinus de Monte* nuncupatur, primo ab urbe Perona lapide in pago Veromanuensi diœcesique Noviomensi situm est, stetitque, quemadmodum ex iis, quæ de eo Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. IX, col. 1097 et quinque seqq. memorant, statuendum apparet ante sæculum undecimum.

www.libtool.com.cn

S. Petri Lehunensis ecclesiæ (356).

86. Mortuus hic vivit, quia, spretis omnibus, ivit
Cum cruce post Christum, dum mundum linqueret [istum
Hic nullum læsit, Domino quia semper adhæsit.
Hinc vitans pœnas sedes sortitur amœnas,
Ad quas Altitonans, justis pia prœmia donans,
Ad convivendum nobis donet veniendum.

S. Fursei Peronæ (357).

87. Hic vir virtutis, virtutibus inde secutis,
Per meriti florem capiat sine fine decorem.
Ipse Deus, quo quæque reguntur et omnia con- [stant,
Bruno, tuo donet gaudia spiritui,
Terra licet tua membra tegat carnalia vilis,
Spiritus in cœli transeat alta tuus.
Bruno pius pastor, vitam ducens eremitæ,
Attribuente Deo, mereatur gaudia vitæ.

B. Mariæ Alrenensis ecclesiæ (358).

88. Sancte Bruno, venerande Pater, veneranda [propago,
Cœlica jussa tenens, vivas cœlestis imago.

S. Petri Ducurtensis ecclesiæ (359).

89. Declinare mori nescit sapientia mundi,
Nec rem cum voce declinat sexus uterque.
Ast ego, ni fallar, Bruno declinat utrumque.
Sed ruit in Libra (360), merito quia sors fuit æqua.
Pura fuit vita, sapiens fuit hic eremita.
Appensus libræ discrimen nesciat iræ.

Notificamus igitur vobis, fratres charissimi, prout flagitastis, nos huic Ecclesiæ catholicæ filio tricennarium et anniversarium diem et in catalogo fratrum nostrorum inscriptione devote conscripsisse.

S. Salvatores Aquiciensis cœnobii (361).

90. Ego Aimericus, hujus prætitulati cœnobii abbas, animæ inclyti et famosi magistri Brunonis precibus, licet exiguis, æternam ab æterno et pio Salvatore requiem imploro et diem abitus ipsius Brunonis in Calendario notavi.

Cœnobii Marcemensis (362).

91. Excessit tandem, defuncto corpore pridem,
Excedens animo famosus carmine Bruno,
Qui tulit exilium vivens in corpore mundum.
Hinc se submodit, eremita bonus lativavit;
Sed bene sic latitat, eperum dum luce coruscat.
Delectatur ibi cernendæ spe Deitatis,
Qua nunc perpetuo cœlis fruitur penetratis.

S Amandi Elnonensis ecclesiæ (363).

92. Hic, quia dum vixit, mentis consedit in arce,
Huic quoque displicuit, quidquid fit dæmonis arte.
Post mortem carnis cœlesti conditur urbe,
Sedes pro meritis datur huic, quæ digna sophiæ,
Cui vivens studuit non ficto cordis amore.
Hinc pro morte Patris luctus omittat ovile,
Orbatum quamvis sit multæ lucis honore.
Gaudeat at merito, sicut gaudet Pater ipse.
Quod facimus vestris eadem nostris facitote.

S. Petri Islensis ecclesiæ (364).

93. Vera fides Christi laxat peccamina mundi,
Cujus facta caro ligno crucis hostia Patri.
Quod qui corde bone credens votis imitatur,
Ipsius vitæ consortia læta meretur;
Cujus Bruno pater concivis ut efficiatur,
Judicis ad thronum devotio digna feratur;
Prosit defunctis oratio mutua nostris.

S. Mariæ Mecinensis ecclesiæ (365).

94. Commemorande Pater Bruno Christi pia Mater
Dignetur Natum pro nobis in cruce passum
Poscere, cœlestis donet tibi prœmia regni;
Quo tecum fratres nostri sint atque sorores.

(356) Cellæ Lehunensis meminerunt Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom, III, col. 411, credibileque est ex iis quæ ibidem scribunt, eam jam inde ante S. Brunonis ætatem exstitisse.

(357) Erchinoaldus, Clodovei II major-domus, S. Furseo, patria Scoto, monachisque ejus sæculo VII juxta castrum suum Peronense exstruxit monasterium, monachisque in hoc jam inde a sæculo nono canonicorum collegium hodieque superstes, quod proinde hac inscriptione designari puto, successit. Adi Galliam Christianam auctam tom. IX, col. 1035 et seq,

(358) Nec locum sacrum, hoc nomine insignitum, invenire uspiam quivi, ut mendose expressum id hic esse putem.

(359) In diœcesi Cameracensi (adi Gallæ Christianæ auctæ Scriptores tom. III, col. 112) ad Scaldim fluvium haud procul ab oppido S, Quintini situm est monasterium, quod in divisione monasteriorum regni Lotharii, anno 870 inter Ludovicum et Carolum Francorum reges facta, memoratur, quodque ab aliis quidem Hunnocurtum, ab aliis vero aliter, magna tamen in hoc nomine mutatione haud facta, appellatur. Non aliud, quam hoc monasterium, in hac Tituli subjecti inscriptione designari puto.

(360) Sanctus scilicet sexta Octobris die seu eo tempore quo sol Zodiaci signum, Libræ nomine distinctum, motu proprio percurrit, ad superos migravit.

(361) Dubitandum non apparat, quin monasterium, ad quod subjectus Titulus spectat, illud ipsum sit, quod apud Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. III, col. 408 Aquicentinum seu Aquicinctense aut etiam *Aquicinense S. Salvatoris monasterium* nominatur, quodque sæculo undecimo exstructum, ad Scarpim fluvium secundo ab urbe Duaco milliari situm est.

(362) Designari hic autumo ordinis S. Benedicti monasterium, quod a Galliæ Christianæ auctæ scriptoribus tom. III, col. 393, Marchianense appellatur, sæculoque septimo fuit exstructum.

(363) Tribus circiter ab urbe Tornaco leucis ad Elnonem fluvium situm est hoc ordinis S. Benedicti monasterium, ab ipsomet S. Amando sæculo septimo exstructum. Consule Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. III, col. 254.

(364) Cum Insulensis in Flandria civitas *Islæ* etiam nuncupata reperiatur, habeatque insignem collegiatam ecclesiam, S. Petro sacram, eam hic designari indubitatum apparet.

(365) Haud dubie hic designatur ordinis S. Benedicti nobilium virginum abbatia, quæ ab aliis Messinensis, ab aliis Misseniacensis vocatur, sæculoque undecimo secundo ab urbe Iprensi lapide fuit exstructa. Adi Galliam Christianam auctam tom. V, col. 341.

S. Mariæ Formosellensis ecclesiæ (366).

www.libtool.com.cn

95. Frustra conquerimur justus si morte sopitur.
Omnibus una via proveniens variæ
Tristia damnatis, dat gaudia plena beatis.
Ergo beatus erit qui bene transierit.
Feliv hic Bruno, cui consonat ore sub uno
Laus modulata piis, comptaque tot studiis.
Nosque precamur ei lumen lucere diei,
Qui non temporibus cocidit aut vicibus.
Vos quoque pro nostris oretis commemoratis,
Sic sic concludo breviter, celeberrime Bruno,
Cui famulabaris, Christo sine fine fruaris.

S. Donatiani Brugensis ecclesiæ (367).

96. Hic cultor veri, dum vixit, gloria cleri,
Carne resolutus habeat nunc gaudia tutus.
Quæ petitis vestris, fratres, impendite nostris
Et qui lector ades, dic Sit ei requies.

S. Nicolai Meltensis ecclesiæ (368).

97. Mors breve nomen habet, sed nomine dura sub [ipso
Sors latet, et sors, quæ non breve jus habeat.
Calcat opes et sceptra quatit, cathedrasque supi- [nat,
Nemoque novit ubi, quando vel unde venit.
Sensus, honor, meritum, species, vis, res, genus, [ætas,
Omnia vanescunt mortis in articulo.
Hæc cum cuncta forent tibi, Bruno (369), pridie [Nonas
Octobris tamen es mortuus ipse modo.
Magne Pater, qui cuncta potes, cui competit uni
Interiora viri cernere funditus, et
Parcere peccatis, dare post obitum medicinam,
Parce viro tanti, sisque medela sibi.

SECTIO IV.

Titulus S. Petri Pictavis (370).

98. Sunt duræ sortis nigræ spectacula mortis.
Ullius exors et fortunæ libera mors est,
A Cunctorum cladem trutina quæ librat eadem.
Sicut privato, sic parcit nobilitato,
Angustosque lares vacuat, sicut populares.
Nam juvenis, flores, decus, et decor, res et honores
Præter divina sunt omnia sub Libitina.
Hunc obiisse Virum, non ergo sit hoc tibi mirum.
Sed qualis fuerit, si forte rudis mihi quærit,
Solvat et evolvat cartham (371) rursusque revolvat.

B. Mariæ Pictavis (372).

99. Vivis et in cœlis gaudes, eremita fidelis,
Quem felix esse sequitur, fugit omne necesse.
O Patrem sanctum, pro quo scelus est dare plan- [ctum,
Cujus gaudere nequit ulla lues abolere;
Vivere cui Deus est, cui lux, cui vera salus est!
B Euge, Dei verna frueris mercede superna.
Accipis inventum modico sudore talentum,
Quod prudens Domino solvisti fœnore bino.
Pro meritis tantis tibi clamant verba Tonantis
Utere, serve bone, mecum summa regione.

S. Hilarii Pictavis (373).

100 Brunonis vitæ seriem spectent eremitæ,
Mundum florentem, mundanos decipientem
Qui dum conspiceret, sed mundi labe careret,
Dum sibi vilescit, dum fœtida gaudia nescit,
Inhærens Christo seclo discessit ab isto.
Hac caruit vita Bruno, felix eremita,
Est Dominum nactus, cum dictis consonet actus.
Non igitur flemus quem sic migrasse videmus.

C *Alius ejusdem.*

101. Hoc dum vixisti mundo, vestigia Christi
Pluribus exutus vitiis, es, Bruno, secutus;
Ergo tibi Christus præstabat regna polorum,
In quibus exultat lætissima turba bonorum.

S. Radegundis Pictavis (374).

102. Rex immense Deus, qui verbo cuncta creasti,
Qui sanctis requiem cœlestia regna parasti,

(366) Hoc monasterium, quod non prope Furnas, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. V, col. 351, tradunt, sed prope Ipras situm est, anno 1068 fuit fundatum, ut iidem ibidem docent.

(367) Hæc ecclesia, quæ cathedralis modo est, S. Brunonis ætate collegiata duntaxat erat.

(368) Cum nec templum, nec monasterium, quod Meltense vocetur sanctoque Nicolao dedicatum sit, inveniam, quisnam hic designetur locus sacer, definire non possum.

(369) Dignitatibus, opibus ac genere præstitisse Bruno non obscurre hic traditur; quare tam hinc, quam ex iis, quæ Commentarii prævii § 2 in medium adduxi, nobili eum stemmate ortum esse, pro certo debet haberi.

(370) Cum S. Petro apostolo nuncupata sit, quæ sæculo quarto S. Hilarium habuit episcopum, cathedralis Pictavensis ecclesia, huic indubie attribuendus est Titulus subjectus.

(371) Rotulum scilicet funebrum, qui et epistolam encyclicam, obitus S. Brunonis nuntiam, et Titulos plures funebres seu datas ad hanc responsorias, in quibus non pauca de Sancto memorantur, complectitur.

(372) Plures sunt in urbe Pictavensi ecclesiæ, sanctissimæ Dei Genitricis nominæ insignitæ, quarum una, quæ collegiata est, et jam inde a sæculo decimo exstitit, *S. Maria Major* appellatur; hanc autem hic per S. Mariam, solitarie positam antonomasticeque acceptam, designari autumo.

(373) Cum duæ sint, quemadmodum apud nos ad diem 13 Januarii, quo de S. Hilario, Pictavensi episcopo, egimus, videre licet, in urbe Pictavensi D ecclesiæ, S. Brunone antiquiores, quarum altera *S. Hilarius de Cella* seu *Minor*, altera *S. Hilarius Major* seu *Magnus* nuncupatur, dubitari non immerito posse videtur, utrius sit Titulus subjectus. Attamen, cum per S. Hilarium, solitarie seu absque addito, uti hic fit, positum, per antonomasiam, non Minor, sed Major S. Hilarii ecclesia intelligenda videatur, pro hac potius quam pro illa pronuntiare velim.

(374) Sancta Radegundis regina, de qua apud nos ad 13 Augusti diem actum, post factum cum Clotario, Francorum rege, marito suo, divortium, sese Pictavium recepit, hacque in urbe, uti ibidem docuimus, duas ecclesias, alteram viris, alteram sacris virginibus, condidit. Prosterior una cum adjuncto parthenone *S. Crucis* nomine hodieque decoratur; prior vero, cui *S. Mariæ* nomen inditum initio fuit, postea *S. Reginæ* seu *S. Radegundis Basilica*, uti e Galliæ Christianæ auctæ scriptorum tom. II, col. 1299,

www.libtool.com.cn

Quique tuos ducis ad cœlica gaudia lucis,
Fac hunc gaudere cum sanctis sede polorum,
Qua gaudet vere cœtus sine fine bonorum.

B. Mariæ ac S. Cypriani martyris (375).

103. Omnis imago boni sis clemens, Christe, Bru-
[noni;
Hic eremita fuit, unde tibi placuit.
Quæ post oblitus cupiens hoc visere littus,
Te non per speciem, sed videt ad faciem.

S. Joannis evangelistæ Pictavis (376).

104. Gallia, festivas postponens carminis odas,
Nunc lugubres cantus et mœstos excipe planctus;
Namque tuus doctor, quondam per cœlica ductor,
Bruno pius moritur, flos feni subtumulatur.
Hinc est quod doleas, sed vivit, pone querelas,
Vere pro meritis justis sonatur [sociatus] in astris,
Cum quo sint nobis, tibi nec non gaudia lucis.

S. Petri Virsionensis cœnobii (377).

105. Turrinis monachis sit pax per sæcula cunctis.
Dum Phœbus radios, per cosmum tendere fulvos
Inciperet, bajulus vester, pro funere Patris
Deflens, huc venit, quem mors inimica peremit,
Cujus nos pro anima celebravimus ordine vota,
Ut mos Ecclesiæ sanctæ cognoscitur esse,
Ipsiusque animam Christo commissimus almam.
Nam donec vixit, Domino servire cupivit,
Moribus instructus, divino lumine fultus,
Fratribus atque Deo mansit dilectus in ævo.

S. Martini pleni pedis (378).

106. Quoniam nullus suarum virtutum precumve remige hujus exitialis vitæ naufragium inevitabile quoquomodo potest evadere, cœlestisque immarcessibile proemium obtinere; quod catholicam decet religionem, fratres, exposcitis. Ut igitur, ejus vestrisque precibus nostrorum rubigine criminum saluberrima decocta, purgemur, vestri Patris diem recolemus anniversariam.

S. Maximini Miciacensis cœnobii (379).

107. Doctus psalmista, clarissimus atque sophista,
[*i. e.* philosophus.
Gallia quem mire sua deberet sepelire,
Ut fertur Calabris nunc Bruno sepultus in agris,
Hac functus vita, sub temporibus stabilita,
Transeat ad vitam sine temporibus stabilitam.

Alius ejusdem.

108. Bruno consurgat Regi, cui crimina purgat,
Sanctorum Christo, cui mundo vixit in isto.
Excessit vita monachus, sapiens eremita,
Hinc clerus tristis moneatur versibus istis
Prœmia donantem Dominum rogitare tonantem,
Ut det ei requiem, plebs pia dicat Amen.

S Mariæ Parisiorum (380).

109. O vos mundani, qui re gaudetis inani,
Spernite culturam carnis subito perituram.
Corpus enim vastum, varia pinguedine pastum,
Quo magis impletu, putidum magis officietur.
Cur impinguatur caro, qua vermis satiatur?
Cur adeo cupimus bona, quæ retinere nequimus?
Quos male seducit mundus per devia ducit,
Et sectatores carnis fallit per honores,
Blandaque prætendit, dum nobis retia tendit.
Est et in hoc mundo mundanis sollicitudo,
Pœnaque lucratur pœnam, caro bis cruciatur
Qui lucra sectantur, subita nece præcipitantur
Et subeunt antrum carnes animæque barathrum.
Hæc satis attente pertractans Bruno repente,
Ille magistrorum decus, informatio morum,
Remigium turbæ Remensis, major in urbe,
Mundum despexit, iter ad cœlestia flexit,
Vilibus indutus pannis te, Christe, secutus.
Huic igitur cœli pateant populoque fideli,
Cum quo lætatur Bruno, semper sociatur.

S. Petri Resbacensis (381).

110. Temporibus nostris, finis dum proximat orbis,
Exstitit in mundo proximus iste Deo;
Nam dives fuerat, mores sapienter agebat,
Contempsit cuncta, post pauper et est eremita
Factus pro Domino, qui solus regnat in alto.
Iste viam carnis tenuit: per sæcula felix
Sit pietate Dei, qui sæcula morte redemit.

S. Petri Latunacensis (382).

111. Arbore de quadam fructum gustaverat Adam,

disco, fuit nuncupata; ut isthæc proinde ecclesia, quæ collegiata est, verosimillime, ne dicam, indubie hic designetur.

(375) Certum apparet hic designari veterem ac nobilem S. Cypriani abbatiam, a Pippino Aquitaniæ rege, anno 828 (adi Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom II, col. 1230) in suburbio Pictavensi exstructam, quæ varias passa est, non tantum vicissitudines, sed et nominis mutationes.

(376) Hoc monasterium, quod ordinis S. Benedicti est, in urbe Pictavensi sub titulo S. Johannis evangelistæ sæculo XI fuit extructum. Adi iterum Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. II, col. 1263 et seq.

(377) In diœcesi Bituricensi situm est hoc cœnobium diuque ante S. Brunonis ætatem fuit exstructum, uti liquet ex iis quæ de illo Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. II, col. 133, et tribus seqq. memoriæ produnt.

(378) Hæc ordinis S. Augustini abbatia, quæ in diœcesi Bituricensi duabus ab Avarico leucis sita est anno circiter 1080 fuit fundata. Ita Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. II, col. 186.

(379) Hoc diœces s Aurelianensis cœnobium, quod partim a Miciano agro, in quo fuit exstructum, partim a S. Maximino, secundo suo abbate, ad diem 15 Decembris, quo colitur, in opus nostrum inferendo, ita vocatur, sæculo sexto ineunte initium accepit. Adi Galliam Christianam auctam tom. VIII, col 1526 et seq.

(380) Sub nomine beatissimæ Virginis Mariæ dedicata est cathedralis Parisiensis ecclesia; quare hanc, quæ jam inde a primis regum Franciæ temporibus initium accepit, hic designari verosimillimum arbitror.

(381) Hujus monasterii, a S. Audoeno, Rothomagensi archiepiscopo, in diœcesi Meldensi sæculo septimo exstructi, notitiam invenies apud Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. VIII, col. 1679 et seq., uti etiam apud nos tom. IV Augusti, quo de S. Audoeno actum, pag. 812 ad lit. *m* in Adnotatis.

(382) Pro *Latunacensis* hic substituendum puto *Latiniacensis*; ut designetur Latiniacense diœcesis Parisiensis monasterium, in pago Briegio ad flumi-

www.libtool.com.cn

Arbore post de qua sors imminet omnibus æqua.
Si non peccasset, genus humanum recreasset.
Sed quia peccavit, morti mala cuncta paravit.
Ergo dolor, luctus, lacrymarum fundite fluctus,
Quod mors sic mordet, sævit, ruit, omnia sorbet.
Hac ruit omnis homo pro gustato male pomo.
Hic valet et vivit mox terræ membra reponit
Sic caro flos feni, fit fenum gloria mundi,
Dum juvenum flores marcescunt atque decores.
Cum parvo magnus, cum justo transit iniquus.
Hoc probat omnis homo, sed, homo quod compro-
[bat omnis,
Intulit ipse pater, sed quod pater intulit ipse,
Expulit ipse Deus, sed quod Deus expulit ipse,
Nobile fecit opus, sed opus, quod nobile fecit,
Sentit origo sequens; sed et hoc, quod sentit origo,
Sensit et hic Bruno: quoniam Bruno sentit et iste,
Vivit in æternum, non ergo fleamus ob ipsum.
Si qua tamen gessit, Domino quæ non placuere,
Os, mens, lingua Deum non deneget ista rogare
O Theos, alpha boni, da cœlica regna Brunoni.

S. Petri Neocastrensis (383).

112. Hac vixit vita dum felix hic eremita,
Dictus Bruno bonus, noster per cuncta patronus,
Quo vexit pago, vivens permansit imago
Veræ justitiæ, doctrinæ, philosophiæ,
Exemplum cunctis qui dans ratione potitis
Struxit structuram, quam novit non ruituram
Ætheream sedem, per sæcula cuncta manentem
In summis cœlis, ubi gaudet Bruno fidelis,
Cujus mirantes vitam; mores imitantes
Omnes oremus prece, qualicunque valemus,
Hic ut tam dignus, tam verax tamque benignus
Pro nobis toto fundens oracula voto,
Quo gaudet lætus, cælesti culmine fretus
Nos congaudere faciat secumque manere

S. Trinitatis Faleciæ (384).

113. Tanti doctoris fuerat de morte dolendum,
Omnibus atque bonis noctesque diesque gemendum,
Si possent luctus hominem revocare sepultum,
Et lacrymæ fructus facerent, non plagere stultum,
Sed quia missarum lacrymis suffragia præstant
Atque preces hominem justæ super æthera gestant
Hymnis et Psalmis, præcibus grex ergo fidelis
Christi poscat opem, missis omnino querelis,
Ut faciat cœlis animam residere Brunonis,
Ne populetur ovem, conservet ab ore prædonis.

S. Gervasii ejusdem loci (385).

114. Gallia multorum mater, nutrixque virorum,
Isti quando pares eshabitura mares?
Iste tuus quondam doctrinæ præbuit undam
Gentibus et cleris: heu bona fama peris!
Francigenæ gentis nil confert littera, sentis,
Hoc obeunte quidem, nunc habes inde fidem.
Istius fossa Calaber tumulus tegit ossa.
Vivere præstet ei gratia magna Dei.

S. Mariæ Tornacensis (386).

115. Quem genuisse Colonia, Francio vult aluisse (387).
Gloria Bruno pater, genti communis utrique,
Ascensu facili sociatur ac agmina cœli,
Quorum civis erat, etiam dum vita manebat.
Non tamen hinc frustra comes est oratio justa.
Conferat hoc Dominus, meritis quod defuit ejus.

S. Petri Blandinensis cœnobii (388).

116. Est commune mori, mors nulli parcit honori.
Mors est vita piis, pœna diurna malis.
Ibimus absque mora, sed qua nescimus in hora,
Est quia vita brevis, fluxa, caduca, levis.
Ecce, satis scimus, quod non evadere quimus,
Et quis erit finis, vermis et inde cinis.
Dum vixit, vita nituit satis hic Eremita,
Mortuus ipse tamen pace quiescat: amen.

S. Leodegarii martyris (389).

117. Poscitis auxilium, præbeat quod Christus in
[ævum.
Brunoni petimus migranti corpore Summus
Quatenus optati concedat munera regni.

S. Bavonis in Gandavo (390).

118. In verbis quanquam nobis sit magna facultas,
Non pro posse tamen, sit prodere verba voluntas,
Sed flentes breviter dicamus: Summe magister,
Brunoni charo tibi Rex, in carne fideli,

nis Matronæ ripam positum, quod S. Furseus, nobilis Hibernus, uti ad 16 Januarii diem, quo de illo apud nos actum docuimus, sæculo VII exstruxit, quodque, cum deinde a Northmannis ruinam passum fuisset, sæculo XI instaurandum curavit Herbertus III comes. Herberti II Veromanduorum comitis filius.

(383) Cum non pauca, quæ *Novi-castri* seu *Neocastri*, Gallice *Neufchatel*, nomine distinguuntur, loca inveniantur, nec ullum, cujus ecclesiam S. Petro nuncupatam essesciam, reperire potuerim, quisnam hic locus sacer disignetur, pro certo determinare haud queo.

(384) Falesia, Gallice *Falaise*, Northmanniæ Inferioris civitas, castrum, in rupe situm, sibi habet adjunctum, binasque, ut Martiniereus in Dictionario Geographico docet, complectitur parochiales ecclesias, quarum altera *SS. Trinitatis*, altera S *Gervasii* appellatur; dubitandum itaque non apparet, quin ad priorem ex his spectet Titulus subjectus.

(385) In editione Basileensi additur *Castri*; ut posterior e duabus ad not præced. memoratis ecclesiis, quæ Falesiense castrum complectatur, verosimillime hic designetur.

(386 Cathedralis Tornacensis ecclesia sanctissimæ Dei Genitrici sacra est; ut huic proinde ascribendus sit Titulus subjectus.

(387) Quid ex hoc discamus versiculo, videsis commentarii prævii num. 42.

(388) Nobilissimum hoc Gandense monasterium solo hodie *S Petri*, sub cujus et S. Pauli patrocinio fuit exstructum, nomine venire solet, licet primitus a monte Blandinio urbi Gandavensi vicino, in quo a S. Amando sæculo VII fuit exstructum, *Blandinium* fuerit vocatum. Adi de S. Amando operis nostri tom. I Februarii, pag. 822, uti etiam Galliæ Christ. auctæ, scriptores tom. V, col. 184.

(389. Cum varia sint, uti ad secundam Octobris diem in commentario, Actis S. Leodegarii prævio, docuimus, loca sacra, Sancti hujus nomine insignita. nec Tituli funebres eo ordine, quo rotulo fuere inscripti, recenseantur, quodnam hic seu templum seu monasterium designetur, definire haud queo.

(390) Insigne monasterium, quod S Bavonis no-

www.libroot.com.cn

Cui super omnes bonum placuerunt gaudia cœli, A
Illud des esse, quod nusquam novit abesse.

S. Mariæ Connatrensis in Anglia (391).

119. Hunc pietate sua rex Christus in arce polorum
Collocet, atque frui requie concedat eorum.

S. Audomari episcopi (392).

120. Exemplum miseris mortalibus esse solebas,
Ut colerent Christum, quem semper, Bruno, colebas;
Pro quo divitias sprevisti totius orbis,
Ut tibi perpetuas daret auctor totius orbis.
Ergo vera fides, quam tu semper coluisti,
Te trahat ad Christi requiem, quam, Bruno, petisti.

S. Pauli apost. Lundoniensis (393).

121. Tanti fama viri diffusa sub ultima mundi
Excitat ardentes in digna precamina mentes,
Et licet, ut quimus, complere petita velimus.
Vota probatorum passim promissa virorum
Nos pro posse monent, Dominum memorare Bru-
[nonem,
Decessumque sui missis celebrare quotannis.

Archidiaconi Rengerius, Walterus, Quintilianus, Robertus, Durandusque scholasticus, Theobaldus, Arturus, cæterique omnes canonici ecclesiæ sancti Pauli Lundoniensis salutamus fraternaque dilectione impertimus eremitas ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ Turris Calabriæ, concedimusque ut petiistis, anniversarium fieri singulis annis reverendo magistro domino Brunoni servo Dei cunctisque fratribus cœnobii vestri pridie Nonas Octobris; id concessimus publico consensu fratrum nostrorum nomenque ejus nominibus fratrum nostrorum ascripsimus in memoriam prædictæ commemorationis.

S. Petri Cassellensis ecclesiæ (394).

122. Brunonis vermes carnem pascuntur inermes,
Proh dolor! immensi vas sensus et bonitatis.
Non tamen est inde, quod defleo; nam mihi constat,
Illum sanctorum concivem, sed quia cœtus
Ipsius mœret privatus Patre benigno.

S. Mariæ Atrebatensis sedis (395).

123. Lux æterna Deus, præter quam nil valet esse,
Qui nobis voluit nasci de semine Jesse,
Participem faciat te, Bruno, suæ bonitatis,
Qui fons multifluus et mirificæ pietatis.

Alius ejusdem.

124. Rectæ Bruno, viæ dux et fons philosophiæ
Non aliter docuit, vivere quam studuit.
Dum bene vivendo fecit, quodcunque loquendo
Vir bonus ostendit, cœlitus emicuit.
Unde sibi merces donetur gloria perpes
Ac diuturna quies et sine nocte dies.

S. Vedasti Nobiliaci cœnobii scholæ (396).

125. Ploret vita brevi serie quod transeat ævi;
Transit enim, quidquid jam præsens cernitur esse.
Sic decet, idque petit, quod habet natura necesse.
Gloria stat rerum, perit hæc in tempore finis.
B Nil habet æternum, nisi sint imitamina veri.
Ergo quisquis homo vult prudens esse videri,
Diligat hæc tantum, quæ sunt sibi dona salutis.
Si bene stant curæ, bona lucis amando futuræ,
Non procuret ea, quæ sic fugiunt, velut aura.
Quidquid habet mundus, est quædam captio mentis,
Ut seducat eam, semper vigil ars inimici.
Ille leo rugiens, quærens, quem devoret, hostis
Nunquam dormitat, nec præstat membra quieti.
Irrequieta manet omnis sua cura per horas,
Nec habet occasum furor hic, nec sacra voluntas.
Unde, rogo, caveas homo, ne tenearis ab illo.
Mente sed intentus superis et sensibus omne
Impendas studium, vero quo functus honore,
Divino semper puroque fruaris amore.
C Deperit omne, quod est, sapiens simul insipiensque,
Pauper, inops, dives, quos vilis contegit urna,
Lege necis sumpta, sic fiunt pulvis et ossa.
Justus obit, moritur. Aliquo fit crimine læsus,
Nec caret macula communi lege creatus.
Cedit enim sorti, nimirum quam pater Adam
Permatrem meruit, quam littera nominat Evam.
Mens mea dum queritur super his, per plura vaga-
[tur,
Ampla nimis ratio per mentem multiplicatur.

men postea accepit, in castro Ganda ad Scaldis et Legiæ seu Lisæ confluentes sæculo VII a S. Amando conditum fuit; post varias autem vicissitudines sæculo tandem XVI a statu regulari (monachorum enim Benedictinorum erat) ad statum canonicorum sæcularium transiit, cumque deinde in arcem convertendum esset, hi ad S. Johannis basilicam tunc parochialem, nunc vero cathedralem, *S. Bavoni*, nomine *Johannis* deposito, appellatam, commigrarunt, cathedrale deinceps in hac episcopatus Gandensis, recens tunc erecti, canonicorum collegium constituturi. Adi Operis nostri tom. I Octobris Gloriam posthumam S. Bavonis § 5, uti etiam Sauderum Rerum Gandens. lib. IV, cap. 3 et Galliæ Christ. auct. scriptores tom. V, col. 171 et tribus seqq.

(391) Cum locum sacrum, qui ita nominetur, neque in Monastico Anglicano, neque alibi inveniam, puto, in illius scriptionem mendum hic irrepsisse, proque *Connatrensis* legundum *Conventrensis*; ita ut hic designetur cathedralis hujus nominis in Anglia ecclesia, quæ, sanctissimæ Dei Genitrici nuncupata, S. Brunonis ætate est antiquior. Adi Mabillonium tom. IV Annal. Bened. lib LVIII, num. 69, et Monasticon Anglicanum tom. II, pag. 428.

(392) Puto, hic designari monachorum cœnobium, operis nostri tomo præcedenti in commentario ad Vitam S. Gerardi, Brononiensis abbatis, prævio num. 245 memoratum, quod jam inde a sæculo nono canonicorum sæcularium factum fuisse, ibidem docuimus. D

(393) Cathedralis Londinensis in Anglia ecclesia S. Paulo sacra est; qure ad hanc puto spectare Titulum subjectum.

(394) Casletum, Flandriæ occidentalis oppidum, quod Gallice et Flandrice *Cassel* appellatur, hincque ab iis, qui subjectum Titulum scripsere, *Cassella* seu *Cassallum* Latine dici potuit, duas habet collegiatas ecclesias, quarum altera *S. Petri*, altera *S. Mariæ* nuncupatur; ut proinde priorem ex his hic designari, fas sit conjicere.

(395) Atrebatensis cathedralis ecclesia, sanctissimæ Dei Genitrici sacra, indubie hic designatur.

(396) Atrebatense S. Vedasti monasterium, quod prius *Nobiliacum* dictum fuit, sæculo septimo fuit constructum. Dubitandum itaque non apparet, quin a schola, quam pro more, sæculo duodecimo ineunte usitata, monasterium illud instituebat, Titulus subjectus processerit.

www.libtool.com.cn

Glare pater Bruno, peto, sit tibi vita perennis,
Dicat Amen quisquis mihi respondendo fidelis.

Aliis ejusdem.

126. Lumen et ordo viæ ducentis ad alta sophiæ
Occidit, hinc cedens naturæ Bruno recedens
Par pecudis brutæ Tibi, Bruno, magister acute,
Viluit hic flore mundus, sterilique decore.
Flos fuit in feno, viguit sub sole sereno,
Dum tua cantaret, studio dum musa vacaret,
Dum modo lactaret Remos, modo pane cibaret (397).
Hinc tamen, abjectis opibus studiisque rejectis.
Clausus in obscuro frueris labamine duro,
Nilque sequens Bruno varium, fundatus in uno,
Sic Pater, o Bruno, capis unum captus ab uno (398).

SECTIO V.

Titulus S. Mariæ Morlivensis ecclesiæ (399).

127. Floruit in mundo vir prudens ore profundo
Utilis est forma sors ejus et ultima norma.
Scivit enim vere, mundum non posse manere.
Calcavit flores ejus, contempsit honores.
Nunc requies sibi sit quoniam sacra pagina dixit :
Non est damnosa mors justi, sed pretiosa;
Bruno Hierusalem conscendit spiritualem.

SS. Petri et Augustini Anglorum apostoli (400).

128. Bruno pia vita cœlo vivas eremita.
Reddidimus vestris, reddantur debita nostris.

S. Edmundi regis martyris (401).

129. Transit ab hac vita Bruno pater ac eremita,
Transeat in requiem spiritus ejus : Amen.

Alius ejusdem.

130. Annuat huic Dominus Brunoni gaudia verus,
Agmina sanctorum, qui continet alta piorum.

S. Mariæ Spalinguæ ecclesiæ S. Nicolai Andegavensis (402).

131. In mundo rutilat solis jubar et rutilando
Transit et excedit sidera clara poli;
Sic et Brunonis sapientia tanta refulsit,
Inter Francorum sidera solus ut hic
Esset cunctorum flos et fons philosophorum.
Flos speciosus erat, fonsque profundus erat.
Ex hoc manavit sapientia tanta per orbem,
Ut quos imbueret, philosophos faceret.
Splendor sermonis fuit et lux relligionis,
A Ejus relligio scitur ubique satis;
Ejus doctrina sunt facti tot sapientes,
Quos mea mens nescit et mea penna tacet;
Ejus in exemplo sunt multi relligiosi
Et sectatores discipuliqua crucis.
Ipse crucem Christi tulit et sua cuncta reliquit,
Seque negando sibi profuit ipse sibi.
Dives, famosus, facundus et generosus
In mundo nituit, sed sibi displicuit.
Mundus et ipsius res et mundana potestas
Non sibi chara fuit, omnibus abstinuit.
Nullus amor vel honor nocuere Deum sitienti;
Sed quærendo Deum fuit [fugit] in exilium.
Exsul erat patriæ loca præsidiumque Mariæ
Obtinuit, cujus filius ipse fuit.
B Felix exsul erat, quem virgo Maria recepit.
Hæc sibi refugium præstet et auxilium
Fiat ei portus, cujus fuit integer ortus
Filius æternus, sit tibi certa salus.

Religiosis fratribus in loco, qui Turris appellatur, Deo devote famulantibus Lambertus abbas et tota congregatio Sancti Nicolai salutem et dilectionem. Dolori vestro et desolationi charitatis visceribus compatientes dominoque Brunoni ex hoc mundo ad Patrem; ut credimus, transeunti congaudentes et triumphalis funeris debitum exsolventes justis petitionibus vestris et desideriis satis facimus, annuentes, ut illius depositio in Martyrologio nominibus fratrum nostrorum interscribatur et perpetua memoria recolatur.

C *S. Mariæ ecclesiæ Lincolniensis* (403).

132. Transisti mundo securus, maxime Bruno,
Quem quia sprevisti, nil nocuisse puto.
Te voluit rebus fallacibus illaqueare,
Sed tibi prospiciens non cadis in laqueum.
Obtulit iste quidem, quæ pronus stultus adorat,
Hoc est, divitias et bona, quæ pereunt.
Et quia nemo potest horum splendore beari;
Quippe nihil prosunt, sed nimis officiunt,
Omnibus adjectis, eremum lætus petiisti,
Hoc solum cupiens posse placere Deo.
Nec bona fama viri latuit dispersa per orbem,
Sed vaga permultos commonuit populos.

(397) Sanctum Remis poesim docuisse, hinc concludendum apparet. Adi comm. præv. num. 77.

(398) Alludi videtur et hic ad illud Lucæ x, 42 : « Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit. »

(399) Cum locum, qui seu *Vorlivum*, seu *Morliva* vocitetur, nuspiam inveniam, occurrat autem in Britanna Minori civitas, quæ *Morlæum*, Gallice *Morlais* seu *Morlaix*, nominatur, ecclesiamque sanctissimæ Dei Genitrici sacram, habet, spectare ad hanc Titulum subjectum, verosimile apparet perperamque adeo *Morlivensis* pro *Morlæensis* hic exarari.

(400) Insigne hic puto designari Cantuariense monasterium, quod S. Augustinus, Cantuariensis in Anglia episcopus, *Anglorum Apostolus* nominatus, de quo apud nos ad diem 26 Maii actum in honorem S. Petri apostoli Cantuariæ sæculo septimo exstruxit. Adi tom. I Monastici Anglicani pag. 23, uti etiam operis nostri tom. VI Maii, pag. 440.

D (401) Vide de hoc monasterio Monastici Anglicani tom. I, pag. 284 et binis seqq., ubi ea traduntur, ex quibus palam est, diu illud fuisse ante S. Brunonis ætatem constructum.

(402) Andegavense ordinis S. Benedicti monasterium, qui a *S. Nicolao* nomen est inditum, sæculo undecimo, quemadmodum in Gallia Christiana veteri Sammarthani fratres tom. IV, pag. 688 docent, fuit fundatum; atque hoc quidem hic per Andegavensem S. Nicolai Ecclesiam designari autumo; per aliud autem, quod huic præmittitur, *S. Mariæ Spalingæ* nomen unam ex ecclesiis, quas de more (plures enim olim majoribus cœnobiis erant ecclesiæ) monasterium illud habebat.

(403) Lincolniensis cathedralis in Anglia ecclesia sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ, uti tom. III Monastici Angl. pagg. 257 et 259 videre licet, sacra est ; quare dubitandum non apparet, quin ad hanc referendus sit Titulus subjectus.

www.libtool.com.cn

Profuit et multis dans exemplum famulandi
Illi, qui bonus est, qui Dominus Deus est.
Hoc igitur melius quis homo posset meditari?
Ista salus multis profuit atque tibi
Quis tam felicem novit atque sapientem?
Non novi talem nec tibi consimilem.
In te revera patuit sapientia vera,
Te pietas Domini nutriit et docuit.
Hunc elegisti præ cunctis, hunc et amasti,
Quem quicunque colit, non coluisse pudet.
Sit tibi lux, patria, requies et gloria parta,
Cui servire fuit gloria sola tibi.

S. Mariæ Eboracensis (404).

133. Filius ecclesiæ mortali carne solutus,
Bruno vir sapiens, quod sua facta ruiturus,
Spes, amor atque fides, quod meruere, tenet.

Alius ejusdem.

134. O si voce rei divini pompa trophæi
Posset laudari, vel plene notificari!
Sed quia deficeret, nisi se mea vox cohiberet
Quod mihi velle datur, perfecte posse negatur.
Sed tamen absque mora surgat mea per mare prora,
Ut, si fas detur, Christum laudando precetur.
Laus tibi, summe pater, cui subditur inferus ater
Laus tibi, laus, Christe, cui mundus subjacet iste.
Cœlestis doni da præmia, quæso, Brunoni
Ut tibi, qui vixit, qui mundo se crucifixit,
Vivat in æternum nec mortis tangat avernum.
Quod petitis vobis, impendite mutuo nobis.

S. Petri Eboracensis Angliæ metropolis (405).

135. Pro quo Bruno brevis reprobavit noxia vitæ,
Ipse rependat ei munera perpetuæ.

Aliis ejusdem.

136. Fama prius nobis retulit, quam littera vestra,
Non de morte quidem, sed bonitate viri.
Gemma domus Domini Bruno fuit atque columna,
Et fidei verus cultor apostolicæ.
Vera fides ejus, virtutibus ædificata,
Æthereas ædes ædificavit ei.
Gloria, divitiæ, persona, scientia rerum
Illi clara satis, sed pede pressit ea.
Sunt quæ dant homini post mortem vivere posse,
Nec tamen hæc possunt morte carere dare.
Mors premit omne caput, quæ si cui parcere posset,
Certe Brunoni parcere debuerat
Mors bona, mors felix, si mors est illa vocanda,
Quam sequitur requies vitaque perpetua.

A Si quid ei terrena dedit contagio sordis
(Nam sine peccato vivere nemo potest)
Abluat illa Deus, qui trinus vivit et unus
Et det ei requiem, dicat et omnis: Amen.
Quod petitis vestris jam fecimus et faciemus,
Et petimus, nostris ut faciatis idem.

S. Joannis archiepiscopi Beverlacensis ecclesiæ (406).

137. Bruno, quod sprevit vivens, in morte reliquit
Nam mundum fugit mundanaque vilia dixit.
Christo servivit, quare cœlum penetravit.
Ipsius tales transmittere sed quia fratres
Chartam fecerunt, nostri domini voluerunt
Pro famulo tanto postremo tempore functo
Officium servis gratum persolvere cunctis.

Ricardi (407).

B 138. Qui casu mortis, sublato Patre, doletis,
Ponite tristitiam, manet omnes exitus idem.
Hinc est pensandum, quia mundi gloria fenum,
Ad tempus floret, florens pertransit et aret;
Et quia sic floret florens, sic transit et aret,
Declinemus eam, magis inquirendo futuram.
Jam præcessisti, jam regula, Bruno, fuisti,
Jam conclusisti, quod caute proposuisti.
Florebas mundo fragili, sed flore caduco
Sprevisti mundum fragilem, floremque caducum,
Contemplativæ quærens succedere vitæ,
Quam tibi concedat, qui secla per omnia regnat.

Alberti.

139. Det pietas Christi tibi, Bruno, quod meruisti
C Factus in hac vita monachus prius, hinc eremita

Turstani. (408).

140. Sit tibi, Bruno, quies, sit lux, sit gloria perpes,
Sit tibi vera salus, vera medela Deus.

Richardi.

141. Æternam sedem nobis invidit et ædem
Æternæ sedis factus prior exsul et ædis,
Arboris illicitæ dum gustum suggerit Evæ
Gustat, fit gustans mortalibus addita fatis,
Porrexitque viro, casu simili ruituro.
Immortalis erat, sicut Deitatis imago,
Immortalis erat, costis educta virago;
Sed mox post gustum mortales efficiuntur
Dejectuque gravi paradiso dejiciuntur
Intravit mundum mors effera, subdidit illum
D Legibus illa suis, moritur, qui nascitur, omnis.
Parcere non novit, sad nec tibi, Bruno, pepercit.
Apposuit patribus, jam sit tibi vivere Christus
Et raptum mundo te restituat paradiso.

(404) Hoc monasterium, S. Mariæ nomine insignitum, diu pariter ante S. Brunonis ætatem fuerat exstructum. Adi Monast. Anglic. tom. I, pag. 384, et Mabil. in Annal. Bened. lib. VII, num. 69.

(405) Dubium non est, quin hic designetur cathedralis, quæ S. Petro sacra est, Eboracensis Ecclesia.

(406) Hæc ecclesia, quæ collegiata est atque in agro Beverlacensi sita, diu ante S. Brunonis ætatem exstitit, uti videre est tum ex iis, quæ de S. Joanne Beverlacensi, archiepiscopo Eboracensi, ad 7 Maii diem, quo de hoc apud nos actum, docuimus, tum etiam ex iis, quæ tom. III Monastici Anglicani in Collegiatis Anglæ Ecclesiis pag. 1 in litteras missa sunt.

(407) Hic, qui Titulo subjecto, aliique, qui quatuor Titulis proxime sequentibus Sancto nominatim parentarunt, collegiatæ Beverlacensis ecclesiæ canonici indubie fuerunt. Singulorum porro nomini in editione Basiledensi additur *Ad eumdem*; quod quid verosimiliter significetur, ex Adnotatis, sectioni sextæ ad not. 421 subdendis, collige.

(408) Opinioni eorum, qui Sanctum, cum mundo valedixit, non recta in Carthusiam secessisse statuunt, suffragatur hic Titulus. Adi commentarium prævium num. 415 et seqq.

www.libtool.com.cn

Willelmi.

142 Carmina si possent tanto prodesse Patrono,
Jam prodesset ei musa canora mei.
Carmina cantasset titulo fruitura perenni,
Mille modis tanto psalleret illa viro,
Psalleret illa viro, studiosa mente manuque
Linguaque magnificum magnificaret eum.
Sed quia defuncto nil prosunt carmina laudis,
Virtus summa Dei propitietur ei.
Torruerat phœbus bis sex octoque diebus
Libram, cum vita discessit ab hac eremita (409)

S. Petri Castrensis ecclesiæ (410).

143. Gloria justorum, solatia sola reorum
Bruno fuit vivens parque dolor moriens.
Totius cleri decus, exemplar quoque veri,
Mors dolor! eripuit, dum Pater occubuit.
Effectus monachus prius, hinc eremitaque rectus,
Gratia summa Dei propitietur ei.
Huc tendunt vota, quo propitiatio tota
Sit fragili vitæ sub brevitate sitæ.
Huic fuit Octobris immanibus edita probris
Finis sexta dies, sit sibi jam requies.

Alius ejusdem.

144. Personæ titulus sub nomine prætitulatus
Virginis et Matris, quam post Dominum colit orbis,
Diversos luctus mundus sonat undique totus,
Ad multas mortes secum ducendo cohortes.
Prosternit cunctos sacro baptismate lotos,
Sicut demonstrat Brunonis clara lucerna.
Is cum multorum laudetur voce virorum,
Sit meritis morum spectabilis eximiorum,
Lege tamen mortis sors hunc tulit impia portis.
Flemus vobiscum, sed opus quid ad hæc nisi Christum
Poscere, quod requies sibi sit post funera perpes.
Ut vestris functis dedimus, sic vos date nostris.

145. *Mariæ et S. Aldelmi Malmesbenensis ecclesiæ* (411).

Hic bonus athleta, cujus celeberrima vita
Istic narratur, laudabilis esse probatur.
Nam si sic vixit, præsens ut chartula dixit,
Et si munificus fuit et pius atque pudicus,
Si sibimet parcus fuit, indiguis quoque largus,
Si calcator opum, si spretor deliciarum,
Si verbis cultus fuit et bene morigeratus,
Est quid opus verbo, quid dicere plura laboro?
Jam nunc tantorum cœlum tenet arte bonorum,
Nam sibi pro meritis est redditus astriger axis.
Nunc igitur Bruno lætatur et hæret in uno,
A Unum suscepit Bruno, qui multa reliquit.
Est tamen hoc solum cunctis præstantius unum.
Si quam sit magnum, juvat hoc addiscere lucrum,
Sat dicam breviter, paucisque docebo patenter.
Suscepit Christum solamen dulce laborum,
Quid prodest igitur, quod nos sibi versificamur?
Sed puto, proficere, si dico : Deus, miserere.
Ast quoniam nemo peccaminis est sine nævo,
Si quod habet facinus, tu bono terge Deus.

S. Mariæ Rothomagensis ecclesiæ (412).

146. Ecclesiæ sancta totius lugeat ordo,
Humani generis flens irreparabile damnum
Mundo decessit mundani victor honoris
Bruno pater, sanctæ fundator Relligionis,
Cujus tanta piam vitam commendat honestas,
B Ut sit eum cuiquam non æquiparare potestas.
Ipse fuit sapiens, vir nobilis, indole fulgens,
Imbutus fonte totius philosophiæ;
In quo cum virtus probitatis viva niteret,
Glorificos fasces, qua promeruisse valeret,
Proculcator opum, cunctorum spretor honorum,
Et mundi stultam pede contudit ambitionem
Et studio sanctam fundavit Relligionem.
Mundum declinans, mundi sublimia vitans
Elegit potius privata degere vita.
Sed quamvis humilis clarus meritis eremita,
Cujus magnificæ quoniam seriem pietatis
Nemo referre valet, actusve piæ bonitatis,
His prætermissis, precibus nos invigilemus,
C Atque Patrem summum devota mente rogemus,
Ut Pater eximius vitali luce fruatur
Justus et agminibus justorum consocietur.
Nos Rothomagenses metropolis ecclesiæ canonici singulis annis venerabilis viri Brunonis anniversarium faciemus.

S. Trinitatis Rothomagi (413).

147. Quamvis mens hominis nescit discernere, finis
Qui sit cunctorum; sed fons et origo bonorum,
Cui patet occultum, nec quid dimittit inultum,
Nos tamen, ut mores designant exteriores,
Dulcis et emeritæ pia consummatio vitæ,
Credimus, ad Superos quod vester transiit Heros.
Quæ vos oratis de votis concelebratis,
Hac eadem nostris exposcimus ut faciatis.
D Ut vivant Christo, quos carcere solvit ab isto.

S. Leodegarii (414).

148. Hic Leodegarii titulus describitur almi.
A facie mortis nequit ullus sistere fortis.

(409) Anno nimirum 1101, quo S Bruno obiit, nondumque Gregoriana Calendarii correctio facta erat, signum Libræ sol fuit ingressus die 17 Septembris, a quo ad diem 6 Octobris, Sancto emortualem, dies viginti, computato utroque extremo, effluxerunt.

(410) Hic fortassis collegiata Angliæ Ecclesia de Cestre, quæ S. Petro sacra sit, designatur.

(411) Malmesburiense, de quo tom. I Monastici Anglicani pag. 49 et seqq. agitur, monasterium, in agro Wiltoniensi situm, verosimiliter hic designatur, perperamque proinde *Malmesbenensis* pro *Malmesburiensis* scribitur.

(412) Cum eccclesia cathedralis Rotomagensis sanctissimæ Dei Genitrici sacra sit, illam hic designari, indubitatum apparet.

413) Hoc monasterium, quod in monte prope Rotomagum situm erat, sæculo XI fuit exstructum, et ad annum usque 1597, quo mensa abbatialis Carthusiæ Gallionensi attributa est, sub abbatibus perseveravit, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. XI, col. 124 et seq. docent.

414) Pratellense S. Leodegarii cœnobium, quod in diœcesi Lexoviensi situm est, sæculoque XI, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. XI, col. 853 docent, fuit exstructum, verosimillime hic designatur.

www.libtool.com.cn

Sed fumo similis vita viri sterilis.
Labitur ut ventus pulcherrima nata juventus.
Æque tolluntur pessimus atque bonus.
Omnes morte ruunt, terramque cadavera quærunt,
In nihilum veniunt, vermibus esca fluunt.
Corpora putrescunt, quæ viva superba fuerunt
Horrida fit caro mortua cuncta caro.
Mox homo cum moritur, statim sua fossa paratur,
Charus post nullus curet habere suus,
Sed sociat cineri jam fœtens corpus amici.
O quam vanus amor, cum cadit omnis honor!
Brunoni dedimus, quod debitus exigit usus,
Vos et idem nostris persolvite subtitulatis (415)

S. Mariæ Potileviensis (416).

149. Exiit e mundo Vir, mundi spretor, ad illum,
Qui mundum fecit quem sine fine videt;
Et licet hic, tanquam tenebrosus, Bruno vocetur (417),
Est tamen et fama lucidus et meritis.
Luce Dei fruitur, quia lucem respuit istam,
Et pro deserto cœlica regna colit.
Vos igitur, fratres, pro læto ne doleatis,
Esse suos lætos lætus et ipse cupit.
Si quid ei minus est, Deus illi compleat illud
Et nostras vestris jungat ei precibus.

SECTIO VI.

Titulus S. Mariæ Bajocensis ecclesiæ (416).

150. Strennuus et fortis conservator monachorum,
Providus et mortis, fundator cœnobiorum,
Sanctorumque Patrum prius et clemens imitator,
Solamen fratrum, sanctæ virtutis amator,
Morum corrector justus, pia spes miserorum,
Justitæ rector, custos et ubique bonorum,
Moribus ornatus, vas et plenum pietatis,
Fortiter armatus clypeo veræ probitatis,
Humanæ Bruno subiit jus conditionis,
Cœtibus angelicæ conjungendus legionis.
Non ibi raptores habitant, nec turba rebellis
A Nec pravi mores ibi sunt, sed quisque fidelis.
Quo nobis aditum tribuat Rex perpetualis,
Mortis post obitum protectio spiritualis
Spiritus hic summa Brunonis pace fruatur
Luceque splendiflua pietate Dei potiatur.

Versus scholares ejusdem urbis (419).

151. Hic dolor, o Bruno, plus quam processit ab [uno,
Unde dolet, plangit, quam mors tua funditus angit!
Non lacrymando parum communis turba scholarum
Atque genu prono tali viduata Patrono
Pro merito dando diffundit vota precando,
At Regem poscit, qui cuncta latentia noscit,
Ut tibi det vitam, te suscipiens eremitam.

S. Georgii ejusdem urbis (420).

B 552. Flos eremitarum, lumen mirabile, clarum
Sydus, Bruno, patrum vigor, ordo, regula fratrum
Exemplarque viæ cœlestis, fonsque sophiæ,
Has tetigit metas, quibus omnis clauditur ætas.
In numero fratrum te scripsimus, optime patrum,
Sedula devote fundendo precamina pro te,
Ut pietate Dei tibi detur pars requiei.

S. Stephani (421).

153. Si vel per gemitum vel per lacrymas dare [vitam
Hic mundus posset, mundus utrumque daret,
Ut sibi sublatum semel eliceret redivivum
Brunonem, miseris spem, decus, auxilium;
Qui sectans eremum, propriamque crucem baju- [lando
C Actu complevit, ore quod edocuit,
Remigiumque tenens fidei spem fixit in astris,
Et rate felici jam mare transiliit:
Et quia non per se valet ullus posse beari,
Hunc immensa Dei gratia justificet.

S. Vigoris Cerasiaci cœnobii (422).

154. Humilis grex cœnobii Cerasiensis beati Vigoris,

(415) Adi notam 352.

(416) Hoc cœnobium, quod sanctissimæ Virgini Mariæ sacrum est, quodque ab aliis *Pontilevium* vocatur, in diœcesi Blesensi situm est, sæculoque undecimo, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. VIII, col. 1379 docent, fuit exstructum.

(417) Alluditur ad nomen Brunonis, quod a nomine Teutonico *Braun*, Flandrico *Bruyn* et Gallico *Brun*, idem, quod Latine *Fuscum* seu *Subnigrum* significante, deductum videri potest.

(418) Sanctissimæ Dei Genitrici sacra est, quemadmodum Galliæ Christianæ auctæ scriptores t. XI col. 346 docent, cathedralis Bajocensis ecclesia; quare ad hanc referendum puto Titulum subjectum.

(419) In Adnotatis sectioni secundæ subnexis docui singulis fere cathedralibus suas olim fuisse scholas, in quibus, qui volebant, litteras docebantur: verum, cum præter scholas hasce, quæ *episcopales* vocabantur, monasticasque, quæ monasteriis instituebantur, essent etiam in urbibus nonnullis scholæ, quæ a magistris, ab episcopo approbatis, extra cathedrales ecclesias monasteriaque instituebantur, nesciamque, qui res in urbe Bajocensi S. Brunonis ætate habuerit, spectetne ad episcopalem, an ad aliam Bajocensem scholam Titulus subjectus, pro certo nequeo edicere, potestque is profectus esse ab omnibus simul civitatis Bajocensis scholis, si plures forte ibidem fuerint.

(420) In generali beneficiorum diœcesis Bajocensis elencho, anno 1648 typis Parisiensibus excuso, pag. 23 curatis civitatis Bajocensis ecclesiis accensetur ecclesia, *S. Georgii* dicta; quare cum locum sacrum alium, vel abolitum, vel modo adhuc existentem, cui in civitate Bajocensi vel sit, vel olim fuerit a S. Georgio nomen, hand reperiam, ecclesiam illam hic designari conjicio.

D (421) In editione Basileensi habetur *S. Stephani ad eumdem*, id est, ni fallar, *ad eumdem Titulem*; hujusmodi autem inscriptio, cum vocem *Titulus* subinde etiam ad epistolam encyclicam, obitus cujuspiam nunciam, significandam S. Brunonis ætate fuisse usurpatam, ex ipsa proxime ante funebres hosce Titulos descripta epistola encyclica, mortis S. Brunonis nuncia, manifestum sit, æquivalet huic sequenti: *Responsio S. Stephani ad eamdem epistolam encyclicam, mortis S. Brunonis nuntiam.* Jam vero, cum diœcesis Bajocensis situm in urbe Cadomensi, quod *S. Stephani* nomine distinguitur sæculoque undecimo fuit exstructum, monasterium complectatur, processisse ab hoc Titulum funebrem, seu subjectam ad encyclicam, qua mors S. Brunonis quaquaversum nuntiata fuit, epistolam responsionem, verosimile apparet.

(422) Hoc diœcesis Bajocensis monasterium, *Cerasium* etiam appellatum, quod a Northmannis adhuc ethnicis Neustriamque infestantibus, fuerat destru-

Digitized by Google

præmonitus oraculo divino, pro anima religiosi ac A
Deo dilecti Brunonis generale officium (422) persolvit, orans ut ei parcat summa Dei pietas.

S. Mariæ Constantiensis ecclesiæ (424).

155. Christus doctorum doctor, fons atque bono-
[rum,
Donet Brunoni, quod meruere boni.
Esse Deum verum sequitur non esse severum,
Huic igitur placidus sit sine fine Deus.
Nam genus humanum, confectum crimine vanum,
Iste Pater docuit quam melius potuit,
Christi mandatum pandens, dare munus amatum
Servanti vitam dat quia perpetuam.
Nec solum verbis, ut durus doctor, acerbis
Perdocet, ast factis persequitur propriis.
Perpetua vita cur non caret hic eremita,
Est quoniam verus solus in orbe Deus.
Quod petitis vestris, hoc Christus det quoque
[nostris,
Insimul ut socii sint sine fine Dei

Versus scholares ejusdem (425).

156. Bruno multorum præceptor grammaticorum
Cunctis corporeum nuntiat interitum
Grammaticus, rhetor, dialecticus astrologusque
Effugerent mortem, si fugienda foret.
Sed quia mors nulla nequit auferri medicina,
Semper quisque suum cogitet interitum.

S. Michaelis de periculo maris (426).

157. Mira Dei virtus mirandos perficit actus.
Quosdam justificat, quosdam de morte repulsat.
Quos vult, ignorat, quos vult, solide sibi firmat ;
In quibus hic Bruno, vir relligionis amator,
Colligitur, capitur, feliciter annumeratur,
Hujus sicut opus rotuli contestificatur.

S. Petri Casalis (427).

158. Vita Brunonis, fides et opera si talis exstitit, ut dicit littera.
Non est lugendus, cum sit Superis sociatus ;
Sed si, dum fragilis toleramus pondera carnis,
Nullus compareat, qui sic sine crimine vivat,
Ut caveat factis aut non delinquere verbis ;
Idcirco Christum deprecamur, ut, si in aliquo offendit iste Pater, dignetur indulgere.

S. Mariæ Louleii cœnobii (428).

159. Audito transitu beatissimi eremitæ Brunonis, Cenomanensis mater ecclesia trigenarium ei fecit (429), anniversarium depositionis diem celebratura.

S. Juliani Cenomanensis (430).

B 160. Morte tua flendum non credimus, optime
[Bruno,
Qui, fugiens vanos mundi pereuntis honores,
Angelicam in terris vitam sapiens imitatus
Corpore adhuc vivens cœlestia mente petebas.
Corporis ergo malis, Christo miserante, solutus
Sedibus æthereis æterna pace frueris.
O utinam tua sancta sequi vestigia possem,
Corporis istius quo lætus damna subirem !

Alius ejusdem.

161. Vixit in Ecclesia firmissima Bruno columna,
Occidit, unde decus Ecclesiæ titubat.
Mundalis luget, cœlestis curia gaudet.
Hæc perdit, tantum suscipit illa Virum.
C Debita naturæ solvit meliora secutus,
Cui pro morte brevi vita perennis erit.

Alius item ejusdem.

162. Ad Superos Superum cultor sociusque re-
[cessit.
Commendans terræ Bruno, quod ejus erat,

ctum, ab iisdem, factis Christianis, sæculo undecimo fuit instauratum, consule Galliam Christianam auctam tom. XI, col. 408 et seqq.

(423) Adi notam 282.

(424) In inferiori Northmannia sita est urbs episcopali sede nobilis Constantia ; hujus autem cathedralis ecclesia, quemadmodum Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. XI, col. 863 docent, sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ nuncupata est ; quare locum sacrum ab Ecclesia illa distinctum, hic designari non puto.

(425) In editione Basileensi additur *Urbis* Vide notam. 419.

(426) De hoc diœcesis Abrincensis monasterio, quod ab aliis *S. Michael in periculo maris* appellatur, sanctique Brunonis ætatem longo temporis spatio præcessit, adi operis nostri tom. VIII, Septembris pag. 80 et 3 seqq, uti etiam Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. XI, col. 510 et tribus seqq.

(427) Locum sacrum, qui hoc nomine distinguatur, dicique aliqua veri specie is, qui hic designatur, possit, nuspiam invenio.

(428) Monasterium, in diœcesi Cenomanensi situm, quod *Lonleyum* vocatur, sæculo undecimo fuit exstructum. Liquet id ex ipso, utpote cui Sigefridus, sæculo undecimo non multum provecto, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. XI, col. 680 docent, Sagiensis episcopus, subscripsit, suppeditato a Sammarthanis fratribus tom. IV, pag. 579 et seq. fundationis instrumento. Istud porro monasterium, quod, quemadmodum ab iisdem Sammarthanis fratribus ibidem traditur, in sanctissimæ Virginis Mariæ honorem fuit conditum, esse puto illud ipsum, quod hac in inscriptione, litterulæ unius facta mutatione, *Louleii cœnobii* nomine distinguitur. Mirum interim accidit, in Titulo subjecto exponi, non quid hoc, sed quid *Cenomanensis mater*, seu cathedralis, *Ecclesia* pro *S. Brunone* præstiterit, sequentique etiam tempore sit præstitura.

D (429) Adi notam 269.

(430) Cum Cathedralis Cenomanensis Ecclesia S. Juliano, primo Cenomanensium episcopo, nuncupata sit, nec ab hac distinctus, cui a S. Juliano nomen fuerit, conveniresque posse Titulus subjectus videatur, locus sacer ullus in Cenomanensi seu civitate seu diœcesi sæculo duodecimo, cujus anno primo Sanctus noster obiit, exstitisse inveniatur, cathedralem illam ecclesiam hac in inscriptione designari, existimo ; quod si autem vera sit hæc mea opinio. Claudium Robertum et post hunc Sammarthanos fratres, qui, cathedralem Cenomanensem ecclesiam, cum primo B. Mariæ ac deinde S. Gervasio consecrata fuisset, anno demum 1201 S. Juliano, translato in illam sacro hujus corpore, dedicatam fuisse, in concinnatis a se Galliis Christianis scribunt, a veritate aberrare necesse est, nisi forte, quod tamen non puto, isthæc Tituli subjecti inscriptio ab iis solummodo, qui funebres Sancti Titulos sæculo 16 edendos curarunt, fuerit profecta.

www.libtool.com.cn

Sarcinulasque leves et agentem Prothea mundum A
Despicit, æternas pauper adeptus opes.
Depositum interea cineri miscetur, idemque
Sperat et exspectat prœmia sorte pari.
Suspicor, angelicas huic exsultare cohortes,
Et cœli cives plaudere cive novo.
Sexta dies Octobris erat, cum Bruno, secutus
Naturam, Superos exoneratus adit.

Alius adhuc ejusdem.

163. Iste superna petens sincera relligione,
Regnat cum sanctis in cœlesti regione.
Iste laboravit, felix labor, unde vocavit
Gloria sanctorum, merces miranda laborum
Te, tibi se, Bruno, dans regnum Rege sub uno :
Rege sub hoc dico, majestas cujus olympo
Fulget et est Sanctis lux, gloria, vita perennis. B
Istius ergo decet nos commendare laborem
Muneris æterni decet et laudare datorem.
Impetret et nobis nostræ devotio laudis,
Munere divino regnemus Rege sub illo.

S. Vincentii Cenomanensis (431).

164. Si posset lacrymis et planctu v ta reduci,
Cum gemitu magno et lacrymis planctuque pro-
[tervo
Totius florem mundi clerique decorem
Tristis Brunonem lacrymarer luce carentem.

B. Juliani de prato (432).

165. Isti Brunoni tribuatur vita perennis,
Spiritus atque suus, cœlesti sede receptus
Regnet cum Domino, felix sit nunc et in ævo. C
Hic vir præclarus vita doctorque beatus
Felix in clero fulsit, per dogmata mundo :
Unde pio gemitu, profusis fletibus, et nos
Oremus Christum, quo det sibi nunc paradisum.

S. Mauricii sedis Andegavensis (433).

166. Gallia tristatur, Calaber populus lacrymatur.
Doctoremque bonum gemit ista, flet illa patro-
num.
Vitæ præsentis hæc laudat eum documentis,
Ejus et eximia celebratur ubique sophia.
Plusquam Maronis laudatur lingua Brunonis.
Gloria Platonis vilescit laude Brunonis.
Hic præcellebat doctoribus, hic faciebat
Summos doctores, non instituendo minores.
Doctor doctorum fuit hic, non clericulorum.
Nam nec honestates verborum, nec gravitates
Sumpsit Brunonis, nisi vir magnæ rationis.
Rectio prudentis superabat acumina mentis,
Ut documentorum doctor satis exstitit horum.
His plus perfectam voluit præponere sectam,
Nuntiat egregiam divina docendo sophiam,
Primaque destruxit et tanquam frivola duxit,
Dux prius erroris monstravit iter melioris
Postea doctrinæ (434), quæ gaudia dat sine fine.
Sed nil mundana sapientia dat nisi vana.
Hæc facit elatos pompa, facit illa beatos.
Factis complebat operando, quod ore docebat.
Multos sermones faciebat per regiones
Urbem transivit Romam, Calabrosque petivit.
Hic abbas factus est tandem cœlica nactus,
Hinc gens illa gemit, quia patrem casus ademit,
Cumque virum talem plorat tam spiritualem,
Non mors pastoris, sed damnum causa doloris.

S. Florentii Glamuensis cænobii (435).

167. In variis membris corpus distinguitur illud,
Cui caput est Christus, regnator catholicorum;
In quo nos monachi, mediocria membra, locati
Credimus excelsos in eo veros eremitas,
De quorum numero te, Bruno magne, fatentes,
Spretus honor mundi quod nobis testificatur,
Et sanctæ vitæ finis bonus astipulatur,
Cum tibi descriptas laudes omnino probemus
Nosque tuis meritis fulciri posse putemus,
Ut tamen orantum fratrum precibus faveamus,
Effudisse preces pro te nos notificamus,
Unde vicem nobis reddendam non dubitamus.

S. Nicolai ejusdem urbis (436).

168. Necdum vester nostros lares rolliger (437) attigerat, cum Lambertus abbas noster jam eum susceperat et de tanto Patre dignos jam versus ascripserat, illud autem, quod promisit, libenter concedimus et augere jam promissis iterum promitti-

(431) Hæc ordinis S. Benedicti abbatia, quæ in uno civitatis Cenomanensis suburbio sita est, sæculo sexto fuit ædificata a S. Domnolo, Cenemanensi episcopo Ita docet in Annalibus Benedictinis lib. VI, num. 43, Mabillonius.

(432) Situm est in diœcesi Cenomanensi, hoc sanctimonialium Benedictinarum monasterium, diuque ante S. Brunonis ætatem exstitit, uti liquet ex iis, quæ de eo lib. I et II Annalium Benedictinorum memorat Mabillonius.

(433) Dicata est S. Mauritio cathedralis Andegavensis ecclesia ; quare dubitandum non est, quin hæc per sedis seu cathedræ Andegavensis S. Mauritium hic designetur.

(434) Ne hinc putes, *S. Brunonem* a fidei orthodoxæ veritate devium aliquando exstitisse. Adi commentarium prævium num. 69 et seq.

(435) De S. Florentio, presbytero confessore, ad vigesimum secundum Septembris diem, quo in martyrologio Romano aliisque fastis sacris memoratur, vitamque, sæculo quinto circiter ineunte, cum morte commutavit, actum apud nos jam est, ibique in commentario, actis ejus prævio, expositum, qui monasterium, in hodierni ducatus Andegavensis monte D Glonna, aliis Glomea aut etiam Glomna situm, quod a Sancto illo nomen habet, quodque modo, ut a novo S. Florentii monasterio, prope Salmurum serius exstructo, distinguatur, *S. Florentius vetus* appellatur, sæculo decimo post duplicem eversionem, quam primo a Britonibus, ac deinde a Northmannis acceperat, instauratum denuo fuerit. Sacrum illud asceterium, de quo etiam in Gallia Christiana antiqua tom. IV pag. 388 Sammarthani fratres, illud ipsum omni dubio procul est, quod hic *S. Florentii Glamuensis*, litterulæ unius, verosimillime per errorem, facta in hoc vocabulo mutatione, *cænobit* nomine distinguitur.

(436) Id est, ni fallar, Andegavensis; ut hic Andegavense, de quo in Adnotatis, sectioni præcedenti subnexis, quæpiam jam ad not. 402 memoravi, S. Nicolai monasterium iterum designetur.

(437) Adi pro hujus vocabuli significatione Commentarium prævium num. 24.

www.libtool.com.cn

mus (438) pro Brunone, quem jam cum Deo regnare credimus.

Bruno fuit fons doctrinæ, norma veri dogmatis,
Aristotelis profunda superans et Socratis,
Supergrediens Platonem sacri domo chrismatis.
Vixit homo, plus quam homo pressus mole carnea,
Vivens tamen pressit carnem, tendens ad ætherea,
Supernens mundum moribundum ob regna cœlestia.
Vivat Bruno felix cœlis cum supernis cœtibus,
Cernat Regem, cujus legem conservavit actibus;
Vosque patres et confratres orate pro fratribus.

S. Moriæ Dolensis cœnobii (439)

69. Prout vestra dignatur expetere sanctitas, et nos Dolensis cœnobii fratres, fraternitatis vestræ desolationi compassi, pro beati Patris nostri ac magistri Brunonis (440) anima devotissimarum orationum suffragia, mox, ut ejus audivimus obitum, omnipotenti Domino persolvere curavimus, ac præter cætera missarum tricennalium (441), necnon eleemosynarum suffragia annuæ sibi missæ beneficium, quod quotidie et, annuente Domino, persolvitur, paternæ devovimas dilectionis affectu. Insuper et ejus memoriam nostræ scripto matriculæ (442) commendamus, ut quotannis fraternæ devotionis affectus ad commendandum eum omnipotenti Domino, ejus lecto nomine, excitetur.

S. Michælis eremi (443).

170. Mors hominum sæva, quam nobis attulit Eva.
Omnibus illa nocet, ut liber iste docet.
Omnes illa terlt, regnum super omnia quærit.
Justus Bruno fuit, ut liber hic docuit.
Bruno fuit justus, simplex, humilisque, venustus,
Mors tamen ut voluit, vivere non potuit;
Et quia membra jacent, gemitus pro funere cessent,
Pro gemitu quoniam nullus habet veniam.
Nos ergo instemus Dominumque Deum rogitemus,
Ante suam faciem, quod sibidet requiem.

S. Mariæ Lucionensis (444).

171. Fratres, qui estis in vallem, quæ dicitur Turris, notum sit omnibus vobis, quod pro domino Brunone agamus charitative septem vigilias (445) et septem missas, et panem et vinum, domino Reginaldo abbate (446) imperante.

S. Petri apostoli Maliacensis (447).

172 Concedatur ei locus a Domino requiei,
Quem semper coluit, vivere dum potuit.

S. Vincentii cœnobii Noliensis (448).

173. Noliensium conventum in beati Vincentii ecclesia juxta summi Patris Augustini instituta Horis regularibus psallendo attentum, visa schedula, quæ Brunonis incomparabilis philosophi obitum patefecit, tantus timor tantusque horror occupavit, quod vix debitum Officium complere prævaluit. Quis enim non obstupesceret, imo ab intimis cordis ingemisceret, cum tantum virum totius scientiæ et pene omnium clericorum lumen et fundamentum naturæ concessisse audiret? Sed quia inevitabile constat, et Salvatorem nostrum legem mortis ad horam subiisse credimus, quod in aliis lugeremus, mœrorem in Brunone gaudio mutamus. Bruno namque veram scientiam et prudentiam liberalium artium, necnon cæteras cardinales virtutes habuit et servavit, quas in bono fine consummavit. Dudum siquidem ecclesiæ sedis Remensium summus didascalus, utpote in Psalterio et cæteris scientiis luculentissimus (449) et columna totius metropolis diu exstitit. Sed quia hoc totum vere transitorium perpendit, post vitam eremiticam arctiorem et inusitatamque vocatur, in diœcesi Lucionensi situm est fuit que anno circiter 680 ab Ansoaldo, Pictavensi episcopo, fundatum. Adi Galliam Christianam auctam tom. II, col. 1418.

(488) Titulum hunc ab Andegavensis S. Nicolai monasterii monachis, aliumque ordine 151 supra datum abs abbate illorum Lamberto fuisse conscriptum, hinc liquet. Nota etiam, cum nonnullorum aliorum locorum Tituli interjecti hunc inter et illum sint, fuisse binos hosce vel chartæ separatæ (adi notam 290) seorsum inscriptos, vel certe, si res secus habeat, non eo, quo in rotulo funebri communi fuere exarati, ordine editos.

(439) Cum nec Dolæ in Britannia Minori, nec Dolæ in Comitatu Burgundiæ cœnobium existat sanctissimæ Dei Genitrici sacrum, indubitatum apparet, hic designari Dolense menasterium, quod in ejusdem sanctissimæ Dei genitricis honorem in Biturigibus, uti apud Mabillonium tom. III Annalium Benedictinorum lib. XLII, num. 12 videre licet, ab Ebbone, toparcha Dolensi, sæculo decimo fuit exstructum monachis Benedictinis, quibus tandem, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. II, col. 148 docent, canonici sæculares anno 1623 fuere substituti.

(440) Quid hinc concludendum appareat, videsis Commentarii prævii num. 166.

(441) Id est, ni fallar, per triginta dies, aut etiam forte annos, celebrandarum.

(442) Vocabuli hujus significationem in nota 256 assignavi.

(443) Perantiquum hoc ordinis S. Benedicti monasterium, quod *S. Michæl in eremo* communiter

(444) Hæc abbatialis olim ecclesia, sanctissimæ Dei Genitrici sacra, quam in cathedralem Joannes XXII, Papa anno 1317 evexit, sæculo octavo est antiquior, uti liquet ex iis, quæ de ea memorant Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. II, col. 1404 et seq.

(445) Provocis hujus significatione adi notam 255.

(446) Hic abbas inter Goffridi, Lucionensis abbatis, qui anno 1091 obiit, successores primus recensetur in Chronico Malleacensi. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores loco proxime citato.

(447) Celeberrima hic indubie designatur Malleacensis seu Malliacensis jam a sæculo decimo exstructa sanctoque Petro sacra abbatia, quæ in episcopatu Pictavensi sita olim fuit postque ipsamet a Joanne XXII Papa episcopalis facta est. Adi iterum Galliam Christianam auctam tom. II, col. 1362, et binis seqq.

(448) Hoc ordinis S. Augustini cœnobium, quod olim Malleacensis, nunc Rupellensis diœcesis est in Chronico Malleacensi ms., uti Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. II, Col. 1595 docent, anno 1068, al. 1069 ædificari cœptum fuisse legitur.

(449) Ad Commentarium, quo Sanctus omnes Davidis Psalmos dilucide exposuit, hic alludi videtur. Adi Commemarium prævium num. 694.

www.libtool.com.cn

tissimam eremum in transmarinis partibus expetiit (450), et inde, Domino vocante, ad summi Regis convivia lætus perrexit ; ubi, licet angelicum Psalterium credamus cum Christo decantare, tamen si quid maculæ, quoad viveret, ex originali parente seu ex actuali vita, oblivione seu incuria, contempsit abolere, totius pietatis nec non misericordiæ Fontem prece et mente oremus assidue, quatenus ei velit indulgere et ut pro eo illud impetremus, continuis septem diebus Officium, mortuis debitum, Christo persolvemus.

Schola ejusdem (451).

174. Lumen erat Bruno, dum vixit, Francigenarum,
Lux cleri, fruitur nunc lumine cœlicolarum.
Est etenim tali condignus honore potiri,
Qui vitam vita cœlestem duxit in ista.
Delirat plane, cor habet rationis inane,
Quisquis testatur secus, aut aliud meditatur,
Ut narrat, chartam nobis qui detulit istam.
Si de terrena sibi quidquam fæce cohæsit,
Illud ab hoc tergat, qui mundi crimina purgat.

Alius ejusdem.

175. Lux fuerat, mundo Bruno dum vixit in isto,
Sed modo relucet, quia cœli sede relucet.
Novit Psalterium (452), sed nunc canit organa sursum,
Edocuit multos, nunc cernit in æthera sanctos,
Doctor doctorum nunc unus cœlicolarum.
In terris doctor, nunc Christo plaudet in alto
Funde preces ergo pro nobis, inclyte Bruno,
Et nos econtra nitemur reddere vota.
Nam cupimus tecum cum Christo vivere sursum,
Et decimo cuncti flagitamus in ordine poni.

S. Pauli apostoli Cormaricensis (453).

176. Dominis et fratribus meis, Deo omnipotenti in monasterio Sanctæ Mariæ de eremo, quæ Turris dicitur, servientibus, Mainardus uti mundo, frui Deo. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo secundo Kalendis Novembris

A suscepi rotulum istum (454). Legi in eo, beatam, ut puto, animam suavissimi magistri mei Brunonis sæculi hujus vaporem transitorium perseverando in vera charitate efflavisse, pennisque virtutum cœlestia regna subiisse. Gavisus utique super tanti viri glorioso fine, sed quia intentio indefessa mihi inerat ad eum in brevi pergere, eumque videre et audire omnesque animi mei æstus in illum refundere, et vobiscum sub ejus ducatu sanctissimæ Trinitati obedire, ultra quam dicere possim, de inopinato transitu ejus conturbatus sum, nec retinere potui habenas ultro profluentium lacrymarum. Mainardus, inquam, ego in Cormariensi monasterio monachorum plurimorum nomine, non opere, Prior (455), Remorum civitatis oriundus fui, domini hu-
B jus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi, Deoque volente, admodum profeci, profectusque mei grates domino Brunoni et si in hac vita reddere non potui, nunc saltem animæ illius exhibere statui. Habebo itaque illum omnesque in Christo dilectores ejus in memoriali meo, quandiu spirare potero, universosque convictores meos, filios ac fratres spirituales ad idem opus pro posse meo provocabo, excitabo, promovebo, preces, oblationes, eleemosynas pro eo non aliter, nec minus, quam pro meipso offeram Deo, Trinitati, quandiu fuerit spiritus in naribus meis.

S. Salvatoris mundi sanctique Gildasii conf. Dolensis (456).

177. Quoniam pro omnibus, hominibus, quos sancta
C virgo mater Ecclesia per aquam et Spiritum sanctum peruniversa mundi climata ab omni errore et primo originali peccato emundans per dies regenerat, debet fideliter ad Dominum oratio fundi, maxime pro illis precum instantia orationumque perpes memoria debet ab omni catholico adhiberi, quorum adjutorio et beneficio credimus posse adjuvari. Quocirca, hujus excellentissimi viri Brunonis audita a Domino vocatione, tria officia in conventu pleniora statuimus peragere. Anima ejus requiescat in pace.

(450) Qui titulum hunc scripsere, non sat novisse videntur, quo loco Turritana, in quam tandem Sanctus, Gallia relicta, sese abdidit, eremus sita sit; neque enim hæc, uti hic innuunt, in transmarinis partibus ratione Galliarum sita est. Sed forte per errorem, a librariis profectum, *transmarinis*, pro *transalpinis* hic scribitur.

(451) Monasterii nempe Noliensis seu potius, ut Galliæ Christianæ auctæ Scriptoribus loco proxime citato exaratur, Nioliensis ; ut ad scholam, quam isthoc monasterium pro more tunc usitato instituebat, spectent indubie bini Tituli proxime hic subjecti.

(452) Alludi iterum hic videtur ad concinnatum a Sancto in omnes Davidis Psalmos Commentarium, aut certe ad eximiam plane, qua enituit, horum intelligentiam.

(453) Hoc ordinis S. Benedicti monasterium, quod in diœcesi Turonensi situm est, sæculo octavo in S. Pauli apostoli honorem fuit exstructum, uti in Gallia Christiana antiqua tom. IV, pag. 299 docent Sammarthani fratres.

(454) Qui ergo epistolam encyclicam, mortis S. Brunonis nunciam, circumtulit, Cormaricense monasterium non adiit, nisi cum jam annus a S. Brunonis obitu aliquandiu esset elapsus; quare existimo illum Angliæ loca sacra, quorum supra exstant fu-
D nebres de S. Brunone Tituli, prius adiisse, ac tum demum trajecisse in Northmanniam, e qua deinde ad Cormaricense cœnobium aliaque loca sacra vicina sese contulerit.

(455) De hoc S. Brunonis piissimo discipulo videsis Commentarium prævium num 97, 99 et seq.

(456) Hoc olim ordinis S. Benedicti monasterium quod sedecim leucis ab Avarico Biturigum ad Indrum fluvium in diœcesi Bituricensi situm est, ab Ebbone, castri Dolensis principe memoratique ad not. 439 cœnobii cognominis auctore, pro abbate et monachis Ruyensis S. Gildasii monasterii, Northmannorum, Aremoricam, in qua hoc situm erat, sæculo nono et decimo incipiente fœde vastantium, furorem fugientibus, fuit fundatum; qui autem id factum fuerit ; Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. II, col. 153 et binis seqq. exponunt, uti etiam qui tandem monachis canonici sæculares anno 1623 fuerint ibidem substituti.

S. Mariæ Tropeiensis Ecclesiæ (457).

178. Unde Deo gratus fuit Bruno, inde beatus.
Quem si laudarem, non hunc pro laude bearem.
Reddo Deo grates, quod habebat tot bonitates,
Quod possunt dici lingua sapientis amici.
Inde cutis colli teritur præ pondere rolli,
Rolligeri collum nequit ultra collere rollum (458),
Quo tot cum tantis scribuntur et aula Tonantis.
Et sol cum luna, stellarum cursus et una
Lux, polus, aer, humus, mare, tartara, sulphura, [fumus.
Lividus, obscœnus fœtensque putredine plenus;
Quæ plaga Plutonis procul est a sorte Brunonis.

A Ampla fuit charta, nunc parva videtur et arcta;
Qua sors, qua fatum, qua scribitur omne creatum,
Atque creatoris sine tempore tempus honoris.
Cujus in hac vita vitæ fuit hic eremita,
Quam pius et mitis, simplex, sine agmine litis.
Dicere si nossem, non est, quo scribere possem.
Intus et a tergo jam pellis scribitur ergo.
Ultra quid dicam? Jam nescio dicere quidquam.
Sed tamen, ut crescat benedictio, dico quiescat.
Pace dico datus, cum sit super astra locatus;
Si tamen in fossa fiat caro pulvis et ossa,
Non obiit, vivit, patriam redeundo petivit.
Vivere, quæ Bruno vivit, possimus in uno (453).

www.libtool.com.cn

APPENDIX

SEU SUPPLEMENTUM AD GLORIAM SANCTI POSTHUMAM.

§ *I. Veneratio Sancto, Beatis jam ascripto atque ad ecclesiam S. Stephani translato, in Calabria exhibita, frequentiaque ad ejus invocationem miracula patrata, quorum aliquot, annum 1600 prægressa, recensentur.*

1. Postquam sacrum Brunonis, Beatis a Leone X papa, uti in commentario prævio § 47 docui, anno 1514 ascripti, corpus e Turritana, in qua jacebat reconditum, sanctissimæ Dei Genitricis Ecclesia ad Turritanam itidem S. Sthephani ecclesiam ipso dicto anno 1514 fuisset translatum, singularem, qua in sanctum ordinis sui institutorem ferebantur, venerationem Carthusiani universim omnes, ac nominatim Turritani magis ac magis non uno manifestavere indicio. Ac primo quidem, Turritanum S. Stephani monasterium, unice tunc, primævo S. Mariæ et S. Stephani nomine mutato, S. Stephani de Bosco seu de Nemore appellari solitum, sub cujus etiam tum, non secus ac hodie, nomine Turritana (adi Commentarium prævium num. 733). S. Mariæ ecclesia totumque ædificiorum, ad Turritanam eremum spectantium, complexum veniebat, non S. Stephani modo, ut Leo X papa (adi Comment. prævium num. 755 et seq.) statuerat, sed, ad sancti illius martyris nomen nomine S. Brunonis adjuncto, S. Stephani et S. Brunonis domum in sancti Patris sui honorem deinceps appellavere, eumdemque

B etiam in finem temporis lapsu ordinis sui provinciam, quæ Turritanam Carthusiam modo complectitur, quæque antea provinciæ Lombardiæ ulterioris nomine distinguebatur, S. Brunonis provinciam, quo nomine hodieque isthæc gaudet, nuncupavere, uti disco partim ex Morotio in Theatro chronologico pag. 226, partim ex Camilli Tutini ordinis Carthusiensis ad annnm 1514 Prospectu.

2. Verum in facta monasterio suo a S. Brunone appellatione, quod parum sane fuisset, neutiquam stetit Carthusianorum, Turritanam eremum, sibi a Cisterciensibus Leonis X papæ jussu tandem redditam, incolentium, eximia plane erga sanctum illum Patrem suum veneratio. Quod enim (Vide recitata C in Commentario prævio num. 776 verba) de sacro Brunonis capite faciendum, populo astanti, dum pretiosa ejus lipsana transferrentur, dixerat Matthæus, Carthusiæ Bononiensis prior, exsecutioni id illi mandandum curantes hermæ argenteo, affabre eleborato sacrum Sancti caput, seu potius hujus, quæ penes ipsos adhuc mansit, partem inclusere. Nec contenti ita effecisse, ut pretiosum hoc pignus congrua debitaque reverentia custodiatur, haud dudum etiam, ut apparet, post annum 1514 instituere, ut quotannis, quo et apud populum incrementa caperet Sancti cultus, sacrum ejus caput, hermæ, ut dixi, argenteo jam

(457) Tropeia, episcopalis Calabriæ ulterioris civitas, cathedrali gaudet Ecclesia sanctissimæ Dei Genitrici, ut Ugellus tom, IX Italiæ sacræ col. 449 docet, sacra. Hunc adeo, maxime quod locus sacer alius, cui competere queat Titulus subjectus, non occurrat, esse puto ipsam, quæ hac inscriptione designatur, Tropeiensem S. Mariæ ecclesiam, licet interim hanc, qui epistolam encyclicam, mortis S. Brunonis nunciam circumtulit, post reliqua duntaxat, quorum Tituli funebres præcedentes sunt, loca sacra adisse e diversis, quibus Titulus subjectus concipitur, versiculis videatur, mirumque videri queat, tam sero eum. et non nisi, cum jamjam domum esset reversurus, adiisse ecclesiam, a Turritana eremo haud multum remotam.

(458) *Rolli* et *Rolligeri* significationem in commentario prævio num. 24 suppeditavi.

(459) Futilia sane et vana, quemadmodum in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad vocabulum *Titulus* Cangius affirmat, in Titulus funebribus, quibus olim parentari Vita functis contigit, scripta subinde fuissse, palam est vel ex nonnullis, quæ tum in hoc, tum in aliis nonnullis supra datis de S. Brunone Titulis funebribus occurrunt; licet interim iidem fere simul complectantur, quæ ad Brunonis tum doctrinæ, tum sanctitatis, qua statim ab obitu inclaruit, famam manifestandam conducunt.

www.libtool.com.cn

inclusum, secundo Pentecostes festo e S. Stephani ecclesia, in qua servatur, ad ecclesiam S. Mariæ solemni ritu deferretur, postridieque ex hac ad S. Stephani ecclesiam eodem modo reportaretur. Et vero felici successu haud caruit hujus solemnitatis institutio. Non solum enim ex hac multum increvit Sancti cultus; verum etiam subinde est factum, ut, qui ad illam venerant, infirmi, S. Brunonis implorato auxilio, pristinæ sanitati fuerint restituti.

4. Ita testantur varii, qui, quæ Dominus ad manifestandam Servi sui gloriam operari tunc dignatus est, mirucula in litteras misere. Aliquot ex hisce simulque nonnulla alia, quæ aliis etiam temporibus ad S. Brunonis invocationem ante annum 1600 fuere patrata, lubet præsenti §, servato. quo contigere, ordine chronico, recensere. Ne hunc adeo perturbem, abs illis, quæ extra præfatæ solemnitatis tempus facta sunt, duco initium. Surianus in suis ad S. Brunonis Vitam, a Surio scriptam, Adnotationibus pag. 319 sic scribit: « Anno 1523 prima die Februarii V. P. Jacobus Aragonensis, professus Carthusiæ Neapolitanæ ac prior Carthusiæ S, Stephani supra dicti, et cæteri monachi conventuales scripserunt capitulo generali ordinis Carthusiensis sequentia miracula, quæ tunc recens post receptam domum » (Calabrinam nempe S. Stephani) acciderunt: Istis diebus nostris nobilis Alphonsus Toraldus Neapolitanus, frater germanus excellentis domini adami Toraldi, baronis de Badulato, valde erga S. Brunonem pie affectus, cum esset Tropeæ, quæ est urbs Calabriæ maritima, animi causa deambulans juxta mare super quamdam declivem rupem altitudinis fere centum cubitorum, accidit ut, fallente pede, in præceps, capite inverso, laberetur. Qui cadens ruinosam maceriem manibus apprehendere, ne in ima corrueret, tentavit; sed ipsa eadem super eum delapsa est; unde et in eo descrimine positus S. Brunonem adjutorem invocavit, et mox aspexit monachum, vestibus albis aspectuque decorum, manum suam dexteram tenentem et ad ima loca se leniter deducentem.

4. « Quo factum est, ut nullam ex eo casu passus sit læsionem, cum tamen ejus comites, qui ad cadentem accurrerant, exstinctum eum aut corpore confractum ex lapsu existimarent. Igitur pedester domum est regressus, ne vehiculo quidem aut aliena opera indigens ad iter; quod beneficium maximum meritis S. Brunonis acceptum tulit. Accidit id circa annum 1122. » Camillus Tutinus idem etiam miraculum in concinnato a se ordinis Carthusiensis prospectu recenset; verum id, non ad annum circiter, uti hic Surianus, 1522, sed ad annum 1518 refert. At vero, etsi id ita sit, duo isti scriptores sese inter pugnare censendi propterea non sunt, cum Surianus miraculum illud, non districte anno 1522 innectat, sed anno circiter 1522, quæ loquendi formula trium quatuorve annorum extensionem patitur, accidisse, duntaxat scribat. Ut ut sit, miraculum illud præcessisse videtur tria alia, quæ ex Jacobi Arrogonii reliquorumque religiosorum Carthusiæ S. Stephani incolarum relatione in præfatis suis ad Vitam S. Brunonis annotationibus narrare pergit Surianus. Primum sic habet: «Domna laura Carrala, filia ducis Niverniæ, comitissa Arenarum, cum prægnans esset, in gravissimam incurrit valetudinem, quæ cum in extremis ageret, vir ejus D. Franciscus, comes Arenarum, qui semper S. Brunonem pie coluerat, votum fecit, oblaturum se ad illius altare calicem argenteum; et tunc, sicut comes ipse et comitissa testati sunt, sanata est ab illa gravi infirmitate, et tempore opportuno enixa est infantem, cui nomen S. Brunonis in baptismate imposuerunt. Et ne immemor unquam esset accepti beneficii mater, vovit vestes albas induere, qualibus indutus fuisse visus ipse S. Pater, qui in somnis ei apparuerat. »

5. Secundum his verbis concipitur: « Anno 1522 quidam ex oppido Zimbario Squillacensis diœcesis, quatuor fere passuum millibus a monasterio » (S. Stephani nimirum) « dissito, nomine Garetus Scopa-Casa, cum uxore sua Isabella adduxerunt ad januam monasterii unicam filiam suam, habentem spiritum immundum, cumque ad eam allatæ fuissent reliquiæ sanctorum Stephani et aliorum divorum, ut dæmon ab ea ejiceretur, sicut alias factum fuerat, et nulla spes egressionis appareret, V. P. Vicarius P. de Corduba consilium parentibus puellæ dedit, ut ad specum S. Brunonis, quæ millario a monasterio abest, eam ducerent. Quo cum pervenissent, ter flexis genibus capellam devote orantes circumierunt. Dein puella post osculum pedibus imaginis S. Brunonis impressum hausit aliquantulum pulveris ex eadem specu. Mirabile dictu, post sumptum pulverem spiritus infestus cæpit per viscera puellæ discurrere, ac inde immigrans in brachium ad manum tandem devenit; et, ut indicium excessus sui relinqueret, in summitate digiti unius tumore facto, latius apertis poris non sine sanguine exitum sibi providit et penitus abscessit. Tam malo hospite liberata puella cum parentibus ad monasterium regressa est, ubi Deo et S. Brunoni, liberatori suo, gratitas immensas retulit. » En modo etiam postrenum e tribus supra dictis miraculis. Sequentibus hisce apud Surianum pag. 323 verbis exponitur: « Per eadem tempora » (annum scilicet 1523, quo trium dictorum miraculorum certius redditum fuit generale ordinis Carthusiensis capitulum, haud multum prægressa) « in oppido Pizzone diœcesis Melitensis, sexto lapide a monasterio » (Turritana S. Stephani nimirum) « dissito, sacerdos quidam e gremio cleri sæcularis nomine Sophranus Miriano, habens apostema in pectore circa vitales partes, votum nuncupavit S. Brunoni. Qui, continuo sanus effectus, sicut ipse scripto testatus est, facem cereæ [ceræ] virgineæ misit ad altare S. P. Brunonis, in qua curationis et sospitatis series legebatur. » Subdit modo hic Surianus alia miracula S. Brunonis meritis patrata, quæ, quemadmodum ait, « exscripta sunt ex schedis mss. D. Nicolai Riccii

de Taberna, professi ejusdem (S. Stephani) domus,» accuratiusque, adjectis etiam aliis nonnullis, a V. P. Severo a Neapoli fuere digesta.

www.libtool.com.cn

6. Verum cum primum ex his anno demum 1524 accidisse notetur, citiusque fortassis, quam hic me relaturum, in Commentario prævio num. 746 spopondi, S. Brunonis et S. Vincentii Terrerii apparitio, Aloysio Bertrano seu Bertrando S. Ludovici Bertrandi patri, divinitus oblata, evenerit, lubet hanc, antequam ullum ex iis recenseam, lectori hic, ne ab ordine chronico deflectam, exhibere. A Suriano itaque pag. 318 et seq. hunc narratur in modum : « Isdem (pater scilicet S. Ludovici Bertrandi) alia vice, defuncta prima sua uxore, pergebat ad eamdem domum (Carthusianam nempe) Portæ-Cœli, quæ Valentia Hispaniæ scilicet Tarraconensis civitate, in qua commorabatur) quatuor leucis abest, religiosum habitum petiturus, atque in itinere iidem SS. Vincentius et Bruno se videndos præbuerunt, dicentes, voluntatem Dei non esse, ut religiosus fieret, sed ut ad sæculum rediret. Qui ex secunda postea ducta uxore Joanna Angela anno 1526 sustulit B. Ludovicum Bertranum ordinis Prædicatorum, qui, sanctitate et miraculis clarus, ad cœlum abiit anno 1581. » Ita loco citato Surianus, ibidem etiam addens, relationem istam a P. Joanne Madariaga part. I Vitæ S. Brunonis cap. 22, § 3 e S. Ludovici Bertrandi Vita, per fratrem Justinianum Antist. exarata, fuisse descriptam : quod sane, cum in hac relatio eadem reperiatur, veritati puto esse consonum. Ad miracula modo, quæ ex Nicolai Riccii schedis mss. deprompsit accuratiusque, teste ex dictis Suriano, digessit aliisque nonnullis auxit Severus a Neapoli, progredior.

7. Primum e Suriani recensione sic habet : « Anno Domini 1524, cum esset Prior hujus (S. Stephani) domus V. P. David de Charcascolis Mediolanensis, professus Chartusiæ Papiensis, excellens dominus Joannes Baptista Carrafa de Neapoli, comes tunc Agrottariæ ac dominus Castri-Veteris necnon et Rocellæ, infirmatus est usque ad mortem, omnique medicorum auxilio destitutus cum ageret in extremis, nocte quadam per visum objectus est ipsi S. Bruno dicens : Joannes Baptista, si restituere distuleris territorium, per tuos injuste occupatum, domui meæ S. Stephani de Nemore, morte morieris et non vives. At ille, simili voce respondens, ait : Quod territorium, Pater? Territorium, intulit, quod vos de Ninfo dicitis, concessum mihi et successoribus meis a comite Rogerio Northmanno, et, his dictis, evanuit. Statuit præfatus comes intra se de hoc certius aliquid cognoscere, ac omnia reddere. Mirum dictu! vix hoc apud animum suum constituerat, cum melius habere cœpit et febri prorsus omnique vitæ discrimine exemptus est. Dein accersitis notario et testibus visionem retulit, ac territorium, multis jam annis occupatum, restituit, ac quam plurima alia beneficia a S. P. Brunone obtinuit, quæ latius in instrumento restitutionis A continentur. Hoc commectum est Neapoli 18 Novembr. 1519 (error hic cubat, estque annus, quo restitutionem illam factam, infra num. 13 invenies, 1529 substituendus) per notarium Virgilium de Buluito de Neapoli inter V. P. D. Octavianum de Mantua, Priorem tunc domus S. Stephani ac visitatorem provinciæ, et præfatum comitem, qui, ut in eo scribitur, bonam fidem cognoscens et attendens devotionem maximam, quam se gerere dixit erga monasterium S Stephani et propter reverentiam, quam habet S. Brunoni, cujus sanctæ reliquiæ in monasterio prædicto venerabiliter sunt repositæ, cujus merito et intercessionibus continuo exstitit adjutus, et præsertim in obtinenda a Domino prole, atque pro animæ suæ et prædecessorum suorum salute, B certioratus prius et plene informatus de jurisdictione monasterii, etc., sponte, et bona, pura et Libera voluntate relaxavit prædictum territorium de Ninfo, ac per fustem resignavit V. patri Priori, etc. Cujus capta fuit corporalis possessio 29 Januarii anno 1530 a præfato Octaviano Priore, præsente cum aliis monachis D. Stephano de Suriano professo ejusdem domus »

8. Tale est primum, quod e mss. Nicolai Riccii de Taberna schedis, a Severo de Neapoli accuratius digesti atque aliunde auctis, Surianus loco supra citato refert ; huic autem sequens proxime subjungit : « Circa annum 1540, cum B. Catharina Thomasia Majoricensis, postea canonica Regularis Ordinis S. Augustini in monasterio S. Mariæ Magdalenæ urbis Majoricarum, ætatis esset annorum circiter quinque, et cum avo suo iter haberet in loco declivi juxta Carthusiam Majoricarum, apparuit ei monachus quidam in veste alba, quæ Carthusiensium est propria, qui S. Bruno fuisse creditur, quique et præfixit, eam Christi sponsam futuram, et non, ut avus optabat, matrimonio copulandam. Alia similiter vice, antequam decimum ætatis annum attingeret, cum antrum quoddam introgressa in foveam lapsa esset, unde sine humano auxilio exire non poterat; eo deficiente, divinum imploravit, quod continuo adfuit : nam astitit ei humana specie vir augustior in veste candida, qui ejus sententia Carthusiensis videbatur. Sed S. P. Bruno, D qui alias ei eodem schemate apparuerat, fuerit oportet ; qui et eam consolatus, ne timeret, admonuit, atque ut baculum, quem manu tenebat, apprehenderet ac firmiter teneret; quo apprehenso, facilis ei fuit ascensus e fovea, moxque ab ejus oculis subtractus est. » Hoc duplicis apparitionis prodigium, quod an Brunoni vere attribuendum sit, dubitari posse videtur, non ex Nicolai Riccii schedis, sed aliunde hausisse videtur Severus a Neapoli. Ita opinari me facit Surianus, cum ad illius calcem notet, esse id depromptum e Catharinæ Thomasiæ, quæ inter Prætermissos ad 5 Aprilis diem relata apud nos est, Vita, Hispanico idiomate a V. P. Bartholomæo Valperga, Carthusiæ Majoricensis monacho, conscripta, annoque 1617 Majoricæ typis ex-

www.libtool.com.cn

9. En modo alterius generis miraculum, nimirum, non quo cuiquam Sanctus beneficium contulit, sed quo, qui in eum fuerat injurius, divinitus fuit punitus. Id Surianus jam nunc narrato proxime subnectit itaque exponit : « Anno Domini 1544, 5 Octobris pridie illius diei, qui S. P. Brunoni sacer est, vir quidam nobilis et clarus genere, sed a callidissimo hæretico Martino Bucero misere seductus, in Carthusia Coloniensi sub tempus, quo Vespertinæ preces horariæ aguntur, sedebat in hypocausto, ubi hospites excipi solent, parum quid edens et bibens cum religioso P. Petro Boechem, tunc procuratore ejusdem Carthusiæ, postea Priore Confluentino, a quo cum audisset, die sequenti S. Brunonis celebrandum festum solemne, non sine stomacho respondit : Putatis vos, illum in divorum numerum relatum? Certe, si ille sanctus est, nunquam post haustum hoc poculum contingat prospera me uti valetudine. Dixit, bibit, moxque tanquam aliud agens cœpit sedere cogitabundus, ut solent phantastici. Paulo post equum conscendens ad castrum suum abiit. Nec mora : in lectum decidens, paucis post diebus ita, ut sibi ipse erat imprecatus, ex morbo periit, vel invitus approbans S. Brunonis sanctitatem. » Prodigium istud, seu divinam de irrogata Servo suo injuria vindictam etiam refert in Sacrario Agrippino pag. 214 Erardus Winheimius; verum tam hic, quam Surianus, quod nomen fuerit viro nobili, qui ob prolata in S. Brunonem verba injuria misere interiit, non edicit, ita verosimillime ambo, ut nobilissimæ ac notissimæ hodieque familiæ, et qua is ortus fuit, honori parcerent, faciendum rati. Et sane laudando omnino consilio ita fecere; quare et ego eorum exemplo a prodendo viri illius nobilis nomine hic abstineo, licet interim id e Carthusiæ Liranæ antiquo, probatæque fidei monumento apprime compertum habeam.

10. E miraculis, annum 1600 prægressis, quæ e mss. Nicolai Ricii de Taberna schedis, a Severo a Neapoli aliunde auctis, apud Surianum referuntur, hicque in medium adducenda sunt, alterum modo recenseamus. « Cum... monasterium S. Stephani » (adi Surianum in suis ad S. Brunonis Vitam, a Surio conscriptam, Annotationibus pag. 331 et seqq.) « in ampliorem formam redigeretur anno Domini, 1553, Priore existente D. Petro Paulo Lumbulo de Cajeta, professo domus Neapolis, cujus vita mansuetudine, pietate ac religione plena fuit, refectorii pars superna opere testudineo fabrefacta, quam Italici incolæ Lamiam vocant, valde profecto nitida, multoque sumptu constructa, jam sibi cohærens ac constans videbatur, ut, humore desiccato, fulcra lignea, quæ lapides, cœmento compactos, sustinebant, subduci atque amoveri possent, opus illud aliquanto citius, quam oportuit, agressi demoliri cœmentarii subito horribilem fragorem audiunt ex fatiscente testudine. Accidit vero, ut quidam, nomine Bonellus, operis magister ac alii ejusdem artis illi assistentes, cum in tam præsenti discrimine versarentur ac periclitarentur, omnes una voce clamare cœperint : Sancte Bruno, fer opem nobis. Quo dicto, vident quemdam monachi specie, vultu venerabilem, qui eorum manus apprehendens, eos in aliam partem extra refectorium transtulit, et continuo testudo fatiscens collapsa est. Unde B. Brunonis meritis incolumes evadentes Deo beatoque Patri gratias ingentes retulerunt. » Egregie enimvero, quam potens sit in cœlis S. Brunonis patrocinium, e postremo hoc miraculo eluxit; ne autem de ejus veritate quis ambigat, apud Surianum mox subjungitur : « Hoc miraculum eo anno 1553 contigisse, præter Joannem Madariagam, id asserentem ex testificatione jurata V. P. Sylvii Prioris lib. I, cap. 22, confirmat etiam pictura ejusdem refectorii quæ opus (quod scilicet post collapsam anno 1553 prioris structuræ testudinem fuerat resumptum) indicat consummatum anno 1554 et etiamnum adhuc ibidem memoria viget a majoribus accepta. »

11. Nec minus, quanti apud Deum meriti sit S. Bruno, aliud, quod nunc etiam subdo, probat miraculum. Hisce apud Surianum pag. 335 et seqq. concipitur verbis : « Eodem fere tempore scilicet ante annum 1558 quidam domnus Stephanus Carozza ex oppido Suriano diœcesis Melitensis sex fere passuum millibus a monasterio (S. Stephani videlicet) ex primis professis domus hujus an. 1535, propter varia crimina (verba sunt chartæ capituli generalis anni 1535 in dispositione provinciæ et hujus domus) in magnum scandalum ordinis ab eo perpetrata et propter frequentes ejus apostasias, tanquam incorrigibilis, ab ordine expulsus et alienus denuntiatus est. Qui deinde vixit in eodem oppido more sæcularium clericorum pluribus annis, ac tandem in maximum laterum dolorem et febrim incidit : unde et ad extrema dedeductus omnique prorsus destitutus auxilio elata voce clamare cœpit : Sancte Pater Bruno, adjuva me. Conspiciebatur torvis oculis ac tristi facie multos motus per cubile facere, et nihilominus semper magnis vocibus iterabat : Sancte Pater Bruno, adjuva me, nec alia verba in ore habens magis magisque cruciabatur. Hæc animadvertens frater ejus Jacobus Carozza cum cæteris domesticis, commiseratione moti, priorem monasterii adierunt, qui, his auditis, mox P. Franciscum Micelottum de Binungio, professum et procuratorem hujus domus, destinavit cum plena sua potestate et facultate eum ordini reconciliandi et illius habitu induendi, Perrexit ille, atque intrans domum more recepto dixit : Pax huic domui, etc. Statimque infirmus, qui velut exanimis jacebat, exclamavit : Indue me, Pater, nam mori nequeo, nisi prius in gratiam receptus, habitum quoque, quem dimisi, recepero. Hoc mihi donum a Deo obtinuit pater sanctissimus Bruno. Qui simul hac habitu fuit indutus, melius habere cœpit, et eidem patri peccata confessus sacratissimum sacramentum Eucharistiæ humiliter petiit et accepit. Deinde cum magna cordis contritione sacro oleo est perunctus,

et sic munitus diem clausit extremum, atque ad monasterium corpus ejus delatum in communi cœmeterio tumulatum fuit. Hoc autem circa annum 1558 contigisse oportuit; nam anno 1559 Fr. Micelota institutus est per capitulum prior domus Trisulti et obiit 1560. »

12. Miraculum istud, seu beneficium, a S. Brunone sacerdoti, ordinis sui olim alumno, impensum, ex ordinis Carthusiensis capituli charta, uti relationis jam datæ initio indicatur, primitus haustum esse, Surianus etiam, qui id ex auctis per Severum a Neapoli Nicolai Riccii schedis accepit, ad calcem subjungit, ac deinde, aliis nonnullis, quæ brevitatis causa omitto, interpositis, pag. 354 sequens, quod, in Fabricio Carrafa, cum terram de Ninfo, ab avo suo Joanne Baptista Carrafa (adi num. 7) Carthusiæ S. Stephani restitutam, iterum occupasset, patratum, in easdem schedas e Turritanæ S. Stephani Carthusiæ tabulario fuit illatum subnectit : « Anno, inquit, 1586 men e Octobris dominus Fabricius Carrafa, marchio Castri-Veteris, Hieronymi F. ac Jo. Baptistæ Carrafæ nepos, cum majorum suorum contumacia in eo propagaretur in occupando atque indebite retinendo territorio sæpe dicto de Ninfo, et a priore illius temporis V. P. Petro Bono de Agrottaria in jus vocatus pro restitutione contemneret, in febrim incidit acutissimam, adeo ut a medicis de illius vita conclamaretur, familiares religiosissimam matrem adhuc superstitem, in proximo oppido commorantem, accersierunt ad luctuosum sui nati funus deflendum. At illa ex infortuniis, quæ prædecessoribus suis ob prædicti territorii usurpationem evenerunt, edocta nuntiis respondit : Ego veniam et curabo eum, Deo dante, et S. Brunone suffragante. Illico ad filium pergens, jam morti proximum sic allocuta est : Merito hæc pateris, quia territorium de Ninfo S. Brunonis injuste occupas, et nunc audi sermonem meum, accersi priorem S. Stephani dictumque locum ei restitue, et statim liberaberis, sciesque, quia manus Domini super te est, affligens et eruens te.

13. « Statim ille matris monitis obtemperavit, ac coram multis astantibus se ita facturum protestatus est. Misericors autem Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat statim febri imperavit ac recessit, atque incolumis effectus, quod spoponderat, opere adimplevit, publico confecto instrumento 18 Octob. 1586, Indict. xv per manus Consalvi Ermogida de terra Spatulæ, in quo sanitatem miraculose se recepisse confitetur his verbis : Pro summa devotione prædicti S. Brunonis et per merita et beneficia recepta et diversimode habita, et quæ a prædicto S. Brunone habere sperat, et in dies habet, et præsertim in præsenti sua magna infirmitate, etc., et confirmavit, cessionem Jo. Baptistæ sui avi 18 Novembr. anni 1529, ut (vide num. 7) supra. Eodem die etiam litteras dedit ad conventum, commendans se ejus precibus. » Venio nunc tandem ad miracula, e jam sæpe laudatis schedis hausta, atque in annua, qua e Turritana S. Stephani ecclesia ad Turritanam itidem S. Mariæ ecclesiam sacrum Brunonis caput deferri ex supra dictis modo solet, solemnitate ad ejus invocationem patrata. Surianus pag. 356 sic scribit : « Anno 1589 convenientibus juxta morem ex castris, oppidisque circumpositis quamplurimis sacerdotibus et promiscui sexus turbis cum solemni supplicatione, qua e monasterio S. Stephani Feria secunda post Pentecosten conventualiter a monachis defertur simulacrum argenteum umbilico tenus, in quo asservatur caput S. P. N. Brunonis, et digitus integer S. Stephani protomartyris, in manu itidem argentea reconditus, qui ab Urbano II, instante comite Rogerio, huic domui » (Calabrinæ nimirum S. Stephani) « donatus fuisse perhibetur, ad ecclesiam B. Mariæ, milliario hinc distantem, juxta quam olim fuit eremus, a S. Brunone constructa, multi ex diversis languoribus Dei Genitricis auxilio et S. Brunonis meritis curati sunt, quos propriis oculis multi ex nostris viderunt; erant enim ibi monachi et conversi num. 25.

14. « Ibidem vidisses alios supplicabundos opem B. Virginis, alios S. P. N. Brunonis nomen inclamantes ; nec frustra : sanabantur enim a quacumque detinebantur infirmitate. Adfuit tum inter eos mulier quædam ex vicino oppido, Pizzone dicto, muta, quæ decem et octo annos elocuta verbum non fuerat, et mox in illa præfata ecclesia clamare cœpit : Misericordia! tuncque loquendi liberum usum recepit. In cujus accepti beneficii memoriam habitum ordinis album more sanctimonialium nostrarum semper gestavit, et quotannis ad festivitatem annuam ejusdem ecclesiæ inter primas advenit. Alia quædam mulier ex oppido Suriano ad præfatam ecclesiam accessit, quæ, duodecim annos habens in infirmitate sua, omnem fere substantiam frustra in medicos erogarat. Hæc coram omnibus flexis genibus orans clamare cœpit ; Serve Dei S. Bruno, jam confessa sum, jam sanctissimum Eucharistiæ sacramentum suscepi, si expedit saluti animæ meæ, impetra mihi sanitatem ; sin autem, felicem obitum ; læta enim moriar, si hoc mihi contigerit in hac ecclesia. Mirabile dictu ! Continuo defuncta est, et quasi ridens ab omnibus conspiciebatur, atque in eadem ecclesia sepulturæ tradita est. » Talia sunt duo, quæ præsenti § recensenda adhuc erant, seu miracula seu beneficia. Verum erit fortassis non nemo, qui, an primum ex his S. Brunonis patrocinio patratum fuerit, revocet in dubium, quod mulier muta, in cujus favorem obtigit, invocasse illum non legatur. Attamen, cum hæc album sanctimonialium Carthusianarum more habitum in accepti beneficii memorian deinceps gestarit, acceptum id Brunoni retulisse, itaque sese hunc invocasse confessa videtur ; quod cum ita sit, partem equidem in illo seu miraculo seu beneficio, nisi forte, quod tamen non puto, sanctissimæ Dei genitrici ascribendum potius totum id sit, habuisse

Sanctum, admittendum apparet. Ad ea modo, quæ § sequenti expedire statui, progrediamur.

www.libtool.com.cn

A

§ II. *Aliquot miracula, sæculo* XVII, *ante annum tamen hujus* XXIV, *patrata, recensentur, et qui tandem Sancti cultus ad universam Ecclesiam extensus, festumque ejus tunc Coloniæ Agrippinæ celebratum fuerit, exponitur.*

15. Non pauca, pulvere abraso e lapide specus seu antri, in quo, ut nonnulli ex dictis in commentario prævio § 45 volunt, continuo S. Bruno post suum in Turritanam eremum secessum habitavit, reque etiam vera subinde (adi eumdem commentarium prævium num. 748) commoratus fuisse videtur, in ægrotantium languidorumque favorem patrari miracula, Surianus in suis ad Brunonis Vitam a Surio contextam, adnotationibus e Nicolao Riccio de Taberna supra laudato præfatus, sequens seu miraculum seu beneficium, quod, pulvere illo adhibito, patratum fuit, e recensione Severi a Neapoli, qui id, ut præmittit, e Basilio, Carthusiæ Turritanæ fratre converso, reique gestæ oculato teste audivit, pag. 361 in medium adducit hisce ipsis Severi verbis : « Frater Blasius de Pace ex eadem Serra oppido vicino ad milliare, monasterii » (S. Stephani de Nemore) « conversus, professus ejusdem, Deo permittente, a maligno spiritu obsessus misere vexabatur. Cui V, prior prædictus » (Ludovicus Suespeckh nimirum) « summa, qua præditus erat, charitate compatiens, cupiens ovem suam ab invasione infernalis lupi eripere, sciens etiam, genus quoddam dæmoniorum non nisi oratione et jejunio ejici, tribus diebus pane et aqua duntaxat victitavit, atque, aliis negotiis intermissis, solum orationi vacans permansit. Post tertium diem, accuratiori generali peccatorum confessione præmissa, in sacrarii altari, in quo in fabrefacto loculamento, ebeno argentoque permisto varie cælato, asservantur caput S. P. Brunonis in argenteo simulacro, et aliæ sanctorum reliquiæ, missam quoad devotius potuit, celebravit, præsente fratre Blasio, arreptitio et prædicto fratre Basilio.

16. « Post missam ventum est ad exorcismos, et cum dæmon egredi cunctaretur, recordatus est P. Prior lapidis specus S. Brunonis, ac statim mandavit F. Basilio, ut, conscenso equo, quantocius lapidis pulverem, e specu sumptum, ad se perferret. Qui jussa complens, cum, accepto inde pulvere, domum rediret, in medio itinere derepente ventum validum contra se irruentem sensit. Quo violenter ex equo excussus in terram male acceptus decidit. Eodem momento dæmon, in cachinnum solutus per os arreptitii in hæc verba prorupit Calabrorum dialecto : At come buono conzato se ne terra ! quæ Latine sic sonant : At quam bene acceptus redit. Ita mihi præcise referente eodem fratre Basilio, equo sine sessore recta ad monasterium redeunte, homines ad prostratum, ut existimarunt, nec e terra adhuc surgere valentem, excurrerunt, domumque reduxerunt. A quo accepto pulvere atque contra dæmonium adhibito, illud exire ab homine coegit, ac statim liberatus ad obitum usque incolumis permansit. Obiit vero postea I Aug. 1625. » Cum Ludovicus Suespeckh, qui, dum Turritanæ S. Stephani et S. Brunonis Carthusiæ prior esset, dæmonium, pulvere ex lapide antri S. Brunonis adhibito, e fratre Blasio energumeno, uti hic narratur, expulit, prior primum, quemadmodum apud Surianum loco cit. Severus a Neapoli docet. anno 1608 fuerit creatus, annoque 1611 obierit, oportet, ut tempore, inter utrumque hunc annum medio, prodigium istud acciderit ; quare cum forte etiam annum 1609 præcesserit, visum est id hic præmittere aliis adhuc recensendis miraculis, quæ vel hoc ipso anno vel serius evenere.

B

17. En adeo nunc unum, quod anno 1609 accidit, quodque, licet non pulvere, e Brunoniani antri lapide accepto, Sancti tamen patrocinio fuit patratum. Hisce exstat apud Surianum pag. 363 et seq. verbis expressum : « Sub eodem P. Priore » (monasterii S. Stephani Ludovico Suespeckh) « anno 1609, cum ad monasterium vectaretur magnus lapis, e vicina lapidicina excisus, quadratus, octo vel amplius palmos habens undique in longitudine, et unum fere cum dimidio diametralem, usui futurus pro tabula summi altaris ecclesiæ, tanti ponderis, ut a pluribus boum jugis supra lignea machina ægre advehi potuerit, et multus ad visendum populus accederet, quidam David Muller Brandeburgensis, in lapide et ligno egregius sculptor, qui suæ artis admiratione digna multa emblemata ex lignorum segmentis coagmentatis versicoloribus effecit in hoc monasterio, quique præfatæ machinæ structor et præfectus operis aderat, cum medio itinere flexo poplite currum adaptare vellet, ac subtus aspiceret altera ex rotis tibiam illius adeo valide pressit, ut in terra, penitus humo cedente ponderi, absconderetur, ipso David clamante, S. Bruno, opem fer mihi ; cumque plurimi commiserationis ergo accurrissent, tibiam ejus comminutam existimantes, inventa est aliquantulum in nervis læsa, quæ etiam paulo post perfecte curata est. In eodem loco præfatus sculptor ædiculam seu parvulam capellam, in colle sitam, suis sumptibus erigendam ad rei futuram memoriam curavit, quæ adhuc exstat. » Duobus hisce jam relatis atque apud Surianum exstantibus miraculis aliud modo subjungo, typis hactenus, quod sciam, non subjectum, quod in S. Brunonis imagine Caballione, seu, ut ab aliis scribitur, Cavallione, episcopali Vindascini in provincia ad sedem apostolicam spectantis comitatus civitate, anno 1610 patratum est, quodque cum Majoribus nostris e Magna Carthusia anno 1668, uti, quam ei ascripserunt, notitia me docet, fuit communicatum.

C

D

18. Sequentibus hisce verbis describitur : « Anno Domini 1610, mense Augusto, Alexander Maurissius, civis Cavallicensis, visa tabella quadam in choro PP. Capucinorum Cavallicensium in qua recenter a patre Bernardino effigies sancti

www.libtool.com.cn

Ludovici, episcopi Tholosani ejusdem ordinis (S. Francisci Assisiatisni mirum; neque enim sec. XIII, quo S. Ludovicus Tholosanus floruit, capuccini adhuc inveniebatur) professi, deformata fuerat, illius elegantia supra modum delectatus et captus, accessit ad patremFabianum de Sault sibi familiarem, instantissimeque petiit et ab eo obtinuit, ut imagunculam sancti Brunonis hic appensam,quam pro sua in eum antiqua devotione asservabat, superductis coloribus opera dicti patris Bernardi in similem sancti Ludovici repræsentationem delinearet; huic igitur operi 20 ejusdem mensis primam admovet manum P. Bernardinus et imaginis fundum indico pro more oblinere aggreditur.Verum cum opus ob exiguitatem displiceret, supervenienti cuidam pictori, nomine L'Empereur, tradit penicillum,rogatque ut illud jam bene inchoatum ad instar imaginis sancti Ludovici absolvat, acquiescit pictor et imaginis fundum atque ipsum in cruce pendentem Salvatorem subjectamque calvariam atra fuligine oleo subacta inficit, candidam sancti Brunonis vestem in leucophæam demutat, capitium producit, manicas substringit, pro cuculla cannabinam plagulam assuit, totam denique imaginem, demptis Pontificiis insignibus, pedo scilicet ac mitra, sanctique Brunonis capite, in aliam transfigurat.Porro, advesperascenté multum jam die, sic affectam tabellam recedens P. Bernardino relinquit : qui sequenti die, mane facto, alieni operis curiosus explorator, dum imaginem propius intuetur, hæret attonitus, et inusitato successu perculsus, vix oculis suis credit, nullus penicilli ductus, nullum coloris. nullum indici vestigium,pura omnia et veluti spongia detersa existunt, sola sandaracha, velut in perpetuum rei gestæ monimentum, sed integris prioribus lineamentis, remanserat, sicque sanctus Bruno, rejecto ascititio chemate et colore, in veste nativa candidus apparebat. Ergo inter pavorem et gaudium dubius pater Bernardinus ad patrem Andræam d'Arles cœnobii Guardianum accurrit, rem omnem communicat, sigillatim exponit, imaginem exhibet.

19. « Certatim omnes e domo Patres, audita rei novitate, adsunt, sciscitantur, audiunt, imaginem explorant, et una voce, ingens id esse miraculum, exclamant. Adest quoque Josephus L'Empereur pictor, promissi memor, pensum absoluturus, sed a patre Bernardino,quod acciderat, miraculum edoctus, prohibetur ultra manum operi (quando id inauspicato cesserat) adhibere,aut ullam deinceps alicujus Sancti effigiem in alterius commutare aggredi. His igitur omnibus visis et auditis, non sine rubore et metu dominus Maurissius imaginem, sibi restitutam, summa cum veneratione recepit, eamdemque tandem, a multis visam et religiose spectatam, D. Dionysio Sailly, priori Carthusiæ Bonipassus, dono dedit. Exstat de ea re authenticum instrumentum,a reverendo officiali et vicario generali reverendissimi episcopi Cavallicensis, Alexandro Maurissio, Josepho L'Empereur et Joanne Baptista Gemifrem notario et scriba Curiæ spiritualis Cavallicensis subscriptum et sigillo episcopali munitum, quod una cum prædicta imagine, supra exhibita, Carthusiam ab eodem D. Dionysio transmissum in tabulariis domus integrum asservatur. » Majores nostri,qui, quemadmodum supra jam indicavi, sese e Carthusia majori conceptam hisce verbis miraculi, in S. Brunonis imagine patrati, relationem accepisse, in margine ascripserunt, notula apposita etiam monent, sese et illam Sancti imaginem, et ipsum instrumentum authenticum, cujus sub finem jam datæ relationis mentio fit, in sacello, S. Brunoni in Carthusia majori sacro, vidisse, cum ibi anno 1662, versarentur Porro imaginis illius exemplar ad majores nostros una cum miraculi relatione missum fuisse, e verbis,quibus hæc initio et fine concipitur, apparet; verum ego id, quod alioquin æri incisum lectori hic exhiberem, inter sepositas de S. Brunone notitias invenire haud quivi. Unum modo adhuc,quod miraculis, a Sancto factis, apud Surianum accensetur,quodque annum 1624 præcessit, studioso lectori, antequam ad alia, ad gloriam Sancti posthumam spectantia, sermonem convertam, hic exhibeo.

20. His verbis exponitur : « Anno 1623, cum esset prior D. Joannes Manduci de Seminaria oppido diœcesis Militensis, qui sacella SS. Stephani et Brunonis, sita in transversa parte ecclesiæ sub tholo marmoribus versicoloribus Roma magno sumptu advectis exornanda curavit,coaptandorum marmorum causa venit etiam huc inde quidam Gaspar marmorarius, qui, humani generis hoste suggerente, et carnis formite titillante,quadam die cum alio ejusdem artis socio, dicto Michaele Siculo,intra ecclesiam S. Mariæ (De Turri nempe) solus cum eo de certa muliere ad inhonesta sollicitanda verba miscebat prope parvam januam ad dextrum latus dictæ ecclesiæ, tuncque repente audiunt, quatuor validis ictibus pulsari gradus,tunc ligneos,dein vero lapideos factos, quibus ab exteriori parte ecclesiæ ascenditur ad chorum super atrium ecclesiæ constructum. Ad quem strepitum exterritus Gaspar egressus est foras per eam lateralem januam, ac clare conspexit terga monachi nostro habitu induti vicinum nemus petentis ac penetrantis. Ex cujus aspectu majore timore est perculsus, cum probe sciret monachos nostros nec illa die et hora illic adesse,nec unquam solos eo advenire solere ; unde nec vane opinatus est, S. Brunonem fuisse, cui cordi semper fuit,et est honestas ac sanctitudo Dei domum decens. Dein timore compunctus rem totam aperuit D. Mathiæ Nucifero professo, et tunc monasterii sacristæ : quo referente, hæc in Acta relata sunt. Eodem anno illa mulier interfecta est a cognatis, et Gaspar de nocte, tempore carnis privii, ad proximam villam divertens graviter est in capite vulneratus, sed brevi convaluit, S. P. N. Brunoni se commendans : qui et me hæc scribentem, ut

www.libtool.com.cn

missam ad illius altare et honorem offerrem, exoravit; quod libenter, nesciens, rem occultam esse, præstiti. »

21. Cum hæc, quæ apud Surianum pag. 365 et binis seqq. Severus a Neapoli hic narrat, anno 1623 accidisse, ipsa prodat data hujus relatio, eodemque etiam anno Sancti nostri cultum propagari contigerit, chronologicus, quem sequi statui, ordo exigit, ut de re hac modo hic tractem. Publica S. Brunonis veneratio ab anno 1514, quo fuerat is explicato in Commentario prævio § 47 ritu in beatorum numerum relatus, apud solos fere Carthusianos locum habuerat, cum tandem, his agentibus, Gregorius XV papa concessit, ut S. Brunenis festum missali et breviario Romano inscribi officiumque de eo semiduplex die sexta Octobris in quam illud incidit, ab omnibus ubique fidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, libere ac licite recitari possit. Breve apostolicum, quo id fecit, Benodictus XIV papa e Carthusia majori, uti ipsemet docet, accepit, atque in contexti a se de Servorum Dei beatificatione, et beatorum canonizatione operis librum primum intutit: hisce autem ibidem cap. 41, num. 7 verbis concipitur: « Gregorius papa XV ad perpetuam rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices, quanquam immeriti, gerentes in terris, ex adjuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorem Christi debita veneratio indies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quam ob rem fidelium quorumlibet, præsertim vero sub suavi religionis jugo altissimo famulantium, votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum et venerationem respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. »

22. « Supplicationibus itaque dilecti filii D. Bernardi Gazii, ordinis Carthusiensis procuratoris generalis, nobis humiliter porrectis inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus festum S. Brunonis, ejusdem ordinis fundatoris, die 6 Octobris, qua in cœlum evolavit, in missali et breviario Romano reponi, officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari libere et licite possit et valeat, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et indulgemus. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, cæterisque ecclesiarum prælatis, in universo terrarum orbe constitutis, præcipimus et mandamus, ut in suis quibusque ecclesiis, provinciis et diœcesibus præsentes nostras litteras solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis personis sæcularibus, et quorumvis ordinum regularibus omnino observari faciant, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 17 Februarii 1623, pontificatus nostri anno tertio. S. Cardinalis sanctæ Susannæ. Ita est. Silvester Spada, illustrissimi et reverendissimi domini Cardinalis vicarii notarius. » *Locus* ✠ *Sigilli.*

23. Apostolico huic brevi jam præiverat sacræ Congregationis rituum indultum, quo idem, quod per istud hic conceditur, anno 1622, jam fuerat concessum. Exstat id pariter apud Benedictum XIV loco proxime citato, sicque habet: « Supplicationi, a domino Bernardo Gazio, ordinis Carthusiensis procuratore generali, sacræ rituum Congregationi porrectæ, eadem Congregatio communi illustrissimorum R. P. assensu inclinata, habita etiam Sanctissimi Domini nostri confirmatione, festum sancti Brunonis, ejusdem ordinis fundatoris, die 6 Octobris, qua in cœlum evolavit, in missali ac breviario Romano reponi, et officium de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari concessit. Illi enim inter Sanctos præcipue universalem Ecclesiæ venerationem expostulare videntur, qui sacrarum familiarum institutores militanti eidem Ecclesiæ nunquam interitura suffragia reliquerunt. Sig. Franciscus Maria, Cardinalis a Monte. *Locus* ✠ *sigilli.* Joannes Baptista Rinuccinus secretarius. » Hoc instrumentum, quod, qui illud cum Benedicto XIV papa de mandato reverendi patris, ordinis Carthusiensis generalis, communicavit, Ambrosius Crollet, hujus scriba, 19 Novembris anni 1622 datum notat, Carthusianis petentibus a sacra rituum Congregatione fuit indultum, ipsomet annuente, uti recitata, quibus id constat, verba fidem faciunt, summo pontifice Gregorio XV; ut proinde hic illud ipsum, quod anno 1623 per Breve, num. 21 et seqq. recitatum, Carthusianis postulantibus concessit, vivæ vocis oraculo antea impertiisse videatur. Nec tantum hic pontifex, ut S. Bruno per universam Ecclesiam cultu publico affici posset, indulsit; verum etiam, quo reipsa, etiam ab iis, qui ad Horas canonicas non tenentur, veneratione congrua honoraretur indulgentiam plenariam omnibus, qui luce ipsi sacra Carthusianorum ecclesias visitarent, exigique pro lucrandis plenariis indulgentiis solitas preces ibidem effunderent, propensissime concessit Exstantes apud Surianum litteras apostolicas, quibns id fecit, lubet etiam huc transcribere.

24. Sequentibus itaque apud hunc vitæ S. Brunonis, per Surium concinnatæ, commentatorem verbis concipiuntur: « Gregorius papa XV ad perpetuam rei memoriam. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementissima ejus majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Volentes igitur, omnes et sin-

gulas eccleaias monasteriorum monachorum Carthusianorum ubicunque existentium aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis die festo sancti Brunonis, sexto mensis Octobris celebrari solito, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 3 Julii, anno 1623, pontificatus nostri anno tertio. »

25. Surianus, pontificia hac, qua quamlibet Carthusianorum ecclesiam die sexta Octobris seu luce S. Brunoni sacra frequentantibus indulgentia plenaria a Gregorio XV fuit concessa, pag. 266 et seq. recitata bulla, mox subjungit : « Hac autem bulla, velut classico personante, varii variarum regionum excitati populi, certatim quisque pro sua in sanctum Brunonem religiosiore observantia, exaggeratum cultum (eidem nempe S. Brunoni) impenderunt, »ac deinde narrat, quanta solemnitate ac pompa Sancti festum Coloniæ Agrippinæ nominatim, Leodii et Liræ in Brabantia celebratum tum fuerit. Ut brevitati studeam, qui id in priori e tribus hisce civitatibus, quæ Sancto natalis obtigit, factum fuerit, e laudato Sancti Vitæ, per Surium scriptæ, commentatore lectorem edocere duntaxat lubet. Ac primo quidem, antequam verba, quibus is scriptor rem exponit, huc transcribam, de anno quo solemnitas ista Coloniæ Agrippinæ acciderit, nonnulla dicenda sunt, ne quis forte illam, quod litteris apostolicis, mox recitatis annoque 1523 datis, proxime a Suriano subdatur, hoc etiam anno, quod ex dicendis secus habet, evenisse arbitretur. Solemnitati itaque, qua, cum pontificia, quam proxime memoravi, bulla data fuisset, Coloniæ Agrippinæ S. Brunonis festum celebratum fuit, præivit edictum, quo Ferdinandus princeps elector et archiepiscopus Coloniensis omnes archidiœcesis suæ clericos, ut instans S. Brunonis festum congrua debitaque devotione celebrarent, vehementer hortatus est, nonnullaque eo spectantia præscripsit. Lubet et monumentum illud, quod inter sepositas a majoribus nostris de S. Brunone notitias inveni, integrum huc transcribere, tum ne quid, notatu dignum, quod ad gloriam Sancti posthumam facit, prætereat, tum quod ex eo, solemnitatem, de qua hic nobis sermo, Coloniæ Agrippinæ, non anno 1623, sed anno 1624, celebratam fuisse, intelligatur, quemadmodum mox, cum id recitaro, ostendam.

26. His verbis concipitur : « Ferdinandus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ electus et confirmatus archiepiscopus S. Rom. Imp. per Italiam archicancellarius, et princeps elector, episcopus Paderbornensis, Leodiensis et Monasteriensis, administrator Hildesheimensis, Corbeiensis et Berchtesgadensis, princeps Stabulensis, comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, Bullionis dux, marchio Francimontensis, comes Lossensis, Longiensis, Hornensis, S. Sedis apostolicæ legatus natus, etc. Venerabili clero et universis, ac singulis Christi fidelibus civitatis et archidiœcesis nostræ Coloniensis salutem in Domino sempiternam. Cum Deus Opt. Max. Pater ille misericordiarum pro paterna sua providentia et infinita erga nos charitate suos quibusque locis et temporibus Sanctos varie dispertitur, ut nobis in caliginoso isto mundo inter tot dogmatum ac morum errores facem præferant, ac in viam salutis æternæ quasi manu ducant, tum vero jugiter hanc nostram Coloniensem ecclesiam oculis suæ benignissimæ misericordiæ respexit et cæteris orbis terrarum regionibus ac provinciis eminentiorem reddidit, dum clementissime voluit et concessit, ut plurimorum maximorumque Sanctorum parens, alitrix, domicilium et custos esset ; quorum nimirum meritis et suffragiis, postquam fidem suscepit, recidiva non fuit, sed in fide stabilis, estque et audit Romanæ ecclesiæ fidelis filia aliaque quæ inde velut e perenni omnium bonorum fonte scaturiunt et derivantur, consequitur. Inter quos sane velut stella matutina refulget sanctus Bruno. Magnum Ecclesiæ Dei decus et ornamentum, civis Coloniensis, Coloniæ nobili Hartenfaust familia natus et educatus, anno partæ salutis post millesimum centesimum primo mortuus; post millesimum quingentesimo decimo quarto a Leone X inter Sanctos relatus, celeberrimi juxta et sanctissimi ordinis Carthusiensis (cujus laus est in Ecclesia) fundator et patriarcha. Porro nuper nobis exhibitæ et intimatæ fuerunt litteræ Sanctissimi domini nostri Gregorii felicis recordationis Papæ XV super celebratione festi altememorati S. Brunonis hujusmodi sub tenore. »

27. Hic modo Gregorii XV papæ, qui anno 1623 die 8 Julii, ac proin, antequam hoc Coloniensis archiepiscopi edictum emitteretur, vita functus est, recitatur breve, num. 21 et 22 datum, ac deinde pergitur hoc modo : « Nos itaque tum pro ea obedientia, quam debemus S. Sedi apostolicæ, tum pro religioso nostro affectu et veneratione erga Sanctos Dei, eos præsertim, qui nos et ecclesiam nostram propius contingunt, tenore præsentium auctoritate apostolica nobis commissa, nec non de consilio et consensu venerabilis nostri capituli vobis supradictis litteras apostolicas notificamus, et pro illarum

www.libtool.com.cn

exsecutione clericos tam sæculares quam regulares A enixe in Domino requirimus et monemus, ut diem istum solemniter debita et exemplari cum devotione juxta tenorem supra positi brevis apostolici celebrent, aliisque Christi fidelibus suo exemplo præeant, ecclesiarum vero rectoribus, pastoribus et divini Verbi concionatoribus districte serioque præcipimus et mandamus, ut in festo S. Michaelis, quod incidit in Dominicam 17 post Trinit., 29 Septemb. Christi fideli populo alta et intelligibili voce publicent et eumdem, exposita Sancti vita, diligenter adhortentur, quatenus festum ejus pie ac religiose obeant, haud dubia spe, quod Sanctus iste origine et educatione noster pio in patriam affectu nos gregemque nobis commissum suis apud divinam majestatem precibus et suffragiis, hisce periculosissi- B mis exulceratissimisque locis ac temporibus, tueri porro et conservare perget; id quod sane eo magis nobis necessarium, quo graviora ab hæresi et a bello circumstant pericula. Quo vero Christi fideles ad debitam venerationem ac devotionem promptius obeundam magis excitentur, significamus præterea et attestamur supra memoratum SS. D. N. Gregorium papam XV aliis specialibus litteris (perpetuis futuris temporibus valituris) omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui ecclesiam Carthusianorum die festo S. Brunonis, 6 mensis Octobris celebrari solito, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis C devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac Sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessisse.

28. « Quod quidem nos ita declaramus, ut fideles feminei sexus (quibus aditus intra septa monasterii et limina ecclesiæ præclusus est) ante ipsum monasterium sive ecclesiam foris orando easdem indulgentias lucrari possint, et valeant. » Cum anno illo, quod Ferdinandus, Coloniensis archiepiscopus, isthoc edictum emisit, Dominica post SS. Trinitatis festum septima decima in vigesimam nonam, uti ipsum illud instrumentum manifestat, Septembris D diem inciderit, hocque non anno 1623, sed, ut computanti patebit, anno 1624, quo Pascha die 7 Aprilis ac proin sanctissimæ Trinitatis festum die secunda Junii celebratum fuit, evenerit, edictum illud posteriori hoc anno quo etiam apud Petrum Cholinum Coloniæ Agrippinæ excusam ad calcem notatur, editum fuisse, necesse est. Jam vero cum id Coloniensi, de qua hic disserimus, solemnitati, ut jam dictum præiverit, consequens est, ut nec hæc ante annum 1624 contigerit; quin autem hoc ipso anno evenerit, dubitandum non apparet, cum equidem haud dudum a præfato edicto locum habuerit, quemadmodum ex ipsis, quibus hoc concipitur, verbis fas est conjicere. Verba modo, quibus ea a Suriano describitur, huc transferamus. Sequentia hæc sunt: « Festum S. Brunonis nimirum) tota civitas (Coloniensis nempe) solemniter, jucundantiumque in morem celebravit et encæniavit. Totus senatus in Carthusia secundum faciem Sanctorum lætum diem egit tam in choro, quam in trichoro. Universus clerus et omnes omnino aliorum ordinum religiosi contesserarunt. Et ne sequior sexus se doleret et quereretur exclusum, ante portam pegma et spectandæ magnitudinis ara fuit erecta. Quo in loco confertissimæ mulieres missam et communionem, concionemque avidis animis exceperunt.

29. « Phonascorum quoque non defuit in Vesperis utriusque et missa gratissimus concentus. Processum est subinde per peristylium majus cum ea gravitate pompaque, quæ Sanctos deceret; pone sequente senatu P. Q. Col. In ipso flagrante die festo missam cantavit baro et canonicus Ecclesiæ metropolitanæ, diaconum egit comes et canonicus, subdiaconum canonicus presbyter. In octavis (nam per totas octavas confluxus populi non defuit) vicarius serenissimi principis missam quoque cecinit, cui canonici duo subservierunt et phonasci tam in missa, quam in utriusque Vesperis suum officium egregie sane impleverunt. Ut verbo absolvam, ex quo stetit illa Carthusia, nihil illi solemnitati comparabile, nihil æquale vidit. Totius tandem solemnitatis coronidem adjecit ipse serenissimus princeps elector et archipræsul, qui post Octavas proxima Dominica Carthusiam visitavit, S. Eucharistiam percepit, hospitatusque ea nocte est in pastophorio. » Coloniensis archiepiscopus Ferdinandus hic memoratus Guillelmi V Bavariæ ducis et Renata Lotharinga exstitit filius, anno 1577 natus, qui, cum patruo suo Ernesto, Coloniensi archiepiscopo, anno 1595 datus fuisset coadjutor, ei etiam, anno 1612 vita functo, in Coloniensem successit archiepiscopatum, quem ad annum usque quo obiit 1650 optime administravit. Porro verbis proxime recitatis subdit mox Surianus, qui Leodii ac deinde qui Liræ, postquam ut Sanctus sexto Octobris die per universam Ecclesiam ritu semiduplici coli posset, a Gregorio XV papa anno 1623, fuisset concessum, festiva ejus lux solemniter a primariæ etiam notæ viris, qui Carthusiani ordinis non essent, fuerit celebrata. Verum cum a verbis, quibus tum peractam in binis hisce civitatibus solemnitatem scriptor ille exponit, recensendis abstinere, brevitatis studio, ut jam monui, sit fixum, ad alia, quæ ad gloriam Sancti posthumam adhuc spectant, gradum modo facio.

§ III. *Fueritne Sanctus anno 1623 a Gregorio XV, an serius duntaxat a Clemente X canonizatus, examinatur, reliquaque, quæ ad gloriam ejus posthumam faciunt, magisque videntur notatu digna in medium proferuntur.*

30. Apostolicis litteris, § præcedenti recitatis, quibus ut S. Brunonis festum die 6 Octobris, qua ad cœ-

www.libroscatolicos.com

los is migravit, missali et breviario Romano inscribi, officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus libere ac licite recitari possit, Gregorius XV papa anno 1623 concessit, æquipollenter canonizatum Sanctum non fuisse, Benedictus XIV papa in suo, quod commentarii prævii loco non uno laudavi, de Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione opere existimat: ita enim in hoc, lib. I, cap. 41, num. 6 scribit: « Nullo certe pacto dici posse videtur (adi quæ huc facientia Commentarii prævii § 47 disputata sunt) sanctus Bruno a Leone X canonizatus; sed ejus æquipollens canonizatio, eximiis tanti viri meritis, præclarissimi ordinis fundationi, continuatæ insignium miraculorum famæ cultusque concessioni, primum quidem universo Carthusianorum ordini a Leone X factæ, postea toti Ecclesiæ ad libitum a Gregorio XV, innixa, assignanda videtur summo pontifici Clementi X, ut ex sequenti decreto colligitur: « Enixis precibus, » Sanctissimo domino nostro Clementi X porrectis » per Eminentissimum dominum Cardinalem Ni- » carduin nomine serenissimæ Hispaniarum reginæ, » quibus Sanctitati suæ supplicabatur, ut dignare- » tur concedere, quod officium sancti Brunonis » confessoris, fundatoris ordinis Carthusiensis, » hactenus ab Ecclesia universali sub ritu semidu- » plici recitatum (supple ad libitum) imposterum » sub duplici recitaretur ab omnibus utriusque » sexus tam sæcularibus, quam regularibus, qui » ad Horas canonicas tenentur, et remissis a San- » ctitate sua ad sacrorum rituum Congregationem, » eadem ad relationem eminentissimi domini car- » dinalis Sfortiæ censuit, prædictam gratiam conce- » di posse, si eidem Sanctissimo Domino nostro » visum fuerit, die 3 Martii 1674. Et facta de præ- » dictis Sanctissimo relatione per me secretarium, » Sanctitas sua benigne annuit die 14 ejusdem men- » sis Martii, et anni 1674. »

31. Ita Benedictus XIV papa laudatus. S, Brunonem a Clemente X, ac proin non præfatis apostolicis Gregoriii XV litteris, canonizatum fuisse, non obscure docens; ita autem opinatus est quod, quemadmodum inserta sacrorum rituum Congregationis decreto, quod hic recitat, parenthesi satis indicat, litteris illis cultus præceptum non includatur. Verum Ambrosius Crollet, reverendissimi patris generalis capitulique ordinis Carthusiensis scriba, qui easdem litteras, mandante eodem reverendissimo Patre, cum Benedicto XIV communicavit, aliter prorsus censuit, Iisdem enim apud eumdem Benedictum operis laudati lib. I, cap. 41, num. 7 sequentia verba præmittit: « Anno 1623 supra memoratus Gregorius Papa præcepit, ut die 6 Octobris omnes sæculares et regulares ubique terrarum sub semiduplici ritu recitent officium sancti Brunonis confessoris, fundatoris nostri, nec non in breviario, Missali et Kalendariis imposterum imprimendis festum ejusdem sancti Brunonis describendum statuit; » e quibus sane manifestum fit, laudatum Ambrosium Crollet in ea opinione fuisse, qua supra recitatas Gregorii XV papæ litteras cultus ecclesiastici præceptum includere, existimavit. Verum utri assentiendum est? Huicne ordinis Carthusiensis alumno, an Benedicto XIV? Etsi Gregorius XV papa, sese, ut S. Bruno ab omnibus ubique fidelibus, ad horas canonicas obligatis, ritus semiduplicis officio die sexta Octobris coli licite possit, impertiri, in memoratis litteris primo duntaxat dicat, mox tamen adhibens verba, præceptum sonantia, subjungit, sese patriarchis, archiepiscopis, episcopis cæterisque ecclesiarum prælatis, in universo terrarum orbe constitutis, præcipere et mandare, « ut ab omnibus ecclesiasticis personis sæcularibus et quorumvis Ordinum regularibus observari faciant » litteras prædictas; hinc autem factum forte est, ut hisce omnes fideles, qui ad horas canonicas tenentur, ad officium de S. Brunone die sexta Octobris, qua is obiit, ritu semiduplici recitandum obstringere voluisse Gregorium, Crolletus existimarit.

52. Forsan etiam, ni, ut id illi facerent, Gregorius præcepisse statuatur, haud satis intellexerit, qua ratione factum esse queat, ut Urbanus VIII papa, proximus Gregorii XV in S. Petri cathedram successor, officium de Brunone, novo, quo hunc coli præceperit, decreto non emisso, Breviario Romano (adi Commentarium prævium num. 188 et 195) jusserit inscribi, Res sane, ut meam modo promam sententiam, admodum videtur implexa. Et vero cum sacræ rituum congregationis decretum Benedicti XIV papæ verbis, num. 30 huc transcriptis, inclusum, quo hæc, ut officium de S. Brunone, quod hactenus ab Ecclesia universali sub ritu semiduplici recitatum duntaxat fuerat, sub duplici deinceps recitaretur, anno 1674, summo pontifice Clemente X annuente, concessit, nullum prorsus, quod cultus, S. Brunoni deferendi, præceptum aperte sonet, verbum includat, fueritne magis a Clemente X quam a Gregorio XV sancti cultus præceptus, in dubium revocari non immerito posse videtur. Quod cum ita sit, cultusque præceptum ad canonizationem necessario requiratur, S. Brunonem canonizatum, canonizatione scilicet, uti eam vocant, æquipollenti, a Clemente X potius, quam a Gregorio XV fuisse, pro certo asseverare non ausim. Neque vero id a Clemente factum fuisse, pro prorsus indubitato habuit ipsemet Benedictus XIV; etenim (adi ejus verba num. 30 recitata) canonizationem S. Brunonis Clementi X non affirmate assignat, sed, adhibita, quæ dubitantium esse solet, loquendi formula, pontifici huic illam assignandam videri, duntaxat ait. Verum esti res ita sit, dubiumque simul an Sanctus seu a Clemente seu a Gregorio, ac proin an unquam (neque enim pontifex, Clemente posterior, coli Brunonem præcepisse invenitur) canonizatus vere fuerit, ex omnibus jam dictis queat videri, fuit equidem, ut officium de eo, quod duntaxat sub ritu semiduplici recitari consueverat, ab omni-

www.libtool.com.cn

bus deinceps, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu duplici recitari posset, a Clemente X, ut supra a Benedicto XIV allegatum congregationis rituum decretum fidem facit, anno 1674, supplicante Hispaniarum regina, concessum. Atque id hic, quod de ea Clementis concessione sacræque congregationis rituum, quo declarata hæc fuit, decreto fuerit agendum, commemorandum duxi, etsi interim pontificio isti indulto præiverint tria e miraculis, præsenti § recensendis, quæ, ut id daretur, partim fortassis effecerint.

33. En adeo, cum de præfata pontificia concessione actum jam satis sit, studiose lector, nunc etiam illa, continua serie, prout apud Surianum e schedis, supra jam sæpius laudatis, deprompta pag. 369 et seqq. exstant, recitata. Sic habent: « V. P. Bernardus Gort Barcinonensis, professus Carthusiæ Scalæ-Dei in Catalonia, olim Olisiponensis, et post Eborensis in Lusitania prior, sequens miraculum refert. Illustrissimus et reverendissimus D. Theotonius a Bragantia, archiepiscopus Eborensis, amplissimus fundator Carthusiæ Scalæ-Dei (aliis Scalæ cœli) prope Eboram in Lusitania, obtinuit a reverendo patre priore Carthusiæ ordinis generali quamdam portionem seu reliquam capitis S. P. N. Brunonis, quam in argenteo simulacro, effigiem ejusdem umbilico tenus referente, recondidit, quod simul cum multis emblematum, hyeroglyphicorum, poematumque compositionibus eidem Carthusiæ Eborensi donavit, ubi et reverenter hedieque asservatur. Anno 1628, circa finem Januarii, cum præcessisset magnus lunæ defectus, dux Bragantiæ Theodosius II in maximam ac periculosam ægritudinem incidit; de cujus valetudine adeo timebant ejus familiares, ut solis medicis ingressum ad eum permitterent. Quod sciens V. P. Antonius Coello, tunc Eboracensis Carthusiæ prior, cum D. Alvaro de Fonseca procuratore ejusdem ad oppidum Villæ-vitiosæ, ubi dux æger decumbebat, concessit, secum deferens prædictam reliquiam S. Brunonis, duci adorandam exhibiturus, in memoriam eidem revocans, eam reliquam esse olim a R. P. generali transmissam domino Theotonico magno suo patruo. Qui statim se decentissime composuit, et dictus prior cum maxima reverentia ostendit duci sacram reliquiam, recitatisque cum socio quibusdam precibus cum oratione prædicti Sancti, eamdem illi adorandam obtulit, præsentibus duce Barcellensi ejus primogenito, nunc duce Bragantiæ, aliisque duobus filiis D. Edoardo et Alexandro, genibus flexis cereos accensos tenentibus. Cumque dux sacram reliquiam adorasset, præsentibus filiis dixit, se valde Deo fidere, sanitatem recepturum, quod in sua ægritudine ab eo Sancto meruerit visitari.

34. « Recessit prior cum socio e cubiculo, secum referens sacram reliquiam, veritus, ne dux penes se eam retinere vellet; uti eum cupere noverat. Postea dux cœpit morbo levari, atque eadem nocte adeo convaluit. ut a medico febre carens sit repertus, et brevi est prorsus sanitati pristinæ redditus Anno 1631 quidam monachus, cujus nomen consulto prætereo, quia adhuc superstes est, professus unius ex domibus provinciæ S. Patris Brunonis, cum hospitaretur in domo S. Stephani de Nemore, multo tempore graves mentis angustias passus, tandem ad id devenit, ut palam de ordine deserendo tractaret, atque in Romana curia hoc per idoneum hominem procuraret. Cujus rei procurator generalis ordinis certior ab ipso factus non modo non contradicebat, verum etiam annuebat illius ab ordine egressui, ut ab illius importunitate se liberaret. Insuper oculorum ægritudinem contraxerat, ut vix de nocte lumen ad sacras preces recitandas sustinere posset. Demum S. P. Brunoni se commendans abluit oculos suos aqua ex lacu S. Brunonis sumpta, quæ scilicet ex fluvio decurrente prope nemus ecclesiæ S. Mariæ colligitur in alveum, muro septum a parte viæ, in forma orbiculari oblonga, in cujus medio crux lignea posita est, ex qua S. Bruno bibere et lavari solitus dicitur. Simul ac ex hac aqua oculos abluit, statim exterius interiusque illustratum se sensit, ac, deposito ordinis deserendi consilio, in sancto proposito se confirmavit, atque de sua hac illuminatione V. P. Josephum Laudinum priorem Carthusiæ Romanæ ac ordinis in Romana curia procuratorem generalem, certiorem fecit, per suas litteras ex hac domo, mense Decembri 1631 datas, quas et aliis familiaribus suis legit. Vivit adhuc et sospes est. Ex aqua autem hujus lacus multi devotionis causa bibunt, et ad domos suas asportant, quam etiam variis morbis profligandis efficacissimam experiuntur, qui cum aliquo sensu pietatis eam sumunt.

35. « Labente anno 1633, illustrissimus dominus Henricus Loffredus Neapolitanus marchio Trivici et comes Potentiæ in Lucania urbis, ubi ex gravissimo morbo de vita periclitabatur. Quare, medicorum ope et opera abjecta, ad Sanctorum præsidia confugit, adeoque hortatu fratris Angeli Massei Neapolitani conversi, professi Carthusiæ S. Laurentii prope Padulam, tunc commorantis in grangia ejusdem Carthusiæ, sita intra civitatem Potentiam, se commendavit S. P. Brunoni pio cordis affectu, hausto etiam pulvere de specu ejusdem Sancti loco pharmaci, ab eodem converso sibi exhibito, qui Dei beneficio per merita S. Brunonis brevi convaluit, nec non ope B. Ægidii Minoritæ, cujus corpus apud Laurentianum oppidum integrum asservatur, cui ab ejus matre commendatus fuerat. Ob id anno 1634, ut Sanctis debitas grates obsequiumque persolveret, circa initium Julii ad prædictam Carthusiam Padulæ accessit S. P. Brunoni gratias redditurus. Quod clarius ex ejus epistola, V. P. Joanni Baptistæ Manducio priori ac provinciæ visitatori directa, patebit. « Admodum re » verende Pater observandissime. Superioribus men» sibus ob gravissimum morbum vitæ tale discrimen » incurri, ut considerans, jam vanam medicorum

» operam esse, ad Deum Op. Max. atque ad cœlites
» sanctos confugerim, sed peculiari affectu ad S.
» Brunonem, atque ad B. Ægidium. Nunc ut multo,
» quod his Sanctis debeo, satisfacere queam debito,
» statui personaliter ad eos venerandos accedere,
» patrem S. Brunonem istuc ad S. Laurentium de
» Padula scilicet, et B. Ægidium Laurentianum.
» Quare Paternitatem V. rogo, ut mihi gratiam con-
» cedas et facultatem F. Angelo, ut mecum veniat:
» nam ex parte cognoscens ab eo meam sospitatem
» tum illius precibus, tum hortatu, ut me S. P.
» Brunoni commendarem, a Paternitate vestra hanc
» consolationem exopto, ut prædictus frater, sicut
» auxilio mihi fuit ad sospitatem mihi impetrandam,
» ita etiam sit ad gratias reddendas. Tandem offe-
» rens me semper ad tui, ac tuæ religionis obsequia
» promptum, tuis me orationibus commendatum
» cupio. Potentia, die 27 Junii 1634. »

36. Talia sunt tria, quæ sacræ rituum Congregationis, a ritu semiduplici ad duplicem, annuente Clemente X, elevantis Sancti cultum, decreto præivere, hicque recensenda duxi, ad S. Brunonis invocationem patrata miracula. Ac horum quidem secundum, etsi quod de virtute a prodigiosi fontis aquis (adi Comment. præv. num. 747) ad lacus, cui a S. Brunone nomen est, aquas translata Zanottius in contexta a se Sancti Vita tradit, neutiquam confirmet, prodigiosam tamen lacus illius aquis e Sancti nostri meritis virtutem vere inesse, argumento qualicunque est. Verum hanc plura luculentius commonstrant, quæ ipsemet Zanottius in laudata sua de S. Brunone Lucubratione cap. 34, narrat, miracula, aquarum illarum virtute præsenti sæculo ac proin post dictum, quod anno 1674 congregatio rituum dedit, decretum patrata. Lubet hæc, pluribus aliis, quæ tum apud Surianum adhuc, tum alibi exstant, e lingua Italica in Latinam versa lectori hic exhibere, idque, cum pro iis nullum seu scriptorem seu monumentum, contra ac alias facere solet, laudet Zanottius, e sola hujus, quem ea nihilominus e probato fonte hausisse reor, scriptoris fide. Hisce itaque ab illo Sancti nostri biographo verbis narrantur : « Anno 1715 Oliva Spani Cantaciensis tali modo a maligno spiritu fuit obsessa, ut die quopiam abs illo violenter supra carbonum ardentium massam fuerit conjecta, unde vulnus insanabile contraxit. Maritus illius, quem graviter id affligebat, magna cum fide sanctum Patrem (Brunonem nempe) invocavit, cumque mulierem ad lacum S. Brunonis duxisset, ibique lavisset, continuo vidit illam hoste infernali liberatam, atque a vulnere curatam. Anno 1719, die 28 Maii Joannes Bernardus S. Petri Cosentiensis, cum a septem jam annis morbo detentus, multisque corporis sui partibus, ita ut miseranda visu res esset, contractus fuisset, a parentibus suis, qui in brachia eum accepere, ad lacum S. Brunonis delatus, sese duntaxat lavando sanitati integræ mansit restitutus.

37. « Eodem anno Angela Rizzi Cantaciensis, a pluribus mensibus a dæmone insessa sese ex ingressu in dictum lacum liberam sensit, idemque eodem die multis aliis energumenis obvenit. Anno 1721 baro Leffelhol, copiarum cæsarearum in Calabria capitaneus, secta Lutheranus, parvum S. Brunonis lacum, quo curiositati suæ satisfaceret, visitavit, videnque uno die viginti quatuor miracula, a variis energumenis per Sancti intercessionem obtenta, interne ad fidem catholicam amplectendam motus est, et ideo vocationi divinæ obtemperans, dieque 24 Junii Lutheranismum abjurans, fidei catholicæ professionem, patre Columbano Theysen Coloniensi Minorita Conventuali, militiæ cæsareæ sacellano, et Augustino Maria Lucanensi, concionatore Capuccino, præsentibus, Rhegii in Calabria in Capuccinorum ecclesia emisit, duoque supradicti patres illum a censuris consueta sanctæ Ecclesiæ forma absolverunt. De hoc toto instrumentum authenticum cui duo supra dicti religiosi aliique præterea subscriberent, totumque verum esse, jurarent, confici voluit idem capitaneus, postque ipsemet anno sequenti, cum gratias S. Brunoni sepulcrum ejus visendo acturus venisset, scripturam hujusmodi authenticam in S. Stephani Carthusia deposuit. » Cum duobus posterioribus e tribus Pentecostes festis quorum altero sacrum Sancti caput ad Turritanam S. Mariæ ecclesiam ex ecclesia S. Stephani transferri, altero ad hanc referri quotannis solet, ingens fiat populi, quemadmodum eo ipso Lucubrationis suæ capite, quo jam recensita refert miracula, Zanottius testatur, ad Turritanam Carthusiam concursus, tuncque eo sanandi infirmi energumenique undequaque soleant adduci, viginti quatuor miracula, per quæ, in totidem energumenis Sancti intercessione uno die patrata, copiarum cæsarearum capitaneum ad fidem catholicam conversum fuisse, scriptor is hic refert, alterutro e dictis Pentecostes festis fortassis evenere ; quod si autem re etiam vera ita res habuerit, fuisse e viginti quatuor energumenis uno eodemque die dæmonem ejectum, magis erit, quam alioquin foret, credibile.

38. Ut ut sit, adhibitis equidem lacus, a S. Brunone dicti, aquis non pauca miracula, quæ proinde, ut jam monui, prodigiosam harum virtutem luculentius, quam unum num. 34 relatum, commonstrant, in energumenis potissimum patrata fuisse, credendum apparet. Nec, quæ supra e Suriano aliisque attuli, dubitare sinunt, quin plura etiam ad solam Sancti invocationem fuerint patrata miracula, idque præcipue in Turritana, cui modo et a S. Brunone nomen est, S. Stephani Carthusia. Libet nunc ibidem patratis jamque narratis unum præterea, quod alibi gestum est, seu miraculum, seu beneficium coronidis quodammodo loco adjungere. Morkensius in ms. sua, quam in Commentario prævio sæpissime laudavi, de S. Brunone Diatriba Chronologico-diplomatica in fine sic habet : « Ut tandem disquisitionem hanc finiam, mirum istud, quod recenter in occasione hujus qualiscunque scriptionis contigisse paulo ante

memoravi, huc subjungo ex epistola viri clarissimi A Domini Judoci Hermanni Nunninghii J. U. doctoris, proto-notarii apostolici ac perillustris ecclesiæ collegiatæ Vredensis scholastici, etc. Huic transmiseram hanc meam de S. P. N. Brunone Diatribam, eatenus ut eam legeret, atque adjudicaret, mihique pro amore nostro et amicitia rescriberet, quid de ea sentiret: satisfecit affatim; ante tamen quam sententiam suam diceret, præfatur: « Verum antequam me tuis » accingam, præmitto casum, mihi sane, ex aliis » permirum, ac prodigio, ut candide loquar, plenum. » Jam manus meas subierat Diatriba tua de Vita » S. Brunonis ms., quando residuus in venis ex » febribus calor inopinatum mihi excitat narium » stillicidium, a vespera per plurimam noctem sat » funesto spectaculo protractum, cui evocati ex B » vicino oppido chirurgi congruam mature opem » contulere; quod et medicus meus hæmorrhagiam » sanitatis criticam bono omine interpretatus est.

39. « Interea evolvendis tuis scriptis cum sedu- » lus distringor, intra octiduum me ex improviso » alterum aggreditur, priori longe periculosius. » Hora vesperæ circiter octava erat, qua infirmum » corpus requie donandum compono, vix caput re- » clino, en copiosissimus eadem, qua nuper, venula » sanguis prorumpit, inter modicas horas exani- » mandum præsagiens. Gemini per ora et nares » rivuli tanto impetu eaque cruoris jactura continuo » discurrunt, ut affligerent, atque in lacrymas » cogerent circumstantes. Ego pacato animo ferre » malum, ceu e cœlo immissum. Interea nihilo C » remissior profusio in horam tertiam noctis excur- » rit, accersuntur denuo chirurgi Borckenses; qui » tamen ob clausas portas aliaque militaris præsi- » dii impedimenta, tum noctis opacum, segnius » accedunt. His moram aucto periculo trahentibus, » humana ope destitutus ad cœlestem recurro, voto » ad divum Brunonem patriarcham facto, cujus » gloriæ tunc tui causa utcunque inserviebam, præ- » senti mortis periculo eriperet, si pios conatus » prosequi cœlum decrevisset: vix absolveram vota » verbis et animo; ecce, nihil obstante sanguinis » profluxu, caput supinum pulvinari dimissum, ac » suavi mox somno consopitum lethali stillicidio fi- » nem facit, germano fratre cæterisque circum- » stantibus rem miram obstupescentibus. Adequi- » tantes chirurgi demum circa quartam matutinam D » miraculoso didicere exemplo, quantum Superum » auxilia humanis omnibus sint præstantiora. » Ignosce profuso calamo opera Dei indispensabi- » liter manifestanti. »

40. Miraculi hujus seu potius beneficii, Nunninghio ad S. Brunonis invocationem collati, relationi adjecta brevi clausula, tractatum, quo res, ad Sanctum spectantes, fuse seduloque discussit, Morkensius absolvit. Verum, antequam et ego inceptum de iis, quæ de gloria Sancti posthuma dicenda supererant, sermonem hic concludam, luculentum adhuc, ut fidem Commentarii prævii initio datam liberem, eximiæ prorsus, qua Sanctus in patrio solo, imo in ipsa, in qua natus esse existimatur, domo Coloniæ Agrippinæ afficitur, venerationis argumentum commemorandum est. Augustinus Aldenbruck, Societatis, nostræ sacerdos, in epistola, quam post inspectam domum illam, quæ (adi Commentarium prævium § 2) *ad Rubeam Stessam* appellatur, anno 1767, die 27 Julii ad nos dedit, aliis nonnullis, ad S. Brunonem pertinentibus quæ memorat, sequentia hæc addit: « Vidi etiam in antiqua domo (*ad Rubeam Stessam*, prout etiamnum nuncupatur) cubiculum, quod incolæ a S. Brunone, dum Coloniæ adhuc degeret, inhabitatum dicebant, tanta semper reverentia cultum, ut nulli nocturna quies in eo concederetur. In eodem cubiculo monstrata mihi fuit sponda lecti, qua ad quietem usus sit, vetustissima, illa quidem e ligno querno, sed, quod miratus fui, nullo teredinum morsu in hunc diem appetita, nedum vitiata. Quam, quod per domesticos, famulos aliosque, qui spectatum admittebantur, nimiis frustis identidem avulsis multaretur, nuper operculo incluserunt moderni ædium domini et inquilini. » Fuerit ne vere S. Bruno, cum Coloniæ Agrippinæ adhuc versaretur, et cubiculo et sponda lecti, hic memoratis usus, non inquiro; verum, ut ut id habeat, cura equidem singularis, qua sponda illa, a Sancto, ut putatur, ad quietem adhibita, custoditur, studiumque, quo nonnulli, frustra ex ea sibi acquirendi correpti fuere, eximiæ prorsus, qua erga Sanctum Coloniæ non pauci feruntur, venerationis argumento sunt minime dubio, hincque non prius, quam id etiam adduxissem, huic ad gloriam Sancti posthumam Appendici finem imponere est visum.

www.libtool.com.cn

SANCTI BRUNONIS

CARTHUSIANORUM PATRIARCHÆ PRÆSTANTISSIMI, AC THEOLOGI PARISIENSIS ERUDITISSIMI

OPERA

Studio P. THEODOR PETRÆI, *Campensis, Carthusiæ Coloniensis alumni, nunc tandem recensita, ac tribus tomis distincta*

(Coloniæ apud Bernardum Gualtheri, anno CIↃ. IↃC. XI.)

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO

D. BRUNONI D'AFFRINGUES

Majoris Carthusiæ priori, adeoque et totius sacræ Carthusianorum familiæ GENERALI dignissimo, etc.

Ex quo Carthusiensis familiæ solitudines in utriusque Germaniæ provinciis frequentare cœpi, reverendissime in Christo Pater, unum potissime admirationi fuit, quod omnia ibi comperirer inexpugnabilium civitatum et castrorum simillima; tergeminas ante sacra adyta unicuique excubias, loricas et cassides, quæ ferrum flammamque impune sufferant, annonam, ne terra marive intercipiatur, de cœlo submissam; stationes ab aperto hostium incursu conditione loci tutissimas; prælia omni exceptione ardentiora, quæ, ut fuso non restinguuntur sanguine, ita ignitis odio et amore armis animisque perpetuantur. Sed, quia infatigabilis atque immortalis Satanas est, adversus quem dispositi per omnem orbem Carthusianorum fratrum cœtus, quasi totidem, sub aquilis D. Brunonis, æratæ acies depræliantur, spectatorem me tam difficili certamini astare enim vero nec décuit nectulit congregationis vestræ eximia nota vir, P. Theodorus Petræus; continuo quippe, ubi de meo in Carthusianam familiam affectu quam optime conjecisset, in partem sollicitudinis ac laboris sui me, præ reliquis unum accitum, voluit, ut sibi in reparandis monumentis memorati D. Brunonis, primi et sacratissimi Carthusianorum patriarchæ, obsequerer. Et profecto Theseum se inclamasse testaturus est, quando enim non neminem deterruisset, vel librorum prolixitas, vel curarum et expansarum necessitas, quorumdam vero prela alii id genus codices jam præripuissent. Ego tamen promptissimis accelerare animis, provinciam e vestigio aggredi, nec quidquam præterire quod ad dignitatem ac splendorem eorumdem pertinuisset.

Tribus autem præcipue causus huc impulsus fui. Primo, ne potentissimum horum librorum subsidium (postquam maxime præfati P. Petræi acri judicio ab ærugine mendarum expoliti, ac doctissimis distinctionibus illustrati sunt) in domiciliis vestris deinceps desiderarentur. Secundo, ut imago gloriosi patriarchæ, in illis depicta, at lectitantium manibus et propemodum oculis detrita, typorum meorum coloribus revivisceret. Tertio, quo posteritas Carthusiana recordetur, beatissimi coryphæi sui monumenta reverendissimæ Paternitatis vestræ ætate et auspiciis restituta fuisse, quæ nomine simul et officio primi Brunonis aucta, Majorem Carthusiam in communi principum ac populorum commotione constantissime moderatur.

Quamobrem agnoscis, reverendissime in Christo Pater, et approbas, ut sperare jubeor, intentionem voluntatis meæ. Quod si pacifice laborem et solertiam acceptas, publico bono in hos tomos collatam, et in primum potissime, quem tibi, nimirum universæ familiæ Patri ac primati, singulariter inscriptum consecratumque offero, preme pollicem, serena frontem, tanto ut certior lætiorque sim me tacitis animæ tuæ desideriis respondisse. Vale.

Coloniæ Ubior. anno 1611 ipso D. Brunonis.

Reverendiss. paternit. vest. devotissimus servus,

BERNARDUS GUALTERI

Civis ac bibliopola Coloniensis.

www.libtool.com.cn

LECTORI BENEVOLO SALUTEM

Cum viri aliquot sæculi hujus eruditi dolentes quererentur haud posse plura operum divi Brunonis reperiri exemplaria, utpote ab annis centum non recusa, accederetque insuper superioris nostri consilium ac voluntas nonnihil ut temporis ac laboris in recenti adornanda editione ponerem, non potui non utrorumque desiderio satisfacere. Ad quod quidem in me suscipiendum onus, eo fui propensior quod typographum essem nactus ejuscemodi; qui non solum chartam sponderet nitidam, sed et characterem comprimis elegantem ac spectabilem. In quo etiam suo eum probe officio functum constat. Porro quia antiqui characteres variis scatebant abbreviationibus, quas hodie calcographiæ operæ nequaquam capiunt, ea in re solliciti fuimus, singulæ quæque ut dictiones integris omnino characteribus exprimerentur. Dantes insuper operam ut Scripturarum citationes, margines hinc inde obsidentes, suis etiam cum versiculis ubivis locorum collocarentur, sacræque Scripturæ verba, ab auctoris contextu alio characteris genere discriminarentur. Quæ quanto nobis tempore ac labore, inter tot quotidiana ordinis exercitia constiterint, haud facile dixerim. Cæterum, quia ea quæ in tomo tertio continentur, a nonnullis Brunoni episcopo Signiensi ascribuntur, hinc scire imprimis convenit perantiqua aliquot manuscripta exemplaria, quæ in alma matre Carthusia sunt reperta, ubivis B. Brunonis Carthusiani nomen præ se ferre. Sed Benedictum, inquiunt, Patrem vocat, eumque identidem commendat. Vocat et Abraham Patrem, quia eum imitandum hortatur, seseque ad D. Benedicti, utpote qui prius eremiticam, postmodum vero cœnobiticam vitam duxit, consectanda vestigia libens equidem componit. At scripsit in Exodum ac Apocalypsin Joannis ? Nihil prohibet B. P. nostrum Brunonem in eosdem libros commentaria scripsisse, quæ temporum forsitan injuria hominumque incuria deperierint. Quod si quis aliter sentiat, per nos licet unicuique suo abundare sensu. Cætera quæ a nobis hoc in opere præstita sunt, tute ipse, lector integerrime, facile deprehendes. Interim vale, ac his fruere.

DIVO BRUNONI

CARTHUSIANORUM FUNDATORI

PRO P. THEODORO PETRÆO CAMPENSI

EJUSDEM ORDINIS APUD UBIOS PROFESSO.

Hactenus infanti suppar, magnoque repulsus
Tui pavore, dive Bruno, numinis,
Qui residens astris, radiorum ardente corona
Fulges, et orbem recreas splendoribus :
Abstinui merito me laudis ab æquore tantæ,
Vix carmine hiscens inscio mortalia.
Et jam neglectæ musæ renovarat amorem
Tui sequax, tui Petræus æmulus,
Urgebat prompta se promptum mente poema,
Ubi ille spiritus adhuc plenus tui
Cessa, ait, hosce mihi frustra meditaris honores
Qui nunc mihi palam esse desii meus.
Si quod inest animo studium, vel si qua voluntas,
Quo jura devenere transcripti mea,
Illo deveniat. Quodcunque paraveris, unus
(Qui vivit imo corde, meque proprium
Alternumque sibi devinxit) Bruno capessat.
Aut hunc cane, aut absiste cœpto carmine.
Dixit et erubui. Quid enim ? mens anxia sensus
Tantum supra humanos nequit se tollere.
Nam quot silva feris, quot vastum piscibus æquor,
Stellisque cœlum, inane quot volucribus
Funditur. Alme, tuæ, Bruno, tot munera mentis
Honora cœlo sunt, honora sunt solo.
Ecce autem tua cum Petræus scripta revisit,
Obitque sacra sedulus volumina,
Multa situ corrupit edax veniente vetustas,
Librariorum incauta multa dextera,
Quod superest operum prelo nimis usque negatum
A pluribus desideratum quæritur.
Nil te, nil ergo toto magis ordine dignum,
Nil pulpitis foret sacratioribus ;
Quam si pura tuo sub nomine rursus apertæ
Morum et fluenta proruant scientiæ.
Hoc cupit, hoc mandat dux præsidiumque tuorum
Haud nomine, haud Bruno tibi impar munere,
Ille tuus Bruno, quo non modo clarior alter,
Admurmurante quem ordo voce suspicit,
Seu jus fasque placent : unius pectore sacra
Astræa defixisse sedes creditur.

A Seu potius pietatis honos et collubet alma
Morum venustas : ipsus hic concernitur
Relligionis apex. Sic uni cuncta dedisti
Quæ singula exornare cæteros solent.
Hæc vastos egressa sinus ignara teneri
Seu flamma ventis aucta, late promicant.
Et veluti Cynosura rates, Heliceque paventes
Regit tumultuante nautas æquore :
Sic recreat sic ille præit, si forte clientum
Anhelet, aut quis lassus erret tramite.
Is jubet. At curæ quis par ? num debitus uni
Ligone quovis ille sudor durior ?
Ergo, velut volucrum princeps Jovis armiger ales
Se mente ad alta librat astra præpete,
Acclivusque tibi gemitum dat, et in sua vota
Partemque Petræus laborum te vocat
O pater, o nunquam voto frustrante vocatus
Auriga nostri idemque currus ordinis,
B Magna cupido rapit mentemque animumque; tuere,
Cœptis fave, clemensque cœpta permove.
Tecum nascantur mihi, quæ te patre sub auras
Concepta primum prodierunt ingens;
Tecum eadem surgant decumanos pignora in auctus
Hæc fatus imo corde versat cætera.
Cum tu, Dive, pio jam pridem pectus amore
Curisque saucius roganti ultra annuis,
Amplexu voti spem vultuque indice prodens
Mentis latebras, frontis et notas obis.
Inde velut pluviis tepida cum nocte rigatur,
Attollit horti lætior se flosculus :
Non aliter tua cui divinum gratia rorem
Affudit, Horarumne multa millia
Abnuat is? fatuum hoc timeat? pigrum. Expetat? uno
Te promptus adjutore et audet auspice
Aggreditur ; multa jam singula pensitat arte
Limatque multa paginas industria.
Jam felices, si quæ forte irrepsere, sequestrat.
Tuique ruris perbeatas ordine
Distribuit scito messes. Genialis ab ore
Seges tuæ refloret eloquentiæ.

www.libtool.com.cn

Verum, ut vere novo reduces nascentia vitas,
Udoque passim quæ refrondent cespite,
Imbribus et Phœbo debent: propria utque clientum
Suis patronis dona sunt communia:
Hic quoque partitus sua tecum præmia palmæ,
Quidquid laborum quidquid et laudum tulit,
Prodigus ille tuis vovet aris; quasque futuris
Majoris incrementi in annis spes feret
Muneris esse tui cupit, ac anathema repostum
Tholis dicatque consecratque fulgidis.
Ergo tuo junctus Theodoro, dive per artus
A Splendente dispensans faces e pectore,
Si germana patrem proles, si rite patronum
Cliens honorat, haud amantem differas.
Si, veluti vitreis cum surgit Phosphorus undis,
Majore luce jam coruscas redditus,
Ulterius cœptis astes, geniique benignus,
Nil ipse deperdens tuo de munere,
Esse tui facias consortem, mente diserta
Gnomas, tuis si non pares, at proximas
Germinet, et seros pia sensa propaget in annos
Te patre dives, et potens te præside.

APPROBATIO CENSORIS.

Opera hæc S. Patris Brunonis, tribus dictincta tomis, ac diligenti studio P. Theodori Petræi, Carthusiæ Coloniensis alumni, revisa recensitaque, digna plane judico quæ typis recusa in lucem eant; pristinam nimirum pietatem eruditionemque spirantia.

In conventu nostro Coloniensi. Anno 1611, 10 Augusti.

F. Gisbetrus Spechtius,
Conventus Prædicatorum prior, atque hæreticæ pravitatis inquisitor.

VOLUNTAS

R. P. generalis ordinis Carthusiensis pro revidendis recudendisque B. Brunonis Operibus.

Digna erit ingenii tui cogitatio in eam curam incumbere, ut opera D. Brunonis correctius limatiusque prodeant ad lucem famamque hominum; in quo puto paucorum fore mensium opus labore et potissimum tibi, valde jam in veteribus istis interpolandis detrito. Urgete igitur alacriter hanc de bono publico bene merendi occasionem. Non enim possum satis laudare vestrum hoc sanctum otium, in multo occupatum, et ad communem totius Ecclesiæ utilitatem, magna cum ordinis laude consecratum.

Ex litteris datis in alma matre Carthusia. Anno 1608, die decimo Junii.

F. Bruno D'affringues,
Prior Carthusiæ, ac generalis ordinis minister.

VITA SANCTI BRUNONIS.

(*Exstat supra inter Acta S. Brunonis et est Vita tertia.*)

DIVI BRUNONIS

PRIMI CARTHUSIANORUM INSTITUTORIS SANCTISSIMI ET THEOLOGI DOCTISSIMI

OPERUM TOMUS SEU PARS I.

EXPOSITIO IN PSALMOS

PROLOGUS.

Psalterium est quoddam musicum instrumentum quod ex superiori cavitate resonat. Et quia instrumento tali psalmorum melos canebatur, ab instrumento suo nomen recte totum opus istud accepit. Sicut enim psalterium a superiori resonat, ita et opus hoc totum de superiori, id est de Dei laude, resonat. Intentio autem operis hujus multiplex esse per titulorum singulorum diversitatem ostenditur. Tum enim de Incarnatione, Nativitate, Passione, Resurrectione et cæteris actibus Christi, tum de salvatione bonorum damnationeque malorum prophetare intendit; in quibus omnibus Dei laudes attenduntur. In passione enim, et cæteris ejus acti-
B bus, in justorum salvatione, humilitatis ipsius et misericordiæ, in impiorum vero damnatione justitiæ laudes esse perpenduntur. Ideoque merito liber iste apud Hebræos Liber hymnorum dicitur, id est Dei laudum. Hymni vero laudes Dei metrice factæ proprie dicuntur, psalmi autem lyrico metro compositi fuerunt; ut Arator ait:

Psalterium lyrici composuere pedes.

Tria vero in divinis sicut in sæcularibus libris considerantur. Quia sicut sæculares partim ad physicam, partim ad ethicam, partim vero ad logicam tendunt, sic et divini quidam ad physicam, ita tamen quod in ipsa physica denotetur figura, ut in Genesi de mundi origine, et in Ecclesiaste de multis

www.libtool.com.cn

rerum naturis mystice tractatur. Quidam autem loco logicæ ad ethicam tendunt, ut liber Job, et *Beati immaculati*, et alii quidem psalmi. Quidam vero loco logicæ et ethicæ ad theoricam, id est ad contemplationem tendunt, illi scilicet qui sublimia in se Dei mysteria et a communi cognitione remota continent; sicut Cantica canticorum. In quibus Deus Ecclesiæ, velut sponsus sponsæ, mirabili mysterio loqui introducitur. Liber etiam iste etsi in quibusdam ad ethicam, principaliter tamen ad theoricam tendere videtur, cum præcipue de Incarnationis, Nativitatis, cæterorumque Christi actuum mysteriis intendat.

Plurima quidem prophetiæ genera esse sciendum est. Prophetia namque alia per facta, sicut de transitu filiorum Israel, cæterisque eorum factis; quæ « omnia (sicut dicit Apostolus) in figura contingebant illis (*I Cor.* x, 11). » Alia per dicta : sicut Deus Moysi cæterisque prophetis pluribus per angelos futura locutus fuisse legitur. Alia per revelationem, sicut Ezechieli et Danieli in portentis somniorum multa revelata fuisse dicuntur. Alia vero per occultam sanci Spiritus inspirationem, sicut David prophetæ mystica Dominicæ Passionis, cæterorumque actuum, non factis aut dictis qualibet ve revelatione intimata fuerunt, sed per occultam sancti Spiritus
2 inspirationem.

Notandum vero est quod nimia sancti Spiritus agilitate, prophetæ de futuris quasi de præsentibus et præteritis loquuntur. Omne namque futurum Spiritui sancto præsens est, et quasi præteritum notum. Notandum etiam quod cum in psalmis aliquando orans et humiliter agens introducitur Christus, secundum humanitatem; cum vero sublimiter, secundum divinitatem accipiendum est. Notandum quoque quare psalmus primus titulo careat, cum cæteri titulos habere videantur; ideo scilicet quia titulus omnium aliorum psalmorum esse consideratur. Nam cum de Christi laude in hoc psalmo sit intentio, in cæteris omnibus se de eo multipliciter tractaturum innuit. Intentio enim hujus psalmi est a Christo tres mortes illas quibus ad mortem primus homo devenit, removere. Et econtrario de trina obedientia qua primus homo caruit, eum laudare. Et est vox prophetæ damnationem generis humani per inobedientiam Adæ considerantis, futuramque ejus per Christum reparationem providentis. Et hoc ac si diceret:

IN PSALMUM I

Beatus vir, etc. Virum autem dicit, non quantum ab sexus discretionem, sed ad sensuum maturitatem. Et hoc sic exponitur : Adam, per delectationem et consensum, et operationem et consuetudinem peccandi moriens, secum genus humanum omne traxit, et sic merito infelix fuit. Sed quidam futurus est, qui *vir* erit, acturus omnia, non debiliter ut Adam, sed viriliter et mature. Et quia *vir* erit, *beatus* erit id est a Deo virtutum et operum, immortalitatisque postmodum beatitudine adeo ditandus quantum nulli est aperire facultas. Et inde *beatus* esse comprobabitur, quia scilicet erit talis : *qui non abiit*, id est non abibit, id est a Domino non recedet, ita ut sit positus *in consilio impiorum*, id est in delectatione et consensu peccandi, per quam Adam et Eva in mortem devenerunt. Et bene dicit *consilio* ; nam prius quam scilicet peccatum agerent, peccandi consilium acceperunt, et in illo consilio delectationem habuerunt. Impios vero dicit, non secundum vocis hujus proprietatem ut Deum ignorarent, sed quoniam apostatantes exstitere, cum Dei notitiam retinerent. Impii namque, Deus ignorantes propriedicuntur. *Et non stetit in via peccatorum*, id est non stabit in mala operatione, in qua Adam et Eva steterunt, qui peccatores, id est male operantes, fuerunt, dum pomum contra Dei præceptum comederunt. *Et non sedit*, id est non sedebit, id est non morabitur *in cathedra pestilentiæ*, id est in consuetudine peccandi, in qua Adam et Eva cum se de peccato pomi excusarent, sederunt, sicut aliquis docens in cathedra sedet. Et inde nobis peccandi documentum attribuentes, in pestilentiam, id est in communem mortem adduxerunt. Pestilentia namque dici solet mors, quæ communiter populo ab aeris corruptione qualibet infertur. Notandum sane quod dicit in delectatione *abire*, in operatione *stare*, in consuetudine *sedere*. Nam cum aliquis alio tendit, primum, ut illuc perveniat, de loco in quo est abit, et illuc perveniens stat ; postea vero immorari volens ibi assidet. Ita primi parentes, ad malam operationem tendentes, primum operationis malæ delectatione a Deo abierunt, id est recesserunt, et postea tandem in mala operatione steterunt, et ad ultimum, peccandi consuetudinem non abjicientes, *in cathedra pestilentiæ* sederunt, id est ibi assidentes, id est plenarie immorantes, exemplo eorum alios ad mortem peccando adduxerunt. Et bene sedisse *in cathedra* per similitudinem dicuntur ; docentes enim *in cathedra* sedere consueverunt. Et bene operatio dicitur *via* ; propalata enim est, ut via trita, et publica est, delectatio vero latet. Notandum quoque non esse superfluum, postquam negavit abire, negavisse
3 etiam stare et sedere, cum in prima negatione duæ sequentes intelligantur ex necessitate. Omnis enim abiens non stat, non sedet. Hoc autem ad hoc facit, ut, hoc ordine a Christo negando, in Adam omnia ordine fuisse innuat.

Denegatis his tribus, tria alia his contraria, quibus Adam caruit, in eo fuisse sic insinuat : Non abibit, non stabit, non sedebit. *Sed in lege Domini* complenda erit *voluntas ejus*, id est legem Dei voluntarie complebit, non invite. Hic denotatur et quod delectabitur in complectione, sicut Adam delectatus est in prævaricatione, et legem Dei complebit bene operando, sicut Adam prævaricatus est male operando. Dico quod voluntate Dei legem complebit, et hoc non horarie, sed *in lege ejus* complenda *meditabitur die ac nocte*, id est omni tempore. Et bene dicit *meditabitur*, id est non negligenter, sed cum meditatione complebit. Denotatur etiam per hoc quod dicit

meditabitur, quod sicut Adam male operari consuevit, ita et ipse bene consuescet operari. Et quia non abibit, non stabit, non sedebit, et in lege Dei meditabitur, *erit tanquam lignum*, id est revera lignum vitæ aliis, quod præfiguratum est in illo ligno vitæ, quod legitur in paradiso fuisse (*Gen.* II, 9). Et ostendit per quid erit aliis lignum vitæ, cum subjungit. *Quod plantatum est*, id est qui conceptus in Virgine, *secus decursus aquarum*, id est per infusiones donorum sancti Spiritus, quæ reficiunt et purgant sicut aquæ, ut impleatur illud Gabrieliticum : « (Spiritus sanctus superveniet in te (*Luc.* I, 35), » etc. Quasi dicat : Vere erit lignum vitæ, cum sit tale lignum *quod plantatum est*, id est erit conceptum in utero Virginis per operationem sancti Spiritus. Non erit lignum mortis, ut Adam. Vel ita : Erit lignum vitæ, ut quamvis lignum vitæ futurum sit, tamen erit tale lignum *quod plantatum est*, id est conceptum erit *secus decursus aquarum*,, id est juxta decursus populorum, quasi dicat: Quamvis sit lignum vitæ, tamen erits ic conceptus ut naturam habeat in mortem decurrendi, ut populi (qui aquæ ideo dicuntur quia labiles et defluentes sunt in mortem, ut aquæ defluunt) Et per hoc commendat ejus obedientiam usque ad mortem, et confirmat fidem nostram, ne, propter divinitatis sublimitatem. ignoremus mortalitatis humilitatem. Et quia dixerat eum *lignum*, ne putaret quilibet ex quo nasceretur, fructum pro quo veniret illico se daturum, determinat sic quid lignum dabit. Non statim ex quo erit, sed *in tempore suo*, id est in tempore mortalitatis suæ, *fructum suum*, reparationem scilicet generis humani, quæ erit fructus mortis ejus. Et cum sit *lignum* vitæ, *folium ejus*, id est verbum ejus *non defluet*, id est non annihilabitur, sicut ipse testatur : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV, 35). » Vel ita continuatur, secundum aliam sententiam : Et quamvis ipsum *plantatum sit secus decursus aquarum*, id est populorum, id est quamvis decurrat in mortem ut populi, tamen *folium*, id est verbum *ejus non defluet*. Et bene verbum *folium* dicitur ; sicut enim folia arborem ornant, et inter ea fructus latitat, sic et ipsa verba ornamentum Ecclesiæ sunt, et in eis est fructus adhuc latens, vita scilicet æterna. Vel potest hic esse similitudo sic. Et quia *in lege meditabitur, erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet*, id est erit comparabilis ligno plantato juxta abundantiam aquarum, danti fructum in tempore suo, cujus folium non defluet, quia sicut ei non deest humor ad fructum in tempore suo dandum, ita nec illi deerit sancti Spiritus vigor et doctrina, ad spirituales filios in tempore plenitudinis Deo fructificandum, et sicut illius ligni folia non defluunt, ita nec ejus defluet verbum. Et, cum talis tantusque fructus sit, *omnia* opera et miracula *quæcunque faciet prosperabuntur* credentibus in eum, id est quidquid in hoc mundo faciet, ad utilitatem et ædificationem suorum cedet. Sequitur :

Non sic impii, etc. Cum dicit : *Non sic impii* erunt ut Christus dat intelligere, per aposiopesim, quia 4 pii sicut Christus erunt, sicut idem dicit : *Estote sancti sicut, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XI, 42 ; *Matth.* V, 48). Non quod tantum sanctitatis, quantum ipse habuit, sanctus aliquis habuisset, sed quod unusquisque alius quidem multum, alius vero minus mundus, Dei sanctitatem retinet, ut ait Apostolus : « Qualis terrenus Adam, scilicet tales et terreni (*I Cor.* XV, 48), » ei scilicet conformes. Qualis spiritualis, id est Christus, tales et spirituales, id est ejus obeditores. Versus autem iste sic continuatur et exponitur. *Vir beatus* non abibit, non stabit, non sedebit, *sed in lege Domini meditabitur. Et* ideo *erit tanquam lignum*, et ipsi similes, pii scilicet, similiter erunt. *Impii* vero *non sic* erunt, *non sic*. Repetitio hæc ad hoc fit ut confirmet pios, et exterreat impios ; quæ repetitio non est apud Hebræos. *Sed* ipsi erunt *tanquam pulvis*, id est similes pulveri, id est aridi a doctrina, *sicut pulvis* ab humore, *quem projicit ventus*, id est separat diabolus *a facie terræ*, id est a præsentia Christi ; cui fideles innituntur, sicut nos huic terræ innitimur. Et *ideo* quia *pulvis* erunt *impii* non resurgunt, id est non resurgent *in judicio*, id est ad hoc ut judicentur, testante Apostolo : « Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt (*Rom.* II, 12). » Sciendum vero est, quod in judicii die alii resurgent in judicium, alii non in judicium, ut gentiles. In judicium autem alii ut judicent, sicut perfecti, alii, ut judicentur. Qui judicabuntur, alii salvabuntur, ut boni, alii damnabuntur, ut falsi Christiani, hæretici et Judæi. Dubium quidem est, cum inde non habeatur auctoritas, an in judicio vox futura sit elementaris, an non. Si vero, secundum quosdam, dicatur non futura, sic exponetur in *judicio : impii non resurgent in judicio*, id est ut tunc tandem certum sit eos esse damnandos, jam enim certum est ; de falsis vero fidelibus, tunc tandem fiet judicium, id est certitudo. Manifestum enim tandem tunc omnibus erit illos damnatione dignos esse Nam si jam certum esset, non utique pro eis orationes et sacrificium Deo vivorum sedulitas offerret. Perfecti autem cum judicabunt, id est sanctitatis comparatione sibi similes ostendent esse salvandos, dissimiles vero damnandos.

Et quia dixerat impios non resurrecturos *in judicio* et in hoc multum eos depresserat, ne falsi fideles *in judicio* resurrecturi pro sola fide sine operibus se salvandos esse putarent, removet hoc sic : *Impii non resurgent in judicio, neque peccatores*, id est a Deo apostatantes *in concilio justorum*, id est ad hoc ut sint in congregatione justorum, quamvis *in judicio* resurgant. In Hebraico vero habetur *in Synogoga*. Ideoque rectius est in Latino *in concilio*. Potest tamen legi *in consilio*. Concilium enim dicimus congregationem ad aliquid utilitatis sta-

www.libtool.com.cn

tuendum eo adunatam. Synagoga vero interpretatur *congregatio*. Vel ita legi potest versus iste : Si *impii* superius accipiantur generaliter et pro infidelibus et pro fidelibus peccatoribus, *impii non sic* erunt. Et ostendit per partes quare sic dicens. Et hoc ideo, quia *impii*, id est infideles non resurgunt in hoc mundo ab infidelitate sua *in judicio*, id est per judicium, id est ita ut per confessionem judicent, id est damnent infidelitatem suam. « Nam si semetipsos (ut ait Apostolus) judicarent, non utique a Domino judicarentur (*I Cor.* II, 31). » *Neque peccatores*, id est falsi fideles, resurgunt ad hoc ut sint *in consilio justorum*, id est ut sicut justi voluntates suas Dei voluntatibus postponant. Potest et hoc utrumque dici de infidelibus, ut *impii* sint, id est Deum ignorantes, et *in judicio* don resurgentes, et *peccatores*, id est suas voluntates Dei voluntatibus præponentes, ideoque *in concilio* vel *consilio justorum* non existentes. Sequitur : *Quoniam novit*, etc. Idem sic continuatur : Pii erunt *tanquam lignum*, id est sicut Christus, et hoc ideo, *quoniam novit Dominus*, id est probavit, amavit *viam justorum*, id est bonam vitam in hoc mundo quæ via est ad vitam æternam. Et *impii* non sic erunt; et hoc ideo quia Dominus non novit *iter* eorum, id est vitam Et cum debuit dicere, *non novit*, ponit æquipollenter effectum per causam, *perire* scilicet pro *non noscere*. *Inter impiorum peribit*, id est prava vita eorum, quæ est iter eis ad infernum, *peribit* 5 id est eos perire faciet, cum a Deo ignoretur, id est non ametur, sicut idem in Evangelio testatur : *Amen, dico vobis : Nescio vos* (*Matth.* XXV 12), id est non amo. Vel aliter hoc continuatur, ut expositio non mutetur *Peccatores non resurgent in consilio* vel *consilio justorum, et impii in judicio* ; et hoc ideo erit, quoniam *Dominus novit viam justorum, et iter impiorum peribit*, id est ideo non vult eos esse cum justis, quia vita justorum ipsi placet, vita vero impiorum displicet.

IN PSALMUM II.

Psalmus autem qui hunc sequitur, a quibusdam cum superiori dicitur unus, et a quibusdam, alius. Dicitur enim in Actibus apostolorum secundus iste psalmus (*Act.* XIII, 33). Primus, quod facile solvitur ; titulorum enim psalmorum primus est, cum primus titulo careat. Quantum vero ad ordinem psalmorum, secundus, alioquando enim centum quinquaginta non essent. Si vero sit secundas, sive cum primo idem, semper cum superiori continuatur Sciendum est autem titulos psalmorum, intentiones, vel per rei gestionem, vel per vocis interpretationem, vel etiam per utrumque designare. Per rei gestionem, cum aliquid gestum quod ad figuram pertinet denotatur, ut quando dicitur : *David psalmus ; cum fugeret a facie Absalon*, quod ad Christi figuram factum est. Per vocis interpretationem, quando sola vocis interpretatione, sine rei gestione psalmi designatur intentio, ut in hoc secundo psalmo, cujus titulus talis est : *Psalmus David*. Quod sic exponitur : Psalmus, id est tractatus iste attribuendus est Christo, qui jure dicitur David, David enim interpretatur *desiderabilis*. Christus vero desiderabilis est juxta illud Jacob : ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX, 10).» Interpretatur quoque David *manu fortis*. Christus etiam manu fortis est, quia diabolum debellavit, juxta illud : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Psalmus autem aliquando pro ipso tractatu, aliquando pro bono opere ponitur. Psalmus enim symphonia est, quæ cum opere manuum musico instrumento fit, ideoque, peo opere aliquando ponitur. Psalmus autem iste vox Capitis est, de Passione sua Judæos et gentes tribulantes se increpantis. Quod ideo facit, ut consequenter ostendat nullum fructi eos inde habuisse, sed econtrario damnationem in futuro recepturos, se vero Resurrectionis gloriam et Ascensionis totumque mundum recepisse, secundum quod homo erat et ejus imperium. Nam secundum divinitatem ante sæcula cum Patre Dominus omnium existebat. Et hoc sic dicit :

Quare fremuerunt, id est frement gentes, id est Romani milites qui me crucifigent ? *Quare*, id est qua utilitate frement, id est irrationabiliter agent in me ? Nulla. Fremere vero leonum est, qui irrationabiles sunt. Ideoque *gentes*, id est gentiles dicit in se in sui crucifixione *fremuisse*, id est irrationabiliter sine causæ oppositione eum crucifixisse. Judæi enim, etsi non habent causam, se tamen causam dicebant habere, juxta illud : « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Et alibi : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX. 7). » Ideoque bene subjungit : *Et populi*, id est Judæi qui mihi in populum esse debent, sicut scriptum est : « Ego ero tibi in Deum, et tu eris mihi in populum (*Lev.* XXVI, 12).» *Quare*, id est qua utilitate assequenda, *meditati sunt inania*, id est meditabuntur me detinere in morte, ne mundus post me abeat, quod inanine erit. Cum dicit *meditari*, notat eos multum in causa mortis ejus invenienda laboraturos. Et non solum laboraverunt minores, sed etiam reges. Et non sui ipsius reges, sed et *reges terræ*, id est terreni : uterque ; scilicet, Herodes unus in Nativitate, alter in Passione et Pilatus. *Quare astiterunt*, id est astabunt. Et est positum pro institerunt, cum in Habraico sic habeatur : *Et principes sacerdotum*, id est Caiphas et Annas, et cæteri *convenerunt*, id est convenient *in unum*, malitiose agentes *adversus Dominum* Patrem, *et adversus me Christum*, id est regem ejus id est ab eo constitutum. Cum autem dicit non Patrem sed Dominum, gravius ejus notat, quasi diceret : Cum ipsi servi, ille Dominus esset, indignum fuit eos illius adversari decreto, cum me regem ab eo constitutum respuerunt, 6 et in morte detinere voluerunt. Cum autem dicit : *Dirumpamus*, etc., apostropham facit ad suos, adhortans ne ab illis metu aut blanditiis incorporentur, ne ob id in futuro, sicut et ipsi, damnentur. Illi frement et meditabuntur, et convenient adversus Dominum.

www.libtool.com.cn

Ego autem, et vos membra mea *dirumpamus*, id est destruamus *vincula eorum*, id est blanditias, quibus ad imitandum se volunt vos vincere. *Et projiciamus a nobis*, id est despicite, vos, *jugum ipsorum*, comminationem scilicet tribulationum mortis, qua volunt vos cogere, quasi jugo. Quasi dicat : Neque blanditiis seducamini, neque metu terreamini. Quod vero dicit *dirumpamus et projiciamus*, non ideo dicit quod ipse jam non ruperit et projecerit, sed, ut magis ad hoc impellat, utitur hoc modo locutionis, vel, ut innuat eos, non per se, nec sine suo auxilio posse dirumpere et projicere. Cum vero dicit ; *Qui habitat*, etc., ostendit quid in illa adversatione assequentur, damnationem scilicet. Et sic continuat.

Dixi : *Quare fremuerunt*, etc. Ad hunc scilicet effectum deventuri, quod ille *qui habitat*, non in B impiis, sed *in cœlis*, id est in sanctis qui sunt in virtutibus excelsi, sicut cœli *irridebit eos*, id est in futuro dignos irrisione fuisse ostendet; cum suos, gloriosos, illos vero faciet apparere dejectos, juxta illud Salomonis : *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui te angustiaverunt* (*Sap.* v, 1). Et non qualicunque modo irridebit, sed *Dominus*, id est ille qui Dominus est in rebus, potens malos damnare, justos salvare, *subsannabit eos*, id est subsannatione dignos ostendet, id est irrisione propter indignationem. Subsannare enim est nares propter indignationem contrahere. Et tunc cum irridebit, *loquetur ad eos*, scilicet ad Judæos, *in ira sua*, id est in comminatione mortis, quæ solet esse malus effectus iræ, sic dicens : *Discedite a me* (*Matth.* C xxv, 41), etc. Et postea *conturbabit*, id est damnabit *eos* in *furore suo*, id est in morte, quæ dicitur furor ejus, id est vindicta. Vindicta enim effectus iræ esse solet. Vel si dicatur : Vox ibi elementaris non futura, erit una expositio ; alterius, sic : *Loquetur ad eos in ira sua*. Et hoc non verbaliter, sed *conturbabit eos in furore*, id est vindicta ; et non in injusto, sed *suo*, id est justo. Ipse enim est judex justus. Quod est dicere : Ipsa damnatio erit eis judicii locutio. Sequitur : *Ego autem*, etc. Quod sic continuatur : Ipsi qui putaverunt sibi utilem mortem meam, conturbabuntur. *Ego autem* quem annihilare putaverunt, propter obedientiam mortis *constitutus sum*, id est ero, *rex ab eo super Sion*, id est super Judæos, illos D scilicet qui sunt *Sion*, id est *speculantes* æterna. *Sion* dico existentem *montem*, id est qui per hoc quod sunt mons, scilicet *Sion*. Et exponit in quo sunt mons. Non in nequitia, sed in sanctitate ; et hoc per eum, non per se. Et hoc est quod dicit *montem sanctum ejus*. Et per hoc erunt mons quod ego ero eis *prædicans præceptum ejus*. Et non solum *super Sion* constituar, sed etiam super gentes. Et ostendit per auctoritatem sic : Nam *Dominus*, id est Pater, qui Dominus est in rebus, et potens est mihi cuncta subjugare, *dixit*, id est constituit in providentia, *ad me*, id est tale, quidquid ad me pertinet.

Et exponit quid dixerit : *Postula a me*, id est esto mihi obediens usque ad mortem. Et per illam obedientiam, quasi verbis *postula a me* gentes. Et ego qui ut Dominus potens sum, *dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, id est ut sint hæreditas tua, ut excolas eas sicut aliquis hæreditatem excolit. Et non paucas gentes *dabo*, sed *terminos terræ dabo possessionem tuam*. Per *terminos terræ*, omnes gentes designat. Non quod omnes, sed quia de omnibus erat daturus, testante Apostolo : « In nomine Jesu omne genu flectatur (*Philip.* II, 10), » id est omnismodi genu. Vel determinatio sic esse potest : *dabo gentes, et* non omnes, sed *terminos terræ*, id est terminantes in se terrenitatem, id est finientes. Et bene prius *hæreditatem*, post vero dicit eis *possessionem*, In primis enim excolet eos ut hæreditatem, postea vero possidebit, id est dominabitur eis, *dabo gentes*, et *Sion* et merito. Nam *reges eos in virga ferrea*, id est in inflexibili regimine, 7 ut neque morte neque vita separentur a charitate (*Rom.* VIII, 38). Et ut bene regantur, *confringes eos, tanquam vas figuli*, id est in ea parte in qua sunt fragiles, ut vas figuli, secundum vitia scilicet. Et quia posset quæri quare, propter mortis obedientiam, gentes ei sit daturus ; cam nulli prophetarum, propter eum morientium, istud dederit. Quare, hoc exponendo præmittit sic: *Dabo tibi* soli *gentes*, nam *tu es Filius meus*, et non carnaliter genitus neque temporaliter, sed *ego genui te hodie*, id est perpetualiter. Et bene dicit *hodie*, nam in divinitate *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17). Sed ibi *hodie*, id est, immutabile præsens. Et bene dicit *genui*, quod perfectum tempus est, ne quia dixerat *hodie*, videretur nunc incipere. Perfecte enim genitus est. Quasi dicat : Tu es Filius meus consubstantialis.

Demonstrato se regem esse ex paterna auctoritate, facit apostropham ad illos quorum rex est, adhortans illos et instruens sic : Et quando quidem rex vester sum, vos prius servi peccati, nunc autem reges effecti ; mihi enim servire regnare est, *intelligite*. Et vos qui intelligere non potestis. intelligere namque perfectorum est, *erudimini* a doctoribus. Et exponit quos vocet *reges*, sic : Vos *reges* dico *qui judicatis*, id est damnatis in vobis per confessionem, *terram*, id est terrenitatem, dico *intelligite erudimini*, et sic *servite Domino*, et non negligenter ; « maledictus enim qui facit opus Domini fraudulenter (*Jer.* XLVIII, 10), » sed *in timore* : « Initium enim sapientiæ timor Domini (*Prov.* I, 7). » Et non in servili *timore*, sed *exsultate ei*, id est exsultando et timendo *servite* ei. Quasi dicat : Casto timore servite ei, et sic exsultate, ne insolescatis, sed semper sitis in timore, ut « qui stat videat ne cadat (*I Cor.* X, 12). » Et si in serviendo Domino occurrerit vobis disciplina, id est tribulatio, quæ est disciplina, id est correctio ejus *apprehendite* ipsam *disciplinam*, id est non inviti, sed libenter eam suscipite. Apprehendere enim libenter capere est. Et vos intelligentes, hoc facite duplici causa, *ne*, si non servieritis, et non apprehenderitis, *quando*, id est aliquando *irascatur Dominus*, quasi dicat : Non timore pœnæ,

www.libtool.com.cn

sicut servi dominis, sed ideo ne offendatur Deus, sicut filius non timore pœnæ servit patri, sed ne ipsi displiceat. Ut ideo *servite et apprehendite, ne pereatis de via justa*. Quod est dicere : Ne pereat in vobis justitia quæ est via per quam venitur ad vitam. Quasi dicat: Ne perdatis justitiam, et vos, *erudimini*, qui non estis adeo perfecti ut his de causis serviatis et apprehendatis, *servite et apprehendite* hac causa ; nam beati erunt qui bene servientes confidunt in eo. Nam in non servientibus non est confidentia, sed præsumptio. Et per hoc quod dicit : *Beati qui confidunt in eo*, datur intelligi e contrario. per aposiopesim, quod miseri omnes qui non confidunt. Et beatitudo illa et felicitas illa apparebunt, cum *ira*, id est vindicta *ejus exarserit*. Et hoc futurum est *in brevi* tempore. Bene dicit *exarserit*. Nunc enim ardet secundum animæ excæcationem, tunc vero extra ardebit, id est plus ardebit, in corporis scilicet, et animæ damnationem.

IN PSALMUM III.

Titulus tertii psalmi, *Psalmus David, cum fugeret a facie Absalon filii sui*. Hic titulus hujus psalmi tertii, et secundum historiæ denotationem et secundum vocis interpretationem, intentionem psalmi exprimit. Quod enim David a filio dicitur persecutus fuisse, significabat Christum a discipulo suo, qui filius ejus erat specialis, persequendum fore. Absalon autem David filius, *patris pax* interpretatur. Non quod erga patrem pacem haberet, sed quia cum eum persequebatur, pater erga eum pacem semper habebat. Ita et Christus cum a Juda filio suo traderetur, pacem erga eum habens, osculum etiam ei non denegavit. Sicut autem ille pro nequitia periit suspendio, sic et Judas periit pro venditionis flagitio. Et bene titulum hunc ante titulum *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L), posuit, qui talis est: *Psalmus David cum intravit ad Bethsabet*. In hoc quippe innuitur non ad historiam psalmum istum intelligendum esse. Si enim ad historiam esset accipiendum, utique post *Miserere mei, Deus*, secundum historiæ seriem esset ponendus Titulus vero sic exponitur : *Psalmus David cum fugeret a facie Absalon filii sui*. Quod est dicere : *Psalmus*, id est tractatus iste attribuendus est *David*, id est Christo, continens illud negotium quod contigit ipsi Christo *cum fugeret*, id est cum recederet, *a facie*, id est a præsentia Absalon, id est Judæ filii sui, id est discipuli sui : « Tunc cum misisset diabolus in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariot (*Joan.* XIII, 2).» Et est vox Capitis, de multiplicatione persequentium se sine causa admirative agentis, non ut admiretur, cum Dei dispositione sciat esse futurum, sed quia posset inde quilibet admirari. Quod, ut ostendat quid ex illa persecutione sit assecuturus, ne credentibus in se admiratio aliqua relinquatur. Et hoc sic dicit :

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? Quid, est dicere : Cum, tu Pater, sis Dominus omnium, in regno tuo nil debeat esse temerarium, ad quid futurum pecmisisti quod multiplicati sunt inimici mei, tribulantes me operatione, consilio, voluntate? Multiplicati erunt adeo quod discipulus meus eis adjungatur. Sicut alibi dicit : « Tauri pingnes obsederunt me (*Psal.* XXI, 13). » Sequitur, et ex ipsis tribulantibus : *Multi insurgunt*, id est insurgent *adversum me* accusatione, sicut in Evangelio legitur : « Et accusabant eum in multis (*Marc.* XV, 3). « Et ex ipsis tribulantibus etiam *multi animæ meæ*, quantum in se nocivi *dicunt*, id est dicent : « Venite, occidamus eum (*Sap.* II, 10), quia non est salus ipsi in Deo ejus. » Quod est dicere : Creatorem facit Deum et patrem suum ; sed ipse dereliquit eum, sicut alibi dicitur : « Filium Dei se nominat. Venite, opprimamus eum, quia non est qui liberet eum (*ibid.*, 3). » Præmissa admiratione quam aliquis posset habere, ad ostendendum passionis suæ fructum accedit, cum dicit : Ipsi tribulant me morte, et multimoda anxietate : *Tu autem, Domine*, qui potens es ad succurrendum, cum sis Dominus omnium, *es*, id est eris, *susceptor meus*, id est medicus et patronus, resuscitabis me. Suscipere enim medicorum est, ut ægros sanent, et patronorum, ut patrocinentur oppressis. Et ipsi dicunt : *Non est salus ipsi. Tu* vero non solum eris salus resurrectionis, sed *gloria mea*, id est faciens me gloriosum Ascensione, et totius mundi imperio. Et ipsi *insurgunt* accusantes et detrahentes et deprimentes, dicentes me seductorem. *Tu* vero *exaltans caput meum*, id est mentem meam virtutibus et immunitate peccati. Caput dicitur mens, quia dignior pars est hominis sicut caput corporis. Cum vero dicit : *Voce mea*, etc., apostropham facit ad auditores, instruens eos, ut, in tribulatione positi exemplo suo clament ad Dominum et exaudiantur, et hoc sic dicit : O auditores, ut me suscipiat, et sit *gloria mea*, et exaltet *caput meum*, ego *clamavi*, id est clamore intenso agam, *voce mea*, non vana voce, sed *voce mea*, id est procedenti ex bona intentione mea : vel *mea*, id est mihi utili : *ad Dominum*, id est ad Deum, qui potens est succurrere. Nam Dominus omnium est. Et bono meo *clamavi*, id est clamabo. Nam *exaudivi*, id est exaudiet me, id est ita audiet me quod impetrabo. *Exaudivit*, inquam (ut sciant unde illa exauditio procedet), *de monte sancto suo*, id est de eminentia sanctæ justitiæ suæ, quæ dicitur mons, eo quod alta et summa sit, sicut alibi dicit : « Justitia tua sicut montes (*Psal.* XXXV, 7), » vel exaudiet me de monte, id est pro me, qui sum mons sanctus ejus, id est in virtutibus excelsus, vel de monte exaudiet, id est propter hoc quod ego futurus sum mons sanctus ejus, sicut scriptum est : « Erit præparatus mons domus Domini super verticem montium (*Mich.* IV, 1), » id est munimentum totius Ecclesiæ, sicut mons munimentum est confugientibus ad se juxta illud propheticum : « Venite ascendamus ad montem Domini : (*Isa.* II, 3). »

Et necesse est ut exaudiat. Nam *ego dormivi*, id est dormiam, *et soporatus sum*, id est soporabor, *et*

www.libtool.com.br

post qui a me exaudiatur, *exsurrexi*, id est exsurgam. Et bene dicit : Non surgam, sed exsurgam ; 9 id est extra aliorum surrectionem surgam. Gloriosior enim ero cunctis aliis resurgentibus. Per hoc quod dicit *dormiam*, innuit quia non longa erit mors illa, sed ad horam, unde possit cito excitari, sicut aliquis de dormitione. Per hoc quod dicit *soporatus*, innuit quod cum quiete erit, et cum securitate resurgendi. Soporatus namque dicitur qui secure dormit, vel quia dixerat *dormiam*, id est brevem mortem patiar. Ne putaremus quod mox resurgeret, addit : *Soporatus* ero, id est aliquantulum dormiam. Ostensa utilitate sua de morte sua, ostendit et jam utilitatem membrorum; sic dico, quia Dominus susceptor meus erit, id est suscipiet me, id est resuscitabit : Non *timebo millia populi circumdantis* me, id est meos. Per hoc quod dicit *millia populi circumdantis*, designat multam fore persecutorum turbam. Quasi dicat : Quia ego vici, et mei vincent ; non timebo ne mei vincantur. Sicut alibi dicit : « Confidite, quia ego vici mundum (*Joan.* XVI, 33) : » dico : Non *timebo*. Et ut ipsi vincant, tu, Deus, qui potens es, et videris persequentibus impotens, exsurge, id est potens appare. Et *salvum fac me*, id est meos ne cedant hostibus. Et dignum est; nam es *Deus meus*, id est meorum, et non alius. Et hoc video, per contrariam sententiam, quia salvabis meos; nam destrues adversarios Ostensio per contrarium. Et hoc sic dicit : Salvabis meos. Et hoc inde scio quia *percussisti*, id percuties, scilicet destrues, et in corpore et in anima, *omnes adversantes mihi* in passione *sine causa*, vel *mihi*, id est meis, et non solum minores, sed etiam *dentes peccatorum*, id est illos qui sunt dentes inter peccatores, id est incorporantes minores in malum, sicut dentes atterunt cibum ut incorporent. *Contrivisti*, id est conteres, id est destrues ex toto; vel, *dentes*, id est corrosores detrahentes mihi vel meis. Et quia pro suis oraverat, diceret aliquis : Ad quid pro eis oras ? nam possent, si bene vivant, per se salvari. Et ideo adjungit : Necessario oro Deum ut exsurgat; nam *Domini est salus*, id est nullus poterit salvari ab incorporatione inimicorum, nisi per eum qui Dominus est, potens justos salvare et malos damnare. Modo facit ad eum apostropham ex nimia affectione, sic : Per te est salus ab inimicis in hoc mundo, et non solum hoc, sed *benedictio*, id est æterna remuneratio ventura *super populum tuum*, id est ventura de superioribus in illis qui, prius filii perditionis, sunt futuri populus tuus. Erit *tua*, id est per te data, sicut scriptum est : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum (*Joan.* VI. 44). »

IN PSALMUM IV.

Sequitur titulus quarti psalmi ; qui talis est : *In fine psalmus cantici David*. Qui sic exponitur : *Psalmus*, canticum istud, id est tractatus est dictus psalmus cantici, eo quod principaliter tractat de psalmo, id est de bono opere, et secundario *de cantico*, id est de remuneratione boni operis. Attribuendus est *David*, id est perfectæ Ecclesiæ; quæ est manu fortis contra diabolum. David, dico, tendenti in finem, id est in Christum, finem prophetiæ et legis. Psalmus dicitur symphonia illa quæ manuum exercitio fit in aliquo instrumento musico, quæ vulgo *Luydas* dicitur. Et quia dilectabile est, et opere fit manuum, pro bono opere ponitur; quod cum exercitio manuum factum Ceum delectat. Canticum autem symphonia dicitur, qua viva voce expressa, magis quam psalmo animus delectatur, ideoque pro remuneratione futura quæ dulcior erit opere bono ponitur. Et est vox perfecta Ecclesiæ, imprimis minores exemplo sui informans, ut in tribulatione orare, sicut et ipsa, non cessent, et exaudiantur, sicut et ipsa; postea vero infideles ab infidelitate ad fidem revocantis et ad pœnitentiam, et malorum cessationem bonamque operationem vocantis, et sic ad spem remunerationis exemplo suo eos inducentis. Et hoc sic dicit.

10 *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ*. Quod sic exponitur : O vos minores, invocate Deum in tribulatione vestra, et exaudiemini ; nam *cum invocarem exaudivit me*, id est audivit, ut impetrarem, *Deus* opifex *justitiæ meæ*, id est qui fecit me justam, ut digna essem ad audiendum. Modo facit apostropham ad Deum ex nimia affectione, quasi gratias agens, et exponens in quo eam exaudivit, dico exaudisti. Et verum est; nam *in tribulatione* positæ *dilatasti mihi*, id est dilatationem dedisti mihi. Quasi dicat : Cum tribulantes me, angustam vellent et parvam facere justitiam meam, fecisti econtrario magnam et dilatatam ; et tu, qui jam exaudisti, *exaudi* iterum *orationem meam*, id est mihi utilem, et ex mea intentione recta procedentem, et exponit unde exaudiet. Sic dico *exaudi*, id est *miserere mei*, ne cedam tribulantibus, vel mei, id est meorum ne cedant. Per hoc quod cum reiteratione orat, instruit minores incessanter orare, juxta illud Apostoli : « Sine intermissione orate (*I Thess.* V, 7) ; » et illud Evangelii : « Orate ne intretis in tentationem (*Luc.* XXII, 20). » Instructis minoribus paucis verbis, conversionem ad infideles facit, instruens eos pluribus verbis, cum majori egeant instructione quam qui aliquantulum sunt instructi, et prius ostendit vana esse quæ colunt, quantum ad gentiles, et mendacem excusationem, quantum ad Judæos : et sic dicit : *Filii hominum*, etc. Quod sic exponitur : Ego jam exaudita sum, et vos, si similiter clamaretis, similiter exaudiremini. Et, vos *filii hominum, usquequo* eritis *gravi corde?* Hoc dictum est communiter, et Judæis et gentibus. Et bene dicit *filii hominum*, quasi dicat : Vos qui non ex irrationalibus animalibus, sed ex rationalibus processistis, ex hominibus scilicet, non creaturam sed Creatorem colentibus. Nullus enim, etiam gentilis est qui, ex illis qui Dei notitiam habuerunt, longa licet sanguinis serie non processerit, ut ex Abraham multi, et Noe cæterisque fidelibus.

www.libtool.com.cn

Et omnes ab Adam et Eva qui Dei notitiam habuerunt. Et bene dicit *usquequo gravi corde*, quasi diceret : Vos qui usque ad adventum Christi grave cor et in terrenis depressum habuistis, *usquequo* habebitis, id est quare tandem post ejus adventum non convertimini? Et exponit in quibus grave cor habeant cum addit : Vos gentes, *ut quid*, id est propter quam utilitatem; *diligitis vanitatem*, id est adorare idola, quæ vana sunt et vacua a deitate quam in eis esse creditis? Et, vos Judæi, *ut quid quæritis mendacium*, id est excusationem de incrudelitate vestra, dicentes non advenisse Messiam? Quod mendacium est. Scitote illa esse vanitatem, o gentes, et excusationem vestram esse mendacem, o Judæi. *Et* cum hoc, *scitote quoniam Dominus*, id est Pater, qui cum sit Dominus, potens est ad eum mirificandum, *mirificavit*, id est mirum fecit miraculis, *sanctum suum*, id est Filium suum, qui antonomastice dicitur sanctus ejus. Et hoc effectu tali potest ostendi quod vere eum *mirificavit*; nam *Dominus* Pater *exaudiet me cum clamavero*, id est recta postulatione oravero *ad eum*, sicut scriptum est : «Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis (*Joan.* XIV, 13).» Vel ita dico, quia *mirificavit*, id est Dominum omnium fecit, et ipse factus Dominus secundum quod homo, exaudivit me, etc. Post orationem conversionis instruit eos ad pœnitentiam, et ad cessationem a malis et bonam operationem; sic dico imprimis *scitote*, etc. Et sic *irascimini* vobis, id est pœnitentiam habete de perpetratis sceleribus, et post, *nolite peccare*, et quia indefinite dixerat *nolite peccare*, et hoc impossibile est; nullus est enim qui saltem in cogitationibus non peccet, ut Joannes ait : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8), » determinat. Sic dico : *Nolite peccare*, et quia a cogitatione peccandi nequitis cessare, saltem *compungimini* ne perveniatis ad consensum de his illicitis *quæ dicitis*, id est cogitatis *in cordibus vestris*, scilicet et in illis cordibus quæ tunc sunt cubilia ferarum, id est diabolorum. Cubilia enim proprie sunt ferarum. Post hoc instruit eos ad bonam operationem; ❙❙ sic dico : *Irascimini et nolite peccare*, et sic *sacrificate sacrificium*, antea enim non possetis. Et non *sacrificium* taurorum, sed *sacrificium justitiæ*, id est tale sacrificium quod faciat vos justos, bonam scilicet devotionem et operationem.

Et ideo *separate in Domino*, id est spem remunerationis habete in Domino. Et postea ne spem amittatis, ne sitis de illis multis qui multi dicunt : *Quis ostendit nobis bona?* Quod est dicere : Vos Christiani dicitis esse æterna bona, sed quis habens, demonstrans in se visibiliter illa *bona*, potest ostendere per hoc nobis revera esse illa *bona?* Nullus, ostenso hoc quod quidam infideles *dicunt* : et non esse scilicet æterna bona, dicit se non credere illa non esse, ut ad hæc speranda alios attrahat; sic ipsi *dicunt*. Nullus potest ostendere eis. Nobis autem per rationem nostram ostensum est. Nam, o Domine, *super nos*, id est in superiori, id est digniori parte nostri, in anima scilicet *est signatum*, id est impressum *lumen*, id est claritas *vultus tui*, id est Filii tui; quasi dicat : Quia rationales sumus ad imaginem tuam, id est ad modum Filii tui, qui est vultus tuus et imago tua, id est similis et æqualis in divinitate, ita quod in nullo sit dissimilis, et bene dicit *signatum* per similitudinem. Nam sicut sigillum cum sit imago, ceræ impressum figuram sibi similem ibi ponit, quæ tamen in aliquo dissimilis est, ita rationalitas mentibus nostris est impressa ad similitudinem rationalitatis Filii Dei, qui vultus est Patris. Et quia rationalis sum, *dedisti lætitiam* mihi non terrenorum, sed rerum existentium *in corde meo*, id est quæ ego spero *in corde meo*, æternorum scilicet bonorum; illi autem qui dicunt : *Quis ostendit nobis bona?* econtrario lætantur in terrenis. Nam *multiplicati sunt*, id est multiplicem habent lætitiam provenientem *a fructu frumenti et vini et olei sui*, et bene dicit *sui*; nam illud non pro Deo erogantes sibi totum retinent. Et per has tres partes dat intelligendum esse omnia terrena, et quia dixerat *dedisti lætitiam in corde meo*, exponit cujus rei sit illa lætitia sic, ipsi *multiplicati sunt a fructu*, etc. Mihi vero *dedisti lætitiam* inde quod ego in futuro *dormiam*, et pro, id est *requiescam* a præsentibus tribulationibus, positus *in pace*, et non *in pace* commutabili, sed tendente in ipsum, id est in æternum : sicut scriptum est : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt (*Apoc.* XXI, 4). » Sequitur : *quoniam tu, Domine*, etc. Quod sic continuat, dico quod quiescam, et hoc ideo quia hoc solum spero, et hoc sic dicit æquipollenter, *quoniam tu, Domine*, id est tu, qui potens es et Dominus omnium. *Constituisti*, id est firmum fecisti, *me in spe singulariter*, id est in hac spe singulari, ut nihil sperem, nihil optem præter te.

IN PSALMUM V.

Sequitur titulus quinti Psal. qui talis est : *In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur. Psalm. David.* hic mittit nos ad historiam duarum mulierum Abrahæ, quarum una expulsa est ab hæreditate, Agar scilicet; altera vero hæreditatem consecuta est, Sara videlicet. Per Agar quippe ancillam Synagoga, quæ timore servili legi carnaliter obediens fuit, exprimitur. Per filium quippe Agar, falsi Christiani et hæretici, qui, sicut Synagoga, sapiunt ea quæ carnis sunt, qui tamen Dei uxor fuerunt, ei scilicet in cognitione conjuncti. Et hi ab hæreditate gloriæ perennis depellentur, sicut scriptum est : « Ejice ancillam, et filium ejus (*Gen.* XXI, 10; *Gal.* IV, 30). » Per Saram vero et filium ejus Ecclesia cum filiis suis exprimitur, quæ in futuro æterna gloria hæreditabitur. Titulus vero sic exponitur : *Psalmus iste attribuendus est David*; id est, perfectæ

www.libtool.com.cn

Ecclesiæ *tendenti in finem*, id est in Christum, qui finis, id est terminus est justorum; citra quem et ultra quem nemo justorum consistit, sed in eo, juxta Apostolum, « Multi unum corpus sumus in Christo (*I Cor.* XII, 20), » David dico, oranti pro ea quæ hæreditatem æternæ patriæ consequitur: nunc spe, quandoque consecutura re, id est per se. Sed per hoc quod ponit *pro ea quæ* 12 *hæreditatem consequitur*, quod innuit per contrarium aliam esse quæ non consequetur, id est Synagogam et falsos Christianos et hæreticos, intendit vero in hoc psalmo Ecclesia orare Deum, ut tandem illam hæreditatem consequi possit. Postea vero enuntiat se hæreditandam, illos autem expellendos esse, et ideo sic orat ut se non sola operatione et cogitatione, sed etiam voce exercendo majorem erga Deum affectionem habeat, Ideoque se hæreditandam, illos autem exhæredandos esse denuntiat, ut sic eos ab injustitia sua retrahat, et hoc sic dicit.

Verba mea, id est quæ vana et phantasmatica non sunt, sed talia qualia ego proferre debeo, ex recta intentione procedentia, *auribus percipe*, id est audi, Domine. Quod dicit *auribus percipe*, ad humanum modum dicit, quasi dicat audi ut impetrem. Bene dicit, *Domine*, cum posset dicere, sponse, ut humilior sit, quasi dicat: Qui Dominus meus es, cujus voluntates meis voluntatibus præpono. Et quia verbis nequeo semper orare, si aliquando bona devotione oravero, *intellige clamorem meum*, id est gratam habe illam devotionem quæ te orat sicut intensus clamor, et ut verba mea magis magisque digna sint tua exauditione, *intende*, id est intentionem da, id est perseverantiam *voci orationis meæ*, id est voci meæ oranti, et merito. Nam rex meus, id est me regis, habeo me non secundum regnum meum, sed secundum regnum tuum, *et Deus meus*. Non sum de illis « quorum Deus venter est (*Philip.* III, 19), » non aufero locum deitati tuæ in me, quasi dicat: Debes mihi acquiescere, quia habeo me secundum velle tuum, non secundum meum. Oratione facta, se exaudiendam enuntiat, sic: Dico *percipe intellige*, et revera *mane exaudies vocem meam*, id est in die judicii quod clarum erit ut *mane*, perficies petitionem meam, o Deus qui potens es, cui me servam *feci*, quoniam ego et oro et *orabo* perseveranter ad te promerendum, non ad aliquid terrenum, quasi dicat: Quia postulo quod postulare debeo, te scilicet. Cum dicit *mane exaudies*, innuit quia in ipso principio diei judicii petitionem ejus perficiet. Mane namque principium est diei, et exponit de quo exaudiet? Sic dico *exaudies*, et sic *mane*, id est die judicii *astabo*, id est præsens ero tibi corporali præsentia, secundum illud: « Ubi ego sum, illic et minister meus erit (*Joan.* XII, 26), » et illud: « Cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17), » et non solum *astabo*, sed *videbo* te facie ad faciem juxta Apostolum: « Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12). » et inde scio quod *astabo*, quoniam cum sis Deus et tuæ naturæ, scilicet iniquitas repugnet, *non es volens iniquitatem*; iniquum enim esset si me te solum, sicut petere debeo, petentem non admitteres, et per contrarium iterum certa sum, quia *astabo et videbo*; nam *neque malignus*, id est Judaicus populus qui malignus est, id est sterilis a bono, *habitabit juxta te*, id est non erit hæres hæreditatis æternæ tecum, sicut testatus es. « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI, 43): » *neque injusti*, id est falsi Christiani qui ab injustitia sua non desistunt, *permanebunt ante oculos tuos*, id est ante præsentiam tuam. Venient quidem ante te ad judicium, sed *non permanebunt*, id est diu manebunt ante præsentiam tuam, sicut scriptum est. « Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). »

Vere *non permanebunt*, nam tu *odisti* et semper oderis *omnes qui operantur iniquitatem*, non qui operati sunt et cessaverunt, sed *qui operantur* quandiu vivunt, perseveranter; et tu *perdes* et in corpore et in anima *omnes qui loquuntur mendacium*, id est hæresim, quibus non sufficit cogitare, nisi proferant ore, non qui locuti sunt et respuerunt, sed qui cum perseverantia *loquuntur*, et quia indeterminate dixerat *mendacium*, cum multa mendacia venialia sint, determinat de quibus mendacibus intendat, faciens apostropham ad 13 auditores ut illos a mendacio illo deterreat; sic dico, quia perdet et verum est; nam dominus, id est ille qui dominus est et potens et justus, abominabat, id est tam vehementer exsecrabit, quod nec hominem esse reputabit, *virum* effusorem *sanguinum*, id est illum mendacem qui est vir sanguinum effusor, id est qui est interfector hominum, et exponit qualiter interfector sit, cum addit: *Et dolosum*, id est et illum *virum sanguinum*, dico qui interficit proximos suos dolo verborum suorum, id est hæresi sua. Et non dicit *sanguinum* eo quod sanguinem effundat, sed quia interficit sicut ille qui sanguinem effundit, et bene ponit non hominem sed *virum*, cum ad hoc omnibus viribus nitatur ut mentiatur; et merito singulariter *virum* ponit, cum pluraliter omnes posuisset, ut ostendat in hoc quod mendaces sunt, unam massam esse; cum autem de his dicat *perdes* et *abominabitur*, et de aliis dixerat *non habitabit*, non *permanebunt*, innuit eos gravius esse puniendos.

Cum vero subjungit: *Ego autem introibo*, etc., idem est quod superius posuit verbis aliis: *mane astabo, et videbo*. Sed quia dixerat se astituram et visuram propter merita sua, quia scilicet et recte et quid orandum erat, orabat; repetit ut ostendat se non propter merita tantum, sed per Dei misericordiam etiam intraturam: et hoc sic dicit *dolosum abominabitur Dominus*, *ego autem introibo in domum tuam*, id est in Jerusalem cœlestem; confidens *in multitudine misericordiæ tuæ*, id est in multiplici misericordia tua, non in meis meritis tamen, et ut introire possim hic prius existens *in timore*, et non servili, sed *tuo*, id est in casto ti-

www.libtool.com.cn

more : qui tuus est, id est tibi valde gratus ; *adorabo* te, faciens te Deum, et me creaturam ; veniens *ad templum sanctum tuum* recipiendum, id est ad corpus tuum, quod est sanctum templum Deitatis : vel ita veniens ad hoc quod sim sanctum templum tuum juxta Apostolum : « Nescitis quia templum Dei estis (*I Cor.* VI, 19,). » Et ut hic recte adorem et sic introeam, o Domine, me positum hic : *in justitia tua deduc*, id est duc de virtute in virtutem, et ut deduci possim dirige, id est directam fac in conspectu meo, id est in consideratione mea viam tuam, id est divinam Scripturam tuam quæ per te data nobis est via fidei ; quasi dicat. Non permittas me in illa deviare, sed rectum intellectum in ea da mihi : et hoc oro *propter inimicos meos*, qui mihi insidiantur, ut deviare faciant, et propter inimicos ideo oro ; *quoniam in ore eorum non est veritas*, id est falsa loquuntur, et hoc ideo, quia *cor eorum vanum*, id est vanis cogitationibus plenum : propter arogantiam enim ut subtiles videantur, falsa de Deo loquuntur, et cum non sit in eis veritas, non solum se interficiunt, sed *guttur eorum est patens sepulcrum*, id est per vocem quæ procedit de gutture eorum sunt comparabiles sepulcro patenti. Sicut enim sepulcrum patet ut corpus receptum putre et fetidum faciat ; ita et eorum mala doctrina patet ut insontes in exemplum sui recipiant, et fœdos reddant : et ut *sepulcrum patens* essent prius *agebant dolose linguis suis*, id est verbis suis immiscentes prius veritatem falsitati, ut facilius deciperent. Et quia tales sunt, o Deus, qui justus judex es : *judica*, id est damna illos ; et hoc non est imprecatio, sed divinæ justitiæ concessio ; quia ad hoc facit ut eos exterreat, et exponit per partes quomodo judicet : hic scilicet decidant de malo in malum secundum quod alibi dicitur : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII, 11) : » et iste casus non erit a duritia tua, sed a cogitationibus eorum pessimis, et in futuro expelle eos a regno tuo : quod sibi præsumptione sua attribuunt, et hoc non secundum tuam inclementiam, sed secundum *multitudinem impietatum eorum*, id est ideo quia multas impietates habuerunt, et vere multas habuerunt ; quia *irritaverunt te*, id est cum dulcis esses naturaliter amaricaverunt te Deum, cum tu Dominus, ipsi vero servi essent.

Facta concessione, orat per fidelibus suis hæreditandis 14 sic, ipsi expellantur, et econtrario *lætentur* in futuro *omnes qui sperant*, non in se sed in te. Facta oratione enuntiat futurum esse quod orat, ut fideles suos magis ad exspectandum hortetur, et infideles intuitu hujus lætitiæ ad conversionem attrahat : dico *lætentur*, quod vere erit, vere *exsultabunt* et non horarie ; sed *in æternum*, et merito ; quia tu *inhabitatis in eis*, id est deitatis tuæ claritatem effundes in eos, sicut alibi dicitur : Quando erit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV, 28) et non parum exsultabunt, sed *gloriabuntur*, id est pro maxima gloria gaudebunt : et hoc *in te* non se, attribuentes eam gloriam non sibi sed tibi. *Omnes qui diligunt nomen tuum*, id est qui non timent pro mala conscientia sua hoc quod Dominus est. *Sed diligunt nomen tuum*, id est hoc quod Dominus es, et digne gloriabuntur ; *quoniam tu* qui justus es, potens et misericors : *benedices justo*, id est æternam benedictionem eis impendes : et bene dicit *justo*, non justis : ut ostendat unum quid in se futurum sicut Apostolus dicit : « Occuremus in virum perfectum (*Ephes.* IV, 13) ; » dico quia *benedices*, et ut digni simus ibi benedictionem recipere : Deus qui potens es *coronasti nos*, id est circumcinxisti nos hic *ut scuto bonæ voluntatis tuæ*, id est bona voluntate tua, misericordia scilicet *ut scuto*, id est ut sit nobis munimentum, sicut scutato scutum munimentum est. Quod dicit, *coronasti nos*, per similitudinem dicit patronorum, qui oppressum ut eripiant scutatis militibus coronant, id est circumdant ; ita et Christus ut ab hostibus visibilibus et invisibilibus eruat, misericordiæ suæ nos virtutibus circumdat et munit.

IN PSALMUM VI.

Sequitur titulus sexti, sic : *In finem in carminibus pro octava psalmus David* : Quod sic exponitur, psalmus iste attribuendus David, id est pœnitenti, qui prius a diabolo per peccatum superatus, tandem iterum effectus est David, id est *manu fortis*, pugnare rursus intendens contra diabolum : et jam desiderabilis Deo per pœnitentiam : David dico *tendendi in finem*, id est in Christum in carminibus, id est per laudes, per hoc scilicet quod laudat eum pœnitentia et bona operatione sua, id est laudabilem eum ostendit. Carminibus dico actis *pro octava*, id est contuitu æternæ quietis, quæ futura est in octava die, id est in die judicii ; et videtur illud idem negotium in hoc psalmo esse quod in superiori. Pro æterna namque quiete tractat psalmus uterque : in hoc tamen differunt : quod in superiori fideles jam certi pro illa orant : in hoc vero pœnitens de peccatis dolens perpetratis, suspirans ad ipsam quietem quam se malis meritis videt amisisse, orat humiliter pro suorum delictorum remissione sic.

Domine, cui me servum per pœnitentiam facio, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* ; quasi dicat : Non reformido quidem hic tribulationibus argui, et corripi : nam secundum Salomonem : « Quem diligit Dominus corripit (*Prov.* III, 12). » Siquidem « flagellat Deus omnem filium quem recipit (*Heb.* XII, 6) ; » et alibi : « Qui parcit virgæ odit filium (*Prov.* XIII, 24) : » sed hoc oro ut *non arguas*, id est convincas et ostendas me mala fecisse per furorem tuum mihi illatum, id est per æternam vindictam, et quia multi non *in furore* sed *in ira*, id est in diuturna pœna purgatoria usque in diem judicii punientur, tunc tandem evasuri. Addit : *Neque in ira tua*, id est, in illa diuturna pœna *corripias me*, idem est hic corripias et hic arguas ; sed *miserere mei*, Deus, id est cum misericordia in hoc

www.libtool.com.cn

mundo me flagellis transitoriis argue et corripe. Et necesse est ut hoc orem ; *quoniam infirmus sum*, id est debilis, non potens per me sanari ; vel *infirmus*, id est æger in peccatis, et quia *conturbata sunt ossa mea*, id est quia adeo sum infirmus quod etiam *ossa mea*, id est virtutes quæ sunt fortitudo animæ, sicut ossa corporis fortitudo: 15 *sunt conturbata*, id est penitus perdita et annihilata propter peccata ; *sana me, Domine*, quia bonus medicus es et potens ; vel sic continuatur : *infirmus sum*, id est per me non potens sanari. Et ideo *sana me, Domine*, qui potens es ; et necesse est ut hoc orem. *Quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est virtutes ; debes mihi misereri, quia Dominus meus es, et ego infirmus sum. Et ideo adhuc : Quia *anima mea turbata est valde*, id est conpuncta peccatis suis, et *tu, Domine*, cui me servum feci, *usquequo* differes consolari remittendo peccata ? Quasi dicat : Noli diu differre, sed (ex nimio desiderio suspensive dicit) noli differre sed *convertere* per gratiam ad me, conversum ad te per pœnitentiam, *et eripe*, id est vi extrahe animam meam a peccatis, et post *salvum me fac*, restituens me in justitiam in qua eram antequam tam graviter peccarem, et hoc non propter merita mea, sed *propter misericordiam tuam*, quia naturaliter misericors es, et ego non sum adhuc in morte, bene potest mihi medicina impendi, id est non sum in desperatione misericordiæ tuæ, et hoc probat a toto sic.

Quoniam non est in morte, id est in desperatione dicendus, *qui meor sit*, id est *tui*, id est qui memor est misericordiæ tuæ ; et ego memor sum : ideoque non sum in morte, et quod nullus memor est in morte, ostendit per oppositam sententiam sic : nam quis positus *in inferno*, id est in desperatione, qua pervenit ad infernum, *confitebitur tibi*, id est laudabit te de misericordia tua ? Nullus. Sequitur : *Laboravi*, etc. Sed sic continuatur : Dico quod debes misereri, ideo quia *anima mea est conturbata*, id est compuncta : et non solum hoc habeo, sed ego jam *in gemitu* positus laboravi in jejuniis, vigiliis, et aliis satisfactionibus, et in hoc ostendit se jam magis dignum exauditione : magis enim est jam laborasse, quam solummode gemuisse, et adhuc *lavabo*, id est purgabo *lectum meum*, id est conscientiam meam, flendo, incedens *per singulas noctes*, id est per omnes noctes ; non per partes noctium, id est recordans singularum noctium, id est peccatorum, quæ ad noctem ducunt, ad mortem scilicet æternam, et pro unoquoque peccato deflebo et satisfaciam, et sic purgabo conscientiam, meam, quæ hucusque fœda fuit, et post *rigabo*, id est irrigam faciam et fertilem bonarum cogitationum Deo ; *stratum meum*, id est conscientiam meam, quæ hucusque arida fuit et sterilis dum male cogitarem. Stratus vero et lectus idem sunt hic. Conscientia vero per similitudinem dicitur lectus et stratus. Sicut enim lecto sanus requiescit, æger vero minime quiescere potest ; ita et conscientia bonis et requies, malis vero tormentum et anxietas, et ideo laboravi ; quia *oculus meus*, id est consideratio mentis meæ, *turbatus est*, id est compunctus, et hoc superius dixit aliter, sic. *Et anima mea turbata est valde*, sed ob hoc repetit, ut addat quare *turbatus est*, dico *turbatus est*, quæ turbatio processit a *furore* tuo, id est a cogitatione furoris, id est vindictæ perpetuæ, quia timebam furorem illum, et hoc ideo quia *inveteravi*, id est de novitate Christi in qua prius eram, in vetustatem Adæ cecidi, existens *inter omnes inimicos meos*, non inter quosdam, sed inter omnes visibiles scilicet et invisibiles, inter vitia quæ me peccare fecerunt, et peccatores qui me minis vel blanditiis vel malo exemplo suo a via justitiæ revocaverunt. Perfecta satisfactione et de remissione securus, ex nimia lætitia apostropham ad hostes visibiles facit, dicens ne laborent eum amplius revocare, quia non poterunt, et hoc sic dicit : Ego prius inveteravi inter vos, et ideo satisfaciens oravi Deum ut me sanaret, et sanavit ; et ideo vos *omnes qui operamini iniquitatem*, non qui operati estis et quievistis, sed qui adhuc *operamini*, et exemplo vestro me revocare vultis, *discedite a me*, id est cessate me revocare omnimodo, quia nequibitis ; nam *Dominus*, cui me servum feci, *exaudivit*, id est audivit ut impetrarem, *vocem fletus mei*, id est orationem quam feci cum fletu meo, scilicet procedenti 16 ex culpa mea.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Et hoc ter repetit, quia præ nimia lætitia non sufficit ei semel dicere. Vel possunt hæc tria diversa esse sic : *Exaudivit Dominus vocem fletus mei*, dans peccatorum remissionem ; *exaudivit Dominus deprecationem meam*, ut iterum non caderem ; *Dominus orationem meam suscepit*, justitiam meam mihi restituens, quia pro se oravit et exauditus est : orat Deum ut eos converti ad exemplum sui faciat, quia per se converti nequeunt, et hoc sic dicit : Quia me exaudisti erubescentem et convertentem, ut similiter eos exaudias, o Deus, per te *erubescant*, id est verecundentur de peccato suo, *omnes inimici mei, et conturbentur vehementer*, id est compungantur, et post *convertantur* ad te pœnitentia et satisfactione, dico *erubescant*, et sic dico *erubescant valde*, non parum ; et velociter, non tarde. Qui enim promisit indulgentiam pœnitenti, non spopondit diem crastinum dissimulanti (Gregor. *homil.* 12 *in Evang.*), et notandum quod ideo introducit propheta hic pœnitentem orantem, ut nos instruat pœnitere, et pro peccatis ut impetremus, orare.

IN PSALMUM VII.

Titulus septimi. *In finem psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini*. Et ubi habemus hic *in finem*, Hebræi habent *victori*. Titulus iste ab auctoribus diverse accipitur, secundum enim Augustinum figuraliter introducitur historia de Chusi, qui quondam cum Absalon in persecutione David manens, ipsi David omnia consilia Absalon ei nocitura mandabat. Dicitur autem idem Chusi con-

www.libtool.com.cn

silium Achitophel quod Absaloni dederat dissipasse (*II Reg.* XVII, 7), persequendi scilicet patrem suum per deserta, et secundum Augustinum, Chusi *silentium* interpretatur, sed quod subjungitur, *filii Jemini*, non bene videtur ad historiam accedere, scribit enim beatus Hieronymus illum Chusi Arachitem fuisse, non filium Jemini : Augustinum dicens non bene in historia prospexisse, scribit etiam idem Hieronymus in hoc nomine quod in hoc titulo est, unam litteram apud Hebræos esse, quæ in nomine illius qui in historia legitur non scribitur, secundum quod Chusi Æthiops interpretatur, et est hic Chusi appellativum non proprium. Sicut in historia etsi sic Chusi accipiatur, nulla historia fortassis introducitur, cum nullus Chusi filius Jemini in historia legatur, nisi forte per hoc appellativum nomen in Chusi Saul accipiatur, qui injuste persecutus est David. Qui Saul vere fuit Chusi, id est Æthiops, niger scilicet in peccatis ; sicut Æthiops in corpore niger est. Qui etiam legitur esse *filius Jemini*, id est Benjamin de tribu ejus natus : Benjamin autem prius dictus est « Benoni (*Gen.* XXXV, 18), » id est filius doloris, eo quod in partu ejus præ dolore mater ejus Rachel mortua est : mutavit autem pater ejus nomen, vocans eum Benjamin propter affinitatem vocis, id est filium dexteræ, eo quod eum præ cæteris diligebat, et ad ejus dexteram semper eum sedere faciebat. Legitur vero in historia quod aliquando filii Benjamin dicuntur Jeminei, aliquando et filii Jemini. Per Saul quippe qui David inique persequebatur, Judaicus populus, qui Christi persecutor injuste fuit, designatur.

Secundum Hieronymum quidem titulus sic exponitur : *Psalmus iste*, id est verba, quæ in hoc tractatu intelliguntur, attribuuntur Christo, qui revera est David, *perseveranti in finem*, id est in victoriam ne cedat persecutoribus timore mortis : victoria enim finis est belli. *Quem Psalmum*, id est quæ verba hujus psalmi cantavit Dominus *Patri* in passione, id est cum maxima delectatione protulit, sicut cantans cum delectatione profert voces ; dico *cantavit*, et hoc pro verbis Chusi id est pro contuitu verborum Chusi filii Jemini. Pro passione scilicet : quæ ei contigit per verba Judaici populi qui dictus est Chusi, id est Æthiops, niger videlicet in peccatis, dictus tamen filius Jemini, id est, dextræ, secundum quosdam conversos ; qui salvandi **17** in die judicii filii Dei, et ad dexteram ejus erunt. Et est vox in hoc Psalmo Dominici hominis, pro membris orantis et pro persecutoribus ; non imprecative, sed concessive agentis. Non ut de se vel de membris ambigat, sed ut nos in tribulatione orare instruat, et hoc sic dicit.

Domine, Verbum mihi personaliter unitum, qui cum sis aliis Deus, tamen Deus meus es, id est mihi magis Deus, *in te* non in alio *speravi* semper. Prætensio meriti, et quia in te speravi, *salvum me fac*, restituens immortalitatem et impassibilitatem. *Me* dico; exemptum *ex omnibus persequentibus me*, et prius *libera me*, et hoc præposteratum est, ut addat unde liberet eum : sic libera me, *ne ut leo*, id est Judaicus populus frendens in me ut leo quærens quem devoret (*I Petr.* V, 8), *quando*, id est aliquando, *rapiat animam meam* de bono proposito suo ut sibi incorporet : vult enim ad hoc me cogere, ut me denegem tibi personaliter unitum ; sicut in Evangelio : « Secundum legem debet mori quia filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Dico, *salvum me fac et libera*, sed merito meo : ideo scilicet quia in te speravi, et *dum* hoc est quod ego adhuc spero quod *non est alius qui* me *redimat*, id est liberat, *neque qui salvum faciat:* et tali conditione oro te, *Domine Deus meus : si feci istud*, id est causam istius persecutionis, et quia ipse vere fecerat tale quid quod quidem erat hujus persecutionis causa licet non idonea, dicens se Dei filium, et quod Judæos de templo expulerat dicens : « Domus mea domus orationis vocabitur (*Matth.* XXI, 13), » sicut alibi dicitur : « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* LXVIII, 10), » addit, dico *si feci istud*, id est *si iniquitas est in manibus*, id est in operibus meis ; manibus enim operamur ; quasi dicat : Si aliquam iniquitatem feci pro qua sim dignus persequi, et ut etiam illud removeam, quod liberius inter homines videtur, hoc scilicet : *si reddidi mala retribuentibus mihi*, id est Judæis quibus ego multa bona opera feci : qui mihi mala retribuerunt, tunc ego *inanis*, id est inanem habens spem, si hoc est merito meo, non culpa tua, *decidam ab inimicis meis*, id est a spe inimicorum meorum. Spero enim post mortem meam quosdam de Judæis et gentibus mihi per prædicationem apostolorum incorporandos esse, et de illa spe decidam, et non solum hoc malum sit mihi ; sed etiam illud quod multo pejus est contingat, scilicet : *persequatur inimicus*, id est Judaicus populus, *animam meam*, et ita quod ut *comprehendat*, id est incorporet eam sibi, quod hucusque facere non potuit, *et vitam meam*, id est animam meam, quæ cœlum est, dignitate virtutis *conculcet*, id est sibi subjiciat, et se inferiorem faciat : *Conculcet* dico *in terram* deductam, id est in terrena, ut solummodo terrena sapiat et cupiat sicut mens eorum, *et gloriam meam*, id est gloriam resurrectionis meæ quam exspecto, *deducat in pulverem*, id est, me qui gloriosus esse exspecto in resurrectione, detineat in morte, et sic faciat reduci in pulverem, et hoc totum est ac si diceret : Debes me liberare et salvum facere, quia in te speravi semper et non in alio, et adhuc spero, neque feci iniquitatem pro qua dignus essem persecutione.

Neque *reddidi retribuentibus mihi mala*, et ideo non sum dignus ut me persequatur, sic ut comprehendat et conculcet, et gloriam meam in pulverem deducat, dico libera, salvum fac ex persequentibus et quia me persequuntur, o *Deus* qui impotens videris eis Judæis, *exsurge*, id est potens appare *in ira tua*, id est in vindicta tua in eos exercenda, in excæcatione cordis scilicet, et non solum in ira tua, sed etiam *exaltare*, id est potens appare *in finibus inimicorum meorum* auferendis. Quod est dicere :

www.ABROGIO.COM.EU

Excæca eos in mente, et fac eis auferri fines patriæ eorum, et sic potens in vindicta appare, et hoc non 18 est imprecatio, sed divini judicii (ut justum esse, illud nobis innuat) concessio. Post concessionem divinæ justitiæ in inimicos, orat pro membris sic: In inimicos *exsurge in ira*, et e contrario ad opus eorum qui non sunt inimici sed discipuli, exsurge in auxilium, *in præcepto*, id est in obedientia præcepti, *quod mandasti* eis per me, ut se scilicet invicem diligant, et tollant crucem suam, et sequantur me (*Matth.* XVI, 24). Ac si dicat: Adjuva eos mittendo sanctum Spiritum ut possint obedire præcepto tuo per me mandato: ut te diligant et me sequantur, et aliis verba vitæ prædicent, et cæteris obediant, quæ eis præcepi, et si exsurrexeris per prædicationem eorum. *Synagoga*, id est congregatio, *populorum circumdabit te*, id est erit in familiaritate fidei tuæ, et bene dicit *populorum*, etiam si ad solos Judæos referatur: multi enim populi, id est multæ turbæ Judeorum conversæ sunt; sic ut una die tria millia: alia vero quinque millia leguntur conversa fuisse (*Act.* II, 4). Sequitur.

Et propter hanc in altum, etc., quod sic continuat: dixi quod *Synagoga circumdabit te, et propter hanc* Synagogam non solum propter discipulos *regredere in altum*, o Verbum, id est in altissimam æqualitatem Patris. Non quod ibi semper non fuerit, sed idem est ac si diceret: Tu qui ante sæcula Patri æqualis exstitisti et exstas, illis (quia me tribulari permitis: quia inæqualis videris,) ostende te esse æqualem, me in cælos ascendere faciendo; ut eis Synagogæ scilicet et discipulis, Paracletum mittas, et sic per ascensionem meam revertere in altum gloriæ tuæ, id est qui creditus es a prophetis multisque aliis fidelibus æqualis, et modo non crederis æqualis, reostende te æqualem esse, et sic revertere in altum, ut Paracletum eis mittas. Quod autem sequitur: *Dominus judicat populos*, conversio est ad auditores, ut ostendat quasi a toto se liberandum esse et salvandum, et sic continuat: Oro liberari et salvari; quod vere erit. Nam *Dominus*, Verbum, *judicat populos* omnes sicut judicandi sunt: in æquitate scilicet, et me in æquitate judicabit liberando et salvando, secundum quod alibi dicitur: « Non enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22). » Cum vero dicit, *judica me*, etc., apostropham facit ad Verbum sibi personalifer unitum: sic quandoquidam populos omnes judicas, ut judicandi sunt, et me judica, Domine, secundum quod innocentia mea promeruit et justitia mea, faciens scilicet resurgere, et in cœlum ascendere, et mundum post me abire: et hoc sic est in libro: *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et innocentiam meam*, Et bene dicit *meam*, specialiter enim erat ipsius, cum nullus a Deo justus et innocens, et quamvis dicam justitiam et innocentiam meam, tamen *super me*, id est de superiori datæ sunt, id est de Dei dispositione juxta; illud: « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est (*Jacob* I, 17). » Sequitur: Consummetur, etc. quod sic continuat: Dixi superius: Libera me et salvum fac, et postea interposui, sed non sic oro salvari et liberari ut mori fugiam, sed ut consummetur, id est perficiatur in me *nequitia peccatorum*, dando me in mortem. *Et sic diriges justum*, me scilicet, id est directum ostendes gloriose resuscitando et super cælos exaltando, mundumque subjugando, qui modo dicor injustus et legis distortor. Et vere *diriges*. Nam tu es *scrutans*, id est sciens. corda, id est cogitationes, *et renes*, id est operationes vel delectationes, et cum omnes cogitationes et operationes vel delectationes scias, et meas scis justas esse; et ideo dirigis, et vere scrutatis corda et renes. Deus enim es. Non ideo ponit *scrutans*, quod aliquid enim oporteat scrutari, omnia enim scit, sed quia scrutantium est scire, ponitur *scrutans* pro *sciens*. Renes ponit pro operationibus vel delectationibus: quia renibus generationem operamur, et ibi delectamur.

Quia saperius dixerat: *Judica me secundum justitium* 19 *meam*, ne putaretur arroganter esse dictum, ostendit justitiam suam bene promeruisse, ut eum adjuvet, et hoc dicit: Bene dico, o auditores; *Judica me secundum justitiam meam*, nam *adjutorium meum est justum a Domino*, id est justum est ut me adjuvet, *qui* Dominus *salvos facit rectos corde*. Ostensio a minori. Quasi dicat: Quandoquidem omnes rectos corde salvos facit, qui indigniores me sunt, multo magis justum est ut me adjuvet, salvum faciendo. Sequitur *Deus judex*, etc. Et *non conversi*, etc. Et est secundus versus prius legendus, qui sic continuatur. Quia dixerat: Consummetur nequitia, facit apostropham ad ipsos peccatores, hortans ut pœnitentiam agant de nequitia illa, ne Deus vibret in eos gladium. Hanc vero exhortationem facit pro quibusdam salvandis: et ut nos instruat orare pro inimicis, sicut idem in Evangelio dicit: « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Matth.* V, 44). » Et sic continuat: dixi: *Consummetur nequitia*, et vere consummabitur. Et ne propter nequitiam illam pereatis, convertimini pœnitendo; nam *nisi conversi fueritis, gladium suum*, id est vindictam suam, *vibravit*, id est parabit super vos, et merito. Nam ipse *judex justus* non poterit vobis non retribuere quod dignum erit. Et *fortis* est ad hoc faciendum, sicut per Moysen dicit: « Non est qui de manu mea possit eruere (*Deut.* XXXII, 39). » Et vere fortis est et justus, nam Deus est. Et quamvis justus et fortis, tamen *patiens* est, id est patienter vos exspectans ne pereatis, sicut idem dicit: « Nolo martem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11). » Et vere patiens. *Nunquid* enim *irascitur*, id est punit nos: in ira, id est in vindicta, *per dies singulos* cum hoc promereamur: Quasi dicat: Nisi patiens esset, nobis per singulos dies irasceretur. Et ut non habeatis occasionem gladium evadendi, nisi convertamint, *tetendit* hic, id

www.liturgia.com.br

est aptavit *arcum suum*, id est Scripturam novæ legis et Veteris, quæ comminaretur mortem æternam non pœnitentibus, sicut arcus intensus mortem minatur persequentibus. Et non tetendit in occulto, sed paravit illum, id est, posuit in aperto, sicut ailibi dicitur: « In omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII, 5). » Et bene ponit *tetendit*, per similitudinem. Sicut enim cornua arcus prius longinqua a se, intendente chorda appropinquare videntur : ita duæ leges, quæ longe distantes a se videbantur, per Christum sibi appropinquantes et concordes factæ sunt. Dico *arcum tetendit et paravit:* et ut bene arcus ille manifestaretur, *paravit in eo*, id est instruxit et docuit, *vasa mortis*, id est illos qui sunt vasa mortis, scilicet prædicatores : qui sunt vasa prædicationis: quæ mors est non recipientibus, testante Apostolo: « Aliis sumus odor vitæ in vitam : aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II, 19). »

Et ipsa vasa *effecit sagittas*, id est fecit efficaces sagittas. Et non ad malum, sed *suas*, id est ad utilitatem sui efficaces in *ardentibus* fide et charitate. Quod est dicere : Faciet eos sagittantes, id est percutientes in bono doctrina sua, futuros ardentes in fide et charitate. Quia superius oraverat liberari et salvari posset, quærit unde se orasset liberari, et hoc exponit: Oro liberari, et ecce in præsens est unde me oporteat liberari. Nam Judaicus populus *parturit injustitiam*, id est laborat perficere mortem meam; quod injustum est: ac similitudinem mulieris parturientis, id est, ut pariat laborantis. Et hanc injustitiam non vel a merito meo, vel ab alieno consilio, sed ipse per se *concepit* in cerde suo, id est cogitavit, *dolorem*, id est mortem meam, unde contingit eis dolor. Et quia jam concepit et non parturit, *peperit*, id est parient, *iniquitatem*, id est mortem meam inique perficiet. Et per hoc quia concepit, et parturit, et pariet : *lacum aperuit et effodit*, id est effodiendo aperuit, id est apertum et amplum fecit: *et incidit*, id est postea incidet, *in foveam*, id est in lacum, *quam fecit*, id est quem paravit mihi. Quod est dicere : Quia me detinere vult in morte, similis 20 erit effodienti lacum et apertum facienti, in quem aliquem præcipitare intendit, et ipsemet in eumdem lacum cadit. Nam illa mors, quam mihi parat, erit ei causa ruinæ; et exponit apertioribus similitudinibus hunc casum ejus sic: Vere incidet in foveam. Nam *dolor ejus*, id est mortis supplicium quod mihi parat, *convertet in caput ejus*, id est in mentem ejus: quæ ideo excæcabitur : et non solum *in caput*, id est in mentem, sed *iniquitas ejus*, id est pœna iniquitatis ejus, id est mortis meæ, *descendet in verticem ejus*. Et bene dicit *in verticem* : in vertice namque jugum poni solet. Et pro iniquitate eorum eis Romanorum jugum imponetur ; quasi dicat: Non solum ob hoc excæcabitur, sed etiam servituti subjicietur. Sequitur : *Confitebor*, et cæt. Loquitur ad auditores, ut eos confiteri et psallere Domino instruat: et sic continuat : *Dixi, Libera, Salvum fac, Exsurge, Judica*, et: *convertetur dolor in caput ejus*. Et ut hæc omnia fiant, o auditores, *Confitebor Domino*, Verbo, id est laudes ei dicam, *secundum justitiam ejus* mihi datam, id est, secundum mensuram justitiæ confitebor ei: sicut me cæteris justiorem fecit omnibus, ita laudes agam ei præ omnibus. Et non solum confitebor, sed etiam *psallam*, id est bene operabor *nomini Domini*, id est ad honorem nominis Domini: exhibens me servum et ipsum Deum et merito ad honorem nominis Domini *altissimi*. Nam altissimus est, scilicet Dominus dominorum. Psallere proprie dicitur manuum operatione in psalterio modulari, ideoque pro operari ponitur.

IN PSALMUM VIII.

Sequitur titulus octavi. *In finem pro torcularibus psalmus David*. Quod sic exponitur : Psalmus iste attribuendus est David, id est ipsi prophetæ : tendenti in finem, id est in Christum : vel in finem, id est in perfectionem bonorum, David dico agenti pro torcularibus, id est pro Ecclesia. Torcularibus vero dicit pluraliter: pro duabus Ecclesiis de Judæis et gentibus: vel pro multis singularibus Ecclesiis, quæ dicuntur torcularia per similitudinem. Quia sicut in torculari vinum et acinum, sic in Ecclesia boni malique continentur: qui tandem in judicii die separabuntur sicut vinum ab acino; juxta illud Dominicum: « Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum (*Matth.* XXIII, 49). » Et est in hoc psalmo vox proprie pro contuitu Ecclesiæ futuræ in Dei laude : ut alios eum laudare instruat, sic cum admiratione prorumpentis.

Domine Dominus noster existens, id est quem nos soli Judæi cognoscimus esse Dominum nostrum, gentes enim nondum te cognoscunt : *Quam admirabile est* futurum, id est cum quanta admiratione gloriosum, *nomen tuum*. Hoc scilicet quod tu Dominus omnium es, *in universa terra*, id est in gentibus universæ terræ ? Ac si dicat : Qui modo solummodo in Judæa notus es, ab omnis modi gentibus cognosceris ; juxta illud : « Omnes gentes ad te current (*Isa.* IV, 5) ; » et alibi : « Omnes gentes quascunque fecisti venient et adorabunt coram te, Domine (*Psal.* LXXXV, 9) : » et exponit quomodo fiet admirabile, sic : Dico quod admirabile, et hoc ideo, *quoniam magnificentia tua*, id est Filius tuus, qui emphatice dicitur magnificentia, faciens suos magnificos, *elevata est*, id est exaltabitur *super cœlos*, materiales ; vel *super cœlos*, id est divinas Scripturas, quæ sunt altæ respectu sæcularium : sicut cœli alti sunt, id est altior erit in sanctitate quam divinæ Scripturæ testatæ sint. Vel *super cœlos*, id est super rationales creaturas, id est dignior erit angelis et hominibus, qui digni sunt præ aliis animalibus : sicut cœli terra digniores sunt. ideoque cœli dicuntur : et ut appareat magnificentiam tuam elevandam esse, *perfecisti laudem*, id est perfectam facies laudem, *ex ore infantium*, et non magnorum, sed ut mirabile fit *et lactentium*, id est parvorum

rum 21 qui hoc non habuerunt a se, sed a sancti Spiritus operatione. Quod est dicere : Ut convincantur Judæi Christum magnificentiam tuam esse, et super cœlos elevandum : puerorum infantia sancti Spiritus operante gratia, tibi testimonium per hibebit, dicens : « Hosanna filio David (*Matth.* XXI, 15). » Et hoc quod tu *perficies laudem* : facies propter inimicos tuos Judæos : qui te Dei Filium esse denegabunt : ut eorum infantium mirabili testimonio destruas inimicum et ultorem vel defensorem, id est convincas : mendacem esse probans Judaicum populum qui inimicus tuus erit, et dicet se ultorem et defensorem legis suæ, juxta illud : (*Joan.* IX, 16). « Hic homo non est a Deo : qui Sabbatum non custodit (*Joan.* XIX, 7). » Et alibi dicitur : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. »

Et ideo elevabitur magnificentia, *quoniam* per ipsam magnificentiam *videbo* ego *cœlos tuos*, id est prædicatores tuos qui erunt in virtutibus excelsi : hoc est ego modo video spe, quandoque videbo re : visu animæ non corporis per magnificentiam tuam elevatam super cœlos tuos, id est prædicatores. *Cœlos* dico : qui erunt *opera digitorum tuorum*, id est constituentur per digitos tuos, id est per dona sancti Spiritus, qui dicitur digitus eo quod per eum Pater operatur, sicut aliquis per digitos : secundum quod in Evangelio dicitur : « Si in digito Dei ejicio dæmonia (*Luc.* 11, 20) » : et per cœlos videbo constitui lunam, id est universalem Ecclesiam : quæ dicitur luna, eo quod sicut luna aliquando videtur decrescere in tempore scilicet persecutionis, aliquando vero crescere in tempore pacis. Et stellas, id est particulares Ecclesias, quæ parvæ sunt ad comparationem universalis : sicut stellæ ad comparationem lunæ. Quæ, id est *lunam et stellas* tu Deus *fundasti*, id est fundabis, id est quæ non poterunt constitui per ipsos cœlos, nisi te fundamentum ponente, ut ait Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est : quod est Christus (*I Cor.* III, 11. » Et iterum : Neque qui plantat est aliquid : neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*Ibid.*) » Videns vero propheta cœlos esse constituendos, et Dei magnificentiam elevandam : et hoc totum propter hominem futurum : quod vile et abjectum secundum corporis debilitatem videretur; ut eum erga Deum benivolum reddat, sic in ejus laudem prorumpit. Quando quidem magnificentia elevabitur et cœli constituentur : et hoc totum erit propter hominem.

Quid est homo, id est quam magnum quid homo. et inde hoc potest videri quod tu *memor es*, id est eris, *ejus*, id est qui visus es eum oblivioni tradidisse, per culpam Adæ : memor eris ejus per obedientiam Christi, eum immortalem faciens. Post laudes hominis, filium hominis magis laudat, ut ei omnia subjecta esse ostendat sic dicens. Dico *quid est homo*. Aut ita dignius possum dicere. *Quid*, id est quam magnum, quid est *filius hominis*, id est Christus : et inde probari hoc potest magnum quid esse : *quoniam visitas*, id est visitabis *eum* in hoc quod *minuisti eum*, id est minorem fecisti eum : *paulominus ab angelis*. Ac si dicat : Quia propter hominem redimendum eum angelis minorem facies redimendum eum angelis minorem facies, mortalem scilicet et passibilem, visitabis eum educens de ipsa mortalitate et passibilitate. Et exponit quomodo visitabit eum sic. Vere visitabis. Non coronasti, id est coronabis eum *gloria* resurrectionis : et *honore* ascensionis. Vel *gloria*, id est illustratione infernorum : ex hoc scilicet quod cum majestatis gloria descendet ad inferos. *Et honore*, id est victoria mortis, et postea *constituisti*, id est constitues *eum super opera manuum tuarum*, id super rationales creaturas, quæ dicuntur Dei manu operatæ, id est præ cæteris dignæ, cum Dei manu dicantur factæ. Et non pauca opera : sed *omnia* opera *subjecisti*, id est subjicies : *sub pedibus ejus*, id est sub humanitate ejus : quod est dicere : Non solum secundum Deitatem Dominum omnium eum constituisti, sed etiam secundum humanitatem. Et bene humanitas dicitur 22 pes : cum inferior fuerit deitate, sicut pes aliis membris inferior est. Et hoc probat a partibus sic. Scilicet *oves* ei subjicies, id est illos qui sunt summæ simplicitatis et innocentiæ, velut oves : et *boves universas*, id est prædicatores qui bene dicuntur boves, id est excolentes minores, et pascentes eos doctrina sua : sicut boves agros excolunt, et vitulos suos lacte pascunt : insuper, id est etiam *pecora campi* subjicies ei, id est voluptuosos qui ita sunt intenti voluptati, ut desideria sua expleant : sicut pecora in camporum pascuis demorantur ut ventri serviant. Et merito voluptas campo comparatur, cum ampla sit ad carnis desideria complenda : sicut campus amplus est. Et *volucres cœli* subjicies, il est illos qui per vanitates irrationabiliter vagantur : sicut volucres per cœlum. *Et pisces maris*, id est curiosos hujus mundi : qui mundus mare dicitur, eo quod crebris tribulationibus admodum maris inquietetur. Curiosi vero, id est hujus mundi scilicet avari, dicuntur pisces eo quod, sicut pisces in fluctibus, ita in sæcularibus sunt depressi sollicitudinibus. Qui pisces perambulant, id est circum natant, semitas, id est vias maris, id est negotia hujus sæculi : quæ viæ sunt per quas venitur ad lucrum sæculare. Vel pisces dicuntur philosophi hujus sæculi, eo quod sicut pisces in mari, ita in sæculari scientia involvuntur. Et bene dicuntur perambulare semitas maris, id est subtiles sententias illius scientiæ sæcularis. Ostensis omnibus Ecclesiæ membris Christo subjiciendis, sicut a laude incepit : ita in laudem finire intendit sic inferens : Ergo quia oves, etc.; quæ dixi Dominico homini per te subjicientur : *Domine dominus noster*, et cæt. Et hoc ut superius exponitur.

IN PSALMUM IX

Sequitur titulus psal. noni : *In finem pro occultis filii, psalmus David*, quod sic exponitur. Psalmus iste

www.libtool.com.cn

attribuendus est David, id est perfectæ Ecclesiæ tendenti in finem, id est in Christum, ut ei sit conformis. David dico : agenti laudes *pro occultis filii*, id est pro judiciis Christi : *qui antonomastice filius dicitur sicut idem testatur*. « Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36). » Quæ judicia multis occulta sunt. Et bene ponit *occultis*. Non enim de uno solo, sed de pluribus agit. Qualiter scilicet Deus occulte quosdam impiorum judicat ut convertantur, quosdam vero ut magis excæcati juste puniantur : qualiterque suos in hoc mundo judicet puniri, sicque postea beatificari. Ad ultimum vero agit de persecutione futura in tempore Antichristi, quæ Dei occulto judicio continget. Et est in hoc psalmo vox perfectæ Ecclesiæ, ut minores instruat ad Dei laudem : se Deum pro occultis judiciis suis ex quibus multi scandalizantur laudare promittentis, sic.

Confitebor tibi, Domine. Ac si dicat : Multi de occultis judiciis tuis quæ eis injusta videntur scandalizantur. Ego autem *confitebor tibi*, id est laudabo te : *in toto corde meo*, id est in tota affectione cordis mei : nulla phantasmatica cogitatione intercurrente. Dominus enim es ideoque laude dignus. *Narrabo* aliis ore *omnia mirabilia*, id est omnia occulta judicia : quæ pro dignitate et justitia admiratione digna sunt esse tua, id est non temeraria ut quidam putant et injusta : sed talia qualia te decent : justa scilicet. Vel *tua*, id est a Deo Patre tibi data. Juxta illud. « Omne judicium Pater debit Filio (*Joan.* V, 22). » Sequitur. *Lætabor*, quod sic continuat. Dico quod *confitebor* : et hoc non invitus, sed in hoc *lætabor* : et non modicum sed *exsultabo*, id est vehementer lætabor. Exsultare namque dicitur tantam lætitiam habere : quæ etiam cum saltatione corporis ostendatur. Dico *lætabor et exsultabo* : et hoc *in te*, non in terrenis. Et non solum confitebor intentione : et narrabo aliis ore : sed *psallam*, id est bene operabor, 23 *nomini tuo*, id est ad honorem nominis tui, ut tu inde lauderis : non ut ego superbiam, *o Altissime*, id est dignum est ut *nomini tuo psallam* cum sis Altissimus. Vel *altissime* ponitur adverbialiter, id est altissima et recta intentione, quod est ac si diceret : Laudabo te affectione, ore, et opere, pro occultis judiciis tuis. Et exponit ipsa judicia sic : *confitebor, Narrabo, Psallam.*

In Convertendo inimicum meum retrorsum, id est in consideratione conversionis, id est in hoc quod considero inimicum meum convertendum retrorsum, id est devincendum per constantiam meam, quod me non poterit a bono proposito meo revocare : et dicit per similitudinem converti inimicum retrorsum. Victorum enim et fugientium esse solet, retrorsum converti. Et ostendit quomodo convertentur : *infirmabuntur* scilicet, id est infirmi et impotentes invenientur ad me vincendum. Et in futuro *peribunt a facie tua*, il est a præsentia tua recedendo, sicut in Evangelio legitur : « Ibunt hi in supplicium æternum (*Matth.* XXV, 26.) » Vel infirmabuntur, id est qui fortes et firmi hic videntur, in futuro infirmi apparebunt : quando dicetur : « Discedite a me, » etc. (*Ibid.*) Vel sic : *Confitebor, Narrabo, Psallam. In convertendo inimicum meum retrorsum*, id est in hoc quod considero me conversurum prædicatione : et exempto inimicum meum, id est quosdam de inimicis meis retrorsum, id est faciam converti de malo ad bonum. Et exponit qualiter, scilicet *infirmabuntur*, id est qui fortes et firmi in infidelitate sua sunt, infirmi paulatim in ea fient. Et sic peribunt, id est ex toto secundum quod infideles sunt destruentur : et hoc continget *a facie*, id est a cognitione tua. *Inimicum* vero dicit singulariter, et *peribunt* pluraliter : quia et una massa et multi sunt : inimicum vero dicit et hæreticos, et exteros hostes. Et ideo adhuc confitebor, narrabo et psallam, *quoniam fecisti judicium* esse *meum*, id est mihi utile. *Et causam* esse *meam*, id est mihi utilem. Vel ita. *Quoniam judicium meum et causam meam fecisti*, id est hoc quod judicatus in causam ductus sum, fecisti, id est disposuisti : non fuit ex temeritate, ut quidam putant. Judicium dicit quod Dei occulto judicio tribulationibus affecta est. Causam vero, quod cum hæreticis vel infidelibus de Deo disputavit, et eos devicit : quæ omnia ad ipsius utilitatem cessere sicut Apostolus ait : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII, 28). » Et hoc judicium et causam ideo fecisti, quia *sedisti super thorum qui judicas justitiam*, id est hoc quod justum est. Non modo incipis sedere, sed semper sedisti et sedebis, id est quia tu judex es omnium, et non injustus, sed judicans juste. Et cum debuit dicere judicem esse, ponit descriptionem pro descripto, scilicet sedere super thronum. Judicum enim est super thronum sedere. Thronus vero judiciaria sedes dicitur.

Quia vero superius dixerat : *Confitebor in convertendo inimicum meum* : posset quæri quare pro inimici conversione confiteretur. Unde causam subdit sic : Digne confitebor pro conversione inimicorum : nam per me non potero eos convertere : sed tu *increpasti* interiore increpatione, id est increpabis metu judicii gentes, id est inimicos gentiliter viventes : *Et periit*, id est peribit *impius* de impietate sua, id est cessabit esse impius. Et quia peribit, *nomen eorum delesti*, id est delebis eorum nomen quod est impius : quod nunquam eos impios reputabis, neque amplius eos inde punies, testante Scriptura : « Si averterit se impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XVIII, 22). » Dico quod delebis. Et hoc *in æternum*, id est quod nunquam quandiu hoc sæculum durabit, reputabis eos impios esse. *Et* non solum in æternum : sed usque *in sæculum sæculi* hujus subsecutivum, et in hoc sæculo et in futuro delebis. In æternum ponit, non pro omni tempore, sicut sæpe ponitur ; sed pro omni spatio hujus sæculi sicut alibi : 24 « Dominus regnabit in æternum et ultar

www.libtool.com.cn

(*Exod.* xv, 18.) » Dico quod peribit impius et sic *defecerunt*, id est cessabunt. *In finem* cessationis quantum cessari potest, id est ex toto *frameæ inimici*, id est tribulationes et tormenta quæ solebant inferre mihi. Per frameas tribulationes martyrii denotantur: quia frameis multi contribulantur. *Et destruxisti*, id est destrues *civitates*, id est conspirationes eorum : ut ultra non conspirent adversus me. Civitatem vero dicere solemus collectionem aliquam virorum, ut uno jure se habeant conspirantium : ideo quo eorum multitudines adversus Ecclesiam in unum conspirantes, civitates dicuntur.

Cum vero dicit, *periit memoria*, etc., facit apostropham ad auditores : quia posset quæri an esset periturus impius, sicut dixerat. Et sic continuatur: Dixi *quod increpabis gentes et peribit impius*: et verum dico. Nam vere *periit memoriam eorum* inimicorum *cum sonitu*, id est peribit memoria nominis eorum, id est, nunquam amplius impii dicentur. Et *cum sonitu* peribit, id est cum magno rumore : quia multum divulgabitur : non erit clam. Et post *Dominus* in *æternum*, id est semper manet, id est permanebit in eis sicut idem dicit : «Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* xiv, 23). » Et ipse qui in eis permanebit *judicabit*, id est remunerabit in futuro, *in æquitate orbem terræ*, id est illos qui futuri sunt ex terra : qui prius, scilicet terra erant orbis ejus, id est corona ejus in circuitu ejus. Orbem vero ponit pro corona: quia rotundus est. *Et populos*, id est infideles judicabit, id est remunerabit in justitia, id est juste damnabit : et si impius videatur non justum. Dico quod judicabit orbem terræ: et populos : et merito. Nam *ipse paravit thronum suum*, id est judicium sum : *in judicio* mortis pro Patris obedientia constitutus, id est judicio mortis quod sponte subiit : totius mundi judicium sibi acquisivit, Apostolo testante : « Christus factus est obediens Patri usque ad mortem : propter quod et Deus exaltavit illum (*Philip.* ii, 8). » Populos dicit malos, quia multi erunt ad comparationem bonorum, quia illud. « Multi vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx, 22 . » Dico quod in futuro judicabit. Et hic interim factus est, id est fiet *Dominus refugium*, id est securitas, *pauperi*, id est illi qui tanta subjectionis humilitate se erga eum habebit, quanta pauper ut aliquid acquirat erga divitem. Vel pauperi, id est illi qui in hoc mundo propter eum esse pauper elegerit. Et non solum refugium, id est constantes et intrepidos faciens (multi namque hæretici in tribulationibus inutiliter inveniuntur intrepidi), sed etiam *adjutor in tribulatione*, id est agens occulto judicio quod ipsa tribulatio adjuvet eos ad augmentum meriti, sicut scriptum est : *Fiant clariores per exercitia laborum*. In tribulatione dico disposita a Deo in opportunitatibus, id est secundum quod opportunum est, ut pati possint ne deficiant si ultra modum fuerit : secundum quod alibi dicitur : « Potum dabit nobis in lacrymis in mensura (*Psal.* lxxix, 6). »

Cum vero dicit *et sperent*, etc., apostropham facit ad Deum orans pro minoribus sic : Dico, Deus, quia judicabis orbem et populos : et factus es refugium, et ut in futuro judicentur, ad misericordiam sperent in te non in terrenis : et ita quod non deficiant omnes *qui noverunt nomen tuum* : te scilicet esse dominum omnium : et potentem justos salvare et impios perdere. Vel nomen tuum, id est te æternum esse : ut per te fiant æterni : et repetit causam aliis verbis pro qua oret eos sperare. Ideoque scilicet *sperent* : quia *non dereliquisti* neque derelinques querentes te, non mundana : in adjutos Deus : Quasi diceret : Nam Dominus omnium es : nihilque injustum facere potes : et hoc illud idem est quod superius dixit : factus es refugium pauperi adjutor in tribulatione. Post orationem, apostropham facit ad minores, hortans ut sicut ipsa laudat, ita et ipsi faciant. Quando quidem judicabit, et refugium et adjutor est : vos minores *psallite Domino*, id est bene operamini 25 ad honorem ejus, et prætendit qua utilitate, sic : *Qui habitat in Sion*, quod est ac si dicat : Qui in omnibus qui Sion sunt, habitat, et in vobis habitabit si Sion fueritis, id est speculatores patriæ cœlestis, et non solum psallatis, sed *inter gentes*, id gentiliter viventes incedentes. *Annuntiate* eis *studia ejus*, id est affectiones charitatis ejus, quanta scilicet affectione nos redemit, quantoque in futuro bonos remunerabit, et bene ponit *studia*. Non enim redemit neque remunerabit temerarie, sed magno studio atque potentissima ratione. Et bono vestro psalletis et annuntiabitis ; *quoniam recordatus est*, id est recordabitur in futuro ut remuneret, clamoris pauperum et si modo videatur oblitus esse, id est recordabitur intensæ orationis pauperum ; propter eum factæ, quæ procedit ex recta affectione et operatione.

Et quia dixerat *recordatus est*, videretur alicui non bene notanti eum oblitum fuisse, ideo sequitur correctio sic : Dico *recordatus est*, *non* tamen *est oblitus* unquam *clamorem pauperum* ; sed ideo dixi, quia videtur quibusdam. Et quod recordabitur, remunerando monstrat ab opposito cum interponit : *Requirens sanguinem*, id est mortem eorum de manu impiorum ut puniat, sicut alibi dicitur . « Mihi vindictam, et ego retribuam (*Deut.* xxxii, 35), » quod est ac si diceret : Cum impios propter justorum persecutionem sit damnaturus, pauperes utique pro se patientes est remuneraturus. Et apponit ipsum clamorem pauperum sic dicens : *Non est oblitus clamorem pauperum*, qui talis est. *Miserere mei*, *Domine*, id est misericorditer mihi retribue ; cum sis Dominus in rebus, et omnia possis. Et ne desit causa retributionis : *Vide*, ad hoc ut tibi placeat, *humilitatem*, id est dejectionem, *meam de inimicis meis* illatam, tribulationem scilicet quam pro te patior. Dico *miserere tu*, qui tam *exaltas me* dignitate vitæ ; me dico exemptum *de portis mortis*, id

www.libtool.com.cn

est de vitiis, quæ sunt portæ per quas intratur ad mortem. Et ad hoc exaltas *ut annuntiem* aliis *omnes laudationis tuas*, id est occulta judicia tua unde laudari debes. Ego dico existens *in portis filiæ Sion.* Intransitive dictum est : *Filiæ Sion.*

Quod est dicere : Ego existens in virtutibus, vel in sententiis apostolorum, quæ sunt portæ per quas Ecclesia, quæ Dei filia est et apostolorum, ingreditur ad vitam. Et ne intelligeretur filia Babylonis, determinat cum addit : *Sion*, quod est dicere, quæ est speculans futura. Et hoc totum ac si diceret : Scio quod mei misereberis, cum jam me facias exaltatum. Dico *miserere mei*, et sic *exsultabo in salutari tuo*, id est in salutatione tua mihi data, id est in hoc quod reduces me in immortalitatem. Ostenso clamore pauperum, revertitur ad negotium quod inceperat : sic dicens. *Infixæ sunt*, etc. ; quod sic continuatur. Dixi superius, o minores : *Psallite Domino qui habitat in Sion*, ideo *quoniam recordatus est ; non est oblitus clamorem pauperum* ; et non hoc solo contuitu psallatis, sed etiam laudate intentione, et verbis, et operatione hoc contuitu, quia *gentes*, id est gentiliter viventes ; *sunt infixæ in interitu, quem fecerunt*, id est intus in anima sunt fixæ, id est firmiter sitæ *interitu*, id est in excæcatione mentis, *quem fecerunt* sibi, non Deus, id est qui interitus eis contigit pro meritis suis malis, non culpa Dei. Ac si diceret : Non solummodo pro remuneratione justorum, sed etiam enm laudate pro excæcatione malorum ; quod etsi sit occulto judicio factum, non tamen dubium est esse justum.

Et exponit quomodo in interitu infixæ sint sic : Merito *in interitu*. Nam *pes eorum comprehensus est in laqueo isto quem absconderunt*, id est occulte aliis paraverunt. Qui vero dicit *comprehensus est pes eorum*, a similitudine dicit hominis in abscondito ut aliquem capiat laqueum ponentis. In quo ipsemet illaqueatur. Quasi diceret : Merito interierunt, quia laqueum deceptionis aliis injuste paraverunt, et iste laqueus 26 causa fuit quare in interitum pervenirent, id est in cordis excæcationem. Et hoc quod ita eos judicat Deus, non cognoscunt ipsi modo ; sed tandem in futuro, cum juste perdet eos. *Cognoscetur Dominus judicia faciens*, id est cognoscetur quia Dominus in hoc mundo facit de impiis occultum judicium. Et exponit quod judicium sic. In hoc scilicet est faciens judicium quod *peccator est comprehensus*, id est deceptus, et excæcatus *in operibus manuum suarum*, id est per pravas actiones suas, quia hic omnibus modis agit ut justos a via Dei retrahat. *Actiones* autem dicit opera manuum, quia manibus operamur. Illud vero quod sequitur. *Convertantur*, etc., non est imprecatio, sed divini judicii concessio de hoc quod Spiritus agilitate videt esse futurum, ut inveniat illud justum esse, et sic continuatur : Dico quod gentes in interitu hic infixæ sunt, in futuro vero convertentur peccatores *in infernum*, id est, ab hoc judicio excæcationis venient in judicium infernæ damnationis, et quandoquidem futurum est, *convertantur peccatores, in infernum*, et exponit quos vocet *peccatores* sic : *Omnes gentes* scilicet *quæ obliviscuntur Deum*, id est quæ cum audiant prædicationem ejus, tradunt oblivioni, nec est eis cura obediendi, et quod convertentur probat ab opposito, cum dicit : Inde scio quod convertentur, quoniam *non erit oblivio pauperis* tendentis *in finem*, id est in perseverationem bonorum operum, id est non peribit patientia pauperum, id est remuneratio patientiæ pauperum tendentium in finem. Quod est dicere : Inde scio quod damnabit peccatores : quoniam remunerabit pauperes, id est justos, vel non erit oblivio pauperis in fine mundi, et si modo videatur esse eorum oblivio. Vel sic : Si non invenitur paupertas oblivionis a principio usque in finem, non invenietur aliqua oblivio pauperis.

Cum autem dicit : *Exsurge, Domine, non confortetur* : Prævidens spiritu prophetico tribulationem, quanta nunquam fuit in tempore Antichristi, futuram, orat pro perseveraturis in tribulatione illa ne deficiant, et hoc non superiori litteræ, sed sententiæ sic continuatur. Dixi superius quod impii persequuantur hic justos, et laqueis blanditiarum et humiliatione tribulationum, et non solum in hoc tempore erit istud, sed etiam quidam surget in diebus novissimis, Antichristus scilicet qui se Deum faciet, et homo simpliciter erit diabolo plenus, qui tuis multas inferet tribulationes. Et, o Domine, *exsurge* in auxilium tuis, ne confortetur homo ille super tuos, id est ne Antichristus qui simpliciter erit homo et non Deus, fortis inveniatur ad hoc ut convincat tuos, et quamvis dicam *non confortetur* super tuos, tamen concedo quod *gentes*, id est gentiliter viventes, *judicentur in conspectu tuo*, id est excæcentur seductione ipsius : et cum hoc non appareat illis : hoc erit certum in conspectu tuo. Vel *judicentur*, id est excæcentur *in conspectu tuo*, id est in anima quam tu solus conspicis. Quasi dicat. Quamvis orem ne confortetur super justos, concedo tamen : quod excæcandi ab eo per justum judicium tuum excæcentur, et exponit qualiter concedit ut judicentur. Concedo quod *judicentur*, id est *constitue, Domine*, qui potens es, *legislatorem super eos*, id est quia legi veritatis tuæ noluerunt obedire, pro malis meritis eorum *constitue super eos*, id est permitte dominari super eos Antichristum qui sit eis lator legis mendacii et excæcet eos. Et tandem in die judicii, *gentes*, id est obeditores ejus gentiliter viventes, *sciant quoniam homines sunt*, id est cognoscant, cum juste damnabuntur, quoniam simpliciter homines sunt non deificati per Antichristum, sicut ipsi putabant.

Cum autem addit : *Ut quid Domine*, etc., facit quæstionem quam aliquis facere posset, et, ut ipse solvat ; et sic continuatur. Oravi ne confortetur, cum sciam quod multum eos persequetur. Et cum permiseris persequi, o Domine, *ut quid recessisti?* id est videberis recedere longe a tuis ? 27 Et exponit quomodo. Id est *ut quid despicis* : id est videberis despicere tuos inauditos : in tribulatione inferenda

www.libtool.com.cn

ab Antichristo. *In opportunitatibus*, id est in qua tribulatione opportunum erit ut eis auxilieris? Facta quæstione, sequitur solutio sic : Ideo scilicet videberis despicere, ut permittas in eos Antichristum superbire : quia *dum superbit*, id est superbiet impius, id est Antichristus : antonomastice impius : *incenditur pauper*, id est purgabitur a residuis sordibus per incendia tribulationum : sicut aurum incendendo purgatur : pauper propter Deum, id est fidelis. Quod est dicere : Ideo permittes superbire, ut tui per ejus tribulationem probentur : et adhuc alia de causa, hac scilicet : *dum superbit* : complices ejus qui cum eo superbiunt, *comprehenduntur*, id est comprehendentur, id est decipientur : sicut aves quæ in laqueo comprehunduntur : *in consiliis quibus cogitant*, tuos comprehendere ; quasi dicat : Non solum ille damnabitur, sed et ejus fautores, quia alios interficere et in anima et in corpore meditabuntur, pro talibus consiliis *interficientur*, id est magis excæcabuntur. Et addit causam qua ipse superbiet : Sic. Dico quod impius superbiet : et hoc ideo quia ipse *peccator* antonomastice *laudatur*, id est laudabitur a complicibus suis *in desideriis animæ suæ* completis, id est ideo superbiet, quia laudabunt eum de completione desideriorum ejus in tribulatione fidelium : sicut alibi dicitur : « Linguæ adulantium alligant animas in peccatis. » Et non solum laudabitur : sed ipse *iniquus* antonomastice *benedicitur*, id est benedicetur, id est adorabitur ab eis.

Et quia superbiet peccator (antonomastice) *exacerbavit*, id est exacerbabit *Dominum peccator*, id est quia dicendo se Deum blasphemabit Deum, sic ex dulci reddet sibi acerbum Et ideo *Dominus non quæret eum*, id est non faciet converti secundum multitudinem iræ suæ, id est vindictæ suæ. Quasi dicat : Quia multum iram ejus promeruit, *non quæret*, eum Deus. Quod dicit *quæret* : a similitudine dicit pastoris, qui errantem ovem donec ad ovile reducat, quærit Et ideo adhuc non quæret, quia *non est Deus in conspectu ejus*, id est in consideratione mentis ejus, id est non considerat eum misericordem ut pœniteat. Et ideo adhuc quia *viæ illius*, id est operationes ejus ad mortem *inquinatæ sunt*, id est a vitiis sordidatæ erunt ; et hoc *in omni tempore vitæ* ejus. Et ideo adhuc non quæres eum, Domine, quia *auferuntur*, id est auferentur *judicia tua a facie ejus*, id est a cognitione ejus. Adeo scilicet excæcabit eum vanitas sua, quod non cognoscet te in futuro justo judicio malos remuneraturum. Et ideo quia auferuntur judicia tua a facie ejus, et non putabit se damnandum, *omnium inimicorum suorum*, id est illorum qui noluerunt ei obedire, *dominabitur* : non in anima, sed in corpore tormentando. Et vere dominabitur ; *Dixit enim in corde suo*, id est cogitabit hoc in corde suo : Oportet me dominari. Nam *sine malo*, id est sine tribulatione justorum : *non movebor a generatione* hac, quæ me jam colit : *in generationem* illam quæ me adhuc non colit. Quod est dicere : Nisi mihi resistentes tribulavero, non extendi turdominium meum a cognoscentibus in non cognoscentes. Vel aliter, dixit in corde suo : Secure possum dominari. Nam *non movebor unquam a domino meo*, id est non inquietabor ab aliquo, sed ero sine malo, a generatione hac usque in generationem futuram tendendo, id est semper : hoc dicet in corde suo ille, *os cujus maledictione plenum est*, id est erit *amaritudine*, id est blasphemia in Deum, cum se solum dicat Deum. *Et dolo* in sanctos, id est blanditiis quibus eos devorare cupiet. Et *sub lingua ejus*, id est in corde est *labor et dolor*, id est erit cogitatio quomodo faciat eos laborare et dolere. Sub lingua dicitur cogitatio cordis, per similitudinem ; sicut ea quæ in arca sunt, dicuntur 28 esse sub clavi. Lingua enim clavis est secretorum cordis. Et hoc totum est ac si diceret : Multum temere dicet in corde suo : Non movebor : cum os ejus sit futurum plenum amaritudine et dolo, et ideo dignus sit futurus pœna Dico quia os ejus plenum erit dolo : et hoc non horarie. Neque solum erit plenus dolo, sed ipse *sedet*, id est sedebit, non stabit, id est multum morabitur *in insidiis* blanditiarum, *cum divitibus in occultis*, id est cum fautoribus suis, qui sicut ipse erunt divites : multum abundantes in vitiis quæ sunt omnibus occulta. Et ad hoc sedet, id est sedebit, *ut interficiat innocentem*. Ita scilicet, *oculi ejus respiciunt*, id est respicient. *In pauperem* est, id finget se misereri ipsi pollicendo multa, ut eum seducat. Quod vero dicit, *Oculi ejus in pauperem respiciunt*, per similitudinem dicit. Cui enim aliquis miseretur, eum oculis benigne respicit : Dico quia oculi ejus respicient. Et sic *insidiatur*, id est insidiabitur, *in abscondito*, id est abscondendo perfidiam suam, et fingendo se misericordem, *quasi leo in spelunca sua* latens insidiabitur dico : ad hoc *ut rapiat pauperem* ad conformitatem sui. Et quia rapere non solet dici, nisi quando aliquid vi capitur et insidiis, addit : *Rapere pauperem* dico, *dum attrahit eum* blanditiis. Quod est dicere : Merito dico rapere cum ad hoc idem intendat blanditias ad quod intenderet per vim ad eum sanctum sibi incorporandum. Et si blanditiis trahere nequiverit, *humiliabit*, id est dejiciet et affliget eum in *laqueo suo*, id est in tribulatione quæ ipsi erit laqueus, id est illaqueatio excæcationis. Ideo enim magis a Domino excæcari permittetur. Dico, humiliabit.

Et *cum dominatus fuerit pauperem* affligendo, *inclinabit se*, id est dejiciet in mortem æternam. Et quia obscure dixerat *Inclinabit*, exponit sic. Inclinabit se. Et post, idem *cadet* per hoc in mortem. Et subdit duas causas quare dominabitur sic. *Vere dominatus fuerit*. Dixit enim, id est cogitabit in corde suo : Secure valeo dominari. Nam *Deus oblitus est* eorum : nunquam eis auxiliabitur. Et ideo adhuc, quia *avertit*, id est avertet *faciem*, id est cogitationem *suam in finem* aversionis, id est quantum potest avertere, ne videat persecutionem quam eis infero, ut ulciscatur. Quasi dicat ; Secure dominari possum : quia Deus non adjuvabit eos, neque me ideo puniet.

www.libtool.com.cn

Cum vero dicit : *Exsurge, Domine Deus,* etc., reddit singula singulis : sic. Antichristus dicet, Oblitus est Deus, et avertit faciem : sed tu, Domine, qui potens es. Et tu, Deus, qui justus es, exsurge, id est potens appare, qui impotens videris. Et exponit ad quod exsurgat : contra hoc scilicet quod ipse dicet : avertit faciem : exsurge adhuc ut *exaltetur manus tua* super eum, id est magna appareat vindicta tua, damnatio ejus scilicet. Quod dicit, *exaltetur*, a similitudine illius dictum est, qui manus exaltat ut vehementer aliquem feriat. Ac si dicat : Valde eum damna. Et hoc non est imprecatio, sed concessio. Et contra hoc quod ipse dicet : *Oblitus est Deus.* Exsurge in auxilium *ne obliviscaris pauperum*, id est fidelium tuorum. Et si visus fueris oblitus fuisse dum tormentabuntur, ne obliviscaris tamen in perpetuum : Quasi diceret : Eripe eos quandoque.

Dum dicit : *Propter quid*, etc, increpat Antichristum, quia promittet Deum se non remuneraturum : cum in hoc injustus esset si non remuneraret eum. Et hoc sic dicit. Ipse dicet : *Deus avertit faciem suam*, id est non ulciscetur. Propter quid rationis, *irritavit*, id est irritabit *impius*, antonomastice, *Deum*, id est blasphemando irritabit, dicens eum injustum et non remuneraturum. Et vere irritabit. Dixit enim, id est dicet in corde suo : Deus *non requiret* a me ultionem : secure possum dominari. Et hoc est ac si diceret : Propter quam rationem irritabit blasphemiis suis impius ille Deum, dicens in corde suo : Non requiret. Nullam rationem habebit. Inde scilicet facit apostropham ad 29 Deum annuntians Antichristi sectarumque ejus damnationem, ut deterreat auditores a conformitate ejus, sic dicens : O Deus ipse et qui ejus erunt dicent ; Deus non requiret : sed tu jam *vides*, in dispositione tua, *ut tradas eos* in futuro, *in manus*, id est vindictas *tuas*, in mortem scilicet æternam. Et vere scio, quia vides : *Quoniam tu* qui omnia conspicis, *consideras laborem et dolorem* quem facient fidelibus tuis ; quod est dicere : Cum justus judex sis : et videas laborem et dolorem quem iujuste tuis inferunt, non poteris non ulcisci. Et ipse dicet : Oblitus est Deus ; et econtrario, *tu eris adjutor*, id est remunerator, *orphano*, id est fideli pro te assidue patienti, cujus pater diabolus quantum ad eum mortuus erit : et infidelitas quæ fuerit mater ejus. Et merito eris ei adjutor. Nam *tibi derelectus est*, id est commissus erit a Deo patre *pauper* ille. Orphanus et pauper hic pro eodem accipiuntur. Vel derelictus est tibi pauper, id est ipsemet pauper derelinquet se tibi, id est committet se auxilio tuo nil in se confidens. Hoc vero quod dicit, *contere*, et cæt., concessio est ex prophetica providentia sic facta. Dixi : quia vides ut tradas in manus tuas in futuro. Et non solum in futuro damnes : sed hic ad præsens *contere*, id est ex toto destrue *brachium peccatoris et maligni*, id est potentiam ejus quæ extenditur et fortis est ut brachium. Ejus dico : qui peccator erit quantum ad illos quos male tractabit. *Et malignus*, id est steri-

A lis : quantum a se qui nullam virtutem habebit. Et necesse erit ut cito conteras : Nam *quæretur* a multis *peccatum illius, et non invenietur*, id est ideo valde decipiet quia bonus videbitur : et multi quærent an forte possint in eo invenire peccatum ; et cum non poterunt invenire, adquiescent ei. Ideoque necesse est ut cito conteras ne omnes decipiat.

Cum vero dicit : *Dominus regnabit*, etc., apostropha est ad fideles ne timeant : nam post mortem corporum, regnabit in is Dominus *in æternum*. Et hoc sic continuatur. Ego dixi Contere : et vere conteretur. Dominus autem regnabit in vobis, o fideles, id est, regnum suum faciet vos, et hoc in æternum solet poni pro spatio quod est in finem mundi, determinat sic. Dico in æternum. Et (pro scilicet) *in*

B *sæculum sæculi*, hujus subsecutivum id est semper. Postea facit apostropham ad impios, ut terrendo devoceat eos ab impietate sua : sic. In bonis regnabit Dominus ; vos vero gentes, id est impii gentiliter viventes, *peribitis* de terra illius, id de consortio terræ *illius* separati ; id est de consortio sanctorum, quos ipso excolit sicut aliquis terram suam. Juxta Evangelium : « Separabit oves ab hædis (*Matth.* xxv, 32) : » Dico, quia vos gentes peribitis. Et hoc patet ex opposito. Nam *desiderium pauperum* suorum *exaudivit Dominus*, id est exaudiet, id est ostendet se exaudivisse cum remunerabit. Et exponit quod desiderium : faciens apostropham ex nimia affectione, scilicet *preparationem cordis*

C *eorum*, id est desiderium quod non habebunt a se, sed tu præparabis in cordibus eorum. *Audivit*, id est audiet *auris tua*, id est potentia misericordiæ tuæ, quæ merito auris dicitur. Sicut enim aliquis per aurem, ita Deus audit per misericordiæ potentiam. Et hoc est ac si diceret : Indé potestis videre quod peribitis, o gentes, quia justi salvabuntur. Vel aliter continuatur. Dixit : quia Dominus regnabit in suis, et verum est, quia auxidivit, id est exaudiet Dominus desiderium pauperum, qui cum magno desiderio regnum ejus petunt, quod desiderium non habebunt a se : sed *preparationem cordis eorum audivit*, id est audiet *auris tua*, id est illud desiderium audiens quod in eis præparasti : et in hoc commendat ejus misericordiam : quia non solum bene

D desiderantes audit, sed etiam bene desiderare facit. Et exponit illud desiderium sic. Dico desiderium pauperum exaudiet, scilicet quod desiderant judicare pupillo et humili. Et bene ponit. Non pupillum et humilem, sed *pupillo et humili*, id est desiderant ut tale judicium facias quod sit utile pupillo 30 et humili, id est fideli : qui pupillus est mortuo patre suo diabolo : et humilis est erga te. Et exponit judicium quod desiderant : scilicet quod homo perditionis qui non erit Deus, id est antichristus, *non apponat ultra magnificare se*, tormentando super terram Dei, id super corpora sanctorum quæ sunt terra Dei. Bene ponit *apponat*, id est ille qui hic *super terram*, id est super corpora sanctorum, non super animas magnificus in tormentis fuerit ; huic magni-

www.libtool.com.cn

ficentiæ *non apponat*, id est non adjungat aliam magnificentiam, ut iterum dominetur eis.

IN PSALMUM X.

Sequitur titulus decimi. *In finem Psalmus David.* Titulus iste intentionem psalmi specialiter non designat. Omnibus enim psalmis convenire potest. Qui sic exponitur : Psalmus iste attribuendus est David, id est perfectæ Ecclesiæ : tendenti in finem, id est in perseverationem bonorum operum. Vel in finem, id est in Christum. Et est vox perfectæ Ecclesiæ increpative loquentis ad hæreticos, qui eam decipere volunt. Ostendentis qualiter ad decipiendum bonos Scripturam sacram pervertunt, ut minores ab eis cavere doceat. Ostendit etiam, ad exhortationem bonorum, ipsos a Deo inadjutos non relinqui : eorum vero insidiatores justo et occulto Dei judicio excæcari. Et hoc sic dicit.

In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer. Quod sic exponitur. Vos, hæretici, *animæ meæ*, id est saluti animæ meæ nocere volentes, *quomodo*, id est qua ratione *dicitis mihi : Transmigra*, id est de humilitate sententiæ tuæ migra *in montem*, id est altam subtilitatem sententiæ nostræ. Tu, dico, qui nunc es *sicut passer*, id est inconstans et trepidans ad argumentationes nostras, sicut passer ad sonitum trepidus est. Vel. *sicut passer*, id est transmigra ut sis sicut passer qui in altis habitat. Quomodo ergo dicitis ut transmigrem in montem : cum ego confidam in Domino, qui mons firmus est, et me decipi a vobis non permittet : Quod est dicere : Frustra et sine ratione hoc dicitis. Et quia posset quæri cur hoc dicat, exponit sic. Ecce disseram cur hoc dixerim. *Quoniam peccatores* (antonomastice) hæretici scilicet *intenderunt*, id est intensum et bene subtiliter expositum fecerunt *arcum*, id est divinam Scripturam. Non ubique sed alicubi : quæ Dei arcus est, sicut in septimo psalmo dictum est. Et sicut *paraverunt sagittas suas*, id est sententias pravas quæ interficiunt ut sagittæ, quæ sunt eorum, id est ab eis inventæ, non a Spiritu sancto datæ : dico *paraverunt*. Et hoc *in pharetra*, id est in mala conceptione sua, quæ sicut pharetra sagittas, ita ipsa continet sententias. Quasi dicat : Ideo intenderunt, id est bene alicubi exposuerunt, ut sic sententias suas latenter admiscerent. Vel : *Intenderunt arcum*, id est pro modo suo distorserunt ex exposuerunt : et sic *paraverunt*, id est protulerunt *sagittas suas* aptatas *in pharetra*, id est in mala conceptione sua. Et ad hoc paraverunt ut in occulto, id est in occulta calliditate, mentiendo scilicet eas bonas esse, *sagittent*, id est in fide interficiant, *rectos corde*. Et quod ipsi intendendo arcum sagittas parant, non est culpa ipsius arcus, sed illorum. *Quoniam quæ perfecisti*, Scripturas scilicet divinas, quas tu perfectas fecisti, *destruxerunt* quantum ad se, non quantum ad ipsas, id est male exponendo perverterunt. *Justus autem quid fecit* Dominus ? id est cum justum sit ut suis auxilietur, et ipse justus sit, quid fecit de suis ? Permisit eos inadjutos? Hanc quæstionem ex benevolentia facit, ut postmodum solvat. Quæro quid fecit : quod sic solvitur. Ipse fuit et est *in templo sancto suo*, id est in fidelibus qui sunt templum ejus. ut ait Apostolus : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III) » Et sicut Dominus, id est, ita est in eis ut dominetur, ut regat ne decipiantur, dico: est in templo. Et hoc non horarie : sed *sedes ejus*, id est 31 diuturna, et æterna habitatio ejus, est *in cœlo*, id est in ipsis fidelibus, qui non solum templum sed etiam cœlum dicendi sunt, id est in virtutibus excelsi, et compluentes minores doctrina sua, sicut cœlum terram compluit. Et adhuc dicit illud idem aliis verbis, ut interponat causam, dico: Est *in cœlo* et *oculi ejus*, id est misericordia per quam cum videt, *respiciunt in pauperem*. Quod est dicere : Ideo quia cœlum est pauper propter eum, et tali defectione se habens erga eum, quali pauper se habet erga divitem. Respicit in eum oculis misericordiæ id est misericorditer adjuvat eum. Quia vero supra posuerat : *Detruxerunt quæ tu perfecisti*, posset quæri cur Deus voluerit Scripturas adeo esse obscuras, ut sic valeant perverti: huicque satisfacit ita petitioni. Dico : *Destruxerunt*, et ideo taliter obscuras esse voluit ut possint perverti : quia *palpebræ ejus*, id est Scripturæ, dictæ palpebræ-eo quod ad modum palpebrarum modo clauduntur ut malos excæcent, modo aperiuntur, ut bonos illuminent, *interrogant*, id est probant, filios hominum. Interrogare ponit pro probare, ex quadam affinitate : quia probatio interrogationem sequi solet. Et quia dixerat, *Interrogant filios hominum*, ostendit per partes, sic : Vere per palpebras, interrogat, Dominus filios hominum. Nam *Domins interrogat*, id est probat, *justum et impium* per palpebras, id est munifestos facit aliis : hunc excæcando sic ut alios ad errorem trahere cupiat : illum illuminando sic ut alios illuminare satagat. Dico, quia probat justum et impium, Ille *autem qui diligit iniquitatem*, id est impius, *odit animam suam*, id est salutem animæ suæ, scilicet sanas sententias. Et bene dicit, *Diligit*, id est, qui quamvis non semper queat operari, semper tamen male operari diligit. Et hoc ideo ponit, ut descriptione ostendat quem dicat impium : illum scilicet qui diligit iniquitatem. Et ideo adhuc et consequenter sic addat : ergo quia odivit animam suam, sanas scilicet sententias, merito *pluit* Deus *super peccatores* (antonomastice), id est super hæreticos, laqueos, id est, merito dat eis tales pluvias, id est Scripturas quæ sint eis laquei, id est decipientes et excæcantes. Scripturæ vero dicuntur pluviæ per similitudinem : quia sicut pluviæ, cum in bonam terram cadunt, fructum optimum generant; cum vero in malam, tribulos et spinas procreant : sic et Scripturæ in bonis, virtutum lumen : in malis vero cæcitantem operantur. Et non solummodo pluet laqueos, sed *ignis et sulphur et spiritus procellarum* est *pars calicis eorum*, id est inebrialionis eorum, in est inebriabit et replebit eos *igne*, id est

www.libtool.com.cn

nimio ardore pervertendi Scripturas. Et *sulphure*, id est fetore depravationis ipsarum Scripturarum. Et *spiritu procellarum*, id est nimia garrulitate quæ generat procellas, id est perturbationes in Ecclesia: sicut *spiritus*. id est ventus in mari procellas procreat; vel ignis potest poni pro ardore avaritiæ; sulphur vero pro fetore pravæ actionis qua corrumpitur proximus: et spiritus procellarum, pro illa æterna damnatione quæ fiet per administrationem malorum spirituum: qui ministri sunt procellarum, id est tribulationum. Quasi dicat: Non solum pluit laqueos pro malis meritis eorum, sed etiam hic replet eos igne et sulphure; in futuro vero spiritu procellarum inebriabit. Sequitur: *Quoniam justus*, etc.; quod sic continuatur: Dixi quod *Dominus in templo*: et *in cœlo sedes ejus*: et *oculi ejus in pauperem respiciunt*. Et merito. *Quoniam justus Dominus*: *et* ideo *justitias dilexit*, id est, cum sit justus judex, non potest non diligere justitias, id est auxilia suorum, Et bene ponit *dilexit*. Cum summa enim dilectione suis auxiliatus est et semper auxiliabitur. Ergo, ut dixi, pluit super peccatores laqueos. Et merito, quoniam justus est. Et ideo *vultus ejus*, id est vultuositas vindictæ ejus, *vidit æquitatem*, id est impiorum æquam excæcationem. Ac si dicat: Non potest non pluere laqueos; quod æquum est, cum ipse justus sit.

32 IN PSALMUM XI.

Titulus undecimi. *In finem pro octava*, *Psalmus David*: quod sic exponitur: Psalmus iste attribuendus est David, id est, collectioni fidelium quæ fuit ante adventum Christi: Daxid dico tendenti in finem, id est in conformitatem finis, Christi scilicet, qui finis fuit prophetiæ et legis. Vel in finem, id est perseverantiam. David dico agenti pro octava, id est pro desiderio quietis æternæ: in octava die futuræ. Introducit hic propheta fidelium collectionem, qui ante Christi adventum fuerunt: orantem Deum ut mittat quem missurus est; per quem homines qui per Adæ peccatum et defectum æternam requiem amiserunt, salvabuntur. Orat etiam ne conformetur exemplo malorum, vanitates consectantium. Ostsndit quoque qua fiducia oret, hac scilicet, quia Deus Pater per Spiritum sanctum Filium suum jam eis promisit; et horum verba ideo introducit propheta, ut nos instruat vehementem erga eum habere amorem, cum tantam nobis proferat illorum affectionem. Et hoc sic dicit:

Salvum me fac, Domine, id est, Domine, qui potens es, me non repugnantem præcepto tuo sicut Adam, sed obedientem salvum fac, id est, mittendo quem missurus es, salva me: reducendo ad octavam diem quam amisi. Et necesse est ut hoc orem, *quoniam sanctus*, id est Adam, quem tu sanctum fecisti, ad imaginem scilicet et similitudinem tuam, defecit in præcepto tuo: ideoque se omnesque nos pessumdedit. Et ideo adhuc tantopere oro, *quoniam a filiis hominum*, id est a Judæis, qui filii prophetarum fuerint aliorumque fidelium, qui homines, id est rationales fuerunt, *diminutæ sunt veritates*, id est minorati sunt appetitus æternorum bonorum quæ vera sunt et certa. Quod est dicere: Ipsi qui exemplo patrum suorum æterna bona expetere deberent, de die in diem minus et minus expetunt, et exemplo suo me revocare volunt; ideoque necesse est ut sic orem. *Diminutæ sunt veritates a filiis hominum*. Et non eis sufficit minuere veritates in se et vanos esse, sed etiam *vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*, id est locuti sunt ad proximos suos illa quæ vana sunt, ut sibi conformes facerent scilicet, dixerunt hæc terrena summa bona esse: quæ vana sunt. Quia vero generaliter dixerat *unusquisque*, ostendit hoc per partes, sic: Dico unusquisque locuti sunt vanitatem; et verum est: nam quidam existentes *labia dolosa locuti sunt in corde et corde*, id est in duplici corde. Non quod duplex cor habeant: sed quia aliud habent in corde, dum vere intelligunt hæc præsentia, summa bona non esse; et aliud ore mentiuntur se habere in corde: hæc scilicet summa bona. Et ob hoc dicuntur duplex cor habere et dolosi, cum aliud cogitent, et aliud fingant. Quod autem ponit *labia dolosa*, emphatice dicit. Aliam vero partem illorum qui vanis inhærent hujus mundi bonis, utpote qui hæc vera bona falsis rationibus probant, et sicut probant credunt, inquit, ubi subsequenter ponit: *Qui dixerunt*: *linguam nostram magnificabimus*: sed interponit orationem sic: Dico quia labia dolosa locuti sunt vana. Et ne amplius loquantur vana, disperdat Dominus universal abia dolosa, et linguam magniloquam etiam. Non erat ut habentes labia dolosa et linguam magniloquam disperdat, sed dolositatem et magniloquentiam eorum ne sibi et aliis noceant. Et exponit quos dicat habere linguam magniloquam sic: Linguam magniloquam dico illorum *qui dixerunt*, id est, inter se statuerunt: *Magnificabimus*, id est magnam et gloriosam faciemus *linguam nostram*, id est facundiam nostram. Et hoc bene facere possumus. Nam *labia nostra a nobis sunt*, id est, facundia nostra ex nostra parte est, id est nobis ut illis valde est. Non est parva nec ullis: sed ampla est et insignis. Ideoque multum possumus eam magnificare et extollere. Et cum labia nostra a nobis sint. *Quis noster Dominus est*, id est, Quis dominabitur 33 et prævalebit facundiæ nostræ? Nullus. Sed magniloquos dicit illos, qui cum hæc sola præsentia credant, non etiam futura, ab hoc omnimodo laborant ut beati et facundi hic appareant. Et quia superius oraveral: *Salvum me fac*; posset queri, qua fiducia oret illud quod digne per Adam amisit. Et ad hoc respondet sic: *Oravi*: *Salvum me fac*. Et hoc bona fiducia dixi. Nam Dominus pater dixit mihi per Spiritum sanctum interius in mente: *Nunc*, id est ad præsens post parvum tempus, *exsurgam in auxilium*. Et hoc faciam *propter miseriam inopum et gemitum pauperum*, id est propter miseriam passibilitatis et corruptibilitatis in quam mei fideles devenerunt per Adam. Qui sunt inopes, id est sine ope, id est nullius sunt ope, nisi mea

www.libtool.com.cn

liberandi. Et pauperes sunt, id est humiles erga me, sicut pauper erga divitem. Et ideo exsurgam : quia non excusant se de miseria sua ut Adam, sed humiliter pro ea gemunt. Et exponit quomodo exsurget. Dico : Exsurgam et illud exsurgere, id est illud auxilium, *ponam in salutari*, id est in Christo Filio meo, qui erit salutaris, id est salus pauperum, sicut Isaias ait : « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Dico *Ponam in salutari* : et cum posuero, *fiducialiter agam in eo*, id est per eum secure voluntatem meam operabor. Non enim deficiet sicut Adam defecit. Et non in eo solo, sed et in prædicatoribus ejus fiducialiter agam. Nam *eloquia Domini*, id est prædicantes eloquia Filii mei, quem ego Dominum in rebus constituam, sunt *eloquia casta*, id est nulla falsitate corrupta : a similitudine virginis, quæ dicitur casta, cum nondum sit virili labe corrupta. Et sunt *argentum*, id est nitentes in prædicatione sicut argentum nitidum est. vel *argentum*, id est bene resonantes in doctrina sua, sicut argentum præ cæteris metallis omnibus clare resonat. *Argentum*, dico *examinatum igne*, id est probatum sancto Spiritu, qui jure dicitur ignis, eo quod pectora fidelium inflammando, fide et charitate ardentia facit; juxta illud Dominicum: » Ignem veni mittere in terram, et quid volo aliud nisi ut ardeat ? (*Luc.* XII, 49.) » Et exponit unde sit examinatum, sic : Dico *examinatum igne*, scilicet *probatum terræ*, id est probatum et purgatum a terra, id est ab omni terrena sorde. Et exponit quomodo per ignem sit probatum, scilicet *purgatum septuplum*, id est per septem dona illius ignis : interposito hoc quod ipsi a Domino specialiter dicitur; et ex nimia lætitia facit sic apostropham ad eum. Quandoquidem hoc promisisti, vere secura sum : quia *tu, Domine, servabis nos*, etc., quod in sequentibus exponetur. Ubi vero dicitur: *eloquia Domini*, etc., possunt esse verba fidelium collectionis quæ superius locuta est; si sic dicatur Dominus dicit : *Ponam in salutari*, etc. Et ista *eloquia Domini sunt eloquia casta*, id est nulla falsitate corrupta. Et ut magis commendet, alia similitudine sic laudat: Et sunt *argentum igne*, etc., id est similia argento igne examinato, *terræ*, id est ab omni terrena sorde probato et purgato in fornace, *septuplum*, id est sæpius. Quod est dicere: Sicut argentum hujusmodi nitidum est, et omni sorde vacuum : sic et ejus eloquia nitida sunt et omni falsitatis labe carentia. Et quia sic nitida sunt et vera, et per ea nobis hæc promittis : *Tu, Domine*, qui per omnia verus es, *servabis nos*, id est salvabis nos in futuro, reducens in impassibilitatem per obedientiam illius salutaris. Et ut ad hanc salvationem pervenire possimus, hic interim *custodies nos a generatione hac* dolosorum et magniloquorum, ne ab eis incorporemur. Dico : *Custodies*, ducturus postea in æternum. Dico, quia nos custodies, ne simus dolosi, id est promittentes beatitudinem in temporalibus. *Impii* autem, id est dolosi et magniloqui, de quibus egi superius, *ambulant in circuitu*, id est similes sunt ambulanti in circuitu. Tam sicut ille nunquam perveniet ad finem, sic et illi dum in temporalibus beatitudenem quærunt, nunquam ad finem pervenient. Et hoc ideo ponit, ut ostendat eos occulto Dei judicio, ut in hoc juste pereant sic ditari. Et hoc sic addit : Dico : *Ambulant in circuitu*, id est in voluptate præsentium bonorum; et sic excæcantur. Et hoc non fit injusto judicio : sed tu, Deus, *secundum altitudinem tuam*, id est secundum altum et inscrutabile judicium tuum, *multiplicasti* præsentibus bonis *filios hominum*, id est prophetarum, aliorumque fidelium qui rationabiliter agere debuissent, et rationabiliter egerunt.

34

IN PSALMUM XII.

Titulus duodecimi : *In finem psalmus David* : quod sic exponitur : psalmus iste attribuendus est David, id est fidelium collectioni tendenti in finem, id est in Christum, vel in perseverantiam. Et introducitur eadem collectio quæ in superiori psalmo locuta est : suspirans præ nimio desiderio adventus Christi, et orans Deum ut cito illum mittendo per eum genus humanum respiciat. Non ideo tamen orat sic, quod certa non sit se nunquam eum visuram, sed quia hoc jam a Spiritu sancto concepit : quia mittetur sicut in superiori psalmo ostensum est : cum cupienti animo in hoc satis festinetur : orat ut in tempore suo veniat, ut eum corporeis oculis videre possit; sicut et Moysen legimus orasse Deum affectione nimia, quod contingere non poterat, cum dixit : « Ostende mihi faciem tuam et sufficit mihi (*Exod.* XXXIII, 18), » Orat etiam in hoc psalmo eadem collectio, ut a morte peccatorum criminalium ipsam liberet, ut in adventu ejus exsultare valeat. Et hic ad hoc introducit Propheta, ut nos ad ipsius dilectionem exemplo horum instruat. Et hoc sic dicit :

Usquequo, Domine, cui me servum feci, *oblivisceris me*, id est videberis oblivisci, non restaurando quod per Adam commisi ? Postea ipsamet respondet, ut minus perfectos doceat, quandiu oblivio ista sit duratura : hoc facies tu *usque in finem*, id est in Christum, qui venturus est finis prophetiæ et legis. Vel *usque in finem* temporum miseriæ nostræ, quando scilicet tempus plenitudinis veniet. Vel sic potest legi, quod non sit responsio, sed suspiratio. *Obliviscerис me in finem* oblivionis, id est quantum potest oblivio fieri, id est omni tempore. *Usquequo avertes faciem tuam* a me, id est ab oculis meis : quem mittere tardabis : et sic auferetur ne videam. Et hoc non ponit interrogando, sed gemendo. Facies dicitur Filius, eo quod per ejus visibilitatem Patris invisibilitas cognita est ; quemadmodum per faciem totus homo cognoscitur; sicut idem in Evangelio dicit : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem. » (*Joan.* XIV, 9.) *Quandiu ponam consilia in anima mea*, id est quandiu ego existens in hac dilatione, ero similis homini posito in angustia ; qui diversa consilia in anima ponit qualiter evadere possit : et quemadmodum ponam per diem unumquemque, id

www.libtool.com.cn

est quotidie *dolorem in corde meo*, quem habeo de hac dilatione? Per hoc quod dicit: Ponam per diem, innuit quod non semel ponebat, sed quotidie magis et magis. *Usquequo exaltabitur inimicus meus*, idem diabolus, *super me*, id est usquequo gaudebit de hoc quod per Adam, eo decipiente, amisi : et sic *exaltabitur super me*, id est reputabit se victorem, et me per Adam prostratum. Noli avertere diu faciem tuam : sed *respice* me per ipsam faciem tuam, mittendo eam. Et bene dicit : *Respice*, id est revisita : qui vidisti nos benigne in Adam quando impassibiles fecisti, postea vero visus es per ipsius peccatum oblitus fuisse. Et missa facie illa : *exaudi me* per eam reducendo ad vitam quam ut reddas sæpius oro. *Domine* qui potens es, *Deus meus*, cui non aufero locum divinitatis in me, sed tibi prout possum obedio. Videns hoc se nimio desiderio orasse, quod impossibile est, orat etiam quod contingere potest, sic : Quandoquidem certa sum quia non respicies sic, ut faciem tuam oculis corporeis videam, saltem *illumina* luce spirituali *oculos meos*, 35 id est oculos cordis mei, *ne unquam obdormiam* peccando : ita quod deveniam in mortem, id est in peccatum criminale, per quod venitur ad mortem *nequando*, id est in judicii die *dicat inimicus meus* diabolus : Prævalui *adversus eum*, id est devici eum. Non quod tunc loquatur cum incorporeus ipse sit, sed quia tribulatione quam malis inferet, eos se vicisse quasi verbis ostendet. Et ideo adhuc illumina, ne inimici, id est spiritus maligni exsultent, me criminaliter peccante, cum non deceat eos de me tibi subdito exsultare. Qui enim tribulant me prava suggestione, exsultabunt si motus fuero, a devotione tua in peccatum deveniens. Ego autem, id est sed ego ut immobilis sim. In misericordia tua speravi, et spero, et sperabo, non in me. Et quia hic, *In misericordia tua speravi*, et spero : *exsultabit cor meum*, id est anima mea *in salutari tuo*, id est in adventu Salvatoris Filii tui, qui me liberabit. Et ut tunc exsultare valeam, hic interim *cantabo Domino*, id est laudabo cum bona affectione quæ ipsi canticum erit, id est delectatio magna. Qui Dominus *tribuit mihi bona* ista, ut in sua misericordia sperem. Et non solum cantabo, sed etiam *psallam*, id est bene operabor. Et hoc non ad superbiam, sed etiam *nomini Domini altissimi*, id est ad honorem nominis ejus ut inde laudetur. Et merito. Altissimus enim est, id est Dominus dominorum : ideoque dignus est ut ejus nomini psallam.

IN PSALMUM XIII.

Titulus tertii decimi : In finem psalmus David, quod sic exponitur : psalmus iste est attribuendus David, id est Christo, respicienti in finem, id est in salvationem justorum, et in perditionem malorum, quod in fine mundi erit. Introducitur hic ipsum caput exprobrans in Judæos ; qui eum cum viderent, non ut Deum gloriæ susceperunt ; cum ostensum sit in superiori psalmo quanta affectione sancti patres eorum eum videre desideraverint. Ostendit etiam damnationem inde eis maximam perventuram, suis vero salutem perpetuam, ut sui ab eorum infidelitate prorsus deterreantur et ad ejus obedientiam intentius nitantur. Et hoc sic dicit.

Dixit insipiens, id est Judaicus populus, antonomastice, insipiens, cum prophetarum dictis de me non credat : *in corde suo* hoc inveniens, non a Scripturis hoc habens. *Non est Deus* iste homo. Juxta illud evangelicum : « Hic homo non est a Deo qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Et alibi : « Tu homo cum sis, facis teipsum Deum (*Joan.* X, 33). » Et ideo dixerunt : Non est Deus : quia *corrupti sunt* in mente sua, id est excæcati. Et ideo corrupti, quia *abominabiles*, id est exsecrabiles *facti sunt* Deo *in studiis suis* persistentes, id est in cogitationibus et operibus malis in quibus valde studuerunt. Quasi dicat : Quia in malis studuerunt, Deus eos exsecratus est et sic excæcavit. Quia vero dixerunt, Non est Deus : sed merito excæcati sunt, quod *non est* aliquis *qui faciat bonum*. Et repetit, ut plus exprobret. *Non est* aliquis qui faciat bonum, id est *usque ad unum*, perveniat, id est ad fidem mei qui unus sum, id est, singularis, incomparabilis. Nullus enim alius Deus est et homo. Et bene ponit : non est qui faciat bonum. Non est qui usque ad unum perveniat : eodem in Evangelio testante. « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV, 5). » Ipsi dicunt : Non est Deus : cum tamen *Dominus*, id est Deus mihi unitus : *de cœlo*, id est de re cœlo cœlorum, antonomastice, *prospexit super filios hominum*, id est Judæos. Et bene dicit, *prospexit super*. Nam qui aliquem de superiori domo per fenestram prospicit, superior est : non ex toto se abscondens, nec ex toto manifestans : ita et divinitatis clementia per Dominicum hominem se ex parte manifestavit inferioribus, cum tamen nulli cognita esset penitus. Et ad hoc prospexit : *ut videat*, id est videre faciat suos. *Si est* in Judaico populo aliquis *intelligens* Deum fide : *aut requirens* bona operatione. Vel sic 36 videat, id est qui prius providentia videbat, videat ipsa rei experientia : si est intelligens, etc., id est ad hoc venit ut inexcusabiles sint, sicut in Evangelio idem dicit : « Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem inexcusabiles sunt de peccato suo (*Joan.* XV, 22). » Dico, qui Dominus prospexit : ipsi autem *omnes declinaverunt* ab intellectu fidei. Simul, id est una cum hoc quod declinaverunt *inutiles facti sunt*, id est infructuosi et perniciosi sibi et aliis. Et vere inutiles sibi. Nam non est qui faciat bonum, non est qui usque ad unum perveniat, id est ad Christum ad me scilicet. Et vere inutilis aliis. Nam *guttur eorum*, id est vox procedens de gutture eorum : *est patens sepulcrum*, id est comparabilis sepulcro patenti. Sicut enim sepulcrum ad hoc patet ut corpus suscipiat et putrefaciat, ita et ipsa vox ad hoc patet, ut insontes incorporando, putridos in cogitatione et operatione reddat. Et non solummodo patent ad alios putrefaciendos : sed prius in me *linguis suis*,

www.libtool.com.cn

id est mendacibus et adulatricibus quibus digni erant *dolose agebant*, dicentes : « Magister, scimus quia verax es, etc. (*Matth.* XXII, 16). » Et cum dolose agerent, *venenum aspidum*, id est insanabile odium quod habebant, in me erat *sub labiis eorum*, id est in corde eorum, sicut dicitur per prophetam. « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isai.* XXIX, 13; *Marc.* VII, 6). » Et bene odium eorum dicit venenum aspidum : sicut enim qui venenum aspidum bibit, nunquam evadit; sic et ipsi odio quo pleni sunt non evacuabuntur donec moriantur. Dico : declinaverunt omnes : *quorum* omnium *os maledictione et amaritudine*, id est amara maledictione plenum est : sicut scriptum est: « Dæmonium habes (*Joan.* VII et XIII). » *Veloces* sunt *pedes*, id est affectiones *eorum ad effundendum sanguinem* meum, sicut scriptum est : « Et quærebant quomodo eum interficerent (*Ibid.*). » Affectiones dicuntur pedes, quod affectionibus graditur animus sicut pedibus corpus. Et bene dicuntur veloces : cum cum improvide interfecissent, nec etiam diem festum ex toto præterire exspectantes. Et hoc totum est ac si diceret : In hoc potest videri quia declinaverunt, quod os eorum plenum est maledictione, et veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem meum, ut ait Apostolus : « Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I. Cor.* II, 8). » Et quia declinaverunt, et tales et tales sunt *contritio et infelicitas*, id est infelix contritio in viis eorum erit, id est pro pravis operibus et cogitationibus eorum, quæ sunt eis viæ ad damnationem : veniet eis infelix contritio a Romanis scilicet, Domino eodem in Evangelio testante : « Circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te : et non relinquent in te lapidem super lapidem (*Luc.* XIX. 44). » Et quamvis propter declinationem veniat eis contritio: tamen cum tandem cognoscere deberent *non cognoverunt*, id est non cognoscent *viam pacis*, id est me qui sum via qua venitur ad pacem æternam, qui etiam sum pax æterna, sicut idem in Evangelio dicit : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIX, 6). » Et Apostolus : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Et ideo non cognoscent, quia *non est timor Dei ante oculos* mentis *eorum*, id est quia non timent Deum. « Initium enim sapientiæ timor Domini (*Eccle.* I, 16). »

Prædicta eorum contritione, ostendit etiam eorum damnationem cum increpatione suorumque remuneratione, sic : cum ipsi sint sepulcrum et dolosi et veloces ad effundendum sanguinem. Nonne *cognoscent omnes qui operantur iniquitatem*, id est, mortem meam, quæ inique infertur ab eis? Et *qui devorant*, id est incorporando devorare et interficere volunt, *plebem meam*, id est fideles meos, *sicut escam panis ?* id est quotidie, sicut esca panis quotidie devoratur. Et ideo operantur iniquitatem, quoniam *Dominum non invocaverunt*, id est ideo permisit eos Deus incidere in iniquitatem : quia non invocaverunt eum, id est non posuerunt eum Dominum et se servos. Et ideo adhuc operantur iniquitatem : quia *illic trepidaverunt timore ubi non erat*, id est non debet esse
37 timor : scilicet in amissione terræ, sicut in Evangelio legitur : « Quid facimus, quia hic homo multa signa fecit ? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent locum nostrum et gentem. » (*Joan.* II, 48). Nonne cognoscent, cum modo cognoscere nolint, omnes isti qui tales et tales sunt, quoniam *Dominus es in generatione ista*, id est gratia ejus semper : in generatione ista ut remuneret eos quandoque. Quasi dicat : Vere cognoscent ipsi quandoque : quod Dominus est nunc in justis, ut quandoque eos remuneret qui nunc eis apparent viles. Et ex opposito datur intelligi quod cognoscent, cum damnabuntur, quod Dominus in se non fuit. Modo facit apostropham ad eos, increpando sic : Vere devorare vultis plebem meam. Nam *confudistis*, id est confusibile judicastis, et adhuc judicatis *consilium inopis*, id est consilium plebis meæ quæ est inops, id est, egens propter me. Hoc consilium scilicet quod habent : *quoniam spes ejus* inopis, id est ille in quo ipse spem habet est *Dominus* omnium, id est in me quem Dominum rerum esse credit. Et quia posset quæri quis sit ille Dominus, quærit ipsemet ut solvat. Dico : *Dominus spes ejus est. Quis ?* id est quis est ille Dominus ? Postea describent eum sic : Ille Dominus natus *ex Sion*, id est ex Judaico populo secundum carnem : *dabit salutare*, id est salutem *Israel*, id est unicuique videnti Deum fide et contemplatione, id est hic salvabit Israel ab originali crimine : et in futuro *cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ*, id est corruptibilitatem et mortalitatem corporis, *exsultabit Jacob*, id est minus perfectus. *Et lætabitur Israel*, id est perfectissimus. Et bene per Jacob minus perfectus, per Israel vero perfectissimus designatur, Jacob enim *supplantator* : Israel autem *videns Deum* interpretatur. Minus perfecti vero solummodo supplantatores vitiorum sunt, nondum Deum in contemplatione videntes. Perfecti vero et vitia supplantant, et Deum jam in contemplatione vident. Quasi dicat : Ego sum ille Dominus qui hic Israel salvabo, et in future, avertendo captivitatem, Jacob et Israel lætari faciam.

IN PSALMUM XIV.

Titulus *quarti decimi* : Psalmus David, id est Christo attribuendus. Et introducitur Dominicus homo loquens, quia dixerat : Dabit salutare Israel, *et exsultabit Jacob et lætabitur* Israel, ne præsumeret quilibet qui solummodo Christiano nomine vocaretur se salvandum et lætaturum : intendit ostendere quis sit ille qui hæc habiturus sit. Et quoniam nullus sic lætaturus est, qui prius non sit hic in militia Christi : ex benevolentia quærit quis hic sit in militia ejus esse dicendus, et in futuro æterna requie lætaturus, ut postea solvat. Et ponit tabernaculum pro militia, quoniam tabernacula militantes facere solent. Et hoc sic dicit :

Domine, quis habitabit, id est hic assidue manebit

www.libtool.com.cn

in tabernaculo tuo, id est in militia tua ? Aut ita possum quærere : *Quis requiescet* in futuro *in monte tuo*, id est sublimi Hierusalem. Monte dico sancto, id est in quo nullus erit nisi sanctus? Sequitur solutio sic. Ille habitabit et requiescet *qui ingreditur*, id est graditur in vita ista *sine macula*, id est criminali peccato, id est qui est innocens : et qui *operatur justitiam*, id est qui est justus in opere. Non enim sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est. Et ostendit quid sit esse sine macula, id est innocentem esse : et quid sit operari justitiam, ponendo mistim aliquot partes innocentiæ et justitiæ. Dico quod ille habitabit et requiescet qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. Et illum intellige esse sine macula, id est innocentem, et operari justitiam, *qui loquitur veritatem in corde suo*, id est qui habet in conscientia cordis sui locutionem veritatis, id est cogitationem veræ fidei. Fides enim est fundamentum omnium virtutum, id est qui nec etiam errat 38 cogitatione in fide, sed veram fidem in corde loquitur, id est cogitat. Locutio enim cordis cogitatio est : et hoc pertinet ad justitiam. Juxta illud : *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). Et ille *qui non egit dolum in lingua sua*. « Dolosi et fraudantes, ut ait Apostolus, regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* VI, 9). » Non qui dolosi sunt ut laudant, sed ut aliquem lædant. Non agere vero dolum, pertinet ad innocentiam. *Nec fecit proximo suo malum* voluntate vel ab actu quod est innocentia. Et etiam *non accepit opprobrium adversus proximos suos*, id est non consensit, neque delectatus est de opprobrio illato proximis suis : quod etiam pertinet ad innocentiam. Et non solummodo non accepit opprobrium, sed etiam *malignus*, id est maligne agens in proximum *in conspectu ejus*, id est in consideratione mentis ejus *deductus est ad nihilum*. Non ad hoc ut nihil fiat, sed hoc considerat in mente sua quod ille qui a Christo vero esse maligne agendo secernitur : *ad nihilum*, id est ad non esse cum Christo deducitur. Juxta illud Apostoli : « Si charitatem (id est dilectionem) Dei et proximi non habeo, nihil sum (*I Cor.* XIII, 2). » Et hoc ad justitiam pertinet. Dico quod malignos deduci considerat ad nihilum. *Timentes autem Dominum*, id est cum casto timore servientes Domino *glorificat*, id est gloriosos reputat. Et hoc quidem justorum est. *Qui jurat proximo suo et non decipit.* Non est autem intelligendum quod quilibet jurare debeat, Domino in Evangelio dicente : *Non jurabis per cœlum, neque per terram, neque per caput tuum* (*Matth.* V, 36) : sed idem est ac si diceret : Qui similis est juranti proximo et non decipienti, id est sic veridicus est erga proximum, ut ille qui jurat et non mentitur : quod etiam justum est *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, quod ad innocentiam pertinet. Et non de sola terrena pecunia accipiendum est, sed etiam qui orationes, et si quod est aliud beneficium, pro Deo gratis proximis suis impendit. Juxta illud Dominicum : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X, 8). » Et qui non accipit *munera* ideo ut sit super innocentem, id est ut opprimat eum. Et hoc quoque innocentium est, ne accipiant. *Qui facit hæc* quæ superius ostendi, et his similia, *non movebitur* in hoc mundo a tabernaculo Dei : *in æternum* in futuro deducendus. Vel per supradicta possunt intelligi quatuor principales virtutes. Per hoc quod dicit *qui ingreditur sine macula, et non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos, et pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit*, denotatur temperantia, cum hæc omnia partes ejus sint. Per hoc vero quod dicit *operatur justitiam*, intelligitur justitia, cujus partes intermiscet cum subjungit : *Timentes autem Dominum glorificat, et qui jurat proximo suo et non decipit.* Per hoc autem quod dicit : *Qui loquitur veritatem in corde suo*, prudentia intelligitur. Et per hoc quod ponit, *ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*, fortitudo designatur.

IN PSALMUM XV.

Psalmi quinti decimi titulus : Inscriptio ipsi David, quod sic exponitur. Inscriptio tituli, id est victoriæ quæ in hoc psalmo continetur, attribuenda est David. Et non significanti David, id est prophetæ : sed ipsi David, id est revera significatio David scilicet Christo. *Ipsi* ponitur ad determinationem, sicut in Ezechiele. « *Ecce ego ipse requiram oves meas* (*Ezech.* XXXIV, 11). » Et bene in hoc loco titulus pro victoria ponitur, cum aliquando victoria titulo soleat designari, ut hoc titulo Christi victoria de Judæis designata est : « *Jesus Nazarenus rex Judæorum.* » Cum enim dicit *rex Judæorum*, notat Judæorum quosdam ab ipso convincendos, de malo scilicet in bonum reducendos, quorum rex futurus erat : de qua victoria in hoc psalmo agit. Orat enim hic Dominicus homo Deum Patrem, vel Trinitatem, ut conservet eum in passione ne cedat, ut inde victoria sequetur. 39 Et ob hoc orat, ut in tribulatione orare nos instruat. Agit etiam in sequentibus de conversione Judæorum, qui hæreditas sua futuri sunt, determinando quos hæreditatem suam esse dicat. Promittit quoque se Deum de passione et hæreditate sua benedicturum : ut et nos Deo tam in prosperis quam in adversis benedicere doceat. Agit insuper in fine de resurrectione et ascensione : ut in se sperantibus spem resurrectionis et immortalitatis exemplo sui tribuat. Et hoc sic dicit :

Conserva me in passione ne cedam, *Domine*, cui me servum feci. Et dignus sum conservatione, *quoniam in te speravi*, non in me. Et ideo, quoniam *dixi Domino*, id est statui in corde meo ad honorem tui, qui Dominus es, Deus meus es tu, non alius. Quasi dicat : Ideo dignus sum conservari, quia spem semper in te habui, et te Deum meum constitui. Non ideo tamen oro conservari, ut dicam te bonis illis egere, quæ humano generi per me exibenda sunt : peccatorum videlicet remissione et immortalitate, et impassibilitate; *quoniam* tu *non eges* illorum *bonorum meorum* ; sicut alibi dicitur. Ideo est verus Dominus qui non indiget servo et quo indiget ser-

vns. Et in hoc nobis exemplum præbet humilitatis, ne aliquo modo Deum salute et servitio nostro egere putemus : sicut idem in Evangelio dicit : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus (*Luc.* XVII). » Id est nihil utilitatis Deo afferentes. Vel sic : Vere es tu Deus : et icde hoc videri potest, quoniam non eges bonorum meorum. Et exprimit ipsa bona, faciens apostropham ad auditores, ut instruat eos, sic : Vere *non eget* ipse *bonorum meorum*, o auditores, hic scilicet quod ego mirificavi, id est mirificabo, id est miras videri faciam *omnes voluntates meas sanctis qui sunt in terra ejus*, id est spe in Jerusalem cœlesti quæ est terra viventium, de qua alibi dicitur : «Placebo Domino in regione vivorum (*Psal.* CXIV, 9).» Voluntates meas dico in eis complendas, id est, non solummodo voluntates meas eis miras videri faciam, sed etiam complere instruam. Et antea quam mirificem voluntates meas sanctis qui sunt in terra ejus, *multiplicatæ sunt*, id est multiplicari faciam *infirmitates eorum*, id est hoc cognoscere faciam, et confiteri quod multiplicatæ sunt infirmitates eorum ; ut ait Apostolus, in quo lex infirmabatur : « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut destrueret peccatum de peccato (*Rom*, III, 2) ; » et alibi : « Lex subintravit ut abundaret delictum (*Rom.* V, 20) : « Quasi dicat : In primis eis compunctionem dabo, ut cognoscant et confiteantur multas esse infirmitates suas ; sicut Jacobus ait : « Confitemini alterutrum peccata vestra (*Jacob.* V, 16). » Et postea quam cognoscent esse multiplicatas infirmitates suas, *acceleraverunt*, id est accelerabunt ad Deum fide et operatione. Et sic accelerabunt quod amplius *non congregabo*, id est congregari non faciam *conventicula*, id est congregationes, *eorum de sanguinibus*, id est pro sanguinibus fundendis. *De* causativum est, id est : ita ad fidem accelerabunt, quod amplius non faciam congregari ad eos carnales observantias complendas. Et postquam accelerabunt, *non memor ero nominum eorum*, id est ut improperem eis nomina quæ pro suis sceleribus habuerunt, scilicet non eos infideles et impios et cæteris aliis nominibus vocabo. Dico : Nec memor ero *per labia mea*, id est quando videbor agere labiis, dicens : « Discedite a me (*Matth.* XV, 41). » etc. Vel si dicamus eum non acturum labiis, sic exponemus : Nec memor ero nominum eorum. Et hoc manifestum *per labia mea*, id est per prophetas dictos labia mea, eo quod meas voluntates aperuerunt : sicut labia cordis voluntatem aperiunt, id est hoc jam manifestavi per prophetas meos. Juxta illud : « Si averterit se impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XVIII, 22). » Dico quod postea accelerabunt. Et adeo accelerabunt, 40 quod *Dominus* erit *pars hæreditatis meæ et calicis mei*, id est illi sancti, de quibus dixi : Mirificavi eos qui sunt hæreditas mea quos excolo. Et calix meus, id est inebriantes me bona vita sua, id est lætitia replentes : sicut optimus calix vini quem inebriat, lætitia replet. Nullam partem elegerunt nisi Dominum, id est nolunt esse in parte diaboli, sed in parte Domini ; sicut de Maria in Evangelio dictum est : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* X, 42). » Cum autem addit : « *Tu es*, etc., apostropham facit ad Deum ex affectione nimia : sic quasi gratias agens. Dico : *Dominus pars hæreditatis meæ*, quam per me secundum quod homo sum non obtinebo, sed *tu es*, id est revera manes immutabiliter ; juxta illud : « Esse Deo verum est et proprium. » Dico : *Tu es qui restitues* in beatitudine, de qua decidit per Adam, *hæreditatem meam*. Et hoc, *mihi*, id est ad honorem mei. Vel sic : Tu qui potens es et Dominus, es ille qui restitues mihi hæreditatem meam, quam habebam secundum quod Deus, et amisi per Adam ; sicut idem in Evangelio dicit : « Tui erant : et tu eos mihi dedisti (*Joan.* XVII, 6). » Et ne qualiscunque pro sola fide sine operibus in hæreditate illa se futurum esse præsumeret, determinat hæreditatem suam. Dico : Tu restitues hæreditatem meam. Et non qualescunque erunt hæreditas mea : sed *funes*, id est electiones, dispones. Sortes *ceciderunt*, id est cadent, *mihi*, id est contingent mihi, *in præclaris*, id est non eligam nisi illos qui erunt in virtutibus præclari. Funes vocat dispositiones suas per similitudinem, quia sicut funibus agri mensurantur et eliguntur, ita et Deus dispositionibus suis salvandos a perdendis eligit. Et bene dicit : *Ceciderunt* : dispositiones enim Dei incognitatæ sunt, sicut illæ quæ casu contingunt. Et quia dixerat *in præclaris*, cum quidam pannosi fuerint, posset quis dicere eos non esse præclaros ; ideoque sic addit : Bene dixi *præclari* : etenim hæreditas mea præclara est mihi consideranti non secundum exteriorem, sed secundum hominem interiorem. Et quia præclaram hæreditatem mihi restituit, *benedicam Dominum*, id est, magnificabo, *qui mihi tribuit intellectum*, id est consilium redimendi illam hæreditatem. Et insuper benedicam de hoc quod *renes mei*, id est Judæi parentes mei, de quorum renibus mater mea processit, *increpuerunt me* dicentes : « Vah ! qui destruis templum Dei (*Matth.* XV, 12) : » cæterasque blasphemias, id est, increpando persequentur me *usque ad noctem*, id est, usque ad mortis obscuritatem me deducentes. Dico quod me increpuerunt : ego autem *providebam Dominum semper in conspectu meo*, id est in consideratione mentis meæ providebo. Et bene et secure possum providere : *quoniam* hic ad præsens in tribulatione, *a dextris est mihi*, id est, in auxilium, *ne commovear* a bono proposito meo. Et bene dicit *a dextris* ; per dextram namque prosperitas : per sinistram autem adversitas designatur. Quasi dicat : Quia est mihi a dextris, id est propter, secure providere possum quod in futuro resuscitabit ; dico a dextris est. Et *propter hoc lætatum est cor meum*, id est anima mea. *Et exsultavit lingua mea*, id est exsultando proferet lingua mea : « In manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46). »

www.libtool.com.cn

Insuper et caro mea requiescet in sepulcro *in spe* resurrectionis, id est, ita quod, anima spem habebit carnem esse resuscitandam. Vel *caro mea*, id est, Ecclesia, quæ est corpus unum, cujus caput ego sum: *requiescet in spe* resurgendi : ut sicut ego surrexi, ita et ipsa resurgat. Et in hac spe requiescet, id est. multum delectabitur ; juxta illud Apostoli ; « Si credimus quod Jesus mortuus est et resurrexerit, ita Deus eo qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo (*I Thess.* IV, 14). » Et bene dicit Ecclesiam carnem suam ; sicut ait Apostolus : « Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : dico autem in Christo et in Ecclesia (*I Cor.* VI, 16 ; *Ephes.* V, 32). » Dico quod lætatum est cor meum : et exsultavit lingua mea. **41** Et merito, *quoniam non derelinques animam meam in inferno*, ut ibi detineatur sicut animæ peccatorum ; sed, eo exspoliato, cum sanctorum pompa revertetur : *nec dabis sanctum tuum*, id est sanctum corpus meum Filii tui, *videre corruptionem*, id est non permittes sacrosanctum corpus meum putrescere. Et ideo non derelinques animam meam in inferno : quia *notas mihi fecisti vias vitæ*, id est præcepta tua, quæ obedientibus sunt vitæ ad vitam. Quasi dicat : Quia præceptis tuis a te mihi notificatis obedire sategi, non derelinques animam meam in inferno. Et non solum non derelinques, sed etiam *adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, id est cum præsentia tua. Quod est dicere : Cum in cœlo præsentia tua usus fuero, vehementer lætabor. Et postea *delectationes* erunt mihi in *dextera tua*, id est in potioribus tuis. Quod est dicere : Multum delectabor in fidelibus constituendis ad dexteram tuam quos mihi dabis. Et non parvæ delectationes erunt mihi, sed delectationes tendentes *usque in finem*, id est, usque in perfectionem, id est, perfectæ et magnæ.

IN PSALMUM XVI.

Titulus sexti decimi. *Oratio ipsius David*, id est Christi : revera David. Et ideo sic iste psalmus intitulatur, cum etiam in multis aliis oratio inveniatur : quia principaliter et fere per omnia ad orationem spectat. Orat enim hic caput pro membris : et prius pro se, ut nos orare instruat. Agit etiam concessive de inimicis, prætendens merita : quia ipse suique digni sint remuneratione. Et quia etiam inimici digni sint perditione. Et hoc sic dicit :

Exaudi, Domine, justitiam meam, id est, exaudi me secundum quod promeretur justitia mea. Et ostendit unde exaudiat ; inde scilicet : *Intende*, id est, rectam et intensam fac *deprecationem meam*, id est fac me intense te deprecari. Et sic postea *auribus percipe*, id est audi. Ad humanum modum dicit. Vel per aures designatur ejus potentia : cum potentiam audiendi habeant aures. *Orationem* dico *meam, non in labiis dolosis* factam : orare vero labiis dicimus, cum orantibus labiis, cordis cogitatio vagatur. Vel diversa esse possunt deprecatio et oratio : Deprecatio scilicet est pro membris, id est precatio de remotione vitiorum, cum dicit : *Mirifica miseri-*

A *cordias*, etc.; oratio vero pro se et membris : pro perfectione et perseverantia. Et si hoc modo diverse accipiamus, erit positum *intende* pro intellige. Dico : *percipe orationem meam* ; hanc scilicet : *De vultu tuo judicium meum prodeat*, id est, judicium quo nunc a Judæis judicor : quod ab eorum consiliis solummodo prodire videtur : de voluntate tua proderat, id est prodiisse videatur ; sicut ab eodem Pilato dictum est : « Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi esset datum desuper (*Joan.* XIX, 11.) » Voluntas autem idcirco vultus dicitur, quia in vultu voluntas hominis sæpe consideratur. Dico *judicium meum prodeat de vultu tuo*, per hoc scilicet quod *oculi tui videant æquitates*.. Ad humanum modum dicit, id est tu videas æquitates, id est

B vide ut compleas ea quæ æqua sunt : me resurgere faciendo, et mihi mundum subjudgando, meosque salvando et perfectos faciendo, inimicos quoque meos juste remunerando. Et sic appareat te judicium meæ mortis voluisse, ut tales effectus sequerentur. Oculi vero poni possunt pro potentia Providentiæ, et prætendit meritum : quia hoc Deus pro eo facere debeat, sic : Vere debes orationem percipere, et æquitates videre : ideo scilicet quia *probasti cor meum*. Non quod probatione egeat quem res nulla latet ; sed idem est ac si diceret : Voluntatem cordis mei sanctam, quæ omnibus fere erat incognita, probatam ostendisti. Et exponit quomodo probavit, sic : Dico : *Probasti* ; et hoc taliter : Visitasti **42** me

C *nocte*, id est occulta tentatione, quæ illata fuit a diabolo ; sicut legitur in Evangelio : « Et accedens tentator, etc. (*Matth.* IV, 3). » Et bene ponit visitasti. Tentatio enim visitationis magna fuit, et exaltatio ; cum nullateus ei cesserit : *igne*, id est, aperta et gravissima tribulatione passionis me *examinasti*, id est examinatum et probatum ostendisti. *Et sic non est inventa in me iniquitas*, id est et hac duplici tentatione patere facias, quod nulla in me inveniri possit iniquitas ; quod totum est ac si dicat : Dignus sum ut oratio mea percipiatur, cum nulla in me sit iniquitas : quod per hoc patuit, quia a diabolo tentatus non cessi : et per hoc magis apparebit quod in igne tribulationis non deficiam. Et hoc, quod non est in me iniquitas, sic manifestum erit : *ut non*

D *loquatur os meum*, id est ut non necesse sit hoc dicere os meum. Apertissimum enim erit. Et vere non est inventa in me iniquitas : nam *ego custodivi*, non rejeci, *vias duras*, id est *opera hominum*, scilicet illa quæ solent exerceri in homines, id est in illos qui non faciunt ea quæ Dei sunt, sed hominum : mala scilicet, id est libenter sufferam tribulationes, et crucis tormenta, quæ exerceri solent in male operantes : quæ sunt viæ tuæ, id est a te datæ ut me deducant ad gloriam. Et bene ponit *custodivi* a similitudine itinerantium, cui cum rectam viam teneant, licet multum aspera sit, bene tamen custodiunt ne ab ea deflectant. Et has custodivi propter verba labiorum tuorum complenda quæ hæc prædixerunt. Labia dicuntur prophetæ, quia Dei voluntates aperuerunt,

www.libtool.com.cn

sicut labia cordis voluntate... aperiunt. Vel sic potest distingui : Dico : *Non est in me iniquitas*; et hoc sic dico : *Ut non loquatur os meum opera hominum*, id est ut non hæc loquar jactanter et superbe, quæ locutiones sunt opera hominum. Quod est dicere : Ita hæc loquor quod inde non superbiam, sicut homines de meritis suis superbire solent, vel sic : Dico : *Non est in me iniquitas* : et usque adeo non est in me iniquitas, ut etiam, quod maximum est, non *loquatur os meum opera hominum*, id est vanitates. Vanæ enim locutiones opera hominum sunt, id est ut nec in lingua peccem. Dico : *Igme me examinasti*. Ego autem Filius tuus et innocens propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras tribulationum. Et qui custodivi vias duras ut per has mei gressus perficerentur. *Perfice*, id est perfectos fac, *gressus meos*, id est discipulos per quos veniam in notitiam hominum. Et ideo dicuntur gressus mei *in semitis tuis*, quæ sunt semitæ ad vitam. Arduæ, scilicet carni et strictæ : sicut semitæ strictæ sunt ; juxta illud : «Augusta est via quæ ducit ad vitam (*Matth* VII, 14). » Et sic perfice *ut non moveantur* ab eis *vestigia mea*, id est exempla bonorum operum meorum, eorum cordibus impressa, id est perfectos et posseverantes effice. Hucusque pro perfectis : Postea vero pro infidelibus omnibus convertendis, sic orare intendit : *Ego clamavi* ad te, dicendo *Perfice*, etc. Et scio *quia jam exaudisti me*. Non quod re, sed quia jam dispositione complevisti. Et quoniam me sic orantem exaudisti, iterum oro : *inclina aurem tuam*, id est condescendere fac misericordiæ tuæ potentiam mihi, id est in illis qui mei sunt futuri, adhuc tamen infideles : *Et exaudi verba mea* pro eis fusa. Et bene dicit *inclina*, a similitudine medici inclinantis se ægris : qui præ nimia ægritudine illi nequeunt assurgere. Ita quippe et Dei clementia inclinat se, id est condescendit ægris in peccatis, qui per merita sua nequeunt illi assurgere. Dico *exaudi verba mea* ; hæc scilicet : *Mirifica*, id est miras in virtutibus et operibus fac, *misericordias tuas*, id est, illos qui, cum infideles sint, sola misericordia, non meritis suis, salvabuntur : emphatice dicti misericordiæ, eo quod largissima sit in eis misericordia tua. Dico, *mirifica, qui salvos facis* in anima a vitiis, *sperantes in te*, non in se, id est, discipulos meos ; de quibus legitur : «Nos sperabamus quod hic redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21). » Et ut hi mirificentur et aliis præficiantur, 43 *a resistentibus dexteræ tuæ*, id est a Judæis qui me persequendo resistent Verbo tuo mihi personaliter unito, quod me regem constituit. Et quod est dextera tua : per quod a te juxta Joannem. « Omnia facta sunt ; et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 2). » *Custodit me*, ne cedam. Medico, *ut pupillam oculi*, existentem, id est similem pupillæ oculi Sicut enim a pupilla, cum minima pars sit corporis, totum corpus illuminatur : ita a Christo, qui minimus visus est et exiguus, totum corpus ejus, id est Ecclesia, illuminatur ; sicut idem dicit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Dico

A *custodi* : ita scilicet *protege me*, ne lædar in anima : et si lædor in corpore : *me* dico positum *sub umbra* alarum tuarum, id est sub defensione charitatis et dilectionis : a similitudine volucris pullos aliis protegentis, ne ab æstu lædantur. Dico *protege a facie*, id est ab instantia Judæorum impiorum : *qui me afflixerunt*, id est affligent. Faciem pro instantia ponit, eo quod hostes dum instant, faciem ostendunt. Et ostendit quomodo affligent, ut ex malis meritis eorum concedat eis pœnam futuram : quod æquum erit cum superius dixisset : *Oculi tui videant æquitates*. Vere me affligent, quia *inimici mei*, Judæi, *circumdederunt* me, id est circumvallabant consiliis suis *animam meam*, ut in morte detineant, dicentes : « Venite, opprimamus pauperem justum (*Sap.* II. 10) »

B Et hoc ideo facient, id est ideo tam stulti erunt, quia *adipem suum*, id est pinguem, id est carnalem sensum suum, *concluserunt*, id est firmiter in se retinuerunt : non projecerunt quod facere debuissent putantes me hominem tantum esse, non hominem et Deum. Et ideo *os eorum locutum est*, id est loquetur, *superbiam*, scilicet « Crucifige ; » et « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Et non solum contra me loquentur superbiam, sed ipsi *projicientes me* de civitate, *nunc*, id est in hora eis a Deo concessa ; sicut in Evangelio legitur : « Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (*Luc.* XXII, 53) : » quandoque quidem de eadem civitate expellendi, *circumdederunt*, id est circumdabunt me fixum cruci, conspuentes et deridentes. Et hoc ideo facient :

C quia *statuerunt declinare*, id est stabiliter declinaverunt, *oculos suos*, id est considerationes mentis suæ, *in terram*, id est in desideria terræ suæ retinendæ, id est ideo hoc facient, quia per hoc putabunt se retinere locum et gentem, per quod potius admittent. Vel sic : Dico : *Circumdederunt me*. Et propter hoc statuerunt oculos suos declinare in terram. Similes scilicet erunt propter tantam crudelitatem suam crudeli cuilibet, qui aliquem punire faciens ut eum non videat, oculos in terram declinare studet : ne illius miseria commotus, indulgeat. Dico : Projicientes me circumdederunt, et multis modis afflixerunt ; et hoc tamen potentia sua facere nequiverunt : sed *susceperunt me* traditum a Deo

D Patre ; sicut alibi dicitur : « Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). » Dico susceperunt : existentes *sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis*. Leo et catulus dico, *habitans in abditis*, id est similes leoni quantum ad majores et principes ; et catulo leonis, quantum ad plebem, quæ generata erat a majoribus in hac nequitia, sicut catulus a leone generatur. Bene vero ponit, *paratus ad prædam, et habitans in abditis*. Ipsi enim quamvis hoc non qualicunque hora vellent facere possent, ad hoc tamen semper parati erant, occulte inde cogitantes. Ostensis malis meritis eorum, concessive de eorum ultione sic est : Quandoquidem hoc et hoc facient tu, Domine, qui impotens in afflictione mea videris,

exsurge, id est potens appare. Et ostendit in quo scilicet: *Præveni eum et supplantavum*, id est vince eum: sicut ille vincit qui prævenit, et ille qui supplantat aliquem. Et hoc duplici similitudine dicit, ad exaggerationem sceleris eorum. In hoc, scilicet, vince. *Eripe animam meam*, quæ innocens est, *ab impio*, id est a voluntate impii Judaici populi, ne detineatur in morte. Animam meam dico existentem *frameam tuam*, per cujus descensum ad inferos debellabis diabolum. Quasi dicat: Eripe eam cum sit framea tua, ab inimicis manus tuæ, id est a Jadæis, qui inimici 44 sunt Verbi tui mihi personaliter uniti: quod est manus tua, per quam omnia fecisti; sicut alibi Psalmista: « Verbo Domini cœli firmati sunt (*Psal.* XXXII, 6). » Et non solum me ab eis eripias, sed *divide eos*. Et, ne intelligeretur de divisione illa quæ futura est in die judicii, quando separabuntur oves ab hædis (*Matth.* XXV, 32), addit: *In vita eorum*, id est, in hac vita divide eos per totum mundum, separatos *a paucis* fidelibus, qui de eorum progenie sunt in Jerusalem: quibus dictum est a Spiritu, ut transferret se in regnum Agrippæ, ne affligerentur afflictione obsidionis Jerosolymitanæ. Et merito divides: nam *venter eorum*, id est carnalis voluntas eorum *adimpletus est*, id est eorum voluntati satisfactum est; *de absconditis tuis*, id est multum gaudebunt de tribulationibus et morte mea, quæ procedunt de absconditis judiciis tuis, non de eorum potentia. Et non solum adimpleti sunt, sed etiam *saturati sunt filiis*, id est ad malum exemplum filiorum: ut inde filii qui nondum nati sunt saturentur, id est delectentur malo exemplo eorum. Et non soli patres damnabuntur: sed etiam *diviserunt reliquias suas*, id est ultionem quæ eis pro saturatione illa relinquebatur a Deo, *parvulis suis*, dicentes: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Postea ex affectione nimia facit apostrophen ad Deum: sic ipsi pro meritis dividentur. *Ego autem*, qui modo vilis conspectui Judæorum appareo, *apparebo gloriosus conspectui tuo* præsens, cum in cœlum ascendero. Et in fine sæculi satiabor, id est ex toto lætitia replebor, *cum apparuerit gloria tua* in meis qui modo viles sunt, id est æterna beatitudo a te danda; juxta illud Apostoli: « Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (*Coloss.* III, 4). »

IN PSALMUM XVII.

Titulus sexti decimi: In finem puero Domini David qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul. Dicitur a quibusdam titulus iste mittere son ad historiam illam in qua narratur David a persecutione Saulis, omniumque aliorum inimicorum suorum post mortem Saulis fuisse liberatum, quod ad Domini figuram factum esse certum est. Per Saulem enim, qui *appetitus* interpretari dicitur, mors rectissime designatur. Quoniam sicut Saul contra Dei voluntatem a Judæis est appetitus: ita et mors ab Adam et Eva per prævaricationem Dei voluntatis est appetita. Et quotidie etiam ab impiis per opera mala appetitur. Sicut vero David a Saule in ipsius nece liberatus est: sic et Christus a morte in resurrectione ipsa morte destructa ereptus est. Per alios vero inimicos David Judæos et Romanos milites Christum persequentes intelligimus a quibus omnibus in resurrectione liberatus est. Potest et hoc totum ad Ecclesiam referri: ut per David Ecclesiam quæ manu fortis est: per Saulem vero David persecutorum ducem diabolum, qui omnium Ecclesiæ persecutorum caput est. Per cæteros quidem inimicos David, visibiles Ecclesiæ persecutores, qui diaboli membra sunt, intelligamus: a quibus omnibus Ecclesia secundum animam jam liberata est, ne ab eis scilicet incorporetur. In futuro autem etiam ab eorum persecutionibus eripietur. Titulus autem sic exponitur. *Verba cantici hujus*, id est delectationis spiritualis: *hujus* non est positum ad designationem præsentiæ, sed dignitatis: ut superius dictum est in alio psalmo. *Ipsi David psalmus*: quasi dicat: Verba ista cum spirituali delectatione prolata, attribuenda sunt David. Et determinat cui David, scilicet *David puero*, id est servo Domini, *tendenti in finem*, id est in perfectionem et consummationem. Quod est dicere: Qui perfecte fuit obediens Domino; quod nullus alius post eum fuit. Quæ verba locutus est Domino, id est ad honorem Domini: partim loquens ad eum ut ad secundam personam: partim etiam ad membra sua instruenda ad ipsius honorem. David pro judicio posito *in die*, id est in spe diei, 45 in qua die eripuit eum Dominus, id est in spe diei resurrectionis, in qua eripiet Dominus et ipsum, et membra ipsius de manu, id est depotestate omnium inimicorum suorum, id est Judæorum et militum Romanorum, quantum ad ipsum: et omnium persecutorum Ecclesiæ, quantum ad membra ejus. Et de manu Saul, id est mortis quantum ad ipsum. Juxta illud apostolicum: « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur (*Rom.* VI, 9). » Et de manu Saul quantum ad membra, id est de manu diaboli, ne amplius potestatem habeat eos damnandi per peccatum originale. Juxta illud Evangelii: « Princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Et est hæc vox capitis in primis pro liberatione sui Deo gratias agentis, postea vero se a Deo liberandum esse referentis, ut et membris per se liberandis spem salvationis ingerat. Ostendit etiam ad fidei membrorum instructionem, et ad reddendam gratiarum actionem, quæ commoda de ipsius morte et liberatione contingere debeant. Et hoc si dicit:

Diligam te, Domine, id est cum modo ante mortem te diligam, et diligendo tibi usque ad mortem obediam: post resurrectionem cum nulla mihi obedientia restabit, saltem diligam te. Et in hoc innuit: quoniam et sanctis in futuro immortalitate suscepta nil restabit nisi dilectio sola. Juxta illud Apostoli: « Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8). » Et prætendit causam dilectionis, sic: Adeo diligam te quia

www.libtool.com.cn

es fortitudo mea : et in me et in membris, id est per quem ego et mei fortes sumus. Et exponit quomodo sit fortitudo sua quantum in se : faciens apostrophen ad membra ut eis fidem et spem salvationis afidat, sic : Verum dico, auditores, eum esse fortitudinem meam : ipse enim est *firmamentum meum*, id est fulcimentum ne excidam a sanctitate mea : a similitudine domus quæ columnis fulcitur ne corruat. *Et refugium meum*, id est securitas, ne metuam hostium incursum : a similitudine munitæ turris, ad quam persecuti confugiunt ut securi sint. *Et liberator meus*, ne ab inimicis incorporer. Et ipse existens Deus, id est creator meus secundum carnem, est *adjutor meus*, id est cooperator boni. Quasi dicat : Sicut potens fuit ad creandum, ita quoque ad adjuvandum. Et quia firmamentum et refugium meum et liberator et adjutor meus est, *sperabo* resurrectionem *in eum* transiturus, id est in passibilitatem et gloriam ejus secundum quod homo sum. Quod est dicere : Hæc quæ prædixi, quasi arrha mihi sunt, et pignus resurgendi, et in eum transeundi. Vel sic : Sperabo resurrectionem in eum respiciens : ut sicut firmamentum est et refugium, et liberator et adjutor, ita sit etiam mihi resurrectio. Et quia interposuerat, *sperabo in eum*, æquipollenti voce repetit, quod superius posuit adjutor meus, ut addat sic : Ipse est *protector meus*, ne inimici animam meam vulnerent incorporando : a similitudine defensoris clypeum opponentis ne jacula transeuntia saucient. Et non solum protector, sed ipse opifex *salutis meæ* ne incorporer : est *cornu* meum, id est expugnatio mea, sicut cornua sunt cornutorum expugnatio. Per quem scilicet Judæorum insidiatrices sententias et oppositiones expugno : sicut in Evangelio legitur : « Erubescebant omnes adversarii ejus (*Luc.* XIII. 17). » Et alibi : « Non est ausus quisquam eum amplius interrogare (*Matth.* XII, 46). » Et *susceptor meus* futurus est, resuscitando me : ut qui nunc mortalis existo, faciat immortalem : similitudine boni medici, qui infirmum suscipit ut eum sanum faciat, et exponit quomodo ad hoc ut suscipiatur perveniet. Et ideo erit susceptor : quia *invocabo Dominum* auxiliatorem, *laudans* eum affectione bona et operatione. Et sic *salvus ero* ab inimicis exemptus, id est suscipiat. Quæreret aliquis : Quare hoc dicis? Quid tibi inferunt inimici? Respondit : Per ipsos inimicos circumdederunt, id est circumvallabunt 46 *me dolores mortis*, id est ad mortem me deducentes. Et ipsi dolores existentes *torrentes iniquitatis*, id est cito transitorii et immodici sicut torrentes, ab iniquitate eorum non a meritis meis prodeuntes : *conturbaverunt*, id est conturbabunt me secundum carnem : ut in Evangelio : « Cœpit pavere et tædere (*Mar.* XIV. 33). » Et bene ponit *torrentes*. Cum impetu namque dolores illi ad modum torrentium affluxerunt : ut citissime vitam extorquerent.

Et quia dixerat *dolores mortis*, ne putarentur secundum utramque naturam contigisse : repetit ut interponendo determinet sic. *Dolores inferni*, id est secundum inferiorem naturam, secundum carnem scilicet contingentes : *circumdederunt*, id est circumdabunt me : et hoc ideo quia *præoccupaverunt me*, id est præcesserunt in *me laquei mortis* : mortalitas, scilicet et passibilitas, quæ sunt *laquei*, id est causæ quibus in mortem trahar. Vel sic : Et ita præoccupaverunt me, id est prævalere se putabunt in me laquei mortis, id est Judæi, qui causa meæ mortis erunt : dico quia dolores circumdabunt. Ego autem *in tribulatione mea*, id est in tribulatione non invite, sed sponte mea suscepta, *invocavi*, id est invocabo *Dominum* adjutorem. Et hoc illud idem est quod superius dixit : *Laudans invocabo Dominum*. Sed ideo repetit, ut sic determinet qualiter invocabit, et adjungat se exaudiendum esse : dico invocabo : et non fallaci invocatione, sed *ad Deum meum clamavi*, id est clamore intenso agam. Et bono meo clamabo : nam *exaudivit*, id est exaudiet *vocem meam* Et hoc procedet de *templo sancto* ejus : de me scilicet qui sum templum divinitatis ejus : *de* causative ponitur. Quod est dicere : Ego, qui sum sanctum templum ejus, causa sum quare exaudiar. Et quia superius dixerat : *ad Deum meum clamavi* : ut singula singulis reddat, addit : *Et clamor meus in conspectu ejus* factus, id est in beneplacentia ejus, *introivit in aures ejus*, id est auditus erit ab eo. Ad humanum modum dictum est. Vel introivit in aures ejus, id est susceptus erit ab auribus ejus, scilicet a potentia misericordiæ ejus. Vel superius exponatur, ad Deum meum clamavi sic, clamore cordis agam, ita exponetur : Et clamor meus in conspectu ejus habitus, id est in corde quod ipse solus conspicit, introivit in aures ejus. Tribulationibus suis, et tribulationum evasione ostensa, prædicit etiam commoda inde secutura, sic : Quia circumdabunt me dolores et invocabo Dominum, et exauditus eripiar. Per hoc *commota est*, id est commovebitur *terra* ad fidem, id est illi qui nunc solis terrenis intenti sunt ; et prius *contremuit*, id est contremet de male actis suis. Et non solummodo ignobiles terreni, sed etiam *fundamenta montium*, id est sustentacula minorum, scilicet principum, ducum et comitum ; conturbati sunt bona conturbatione de peccatis suis, id est conturbabuntur. Et sic *commota sunt*, id est commovebuntur ad fidem. Et hoc ideo *quoniam iratus est eis*, id est cognoscent Dominum eis in futuro irasciturum nisi resipuerint : et postquam commovebuntur, ascendet *fumus in ira ejus*. Vel ita continuatur. Dico quod terra contremet, quia *ascendit*, id est ascendet in ipsis terrenis fumus, id est lacrymosa deprecatio, quæ oculos ad modum fumi provocabit ad fletum et hoc in ira ejus, id est in cognitione iræ ejus futuræ. Et bene ponit *ascendit* : quasi diceret : In eis erit fumus qui ascendet ad Deum, id est ipsi placebit. Et post fumum, *ignis exarsit*, id est ardor divinæ dilectionis vehementer in eis crescet : et hoc *a facie ejus*, id est a cognitione ejus Ascendendo enim ad Dominum et illuminatur ignorantia, et corroboratur infirmitas : data

www.libtool.com.cn

ipsi intelligentia qua videat, et charitate qua ferveat. Et *ab eo* igne *carbones succensi sunt*, id est illi qui prius in Adam vivi facti, postmodum per peccatum ejus fuerunt exstincti : et ideo merito dicuntur *carbones*, id est mortui in dilectione Dei. *Succensi sunt*, id est succendentur et vivificabuntur.

Et quia posset quæri quibus ministris 47 hæc fient ostendit sic : dico quod terra commovebitur, et etiam fundamenta montium, et hoc fiet per cœlos. Nam Deus *inclinavit*, id est inclinabit *cœlos*, id est prædicatores : qui alti sunt in scientia, quemadmodum cœli alti sunt ad comparationem terræ : humiles faciet in prædicatione juxta modum capientium. Juxta illud Augustini : « Sive sint parvi sive magni, habent unde alantur. » Et in Apostolo : « Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer (*I Cor.* IX, 22). » Et in Canticis : « Mel et lac sub lingua ejus (*Cant.* IV, 2). » Et per ipsos cœlos inclinatos *descendit* in notitiam hominum, id est ille qui præ altitudine sua cognosci non poterat, descendit, id est contemperabit se capacitati eorum : et sic, id est per descensionem illam *caligo* erit *sub pedibus ejus*, id est illi qui non ex toto sunt ignorantes, sed aliquantulum lucidi, subjicientur ei ut illi obediant : ad modum illorum qui sub pedibus principum gratia humilitatis prosternuntur : de quibus in Evangelio dicitur : « Adhuc modicum lumen in vobis est : ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant (*Joan.* XII, 35). » Et quosdam de caliginosis faciet Cherubim, id est plenos scientia. Et postea ascendit, in est ascendere faciet ad sui notitiam, ipsos factos Cherubim : *super Cherubim* tamen existens, non ex toto cognoscibilis ab eis : ut Joannes apostolus ait : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18). » Et sic incomprehensibilis quod impossibile sit eum aliquando comprehendi. Sed *volavit*, id est volabit *super pennas ventorum*, id est super agiles intellectus spiritualium virorum : qui venti propter intellectus sui velocitatem sunt dicendi. Et bene repetendo ponit *volavit* : quasi diceret : Cum de eo incipiunt meditari, ipse ab eis avolat. Et si ipsi paulatim appropinquaverint, ipse magis et magis avolat : sicut in Canticis canticorum ait sponsus sponsæ : « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt (*Cant.* VI, 4). »

Et non solum per tribulationes meas hoc continget quod caligo erit sub pedibus ejus, quod ascendet super Cherubim. Sed etiam per hoc circumdederunt me dolores mortis. *Posuit*, id est ponet ipse Deus, id est faciet *tenebras latibulum* suum : de quibus per Joannem evangelistam dicitur : « Tenebræ eum non comprehenderunt (*Joann.* I, 5). » Quod est dicere : Impios qui tenebrosi erunt in infidelitate sua, luce penitus veritatis carentes, faciet tales in quibus lateat, id est latenter per eorum tribulationes piorum salutem operabitur. Juxta illud : « Impius pio vivit. » Et propheta : « Virga furoris mei Assur (*Isai.* X, 5). » Ipse vero non cognovit : dico quod tenebræ erunt latibulum, id est latebit eos quod Deus per ipsos operabitur. *Tabernaculum* autem ejus erit *in circuitu ejus*, id est, fideles qui militabunt ei ad modum militum tabernaculantium erunt in notitia ejus ad similitudinem eorum qui illum in cujus circuitu sunt cognoscunt ut Apostolus : « Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, transformamur a claritate in claritatem (*II Cor.* III, 18). » Quod est dicere, militantes ei manifeste scient quid in eis Deus operetur : et in hoc multum extollit eos, impios vero deprimit : cum eos ignorare quæ per eos operantur asserit : quoniam autem dixerat : inclinavit cœlos : et per eos descendit et ascendit, posset quæri quare per istos descendit et ascendit, et per prophetas non : et inde reddit singulas causas sic, per apostolos descensurus, per prophetas non descendit : quia *tenebrosa aqua*, id est obscura doctrina erat *in nubibus aeris*, in prophetis scilicet qui complutores aliorum in doctrina sua juxta modum nubium exstiterunt : in alia vero translatione habetur : *in nubibus ætheris* : et bene nubes ætheris dicuntur : quia tempore priores apostolis fuerunt, sicut nubes ætheris, localiter inferioribus nubibus priores sunt, et ideo per cœlos descendet et ascendet quia ipsi erunt *præ fulgore nubes*, id est, præfulgidi complutores, *in conspectu ejus*, id est in consideratione ejus, id est de eo manifeste considerantes : et manifestam doctrinam prædicantes 48 sicut Apostolus : « Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quod evacuatur, » etc. (*II Cor.* III, 13).

Quod autem prophetas tenebrosos dicit, non ad eorum depressionem pertinet : sed ut hoc ostenso in sequentibus dicat per cœlorum doctrinam lucidam eorum obscuritatem esse manifestandam : et ipsi præ fulgore nubes non solis Judæis prædicabunt, sed *transierunt*, id est transibunt ad gentes prædicando eis, sicut eis præcipietur : « Ite in orbem universum, prædicante Evangelium omni creaturæ (*Mar.* XVI, 15), » et hoc ideo dicit : ut gentibus convertendis eorum doctrinam commendet, cum eos earum doctores futuros esse prædicat : dico quod nubes transibunt, nubes dico existentes *grando et carbones ignis*, id est in primis infidelibus vitia contundentes, et diei judicii ultionem comminantes : sicut grando messes contundit, et cum strepitu cadendo, læsionem comminatur. Postea vero eis fidelibus factis : sunt carbones igniti, id est accendentes eos in ardore fidei et dilectionis, sicut igniti carbones exstinctos accendunt. Grando fuit Paulus, cum dixit : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31). » Carbo vero ignitus, cum dixit : « Fratres, obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, » etc. (*Rom* XII, 1.) Dico quod nubes grando sunt et carbones : et hoc non a se : sed *Dominus* existens in eis grando et carbones ignis *intonuit* per eos, id est comminabitur ad modum tonitrui ut Paulus dicit : « An exprimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ?

www.libtool.com.cn

(*II Cor.* XIII, 3).» Et post ipse *Altissimus* qui potens est *dedit*, id est dabit per eos *vocem suam*, id est doctrinam suam, sicut Dominus in Evangelio dicit: «Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Mat.* X, 20).» Dico, quod nubes transibunt, et non a se hoc habebunt, sed ipse Deus *misit*, id est mittet eos existentes *sagittas suas*, id est percussores infidelium, ut sagittæ percutiunt: et sic *dissipavit*, id est dissipabit eos ad quos mittentur, id est dividet partem eorum prædicatione assumendo, partemque relinquendo: et ad ædificationem eorum qui assumentur: *fulgura* multiplicavit, id est multa miracula per eos operabitur: quæ merito fulgura dicuntur, eo quod ad modum fulgurum videntes stupidos reddunt: et per fulgura, *conturbavit*, id est conturbavit eos, id est compunget ad fidem: et eis conturbatis *apparuerunt*, id est apparebunt *fontes aquarum*, id est vasa puræ prædicationis. Quasi dicat, illi qui prius ab eis judicabant seductores, tandem ab illis judicabuntur purissimæ doctrinæ. Et *per fontes revelata sunt fundamenta orbis terrarum*, id est revelabuntur prophetæ obscuri, qui fuerunt fundamenta Ecclesiæ, quæ est orbis ex omnibus terris electus, id est corona Dei. Orbem ponit pro corona, cum rotunda sit. Dico quod fontes eis apparebunt, et hæc apparitio non procedet ab ipsis fontibus, o Domine, sed *ab increpatione tua*: increpabis enim eos latenter interius: et exprimit, increpationem sic. Et pro scilicet *ab inspiratione Spiritus iræ tuæ*, id est quia inspirabilis eos per Spiritum sanctum iram tuam venturam in incredulos: sicut scriptum est: «Si quis ignorat ignorabitur (*I Cor.* XIV, 38),» quem Spiritum *misit*, id est mittet Deus, o auditores, *de summo*, id est de summitate divinitatis suæ: et hoc dicit ad instructionem fidei nostræ, sicut et per Joelem dicitur: «Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,» etc. (*Joel.* II, 28.) Et per ipsum Spiritum *accepit*, id est accipiet me, id est Ecclesiam meam, et *assumpsit*, id est assumet *me*, id est Ecclesiam meam *de aquis multis* electam, id est de populis meis multis, qui aquæ dicuntur eo quod decurrunt de generatione in generationem, ad modum aquarum currentium: ut in Apocalypsi dicitur: «Aquæ multæ populi multi:» vel sic: Quia dixerat commovebitur terra et conturbabitur, posset quæri per quid, et hoc sic ostendit: dico quod commovebitur et conturbabitur, et hoc per me; nam Deus misit 49 Verbum suum de summo, id est de æqualitate sua. Et ipsum Verbum *accepit me*: Dominicum hominem, id est personaliter sibi conjunxit: et per me *assumpsit me*, id est Ecclesiam meam de aquis multis. Secundum autem primam sententiam accepit et assumpsit idem est, sed duplici similitudine dicitur: Accipere quidem a similitudine fugientium qui capiuntur. Assumere vero, a similitudine illorum qui, cum infirmi sint, a quolibet sumuntur ut ad alta ducantur. Deus autem et nos a lege et fide sua recedentes accepit: et, ut ex imis altos faceret assumpsit. Et *eripuit me*, id est eripiet Ecclesiam meam *de inimicis meis*, id est suis *fortissimis*, de vitiis scilicet et spiritibus malignis, et etiam *ab his qui oderunt me*, id est a visibilibus hostibus, qui me, id est meos, sibi volunt incorporare: et necesse est ut eripias ab his qui oderunt me: quia confortati sunt, id est fortes fient *super me*, id est meos: et exponit quomodo scilicet *prævenerunt me in die afflictionis meæ*, id est prævalebunt meis ad modum cursoris prævenientis in tempore illo quo Deus me permittet affligi: et in illa afflictione *Dominus factus est*, id est fiet *protector meus*, id est meorum ne cedant, et non sic protector ut non affligantur, sed sic quod *eduxit*, id est educet *me*, id est meos ex afflictione ipsa *in latitudinem* fidei et charitatis, ut non ex afflictione in fide et dilectione fiant angusti, sed magis magisque dilatati juxta Apostolum: «Cum infirmor tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XII, 10,» et hoc dicit ad confortationem fidelium affligendorum. Quia superius dixerat, *accipit et assumet me*, et non declaraverat, repetit æquipollenter ut determinet sic: dixi: Accipiet et assumet, et vere *salvum me fecit*, id est salvos faciet meos ab infidelitate et originali crimine, et hoc non ex eorum meritis, sed quoniam voluit me, id est sola gratuita voluntate, ut Apostolus: «Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit (*Tit.* III, 5): » et quia gratuito salvabit: post *retribuet mihi*, id est mei *Dominus secundum justitiam meam*, id est meorum, id est secundum quod juxta opera sua promerebuntur, ut qui justus est justificetur adhuc: illatio a majori: ut ait Apostolus: «Si enim cum inimici essemus, reconciliati simus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius (*Rom.* V, 10).» Et etiam *retribuet mihi secundum puritatem*, id est innocentiam *manuum mearum*, id est affectionum mearum: quæ bene dicuntur manus, eo quod causæ sunt operum bonorum: sicut et manus, operum causæ sunt. Quod est dicere, Retribuet meis secundum quod eorum innocentia promerebitur, scilicet qui erunt innocentes, id est a multis vitiis abstinentes: fiant innocentiores, id est a pluribus abstinentes: iterum illatio a majori. Et exponit secundum quam justitiam et secundum quam innocentiam. Secundum justitiam scilicet, quia *custodivi*, id est mei custodient *vias Domini*, id est præcepta Domini, per quæ completores eorum ad vitam venient: ideoque viæ dicuntur: cum summa diligentia et custodia complebunt. Et secundum innocentiam retribuet, quia non *impie gessi a Deo meo*, id est non impie agent a Deo suo recedendo. Et his causis custodient vias Domini, et impie non gerent: quia *omnia judicia ejus* sunt *in conspectu meo*, id est omnia ejus judicia conspiciunt: hoc scilicet quod occultis judiciis suis permittit hic malos exaltari, bonos deprimi: et in futuro hos salvabit, illos vero damnabit, et quia hæc causa non sufficeret, addit,

et illa considerabunt justa. Et hoc cum sit extra librum, ex libri verbis sequentibus concipitur, sed quoniam udhuc hæc secunda causa non sufficit, addit et tertiam : *Et justitias ejus*, id est judicia ejus justa considerata *non repuli a me*, id est non repellent a se, quod est dicere : non displicebunt eis, a similitudine illorum qui quod odio habent, a se repellunt : dico quod custodient et impie non gerent : et hoc non horarie ; sed cum eo, id est cum auxilio ejus bene operans ero perseveranter immaculatus, id est mei erunt immaculati. Et pro, id est *observabo me ab iniquitate* 50 *mea*, id est mei continebunt se ab iniquitate sua sibi a Deo indulta et remissa : et quia observabunt se, *retribuet mihi*, id est *Dominus* in futuro beatitudinem *secundum justitiam meam*, id est secundum meritum justitiæ meorum. *et secundum puritatem*, id est innocentiam *manuum mearum*, id est affectionum mearum, existentium *in conspectu oculorum ejus*, id est in beneplacentia ejus. Quasi dicat : Secundum meritum innocentiæ meorum qui ipsi placent, ut idem in Evangelio testatur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13) ; Et Apostolus de se dicit : *De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex* (*II Tim.* IV, 8). Et in Canticis canticorum sponsus sponsæ : « Veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon. de cubilibus leonum, de montibus pardorum (*Cant.* IV, 8). » Quod vero ponit, *in conspectu oculorum ejus*, a similitudine dicit : quod enim nobis placet, sæpe oculis corporis conspicimus. Quia superius bis ponendo retribuet mihi Dominus, ipsas retributiones non exposuerat : intendit has exponere faciens sic apostrophen ad Deum cum gratiarum actione. Dixi quod Dominus retribuet hic Ecclesiæ suæ secundum justitiam : et verum est. Nam Deus Pater tu *sanctus* antonomastice *eris* cum S. Spiritu cooperans, ut sanctior fiat. Et dixi quod retribuet hic secundum innocentiam : et verum est : nam tu antonomatice *innocens eris cum viro innocente* cooperans ut fiat innocentior, id est a pluribus vitiis abstinens. Quasi diceret : Sanctitate et innocentia ejus promerentibus ei cooperaberis, et adhuc aliud facies : tu *electus* quem mei eligent ut obediant tibi : *eris cum electo*, id est, cum vocato ad salutem cooperans ut innocens fiat, id est nec hoc quidem habebit a libero arbitrio quod post vocationem, innocens fiet, sed tu hoc cooperaberis, fide tamen ejus promerente. Et quod tu sanctus eris cum sancto, et innocens cum innocente, et electus cum electo, ex opposito videri potest : nam *perverteris cum perverso*, cooperans perversionem suam, id est perverteris ab auxilio in perversionem cum illo qui se a te pervertit. Quod est dicere, nisi perversus esset a te, auxiliareris ei : sed quia se a te pervertit ab auxilio quod ei impenderes, perverteris, id est converteris ad hoc ut eum pervertas plus excæcando. Exponit quoque futuram retributionem, sic : Dixi quod Dominus retribuet meis in futuro secundum justitiam et puritatem eorum ; et verum est, Domine. *Quoniam* in futuro tu qui potens es, salvum facies reducendo ad æternitatem *populum* meum *humilem*, id est qui erga te humilis erit, juxta illud : « Justi ibunt in vitam æternam (*Matth*, XXV, 46) » : et hoc videri potest ex opposito : Quoniam scilicet *oculos superborum*, id est superbiam eorum quæ per habitum oculorum intelligitur, *humiliabis*, id est annihilabis.

Ostensis commodis de passione sua proventuris, salute scilicet infidelium, orat pro ipsis ut et nos pro inimicis orare instruat sic : Dixi quod mittet, et accipiet, et asssumet meos de aquis multis : et sic fiat, o Deus meus, cui non aufero locum divinitatis in me ut Adam : *illumina* luce fidei *tenebras meas*, id est illos tenebrosos qui mei sunt futuri, et necesse est ut hoc orem cum per alium non possint illuminari, *quoniam tu* solus es ille qui jam *illuminas* fide et charitate *lucernam meam*, id est apostolos, qui sunt lucerna mea, id est vasa lucis meæ. Juxta illud : « Luceat lux vestra coram hominibus, etc. (*Matth.* V, 16). » Et de Joanne Baptista dictum est : « Erat lucerna ardens et lucens ante Dominum (*Joan.* V. 35). » Ostensio a simili, dico illumina tenebras, et utile est eis ut hoc orem, *quoniam* sic *in te eripiar a tentatione*, id est mei illuminati in te confidendo eripientur a tentatione, et non sic ut quod nullo modo tententur, sed *in Deo meo transgrediar murum*, id est quamvis tententur non peccabunt : sed per te quem Deum suum reputabunt transgredientur massam peccatorum, qui murus est oppositus inter peccantes 51 et Deum : de quo muro dicitur per prophetam : « Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio (*Thren.* III, 44). » De ereptione vero muri dicit Apostolus : « Faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere (*I Cor.* X, 13). » Post facit apostrophen ad auditores, instruens quod debent eum habere Deum, ostendens unde hoc possit cognosci. Dico in Deo meo, id est meorum, transgredientur, et bene pono in eo spem meam, o auditores : nam *Deus meus* est, id est mei debent eum habere Deum, et inde hoc possunt videre : quia *impolluta* est *via ejus*, id est munda innocentia scilicet per quam ad eum pervenitur : et inde etiam quia *eloquia*, id est præcepta illius *Domini* sunt *examinata*, id est comprobata et perfecta *igne* per Spiritum sanctum : et ideo adhuc debent eum facere Deum suum : quia si hoc fecerint proteges eos. Nam *protector est omnium sperantium in se*. Non in terrenis. Et juxta illud : « Eum qui venit ad me non ejiciam foras (*Joan.* VI, 37) » : et ideo adhuc debent eum facere Deum. *Quoniam quis Deus præter* Deum. Aut ita possum dicere : quis Deus est præter Deum nostrum : qui Deus meus est et meorum ? Nullus subaudi scilicet : Quia dicat, ideo debent habere Deum, quia nullus alius Deus dicendus est : et etiam per beneficia mihi ab eo collata potest videri quia Deus est : inde scilicet : quia Deus ille est *qui præcinxit me virtute* ne cederem in passione, id est munivit a similitudine militis, qui præcingitur gladio ut eo muniatur. *Et posuit immaculatam viam meam*,

www.libtool.com.cn

id est firmam dedit mihi innocentiam : quæ via munda est per quam ad ipsius gloriam perveniam, secundum quod homo sum, ut ait Apostolus, « sanctus, innocens, segregatus a peccatoribus (*Hebr.* III, 26), » et vere Deus est. Qui *perfecit*, id est perfectos fecit *pedes meos*, id est affectiones meas, quibus graditur animus sicut pedibus corpus. *Tanquam cervorum*, id est ad modum pedum cervorum: ut sicut prompti sunt ad transilienda dumeta, sic et affectiones meæ promptæ sunt ad omnia vitia transilienda : et est, *statuens me*, spe *super excelsa*, id est in excelsis, cœlestibus scilicet : et vere Deus est *qui docet manus meas ad prælium*, id est doctas facit affectiones meas ad prœliandum contra diabolum : affectiones dicit manus, quia per eas debellamus diabolum, sicut aliquis hostem manibus debellat. Postea facit apostropham ad Deum : ex affectione nimia gratias agendo: dico quia docuisti manus; et tu *posuisti brachia mea*, id est fortitudinem meam *ut arcum æreum*, id est irremissibilem, ut arcus æreus irremissibilis esset, si inveniretur. Similitudo a re quæ non est : brachia pro fortitudine ponit eo quod brachiis inesse fortitudo solet. Et per me factum æreum : *dedisti mihi*, id est dabis meis *protectionem salutis*, id est salvationis tuæ, id est proteges ne cedant ; quæ protectio erit eis causa salvationis. *Et dextera tua suscepit me*, in futuro, id est gratia tua collocans eos ad dexteram tuam : suscipiet meos. Juxta illud, « Venite. benedicti, etc. (*Matth.* XXV 34). » Et hic interim *disciplina tua*, id est adversitas temporalis a te permissa ut per eam clariores fiant. *Correxit me in finem*, id est corriget meos omnino : de qua per Salomonem dicitur : « Fili mi, noli negligere disciplinam Domini : neque fatigeris cum ab eo argueris (*Prov.* III, 11 ; *Hebr.* XII, 5).» Et exponit per partes quomodo corriget sic. Et pro scilicet ipsa *diciplina tua*, de qua hic egi, *docebit me*, id est quosdam de meis, qui aliquantulum purgandi sunt ne rursus cadant : juxta Apostolum : « Flagellat Deus omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 9, 6) » : et per disciplinam *dilatasti gressus meos*, id est dilatatos in dilectione tua facies perfectos, qui dicendi sunt gressus mei deferentes me in notitiam aliorum ; *subtus me*, redigens eos per disciplinam, id est faciens humiliores erga me, ut in actibus Apostolorum : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V, 41). » Et Apostolus : « Ipsi in nobis responsum mortis habuimus ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos (*II Cor.* I, 9). » Et cum dilatentur per disciplinam : *non sunt* 52 *infirmata vestigia mea*, id est non infirmabuntur in eis notæ virtutum mearum eorum cordibus impressæ. Nam juxta Apostolum : « Virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 9). » Et per gressus *persequar* doctrina *inimicos meos*. id est fideles, qui inimicantur mihi mala vita sua. *Et comprehendam* : convincam scilicet rationabiliter ab errore, ut de Stephano legitur: « Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur (*Act.* VI, 10). » *Et non convertar*, id est non cessabo a persequendo et comprehendo *donec deficiant* ab infidelitate : et per hoc deficient, quod *confringam illos*, id est destruam terrrenitatem illorum, ut alibi Psalmista : » Tanquam vas figuli confringes eos (*Psal* : II, 9). » Et confracti non *poterunt stare* amplius, id est perseverare in infidelitate sua : sed *cadent subtus pedes meos*, id est humiliabuntur sub me ad modum eorum qui pedibus divitum humiliter prosternuntur. Et ut gressus valeant ad persequendum et comprehendendum. *Præcinxisti me*, scilicet muniens meos *virtute ad bellum*, id est ad illorum inimicos debellandos, et per eos præcinctos *supplantasti*, id est vinces *insurgentes in me*, *subtus me* redigendos, id est Judæos mihi subjicies : de quibus alibi per Psalmistam dicitur : « Insurrexerunt in me testes iniqui (*Psal.* XXVI, 12), » *et inimicos meos*, id est gentiles per eos gressus *dedisti*, id est dabis *mihi dorsum*, id est sequaces et imitatores : ad modum sequentium qui post dorsum pergunt. Et hoc dixit superius universaliter, ubi posuit cadent subtus pedes meos: sed hic per partes ostendit *Et odientes me*, id est nolentes converti *disperdidisti*, id est disperdes : locum et gentem auferendo, et sic quod postea non repatriabunt : sed *clamaverunt, nec erat qui salvos faceret*, id est clamabunt in synagogis orando ut reducantur. Nec erit qui salvet eos reducendo de exsilio. *Ad Dominum* dico clamabunt non ad Deum alienum. *Nec exaudivit*, id est exaudiet *eos* ut reducat. Et non solum exsules fient : sed ego *comminuam eos* in virtutibus ut *pulverem ante faciem venti* existentes. Sicut pulvis comminutus et a nullo imbre solidatus, ab impetu venti cito rapitur et dispergitur, ita ipsi in virtutibus comminuti, et ab imbre doctrinæ nolentes solidari, cito a spiritu maligno rapientur et perdentur. Et non solum hoc, sed etiam *delebo eos* de gloria in qua modo sunt : faciens eos *ut lutum platearum*, id est viles et ab omni prætereunte calcandos : ut lutum vile est et calcatur. Et bene addit *platearum*. Lutum enim platearum frequentius calcatur : ipsi ita pelebuntur, quod minime putant.

Me vero quem superare putant *eripies* resurgere faciendo de *contradictionibus populi*, dicentis : « Hic homo non est a Deo qui non custodit sabbatum (*Joan.* IX, 16) », id est ulterius non poterunt mihi contradicere. Et me ereptum *constitues in caput gentium*, id est facies ut sim caput gentium ; ut alibi per Psalmistam dicitur. « Dabo tibi gentes (*Psal.* II, 8), » Et in Osee : « Dicam non populo meo, Populus meus es tu (*Osee.* II, 23). Et quia posset quæri an sit habiturus gentes, respondet faciens apostrophen ad auditores, ut ipsas gentes magnificando sibi obnoxias reddat. Vere caput gentium fiam, nam *populus, quem non cognovi*, id est visus sum non cognovisse, non dando legem eis vel prophetas, *servivit*, id est serviet mihi : et ad hoc non erit tardus, sed *in audita auris obedivit mihi*, id est

www.libtool.com.cn

quam cito aure corporis prædicationem meam concipiet, mihi mox obediet. Et bene ponitur *auris* ad exprobrationem Judæorum, quia cum illi et aure audissent, et testimonio Scripturarum, intellectu credere noluerunt. Gentes vero scriptis carentes, auditu solo acquieverunt: dico quia gentes obedient : *filii* vero mei, id est Judæi qui filii mei esse debent, *alieni* a me facti culpa sua: juxta illud propheticum: » Filios enutrivi et exaltavi : ipsi autem spreverunt me (*Isai.* I, 2). » *Mentiti sunt*, id est mentientur : et hoc mihi, id est hoc continget ad honorem meum : dicentes illi filii : « Discipuli furati sunt eum, et dixerunt plebi : Surrexit (*Ex. Matth. ult.*). » Et hoc ad honorem Domini fuit.

53 Cum enim dicerent quod dormientibus custodibus discipuli furati sunt, plane mendacium esse patuit. Qui enim tunc dormierunt, quomodo discipulos furantes corpus Christi cognoverunt? Et per hoc quod mentientur filii alieni *inveterati sunt*, id est in vetustate Adæ remanebunt : nolentes per Christi resurrectionem renovari. Et ipsi inveterati *claudicaverunt*, id est errabunt *a semitis suis* recedendo, id est a subtilibus intellectibus Scripturarum suarum. Claudus autum dicitur qui uno pede recte, altero vero inæqualiter pergit. Ita et ipsi claudicaverunt, intellectum unum rectum in Scripturis habentes, id est ad litteram; alterum vero tortum, id est allegoricum. Et vere mentientur: nam *Dominus vivit*, id est, ego qui a Patre sum constitutus Dominus, in rebus vivam quem dixerunt non resurrecturum, juxta illud, « tertia die resurget » (*Marc.* VIII, 31). Et quia vivam *benedictus*, id est landatus sit *Deus meus* et a me et a meis. *Et exaltetur*, id est glorificetur per resurrectionem meam : Deus auctor *salutis*, id est magnificaturus in virtutibus : *salutes regis ejus*. Juxta Apostolum : « Quos justificavit, hos et magnificavit (*Rom.* VIII, 30). » Magnos, inquam, faciet salvandos a me qui sum rex ejus juxta illud : « Constitutus sum rex ab eo (*Psal.* II, 6). » Salutes vero ponit emphatice : dico magnificans : et hoc non ex meritis eorum, sed in primis faciens, id est facturus *misericordiam Christo*, id est regi *suo David*, mihi scilicet in resuscitando : et post *semini ejus*, id est spiritalibus filiis ejus cundo *usque in sæculum* futurum, misericordiam faciendo de generatione in generationem. Hoc autem quod interponit, *Deus, qui das*, etc., apostrophe est ad Deum cum gratiarum actione de hoc quod superius ostendit Patrem daturum : et hoc sic dicit : Dico benedictus Deus et ita sit : benedictus sis Deus qui das, id est dabis *mihi vindictas* de Judæis ut superius ostendit sic : Odientes me disperdidisti et comminuam eos et delebo eos, et benedictus sis qui *subdis*, id est subdes populos *sub me*, ut supra dixi : cadent subtus pedes meos, et populus quem non cognovi ; etc. Et ideo adhuc benedictus sis, quia eris *liberator meus* ne cedam *de inimicis meis iracundis*, de Judæis scilicet qui propter iram solam flagellis cædent me et occident. Iracundus dicitur qui facile et absque ratione irascitur. Et non solum liberabis sed *exaltabis me* faciendo ne cedam; me dico, exemptum *ab insurgentibus* in *me*, id est a potestate eorum. Et antea quam exaltes, *eripies me*, resuscitando, *a viro iniquo*, id est a potestate Judæorum, qui singulariter vir dicuntur, eo quod in iniquitate unum sint, et *propterea*, quia exaltabis et eripies, *confitebor tibi in nationibus*, Domine, id est veros confessores pariam: et in gentibus ut idem in Evangelio : « Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere, et vocem meam audient (*Joan.* X, 16), » et non solum confitebor ore, sed *nomini tuo*, id est ad honorem nominis tui psalmum dicam, id est eas gentes bona operatione laudare faciam. Per has vero gratiarum actiones, nos reddere Deo gratiarum actiones instruit.

IN PSALMUM XVIII.

Titulus octavi decimi : Psalmus, attribuendus David prophetæ : in finem, id est in Christum respicienti : vel in finem temporum, id est in tempore plenitudinis, unde Apostolus : *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X, 11). Propheta prævidens prædicatores ad instructionem Ecclesiæ a Deo mittendos : et eorum officio mirabili, legem per sanctum Spiritum exhibendam, quæ immaculata erit et sancta : ad successorum suorum instructionem, sancti Spiritus agilitate, quod futurum est quasi præsens, sic gaudendo prædicere intendit.

54 *Cœli enarrant gloriam Dei*, id est apostoli, qui sublimitate virtutum dicendi sunt *cœli*. Extra narrabunt, id est in propatulo, gloriosam essentiam Dei Filii, ut Joannes evangelista : « In principio erat Verbum, » etc. (*Joan.* I, 1.) Et idem cœli alia consideratione dicendi *firmamentum* annuntiant, id est annuntiabunt *opera ejus*, id est sancta opera quæ processerunt ex manibus, id est affectionibus ejus, id est opera quæ humanus existens corporaliter egit, ut Apostolus : « Non judicavi me scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2. » Et bene in hoc dicit eos *firmamentum*, cum enim in hoc annuntiando firmi forent, fidei firmamentum infirmioribus erant. Quamvis enim Christum Deum et hominem licet mortuum et afflictum humanisque necessitatibus circumventum; Dominum tamen omnium et regem Patrique consubstantialem annuntiando stulti ab incredulis esse judicarentur, in hoc tamen firmi et immobiles nullatenus erubescendo persistebant, ut Apostolus : *Non erubesco Evangelium : virtus enim Dei est* (*Rom.* I, 16) : et alibi : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I, 15). » Quia dixerat eos anuntiaturos gloriam et opera, ne putaremus quod indiscrete omnia omnibus annuntiarent, prædicit eos cum discretione hoc acturos sic : dico quod et gloriam

www.libtool.com.cn

et opera annuntiabunt, et hoc cum discretione. Nam *dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam*, id est ipsi dicendi dies, id est clari et fulgidi in doctrina illis qui sunt dies, id est splendidi in intellectu, ut Paulus Dionysio, eructant verbum : Filium Dei scilicet, id est ex profunda et interiori sapientia ipsis a Deo data profertur essentia verbi Dei ad modum ructantium ex interioribus productum. Unde Apostolus : « Spiritualibus spiritualia comparantes (*I Cor.* II, 13). » Et ipsi etiam existentes nox, id est parvi est non fulgidi multum in doctrina, quantum ad illos qui sunt nox in intellectu, id est parvi et non fulgidi, indicant scientiam eis, id est illa quæ eorum scientia, id est sæcularis intellectus capere non potest; unde Apostolus : « Lac vobis potum dedi, non escam (*ICor.* III, 2) : » et alibi : « Non potui vobis loqui quasi spriritualibus, sed quasi carnalibus (*Ibid.*) : » et hoc faciunt mirifice. Nam *non sunt loquelæ neque sermones*, etc., id est, non sunt linguæ adeo diversæ, neque sermones adeo ornati, neque in dialectica neque in rhetorica, quorum *non audiantur*, id est in quibus non audiantur *voces eorum. Quorum* ponit pro ablativo more Græcorum, id est nulla est lingua neque ornatus sermonum quos ignorent : et quibus nequant adaptare voces suas, ut in actibus Apostolorum : « Loquebantur variis linguis apostoli (*Act.* II, 4). » Et hæc non annuntiabunt in occulto vel paucis, sed dilatate. Nam *in omnem terram exivit*, id est exiet, *sonus*, id est fama *eorum, et in fines orbis terræ verba*, id est prædicatio *eorum*. Unde Propheta : « In insulis quæ procul sunt dicite : Qui dispersit Israel congregabit eum, etc., (*Jerem.* XXXI, 10). » Eorum dico dicentium Deus pater *posuit tabernaculum suum in sole*, id est Domini, cum hominem in quo verbum suum militavit, ad modum equitum in tabernaculis militantium, posuit in æstu tribulationum, et ipse positus non invite sustinuit: sed qui per prophetas militaverat, ipse in persona sua *exsultavit* ad *currendam viam*, id est ad cito complendam Patris obedientiam, quæ fuit ei via ad gloriam ex eo tempore quo fuit *procedens de thalamo*, id est de virginis utero : *suo*, id est sibi congruo : *ipse* dico existens *tanquam sponsus*, id est in illo revera factus sponsus carnis humanæ, quam sibi tunc conjunxit. Secundum divinitatem dico carnis suæ sponsus : De qua desponsatione in canticis sponsa Ecclesia Synagogæ dicit : « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius (*Cant.* III, 11.) » Est et Ecclesiæ sponsus : et si non adeo, ut idem in canticis : « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, 55 soror mea sponsa (*Cant.* IV, 10) : » sed Ecclesiæ sponsus secundum adoptionem gratiæ tantum. Carnis vero suæ secundum unionem personæ. Thalamum dicit uterum virginis eo quod in eo carni sponsæ, Dei verbum conjunctum est, ut in thalamo sponsus sponsæ conjungitur. Dico quod exsultavit ad currendam viam, et in ea currenda non fuit debilis : sed ut *gigas* fuit, id est fortis ad comparationem gigantis quem nullus impedire potest : dico quod fuit procedens, et quamvis ex thalamo virginis processit : tamen *egressio ejus*, id est genitura ejus est a *summo cœlo*, id est a Patre, qui cœlum est, dignitate Deitatis et sublimitate. *Summum* vero dicitur: non quod major sit Filio, sed quod ab eo inneffabiliter Filius genitus est juxta illud: « Generationem ejus quis enarrabit (*Isai.* IX, 8)? » Et quamvis secundum egressionem alius sit in persona, tamen *occursus ejus* est *usque ad summum ejus*, id est occurrit usque ad summitatem divinitatis ejus scilicet patris. Quod est dicere: Licet alius in persona, æqualis tamen est in essentia. Et bene ponit occursum, a similitudine eorum qui sibi occurrunt, ut in unam massam conveniant : ita et Filius Patri in summitate occurrit, id est cum eo in divinitate convenit : secundum vero translationem Hebraicam, in qua habetur : « In sole posuit tabernaculum suum in eis, » sic dicetur, dixi quia cœli enarrant gloriam et opera ; et in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, et verum est : quia in eis, id est per eos posuit Deus tabernaculum suum, id est humanitatem Filii sui, in sole, id est in manifesto : quam prophetæ obscure prædixerunt : et hoc etiam per eos posuit in sole, quod ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam. Expositio non mutatur : ecce ostensio operum et scientiæ : unde supra dixit, opera manuum ejus annuntiat firmamentum, et nox nocti indicat scientiam : et gloriam Domini posuit per eos in sole : hanc scilicet quod a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: et hujus expositio non mutatur. Solem quia apertus omnibus est pro aperto ponit ; et cum ipse tantus sit quod a summo cœlo egressio ejus: et occursus ejus usque ad summum, non est aliquis audientium *qui se abscondat a calore ejus*, id est qui rationibus infidelitatem suam possit protegere ab expugnatione spiritus ejus, qui per prædicatores ejus loquitur. *Abscondere* dicit a similitudine pugnantium, qui protegendo se sub clypeis abscondunt : ipsi vero infideles quærentes se abscondendo humanis rationibus protegere, et excusabiles facere non possunt juxta Salomonem : « Non est fortitudo neque sapientia contra Deum » (*Prov.* XXI, 30) : Calorem vero dicit Spiritum sanctum eo quod sicut calor aquam in glaciem induratam resolvit, ita Spiritus sanctus in peccatis et in infidelitate induratos : in fide et virtutibus resolutos facit ; de quo Dominus in Evangelio dicit : « Cum venerit, » id est cum apostolis datus per eos loquetur, « ille arguet mundum, » id est inexcusabiles reddet mundanos : « de peccato quidem : quia non crediderunt in me, » id est convincet eos inexcusabiles esse de hoc quod non crediderunt in me, id est *de infidelitate sua* : quæ peccatum antonomastice est, cum fidei virtus omnium virtutum fundamentum sit : « De justitia autem : quia ad Patrem vado,

www.libtool.com.cn

et jam non vidbeitis me (*Joan.* xv, 26), » id est ipsi prius dicebant se non posse justificari, cum nullum haberent omnino justum, ad cujus comparationem justi fierent : sed de justitia quam habere nolunt non ulterius erunt excusabiles. Nam ego penitus justus sum et sine macula, ad cujus exemplum justitiam habere possunt, et per hoc convincetur a Spiritu sancto me justum penitus esse et sine macula: « quia ad Patrem vado, » et ita quod jam non videbitis me corporaliter affligi et angustiari et crucifigi sicut vidistis : sed amodo gloriosus ero et immortalis. Nisi enim justus et sine macula penitus essem, non utique sic gloriose ad Patrem ascendendo immortalis fierem. « De judicio vero, quia princeps 56 hujus mundi jam judicatus est (*Ibid.*):» Ac si dicat illi prius per judicium, id est per damnationem originalis peccati, sic se de infidelitate et justitia excusabant, ad quid fidem et justitiam haberemus? Nunquam adeo fideles et justi erimus, quod judicium, id est damnationem originalis peccati non subeamus, sed de hoc judicio, id est per hoc judicium non ulterius excusare se poterunt : *quia princeps hujus mundi,* id est diabolus, qui hucusque mundi judicium habuit, *jam judicatus est* a me, id est, ablatum est potentiæ ejus imperium, ne in fidelibus et justis jus originale ulterius habeat.

Hoc incidenti exposito, ad psalmum redeamus : dico quod non est qui se abscondat a calore ejus : per quem calorem dabitur lex. Et *lex Domini* scilicet Filii per calorem ejus data est *immaculata*, et hoc exponit, id est *convertens animas* a peccatis, non solum corpora ut vetus lex, quæ timore pœnæ membra, non voluntates a peccatis retrahat : quod est ac si dicat : immaculata est, id est immaculatos faciens, adjutrice gratia cooperante. Et *testimonium*, id est lex *Domini*, est *fidele*, id est fideles faciens. Lex autem ideo testimonium dicitur : quia sicut testimonium a Patre, Filio dimissum, hæreditatis pignus est et retentio : sic et lex a Deo nobis dimissa, æternæ hæreditatis nobis pignus est et arrha : et ipsum testimonium est *præstans parvulis*, id est, humilibus *sapientiam*, id est intellectum spiritualem, juxta illud Evangelii : « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* x, 21) : » et *justitiæ Domini rectæ* sunt, id est præcepta illius Domini justitiæ dicenda recta sunt : et inde hoc probatur, quia ipsemet auctor præceptorum prius ea complevit : ut in Actibus apostolorum : « Quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* i, 1) : » et sunt *lætificantes corda* fidelium : non contristantes ut vetus lex timore pœnæ, ut Dominus in Evangelio : « Jugum meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* xi, 30) ; » et *præceptum Domini illiminans oculos* cordis in intellectu : hoc vero idem est æquipollenter quod supra posuit : *Sapientiam præstans parvulis*, sed ad hoc repetit ut causam interponat : quare oculos illuminet : ideo scilicet, quia *lucidum* est, id est manifestum ad intelligendum, non obscure ut vetus lex : et per illud præceptum concipitur *timor Domini sanctus*, id est sanctos faciens juxta illud Sapientis : « Qui timet Deus faciet bona ((*Eccle.* xv, 1). » Et quia sunt duo timores, servilis scilicet et castus, et uterque sanctus : uterque enim a peccatis cessare facit : determinat de quo hic intendat sic : timor dico *permanens in sæculum sæculi*, id est semper postquam habetur duraturus, castus scilicet timor, de quo Apostolus : « Charitas nunquam excidit (*I Cor.* xiii, 8) : » servilis vero timor, adveniente casto, expellitur, Joanne Apostolo testante : « Perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* iv, 18) : » has vero laudes de lege Dei posuit : ut successoribus eam suscepturis commendaret. Repetit vero duas de superioribus laudibus, addens aliam quam non dixerat, ut ex his aliud addat. Et quia judicia Domini, id est præcepta quæ judicantur complenda in lege Domini : sunt *vera*, et hoc est quod superius dixit : justitiæ rectæ : et quia sunt *justificata*, id est justos facientia : et hoc est quod superius posuit. Timor Domini sanctus : sed hoc tertium quod sequitur non fuit superius positum hoc scilicet, et quia sunt in *semelipsa* euntia, id est se concordia, non discordantia ut judicia sæcularia : *desiderabilia* sunt in est desiderari debent *super aurum et lapidem pretiosum multum*, et per has summas divitias innuit quia omnibus divitiis desiderabiliora sunt, et *dulciora* sunt animabus fidelium *super mel et favum* intransitivum est, id est super mel favi, quod delectabilius est melle jam expresso. Vel potest legi non intransitive, quoniam utrumque mel satis delectabile est : et per has duas delicias, quæ dulcissimæ sunt, denotantur omnibus deliciis esse dulciora, ut alibi Psalmo : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua (*Psal.* cxviii, 103). » Et hoc ab auctoritate sic ostendit : vere desiderabilia 57 et dulciora. *Etenim servus tuus* scilicet non faciens se liberum suum, sed servum, et per omnia tibi obedientem. *Custodit ea* : qui aliter non custodiret, id est non invitus sed diligenter, et cum summa custodia complet ea, et bono suo custodit. Nam *in custodiendis illis est retributio multa*, et bene ponit custodiendis : hæc enim retributio est solummodo quæ pro illis custoditis in futuro retribuetur, sed hoc est quod a Deo custodiri permittuntur summa retributione.

Dico, quia tuus servus custodit judicia tua : *delicta* vero *quis intelligit* esse custodienda? Nullus scilicet, nec ille qui facit. Ergo, Domine, *munda me ab occultis meis* delictis, quæ ab occulto fomite mei peccati oriuntur. Ideoque occulta dicuntur. *Et ab alienis* (me auferendo), *parce servo tuo*, id est parce mihi ne maculer ab his quæ a suggestionibus aliorum, vel ab instinctu diaboli nascuntur. Ideoque aliena dicuntur : de quibus Sapiens dicit : « Fili mi, si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis (*Prov.* i, 10).» Dico: munda et parce. Et bono meo hoc facies. Nam *si* delicta *non fuerint* dominata *mei*. id est, non

www.libtool.com.cn

habuerint me in dominio suo ut serviam eis: «Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » *Tunc immaculatus ero*, id est innocens. Et tunc *emundabor*, id est mundus ero *a delicto maximo*, id est superbia, quæ delictum maximum recte dicitur eo quod per illam primum a Deo recedimus. Cum enim inobedientes sumus, contra Deum superbimus. Et per eamdem multi ad ultimum expugnantur, cum calcatis vitiis de sanctitate sua in se gloriantur. Unde prosper: « Sola superbia cavenda est in rectis factis. » Vel sic: Si mei inimici, id est delicta quæ prædixi non fuerint dominati mei. Et non mutantur. Tunc vero dicuntur non dominari peccata, cum, solum fomite instigante, actus non sequitur vel consensus. Unde apostolus: « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus (*Rom.* VI, 12). » Quasi dicat: Est peccatum in mortali corpore nostro, sed non regnet. Et me emundato, erunt *eloquia oris mei*, talia ut *complaceant* tibi, id est laudes, prophetiæ meæ et orationes meæ tibi placebunt, quæ aliter non placerent. « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). » Et non sola eloquia placebunt, sed *et meditatio cordis mei*, id est quidquid meditabor erit *in conspectu tuo*, id est in beneplacentia tua *semper*, id est tibi placebit semper, o Domine adjutor meus, id est cooperator ut bene operer, et redemptor meus a vitiis, ne peccem.

IN PSALMUM XIX.

Titulus decimi noni. *Psalmus David* prophetæ. *In finem*, id est in Christum respicientis. Vel in finem id est in consummationem temporum, ut in superiori psalmo. Propheta prævidens Christum regem nostrum cum pro nobis bellaturus sit contra diabolum, et sacerdotem etiam nostrum esse futurum, cum pro nobis corpus et animam Deo sit in cruce oblaturus, orat Deum Patrem pro eo, ut eum in passione pro se orantem exaudiat. Et scilicet ut non cedat et resurgat. Et pro humano genere ut salvetur, eum orantem exaudiat, et desideria ejus compleat et consilia confirmet. Et non ideo orat, ut pro eo necesse sit orare, sed ut hoc futurum ostendat. Et ad exemplum contemporaneorum suorum, quantum hujusce rei desiderium habuerit innuat. Nobis etiam in tempore plenitudinis exemplum bonæ dilectionis erga eum habendæ dimittat.

Exaudiat te, o Christe, id est sic ut impetres audiat te *Dominus*, Pater vel Trinitas orantem pro te et membris. *In die tribulationis*, id est in tempore passionis, oraturum scilicet et affectione et verbis et obedientia, ut in sequentibus exponetur. Dico, *exaudiat*, in hoc scilicet. *Protegat te* pro nobis in passione pugnaturum, ne cedas. Et *nomen Dei Jacob* sit inde causa, id est hoc quod quæris magnificare nomen Patris, quem Jacob Deum reputat, id est fortes luctatores 58 contra vitia. Vel qui erit non solum Deus Judæorum, sed etiam gentium, quæ sunt Jacob, id est supplantantes benedictionem, et juniores, ut Jacob junior fuit, qui et Esau supplantavit (*Gen.* XXVII, 36). Dico, nomen Dei Jacob magnificandum, ut idem in Evangelio: « Non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me (*Joan.* VII et VIII). » Cum autem orat ut pugnans pro nobis protegatur, eum regem inducit: regum enim est pro sui regni salute pugnare. Et non solum protegat: sed et *mittat* id est det *tibi auxilium*. Quod est dicere: Sit auxiliator ut mortem et diabolum vincas. Et hoc *de sancto* procedat, id est propter sanctitatem tuam, quæ tanta est ut te adjuvet. *Et tueatur te*; idem est quod supra posuit, *protegat*, quod repetit ut causam addat. *De Sion* scilicet tueatur te, id est propter speculationem tuam, quia specularis æterna et reparationem hominum futuram. *De*, causativa particula est. Et *memor sit* ut ad effectum perducat. *Omnis sacrificii tui*, id est singularum injuriarum et obedientiarum quas pro hominibus patieris, quæ erunt Deo dulcia sacrificia. *Et holocaustum tuum*, id est illud supremum sacrificium, quod te totum in cruce Deo pro nobis offeres, *pingue fiat*, id est delectabile Deo: a similitudine pinguium, quæ delectabilia erant ad sacrificandum. Et bene ponit holocaustum: *Holon* enim totum, *causis* autem incensio sonat: ipse vero fuit holocaustum, id est totus et in corpore et in anima igne passionis incensus. Hic autem eum sacerdotem inducit. Sacerdotum enim est pro populo sacrificare. Cum vero Christus sic Deo sacrificavit, pro sui resurrectione, membrorumque salute, ipsa obedientia Patrem oravit. *Tribuat tibi secundum cor tuum*, id est quidquid cor tuum desiderabit, id est resurgere et homines salvare. Et hoc idem est in sententia, quod et superius posuit: scilicet memor sit omnis sacrificii tui; sed ideo sic ponit, ut ex nimia affectione ostendat non solummodo sua obedientia, sed etiam pro nobis bona cordis affectione oraturum. Et cum non solum sis inde habiturus qualemcunque cordis affectionem, sed affectionem cum summis et ineffabilibus consiliis disponendam, *omne consilium tuum confirmet*, id est omnia consilia tua firma faciat et efficacia, scilicet ut contingat cæcitas in Israel, juxta Apostolum: « Ut plenitudo gentium intret (*Rom.* XI, 25), » et ut vetus chirographum Adæ morte tua solvatur: et contra multa quæ ineffabilia sunt. Et cum hoc continget, *lætabimur* ego et mei similes *in salutari tuo*, id est in salvatione tua. Et non solum lætabimur, sed nos hic bene operantes in *nomine* tuo, id est in honore nominis tui: non ad honorem nostrum: *magnificabimur*, id est magni et gloriosi per te erimus in participatione immortalitatis et benedictionis tuæ, ut in Evangelio Dominus: « Justi fulgebunt sicut sol (*Matth.* XIII). » Et apostolus: « Quos vocavit, illos magnificavit [*al.*, glorificavit) (*Rom.* VIII, 30), » hoc interposito, revertitur ad orationem sic: Dico, memor sit. Et tribuat tibi secundum cor tuum: et *impleat Dominus omnes petitiones tuas*, has scilicet: « Pater, clarifica Filium tuum (*Joan.* XVII). » Et alibi: « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus (*Joan.* XII). » Et hoc potuit intelligi superius

www.libtool.com.cn

ubi posuit: *Tribuat tibi*, etc. Sed ad hoc ponit ut insinuat non solum desiderio, sed hoc etiam se verbis oraturum. Et ne putaretur ex dubietate orare, sed se hoc quod orat certissime scire futurum, sic confirmat: Quamvis sic orem, tribuat tibi, etc. Tamen *nunc* cognovi, id est jam certus sum; non solummodo cum fiet, cognoscam quia *salvum fecit*, id est faciet Dominus pater *Christum suum*. Jesum scilicet, id est resuscitabit. Et *exaudiet illum* orantem pro membris. Et hoc *de cœlo sancto suo*, id est pro hoc quia est cœlum sanctum ejus in sublimitate virtutum; et hic *de* causativum est. Vel hoc scilicet exaudiet; quod *salus*, id est salvati per eum dicendi salus emphatice, erunt *in potentatibus*, id est in potentiis *dexteræ ejus*, id est erunt potentes in virtutibus quæ dicuntur dextera Dei, eo quod digniora sunt præsentibus bonis ut dextera læva dignior est. Præsentia 59 vero bona dicuntur læva, eo quod sint minus digna, ut in Cant, sponsa de sponso: « Læva ejus sub capite meo: et dextera ejus amplexabitur me (*Cant.* II,6). » Dico quod salvati erunt potentes in dextera. Non salvati autem *hi*, id est alii eorum *potentes in curribus*. Et *hi*, id est alii *in equis*. Quod est dicere: Erunt potentes in sæculari pompa: alii plus, alii minus. Per currus major pompa; per equos vero minor designatur: major enim triumphus erat qui in curribus, quam qui fiebat in equis: Dico quod illi potentes erunt in curribus et in equis. Nos autem, talia contemnentes, *in nomine Domini Dei nostri* bene operantes *invocabimus*, id est orabimus eum voce, operibus et bona affectione. Dixi quod illi potentes in curribus et in equis erunt. Et per hoc putant se felices et stantes firmiter et expeditos ad omnia facienda. *Ipsi* autem per hoc *obligati sunt*, id est impediti ne salutem suam operentur. Et qui bene se stare credunt, *ceciderunt* in mortem vitiorum. *Nos autem* quos depressos putant *surreximus*, per bona opera a peccatis, et non per nos, sed *erecti sumus* a te. Dixi quod lætabimur in salutari Christi et magnificabimur; et ut hoc sit, Domine pater, salvum fac resuscitando regem Filium tuum: et tu rex exauditus, *exaudi nos*, a damnatione originali educendo nos, id est me et mei conformes, *in die qua invocaverimus te*, id est quam cito te orabimus: illi qui vivi erunt opere et devotione; illi vero qui mortui affectione spirituali.

IN PSALMUM XX.

Titulus vegesimi. *In finem Psalmus David*. Et hic ut superior exponitur. Hic intendit propheta quod in superiori psalmo oravit, ad fidem nostram et contemporaneorum suorum enuntiare, Christum scilicet viriliter acturum, et orbem salvaturum, et inimicos juste. et in hoc sæculo et in futuro damnaturum. Et hoc sic dicit:

Domine pater, *rex*, id est Jesus Filius tuus, *lætabitur* in virtute tua, id est tu dabis ei virtutem constantiæ in passione: et in ea sic viriliter aget quod ad lætitiam victoriæ resurgendo perveniet. Et non solum pro virtute tua lætabitur, sed *exsultabit vehementer super salutari tuo*, id est de salvandis tuis per se. Vel exsultabit vehementer super salutare tuum respiciens, id est considerans illos quos per eum salvabis. Et vere lætabitur, et exsultabit Nam *desiderium cordis ejus tribuisti*, id est tribues *ei*, id est resurgere et mundum salvare: *Et non fraudasti eum*, id est non diminues eum *voluntate labiorum* ejus, id est bona voluntate, quam ut compleas, labiis orabit, id est resurgere et mundum salvare. Et hoc est illud idem quod dixit: Desiderium cordis ejus tribuisti ei; sed ad hoc iterum sic ponit, ut eum non solum desideraturum, sed etiam oraturum ostendat. Vel non fraudasti eum, denegando voluntatem labiorum ejus. Et ecce causam quare tribues et non fraudabis. *Quoniam prævenisti eum*, id est prævenire facies eum omnes alios: *in benedictionibus*, id est in exaltationibus *dulcedinis* virtutum, id est exaltabis eum præ omnibus sanctis in dulcedine virtutum, adeo scilicet ut nihil peccati sit in eo, quod nulli alii continget. Juxta illud: « Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram (*Job.* XIV). » Vel prævenisti, id est in principio incarnationis suæ pones eum in benedictionibus dulcedinis, id est immunitatis a peccato, et in virtutibus, cum cæteri prius soleant poni in maledictionibus originalis peccati, quod in baptismo deletur. Et per hoc dignus erit ut non fraudetur. Et exponit ipsam voluntatem sic: et quia adeo dignus a te fiet, quod sic prævenies eum, *posuisti* ei, id est dabis ei *in capite*, id est in initio prædicationis suæ, *coronam*, id est collectionem fidelium, qua circumdabitur et ornabitur ut caput corona. Coronam dico sanctam *de lapide pretioso*, id est de lapidibus pretiosis: de apostolis scilicet qui fulgidi sunt in virtutibus et Deo chari: sicut lapis pretiosus fulgidus et omnibus charus est. Et postea *vitam petiit*, id est petet a te 60 et affectione et bona operatione. *Et tribuisti*, id est tribues *ei*, post completam obedientiam, *longitudinem dierum* id est longissimam vitam, duraturam in *sæculum* istud præsens, *et in sæculum sæculi* hujus subsecutivum, id est semper, ut ait Paulus apostolus: « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, etc. » (*Rom.* XI, 9.) Et ipse volet habere magnam gloriam in resurrectione: Et *magna* erit *gloria ejus in salutari* tuo, id est in salvatione tua, quando suscitabis eum a mortuis. Et ipse volet habere gloriosa et decora membra. Et tu impones, id est fundabis super eum ut sit firmamentum et caput eorum, *gloriam*, id est gloriosos scilicet, *et magnum decorem*, id est magnifice decoros in virtute et sanctitate. Unde Apostolus: « Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, etc. » (*Ephes.* II,20.) Et dignum erit ut super eum imponantur.

Quoniam dabis eum *in benedictionibus* membrorum suorum, id est in exaltationibus, ut exaltet in virtutibus suos, de generatione in generationem usque *in sæculum sæculi*. Interposita causa, revertitur ad bona quæ daturus est ei Pater, quæ enumerare cœpit: Dixi quia volet: et impones super eum ma-

www.libtool.com.cn

gnum decorem. Et volet etiam lætari de gaudio beatitudinis suorum in futuro. Et tu *lætificabis eum in gaudio* suorum quod habebunt *cum vultu tuo*, id est quando erunt in præsentia tua in cœlis. Unde Apostolus : « Rapiemur obviam domino in aera, et sic semper cum Domino erimus (*II Thess.* IV, 17.) » Et merito habebit per te hæc omnia quæ dixi : *Quoniam* ipse *rex sperat*, id est spem habebit *in* te *Domino* : non in terrenis, et ideo *non commovebitur* a bono proposito suo. *In misericordia sui Altissimi* confidendo, ut idem in Evangelio : « Non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* XXII, 42). » Facit apostropham ad ipsum regem satagendo de salvandis, et enuntiando de damnandis sic : Dixi quod sic gloriosus eris : sicut ostenditur continget. Et cum sic gloriosus eris, *inveniatur manus*, id est potentia virtutis tuæ *omnibus inimicis tuis*, tam Judæis quam gentibus, id est cognoscant te potentem et ad te convertantur. Manum ponit pro potentia, quia in manibus operamur et virtutem habemus. Et si per se non possunt invenire cum debiles sint, *dextera tua*, id est potentia misericordiæ tuæ *inveniat* per prædicatores *omnes qui te oderunt*, tam Judæos quam gentes, tibi credere et obedire nolentes. Non dicit omnes, ideo quod omnes inveniendi sint : sed tamen ex affectione nimia pro omnibus orat. Oro ut invenias omnes qui te oderunt. Et vere multos inveniens, et si non omnes. *Eos* vero quos non invenies, *pones ut clibanum ignis*, id est similes clibano ignito. Quia sicut interius clibanus ardet, ita ipsi interius mala conscientia ardebunt ; *in tempore vultus tui*, id est iræ tuæ : in die judicii scilicet. Unde Paulus : « Testimonium reddente conscientia eorum, et cogitationum inter se invicem accusantium (*Rom.* II, 15). » Quia vero in vultu ira solet apparere, vultum pro ira ponit : ut alibi Psalmista : « Vultus Domini super facientes mala (*Psal.* XX, 17), » et non solum ponentur ut clibanus : sed et Dominus *conturbabit eos* tristitia et metu : *in ira sua*, id est quando videbitur eis iratus dicendo : « Discedite a me, maledicti, » etc. (*Matth.* XXV, 41.) Et eos conturbatos *devorabit*, id est submerget *ignis* æternus : ut in Evangelio : « Ibunt hi in supplicium æternum (*Matth.* XXV, 46). » Et non tantummodo eos conturbabis : sed *fructum*, id est filios, imitatores scilicet, *eorum perdes, de terra* viventium delendo, ut alibi Psalmista : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* LXVIII, 29), » et non solum de terra viventium, sed hic etiam perdes *semen*, id est eosdem filios *eorum*, *a filiis hominum* segregando hic, id est a fidelibus Ecclesiæ, qui sunt imitatores prophetarum et apostolorum, qui fuerunt homines, id est rationabiles : Dixi quod pones eos et conturbabis ; et merito. *Quoniam declinaverunt in te mala*, quæ timuerunt super se ventura, si te regem suum facerent, scilicet amissionem loci et gentis. Voluerunt enim te mala passionis passurum, ne locum et gentem amitterent. 61 Unde Caiphas : « Expedit ut unus moriatur homo, et non tota gens pereat (*Joan.* XI, 50). » Et *cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*, id est me in morte detinere, sicut ipsi ad Pilatum dixerunt : « Jube custodiri sepulcrum (*Matth.* XXVII, 64), » etc. Et inde hæc cæcitas eis continget ut hæc consilia cogitent *Quoniam pones eos dorsum*, id est spretos a te, ut res quæ post tergum adjicitur, *dorsum*, eos emphatice dicit. Et ne putaremus quod nullius esset postea miserturus, sic addendo determinat : Dico quia *pones eos dorsum*, et non omnes. Nam *præparabis* adhuc, id est restitues ; *vultum eorum*, id est visus eorum mentis qui exstinctus est per infidelitatem. Et hoc non in omnibus, sed *in reliquiis*, id est in illis quos relinques, salvandos, unde Apostolus : « Reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX, 27). » Vel *præparabis vultum eorum in reliquiis tuis*, id est per Eliam et Enoch, quos ad hoc opus vivos reliquisti ; et ut hæc omnia fiant, o *Domine*, *exaltare*, id est potens appare ; *in virtute tua*, id est exercendo virtutem tuam quam prædixi, scilicet resurgendo, et tuos glorificando, et inimicos perdendo. Nos autem *cantabimus et psallemus virtutes tuas*, id est celebrabimus has virtutes tuas, cantico bonæ affectionis, et psalmo, id est bona operatione ; quod est dicere : Ad honorem virtutum tuarum bene cogitabimus et operabimur.

IN PSALMUM XXI.

Titulus vigesimi primi. *In finem pro assumptione matutina psalmus David*. Quod sic exponitur : Psalmus iste attribuendus est David, id est Christo tendenti in finem, id est in victoriam quæ finis est cursus obedientiæ ejus. Ubi vero nos hic habemus *in finem* : Hebræi habent, *victori*. Vel in finem, id est in perseverantiam ; David dico agenti pro assumptione matutina, id est pro resurrectione quæ contigit mane, in qua Deus eum assumpsit de humilitate ad gloriam ; de mortalitate ad immortalitatem. In Hebraica vero translatione habetur *pro cerva matutina*, quod idem est in sententia. Quasi dicat : Agenti pro cerva matutina, id est pro lætitia cervæ, id est humanitatis suæ in mane gavisuræ. Quod est dicere : Pro lætitia resurrectionis. Cerva vero Christi humanitas per similitudinem dicitur. Cervarum enim et etiam cervorum est mane pro diei adventu nimis gaudere ; ita et Christi humanitas in matutina sua resurrectione pro æternitatis adventu gavisa est. Bene vero feminine *cervam* ponit, cum ejus humanitas incarnati Verbi sponsa dicatur. Et est hic vox capitis, quiddam unde posset dubitari, ut solvat postea proponentis : quare scilicet eum Deus, cum adeo justus esset, in passione dereliquisse visus est cum sic permiserit eum affligi. Orat etiam de constantia in passione, et de resurrectione ostendendo potissime ad instructionem fidei nostræ, etiam genus passionis suæ, et quis fructus inde sit futurus. Et hoc sic dicit :

Deus qui omnium communiter es. Et *Deus meus* specialiter, id est mihi personaliter unitus : Vel, *Deus meus*, cui specialiter præ omnibus obedio ; *respice me*, auxiliando ne cedam ; et ut resurgam, quem tu

www.libtool.com.cn

dæi reputando vilem dedignantur respicere ut misereantur. Et hoc quod breviter penit, *respice*, in sequentibus late exponit. Dico *Deus meus*; et cum sis Deus meus, specialiter quærendum esse videtur : *quare me dereliquisti?* id est quare visus es me dereliquisse? Sequitur solutio. *Verba delictorum meorum*, membrorum futurorum, id est postulationes quas mei futuri faciunt, pro delictis suis purgandis: petunt ut sis *longe a salute mea* corporali, id est ut non salves me a morte corporis. Non ponit *verba* eo quod verbis agant, sed quia sicut aliquis verbis postulat; ita et miseriis delictorum suorum ad eum clamabant, sicut de sanguine Abel ad Cain a Domino dictum est : « Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me 62 de terra (*Gen.* IV, 10). » Quasi dicat : Postulationes meorum pro ablutione delictorum suorum, sunt causa quare a te sic derelinquar. Vel potest esse remotio sub interrogatione, sic : Dico, *quare me dereliquisti?* An *verba delictorum meorum*, id est petitiones peccatorum quæ fecerim agunt hoc ut sis *longe a salute mea* corporali. Quod est dicere : Expetunt hoc delicta mea ne me salves? Non scilicet. Et exponit in quo videatur esse derelictus, sic : Dico, *dereliquisti*. Et vere visus es dereliquisse, o Deus meus, specialiter. Nam ego *clamabo*, id est videbor a Judæis clamare mentis affectione, per diem totum passionis meæ ut evadam. *Et non exaudies*, id est videberis me non exaudire; vel revera clamabo et voce et affectione, ut liberer, nolens tamen exaudiri; sed ad confortationem debilitatis meorum qui timentes in tormentis futuri sunt, ne postea de præmio desperent clamabo: *et non exaudies* ut liberer, ut in Evangelio : « Pater, si possibile est, transfer calicem hunc a me : verumtamen non quod ego volo, sed quod tu (*Matth.* XXVI, 39). » *Et nocte*, id est, in mane resurrectionis cum adhuc tenebræ noctis erunt; *clamabo* ad te, non verbis, sed ipsa obedientia mortis, id est clamor ille non cedet *ad insipientitiam mihi*, id est non inde aterputabor insipiens et indignus impetratione, sed tunc *exaudies* me resuscitando. In alia translatione habetur : *Et non silebis*, id est respondebis meæ petitioni, non loquendo sed resuscitando. Vel sic : Et non silentium mihi a te erit, sed responsio. Et hic eadem sententia est : Dico, visus es dereliquisse, et esse longe a salute mea; *et non exaudies*. *Tu autem*, id est tu; quamvis hoc sit, *habitas*, id est indesinenter manes, licet videaris elongatus. In me Sancto sanctorum, antonomastice, vel quia dixerat se derelictum esse in morte propter verba, id est propter petitiones delictorum suorum membrorum ut compleantur, ne putaretur quod similiter per omnia exaudirentur; hoc totum remotio sic esse potest : Dico quod verba delictorum illorum postulant ut sis longe a salute mea; et in hos exaudiuntur, et tamen non putent se per omnia exaudiendos esse, o *Deus meus*. Nam ego *clamabo*, id est mei clamabunt ad te *per diem*, id est per prosperitatem, ne deficiat, *et non exaudies*. *Et nocte*, id est per adversitatem, ut deficiat. *Et non* A *exaudies*; et hoc quod non exaudientur, *non* erit *ad insipientiam mihi*, sed ad utilitatem et doctrinam. Nam, juxta Apostolum: « Virtus in infirmitate perficitur (*II Cor*, XII, 9). » Et alibi Psalmista : « Disciplina tua correxit me, » etc. (*Psal.* XXVII, 37). Dico quia *non exaudies*, et ideo videberis elongatus. *Tu autem habitas*, id est, tamen non exaudiendo, *in sancto*, id est in sancta collectione membrorum meorum. Unde propheta : « Inhabitabo in illis, et ero illorum Deus (*II Cor.* VI, 16; *Lev.* XXVI, 12). »

Ostensa quadam causa, quare videatur derelictus, adjungit aliam vehementiorem, sic : *Dereliquisti*. Et vere videris dereliquisse, o tu, *laus Israel*, quem laudaverunt bona devotione et operatione patres antiqui de genere Israel. Vel qui futurus es per me laus B meorum Israel futurorum, id est, te in contemplatione visurorum. Nam *in te speraverunt patres nostri*, qui minus digni quam ego fuerunt. Dico, *speraverunt*; et ideo *liberasti eos* a tribulationibus. Et non solummodo *speraverunt*, sed ex ore *ad te clamaverunt et salvi facti sunt*. Et hoc illud idem est quod superius posuit : *Liberasti eos*; sed ob aliam causam repetit, scilicet quia dixerat : *Ad te clamaverunt*. Et non solummodo *salvi facti sunt*, sed *in te speraverunt, et non sunt confusi*, id est superati ab hostibus, sed victores fuerunt ut filii Israel sub Moyse. Hic per litteram minus dicitur, et magis intelligitur. Nam cum dicit, *non sunt confusi*, intelligitur quod victores fuerunt. Dico quod illi *salvi facti sunt*. *Ego autem* adeo C justus, *sum vermis et non homo*, id est, videor adeo vilis ad interficiendum ut vermis, qui sine quolibet respectu damni perimitur. Et nec etiam homo ab 63 eis esse reputor, id est ita me interficiunt, quasi non essem homo. Vel ita : *Ego sum vermis*, id est vermi similis. Nam sicut vermis de nuce vel de aliquo fructu sine semine nascitur, sic et ego de Virgine sine semine natus sum : *et non homo* simpliciter, sed etiam Deus, et cum tantum dignus sim ut vermis sim et non homo, tamen sum *opprobrium hominum*, id est tantum videor eis vilis, quod omnibus hominibus, quorum sum particeps naturæ, opprobrium esse videar. Et, ut vehementius dicam : sum *abjectio plebis*, id est purgamentum omnis plebis cum interficio, sicut sordes cum a domibus adjiciuntur D eas purgant. Et quia sum opprobrium et abjectio, *omnes videntes me*, id est, considerantes me talem, id est opprobrium et abjectionem, non Deum et hominem, *deriserunt me*, conspuendo et colaphizando. Et non solum sic me deriserunt, sed etiam *locuti sunt labiis*, non corde solo; et loquendo *moverunt caput* derisorie. Dico, *locuti sunt*, dicentes : *Speravit in Domino*, id est dicit se sperasse in Domino; *eripiat eum* de potestate nostra. *Salvum faciat eum* a morte, *quoniam vult eum*, id est diligit eum sicut ipse asserit, ut in Evangelio : « Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult, » etc. (*Matt.* XXIX, 43). Et hoc totum est, ac si dicat : Hæc est causa quare derelictus videor. Nam patres nostros qui minus me digni fuerunt, exauditos de tribulationibus liberasti. Me vero

www.libtool.com.cn

qui usque adeo dignus sum, ut tibi sim consubstantialis, ita vilem ut vermem, et opprobrium, et abjectionem, et derisum esse permisisti. Soluto quod proposuit, et incidentibus causis expositis, orat ne se Deus inadjutum relinquat ex toto, præmittendo quoque meritum per quod dignus sit exaudiri. Et hoc sic dicit : Ipsi sic *omnes deriserunt me*, putantes a te derelictum esse. Tu vero ne discesseris a me, ne cedam, et ut resurgam. Et vere scio quod non discedes, *quoniam tu es qui extraxisti me de ventre*, id est, tu solus causa fuisti quare nascerer. Aliorum vero quodammodo patres generantes causa sunt quare ipsi de ventre extrahantur et nascantur. Et tu es *spes mea ab uberibus matris meæ*, id est, in te semper speravi, ex quo matris ubera sugere cœpi. Et *ex utero projectus sum in te*, id est, ut tibi personaliter unirer, cum omnes alii in prima nativitate in Adam projiciantur, ut sint ei in peccato originali conformes. Dixi quia est *spes mea ab uberibus*; et ut expressius dicam : *Deus meus es tu de ventre natris meæ*, id est habeo te Deum ex quo fui in ventre, ideoque ne *discesseris a me*, id est non me dimittas inadjutum. Et necesse est ut hoc orem.

Quoniam tribulatio proxima est, id est, in carne mea non in membris, neque in amissione rerum. Et *non est qui adjuvet*, nisi tu. Et exponit tribulationem sic : *Circumdederunt me*, ut caperent, *vituli multi*, id est, multi de plebe lascivi ut vituli, nulla causa, sed sola lascivia sua me capientes. Et *me* captum *obsederunt*, id est, accusationibus suis circumvallaverunt ne evaderem. *Tauri pingues*, id est, Judæorum principes cervicosi et superbi ut tauri pingues. Et non ex meritis meis malis, sed sola pinguedine, id est, superbia sua. Et ipsi, et vituli et tauri, *aperuerunt os suum super me* existentes, id est se superiores me reputantes, dicentes : « Crucifige (*Luc.* XXIII, 21). » Existentes *sicut leo*, id est, crudeles ut leo *rapiens* quantum ad vitulos, qui me rapuerunt, id est, irrationabiliter ceperunt. *Et rugiens*, id est, irrationabiliter in me frementes, ad modum leonis. Et hoc quantum ad omnes et vitulos et tauros. Et non solum hoc fecerunt, sed et *effusus sum*, id est anima effusa est de corpore. Dico *effusus sum* ego, dico existens *sicut aqua*, id est, similis aquæ, quæ effusa ruinam parare solet ; sic et ego effusus hostibus meis ruinam parabo, id est destructionem. Unde in Evangelio : « Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel (*Luc.* II, 34). » Vel sic : *Effusus sum* in mortem *sicut aqua*, id est cum tanta 64 vilipensione, quanta aqua effunditur. Ideoque *dispersa sunt* in fugam *omnia ossa mea*, id est populi qui sunt robustiores in Ecclesia, sicut ossa robustiores partes corporis sunt. Unde scriptum est : « Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt (*Matth.* XXVI, 56). » Et propheta : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves (*Zach.* XIII, 7). » Et non solum *dispersa sunt* ; sed etiam *cor meum*, id est doctrina quæ processerat de corde meo quam eos docueram, id est, me resurrecturum, *est factum tamquam cera*

A *liquescens in medio*, id est in communitate *ventris mei*, id est apostolorum, qui, cum prius ossa essent, id est, fortes in fide, facti sunt debiles ut venter. Quod est dicere : Sicut cera ad aspectum ignis liquescit, ita et fidei doctrina ad aspectum passionis meæ in ipsis deficit, et non in paucis, sed in omnibus communiter. Et ideo *cor meum factum est tanquam cera liquescens* ; quia in eis *aruit virtus mea*, quæ prius floruit in miraculis, id est, defecisse visa est potentia mea, fragilis reputata ab eis *tanquam testa*, quæ cito frangi potest. Unde et ipsi dixerunt : « Nos sperabamus quod hic redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21). » Et ideo *aruit* in eis *virtus mea* : quia *lingua mea adhæsit faucibus meis* ut non loqueretur, id est, quia viderunt me tacentem ut reum. Et ideo B adhuc quia *deduxisti me in pulverem mortis*, id est, quia putaverunt ut sic me permisisses duci in mortem, ut pulvis efficerer sicut alii mortui. Et ideo visus sum deductus *in pulverem mortis* ; quoniam turpissima morte condemnatus sum. Et exponit qua morte.

Quoniam circumdederunt me ut caperent *canes*, id est ministri *multi*, irrationabiliter in me oblatrantes : qui ad eorum salutem veneram, sicut canes sæpe sibi auxiliantibus oblatrant. Et me captum *concilium malignantium*, id est, principum maligne in me agentium, *obsedit*, id est circumvallavit accusationibus ne evaderem. Et postea : *Foderunt manus meas et pedes meos* in cruce. Et adeo extenderunt, C quod *dinumeraverunt omnia ossa mea*, id est, dinumerare potuerunt. Et hoc scelere patrato, non doluerunt ; sed ipsi quos salvare veneram, quibus miracula feceram, *consideraverunt*, et (*pro* scilicet) *inspexerunt*, id est in delectatione aspexerunt me in cruce positum. Et postea *diviserunt sibi vestimenta mea*, *et super vestem meam*, quæ inconsutilis erat, *miserunt sortem* cui cederet, « nolentes eam scindere (*Joan.* XXIX, 24), » quia pretiosa erat. In divisione vero vestimentorum, eorum avaritiam ostendit, prædicens etiam hoc prophetice ad instructionem fidei successorum. Potest etiam in hoc figura denotari. *Vestimenta* enim discissa, Scripturas designant, quæ *vestimenta*, id est, munimenta Ecclesiæ sunt, quæ Dei corpus est, quæ ab hæreticis male exponen- D do scinduntur, ut alibi Psalmista : « Quæ tu perfecisti, destruxerunt (*Psalm.* X, 3). » Vestis autem quæ indivisa, sorte data fuit, fidem incorruptam significat ; quæ vestis est fidelium, quæ scindi ab hæreticis non potest ; quæ etiam sorte, id est, Dei electione fidelibus futuris datur, non eorum meritis. Vel ita potest legi ab illo loco ubi dixit : *Sicut aqua effusus sum*, etc. Dico quia *aperuerunt super me os suum*. Et etiam *effusus sum* ab eis in mortem *sicut aqua* existens, id est comparabilis aquæ. Nam, sicut aqua lavat corpora, sic et ego morte mea animas originali labe ablui. Dico quia *effusus sum* ad hoc ut essem *aqua*, id est purgatio. Et sic scilicet fui purgatio : *dispersa sunt* scilicet ad prædicandum per totum mundum post mortem meam, *omnia ossa mea*, id est discipuli

www.libtool.com.cn

mei, juxta illud Evangelii : « Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, etc. (*Marc.* XVI, 20). » Et per illa ossa, *cor meum*, id est, doctrina prophetarum meorum, quæ processerat de corde meo, id est, de voluntate mea, quod cor prius erat durum intellectu, *factum est tanquam cera liquescens*, id est, molle et perceptibile intellectu, sicut cera prius dura admoto igne fit liquida. *Cor meum* dico existens *in medio*, id est, in communitate *ventris mei*, id est, existens communiter in discipulis, qui dicuntur 65 venter meus, eo quod mei retineant memoriam, sicut in ventre memoria est hominis, cum in ventre sit cor. Et per ipsa *ossa virtus mea*, quæ in morte visa est impotens et fragilis ; *aruit tanquam testa*, id est ostensa est potens et fortis, ad modum testæ : quæ cum prius mollis sit, fragilis est. Quanto vero magis aruerit, tanto robustior erit. Et per hoc arguit *virtus mea*, quia *lingua mea*, id est, prædicatio meorum, *adhæsit faucibus meis*, id est præceptis, quæ de faucibus meis processerunt. Quod est dicere : Non secundum adinventiones suas, sed secundum quod eos docui, prædicaverunt. Et per ipsa *ossa deduxisti me*, id est, mei notitiam ; *in pulverem mortis*, id est, in infideles qui, cum in peccatis mortui essent, pulvis erant, id est, aridi doctrina et leves ad impulsionem diaboli, sicut pulvis aridus est et a vento facile mobilis.

Postquam ostendit qualiter *aqua* sit, vult ostendere qualiter *effusus* fuit in mortem, sic dicens Dixi quia effusus sum. Et hoc modo scilicet : *Quoniam circumdederunt me canes multi*, etc., usque ad *tu autem, Domine*, non mutantur. Et hoc totum quod agilitate prophetiæ præteritum dicit, futurum intelligendum est. Ostensa passione sua revertitur ad orationem suam ; quia breviter oraverat ut prolixius oret, et nos orare instruat, et postmodum fructum passionis et suæ resurrectionis ostendat. Et hoc sic dicit : Ipsi me ita circumdabunt et fodient et putabunt me derelictum, *tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me*, id est non prolongaveris auxilium resurrectionis usque in communem resurrectionem, sed post tres dies resuscita me. Et prius *ad defensionem meam conspice*, ne cedam in passione. Et hæc duo sic exponit singula singulis reddendo. Dixi : *Ne elongaveris auxilium tuum a me*, id est : *Erue a framea, Deus, animam meam*, ne detineatur in morte. Et istud idem dicit aliis verbis ex nimia affectione, addens etiam causam sic : *Et de manu canis*, id est de potestate Judaici populi, irrationabiliter oblatrantis, ne me possint detinere in morte ut cupiunt ; erue *unicam meam*, id est animam meam, quia unica est, id est singularis bonitatis præ omnibus aliis. Et dixi, *ad defensionem meam conspice*, id est *salva me ex ore leonis*, id est Judaici populi, meam sanctitatem devorare cupientis, ut solet leo, ne eis cedam. Et illud idem ex nimia affectione aliis verbis repetit, addendo causam sic : Et salva *humilitatem meam*, id est me ; quia humilis sum ; *a cornibus unicornium*, id est a superbis persuasionibus Judæorum, ne eis consentiam ; qui dicuntur unicornes, id est unicam superbiam habentes, et excellentem præ cæteris omnibus : sicut unicornis unicum habet cornu, et bene eorum superbæ persuasiones cornua dicuntur, per quas eum expugnare intendebant, sicut animalia cornuta cornibus expugnant. Facta oratione, ostendit resurrectionis suæ fructum, sic : Oravi ut eruas me et salves. Quod si feceris, *narrabo nomen tuum fratribus meis*, ut idem in Evangelio : «Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi (*Joan.* XVII, 6), » id est, dabo notitiam nominis tui apostolis, docendo eos te Deum esse et Dominum ; qui sunt fratres mei, id est cohæredes æternæ benedictionis mecum. Unde Apostolus : « Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). » Et per illos fratres, *in medio Ecclesiæ* per eos crediturae *laudabo te*, id est faciam te laudari et opere et devotione ab illis qui per eos sunt crediturí. Unde idem Dominus in Evangelio : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matt.* V, 10). »

Facit autem apostropham ad illos qui crediturí sunt ; hortans ut laudent eum et opere et affectione, sic : Quando quidem quia circumdabor et fodiar pro vobis ; per hoc pariam vos veros laudatores : vos *qui timetis Dominum*, id est qui futuri estis timentes Deum, *laudate eum* verbis et operibus. Et hoc etiam dicit per partes, sic : Dico omnes 66 *qui timetis*, scilicet *universum semen Jacob glorificate eum*, id est vos omnes qui crediturí estis de semine Jacob, id est de Judaico populo, qui luctatores eritis contra vitia : sicut ipse luctatus est (*Gen.* XXXII, 24), gloriosum ostendite eum bonis operibus et affectionibus et verbis. *Et timeat eum* casto timore *omne semen Israel*, id est illi qui, cum sint de semine ejus Jacob, visuri sunt Deum in contemplatione, ideoque dicendi *Israel*. Et bono suo laudabunt et timebunt, sicut ego bono meo eum laudavi et timui. Et vere bono meo. *Quoniam* ideo *non sprevit neque despexit deprecationem meam pauperis* facti propter vos, ut ait Apostolus : « Cum dives esset, pauper pro nobis factus est, ut in illo divites essemus (*II Cor.* III, 9). » Quod est dicere : Quia me orantem in passione non despexit, neque vos imitatores mei factos despiciet. Quod dicit, *sprevit, despexit*, ex nimia affectione facit, bis idem dicendo æquipollenter. *Nec avertit faciem suam a me*, id est non fuit iratus mihi a similitudine iratorum, qui faciem ab iis quos odio habent avertunt, quasi dicat : Dilexit me. *Et* ideo *cum clamarem ad eum*, et opere et verbis et devotione, *exaudivit me* ut impetrarem, faciendo me constantem et resurgere ; quia superius ostenderat se passurum, ne idcirco Patre minor ex toto crederetur, ostendit se sic æqualem esse : dixi quod *laudabo te*, id est faciam laudari in Ecclesia. Et non solum tu laudaberis personaliter, sed *apud te*, id est tecum erit *laus mea magna in Ecclesia*, id est Ecclesia laudando te laudabit et me. « Ego enim et tu, Pater, unum sumus (*Joan.* X, 30). » Et alibi in Evange-

www.libtool.com.br

lio : « Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum (*Joan.* III, 23). » Et sic scilicet perveniet ad laudem meam, quia ergo *reddam vota mea*. Quod est dicere : Ego, qui ab initio devovi eis ad salutem eorum me corpus et sanguinem meum daturum, *reddam* et hic *in conspectu timentium eum*, id est ita quod timentes eum Patrem, o auditores, pura fide conspicient illa vota, credentes scilicet sacramenta veraciter in corpus et sanguinem meum translata. Non imaginaria tantum, ut quidam hæretici falso asserunt, illud Evangelii exponendo perverse : « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII, 19). » Solam enim corporis Dominici atque sanguinis memoriam in sacramentis illis absque realitate esse intelligunt, Domino eis inclimante : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur (*Ibid.*). » Et paulo post : « Hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur (*Ibid.*). » Non igitur hæc corporis sui et sanguinis esse commemorationem vel signum asseruit. Sed « hoc est corpus meum ; » et « hic est sanguis meus, » apertissime testatus est. Hujus vero sententiæ quæ subjungitur : « Hoc facite in meam commemorationem, » dubitatio nulla relinquitur, si Apostoli sententia catholice consideratur. Ait enim : « Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis (*I Cor.* X, 26). »

Est igitur Dominicæ passionis sacramentum hoc, non sui ipsius memoria. Nihil enim sui ipsius esse memoria potest. Panis autem et vinum non quantum ad naturam, sed quantum ad speciem et odorem, a Christiana veritate dicuntur. Illi namque qui carnem in utero Virginis assumptam, Verbo suo personaliter et ineffabiliter unire potuit, qui etiam mortalia corpora nostra imperii sui potentia faciet immortalia ; panis et vini materiam in sui corporis et sanguinis naturam transferre possibile est. Signa etiam sacramenta hæc et mystica rectissime vocantur : non sui videlicet signa, sed nostri. Magna enim in eis signa et mystica continentur. Nam materia illa, panis scilicet ex qua corpus Dominicum spiritali benedictione conficitur, ex granis plurimis mola attritis, conspersione aquæ conjungitur. Vinum etiam, quod in sanguinem transfertum, ex acinis multis, torcularis aut alicujus ponderis impressione conficitur. Grana vero et acina cultorum labore cooperante procreantur ; ita et nos prædicatorum cultura in fide recreati ; postea vero jeiuniis et vigiliis 67 attriti unum conficimur corpus, videlicet Christi, conspersione baptismi cooperante ; unde Apostolus : « Ita multi unum corpus sumus in Christo (*Rom.* XII, 5). » Signa etiam nobis et arrha hæc sacramenta sunt beatitudinis æternæ, per ea si digne acceperimus adipiscendæ ; unde quoque viaticum dicuntur. Aqua vero ad hoc sacramentum conficiendum ad figuram nostri vino conjungitur. Ita etenim nos ad modum aquæ fluxus in mortem defluentes, passionis Dominicæ mysterio efficiente, Christo gratiæ adoptione copulamur. Cum vero corpus hoc a fidelibus accipitur, signum est corpora nostra mortalia, per Christi passionem esse reparanda. Per sanguinis autem acceptionem, animarum intelligimus reparationem. Circa sanguinem namque potius anima commoratur. Siquidem quamvis sacramentum hoc sic in partes divisum, totum ubique tamen est integrum, Andrea apostolo testante : « Cujus carnes cum comestæ sint a populo, et sanguis ejus sit bibitus : agnus tamen qui sacrificatus est integer perseverat et vivit. » Sequitur :

Edent pauperes, etc. Quod sic continuatur : Dico quia *reddam vota mea in conspectu timentium*. Ipsi vero timentes eo conspecto, *edent* illud *pauperes* effecti spiritu, id est se in anima humiliantes, non superbientes. De quibus in Evangelio Dominus ait « Beati pauperes spiritu (*Matt.* III, 3). » Et quia non sufficit comedere, addit : *Et saturabuntur*, id est replebuntur, re, id est significato sacramentorum scilicet unitate fidei, spei et dilectionis, quæ per sacramenta designantur, cum ex multis granis et acinis, ut diximus, unumquodque, unum quid efficiatur. Et sic, id est edendo et saturando, *laudabunt Dominum* illi *qui requirunt eum* tali laude, non terrena. Quod est dicere : Comestio illa et saturatio, laus Dei erit. Dico quod *requirunt eum*, et bono suo. Nam *vivent corda*, id est animæ *eorum in sæculum sæculi*, id est in æternum, ut Dominus in Evangelio : « Qui manducat me, vivit propter me (*Joan.* VI, 57). » Non quod corpora in futuro in æternum non vivant, sed a parte totum designat. Quia vero anima potius in corde dominatur, corda ponit pro animabus. Ostensa conversione Judæorum ubi dixit : *Timeat eum omne semen Israel*, etc., ostendit et gentium conversionem sic, non solummodo *semen Israel*, et Jacob timebunt eum, sed *universi fines terræ*, id est multæ gentes de universis finibus terræ reminiscentur Domini, quem in Adam cognoverunt, et postea per originalem culpam et infidelitatem oblivioni tradiderunt. Et sic *convertentur ad Dominum* fide et pœnitentia. Et post *universæ familiæ gentium*, id est multi de universis familiis gentium ; de nobilibus scilicet et innobilibus, *adorabunt Dominum*, id est venerabuntur laude et opere, se cognoscendo creaturam, illum autem esse Creatorem. Dico *adorabunt* existendo *in conspectu ejus*, id est semper de eo conspectum habentes, et nunquam postponentes. Vel *adorabunt eum in conspectu ejus*, id est in anima quam ipse solus conspicit : et si semper in operibus adorare nequeunt. Et merito *adorabunt, quoniam Domini est regnum : gentium*, scilicet quod prius erat diaboli. Et post idem *ipse*, id est *Dominus*, *dominabitur gentium*, non diabolus, qui prius dominabatur. Dico quod convertentur et adorabunt. Et sic *manducaverunt*, id est manducabunt, vota mea scilicet, et post *adoraverunt*, id est adorabunt.

Hoc vero idem est cum hoc quod superius dixit, *saturabuntur*. Quod est dicere, adorabunt, id est venerabuntur : repleti re sacramenti, id est unitate fidei, et spei, et dilectionis, quæ per sacramentum

www.libtool.com.cn

ut diximus, designatur. Dico manducabunt et adorabunt *omnes pingues terræ*, id est omnes omnis modi divites in terrenis, non solummodo pauperes. Si enim soli pauperes adoraturi et salvandi essent, non utique Paulus apostolus ad instruendum eos, discipulum suum sic admoneret: « Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbe sapere (*I Tim.* VI, 17). » Et bene dixit *pingues terræ*, non spiritu. Pingues et divites spiritu sunt, qui de terrenis superbiunt, et in eis ut in vero bono 68 spem ponunt. Pauperes autem spiritu, qui etsi terrenis abundant non inde superbiunt, neque spem ponunt : sed indigentibus ea large distribuunt. Dico quod *pingues* adorabunt. *Omnes* autem *qui descendunt in terram*, id est in terrena desideria tantum, cadent in mortem scilicet. Et hic est constans *in conspectu ejus*; cuicunque non sit constans. Dico quod illi *cadent*; *et anima mea*, id est meorum, illi adhærendo *vivet*. Quia Judæorum et gentium conversionem ostenderat, ne putaremus quod in uno statu tantum essent : hoc ostendit sic per multas generationes hanc conversionem futuram usque in finem mundi de generatione in generationem. Dico quod *anima* meorum *vivet illi*. *Et* per illorum meorum prædicationem, *semen meum serviet ipsi*, id est filii eorum imitatores bonitatis eorum, per ipsorum prædicationem servient ipsi, ut vivant. Et iterum per illud semen *annuntiabitur Domino generatio ventura*. Quæ compendiosa oratio sic resolvitur : Per annuntiationem prædicationis illius seminis convertetur ad Dominum alia generatio ventura post illud semen. *Et* quidam de illa generatione facti *cœli*, id est complutores et prædicatores aliorum, *annuntiabunt justitiam ejus*, id est justa præcepta ejus: alii *populo qui* post eos *nascetur*, *quem fecit Dominus*, id est quem disposuit jam esse salvandum.

IN PSALMUM XXII.

Titulus vigesimi secundi. *Psalmus David*, id est fidelium, de quibus enuntiatum est in superiori psalmo quod credituri essent et adoraturi. Et ad instructionem successorum ostendit beneficia sibi a Deo collata, ut et ipsi ad hæc bene vivendo nitantur. Postea vero apostropham faciunt ad Deum, gratiarum actionem agentes de beneficiis impensis, unde dicunt :

Dominus regit me in loco pascuæ, id est ipse est rector meus, ne oberrem in Scripturis divinis, quæ sunt locus in quibus pascuntur animæ fidelium dulcedine doctrinæ : Et quia talem habeo rectorem, *nihil mihi deerit in loco pascuæ*, id est nullus intellectus mihi deerit in illis Scripturis, qui me instruere debeat. Et vere *nihil mihi deerit in loco pascuæ*. Nam *ibi me collocavit*, id est frequenter studere fecit. Et non solum hoc beneficium mihi contulit; sed etiam prius *super aquam refectionis*, id est super aquam baptismatis fundatum *educavit me*, id est enutrivit lacte doctrinæ, et prius *animam meam convertit* de infidelitate ad fidem. Merito autem aqua baptismatis aqua refectionis dicitur; quia per eam justitia et innocentia nostra, quæ defecit in Adam. A reficitur. Baptisma quoque cæterorum bonorum fundamentum est et initium. Et non solum *collocavit*, *educavit*, et *convertit*; sed etiam *deduxit* de virtute in virtutem, de bona operatione ad bonam operationem. Vel *deduxit* ne deficiam me constitutum super semitam *justitiæ*, id est super virtutes et opera bona quæ sunt arctæ viæ ad vitam. Et bene ponit *super*. Nam cum in primis eis difficiles nimis erant, tunc subtus esse dici poterant, id est ab exercitio eorum corporaliter affligi et deprimi. Cum vero jam in usu habentur, et non adeo difficiles sunt; tunc fideles super eas esse dicuntur, id est in suo jure promptas habere, adjutrice tamen gratia cooperante. Dico quod *me deduxit*. Et hoc non propter merita mea, sed *propter nomen suum* magnificandum. Et non solum *deduxit*, sed adhuc deducit. Et hoc inde : *Nam* ego *non timebo mala*, id est exempla et persuasiones inimicorum, vel tribulationes ab eis illatas. *Et si ambulavero* viam vitæ hujus, id est quamvis converser *in medio umbræ* mortis, id est inter iniquos, qui sunt umbra mortis, id est frigidi a calore sancti Spiritus, et obscuri in intellectu, sicut umbra frigida est et obscura; et alios ad mortem æternam, exemplis et persuasionibus suis 69 deducentes, sicut umbra herbas quæ sub se diu sunt interimit. Et ideo *non timebo* malis eorum flecti, *quoniam tu* qui omnipotens est, *mecum es* ut corrobores. Quasi dicat : Non ex me sed ex te contingit securitas ista. Diceret aliquis : Cur dicis te non timere mala ? Saltem tribulationes times, quæ mala sunt; respondet : Non.

Nam *virga tua*, id est minor tribulatio, quæ disciplina tua est per quam corrigis et doces; *et baculus tuus*, id est major tribulatio, per quam iterum me flagellando castigas; *ipsa* quæ viderentur me perturbare, potius *me consolata sunt*, cum per ea intelligam me a delictis meis purgari, et coronam meam virtutesque magnificari, et a superbia caveri, juxta Apostolum : « Ne magnitudo revelationum extollat me : datus est mihi stimulus carnis meæ (*II Cor.* XII, 7). » Et ideo *me consolata sunt*; quia tu *parasti*, id est statuisti mihi, *adversus eos qui tribulante me*, ne per tribulationes deficiam; *mensam*, id est corporis et sanguinis tui refectionem, quæ in altaris mensa suscipitur. *Mensam* dico positam *in conspectu meo*, quam conspicio esse signum mortis tuæ : ut et ego pro te tribulari et mori non timeam. Et quia solus conspectus non sufficeret, *impinguasti in oleo caput meum*, id est mitem fecisti mentem meam, non rebellem in gratia sancti Spiritus, quæ oleum dicitur, eo quod mentem mitem faciat ad patiendum, sicut oleum caput quod impinguat mitigat. *Et* ideo *calix meus*, id est oleum illud *inebrians* me, ne tribulationes graviter nimis sentiam, *quam præclarus* est ! id est multum præclarus mihi apparet. Dicitur autem oleum, id est gratia calix, eo quod, ut dictum est, fideles inebriat, a similitudine calicis vini, qui bibentes inebriat. Et me jam impinguatum, *misericordia*, id est gratia tua, *subseque-*

tur, id est me comitabitur *omnibus* diebus *vitæ meæ*, ut de bono provehar in melius. Et adeo subsequetur, *ut* per eam in futuro *inhabitem in domo Domini*, in paradiso scilicet, eundo *in longitudinem dierum*, id est in æternitatem.

www.ABROS.com.es

IN PSALMUM XXIII.

Titulus vicesimi tertii. *Psalmus David*, id est Prophetæ, *in prima Sabbati*, id est agentis in consideratione victoriæ Christi, quæ contigit in prima Sabbati, scilicet in die Dominica, quæ nuncupatur prima Sabbati, id est prima post Sabbatum. Judæi enim dies ita computabant prima Sabbati, secunda Sabbati, etc. *S*eptimam vero diem dicunt *S*abbatum. Adhortatur hic Propheta fideles, post adventum Christi existentes, ut ad Christum regem suum cum triumpho recipiendum se bene præparent; in virtutibus et bonis operibus magis magisque crescendo et vitia removendo, a similitudine illorum qui ad regem suum cum triumpho recipiendum se præparant, cum alicunde victor redeat. Portasque civitatis elevant et dilatant, ut facile præda et triumphantium chorus introeat. Christus enim victor ab inferis rediens, regnum quod diabolus usurpaverat, Ecclesiam scilicet, obtinuit. Ostendit etiam Propheta quæ sint Ecclesiæ membra, ne quilibet indignus istud sibi attribueret. Et hoc sic dicit :

Domini Christi *est terra*, id est Ecclesia, cui prius diabolus dominabatur ; quæ dicitur terra, eo quod stabilis sit et bonorum operum ferax, et a prædicatoribus exculta, sicut terra stabile elementum est et ferax, et a cultoribus colitur. Et illa terra non est parva, sed plenaria. *Et plenitudo ejus* terræ est illius Domini, non quod ante ipsius non esset. Sed sic modo dicitur ipsius ut ejus voluntati obediat, quod prius non facebiat. Et *orbis terrarum*, id est Ecclesia ex omnibus terris electa, est Domini. Et hoc idem est quod superius dixit, *Domini est terra;* sed ex nimia lætitia repetit, ut ostendat perfectam esse, nec vitiis sordidam, a similitudine rei rotundæ, quæ et orbis dicitur, quæ perfectior est re quadrata vel triangulata, nullum scilicet habens principium et finem, sed semper in se retorquetur 70 Neque possunt ei sordes facile ad hærere. *Et universi qui habitant in eo*, scilicet orbe, id est in unitate fidei et dilectionis ejus orbis sunt Domini Et hoc idem est quod hic dixit *orbis terrarum* est *Domini*. Sed ad hoc aliis verbis repetit, ut, quia indefinite dixerat *orbis*, universaliter dicat. Dico quod orbis est Domini. Et inde hoc videri potest, *quia ipse fundavit eum super maria*, id est firmum adeo fecit ut non timeret, sed contemneret maria, scilicet populos amaros sibi in tribulationibus, sicut maria amara sunt. *Et* etiam *super flumina præparavit eum*, id est firmum et excelsum in virtutibus statuit super principes, ut eorum tribulationes sperneret. Principes vero flumina dicuntur, eo quod eorum cura defluat in plebem subditam, sicut in mare flumina decurrunt. Quoniam autem dixerat *universi qui habitant in eo*, ne quilibet falsus se habitare putaret, quærit quis dicendus sit habitans, ut, postmodum solvendo, nos ut effici habitantes nitamur, exhortetur sic : Dico quia habitantes in eo sunt Domini.

Et *quis ascendet in montem Domini*, id est in Ecclesiam, quæ est sublimis virtutibus a Domino facta? Aut potius *quis*, postquam ascenderit, *stabit*, id est *habitabit in loco sancto ejus*, id est in Ecclesia, quæ est locus sanctus in quo ipse Deus habitat ? Multi namque sunt ascendentes, qui postea deficiendo non sunt habitantes. Respondetur : *Innocens manibus habitabit*, id est *innocens* operibus quantum ad proximum. Et quia hoc non sufficeret, addit : *Et mundo corde* existens, id est nullam habens immundam cogitationem adversus proximum. Et *qui non accepit in vano animam suam*, quatum ad se, id est qui non habuit acceptabilem animam suam in vanitate. Quod est dicere : Si anima ejus aliquid vanitatis ex fragilitate carnis, vel per suggestionem impulsa cogitavit, in hoc non fuit ei acceptabilis ut consentiret, sed omnino illud respuit. Et non solum fuit *innocens manibus et mundo corde*, quantum ad proximum, sed *nec juravit in dolo proximo suo*, id est non firmiter promisit, sic ut eum deciperet. Et per hoc genus locutionis, scilicet per dolosam locutionem, removet omnia genera malæ locutionis in proximum. Et ne putaremus quod hic per se staret *in loco sancto* Domini, addit : *Hic* qui talis est, *accipiet* hanc *benedictionem a Domino*, id est hanc exaltationem, ut stet *in sancto loco ejus*. Et hoc non solum *accipiet* propter merita sua, sed hanc *misericordiam accipiet a Deo salutari*, id est Salvatore suo. Et merito *accipiet* hanc *misericordiam a Deo*. Nam *hæc* generatio *est generatio quærentium Dominum, et* (pro scilicet) *quærentium faciem*, id est notitiam in futuro, *Dei Jacob*, id est fortium luctatorum. Quasi dicat : Non ad hoc innocentes sunt : et tales quales dixerim ut aliud acquirant, nisi gloriosam in futuro notitiam tuam, quam hic plenarie non possunt habere. Unde Apostolus : « Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12). » Et bene ponit, *generatio*, ne putaremus unum solum esse, quia singulariter posuerat *innocens manibus*.

Hoc exposito ad instructionem nostram, revertitur ad hoc quod inceperat sic : Dixi : *Domini est terra et orbis*. Ergo, o *principes*, id est fideles, prius peccati servi, modo vero per Dominum principes et liberi facti, *attollite*, id est elevate, *portas vestras*. *Et* post, id est vos emphatice dicti, *portæ æternales*, id est habentes in vobis virtutes, quæ sunt portæ ad æterna, *elevamini* de bono in melius. Vel sic : *Attollite*, id est auferte *portas vestras*, non Dei, scilicet vitia quæ sunt portæ clausæ, non admittentes introitum Dei. Unde Sapiens ait : « In malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* I, 4). » Et illis ablatis, *elevamini*, id est crescite in fidelibus, *portæ æternales*, id est virtutes, *et* sic *introibit rex, gloriæ* dator, id est Christus, ut idem in Evangelio : « Et

www.libroalcorn.cl

ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). » Vel, vos *principes* tenebrarum, id est dæmones, *attollite*, etc. Alia non mutantur, quia dixerat 71 *Rex gloriæ*, ne putaretur qualiscunque rex, sic eum magnificare intendit: Dico *Rex gloriæ*. Et quis, id est quantus, *est* iste *Rex gloriæ?* Vere magnus est. Nam ipse est *Dominus* in rebus, *fortis* in resuscitando carnem suam, qui in passione videbatur infirmus, et potens qui videbatur impotens. Et vere *Dominus* est *potens*, et hoc *in prælio*, id est propter prælium quod obediens fecit cum diabolo, et prævaluit ei, fecit eum Deus Pater videri potentem in ipsius ascensione. Unde Apostolus : « Propter quod et Deus exaltavit illum, etc. (*Philip.* II, 9). » Ego quia *fortis et potens* est, *attollite portas*, etc. Et hoc ut superius exprimit. Et *quis est iste Rex gloriæ?* eodem modo ut superius conjungitur et exponitur. Sed aliud hic quiddam, ut vehementius eum magnificet, sic dicit : *Dominus virtutum* supernarum, id est spirituum cœlestium, non hominum tantum, *ipse* scilicet quem hic accepi, non alius, id est Christus est *Rex gloriæ*. Et vero Dominus est virtutum supernarum. Unde Apostolus : « In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Ibid.*). » Quam vero dicit bis *attollite*, et *quis est iste Rex gloriæ*, ad nostri facit exhortationem et Christi magnificationem, sive bis dicit hoc propter duplicem Ecclesiæ parietem, Judæos scilicet et gentes.

IN PSALMUM XXIV.

Titulus vicesimi quarti. *Psalmus David*, id est minus perfectorium fidelium orantium post relicta peccata, ut deus faciat eos perseverare ne cedant, et ne sic erubescant. Prætendit etiam meritum quare debeat exaudiri. Orat quoque ne Deus eis gratiam subtrahat pro delictis et ignorantiis eorum. Ostendit insuper ad instructionem nostram Deum, cum dulcis sit miserando, rectum etiam esse malos juste puniendo. Et *in finem* orat, et pro inimicis et pro bonis. Unde dicit :

Ad te, Domine, amplexandum, *levavi animam meam*, a terrenis desideriis exemptam, Levavique bene operando, o *Deus meus* Creator meus, cui non aufero locum divinitatis in me. *In te confido*, non in me, quia adhuc magis et magis levabo. Et quia *levavi* et *confido*, *non erubescam*, id est non deficiam, et sic *non erubescam*. Erubescerem enim, si deficerem. Oro ne erubescam. *Neque irrideant me* deficientem *inimici mei*, et visibiles et invisibiles, id est non gaudeant de defectu meo, quoniam gauderent si me deficientem viderent, rogo *non erubescam neque irrideant*. Et hoc bona fiducia oro. *Etenim universi qui substinent te*, id est qui patienter exspectant te auxiliaturum et remuneraturum, vel, *qui sustinent te*, id est qui patienter ferunt præcepta tua, complendo ea, *non confundentur*, id est non erubescent. Et ideo quia te sustineo, non confundar, sed *iniqua agentes supervacue*, id est sine utilitate, qui in illis iniquis quæ agunt se putant utilitatem habere, confundentur, quia te non sustinent. Et quia hoc video futurum, concedo non imprecando. *Confundantur*, id est erubescant, in conscientia sua et in hoc mundo et in futuro, *omnes iniqua agentes supervacue*, quia nullus adeo iniquus, qui in conscientia sua de iniquitate sua non erubescat. Et hanc concessionem ideo facit ut iniquos de iniquitatibus suis deterreat. Postea revertitur ad orationem sic : Dico non erubescam : et ut hoc sit : *Demonstra mihi vias tuas*, id est illa præcepta tua quæ sunt viæ communes omnibus salvandis ad vitam, sine quorum completione nemo salvabitur. Non dicit *demonstra* quod ignoret, cum superius dixerit : *ad te levavi*, etc. Sed *demonstra*, id est fac habere in memoria, ut compleam. *Et semitas tuas doce me*, similiter ut compleam; semitas vocat, præcepta illa majora quæ pauci complent, sicut per semitam 72 pauciores quam per viam gradiuntur, scilicet vendere omnia et dare pauperibus, et cætera similia quæ perfectissimis solis conveniunt. Et per illas vias et semitas *dirige me*, bene operando. Et hoc *in verite tua*, id est in conformitate Christi positam, qui est veritas a te egrediens, ut idem in Evangelio : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). » Christus dicitur veritas emphatice, cum ab eo omnis veritas procedat. Et ut per vias et semitas dirigat, *doce me*, id est instrue in illis intellectum meum, ne in eis oberrem. Et tu potens es ut hoc facias, *quia tu es Deus*, id est Creator, et Salvator, id est reparator meus. Et dignum est ut hoc facias. Nam *te sustinui*, id est patienter exspectavi; vel patienter præcepta tua complevi, *tota die*, id est toto tempore ex quo incepi. Cum ponit *die*, a parte totum tempus designat. Oro, *dirige*, et ut dirigas, tu qui visus es me oblivioni dedisse, cum ante baptisma te ignorando peccavi, *reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuorum quæ a sæculo sunt* in te, id est ab æterno. Quod est dicere : Reminiscere quantas miserationes hominibus impendisti a mundi principio, et quantum in natura sis misericors, et sic mei miserere sicut aliorum misertus es. Misericordia dicitur, quæ in Deo est naturaliter. Miserationes vero, beneficia quæ per misericordiam impenduntur. Quamvis autem pluraliter ponat *misericordiarum*, in Deo tamen simplex intelligenda est misericordia; sed secundum multos effectus, pluraliter ponit *misericordiarum*. Dico *reminiscere miserationum et misericordiarum*. Et ne sim immunis a misericordia, Domine, ne *memineris* ut punias *delicta juventutis meæ*, id est peccata venialia, quæ commisi postquam in baptismo veterem hominem exuendo, juvenis in fide factus sum. *Et ignorantias meas*, id est peccata quæ ignoranter ante baptismum commisi. Vel sic : *Delicta juventutis*, id est temeritatis meæ. Juvenes enim magis temere peccant quam senes, ideoque *juventutem* pro *temeritate* ponit. Quasi dicat : Magna delicta quæ temere ago, non necessario, *ne memineris*. *Et ignorantias meas*, id est venialia quæ ignoranter ago. Et non meminiscendo delicta, *memento mei* ut mise-

www.libtool.com.cn

rearis, qui visus es oblitus esse, dum infidelis essem, A tu, o *Domine*, qui solus potes sic misereri. Et hoc *propter bonitatem tuam*, id est misericordiam quam naturaliter habes non propter merita mea tantum. Et non parum miserearis, sed *secundum misericordiam tuam*, id est ac modum misericordiæ tuæ sicut multum es misericors, sic et multum miserearis.

Quoniam vero Dei bonitatis mentionem fecerat, ne quilibet nimis in bonitate illa confidens in peccatis perseveraret. Dicit etiam eum rectum esse ad ulciscendum peccata perseverantium, sic. Dico *propter bonitatem*, et vere *dulcis* est *Dominus*, id est bonus, *et* tamen *rectus*, id est justus ad ulciscendum; et inde hoc potest videri quod *dulcis* est *et rectus*. Nam *propter hoc dabit legem*, id est doctrinam *delinquentibus* positis *in via* morum, id est delinquentibus venialiter. Nam qui criminaliter peccant, extra viam morum sunt. Quod est dicere: *Dabit* eis doctrinam, ne criminaliter peccando pereant, et in hoc *dulcis et rectus* esse comprobatur. Nam si tantum dulcis esset, superfluo legem daret, cum omnia peccantibus omnibus dimissurus esset Si Vero tantum justus, nunquam misericordiæ legem daret, sed omnes juste damnaret. Vel *legem* vocat disciplinam tribulationum, quam ad suos corrigendos et docendos infert. Unde alibi Psalmista : « Disciplina tua correxit me (*Psal.* XVII, 37), » id est edocebit. Et *in judicio*, id est in lege illa per quam scient judicare quid tenendum sit et quid fugiendum, ideoque judicium dicitur: *Dicit mansuetos* de bono in melius, non rebelles. Et ut bene dirigantur, *docebit* specialiter ipsos *mites vias suas*, per quas ad eum pervenient. Et quia posset quæri: quæ sunt illæ viæ? exprimit : *Universæ viæ Domini* sunt hæ : *Misericordia et veritas. Misericordia* scilicet, 73 ut sui unusquisque misereatur, ne peccet et peccando pereat, et ut pro malis bona retribuat. *Veritas*, id est justitia scilicet, ut quod justum est, Deum super omnia diligat, et pro bonis bona retribuat. *Misericordia et veritas* dico inventa a *requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.* Quod est dicere : Si quis requirendo perscrutetur novam legem et veterem, non inveniet plures vias istis. Et bene veterem legem *testimonia* dicit pluraliter, cum a multis testibus adventus Christi, a prophetis scilicet ministrata fuerit. Nova autem lex singulariter testamentum nuncupatur, eo quod ab uno solo teste vitæ æternæ data sit, id est a Christo. Apostoli quidem et cæteri doctores non fuerunt legis datores, sed expositores. Ostenso hoc quod Dominus dulcis est et rectus ad instructionem nostram : quia oraverat superius ex bona confidentia se impetraturum annuntiat, ut et alios ad petendum gratia impetrandi instiget, sic. Oravi ; *secundum misericordiam tuam, memento mei :* quod vere facies. Vere *propitiaberis peccato meo, propter nomen tuum* augmentandum. Et dignum est ut propitieris. *Multum est enim*, id est multum esse a me reputatur. Quod est dicere : Non excuso me parvipendendo illud, sed potius accuso multipendendo ; ideoque veniam mereor: Et quia dixerat sibi multum esse peccatum suum, ut et hoc nobis insinuet, scilicet multipendere peccatum, et sic veniam promereri, subjungit: Dixi *multum est :* et bonum est multum esse. Nam cui multum est, ille Deum timet.

Et *quis est homo*, id est quam magnus et quam felix est homo *qui timet Dominum*, et inde hoc apparet. Nam *statuit ei* qui cum timet *legem*, id est firmitatem, ne deficiat *in via* bonorum morum *quam elegit.* Legem ponit pro firmitate ; quia illud præceptum quod firmum et stabile est, lex dici solet. Et per illam legem *anima ejus* de corpore exiens, *demorabitur*, id est habitavit in bonis cælestibus. Et in futuro *semen ejus hæreditabit terram*, id est B bona opera quæ hic seminantur, erunt causa quare in futuro corpus et anima simul hæreditabunt terram viventium. Semina dicuntur opera bona, eo quod causæ sunt præmiorum, sicut semina causæ sunt messium. Quia vero dixerat, *statuit legem*, exprimit ipsam legem sic : Dico Dominus *statuit legem*, id est *Dominus est firmamentum timentibus eum*, ne cedant. Et ipsis firmatis *testamentum*, id est promissio illius datur : hoc scilicet *ut manifestetur illis*, in futuro ut idem in Evangelio : « Manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV. 21). Nulli enim in præsenti hoc tempore Deus sic manifestatur, ut in futuro manifestandus est *Testamentum* ponit pro promissione, eo quod testamentum C hæreditatem promittit. Et quia *Dominus firmamentum est timentibus, oculi mei*, id est affectiones quibus eum aspicio ad modum oculorum, sunt *semper ad Dominum*. Quod est dicere : Et ut meum firmamentum sit, nunquam ab eo diverto oculos a similitudine boni servi, cujus oculi semper ad Dominum suum sunt, ut etiam ad nutum ipsi protinus obediat. Unde alibi Psalmista : « Sicut oculi servorum in manibus dominorum (*Psal.* CXXII, 2). « Et merito *oculi mei* sunt *ad Dominum, quoniam ipse evellet* quandoque *de laqueo pedes meos*, id est eruet de laqueo mortalitatis et passibilitatis, quibus modo vehementer impedior. Quod autem ponit *pedes meos*, a similitudine dicit eorum qui per pedes illaqueantur. Et quia *oculi mei* ad te semper D sunt, *respice in me*, id est esto mihi benevolus. A similitudine Domini dictum est, qui servum quem diligit sæpe respicit. Et bene ponit in me. Quasi dicat : Non horarie me respicias, sed *respice in me* figendo aspectum non cito auferendo, et respiciens *miserere mei* indulgendo. Et dignum est, quia ego qui hoc oro, *unicus sum et pauper*. Præposterus ordo. Quod est dicere : Quia sum *pauper* spiritu, non superbus, id est humilians me erga te in Omnibus. Quid vero sit pauperem spiritu esse in psalmum XXI 74 dictum est. Et usque adeo sum *pauper*, quod etiam sum *unicus*, id est in numero filiorum Ecclesiæ, quæ unica tua est, scilicet ita chara sicut unicus filius patri charissimus est. Unde in Canticis canticorum sponsus Christus Eccle-

siæ sponsæ: «Unica mea, columba mea (*Cant.* VI, 8).» Et exponit per partes paupertatem suam.

Exponendo quoque per partes in quibus ei misereatur: Vere *sum pauper*, in hoc scilicet, *tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*, id est multas habeo tribulationes et dolores in corde de peccatis. Et ideo *erue me de necessitatibus meis*, id est de venialibus, quæ ex carnis fragilitate necessario contingunt: « Sacrificium enim Deo, spiritus contribulatus (*Psal.* L, 19), » Et non solummodo de necessitatibus meis eruas me, sed etiam *vide*, id est misericorditer aspice, *humilitatem meam*, id est inquantum me humiliem erga te; *et laborem meum* quem habeo jejunando, omni modo me pro delictis meis affligendo. Et propter has causas, *dimitte universa delicta mea*, non solum venialia, sed et criminalia. Postquam vero dimiseris peccata, ne recidam, *respice inimicos meos* qui volunt me devocare, ut inefficaces facias. Et neces e mihi est ut respicias, *quoniam multiplicati sunt*, id est multi sunt, ideoque insufficiens sum resistere sine te: et non est illis ratio qua mihi inimicentur, sed *oderunt me iniquo odio*, non bono, id est odiunt in me bonitatem, quod odium iniquum est. Non malitiam, quod rectum odium esset. Unde Augustinus: « Recte in malis odimus malitiam. » Dico *respice inimicos, quoniam multiplicati sunt*, et sic non erubescam. Neque justum est, *quoniam speravi in te*, non in me, id est speravi, et adhuc spero per te erui et custodiri. Erubescerem enim, si non erueres et custodires. Et quamvis istud idem superius dixerit, scilicet *non erubescam*, non tamen superfluum judicatur, quia non sufficit ei quod nimis desiderat semel orare, vel quod dicit *respice*, potest esse oratio pro inimicis. Jubemur enim pro inimicis a Domino sic orare: «Orare pro persequentibus et calumniantibus vos (*Luc.* VI, 28).» Et hoc sic continuat: Oravi, *erue me*, dimitte. Et non solum pro me oro, sed et pro inimicis: *respice* misericorditer *inimicos meos*, ut convertas eos. Et dignum est ut hoc orem. *Quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me*, id est quia multi sunt, et magnum damnum esset, si tanta massa periret. Et multum perniciosi sibi sunt cum *iniquo odio oderunt me*. Ergo pro inimicis sic oravi; et quidquid de illis sit, saltem *custodi animam meam*, etc. Hæc non mutantur. Dixi *non erubescam*, ideo quia *speravi in te*: et ideo adhuc quia *innocentes et recti*, id est justi in operibus per me facti multi *adhæserunt mihi*, ideo quia *sustinui te*, idest speravi in te, ut et exemplo meo sperarent. Quod est dicere: Quia multos ad te sustinendum exemplo meo provocari, non deficiendo, non erubescam. Ne et ipsi forte exemplo meo malo deficientes, erubescant. Orat quoque pro ipsis innocentibus et rectis sic: Dico quod *innocentes et recti adhæserunt mihi*, id est exemplo meo. Ergo *Deus libera* ipsos jam factos *Israel ex omnibus tribulationibus suis*, ne cedant.

IN PSALMUM XXV.

Titulus vigesimi quinti. *Psalmus David*, id est fidelium collectionis usquequaque perfectorum concedentium ex securitate innocentiæ et justitiæ suæ, ut Deus judicet eos in futuro, secundum quod eorum innocentia et justitia promeretur. Ostendent etiam per partes innocentiam et justitiam suam, et promittunt se magis in his esse intendendos, ut minus perfectos ad hæc exemplo suo vehementer invitent. Vel potest hic oratio esse, ut Deus scilicet eos judicet, id est discernat in futuro a massa perditorum, ne cum ipsis misti sint, sicut in hoc mundo sunt. Cætera de intentione non mutatur: istud vero sic incipit:

75 *Judica me, Domine*, in futuro secundum quod justum est. *Quoniam ego*, qui hoc concedo, *in innocentia mea* positus *ingressus sum*, id est incessi viam mandatorum tuorum. Quod est dicere: Quoniam in innocentia mea perseveravi. Vel sic ut sit oratio: *Judica me*, justo judico tuo discerne me, Domine, in futuro, a perditis cum quibus hic conversor. Hoc autem quod sequitur (ut Augustinus dicit) non est superbia elati, sed confessio non ingrati. Dico *judica me*. Et merito, *quoniam ego* sic orans *in innocentia mea ingressus sum*. id est perseveravi, et adhuc faciam, scilicet *non infirmabor* in perseverantia, *in Domino sperans* non per me solum perseverandi spem habens. Oro, *judica*, et ut hoc judicium bona spe expectem, hic prius proba me. Præposteratio. *Tenta*, id est tentatum per tribulationes et inefficaces suggestiones, *me*, mihi et aliis adhæsuris ostende. Et post *proba me* id est nil agente in me tribulatione vel suggestione qualibet criminali probatum ostende. Dico *tenta*. Sic scilicet: *Ure*, id est igne spirituali omnimodo consume *renes meos*. Et exponit in qua significatione ponat hic *renes*, et (*pro* scilicet) *cor meum*, id est illicitos motus cordis mei, qui renes dicuntur, eo quod in illis delectamur sicut in illicito renum exercitio. Quia vero pro sola innocentia nemo salvabitur, «in conspectu namque Dei non justificabitur omnis vivens (*Psal.* CLXII, 2) »: orat etiam se per misericordiam salvari. Dixi *judica me, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*. Et non pro sola innocentia salvari oro, sed et ideo *quoniam misericordia tua ante oculos meos est*, scilicet ante cordis considerationes. Quasi dicat: Quia in misericordia tua confido, *et* ideo adhuc, quia *complacui in veritate*, id est in conformitate veritatis tuæ, Filii tui scilicet, prout valeo positus et in opere et in virtutibus. Exponit autem innocentiam suam per partes sic: Vere *ingressus sum in innocentia*, quia *non sedi cum consilio vanitatis*, id est quamvis cum eis corporali præsentia converser, tamen in anima *non sedi*, id est consentiendo non immoratus sum cum illis qui sunt consilium vanitatis, id est concordantes simul in appetitu terrenorum, quæ vana sunt. Dico *non sedi*, et adhuc promitto, quia *non introibo* per consensum *cum iniqua gerentibus*, falsis scilicet Christianis. Et bene ponit *introibo*, introire namque dicimus in aliquod occultum intrare. Omnis autem iniqua gerens introit, id est in rem occultandam

www.libtool.com.cn

intrat, in peccata scilicet, quæ occultanda sunt, ut Dominus in Evangelio : Omnis qui male agit, odit lucem (*Joan.* III, 20).) » Et non tantum *non sedi*, sed etiam *odivi ecclesiam malignantium*, id est odio habui mala opera eorum, non creaturam.

Et non solum *non introibo cum iniqua gerentibus*, falsis scilicet Christianis; sed et *non sedebo*, id est in consensu non immorabor *cum impiis*, id est cum hæreticis et idololatris. Quod est dicere : Non consentiam infidelitati et sententiis eorum. Sed *inter innocentes* consistens, *lavabo manus meas*, id est mundabo quod mundandum est in affectionibus meis, quæ manus ideo dicuntur, quia par eas sententias attingimus, sicut manibus corporeis corporea tractamus. Innocentia sua per partes ostensa, videns hoc non sufficere, promittit quoque se bene operari, sic : Dico *lavabo manus meas*, et manibus lotis *circumdabo*, id est bonis operibus et virtutibus adornabo, Domine, *altare tuum*, fidem scilicet, super quam omnes virtutes fundantur et opera bona Deo sacrificantur, ideoque altare dicitur, cum super altare sacrificari soleat. Unde Apostolus : « Sine fide nemo placebit Deo (*Hebr.* XI, 6). » *Circumdabo* positum est pro *adornabo*, a similitudine altaris, quod cum adornatur palliis sive auro vel argento, sæpe circumdatur. Dico *circumdabo*, et hoc ideo *ut audiam vocem laudis* tuæ, id est ut intelligam qua voce velis laudari, voce scilicet justi. « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9), » Bene quidem 76 ponit *audiam*, pro *intelligam*, Auditus enim animæ intellectus est, et etiam *ut enarrem* aliis *mirabilia tua*, id est præcepta et opera tua quæ sunt mirabilia, præ nimia sui excellentia. Alioquin autem idoneus enarrare non essem. Unde alibi Psalmista : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? (*Psal.* XLIX, 16) etc. Dico circumdabo, quod revera faciam, *o Domine* ; nam ego *dilexi decorem domus tuæ*, id est me facere domum tuam decoram virtutibus, *et dilexi locum habitationis gloriæ tuæ*, id est desideravi me bene operando facere talem, in quo tu dignanter habitando per bona opera mea ab aliis glorificeris, juxta illud Evangelii : « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum (*Matth.* V, 16). »

Quia vero dilexi, *et circumdabo*, et *lavabo*, et *non sedebo*, et *non introibo*. *Ne perdas cum impiis* in futuro, id est cum hæreticis, et idololatris, *Deus animam meam*, *et cum viris*, effusoribus *sanguinum*, falsis scilicet Christianis, *ne perdas vitam meam*, id est animam quæ ideo vita dicitur, quia per eam vivimus. *Viri sanguinum* dicuntur qui malo exemplo et persuasione animas interimunt, sicut illi qui eorum quorum totum effundunt sanguinem corpora perire faciunt. Qui viri sanguinum et qui impii digne perdentur, et ecce causæ : *In quorum manibus iniquitates sunt*, id est in affectionibus. Quod est dicere : Etsi non semper male operari queunt, semper tamen male operari cupiunt, Et si aliquando bene operentur, non intentione bona agunt, sed ideo quia *dextera*, id est illa bona operatio, *eorum repleta est muneribus*. Per dexteram, quidem bona per sinistram vero, mala designari usitatissimum est. Quod est dicere : Ideo bene operantur ut favore populi, terrenisque commodis repleantur. De quibus in Evangelio Dominus ait : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 16). » Viri sanguinum et impii tales sunt, ideoque digne perdentur. *Ego autem* hic agens *in innocentia mea ingressus sum*. Istud vero ex affectione nimia repetitum, ut superius exponitur. Ergo quia *ingressus sum*, *redime me* a peccatis, per mortem scilicet quam pro me passus es, *et mei* redempti *miserere* æterna gloria beatificando me, et non pro sola innocentia redimas et miserearis, sed ideo adhuc, quia *pes meus*, id est affectio mea *stetit*, id est perseveravit *in directo*, id est in operatione bona quæ directa est, non distorta. Affectiones pedes dicuntur, eo quod per eas cogitando graditur animus sicut pedibus movendo graditur corpus. Dico quod *pes meus stetit in directo*, et adhuc, *o Domine*, *benedicam*, id est glorificabo et magnificabo te, bene operando, *in ecclesiis*, id est in conspectu conventuum fidelium, ut et ipsi te exemplo meo glorificent, et magnificent bene operando.

IN PSALMUM XXVI.

Titulus vicesimi sexti. *Psalmus David priusquam liniretur*. Hic mittimur ad historiam de David, qui ter fuit in regnum inunctus. Primo, in Bethleem in domo patris sui, quod signum fuit a Deo eum regem electum esse. Secundo, post mortem Saulis in Hebron, ut regnaret super tribum Juda. Tertio quidem, ut super omnem Israel regnaret. Hæc autem omnia ad Ecclesiæ figuram præcesserunt. Inunguntur enim Ecclesiæ filii in baptismate, in oleo sacrosancto, ut per hoc eos a Domino electos esse designetur, ut, qui servi diaboli fuerant, sui ipsius reges gratia spiritali fiant. Secundo vero, in confirmatione ab episcopis inunguntur, ut copiosius Spiritus sancti gratiam accipiendo, sui qui jam Juda, id est Deo confitentes effecti sunt, magis magisque reges sint. Tertio quoque a Deo in futuro æterna beatitudine inungentur, ut omnimodo sui, qui Israel tunc erunt, sic Deo auxiliante reges sint, ut neque visibiles, neque invisibiles hostes aliquatenus eis dominentur. Videtur autem hic agere collectio fidelium, quæ in præcedenti psalmo locuta est de beneficiis sibi jam a Deo datis, antequam ad æternam unctionem pervenerit, et hoc ad instructionem aliorum, 77 ut qui eadem bona habent, a Deo se habere sciant ; et qui nondum habent, ad habendum omnimodo festinent. Ostendit etiam se unctionem illam omnimodo exspectare, pro qua adipiscenda orat, ut et nos et eam exspectare; et pro ea instruatorare. Quod sic in titulo breviter denotatur. *Psalmus* iste attribuendus est *David*, id est Ecclesiæ perfectissime agenti de beneficiis a Deo acceptis. *Priusquam liniretur*, id est illa perfectissima unctione a Deo in regem ungeretur. Æterna vero beatitudo, unctio recte dicitur, per quam ab omni corruptibilitate sanabitur

www.libtool.com.cn

sicut unctione ægri sanari solent. Hic autem psalmus sic habet principium :

Dominus illuminatio mea, emphatice dictum est. Quod est dicere : Dominus illuminavit me fide in baptismo, *et salus mea*, et hoc quoque emphatice, id est ipse salvavit me a peccatis. Et cum hæc jam impenderit, *quem* invisibilem hostem *timebo* ut me superet ? Nullum scilicet, et *Dominus protector vitæ meæ*, quod est dicere : Mihi qui mortuus eram in Adam originaliter in anima, restituit vitam, et ipse est *protector* illius *vitæ*, ne peccando criminaliter eam perdam. Ergo *a quo* visibili hoste expugnatus *trepidabo*, dum illi qui *nocentes* mihi voluntate (etsi actu nequeant) *super me* existentes, id est superiores et digniores me quantum ad corpus, *appropiant*, id est se præparant, *ut edant*, id est tribulationibus consumant *carnes meas?* A nullo trepidabo, subaudi. Vel *edant carnes meas*, sic exponitur : *Appropiant*, inquam, ad hunc effectum, licet non intenderint, deventuri ut, tribulationibus mihi illatis, *edant carnes meas*, id est consumant et ad nihilum redigant carnales voluntates meas, ne, dum tribulatus fuero, liceat eis in me quidlibet efficere. Unde et in superiori psalmo sic oravit : « Ure renes meos (*Psal.* xxxv, 2). » Et jure non trepidabo, hoc considerans, de inimicis scilicet *qui tribulant me*. Ipsi qui per hoc videntur aliis potentes et excelsi, et in dominio firmi, potius per hoc *infirmati sunt*, id est visi sunt mihi jam infirmi et miseri. *Et*, ut plus dicam, jam *ceciderunt* mihi, id est jam casum eorum futurum prævidi Exponit autem quomodo appropient. Dico *non trepidabo, dum appropiant*. Et verum est. Nam *si consistant adversum me castra*, id est si apparent multitudines hostium, ut *adversum me* tribulationibus pugnent, *non timebit cor meum*, sic ut timore cedam. A similitudine hostium dictum est, qui, cum aliquo prælium inire velint, prius in terram ejus intrantes, ibi castra metantur. Dico non timebo castra consistentia. Et etiam, ut plus dicam : *Si exsurgat adversum me prælium* tribulationum, non solum dico non timebo, sed etiam *in hoc ego*, qui forsitan hostibus timens videbor, *sperabo*, id est per hoc prælium in quo viriliter agam, *sperabo* me adepturum unum quid, quod a Domino exspecto. Et vere unum quid exspecto, quoniam *unam* rem *petii a Domino* et opere et voce et affectione, scilicet æternam beatitudinem, et *hanc* merito vitæ meæ *requiram*. Et exprimit ipsam beatitudinem per partes, scilicet hæc *requiram ut in habitem in domo Domini*, id est in Hierusalem cœlesti, et hoc non horarie, sed *omnibus diebus vitæ meæ*, id est in æternitate qua utitur vita mea, Christus scilicet. Unde Apostolus : « Cum apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (*Col.* III, 4). » Et hoc quoque *requiram, in domo Domini* constitutus, *videam* perfecte *voluntatem Domini* : quam hic perfecte videre nequeo. Unde Apostolus : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognoscitus sum (*I Cor.* XIII, 12). » Et videndo *voluntatem visitem*, id est videam *templum ejus*, scilicet Dominici corpus hominis, quod fuit templum divinitatis. Unde idem in Evangelio : « Solvite templum hoc, et post tres dies excitabo illud (*Joan.* II, 19) ». Dico quod hæc *requiram*. Et hæc est fiducia talium beneficiorum, quæ mihi jam impendit :

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, id est posuit 78 me jam *in abscondito tabernaculi sui*, scilicet in fide et spe beatitudinis, quam per Christum habiturus sum, qui fuit tabernaculum Dei. Quæ beatitudo a nobis est abscondita nunc : quandoque quidem apparitura. Unde Apostolus : Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (*Hebr.* II, 1). » Et alibi de beatitudine sic dicit : « Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo (*Col.* III, 3). » Et non solum abscondit ; sed etiam me positum *in abscondito tabernaculi sui*, *protexit in die malorum*, id est in hoc tempore in quo omnia mala abundant, defendit sui gratia ne cederem. Unde Apostolus : « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (*Ephes.* V, 16) » Et non solum *petra*, id est in Christo qui firmus est ut petra ; vel *abscondit et protexit*, sed etiam me positum *in petra*, id est in constantia et fortitudine, exaltatum in virtutibus. Et exprimit quando exaltatum. Dico *exaltavit*. Et (*pro* scilicet) nunc in tempore persecutionis, cum omnino depressus videor ; *exaltavit caput meum*, id est mentem meam, etsi corpus deprimi permisit, *super inimicos meos*. Quod est dicere : Magis exaltatus sum in virtutibus contra eos, quam ipsi in tribulationibus adversum me. Ostensis beneficiis gratia Dei concessis sibi, per quæ fiduciam habet beatitudinem adipiscendi, ostendit quoque merita liberi arbitrii sic : Non solum hac fiducia spero me habere beatitudinem quam requiram, ideo quia *me abscondit*, *protexit et exaltavit*, sed ideo quia *circuivi*, id est ne temerarius aut remissus essem diligenter investigavi, qualiter ipsi sacrificare deberem. Et positus *in tabernaculo ejus*, id est in fide Christi tabernaculi ejus, *immolavi* ipsi *hostiam vociferationis*, scilicet virtutes et operationem bonam, quæ sunt hostiæ multum clamantes ad Dominum, juxta illud Proseri :

Nec Christi exemplo suavior exit odor
Quam cum homo castorum profert libamina morum,
Et de virtutum munere sacra litat.

Cum dicit *hostiam vociferationis*, idem est ac si diceret : Hostiam multum dignam impetratione, a similitudine illorum qui, cum multum vociferent, citius impetrare solent quam qui remisse agunt. *Circuivi* dicit, a similitudine illorum qui, quando aliquid diligenter investigant ; multum circuire solent. Non solum *circuivi et immolavi*, sed adhuc *cantabo Domino*, id est bene de eo cogitabo ; quod illi dulce erit ut canticum. Et non solum cantabo, sed *et* jam *psalmum dicam*, id est bonum opus meum in evidenti ponam, ut alios attraham exemplo

www.libtool.com.cn

meo. Bene quidem ponit, *dicam*, dicta namque in evidenti sunt, cogitationes autem in occulto.

Beneficiis atque meritis quibus se beatitudinem adepturum confidit ostensis, orat ut consequatur sic : Dixi *unam petii*, et *requiram* et tu, *Domine, exaudi vocem meam qua clamavi*, id est clamore egi non remisse ad te promerendum. Et non pro solis meritis exaudias, sed *miserere mei et exaudi me*, id est misericorditer exaudi. Dico *clamavi*. Et vere vox mea clamor fuit. Nam dum voce agerem, non aliud in corde habui ; sed *tibi dixit cor meum* illud idem quod et os. Alioquin enim vox mea clamor non esset, sed remissa. Vel sic : Dico *clamavi*, et non ore, sed *tibi dixit cor meum* istud. Et exprimit quid dixerit : *O Domine, exquisivit te facies mea*. Quod est dicere : Diligenter et opere et affectione quæsivi ut quem nunc in ænigmate video, facie ad faciem videam. Et adhuc, *Domine, faciem tuam requiram*, bene cogitando et operando. Ergo *ne avertas* in futuro *faciem tuam a me*, etsi modo avertis. Quod autem addit *ne declines*, idem est quod *ne avertas faciem*. Sed ideo repetit ut addat sic : *Ne declines faciem*, scilicet *in ira*, id est propter iram, quam in me de peccatis meis habeas, quoniam a nullo declinabis, nisi cui iratus apparebis. Unde Psalmista alibi : « Tunc loquetur ad eos in ira sua (*Psal.* II, 5). » Dico *ne declines* a me, *servo tuo* scilicet, quasi dicat : Non est dignum ut declines, cum servus tuus sim, in omnibus tibi prout possim obediens. Oro *ne declines*, imo *adjutor* 79 *meus esto* ad bene operandum, et sic *adjutor ne derelinquas me* in solo libero arbitrio, quia per me insufficiens essem ; etsi aliquando me reliqueris, ut, cum cecidero, me insufficientem esse non dubitem, sicut Petrum te negantem reliquisti, ne postea in se confideret. Dixerat enim in se confidendo : « Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo (*Matth.* XXVI, 35). » Saltem *ne despicias me*, id est non sic derelinquas, ut post non auxilieris, sicut Judam despexisti. Et non debes despicere, quia *Deus es*, id est Creator, *salutaris meus*, id est Salvator. Quasi dicat : Quia te solum habeo Deum et Creatorem, et necesse est ut non derelinquas et despicias, *quoniam pater meus et mater mea*, Adam scilicet et Eva, *dereliquerunt me*, id est dejecerunt in mortem. A similitudine patris et matris ; qui cum infantem parvulum derelinquendo exponunt, quantum in se est, interimunt. Fame namque periret, nisi ipsi alius succurreret. Sic et Adam et Eva qui, exemplo suo bono, nos debuissent ad Deo obediendum instruere, et sic secum ad vitam trahere, deficiendo in se nos instruere dereliquerunt, et sic ad mortem pertraxerunt. Dico quod ipsi *me dereliquerunt ; Dominus autem assumpsit me*, ut infirmum sanctificaret, id est ad immortalitatem reduceret ; et hanc apostropham ad auditores facit, ut qui assumpti sunt, non hoc sibi, sed Domino sui exemplo attribuant, et non assumpti ut assumantur omnimodo sustineant.

Post apostropham revertitur ad orationem sic : Dico, Domine, quia me assumpsisti, et ne assumptus rursus debiliter, *Domine*, mihi posito *in via tua*, id est in via mandatorum tuorum, in completione scilicet, quæ via est ad vitam, *pone legem* viandi, id est moderamen, ne retro eam, nec dex trorsum nec sinistrorsum ; retro quidem dicitur ire, qui ex toto deficit. Dextrorsum, autem, qui dum nimis in sanctitate intendit modum excellendo, ad id quod disposuit attingere nequit, ut eremita Joannes parvus, qui angelice vivere tentando defecit. Et bene istud dicitur dextrorsum ire. Per dextram namque bona solent designari ; virtutes vero bona sunt. Illud autem ire, virtuti videtur accedere. Nullus enim ignavus in virtute qualibet ultra modum intenditur. Sinistrorsum quidem ire dicitur qui etsi non ex toto, nimis tamen in virtute remittitur. Quoniam per sinistram vitia designantur ; mala enim sunt. Mala vero per sinistram sæpe denotantur. Remitti quidem in virtute nimis, vitiosorum est. Namque nemo sanctus in virtute remittitur. Nimis igitur remitti, recte sinistrorsum ire dicitur. Ante autem ire in via Dei dicitur, qui neque remittendo nimis, neque modum excellendo deflectitur, sed æquo modo Dei viam incedit. Via quidem Dei dicuntur communia præcepta, sine quibus nemo salvabitur, ut in psalmum XXI exposuimus. Dico *legem pone in via*, et non solum hoc, sed etiam *dirige me*, id est directum me fac in semita recta. Recta vero semita, singularia præcepta dicuntur, quæ paucis competunt, ut in eumdem psalmum dictum est.

Et hoc quod oro *pone legem et dirige, propter inimicos meos* facio, qui me volunt deflectere, a quibus eripe me, ne mihi prævaleant. Et sic, id est, eripiendo, *ne tradideris me in animas*, id est in voluntates, *tribulantium me*. Quod est dicere : Et si tribulari me permittas ab his, non tamen hoc quod volunt sinas eos in me penitus efficere, scilicet ut me deflectant. Oro *ne tradideris*, et hoc mihi orandum est. *Quoniam insurrexerunt in me*, tribulando, suggerendo, *testes iniqui*, id est illi qui iniqua testantur, et opere scilicet et verbis, id est mundanis adhærere summum bonum esse. *Et iniquitas*, id est, ipsi dicti per emphasim iniquitas, *mentita est*, ut me deflecteret, affirmando bona esse quæ mala sunt, id est, vitia ; mala etiam esse quæ bona sunt, id est, virtutes. Dico *mentita est*, et hoc non ad incommodum meum ; sed *sibi*, id est ad damnationem 80 suam. « Os enim quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I, 11). » Facta oratione ne videretur ex diffidentia orasse ; enuntiat se firmiter credere, quod oravit adepturum, sic : Oravi, o auditores, ne Deus avertat faciem, et hoc non ex diffidentia oravi. Nam *credo* me *videre*, id est visurum, *bona Domini*, id est faciem ejus et voluntatem, quæ sunt revera bona. Et hoc non in præsenti vita, sed *in terra viventium*, id est in paradiso, ubinc mo nisi perpetuo vivens habitabit. Ergo,

www.libtool.com.cn

auditor, mei exemplo *exspecta Dominum*, credendo illum tibi eadem bona daturum. Unde Apostolus : « Nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem (*Hebr.* x, 35). » Dico *exspecta*; et in exspectando non sis remissus in operibus ; sed *viriliter age* operando, orando, bene cogitando. *Et*, cum viriliter egeris, non cesses prætædio, sed *confortetur* in hoc *cor tuum*. « Nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22). » Et si Dominus moram fecerit, *sustine*, id est patienter exspecta, *Dominum*, ne murmures.

A

IN PSALMUM XXVII.

Titulus vicesimi septimi. *Psalmus ipsi David* attribuendus, id est Christo. Et bene ponit *ipsi David*. Quasi dicat : Non David loquenti per membra sua, sed ipsi, id est David in propria persona agenti, et orat hic prætendendo meritum, id est bonam intentionem suam, ut Deus exaudiat eum orantem de resurrectione. Agitque etiam concessive de retributione inimicorum, annuntiatque salutem suorum, et in fine pro eis orat.

B

Ad te, Domine, Trinitas, obtinendum clamavi et *clamabo*, id est bona intentione quæ tibi est clamor intensus, agam. Non dicit ad te obtinendum, quod in eo plenarie semper Deus non existeret, sed idem est ac si dicat : Ad hoc *clamabo* ut qui secundum mortalitatem tibi sum non conformis, tuæ conformer immortalitati et impassibilitati; obtineam scilicet immortalitatem et impassibilitatem secundum quod homo sum. Vel, *clamabo ad te* misericordem respiciens, quasi diceret : In misericordia tua confidens. Ergo *Deus meus, ne sileas a me* elongatus. Quod est dicere : Responde petitioni meæ. Respondere Dei est petitionem perficere. Et habetur in alia translatione *ne obsurdescas mihi*, id est ne fias mihi surdus. Et hoc idem est quod *ne sileas a me*. Et quia dixerat *ne sileas*, ne putaremus quod mox vellet petitionem suam compleri, determinat: *Ne taceas a me* elongatus dico, *quando*, id est aliquando. Quod est dicere : Et si modo taces, non perficiendo, non tamen taceas, dum non tacendum erit. Quasi dicat : Perfice in me aliquando quod perficiendum est, ut me immortalem et impassibilem facias. *Ne taceas* et *ne sileas* idem est pro determinatione repetitum. Vel sic : *Ne taceas quando*, id est aliquo modo, quin me meosque facias immortales. Oro *ne taceas*. Nam si tacueris, non solum non immortalis ero, sed *assimilabor*, id est similis fiam, *descendentibus in lacum*, id est in profunditatem mortis, non resurrecturis usque in communem resurrectionem. Lacum dicimus foveam profundissimam, ideoque hic pro profunditate ponitur, in alia translatione habetur : *ne forte tacente te, comparer descendentibus in lacum*. Dixi *clamabo*, intentione scilicet. Et etiam *clamabo*, voce deprecationis, id est voce elementari a deprecatione mea procedenti, scilicet ab intentione cordis, quæ te deprecatur intense. Et, tu, *exaudi vocem deprecationis meæ*, id est audi, ut impetrem, vocem quæ procedit a bona intentione mea, qua te deprecor. Et dignum est ut exaudias : *dum* hoc est quod *oro ad te* obtinendum, non aliquid terrenum, et, dum hoc est quod non deprimo, sed *extollo*, id est, intensas facio *manus*, id est, affectiones, *meas, ad templum sanctum tuum* constituendum. Quod est dicere : Dum ad hoc 81 affectiones meæ intendunt, ut constituam Ecclesiam, quæ erit *sanctum templum tuum*, in quo habites. Unde Apostolus : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*II Cor.* III, 17), » vel sic : *Dum extollo*, id est elevo manus meas in cruce *ad templum sanctum tuum* constituendum. Cætera non mutantur.

C

Quia vero dixerat, *exaudi*, ostendit unde exaudiat, sic. De hoc scilicet exaudi. *Ne* tradas *me* in mortem *simul cum peccatoribus* ; antonomastice, quasi diceret : Non oro quidem ut non tradas in mortem, sed oro *ne* tradas *simul cum peccatoribus*, id est consentiendo desiderio peccatorum, qui me volunt detinere in morte, ne resurgam. Et quia obscure dixerat, exponit : Dico *ne simul* tradas *me cum peccatoribus*, quod est ac si dicerem : *Et*, id est scilicet, *ne perdas me*, id est destruas ex toto, quin resurgam. Cum operantibus iniquitatem, id est consentiendo Judæis, operantibus mortem meam, quæ emplatice dicitur iniquitas, quantum ad eos. Qui operantes iniquitatem, *loquuntur pacem*, id est, verba pacifica *cum* me *proximo suo*, decorum genere juxta carnem nato, dicentes : « Magister, scimus quia verax es, » etc. (*Matth.* XXII, 16.) Dico quod *loquuntur pacem*. *Mala autem*, id est, malæ cogitationes de me sunt *in cordibus eorum*. Hoc autem dicit ad exaggerationem scilicet eorum, ut postea concessive agat de eorum damnatione, sic : Dico *loquuntur pacem*, et *mala* sunt *in cordibus*. Ergo *da illis secundum opera* ipsorum, id est, retribue damnationem, quam promerentur opera *eorum* ; mors mea scilicet, quam etsi non actu, consilio tamen et verbis operantur. Ne vero putarentur opera justa vel ex temeritate, sic determinat. Et, id est scilicet, *da illis secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, id est, secundum quod promeruerunt nequam consilia, quæ adinvenerunt de morte mea. Et non solum des *secundum opera* non manibus facta, sed *tribue illis secundum opera manuum* ipsorum, id est, secundum hoc quod in manibus exercuerunt, flagellando, et quasi latronem me tractando. Et quia dixerat *da et tribue*, exponit quid orat dari, sic : Dico *da et tribue*, scilicet redde *retributionem* illorum, id est, præmium retributionis *eorum ipsis*. Retribuerunt enim mihi mala pro bonis. Versus autem qui supra est, scilicet *quoniam non intellexerunt*, sic præposterate legitur : Dico *redde retributionem*, quod vere facies ; *destrues illos*, et hic de terra sua, et in futuro de terra viventium, quam se habere præsumunt. *Et* post *non ædificabis eos* nec in hac, nec in illa ; et de his causis : *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, id est, noluerunt intelligere per opera sua eum Dominum esse in rebus, scilicet per gloriosa miracula, quæ

D

www.libtool.com.cn

ı eis operatus est. Nullus enim alius cæcum n illuminavit, quatriduanum resuscitavit. Et *ıtellexerunt in opera manuum ejus*, id est, per entissima opera eum Dominum esse, scilicet oc quod innocentiam per Adam ablatam re-:. Peccatum originale destruxit, immortalita-nundo reparavit, et cætera quæ mirabiliter ıtus est, quæ dicuntur opera manuum ejus, ıod præ cæteris egregia sunt. Magis enim ;ia sunt opera quæ manibus exercentur, quam instrumentis aliis aguntur.

oniam autem dixerat, exaudi *vocem* orationis , etc., ne crederetur ex diffidentia orasse, in-do se exaudiendum, laudat Deum quasi jam lierit, sic : Oro, exaudi : et jam mihi videor litus : et benedictus, id est, exaltatus sit Do-s, et a me et a membris meis. *Quoniam exau-* id est, præ nimia certitudine quam habeo, *ıidetur* exaudisse *vocem deprecationis meæ*, id :ocedentem a bona intentione mea. Et ostendit exaudivit : sic de hoc scilicet *exaudivit*, quia *nus* erit *adjutor meus* ut resuscitet, et *protec-ıus*, ne cedam in tribulationibus; 82 et me-Nam *in ipso*, non in alio *speravit cor meum* : et *ıdjutus sum* ab eo. Et bene ponit *speravit cor* ı. Sperare namque corde et mente dicimur, :ationabiliter et quæ ad salutem pertinent, mus. Sperare vero sensualitate, cum sola quæ ıri dulcia sunt et utilia speramus. Quia vero at *adjutus sum*, exponit in quo sit adjutus, sic : *ıdjutus sum* ; et quia me adjuvit, *refloruit caro* id est, reflorebit caro mea ; gloria resurrec-ı, quæ florida fuit gloria Nativitatis, cum sine ıpiscentia de Virgine nata est. Unde per Iasiam ır : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos dice ejus ascendet (*Isa.* XI, 1). » Et in Canticis sponsus et Ecclesiæ sponsæ dicit : « Ego flos i (*Cant.* II, 1). » *Et* quia reflorebit *caro* quæ ida in passione videtur, *confitebor ei*, id est bo eum in meis futuris. *Ex voluntate mea*, id ıcundum voluntatem meorum. Scilicet pariam ıfessores, qui non servili timore, ut Judæi, sed :tarie laudabunt eum affectione bona et opera-. Dico quod *confitebor ei* in meis : *Dominus au-rit fortitudo plebis suæ*, id est, Dominus faciet for-. virtutibus illos confessores quos ei pariam, runt plebs ejus, *Et* erit *protector*, ne deficiant, *tionum Christi sui*, id est, salvandorum a me to suo, qui per emphasim salvationes dicun-Enuntiata salute suorum, orat pro eis sic : Dico eris *fortitudo et protector* ; et ita sit. *Salvum Domine*, a vitiis *populum tuum* futurum. *Et be-hæreditati tuæ*, id est exalta virtutibus illum lum quem excoles per prædicatores ut aliquis ditatem excolit, ideoque hæreditas tua di-ır. *Et rege eos* ne deficiant. *Et extolle illos*, id est a de bono in melius : *usque in æternum*, id n æternitatem deducturus eos.

IN PSALMUM XXVIII.

Titulus vigesimi octavi. *Psalmus David*, id est, prophetæ *in consummatione tabernaculi* agentis, id est, in consideratione consummationis tabernaculi, id est Ecclesiæ : quæ tabernaculum dicitur, eo quod in ea fideles existentes. Deo militant contra vitia pugnando, ad modum militum in tabernaculis militantium. Titulus iste juxta similitudinem historiæ positus esse videtur. Legitur enim cum David Domini tabernaculum consummasset, populum Israel ibi plurima sacrificia obtulisse. Tabernaculum autem istud præfigurabat Ecclesiam, a Christo, vero David, ex utroque populo consummandam in virtutibus et operibus bonis : quam consummationem propheta prævidens, adhortatur eos qui in tabernaculo, scilicet in Ecclesia sunt futuri, ut cum a Christo fuerit consummatum, semetipsos ad sacrificandum afferant : exemplo apostolorum, qui arietes dicuntur, eo quod omnium fidelium duces sunt, sicut arietes duces sunt ovium : vel quia duo fortia cornua habent, id est, duo Testamenta, auxilio quorum errores omnium repellunt, sicut arietes duobus cornibus obstantia depellunt. Ostendit quoque qualiter hoc sit tabernaculum consummandum.

Afferte Domino, o adoptivi filii Dei futuri; afferte vos ipsos ad sacrificandum *filios arietum*, id est, imitatores apostolorum. Quod est dicere : Offerte vos ipsos Domino, ut apostoli fecerunt. Vere filii Dei fideles dicuntur, id est, ab eo specialiter regenerati. Unde Joannes evangelista : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12) : » filii etiam dicuntur apostolorum, eo quod eorum doctrina Deo regenerentur, et eorum imitatores pro posse suo existant. Unde Apostolus. « Filioli mei, quos iterum parturio (*Gal.* IV, 19), » etc. Quia vero bis dicit, *afferte*, sic dicit : Dico, *afferte* vos *filios arietum* : et in hoc se licet sitis filii arietum. *Afferte Domino*, sicut ipsi fecerunt gloriam, ut bene 83 cogitetis de gloriosa essentia deitatis. Et *afferte honorem*, in alia translatione habetur *imperium* ; quod est dicere : Intelligite eum secundum humanitatem ab omnibus esse honorandum, et super omnia potestatem habere et imperium. Unde idem in Evangelio : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Et Apostolus : « Donavit illi nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II, 9). » Dico *afferte Domino gloriam et honorem* ; et hoc quantum in vobis est bene de eo intelligendo, et etiam quantum ad illos ; *afferte Domino gloriam nomini ejus*, id est, facile eum in aliis gloriosum magnificando nomen ejus et *adorate Dominum*, id est, veneramini bonis operibus ; *in atrio sancto ejus*, id est, in vobis effectis atrium sanctum ejus, id est, non angustis in charitate, sed dilatatis sicut atrium amplum est. In alia translatione habetur *in aula sancta ejus*. Quod idem est in sententia, scilicet ut sitis habitatio ejus in charitate amplissimi, ad modum aulæ, quæ habitatio amplissima est. Dico *afferte filios arietum*, et

www.libtool.com.cn

afferendum est; nam jam est tabernaculum consummatum, ideoque sacrificandum est in eo.

Et ostendit quomodo sit consummatum, et quid sit illud tabernaculum : hoc quod futurum est ex nimia certitudine annuntiando præterite, sic: Vere afferendum est. Nam *vox Domini*, id est prædicatio, ejus per prædicatores intonuit *super aquas*, id est, ad modum tonitrui, quod aperte sonat omnibus et comminatur; aperte gentibus sonuit, et damnationem non resipiscentibus comminata est : et bene ponit *super*. Nam vox illa de superiori dispositione Patris processit. Gentes quidem aquæ dicuntur, eo quod ad modum aquarum defluentium, per illicita defluunt; et quia dixerat *vox Domini*, ne qualiscumque Dominus videretur, commendat eum sic: Et iste Dominus existens *Deus majestatis*, id est, omnipotentiæ, intonuit *super aquas multas* : et ideo repetit *super aquas*, ut quia indeterminate posuerat, addat *multas*. *Vox Domini* dico operantis *in virtute*, id est, in constantia quam dedit prædicatoribus, ut neque mors neque vita separaret eos a charitate Christi (*Rom.* VIII, 35). Et *vox Domini*, dico operantis *in magnificentia* miraculorum prædicatorum. Unde in Evangelio : « Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20); » et exponit quid operatus sit *in virtute et magnificentia*, sic : Et *vox Domini* dico *confringentis* de malo in bonum *cedros*, id est, sublimes in superbia, ad modum cedri quæ sublimis arbor est.

Cum dicit *cedros*, simpliciter intelligit omnes superbientes contra Deum inobedientia, et non solum parvas cedros confringet, sed et *cedros Libani confringet Dominus*, id est, superbientes de nitore nobilitatis et divitiarum. Qui ideo cedri Libani dicuntur. Libanus enim *nitor* interpretatur. Dico quod *cedros confringet*, et adhuc aliud faciet quod mirabilius erit, hoc scilicet : *cedros confringet*, et *eas* confractas *comminuet*, id est valde humiliabit in tribulationibus. *Eas* dico existentes *tanquam vitulum Libani*, id est, acceptabiles Deo per ipsas tribulationes, sicut vitulus Libani acceptabilis est ad sacrificandum, cum pinguissimus sit propter bona pascua Libani, in quibus pastus est. Pingues namque vituli sacrificio habiles erant. Dico *comminuet eas*, et ne comminui videatur eis ignominiosum, *dilectus*, antonomastice, id est Christus, de quo vox paterna ait : « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* III, 17); » comminuetur, id est, in tribulationibus humiliabitur. Et ne crederetur secundum divinam naturam comminui, determinat sic : *Quemadmodum filius* est *unicornium*, id est ad eum modum, ad quem modum est filius Judæorum, qui dicuntur unicornes, propter unicam et singularem superbiam quam præ cæteris habuerunt. Vel propter unicam legem. Nullæ namque gentes legem tunc habuerunt. Quia autem dicit eum filium Judæorum, id est, de eorum sanguine natum; ad ipsius humilitatem commendandam dicit Qui nec etiam de eorum sanguine, quos se crucifixuros 84 cognoverat, nasci dedignatus est. Ne vero putaretur illas solas cedros confringere et comminuere, quæ quamvis Libani sint, non tamen adversariæ sunt Ecclesiæ, ostendit quoque se illas intercidere quæ sunt adversantes fidelibus, sic. Et *vox Domini* dico *intercidentis*, id est, dividentis *flammam ignis*, id est persecutores, alios assumendo, et alios relinquendo. Qui bene dicuntur flamma, eo quod fideles tribulationibus devorent ad modum flammæ ligna devorantis. Et bene post *flammam* subjungit *ignis*. Nam sicut flamma ex igne, sic et eorum persecutio procedit ex nimio iræ et odii fervore.

Postquam ostendit vocem Domini intonuisse super gentes, quæ aquæ dicuntur, et hoc *in virtute et magnificentia*, et confregisse cedros Libani, et eas comminuisse *tanquam vitulum*, et intercidisse *flammam ignis*, enuntiat eadem voce concutiendum et commovendum *desertum Cades*, per quod Judæi figurantur. Cades, juxta Augustinum, *sanctum legis* interpretatur. Ipsi vero *desertum* sunt a *sanctitate legis*, scilicet sanctitate legis carentes, et carnalia præcepta solummodo retinentes. Vel *desertum sanctitatis legis* sunt, id est, desererentes legis sanctitatem quam eis Dominus proposuit : et hoc idem est in sententia diverse explicatum. Unde Dominus in Evangelio : « Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram (*Matth.* XV, 6). » Et Apostolus : « Voluntatem suam quærentes statuere, lege Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3). » Cades quoque, juxta Hieronymum, *comestio tineæ* dicitur. Judæi vero desertum existentes, ad modum tineæ per pseudo apostolos innocentes comedere, id est, sibi confirmare studuerunt. Et de eorum commotione ad fidem sic dicit : Dixi quod *vox Domini* intonuit *super aquas*, *vox domini* dico *concutientis* per pœnitentiam *desertum*, et exprimit quod desertum. *Et*, id est scilicet, *commovebit* Dominus per pœnitentiam *desertum Cades*, id est Judæos. A similitudine cultoris, qui terram concutit et commovet aratris, ut fertilis fiat. Et *vox Domini præparantis cervos* ex ipso deserto, id est facientis quosdam cervos, id est, devorantes venenum serpentium, et per hoc præparabit cervos, quia *revelabit* eis *condensa*, id est obscuritates Scripturarum propheticarum. Dixi quod *vox Domini* intonuit *super aquas, et confringet et comminuet cedros : et commovebit desertum Cades*, et *omnes* isti, scilicet aquæ, cedri, et desertum *in templo ejus* existentes, id est membra Ecclesiæ, quæ est templum eius, *dicent gloriam* ei, id est, glorificabunt eum bonis affectionibus et verbis et operibus, et per hoc dicent gloriam, quia *Dominus facit*, id est faciet eos *inhabitare diluvium*, id est immobiliter statuet eos in spe beatitudinis, quæ per baptisma fidelibus a Deo datur. Quod diluvium dicitur, eo quod in eo omnia peccata diluuntur, sicut in diluvio omnis caro deleta est. *Et* per diluvium *sedebit*, id est habitabit in eis *Dominus rex*, id est, ut regat de bono in melius, *in æternum*, id est hic et in futuro, et exprimit quomodo reget : Hic, scilicet *Dominus virtutem po-*

www.libtool.com.cn

puto suo dabit, id est constantiam, ne deficiant, et in futuro *benedicet populo*, id est, exaltabit populum suum : *in pace* constituendo, ne amplius in aliquo sollicitetur.

IN PSALMUM XXIX.

Titulus vicesimi noni. *Psalmus cantici in dedicatione domus David*. Titulus iste juxta similitudinem historiæ positus est. Propheta namque prævidens Salomonem filium suum domum Deo ædificaturum, et postea dedicaturum, et in illa dedicatione præfigurandam esse dedicationem corporis Christi et Ecclesiæ ; quod utrumque Dei domus, id est habitatio est, introducit Christum promittentem se bene operaturum, ut a Deo in resurectione dedicetur, id est, ad immortalitatem et gloriam et Dei laudem destinetur, sicut domus Salomonis fuit dedicata, id est ad hoc ut Deus in ea laudaretur destinata. Enuntiat quoque ipsam dedicationem resurrectionis suæ, adhortando membra ad bene operandum, 85 et Deum laudandum, ut ipsi in futuro dedicentur, id est, remota mortalitate, ad immortalitatem et lætitiam et Dei laudem destinentur. Ostendit quoque constantiam suam orandi pro illa dedicatione, ut et nos constantes in oratione faciat. Quia autem ponit in titulo scilicet *Psalmus cantici*, quidam unam partem; quidam vero duas esse dicunt. Cum una pars est, sic titulus exponitur : Tractatus iste dictus Psalmus cantici, eo quod in se contineat psalmum, id est bonam operationem ; et canticum, id est de bono opere retributionem : factus est in consideratione dedicationis domus David, id est, corporis Christi vel Ecclesiæ : quod utrumque est domus David, id est Christi, veri David. Si autem Psalmus cantici duæ partes sint, quamvis idem sit in sententia, diverse sic exponitur : Iste psalmus, id est bona operatio, quæ continetur in hoc tractatu, est causa cantici, id est, lætitiæ. Cantici dico in dedicatione domus David futuri in ipsa domo. Vel ita ut in sententia sit diversitas : Psalmus iste, id est tractatus, est psalmus, id est tractatus cantici in dedicatione domus David futuri.

Exaltabo te, Domine, id est, te altum et magnum reputabo, bene de te cogitando ad honorem tuum, et bene operando : et merito ; *quoniam* propter exaltationem *suscepisti*, id est suscipies, *me* de mortali faciendo immortalem, a similitudine medici, qui ægrum suscipit ut sanificet. *Nec delectasti*, id est, permittes delectari *inimicos meos* Judæos *super me* se extollentes : delectarentur enim si detinerer in morte. Dico suscipies; ut autem suscipiar, Domine omnium, Deus meus specialiter : *ad te* misericordem respiciens *clamavi*, id est, voce intensa oravi ; *et* ideo *sanasti*, id est sanabis, *me*. *Sanasti* idem est quod et *suscepisti*. Et exponit quomodo sanabit ; ita scilicet sanabis : *Domine, eduxisti*, id est, educes *ab inferno animam meam*, videlicet a locali inferno, reducendo eam ad corpus die tertia, et ut dignus essem ad deducendum de inferno. *Salvasti me* ab omni peccato. Me dico separatum *a descendentibus in lacum*, id est, a consortio descendentium in profunditatem vitiorum. Ostensa sanatione sua, adhortatur membra ad psallendum et Domino confitendum, ut et ipsa sanata lætentur : Dico quod sanavit me. Ergo ut sanemini, o mei sancti filii ejus existentes, *psallite Domino*, id est, bene operamini ad honorem Domini. *Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, id est, laudate cum voce et affectione de memoria sanctitatis ejus. Quod est dicere de hoc quod memor erit promissionis suæ, ut vos scilicet per me sanctificet, qui per Adam peccatores effecti estis. Dico *confitemini*, et hoc duplici intuitu. *Quoniam ira*, id est, vindicta eis quam hominibus intulit propter Adam, erit *in indignatione*, id est in brevi furore. In alia translatione habetur *ira ejus* ad momentum, quod idem est in sententia : Indignatio enim est momentaneus furor. *Et vita erit in voluntate ejus*, quod est dicere : Deo ipsi debetis confiteri, quia cum juste vos damnare posset, brevem vobis vindictam intulit, scilicet mortalitatem et passibilitatem non diu duraturam. Et quia vita dabitur in futuro *in voluntate ejus*, id est, per gratuitam voluntatem ejus, et ideo adhuc *confitemini*. Quoniam *ad vesperum*, id est, ad Adam respicientibus ut ei conformentur, *demorabitur fletus*, id est, æternus in futuro erit fletus; *et ad matutinum*, id est me Christum, respicientibus *demorabitur lætitia* beatitudinis. Quod est dicere : *Confitemini;* nam qui non confitentur, sed ad Adam respiciendo, ipsi conformantur, flebunt. Qui vero ad me Christum respiciendo psallunt et mihi conformantur, lætabuntur. Vesper bene dicitur Adam, qui a peccando obscurus factus est, et ex eo mors nostra secuta est, sicut vesperum sequitur nox, quod mane obscurius est. Matutinum autem Christus est, 86 quod in eo fidei nostræ lux principium habuit : et clarus in sanctitate fuit ad modum mane, quod clarum est, in quo lux diei incipit. Dixi : Quia *ad vesperum* scilicet respicientibus *demorabitur fletus*.

Ego autem non respexi *ad vesperum*, sed *in abundantia mea*, id est, plenitudine sanctitatis meæ positus. *Dixi*, id est, mecum statui : *non movebor* ab hac *abundantia in æternum*. Et hoc ideo dicit ut nos instruat exemplo sui ; ne a sanctitate moveamur. Dixi, *non movebor* : et hoc tamen non per me, sed tu, *Domine, præstitisti virtutem*, id est, constantiam *decori meo*, id est, abundantiæ sanctitatis meæ; *in voluntate*, id est in gratia tua. Et ostendit quam virtutem, hanc scilicet ut nec in tribulatione desistam clamare ad te, quamvis me tribulari sinas. Dico quod *præstitisti virtutem*, et usque adeo quod *avertisti faciem tuam a me*, id est videberis avertere aspectum misericordiæ tuæ a me in passione, permittendo me affligi ; *et factus sum conturbatus*, id est, spontanee conturbabor in anima timore passionis, et tamen non ero remissus. Sed *ad te* Domine misericordiæ, respiciens clamabo, id est, clamosa affectione agam ; et ad te Deum, id est, Creatorem *meum* respiciens *deprecabor* voce sic dicens : Quæ

www.libtool.com.cn

utilitas erit in sanguine Deo effundendo, *dum descendo*, id est, si hoc est quod descendam *in corruptionem*, id est, in putredinem? Quod est dicere: Ne permittas me in corruptionem descendere. Cum enim magna utilitas de morte mea, si resurrexero, sit futura; si hoc est quod non resurgendo in corruptionem descendero, quæ utilitas erit in effusione sanguinis mei? Nulla scilicet. Et exponit ipsam utilitatem sic: Vere nulla erit utilitas tunc in sanguine meo; *Nunquid* enim *confitebitur*, id est, veros confessores pariet *tibi pulvis*? *Aut annuntiabit* ille pulvis *veritatem tuam*, scilicet te veracem esse, qui promisisti per prophetas te me resuscitaturum? Quod est dicere: Si non resurgens, pulvis effectus fuero; non pariam tibi confessores, nec annuntiabo in membris meis te veracem esse, quia me resuscitando promissionem tuam compleveris. Hoc autem sub interrogatione dicit ex affectione nimia, ut magis eum ad perficiendum quod possit commoveat.

Facta oratione, ne videatur ex diffidentia orasse, præ certitudine quam habet jam se exauditum, dicit: Cum nondum sit in re. Et hoc sic dicit: *Quæ utilitas*, etc. Et quamvis hæc ita dico, non tamen quod oro, futurum esse dubito: certus enim sum quia *audivit*, id est audiet, me *Dominus*. Ostendit autem quia et propter misericordiam, et propter merita audivit eum, sic: Dico, *audivit*. Et hoc ideo, quia *et misertus est mei*; et quia *factus est adjutor meus*. Quod est dicere: Et ideo audiet, quia miserebitur mei. Et quia meritis meis feci eum mihi adjutorem. Demonstrat vero in quo erit adjutor, apostropham. Demonstrat vero in quo erit adjutor, apostropham ad eum cum gratiarum actione faciendo, sic: Vere adjutor fies. Nam *convertisti*, id est convertes, *planctum meum*, id est, tristitiam passionis meæ, in gaudium resurrectionis. Quod est dicere: Destrues planctum meum, dando mihi gaudium. Et *concidisti saccum meum*, id est, omnino destrues mortalitatem meam. *Et circumdestisti me*, id est, ex toto ditabis me lætitia immortalitatis. Bene autem mortalitas Christi saccus dicitur; quia cum peccatum non haberet, mortalitas ejus pœna peccati nostri fuit, sicut saccus quo pœnitentes induuntur, pœna suorum peccatorum est. Dico quod circumdabis *me lætitia*; et hoc ideo, *ut cantet tibi gloria mea* gloriosa, id est, ut resurrectio mea dicat tibi laudem non verbis, sed ipsa sui evidentia. Et dixi quod *concidisti saccum meum*, et ideo non compungar ultra timore mortis. Unde Apostolus: « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur (*Rom.* VI, 9). » Et quia *non compungar, Domine Deus meus, confitebor tibi in æternum*, id est, laudabo te in meis omnimoda laude. Vel ita: Dico quod *concidisti saccum meum*, et hoc ideo, *ut cantet tibi gloria mea*, id est, 87 ut laudent te omnino gloriosa membra mea, *et* sic ut *non compungar*, id est, non pœniteant cantasse tibi vel metu, vel alicujus principis favore. Sed o *Domine Deus meus*, usque *in æternum*, eundo de generatione in generationem, *confitebor tibi*, id est, laudabunt te.

IN PSALMUM XXX.

Titulus *tricesimi. In finem Psalmus Davia*. Solus autem Augustinus habet: *In finem psalmus David pro exstasi*. Quod sic exponitur: Psalmus iste attribuendus est David Christo, tendenti in finem, id est, perseverantiam et victoriam; Psalmus dico habitus pro exstasi, id est, subtili consideratione sua. Exstasis vero duobus modis accipitur: Exstasim enim dicimus, nimium mentis præ timore vel admiratione stuporem. Unde in Actibus apostolorum legitur: *Repleti sunt stupore et existasi in eo quod contigerat illi* (*Act.* III, 10). Hujusmodi vero exstasis in Christo fuisse nunquam dicenda est. Exstasim etiam dicimus arcanum mentis excessum, quotiescunque perfectorum contemplatio in secreta Dei consilia speculando, sæcularibus omnino cogitationibus postpositis, immoratur. Pro hujusmodi autem exstasi hic in psalmo agitur. Considerans namque Dominicus homo, se immensa et excellentissima dispositione divinitatis in mortem esse tradendum, et ex morte illa salutem generis humani secuturam, orat, merita præferendo, ut Deus in passione constantem eum faciat, ne cedat et ut resuscitetur. Prædicit quoque passionem suam futuram præterite de ea agendo. Ostendit quoque suorum salutem, et pro eis orat. Adhorturque eos ut viriliter agant in præceptis Dei. Agit quoque concessive de inimicorum damnatione et erubescentia. Et hæc sic incipit:

In te, Domine, fundatus et firmus, *speravi*, id est, spem constantiæ et resurrectionis meæ posui. Ecce prætentio meriti. Ergo quia *in te speravi, non confundar in æternum*, id est nunquam erubescam. Vel sic: Et si videbor ad horam in passione erubescere, non tamen hoc sit in æternum. Quia vero dixerat generaliter *non confundar*, particulariter ostendit unde non confundatur, sic: Inde scilicet confunderer, si a morte non liberarer, vel si in passione cederem. Et ideo *libera me* a morte, et hoc *in justitia tua*. Quod est dicere: Quia justus es, et hoc ego in te sperando promerui. Et ut liberer, *inclina ad me aurem tuam*. Superius ostendit meritum, ponendo *in te speravi* et *in justitia libera me*. Hic autem orat ex misericordia liberari, cum dicit: *Inclina ad me* mortalem, *aurem tuam*, id est, condescendere fac humilitati mortalitatis meæ benignitatem tuam, a similitudine medici, qui ex benignitate infirmo aurem inclinat, quando non potest præ infirmitate loqui, ut eum, infirmitate sua cognita, curet. Auris bene Dei benignitas dicitur, per quam preces humilitatis nostræ suscipit. Oro *libera*, et hoc non differas usque in communem resurrectionem, sed *accelera ut eruas me*, id est, accelerate erue me, post tres dies scilicet. Non solum autem oro a morte liberari, sed hoc etiam oro: *Esto mihi in Deum protectorem*. Quod est dicere: Te reputo Deum, et ex Deo cedas mihi in protectorem, ne deficiam. *Et in domum refugii*, id est, in securitatem sicut domus munita ad se fugientibus, est causa securitatis. Multi vero proteguntur, qui securi non

www.libtool.com.cn

sunt, ideoque bene addit. *Et in domum refugii*: Dico *esto mihi* protector et domus refugii, *ut sic salvum me facias* a morte. Aliter enim non salvarer. Vere debes esse protector et refugium, *quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu*, id est, quia te reputo fortitudinem, id est, protectorem meum, et refugium, id est securitatem. Et sic in hac tentatione mortis debes esse protector et refugium, *quoniam* in aliis tentationibus inimicorum visibilium, et in tentatione diaboli, *es tu* mihi semper *fortitudo et refugium*. Et ideo *deduces me* de bono in bonum, perseverare 88 faciendo, *et* per deductionem *enutries me*, id est, confortabis me, faciens immortalem, a similitudine nutricis quæ parvum nutrit, ut fortis fiat ex debili. Exponit autem quomodo enutriet, sic: Scilicet *enutries*; *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi*, id est, de præsenti morte quam abscondite putant se præparasse mihi, a similitudine illius qui in abscondito laqueum ponit, ut avem vel bestiam ignorantem decipiat. Et merito *educes*. Nam *in manus tuas*, id est in potentiam tuam, commendabo *spiritum meum*, id est, committam animam meam, ut per te qui potens es eam recipiam, ita quod non sint amplius inimici potentes eam auferre a corpore, sicut nunc sunt: a similitudine illius qui aliquid commendat, ut quando voluerit illud recipiat; et bona fiducia commendabo, *quoniam tu es*, id est tu eris, *protector meus* in passione, ne deficiam.

Ostendit vero quod commodum inde sequatur, sic: Dico *educes*, et me educto *redemisti me*, id est, redimes meos a morte, o *Domine* existens *Deus, veritatis*, id est, dator veritatis, faciens eos expetere vera bona. Vel *Deus veritatis*, id est Deus verus, qui hoc promisisti, et non potes non complere. Non enim mei morte mea redimerentur, nisi de laqueo hoc educerer. Dixi quod meos redimes, quibus eris dator veritatis. *Observantes* autem *vanitatem*, id est, cum summa diligentia complectentes bona sæcularia, quæ vana sunt; et hoc *supervacue*, id est sine qualibet utilitate, *odisti*, id est odio habebis, et ideo non redimes illos, quos odio habebis. *Ego autem* non ero tibi odio, id est, mei non erunt tibi odio. *Ego* enim *in Domino* sperabo, id est, mei *in* te *Domino* non in vanis spem ponent. Et ideo *exsultabo* et *lætabor*, id est, exsultabunt in futuro de corporis beatitudine. Exsultare namque proprie corporis est; componitur enim a *saltare*. Et lætabuntur de animæ beatitudine, et hoc *in misericordia tua*, non in solis meritis suis. Et vere exsultabunt in corpore, *quoniam respexisti humilitatem meam*, id est, misericorditer considerabilis, ut inde eos eruas per dejectionem corporis meorum. Subjacent enim augustiis omnibus. Quod dicit *respexisti*, a similitudine illorum dicit, qui oppressum benigne respiciunt ut ejus misereantur. Et vere lætabuntur in anima. Nam *salvasti*, id est, salvabis *animam meam*, id est, meorum, *de necessitatibus*, id est, de fragilitatibus quæ contingunt per peccati originalis necessitatem. Fragilis enim est, cum plena illa, quam haberet (nisi Adam peccasset), Dei cognitione careat, Fragilis etiam est, cum timeat et tristetur, et cuncta talia patiatur: et non solum hoc habebunt ut exsultent et lætentur in futuro; sed etiam in hac vita *non conclusisti me in manibus inimici*, id est, non permittes meos concludi in potestate diaboli, ut possit eos irretire per suggestiones impiorum, et in conformitatem suam traducere, a similitudine capti qui comprehenditur prius, et in carcerem postea concluditur. Vere non permittes concludi: Sed potius *statuisti pedes meos in loco spatioso*, id est statues affectiones meorum in spatiositate fidei et dilectionis a similitudine illius qui, de angusto carceris eductus, in loco spatioso statuitur. Enuntiata suorum salute, apostrophatice Deum orat ut in eis compleat quod enuntiaverat, sic dicens:

Enuntiavi quod mei exsultabunt et lætabuntur, et ut hoc sit, *Miserere mei*, id est, meorum, *Domine*. Et necesse est eis, *quoniam tribulor*, id est, mei tribulantur. Et exponit ipsam tribulationem per patres, Vere tribulantur; nam *conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus*, id est, debilitatus est in vindicta quam accepisti de peccato Adæ contuitu rationis meorum. *Conturbatus* ponitur a similitudine oculi, caligine vel aliquo morbo conturbati, qui debilis est ad vivendum. Et conturbata est *anima* meorum, id est, debilitata est vitalitas et sensualitas meorum, et debilitatus est *venter*, id est, corpus 89 eorum, a molliori parte totum corpus designat, ut illud rem debilissimam esse innuat. Exponit autem quomodo sit anima conturbata, sic. Vere *anima*, id est vitalitas, debilitata est, quoniam ipsa *vita mea*, id est vitalitas meorum, *defecit in dolore*, id est, defectibilis facta est per dolorem, quod non fieret nisi Adam peccasset. Quod est dicere: Talis naturæ facta est quod per aliquem dolorem potest deficere. *Et anni mei* sunt defectibiles *in gemitibus; anni* et *vita* hic idem est Quod est ac si dicat: Non tantum defectibilis dicenda est eo quod per dolorem cito finiri potest, sed ideo etiam quia, dum durat in crebris gemitibus adversitatum constituta, deficit a beatitudine lætitiæ, quam haberet continue, si perseverasset obedientia Adæ; per ostensionem autem defectionis vitalitatis innuit et corpus defecisse, quod a vitalitate vegetatur. Innuit quoque sensualitatem defecisse. Quæ vere defecit. Minus enim etiam corporaliter videmus et sentimus. Sciendum et animam et sensualitatem et vitalitatem idem esse; sed secundum diversa officia diversis nominibus nuncupatur. Anima autem ejus principale vocabulum est. Sensualitas vero dicitur eo quod per corporea instrumenta diversos sensus exerceat, ut per oculos videt, per aures audit. Vitalitas quidem dicitur eo quod corpus vegetando illud vivere faciat. Cum autem dicitur vitalitas et anima deficere, et anima perpetua esse videatur; idem est

www.libtool.com.cn

ac si dicat: Deficit in officii sui exercitio, non autem in sui essentia. Nam si ejus ex toto perimeretur essentia, non esset utique perpetua.

Exponit etiam quomodo sit oculus conturbatus, sic: Vera *conturbatus est oculus*, qui et virtus meorum dicitur, propter sui dignitatem. Nam *virtus mea* id est ratio meorum, *infirmata est in paupertate*, id est, laborat ad modum infirmantium, propter indigentiam plenæ cognitionis Dei. Et quia virtus infirmata est, *ossa mea conturbata sunt*, id est, virtutes meorum debilitatæ sunt; dicuntur autem *ossa*, propter fortitudinem quam habent, ad modum ossium quæ fortiora sunt carne. Ostensa una causa quare debeat misereri, scilicet propter eorum tribulationem: aliam subjungit, passionem, videlicet suam et injuriam pro eis patiendam, quam etiam ostendit. Et hoc sic dicit: Dico miserere meorum, quoniam tribulantur. Et ideo adhuc, quia ut tu eis miserearis, *super omnes inimicos meos factus sum opprobrium*, id est, finam inimicis meis opporobrium et derisio, plus quam ipsi futuri sunt opprobrium et dirisio, gentibus, cum ab eis captivi ducentur et dispergentur. In alia translatione habetur: *Apud omnes inimicos meos*, id est, omnibus inimicis meis fiam opprobrium. *Et* etiam *vicinis meis*; id est, illis qui aliquantulum appropinquaverunt ut me cognoscerent, nondum tantum noscentes, sicut multi fuerunt ex Judæis; *factus sum opprobrium*, id est, verecundabuntur se vicinos meos fuisse; *et timor*, id est, causa timoris fiam *notis meis*, id est, apostolis, ne me confiteri audeant timore mortis. Unde legitur: «Noti mei quasi alieni recesserunt a me (*Job* x, 13): » Dixi quod *vicinis* fiam *opprobrium*. Et ideo ipsi vicini, *qui videbant me foras*, id est, qui videbant me secundum forinsecam naturam, scilicet secundum humanitatem, qua patiar; et nunc considerantes secundum divinitatem, *fugerunt*, id est ex toto recedent *a me*, id est, a spe quam in me habebant. Vel sic: *Qui videbant*, id est cognoscent aliquantulum me, fugient *a me*, *foras* euntes, id est, eis cedentes qui foris sunt a cognitione mea, Judæis scilicet. Et non ita fugient ut revertantur post, sed *oblivioni datus sum*, id est dabor, *tanquam mortuus* sum *a corde*, id est, secundum animam in peccato; sicut me mortuum in corpore videbunt. Quod est dicere: Putabunt me per peccata in anima mortuum, ideoque non resurrecturum.

Et *factus sum*, id est fiam, eis *tanquam vas perditum* 90; quod est dicere: Ponentes in me prius spem salvationis, reputabunt me ad salvandum eos inutilem, sicut *vas perditum*, id est fractum, quod inutile est aliquid in se capere, cum illud quod in eo ponitur, inde citissime diffluat. Et ideo reputabunt me *vas perditum quoniam audivi*, id est patienter (non respondendo) audiam, *vituperationem multorum commoruntium in circuitu*, id est, non in mei dilectione et notitia, sed in elongatione, ad modum circuitus, qui longe est a puncto quod in medio est. Vel *commorantium in circuitu*, id est, in appetitu terrenorum, quæ bene dicuntur circuitus, eo quo nunquam firma sunt, sed eunt in circuitum, id est, semper volvuntur aliquando in prospera, aliquando in adversa. Quod est dicere: Ideo reputabunt me *tanquam vas perditum*; quia cum vituperatus ero, me videbunt tacere quasi reum. Et ideo adhuc *factus sum tanquam vas perditum*; quia Judæi existentes *in eo circuitu* quem divi; *dum convenirent*, id est dum convenient, congregati corporaliter *adversum me*, id est, ut mihi detrahant, ipsi *simul* manentes, id est, in eadem voluntate mortis meæ concordes *consiliati sunt*, id est consiliabuntur, *accipere animam meam*, id est, auferre vitam meam, a similitudine illius qui ab hostibus accipitur ut perdatur. Quod est ac diceret: Quia videbunt eos de morte mea consiliari, et hoc ad effectum deducere me non resistente, reputabunt me quasi *vas perditum*. Dixi, quod consiliabuntur *accipere animam meam*. *Ego autem in te speravi*, id est, in te spem ponam, *Domine*. Et *dixi*, id est dicam; et verbis, et opere, et affectione, o Domine, *eripe me de manu*, id est de potestate, *inimicorum meorum* Judæorum, ne eis conformer. *Et eripe me a persequentibus me* Judæis. Quod est dicerere: Eripe me a potestate Judæorum ne mihi prævaleant, qui sunt inimici mei et persequentes. Multi namque inimici sunt, qui non sunt persequentibus. Ideoque bene addit, *a persequentibus me*.

Et præmittit causas de quibus eripiatur, sic: Dico, *eripe*; et dignum est. Nam *Deus meus es tu*; reputo te Creatorem meum. Et quia *sortes meæ* sunt *in manibus tuis*, id est, electiones meæ sunt in voluntatibus tuis. Quod est dicere: Quia solas voluntates tuas eligo; *sortes* pro electionibus ponit, quia per *sortes* electiones fieri solent; quia vero ex voluntatibus opera procedunt, manus dicuntur. Manibus enim opera exercentur. Oro, *eripe*. Et non solum hoc, sed etiam *illustra faciem tuam*, id est, illustrem ostende et claram fac benignitatem tuam. Respiciendo super me *servum tuum*, id est, omnino tibi obedientem. *Faciem* ponit pro *benignitate*, eo quod in facie sæpe benignitas denotatur. Bene etiam ponit, *super servum tuum*, quasi dicat: Cum tu superior sis me humano servo tuo, condescende mihi; et per hoc benignitatem tuam illustrem ostende. Oro, *illustra*, sic scilicet: *Salvum me fac* a morte. Et hoc *in misericordia tua, Domine*, ne *confundar*: quod esset, si salvus non fierem; neque dignum est, *quoniam invocari*, id est, oravi te. Vel ita: *Quoniam invocavi te*, id est, bona affectione et verbis et operatione vocavi te in habitatorem meum, Dico, ne *confundar*; *impii* vero, id est, Judæi inimici mei *erubescant* in resurrectione mea, et post *deducantur in infernum*, localem infernum videlicet. Dico: *Erubescant*, et etiam *muta*, *fiant labia dolosa* eorum Non dicit sic *muta* quod nihil omnino dicant; sed *muta*, id est, nihil mali de me, quod verum videatur, dicentia. *Labia dolosa* dicuntur habere, qui aliud cogitant, aliud dicunt; quæ Judæi habuerunt.

www.libtool.com.cn

Cum enim ratione sua et miraculis Christi coacti, vere Deum esse cognoscerent, ore tantum denegabant. Potest etiam hoc oratio esse, si sic exponatur : Oro, *salvum me fac*. Et me salvato, *erubescant impii* Judæi de morte mea, in bonum scilicet erubescant. Et ut vehementius erubescant, *deducantur* cogitatione sua *in infernum*, in profunditatem 91 peccatorum suorum. Quod est dicere : Considerent profunditatem peccatorum suorum : et sic *muta fiant labia dolosa* eorum a vituperatione mei. Ostendit autem in quo sint *dolosa* cum subjungit: *Quæ* labia *loquuntur adversus* me *justum*, id est, detrahendo mihi justo: et hoc *in superbia et abusione*, id est, superbe et abusive. Superbe quidem loquebantur, cum dicebant : « Ave, rex Judæorum (*Matth.* XXVII, 29 ; *Marc*, XV. 18 ; *Joan.* X, 3). » Abusive autem, cum ad ejus detractionem falsis vocabulis abutebantur, dicentes eum, qui justus erat et innocens, peccatorem et seductorem (*Matth.* XXVII. 63). Vel ita : *Loquuntur in abusione*, id est, abutuntur libero arbitrio suo loquende adversum me.

Cum enim ad hoc datum sit eis liberum arbitrium, ut cessando a malo, et bonum operando vel dicendo, meliores fiant quam si solummodo potentiam bene operandi haberent; abutuntur ipso libero arbitrio male de me loquendo. Ostendit autem quis fructus sequatur de salvatione sui, sic : Oro, salva me. Et per me salvatum apparebit *quam magna*, id est valde *magna multitudo dulcedinis*, id est misericordiæ tuæ, *quam* multitudinem *abscondisti*, a perdendis, et hoc *timentibus te*, id est, ad opus timentium te. Quod est dicere : A te non *timentibus abscondisti* ne cognoscant eam ; *timentibus* autem revelasti, juxta illud Evangelii : « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* X, 21). » Et non revelasti sic ut non sint habituri ; sed *perfecisti*, id est, perficies, illam multitudinem meis timentibus : *qui sperant in te in conspectu filiorum hominum*, id est, qui confitentur se sperare in te *in conspectu* imitatorum malignorum, non denegantes te timore mortis. Unde Dominus in Evangelio : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo (*Luc.* XII, 8). » Malignos hic homines vocat, eo quod solummodo homines sunt, id est, solummodo humana considerantes, nec etiam spiritualia. Ostendit vero multitudinem *dulcedinis*, quam superius posuit, sic per partes. Dixi quod perficies in eis multitudinem *dulcedinis* ; hanc scilicet : *Abscondes eos* separatos *a conturbatione hominum*, id est, malignorum. Et hoc *in abscondito faciei tuæ*, id est, abscondes eos a malignis, ne eorum gloriam videant, et eos conturbent sicut modo faciunt. Et statues eos in præsentia tua, quæ a malignis abscondita erit. Unde scriptum est : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » Dico quod in futuro *abscondes* ; et hic *proteges eos* existentes *in tabernaculo tuo*, id est, in militia tua ; *a contradictione linguarum*, id est, a contradicentibus linguis hæreticorum et aliorum vana suggerentium, ne prævaleant eis. Hanc autem apostropham ad membra : *Benedictus Dominus* de hoc, quia meis videt futurum quod prædixit. Dixi quod Deus abscondet et proteget vos, o sperantes ; et ita erit. Et ideo *benedictus*, id est, laudatus sit Dominus, et a me et a vobis. Repetit autem quare sit laudatus aliis verbis, sic : *Quoniam mirificavit misericordiam suam mihi*, id est, mirabilem misericordiam suam faciet Deus meis, vobis scilicet. Et hoc *in civitate munita*, id est, in Hierusalem cœlesti, quæ dicitur civitas munita, eo quod nullus assultus hostium in eam fieri potest. Unde scriptum est : « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*Isa.* LXIV, 4 ; *I Cor.* II, 9). » Facit autem apostropham ad Deum repetens causam salvationis suorum, ut eos sibi magis obnoxios fuciat. Dixi quod mei protegentur, abscondentur. *Ego autem* ut ipsi protegantur *projectus sum*, id est ero *a facie oculorum tuorum*, id est, a præsentia misericordiæ tuæ. Quod est dicere : Videbor in passione esse projectus a misericordia tua, et hanc projectionem *dixi*, id est, intellexi ego, qui projiciendus sum, quam alta et rationabili dispositione fiat, dico, *dixi* ; et hoc *in excessu*, id est, in sublimi subtilitate *mentis meæ*. Quæ bene dicitur excessus, eo quod omnes omnium hominum et angelorum subtilitates excedit.

Per hoc autem quod dicit se hoc intellexisse, innuit se hoc libenter passurum, et non hoc ignorare. Dico quia *projectus* ero. Et *ideo exaudisti vocem orationis* 92 *meæ dum clamarem ad te*, id est, audies sic ut impetrem orationem meam voce proferendam, dum clamabo ad te pro meis. Apostrophatice quidem suos adhortatur ut Deum diligant, et viriliter agant, ut sic oratio sua et projectio eis proficiant, quæ aliter non proficerent. Dico quod *projectus* ero pro vobis, et exaudiar dum clamabo. Ergo *diligite Dominum omnes sancti ejus* filii per me futuri ; *quoniam* hanc *veritatem*, id est hanc justitiam, dilectionem scilicet, *requiret Dominus* a vobis, per beneficia, quæ vobis per me dabit, et quæ jam dedit. Æquum enim est et justum ut creaturæ Creatorem, et reparati diligant vitæ reparatorem. Unde scriptum est : « Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo (*Deut.* VI, 5 ; *Matth.* XXII, 37 : *Marc.* XII, 31 ; *Luc.* X, 41). » Et ideo adhuc : *Diligite*, quia *retribuet abundanter*, id est, magnam et abundantissimam retributionem dabit *facientibus superbiam* in se. Quod est dicere : Qui se facient superbos contra eum, dedignando ejus dilectionem. Quod est ac si dicat : Ideo *diligite*. Nam si non diligentes superbi fueritis, cum omnibus superbientibus retribuerit, retribuet et vobis : Dico, *diligite*. Et quia dilectio nihil est sine bono opere ; *viriliter agite* in bonis operibus. Unde beatus Gregorius (*Homil* 30, *in Evangel*,) : « Probatio dilectionis, exhibitio est operis. » Et Apostolus : « Non coronabitur nisi qui legitime certaverit (*I Tim.* II, 5). » Et viriliter agen-

www.libtool.com.cn

do ne deficiatis, sed *confortetur* in hoc *cor vestrum* id est, sitis in hoc perseverantes, o vos *qui speratis in Domino* salvationem. Aliter enim non spes, sed præsumptio esset.

IN PSALMUM XXXI.

Psalmi trigesimi primi. Titulus. *Intellectus huic David:* Quod sic exponitur : Huic David, id est, huic fideli qui in hoc psalmo agit, est intellectus. Quod est dicere : Hic fidelis qui hic loquitur, vere sapiens est, et bene intelligens. Cum autem ponitur intellectus indefinite, magis eum esse intelligentem innuit, quam si determinaret. Illos enim qui sapientissimi sunt, sapientes indeterminate dicere consuevimus. Ut Salomon sapiens dicitur indeterminate. In hoc vero psalmo, fidelis quilibet agit, qui prius intelligebat se beatificari posse per liberum arbitrium sine remissione peccatorum; nunc autem errore tali postposito, ad aliorum instructionem ostendit nullum nisi per peccatorum remissionem posse beatificari, seipsum inde proponens exemplum; dum enim hunc errorem habuit, omnino debilitatus est in virtutibus. Tandem ergo cognito errore, et inde confessionem agens, et veniam postulans impetravit : et sic beatitudinem justitiæ adeptus est, et in futuro magis beatificatur. Adhortatur etiam alios ne in hoc errore decepti intellectum remissionis a se repellant. Et quia ad hoc per se sunt insufficientes : pro eis postmodum orat. Bene vero psalmo præcedenti supponitur. Nam in superiori de remissione actum est, et de beatitudine fidelium. In hoc autem qualiter ad beatitudinem perveniatur, instructio datur, ne quilibet ad hanc se per liberum arbitrium attingere præsumat.

Beati quorum, etc. Iste versus sic præposterate legitur. Quasi dicat : Multi per liberum arbitrium solum ad beatitudinem pervenire nituntur, sed illi soli sunt *beati quorum peccata sunt tecta*, id est sic abscondita, vel per baptismum solum, vel etiam per confessionem, quod ea Dominus non videat, sic ut ulciscatur. Et *quorum iniquitates sunt remissæ*, id est, postquam eorum *peccata tecta sunt:* sic eorum malæ concupiscentiæ, id est, cogitationes sunt *remissæ*; id est, inefficaces, ut eis non prævaleant, a similitudine arcus remissi, qui invalidus est ad trahendum. Ne vero aliquis, post peccatorum tectionem sic iniquitates remitti putaret ut nullo modo peccaretur: vel, si peccaretur, ut non amplius ad beatitudinem attingere posset, addit: Et *beatus vir ille cui non imputavit Dominus peccatum*, quasi dicat : Concedo quidem nullum a peccato post peccatorum tectionem 93 immunem posse existere: sed ille tantum *vir* est *beatus*, id est jussus, vel erit *beatus* in futuro, *cui non* imputabit *Dominus* peccatum, suum ad vindictam æternam, id est qui non peccabit criminaliter, vel nimis consuete, id est usualiter, sicut postea non satisfaciat Deo confitendo et corpus affligendo, et eleemosynas dando. Illi namque peccatum ad pœnam imputabitur, qui post peccatorum tectionem criminaliter, vel nimis consuete peccat, sic ut postea Deo non satisfaciat. Unde propheta: «Si averterit se justus a justitia, nunquid vivet? » (*Ezech.* XVIII. 27.) *Nec est in spiritu ejus*, id est in anima beati viri *dolus*. Quod est dicere : Et ille vir beatus est qui non deficit, sed in bono proposito suo perstat, quoniam ille dolosum spiritum dicitur habere, qui cum Deo fidem promiserit, et obedientiam opere compiere perseveranter abnuit. Per hoc autem datur intelligi non esse beatum illum qui, quamvis ejus *peccata tecta et iniquitates remissæ* sint, tamen in spiritu dolosus est. Unde scriptum est : « Melius est non vovere, quam post vota non perficere (*Eccl.* V, 5). » Sequitur. *Quoniam tacui*, etc. Quod sic exponitur: Nunc intelligo quod *beati* sunt *quorum remissæ sunt iniquitates*, etc. Aliis vero minime, hoc autem *tacui*, id est non intellexi, *dum* per liberum arbitrium me beatificari posse putavi. Bene *tacere* ponitur pro *non intelligere*! Sicut enim loqui mentem dicimus dum intelligit, ita quoque tacere dum non intelligit. Dico quia quod nunc dico prius *tacui*. Et *quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea*, id est debilitata sunt ratio, liberum arbitrium, virtutesque meæ, quæ ossa, pro sui similitudine, dicuntur. *Inveteraverunt* ponit, a similitudine vestis, quæ quanto veterior tanto debilior est. Quasi diceret : Quia per me sufficere præsumpsi, ossa mea in quibus confidebam debilitata sunt! Dico quia *tacui, dum* tamen *clamarem tota die*, id est jugiter. Illud idem quod tacebam. Quod est dicere : Dum ipsa mea miseria, quasi clamore, comprobarem illud quod in intellectu tacebam, scilicet illos solos beatos esse, *quorum remissæ* sunt *iniquitates*, etc.

Exponit vero quomodo clamabat, sic : Vere clamabam, *quoniam manus tua*, id est vindicta tua, o Deus, quam de me accepisti, ideo quia sic tacebam, *die ac nocte*, id est assidue *gravasa est super me*, id est gravis et ponderosa facta fuit super me. Quasi dicat : Ipsa miseria quam vindicta tua mihi gravissimam inferebat, illud quod tacebam clamabat, ossium scilicet meorum debilitatio. Dico quod *manus tua gravata est*, et cum gravaretur, tandem *conversus sum* ad te intelligendo quod prius tacebam. Et hoc *in ærumna mea*, id est in consideratione ærumnæ meæ. Quasi dicat : Considerando ærumnam meam, ab eadem admonitus sum ut ad te converterer, et sic conversus sum. Dico *in ærumna* quæ vere fuit ærumna, *dum configitur spina*, id est dum configeretur in me peccatum, quod dicitur spina eo quod pungat in conscientia ad modum spinæ, quæ corpus pungit. Dum ponitur *configitur*, innuit quia multa peccata in eo simul figebantur. In alia translatione habetur, *dum exardesceret messis mea*. Quod est dicere : Dum destruerentur virtutes meæ, quæ *messis* dicuntur, eo quod eis anima sustantatur ne pereat, sicut messe corpus sustentatur dum comeditur. Dico quod *conversus sum*. Et conversus *delictum meum cognitum tibi feci*. Potest et hoc quod hic expositum est alio modo exponi et distingui, scilicet sic : Dixi quod *conversus cum* : Et sic con-

fracta est in me *spina*, id est superbia. Spina dicitur ossium collectio illa, quæ a collo usque ad renes attingens, corpus erectum esse facit. Quæ si frangatur, illico corpus incurvatur et humiliatur. Ideoque pro *superbia* ponitur. Superbia namque cor hominis adversus Deum erigit. Si vero confringatur cor, protinus erga Deum humiliatur. Dico quia confracta est in me *spina*, et dum confringitur, id est dum confracta est in me *spina*, id est superbia, *cognitum feci*, id est manifestavi *tibi dilectum suum* : Non quod prius ignorares, sed quia prius excusando me, quantum ad me, non quantum ad te 94 abscondebam, confitendo et me accusando manifestum tibi esse intellexi illud delictum, *et injustitiam meam non abscondi*, sicut prius, sed confitendo manifestavi sicut et delictum : delictum quidem dicitur, quando quod faciendum esset derelinquimus, sicut bene facere, Deum colere ; et cætera talia ; injustitia vero cum quod faciendum non est, facimus, ut hominem occidere, aliena rapere, et cætera talia Dico quia *cognitum feci*.

Et exponit quomodo, sic : Et hoc prius *dixi*, id est mente statui, sic aiens : *Confitebor injustitiam meam Domino* et hoc faciam *adversum me* agens, id est accusabo me de iniquitate mea, confitendo eam Domino, qui prius superbe me excusabam, hoc dixi ego : *Et non abscondi*, et ideo *tu* misericors *remisisti impietatem peccati mei*. Non solum peccatum, sed et *impietatem* ipsius *peccati*, id est superbiam peccati non confessi. Ostenso hoc, quia per confessionem venit ad remissionem, ne putaretur ipse solus qui prius peccator fuerat remissione eguisse, sancti vero minime, subdit : Dico quia *tu remisisti*, remissione qua non solus ego, sed *pro hac orabit omnis sanctus ad te*, ad obtinendum scilicet, *in tempore opportuno*, id est in hoc sæculo, quod aptum est ad pœnitendum. Futurum enim ad hoc inopportunum est. Unde Apostolus : « Ecce nunc tempus acceptabile (*II Cor.* VI, 2). » Dico quod *orabit*. Et hæc oratio non erit infructuosa, *verumtamen*, quamvis futurus sit *in diluvio aquarum multarum*, id est in die judicii, quæ continebit multas tribulationes et subitas, *ad eum non approximabunt* illæ aquæ, id est tribulationes ; dies judicii diluvium dicitur, quod ex improviso veniet sicut diluvium ex improviso advenit. Unde in Evangelio : « Dies Domini, sicut fur veniet (*I Thes.* v. 2.) » Quod est ac si dicat : Bono suo *orabit*, ideo namque in die judicii nullis tribulationibus attingetur. Facit autem ad Deum apostropham, orans ut qui se a superiori tribulatione, ab impietate eripuit, eripiat quoque ab exteriorum inimicorum tribulatione, qui multis modis volunt eum devocare. Et hoc sic dicit : Dico quod *remisisti impietatem*. Ergo similiter, *tu* qui *es refugium meum*, id est ad quem fugi *a tribulatione* intimiori, *quæ circumdedit*, id est multum occupavit me, scilicet ab impietate peccati. Et qui etiam es *exsultatio mea*, id est causa exultationis eruens me ab ea, *erue* quoque *me a circumdantibus me*, id est valde persequentibus me tribulationibus et suggestionibus, ne eis cedam. Quod est dicere : Fac me perseverare, ne deficiam ; et hoc facere debes, nam promisisti mihi hoc in interiori, sic dicens : Ego *dabo tibi intellectum, et instruam te in via hac qua gradieris*. Præposterate legendum est hoc : Ego *instruam*, id est docebo *te in via hac qua gradieris*, id est docebo qualiter incedere debeas per viam mandatorum meorum. Et postea non relinquam, sed *firmabo super te*, id est firmiter ponam super te, ne deficias, *oculos meos*, id est benignitatem meam. Quod est dicere : Te perseverare faciam. Et sic *dabo tibi intellectum* ut intelligas arcana consilia mea ; aliter enim non haberes intellectum.

Facta oratione pro se, adhortatur auditores ne repellant a se intellectum remissionis, sic : Dico quia Deus mihi remisit impietatem, et ut vobis similiter remittat, *nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*, id est qui sunt irrationabiles. Quod est dicere : Nolite fieri comparabiles equo et mulo, ut sitis stupidi et pigri ad hunc intellectum remissionis, ad modum muli, qui stupidum animal est et pigrum. Et nolite superbi esse, ut putetis vos per liberum arbitrium posse beatificari, ad modum equi, quod animal superbum est. Orat etiam pro eis, quia videt eos ad hoc per se insufficientes, sic : Dico ne fiant *sicut equus et mulus* ; sed quoniam hoc per se cavere non possunt, tu Deus *in camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant*, id est qui per se insufficientes sunt approximare *ad te*, id est ad tui obedientiam et cognitionem. Quod dicit *maxillas eorum constringe*, idem est ac si dicat *eos constringe*. Similiter quia posuerat equus et mulus, qui per maxillas stringuntur, 95 ab eorum similitudine ponuntur. Per camum quidem intelligimus gravius gubernaculum ; per frenum autem levius. Camus quippe qui vulgo canifrenum dicitur, non capistrum, ut plures asserunt, gravius freno coercet equum. Sic et piissimus gubernator, illos qui graviori egent gubernaculo, gravius constringit tribulationes inferendo, ut castigati non pereant. Quibus autem leviori opus est gubernaculo, levius constringuntur. Unde Prosper : « Misericorditer adhibet temporalem severitatem. ne juste inferat æternam damnationem. » Et Salomon : « Castigat Deus omnem filium quem recipit. » (*Prov.* III, 12 ; *Hebr.* XII, 6.) Dico, *nolite fieri sicut equus et mulus*. Quod si fiatis, malo vestro fietis. Nam in futuro *multa* erunt *flagella peccatoris* : illius, scilicet qui hic nolet remissionem adipisci. *Sperantem autem hic in Domino* remissionem, *misericordia circumdabit*, id est amplectetur penitus in futuro, et in anima et in corpore. Per hoc autem multum invitat non sperantes, ut sperent in Domino, nam sic misericordia circumdabuntur. Facit etiam apostropham ad sperantes, adhortans eos ut de spe bona non in se, sed in Domino lætentur, sic dicens : Ergo quia *sperantem in Domino circumdabit misericordia, lætamini* pro spe vestra, *in Domino*, id est in laude Domini, o

www.libtool.com.cn

justi, non in vobis, attribuendo vobis spem istam. Et non parum *lætamini*, sed *exsultate*, id est valde lætamini : quæ lætitia corporis etiam saltatione demonstretur. *Et* etiam *gloriamini* in Domino, id est gloriam vestram attribuite Domino : non meritis vestris, o vos *omnes recti corde*, id est justi rectum habentes cor in cogitando bona, non distortum in cogitando perversa, ut Apostulus ait : « Qui gloriatur in Domino glorietur (*I Cor.* I, 31). »

IN PSALMUM XXXII.

Titulus trigesimi secundi. *Psalmus David*, id est fidelium quibus dictum est in præcedenti psalmo : *Lætamini in Domino, exultate justi* : exhortantium se ut exsultent in laude Domini, scilicet ut laudent eum et in cithara et in psalterio. Et etiam cantent ei novum canticum in vociferatione. Prætendit autem honestissimas causas cur hoc faciendum sit. Ostendit etiam *in finem*, nullum nisi Dei gratia adjuvante salvari. Dicit ergo :

Exultate justi in Domino, id est in laude Domini. Quod est dicere : Exsultantes laudate Dominum. Et exsultandum vobis est in hoc : Nam vos *rectos* corde, id est justos *decet* laudatio Domini. « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris : » (*Eccl.* XV, 9), illius scilicet qui resipiscere non vult et rectus fieri. Exponit vero per partes in quo laudent eum, sic : Dico, *exsultate*, in hoc scilicet. *Confitemini Domino in cithara*, id est laudate Dominum in laude mortificationis carnis vestræ. Quod est dicere : Mortificate membra vestra, etc. Bene vero mortificatio hæc cithara dicitur : Nam ab inferiori parte, id est a sensualitate mortificata resonat Deo, id est eum laudat. Non voce, sed ipsa sui evidentia ad modum citharæ, quæ ab inferiore concavitate resonat. Sensualitas namque per carnis mortificationem mortificatur, ne tantum ut prius vanitati sit intenta. Et *in psalterio decem chordarum*, id est in psalterio habente decem chordas, *psallite illi*. Quod est dicere : Laudate eum in vivificatione mentis vestræ, quæ vivificatur per decem chordas quas habet, id est per completionem decem legis præceptorum, quæ dicuntur chordæ, eo quod suavem Deo cantum non in voce vel sono, sed in ipsa rei evidentia reddant, ad modum chordarum dulcem cantum resonando reddentium. Merito quippe laus vivificatæ mentis psalterium dicitur, eo quod a superiori, id est digniori parte nostri resonat, scilicet a mente ad modum psalterii ex superiori concavitate resonantis. Et *cantate ei canticum* 96 *novum*, id est laudate eum novo cantico, scilicet completione præceptorum quæ novus Adam construxit : in qua Deus delectatur sicut in cantico. Unde Apostolus : « Exuentes veterem hominem cum actibus suis, induite novum hominem qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV, 24) ; » scilicet « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Luc.* VI, 27). » Et : « Vendite omnia quæ habetis, et date pauperibus, et sequimini me, dicit Dominus (*Matth.* V, 44; *Luc.* IX, 12). » Et etiam talia præcepta complete, quæ noviter a Christo data sunt, non etiam in lege veteri habita, quæ sic dicebat : « Diliges amicum, et odio habebis inimicum. » Dico, *cantate ei novum canticum*, et non remisse. Sed *bene psallite ei in vociferatione*, id est in nimia mentis intentione laudate eum, quæ ideo vociferatio dicitur, quia nimis ad modum elementariæ vociferationis impetrationem expetit. Unde scriptum est : « Maledictus homo, qui fecerit opus Dei negligenter (*Jer.* XLIII, 10), » id est sine intentione. Sub dit autem causas quare confitendum sit et psallendum. Sic dico *Confitemini, psallite*, Et sic faciendum est *quia rectum est verbum Domini*. Quod est dicere quia hoc *verbum*, id est præceptum cantandi est *Domini* ; et ideo *rectum*. Est enim *rectum* ut servo Dominus et creaturæ creator imperet. Et ideo *cantate et confitemini ei*, sicut dicimus, operando : quia *omnia opera* eis quæ ipse precepit operari, sunt recta *in fide* positis, quamvis incredulis videantur injusta. Unde scriptum est : « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isai.* VII, 9). » Et ideo adhuc *cantate et confitemini* ; quia *diligit* naturaliter *misericordiam et judicium*. Quasi dicat : Cum ipse naturaliter misericors sit, miserebitur vestri, si ei cantaveritis, juxta illud Joelis : « Misericors est, et præstabilis super malitia. » (*Joel*, II, 13). Et cum ipse naturaliter justus, justum judicium diligat, justo judicio vos damnavit nisi ei cantaveritis et confessi fueritis. Unde scriptum est : « Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. » (*Deut.* XXXII, 35 ; *Rom.* XII, 19). Dico quod *diligit misericordiam*. Et inde hoc videri potest, quia *misericordia Domini plena est terra*, id est Ecclesia, quæ Dei terra est, quam prædicatoribus excolit. Exponit autem quomodo *misericordia* sit *plena*, sic : Vere plena est misericordia ; hac scilicet, *Verbo Domini*, id est per Filium Domini *cœli*, id est prædicatores firmati sunt in fide et sanctitate. Et postea *omnis virtus eorum* quam habent innocentia et sanctitate, confirmata) est *spiritu oris ejus*, id est per Spiritum sanctum, qui non solum a Patre, sed etiam a Filio procedit. Qui Filius os Dei dicitur, eo quod nobis per eum Dei secreta revelata sunt, sic ore cordis secreta revelantur.

Nam cum ipsi prius per Christi doctrinam et fidei et sanctitatis essent virtute firmati, per sanctum postea spiritum in eadem virtute sunt omnino confirmati. Qui nimirum per Isaiam « spiritus consilii et fortitudinis dicitur (*Isa.* XI, 2), » eo quod fortes faciat et firmos. Dico quod virtus eorum est confirmata *Spiritu oris ejus*. Quæ ad hoc est confirmata ut sit *congregans*, id est conjungens *aquas maris*, id est iniquos, qui defluendo per illicita sicut aquæ defluunt : amari Deo sunt ut mare, sicut aquæ congregantur in utre. Quod est dicere : Virus eorum conjungit et constringit per legem impositam in unitate fidei et dilectionis et operationis, eos qui prius ad modum voluntatis eorum per quælibet illicita defluebant ; sicut aquæ quæ prius defluentes erant in utre conjunctæ a defluendi facultate coercentur.

www.libtool.com.cn

Vel sic : *Congregans sicut in utre*, id est utpote in utre. Quod est dicere : Conjungens eos in unitate Ecclesiæ, quæ uter bene muncupatur, cum ex eis solummodo constituatur. Qui mortificati sunt in carne, sicut uter fit ex mortuorum animalium pellibus, juxta illud Apostoli : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt (*Gal.* v, 24). » Dico *congregans aquas* ; et non solum pravas aquas, sed etiam (quod mirabilius est) *ponens* etiam *abyssos*, id est illos qui profundissimi sunt in peccatis, ut abyssus est profundissima in *thesauris*. Quod est dicere : Illos qui abyssi sunt ex abyssis thesauros facis, id est adeo doctrina et sanctitate 97 refertos, ut et alios inde locupletent, ad modum thesauri divitiis sæcularibus sæculares locupletantis. Unde Apostolus : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*Cor.* IV, 7). » Causis ostensis, ad exhortationem revertitur, sic : Ergo *quia rectum et verbum Domini, et opera ejus in fide, et diligit misericordiam et judicium, timeat* eum casto timore *omnis terra*, id est Ecclesia : « Initium enim sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10). » Et Apostolus : « Cum metu et tremore vestram salutem operamini (*Phil.* II, 12). » Orat etiam pro eis, sic : Dico : *Timeat* ; quoniam autem per se insufficientes sunt, *ab eo*, id est ab ejus gratia *commoveantur* ad timorem *omnes inhabitantes*, non deserentes, *orbem*, id est Ecclesiam. Quæ *Dei orbis* est, ut in psalmum XXIII diximus.

Conjungit quoque causas alias quare timendus sit, sic : Dico *timeat*, et timendus est, *quoniam ipse*, adeo potens, *dixit*, non verbaliter, sed in sua dispositione constituit, *et facta*, id est formata, *sunt* omnia, ut in Genesi historialiter legitur. *Ipse mandavit*, id est præcipit in sui dispositione, *et creata sunt*, rudi et informi creatione. Quod est dicere : Materia eorum unde ipsa postea formata sunt, id est elementa informia, cœlum scilicet et aer et terra creata sunt, ut in Genesi legitur : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 2). » Terra autem erat inanis et vacua, etc. Dico quod *facta sunt* ; *mandavit*, *et creata sunt*. Et per hoc, imo quia omnia quæ ipse dicet et mandabit fient similiter. Ea vero quæ gentes stultæ et supervacuæ adversus Deum et Ecclesiam verborum consilio disponunt, et quæ etiam cogitant, non fient. Nam *Dominus dissipat*, id est destruit illa *consilia gentium* ; *reprobat autem cogitationes populorum*, id est gentium, quæ supervacuæ putant Ecclesiam minis, aut tribulationibus, aut suggestionibus devorare. Et non solum consilia plebis, sed etiam *reprobat consilia principum*, id est reprobando ea, deducit ad nihilum, ut non prævaleant suis. Unde Salomon : « Non est prudentia, neque consilium, neque fortitudo contra Dominum (*Prov.* 21, 30). » Et notandum quod non omnes cogitationes sive consilia eorum dissipat ; quædam enim ad utilitatem Ecclesiæ sive ad impiorum justam damnationem fieri permittit, videlicet suos persequi, affligi, occidi ; malos etiam florere in terrenis. Sed quæ ad suorum incommodum complerentur, omnino reprobat et destruit, videlicet ne eorum exemplo sive suggestioni cedant ; et si qua præter hæc sunt, quæ suis completa noceant. Dico quod cogitationes et consilia populorum et principum reprobantur et dissipantur. *Consilium autem Domini*, id est consilium quod verbaliter disponunt fideles ad Ecclesiæ utilitatem, cooperante gratia Dimini, *manet in æternum*. Id est non dissipatur. Et non solum *consilium*, sed et *cogitationes cordis ejus*, id est illa quæ cogitant ad utilitatem suam et aliorum corda fidelium suorum, manent eundo *in generationem* hanc præsentem, *et generationem* futuram, id est manent *in æternum*. Et hoc totum est ac si dicat : Vere Deus timendus est a vobis, quia potens est dissipare consilia quæ contra vos sunt. Potens quoque est in æternum statuere quæ a vobis, operante eo consilio, fiunt et cogitantur. Gentes autem timendæ non sunt, cum earum consilia cito dissipentur. Unde Dominus in Evangelio : « Nolite timere eos qui occidunt corpus ; animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete qui corpus et animam potestatem habet mittere in gehennam ignis (*Matth.* X, 28). »

Dixi quod Dominus adeo potens est quod *ipse dixit et facta sunt*, *et dissipat consilia gentium et consilium* ejus *manet in æternum*. Ergo quia tantus est, *beata est gens cujus est Dominus Deus ejus*, id est quæ Deum suum reputat Dominum, ut ei obediat in omnibus, nec serviat ventri neque vitiis. Et hoc, quod Deum reputant Dominum, non habent ex se. Sed *populus* ille beatus est, *quem elegit* Dominus, id est separavit a massa perditorum, *in hæreditatem sibi*, id est ad hoc ut sint hæreditas sua. Quasi dicat : ad hoc elegit eos Dominus ut cum sint possessio ejus, colant eum ut Dominum, 98 et per hoc sint beati. Unde Apostolus : « Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto (*I Cor.* XI, 3). » Exponit vero quomodo *elegit*. Sic scilicet elegit : *Dominus respexit de cœlo*, id est cum summus esset et invisibilis, visitavit genus humanum de humana natura Christi. Unde Apostolus : « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum de muliere, » etc. (*Gal.* IV, 4). Dico quod *respexit de cœlo* cœlorum Christo, et per illud cœlum *vidit* (ut misereretur) omnis modi *filios hominum*, Judæos scilicet et gentes, pauperes et divites, servos et liberos.

Quod est dicere : Misertus est omnis modi filiorum hominum. Ubi nos hic habemus filios hominum, Hebræi habent filios Adæ. Sed bene ponitur *filios hominum*, priorum scilicet hominum Adæ et Evæ. Qui non solum filii sunt in genere, sed et filii in crimine. Dico quod *de cœlo respexit*, et non solum *de cœlo*, sed etiam *respexit super omnes*, id est omnis modi *qui habitant terram*, id est qui manent in hac terra, *de præparato habitaculo suo*, id est per doctrinam apostolorum, qui sunt habitaculum ejus præparatum, id est ab eo gratuita voluntate electum.

www.libtool.com.cn

Unde ipse in Evangelio : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* xv, 16). » Vel sic : *Respexit* qui superior erat *super omnes qui habitant terram* suam, id est qui possident et dominantur terræ suæ, id est carni. Dico *ipse respexit. Ipse* dico *qui* post *finxit sigillatim* vel singulatim *corda eorum*. Quod est dicere : Quoniam eis non sufficeret, si solummodo respiceret, remittendo peccata, et postea eos desereret, constituit eis singularia corda, id est varias bonas voluntates, justa Apostolum, dicentem : « Unusquisque proprium donum habet a Deo ; unus quidem sic, alius vero sic (*I Cor.* vii, 7). » Bene vero ponit *finxit*, id est facile composuit. Fingere namque dicimus, facile componere aliquid de cera vel luto, sive aliqua molli materia. Quia vero adhuc non sufficeret fingere corda, addit : *Qui intelligit omnia opera eorum*. Compendiose positum est. Quod est dicere : Qui facit eos facere opera ad intellectum pertinentia. Quasi dicat : Non vana opera et irrationabilia ; sed talia quæ sunt secundum hoc quod ipsi intelligunt.

Hujusmodi vero grammatica invenitur in Apostolo, cum dicit : « Spiritus postulat pro nobis, id est *nos postulare facit*, gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* viii, 26). » Dico quod *respexit*, et *finxit*, et *intelligit*. Et sic salvatur unusquisque fidelis dictus rex, eo quod sese regat, a malis coercendo, et gigas, eo quod sit fortis in bene operando. Sed *non salvatur rex* ille *per multam virtutem*, suam scilicet : *Et* ipsemet *gigas* existens *non salvabitur in multitudine*, id est per multitudinem *virtutis suæ* reputatæ. Quod est dicere : Concedo quidem quod *per multam virtutem* Dei gratia datam salvabitur, sic tamen ut eam suam esse non reputet. Nam si eam suam, id est ex se esse reputaret, non salvaretur. Dico quod ille qui *rex* est et *gigas*, *non salvatur per multam virtutem* suam reputatam. Si quis vero non existens rex et gigas ascenderit equum, id est superbam cogitationem, putando per se salutem attingere ; quæ cogitatio bene per equum designatur, quod superbissimum animal est, equus, id est, cogitatio illa fallax est ad salutam adipiscendam. Quod est dicere : Decipiet eum cogitatio sua. Non enim salutem attinget, ut cogitat. Unde legitur : « Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. (*Gal.* vi, 3). » Et non solum *fallax* erit *equus* illius qui rex non erit et gigas in virtute, sed et si rex et gigas abundans prius in virtute, equum ascenderit *in abundantia virtutis suæ*, id est etiam per virtutem qua prius abundabat, *non salvabitur*. Ad nihilum enim redigitur, juxta illud Ezechielis : « Justitiæ ejus quas feceret, non recordabuntur (*Ezech.* xviii, 22). » Hoc autem quod dicit : *Non salvatur rex et fallax equus*, etc., ad hoc ponit ne quilibet per se salvari præsumat, sed Dei gratiæ sui salutem attribuat. Diceret aliquis : Cum per se non salvetur, quomodo ergo salvatur ? Respondetur. 99 Ecce in evidenti pono per quod salvabitur. *Oculi Domini*, id est benignitas, sunt *super timentes eum*, respicientes ut in bono perseverent ; *et in eis*, id est super eos metuentes. Dico esse oculos Domini *qui sperant super*, id est de *misericordia ejus*. Quod est dicere : Qui non timent eum metu pœnæ, sed spe misericordiæ. Unde per Salomonem dicitur : « Qui timet Deum, faciet bona (*Eccli.* 15, 1). » Dico quod *oculi Domini* sunt *super metuentes eum*, ad hoc scilicet *ut* in futuro *eruat a morte*, id est a damnatione *animas eorum*, et hic interim *alat eos*, id est corroboret pane vitæ, id est bona operatione et intellectu bono. Eos dico positos *in fame* justitiæ, id est in nimio desiderio. Nisi vero justitiam esurirent, non eos ita aleret. De quibus idem in Evangelio : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* v, 6). » Ergo quia *oculi Domini* sunt *super metuentes* eum, *ut eruet et alat* ; *anima nostra sustinet*, id est patienter expectat *Dominum*. Et hoc bona fiducia, cum inde jam arrham habeat, hanc scilicet : *Quoniam adjutor* ad bene operandum, *et protector noster est*, ne cadamus in tribulationibus. Dico quod *sustinet Dominum*, et bono suo. *Quia* tandem in eo, id est in adeptione ejus, *lætabitur cor nostrum*, id est anima nostra. Et ut tunc lætari possimus, *speravimus*, id est spem lætitiæ habuimus : et adhuc etiam habemus *in nomine sancto ejus* degentes, id est in magnificatione sancti nominis ejus. Quod est dicere : Ad hoc intendentes, in nomen sanctum ejus magnificemus. Hoc autem est expositio, quomodo *anima nostra sustinet Dominum*, quod superius dixi ; scilicet *sustinet* eum sperando *in nomine ejus*. Vel sic : *Speravimus in nomine sancto ejus*, id est in eo quod designatur nobis per nomen sanctum ejus ; quod est misericors : quod sibi antonomastice attribuitur. Quod est dicere : In misericordia ejus *speravimus*. Ergo quia in *nomine* tuo et *speravimus* et speramus, oramus : *Domine, fiat* in futuro *misericordia tua super nos*, id est, descendat beatitudo misericordiæ tuæ super nos debiles et infirmos ; *quemadmodum speravimus*, id est spem posuimus *in te*. Quod est dicere : Non fiat super nos remisse, sed tam ample quemadmodum ample *speravimus in te*.

IN PSALMUM XXXIII.

Titulus trigesimi tertii. *Psalmus David cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit*. Historia nobis in hoc titulo innuitur, quæ talis est. David, invidia Saulis a regno Judæorum expulsus, eo quod de eo canebatur : « *Saul percussit mille, et David decem millia* (*I Reg.* xviii, 7 ; *I Reg.* xxi, 11). » David ad Achis Philistæorum regem confugit, ibique aliquandiu latuit. Qui etiam Achis communi nomine principum terræ Philistæorum Abimelech dicebatur. Omnes enim Philistæi reges, quoque nomine prius vocarentur, communiter Abimelech dicebantur : sicut Aegypti reges Pharaones. Quoniam autem David in Judæa prius manens Goliam, qui Philistæus fuerat, multos quoque Philistæorum interfecerat : unde etiam de

www.libtool.com.cn

eo ut superius diximus, canebatur : « David percussit decem millia, » Philistæi contra eum partim odio et invidia, partim vero metu commoti. Timebant enim eum, cum esset et in bello strenuus, regnum eorum esse occupaturum; apud Achis illum frequenter accusando, ut ad eum interficiendus David adduceretur effecerunt. Qui cum ad occidendum quærebatur, in porta civitatis manentibus tympanisabat. Ast ubi, mortis suæ consilio sancti Spiritus indicio revelato, se vi nullatenus evadere posse cognovit, insaniam sibi affore simulando epilepticorum more, spumas in barbam emittendo, et sese manibus deferendo, vultu quoque penitus immutato, pronus cœpit volutari. Quæsitores tamen ejus, qui ab Achis misi fuerant, quamvis eum insanire crederent, eum arripientes, ad regem attulerunt. Quo viso, et insano existimato : « Ut quid mihi, inquit, arreptitium hunc adduxistis? » (*I. Reg.* XXI, 11.) Protinus igitur dimissus abiit David et evasit. In hac autem historia diligenter inspecta talis juxta Augustinum continetur Christi figura. Per David enim **100** apud Abimelech latitantem, Christi humanitas intelligitur, quæ vehementem a diaboli membris, quæ per Saulem figuratur, persecutionem sustinens, apud Judæos qui per Abimelech denotantur, aliquandiu humiliter latuit. Bene vero Saul qui *appetitus* interpretatur, diabolum exprimit : quem iniquorum operatio mala et devotio frequenter appetit. Convenienter quoque per Abimelech, qui *regnum patris* interpretatur, Judæi designantur : qui sæculariter per patres suos. David scilicet regis contemporaneos, ejusdem David regis regnum fuerunt : qui Christi pater secundum carnem dictus est, eo quod de ipsius semine Christus natus est. Unde in Evangelio cæcum dixisse legimus : «Fili David, miserere mei (*Marc.* X, 47). » Qui David, id est Christus cum apud Abimelech, id est Judæos a Pharisæis et summis sacerdotibus et Scribis accusatus, ad perniciem quæreretur, in porta civitatis manentibus tympanisavit, id est apostolis in fide jam positis, quæ introitus est Hierusalem civitatis æternæ, sonum dulcem de tympano protulit : doctrinam scilicet carnis mortificandæ, et sic dulcem cantum Domino prolaturæ, quæ per tympanum figuratur ; quod ex pellibus mortuorum animalium compositum, dulciter sonat. Qui etiam Christus salivam in barbam emisit, sese manibus detulit : et etiam vultu immutato coram Abimelech insanus visus est, et dimissus ab Abimelech abiit. Salivam in barbam emissit cum apostolis carnem suam comedere, et bibere sanguinem præcepit. Quod præceptum ideo saliva dicitur, quia multis non intelligentibus, stulte et puerilitER prolatum esse visum est : ad similitudinem salivæ de puerorum ore manantis. Unde quidam etiam de discipulis dixisse leguntur : «Quomodo hic nobis carnem suam dabit ad manducandum?» (*Joan.* VI, 52). Saliva quidem ista in barbam cecidit, id est in apostolos, qui, viriles ejus milites existentes, eam non adjecerunt, sed diligenter intelligendo susceperunt. Unde Petrus dixisse perhibetur : «Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes (*Joan.* VI, 68). » Barba vero, quæ signum virilitatis est, viriles significat. Sese autem mirabiliter manibus detulit, cum corpus suum et sanguinem in manibus ferens, in cœna discipulis tradidit, dicens : « Accipite, hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI, 26). » Et paulo post : « Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus (*Ibid.*). » Vultum, id est voluntatem sacrificandi, coram Abimelech, id est Judæis immutavit, cum ipse, qui antea figuraliter sacrificia legalia voluerat, quinque millibus Judæorum, quos de quinque panibus et duobus piscibus saturaverat, corporis sui et sanguinis hostiam offerendam esse, ut scribitur a Joanne, monstravit. Quare quoque insanus eis visus est non intelligentibus : ideoque ab eisdem Abimelech dictis dimissus. Sic igitur ab eis abiens ad gentes se transtulit : de quibus idem antea dixerat : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili ; et illas opportet me adducere, et vocem meam audient (*Joan.* X, 16). » Vultus autem pro voluntate ponitur ; quia in vultu voluntas sæpissime denotatur. Historiæ figura et serie prout fuit possibile pertractata, ad tituli verba exponenda accedamus. *Psalmus*, id est tractatus iste est David, id est Christi ; intellectus a fidelibus vel insistendus a fidelibus id est complendus, cum ipse David, id est postquam ipse Christus immutavit vultum suum, id est voluntatem suam sacrificandi, coram Abimelech, id est Judæis : et postquam Abimelech dimisit eum Christum, et ipse Christus abiit ad gentes, et ab eis Judæis recessit. Antea namque quam immutasset vultum, neque psalmus iste intelligebatur, neque a multis complebatur. Et est hic vox primitivorum fidelium, apostolorum videlicet et cæterorum discipulorum promittentium quod, quandoquidem David vultum, id est voluntatem sacrificii immutabit, eum benedicent, id est laudabunt eum bene vivendo, et aliis exemplum bonæ vitæ tribuendo, secundum quod sacrificium ejus expostulat ; et etiam ore. Adhortatur etiam alios ad Deum magnificandum, ostendendo sui exemplo quæ utilitas inde sequitur. Docet quoque eos corpus Dominicum et sanguinem non temere, sed cum timore gustare : quid sit etiam timor Domini exponendo. In fine quoque agitur, de eum timore gustantium salute, ut ad gustandum alliciantur ; et de malorum non bene gustantium damnatione, ut eos terrendo retrahat et ad bene gustandum attrahat. Dicit ergo :

101 *Benedicam*, id est quando quidem David immutavit vultum, laudabo illum existentem *Dominum*; bene operando, secundum quod vultus, id est voluntas sacrificii ejus, quem immutavit, expostulat. Et hoc *in omni tempore*, id est in prosperis et in adversis. Et non solum benedicam opere, sed *semper laus ejus* erit *in ore meo*, id est semper laudabo eum et ore corporis et ore cordis. Et sic benedicam et laudabo, quod *anima*, id est vita bona mea *in Domino* posita, id est in laude et obedientia ejus, laudabitur

www.libtool.com.cn

ab aliis pro bono exemplo suo Hac autem quod David immutavit vultum, et ego ideo *benedicam Dominum*. *Audiant* aure cordis *mansueti*, id est fideles, qui non sunt contumaces, sicut illi qui dixerunt « Quomodo carnem suam nobis dabit ad comedendum (*Joan.* VI, 12). » Et audiendo *lætentur*, nec contristentur sicut illi contristati sunt. Facit audem fidelium collectio, quæ in hoc psalmo loquitur, apostropham ad mansuetos adhortando eos ad Dominum magnificandum, sic : Ergo quia promitto quod *benedicam*, et sic opere complebo vos *mansueti* exemplo mei *magnificate Dominum mecum*, etc. Potest hoc aliter continuari : Dixi *benedicam* et laudabo ; et ut alii istud idem exemplo mei faciant, audiant aure cordis adhortationem meam quam eis faciam. Et hanc *mansueti audiant*, id est assentientes, non rebelles, *et lætentur* de ea, nec contristentur. Quæ exhortatio talis est : *Magnificate Dominum mecum*, id est laudate, sicut ego, et opere et ore. Et hoc non faciamus ego et vos horarie, sed *exaltemus nomen ejus*, id est magnificemus eum qui Dominus vocatur, exaltatione tendente *in idipsum*, id est in perseverantiam. Quod est dicere : Exaltemus eum perseveranter. Et in hoc non ideo magnificetis ut aliquid præter eum inde quæratis. Sed mei exemplo exquirite Dominum magnificando eum, et ipse vos audiet. Nam ego *exquisivi Dominum*, id est extra omnia quæsivi Dominum magnificando eum : *et* ipse *exaudivit me*, id est audivit ut impetrarem. *Et* sic *ex omnibus tribulationibus meis eripuit me* ne cederem eis ; non ut eas non paterer ; vel *eripuit*, id est eripiet in futuro. Dico, *magnificate*. Et ut bene magnificare possitis, *accedite ad eum* passibus fidei, et accedentes *illuminamini* intellectu spirituali. Accedendo enim ad Dominum, illuminatur ignorantia. Et postquam illuminati eritis, *facies vestræ non confundentur*, id est cogitationes quas habebitis de Deo bene intelligendo non conturbabuntur ; sicut eorum facies, qui, cum audissent a Domino : « Nisi comederitis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 60), » abierunt retro. *Facies* pro *cognitione*, ponitur ; quia oculis, qui in facie sunt, cognoscimus ; vel quia in facie quilibet citius cognoscitur. Dico : *Quia exquisivi Dominum, et exaudivit me*. Et hoc non solus feci. Sed ut libentius hoc vos faciatis, scitote quod *iste pauper*, quem Dominum dixi superius, dicendo : *benedicam Dominum*, etc., id est Christus, *clamavit*, id est intenso clamore operis et oris exquisivit Dominum. *Et Dominus exaudivit eum*, etc. Et hoc, ut superius exponitur : Christus enim cum Dominus omnium esset, *pauper* factus est, id est Patri obediens per omnia, ut pauper diviti obediens est. Vel potest esse repetitio, quia interposuerat *accedite*, etc., ut addat : Et loquitur de se fidelium collectio, quæ in hoc psalmo agit, ut de tertia persona, sic : Dixi quia *exquisivi* ; et verum est ; *iste* enim *pauper*, qui loquitur, id est ego. *clamavit*, id est clamore intenso exquisivit Dominum, etc. Sequentia hujus versus non mutantur. Et quia *pauper* est, clamantem *exaudivit*, et salvavit.

Imittet angelus Domini in circuitu timentium eum, id est Christus qui est *angelus*, id est nuntius Domini Patris ; qui *angelus* dicitur magni 102 consilii : immissionem faciet angelorum bonorum *in circuitum timentium eum*. Quod est dicere : Muniet eos circumquaque angelis suis. *Et* sic *eripiet eos* a tribulationibus ne deficiant, vel eripiet in futuro. Unde idem in Evangelio : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei (*Matth.* XVIII, 10). » Dixi : *Accidite et illuminamini ;* et sic *gustate* corpus Domini et sanguinem. Dominus enim dicit : « Qui manducat me, vivit propter me (*Joan.* VI, 57). » Et gustando *videte*, id est cognoscite ipsa rei experientia in futuro cum beatificabimini, *quoniam Dominus* quem gustabitis *suavis* cibus est, id est, delectabilis, dans vitam fidelibus. Unde in Canticis sponsa de sponso : « Fructus ejus, id est corpus et sanguis, dulcis gutturi meo (*Cant.* II, 3). » Dico *videte* in futuro : et hic interim sperate quia videbitis. *Beatus* enim *vir* erit *qui sperat in eo*. Dixi : *Magnificate, et accedite et gustate* : et sic timete, id est, cum timore veneramini Dominum omnes sancti ejus. Et bono vestro timebitis ; quoniam non est inopia veri boni timentibus eum. Unde alibi dicitur : « Timentibus Deum nihil deest (*Eccl.* I, 28). » Dixi quod *timentibus non est inopia* ; *divites* autem *egerunt et esurierunt*. Præposteratum est. Quod est dicere : *Divites* spiritu, id est superbi, *esurierunt* et esurient semper, id est desiderabunt illud bonum. Nullus enim adeo impius qui summum bonum non desideret, quamvis ad ipsum recte non tendat. Et *egerunt* illo bono et egebunt semper, id est carebunt. Unde Dominus in Evangelico. « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorem intrare (*Matth.* XXIX, 24), » divitem spiritu scilicet. Quia vero posuerat *non est inopia timentibus eum*, exponit *non est inopia*, sic. Dico quia *divites egerunt et esurierunt ; inquirentes autem Dominum*, id est pauperes et timentet, valde quærentes *Dominum*, *non minuentur omni bono*, id est nunquam habebunt minus, quod ipsi quærent Dominum qui est omne bonum, id est, cum sit summum bonum, ab ipso est omne bonum. Quia vero dixerat, *timete*, ut postea doceat eos *timorem Domini*, sic adhortatur ad audiendum : Dixi, *timete*. Et ut sciatis timere, o vos, *filii*, non secundum carnem sed secundum doctrinam, *venite* passibus affectionis, et *audite me* auditu cordis, et sic *timorem Domini decebo vos*. Ut autem magis instintiget ad hoc quod dicturus est, sic quasi interrogative præhortatur eos : Dico quod *docebo vos*. Et ne frustra doceam, *qui est homo qui vult vitam?* Et exponit quam *vitam*, cum adjungit scilicet : *quies est homo* qui *diligit videre* ipsa rei experientia *dies bonos*, id est dies vitæ æternæ, in quibus nulla tribulatio erit, ideoque boni dicuntur. Isti vero dies mali dicuntur, non quod in essentia sua

www.libtool.com.cn

mali sint, sed quia in eis mala diversarum tribulationum immineant. Hoc autem est ac si dicat : Tu homo, qui vis vitam, audi quidquid alii faciant ; et sic *docebo te timorem Domini*, scilicet *prohibe linguam tuam a malo*, id est ab amaris verbis. Et quia quidam non amari in verbis dolosa loquuntur, et sic timentes non sunt, addit : *Et labia tua ne loquantur dolum*, id est dolosa verba ; et etiam *diverte a malo* actu ; et quia non sufficeret, *fac bonum*, et hoc non pro humano favore, sed per hæc *inquire pacem* æternam ; et non tepide, sed *persequere eam*, id est perseveranter sic inquire eam. Quod est dicere : Cum diverteris a malo, et feceris bonum, fac hoc contuitu pacis æternæ, id est Christi, qui e t pax vera. Juxta illud Apostoli : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Dico, *diverte a malo*, etc. Et ad hoc te Deus adjuvabit.

Oculi namque *domini* sunt *super justos* respicientes, id est gratia ejus respicit super eos ut confirmet, ne deficiant a similitudine illius, qui quem diligit respicit. *Et aures*, id est ipsa gratia, sunt *in preces eorum*, id est prope preces eorum, ut exaudiat eos, et sit eis cooperator in bonum. Gratia vero bene dicitur et auris et oculos, eo quod per eam a Domino et exaudiamur et videamur. Vel quod dicit *prohibe linguam* 103 *tuam a malo*, specialiter legi potest sic : Dixi : *Gustate et timete*, id est cum timore gustate. Et ut cum timore gustes, tu qui vitam diligis, *prohibe linguam tuam a malo*, id est a blasphemia sacramenti; et etiam *labi a tua ne loquantur dolum*, id est verba dolosa de ipso sacramento, ut dicas bene de eo, et male intelligas. Cætera vero non mutantur. Hoc autem quod dicit *prohibe linguam* etc., non est timor Domini, sed effectus timoris. Et per effectum causam designat. Sequitur : *Vultus autem*, etc. Quia dixerat oculos Domini super justos esse, ex opposito ostendere intendit quid malis continget, ne sese putent impunitos, sic : Dico quod *oculi Domini* sunt *super justos*. Ex opposito autem *vultus*, id est vultuositas *Domini* est *super facientes mala*, id est ira ejus super eos, *ut perda de terra* viventium etiam *memoriam eorum*, ut nec de eis ibi mentio fiat nec oratio. Vultum pro ira ponit, quia ira solet in vultu apparere. Ira vero Dei nihil aliud est quam vindicta. Dixi quod *aures* Domini sunt *in preces eorum*. Et hoc potest videri per simile. Nam *clamaverunt justi*, id est clamore intenso egerunt justi in veteri lege, Abraham scilicet et Isaac, et cæteri hujusmodi. *Et dominus exaudivit eos : et* sic *ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos*. Ideoque per exemplum eorum potest comprobari quod *juxta*, id est prope *est Dominus* his qui *sunt* contribulato *corde*, id est illos exaudit qui scindunt corda, gemendo de peccatis, et non vestimenta. Et ipsos justos *humiles spiritu*, non superbos *salvabit*. Causæ insertio. Quod est dicere : Ideo *salvabit* quia sunt *humiles* in *spiritu*. Et necesse est ut salvet. *Multæ* namque sunt *tribulationes justorum*, et quæ per se contingunt, ut febricitari, et cætera hujusmodi ; et quæ ab aliis inferuntur, ut flagellari, occidi. *Et ex omnibus his liberabit eos Dominus*. Hoc autem est expositio hujus quod superius posuit : *humiles spiritu salvabit*. Dico quod *salvabit* in futuro. Et interim *custodit Dominus omnia ossa*, id est omnes virtutes eorum, sic quod *unum ex eis non conteretur* id est non destructur. Dixi quod justos *salvabit*, postquam scilicet morientur morte corporali, quæ erit eis porta vitæ. *Mors* autem *peccatorum* non erit porta vitæ, sed *pessima* erit, id est porta mortis perpetuæ. Et dixi : *Dominus custodi ossa eorum* justorum ne peccent. Et ex opposito *qui oderunt justum*, id est peccatores, *delinquent* eundo de malo in pejus. Exponit autem quomodo liberabit justos, et quomodo custodit hic justos, sic : Dico quod liberabit justos, scilicet *redimet*, id est eruet Dominus per pretium mortis suæ ab ipsis tribulationibus *animas servorum suorum*. Et dico quod *custodit ossa eorum ; et* sic *non delinquent* criminaliter *omnes qui sperant in eo*, id est, nulli delinquent qui spem ponunt in eo.

IN PSALMUM XXXIV.

Titulus tricesimi quarti. *Psalmus ipsi David*, id est significato David, Christo scilicet attribuendus. Ubicunque ponitur in psalmis ipsi David, intelligitur. Christus, verus David. Introducitur hic caput agens concessive de Judæorum judicio, ut excæcati pro malis meritis suis in mortem eum tradant. Orat etiam de superatione inimicorum, et de constantia, ne cedat in passione, et de resurrectione. Orat postmodum pro quibusdam inimicorum salvandis. Et concessive agit de quibusdam perdendis. Ostendit quoque causam damnationis eorum ; mortem videlicet et opprobria, quæ ei gratis intulerunt : quæ postea ample satis exponit, ostendendo quoque quantam erga eos habuerit humilitatem et benevolentiam. Hoc autem ea intentione videtur agere, ut et inimicos de impietate ipsorum exterreat, et eos (pro quorum salute orat) sibi magis obnoxios redat.

Judida, Domine, nocentes me. Quasi dicat : Scio quod exigentibus malis meritis suis judicandi sunt Judæi a te, id est, excæcandi; ut mihi noceant 104 in voluntate, non in actu, volendo scilicet in morte me detinere. Et quia scio, concedo. *Judica Domine*, eos excæcando ut sint *nocentos me*, non in actu, sed mente. Et etiam *expugna*, id est expugnari sine eos a prima concupiscentia sua, ut illi, qui aliquantulum resistunt in amore mei, sed, secundum quod ratione sua coguntur acquiescere pravæ voluntati suæ de morte mea, expugnati ab ipsa voluntate, sic ut cedant ei, sint *impugnantes me* secundum carnem ut me interficiant. Facta concessione, orat de superatione inimicorum, et de constantia, sic : De illis concessi ut judices, ut autem mihi auxilieris, oro *apprehende arma et scutum*, id est fac me apprehendere arma, id est rationes firmas, et miracula, et alia opera quibus aperte eos convincam ut armis. Et fac me apprehendere scutum, id est spem protectionis tuæ quæ me protegat, ad similitudinem

www.libtool.com.cn

senti, ne convincar. Vel sic sola similitudine legi potest : *Apprehende arma et scutum*, id est simili esto apprehendenti arma in hoc ut me facias superare sicut ille qui apprehendit arma ut adjuvet amicum ad superandum. Et similis esto apprehendenti scutum protegendo me ne convincar, sicut ille qui scutum apprehendit et opponit jaculis inimicorum, protegendo amicum ne convincatur. Et sic, id est apprehendo arma et scutum, *exsurge in adjutorium mihi*, ut convincam et non vincar. Dico *judica et expugna*. Et post mortem meam *effunde frameam*, id est multiplica vindictam tuam super eos. *Et conclude*, id est conclusionem in eos fac, id est *adversus eos*, id est conclusionem quæ sit adversus eos, qua convincatur non potentes resistere. Quod est dicere: Aperte convince rationibus et miraculis discipulorum et resurrectione et assumptione mei illos qui persequuntur me ad modum qui conclusione convincitur. Framea vero pro *vindicta* ponitur, quia framea vindicta solet exerceri. Dico *conclude*, sic scilicet *dic animæ meæ : Salus tua ego sum*. Quod est dicere : Per hoc *conclude* quod dicas *animæ meæ*, non verbis, sed ipsa rei experientia, scilicet resuscitando me, salus ipsi in Deo ejus. Vel sic *exsurge in adjutorium mihi*, in passione scilicet, et post in resuscitando me *dic animæ meæ : Salus tua ego sum*.

Vel sic versus iste legi potest : *Exsurge in adjutorium*, et post *effunde*, id est notifica, gentibus *frameam tuam*, me scilicet qui sum gladius tuus, per quem diabolum convinces, *et* per mei effusionem *conclude adversus eos qui persequuntur me*, id est conclusionem fac adversus eos. Quod est dicere : Ipsi nimis superbe de me loquendo quasi vagi videntur, sed tu fac in eos conclusionem quæ valde sit eis contraria, id est coarcta eos per mei exaltationem et notificationem, ne possint ita in verbis adversum me vagari, a similitudine illius qui in carcere concludibitur, ne vagandi habeat libertatem. Dico *effunde* et sic scilicet *effunde : Dic animæ meæ*, resuscitando : *Salus tua ego sum*. Quod est dicere : Resuscita me et sic notifica, quia paucis cognitus sum. Sequitur oratio pro inimicis salvandis, sic : Dixi *effunde* me, et sic eos *conclude*, et cum conclusi fuerint per mei effusionem, quidam eorum salvandi *confundantur*, id est erubescant, *et* confusi *revereantur*, id est timeant pœnam, eo quod fuerint *quærentes animam meam* auferre, et reverendo *avertantur* ab impietate sua, retrorsum, id est post me incedentes. Quod est dicere : Qui modo voluntates suas meis voluntatibus præponunt, et sic me antecedunt, suas econverso postponant meis, et sic post me eant, id est sequaces mei sint, et, postquam avertentur retrorsum post me eundo, *confundantur*, id est erubescant semper magis et magis de hoc quod fuerunt *cogitantes mala mihi*, id est adversum me : Quasi dicat : Non solum antea quam *avertantur, confundantur*; sed post aversionem in confusione magis et magis perseverent, ut tanto magis veniam mereantur. 105 Facta oratione pro salvandis, concessio sequitur de perdendis, ut fiant tanquam pulvis ante faciem, id est præsentiam venti. Quod est dicere : in initio excæcationis suæ fiant comparabiles pulveri : qui cum aridus existens nullo humore terræ conglutinetur, a facie ipsius venti leviter huc et illuc impellitur : ita et ipsi nullo humore virtutum, Ecclesiæ, quæ firma terra est, adhærentes, a mala concupiscentia sua facilime per illicita impellantur. Quæ concupiscentia ideo ventus dicitur, quia ad male agendum impellit ad modum venti pulverem impellentis. Dico : *fiant tanquam pulvis ante faciem venti*, et, ut pejus adhuc eis sit, *Angelus Domini*, id est angelus malignus, qui vindex est Domini in malos, sit *coarctans eos* suggestionibus ad illicita.

Et notandum quod priusquam aliquis ab angelo malo coarctetur, a mala voluntate ex se orta impellitur. Postquam vero fient *tanquam pulvis*, et ab angelo coarctabuntur : *fiat via illorum* per quam venient ad mortem *tenebræ*, id est ignorantia, *et lubricum*, id est lubricatio de vitio in vitium, de malo opere in pejus. Quod est dicere : Postquam a vento concupiscentiæ impulsi, ab angelo coarctabuntur, in tenebras cadant ignorantiæ, ne quandoque resipiscant : et sic labantur de malo in pejus, et hoc sit eis via ad mortem : et ut magis eant lubricando, angelus Domini, malignus scilicet, sit *persequens eos*, ut per omnia illicita deducat. Et bene ponit *tenebræ* et *lubricum*, per similitudinem, quasi diceret : Tam male contingat eis, sicut illi qui, cum eum inimicus suus persequitur, per tenebrosam et lubricam viam incedit : ipse enim facilime cadit. Supponit autem causam quare hoc eis debeat contingere, sic : Concedo quod fiant tanqum pulvis, etc. Et merito; *quoniam gratis*, id est sine causa, *absconderant mihi interitum laquei*, id est absconse parare mihi putaverunt interitum qui esset causa laquei, id est causa quare illaquearer et detinerer ne resurgerem : a similitudine illius qui, cum laqueo detentus sit, non habet libertatem eundi quo velit. *Laquei* dico ipsis futuri, id est per quem in mortem ipsi illaqueabuntur, et *exprobraverunt animam meam*, id est probra intulerunt animæ meæ, dicendo eam seductricem peccatricemque ; unde eos dixisse in Evangelio legitur ; « Nos scimus quia hic homo peccator est (*Joan.* IX, 24) ; » et alibi : Seducit turbas (*Joan.* (VII, 12) ; » et hoc *supervacue* id est falso, vacui valde omni rationabili causa. Et ideo bene ponitur, supervacue, quasi multum vacue. Dico qui absconderunt mihi interitum laquei, et ideo *veniat illi* ex improviso *laqueus*, id est mors a Tito et Vespasiano *Quem ignorat* nunc ; unde Dominus in Evangelio : « Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis (*Luc.* XIX. 42) : » vel quem ignorat id est ignorabit sibi contingere pro meritis suis. Adeo namque induratus erit, ut nec in vindicta peccati positus, ipsam vindictam cognoscat, et veniat illi *captio quam abscondit*, id est in abscondito mihi parare putavit. Quod est dicere : Captio mei qua me cœpit, sit causa quare et ipsi captio veniat. Dixi : Veniat illi laqueus,

www.libtool.com.cn

et sic sit, cadat scilicet in laqueum, in ipsum quem mihi parare voluit: ut detineatur in morte, sicut me detinere voluit. Quod ponit: *cadat in laqueum*, idem est quod superius dixit, veniat illi laqueus: sed ideo repetit ut determinet, addendo *in ipsum*. Notandum autem quod captio ponitur et laqueus secundum diversos. Quidam ex eis capti sunt: quidam illaqueati morte: dico quod illi veniat *laqueus et captio*, et ita erit. *Anima autem mea* ex opposito quæ putabitur illaqueata *exsultabit in Domino* de resurrectione mea. *Et* etiam *delectabitur super salutari suo*, id est de salvatione sui, quæ continget humano generi per me. Et etiam *omnia ossa mea*, id est discipuli qui sunt fortiores mei, dicent et verbis et cogitatione: O *Domine, quis* est *similis* tui in potentia? Nullus. Tu, dico, Domine, qui es *eripiens* B *inopem* populum tuum, *de manu fortiorum ejus* 106 id est de potestate malignorum spirituum: qui hucusque fortiores fuerunt, deducendo in mortis tenebras per culpam Adæ. Quod autem ponit fortiorum ejus more Græcorum facit: qui pro ablativo quo carent, genitivum ponunt.

Et tu etiam es eripiens *egenum et pauperem* populum tuum *a diripientibus eum*, ne amplius diripiant, id est a malignis spiritibus, qui sibi virtutes suas antea diripiebant: inops dicitur, qui sine ope alterius est: pauper autem, qui sine sua; egenus vero, qui idem est quod et mendicus: ille dicitur cum utraque ope careat; mendicat, id est cum gemitu et confusione quærit eam. Quod totum in humano po- C pulo fuit. Nunquam enim neque sua neque legis ope potuit liberari, ideoque sua ipsius miseria liberari mendicavit. Quoniam autem posuerat *eripiens*, etc. Quia posset quæri quomodo est *eripiens*: hoc exponere intendit sic, ipsa ossa dicent, quod ego sum *eripiens*, et sic est. Et per hoc sum *eripiens*, quod hæc omnia quæ dicam patienter passus sum. Notandum autem quod illa quæ hic ex nimia certitudine præterite denuntiatur, future accipienda sunt: scilicet *surgentes in me testes iniqui, quæ ignorabam*, non sapientia, sed rei experientia *interrogabant me*, id est imponebant mihi a similitudine illorum qui tale quid aliquem interrogant, quod ignorat, ut in Evangelio dixisse leguntur, « Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? (*Joan.* VIII, D 48.) » Et *retribuebant mihi mala pro bonis*, quæ eis feceram prædicando, mortuos suscitando, et alia miracula faciendo, et exponit in sequentibus quæ mala retribuebant. Et etiam *retribuebant* quantum ad impietatem suam, *sterilitatem animæ meæ*, ut cum per prædicationem vellet eos quantum ad gratiam et benevolentiam parere, sterilem eam quantum ad sese facerent, juxta quod in Evangelio legitur: « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, et noluisti (*Luc.* XIII, 34). » Dixi quod animam meam sterilem faciebant. *Ego autem cum mihi molesti essent* pro illa sterilitate, *induebar* illis *cilicio* futuris, non re scilicet, sed spe. Quod est dicere: jam provide- A bam quod eos induerem, id est mihi conjungerem, a similitudine vestis, quæ, dum induitur, corpori conjungitur; et bene dicit cilicium futuros, id est pœnitentes: cilicio namque pœnitentes induuntur; et cum hoc providebam quad eos induturus eram, *humiliabam in jejunio animam meam*. Quod est dicere: Cum possem libere super eos vindictam meam exaltare quia me jejunum a sui incorporatione facerent, illud jejunium humiliter in secreto animæ patiebar, et hoc ideo quia *oratio mea in* sinum meum *convertetur*. Emphatice dictum est, id est illi pro quibus oravero, ideoque *oratio mea* dicuntur, ad protectionem meam convertentur, a qua male vivendo discesserunt. Mittit hic nos ad similitudinem historiæ de Moyse, cui Dominus præcepit ut B manum in sinum missam inde extraheret (*Exod.* IV). Quæ cum extracta leprosa apparuisset, præcipiente Domino, rursus immissa, sanata est: hoc autem ad Judæorum factum est figuram. Qui Domini protectioni subditi, sani in virtutibus exstiterunt: inde vero suis malis meritis extracti, variis peccatorum maculis, ad modum lepræ, corrupti sunt. Cum vero pars eorum ad ipsius protectionem per apostolorum prædicationem reversa est, resanata est. Et hoc est quod hic dicit. *Oratio mea in* sinum meum *convertetur*, dico quod *humiliabam animam meum in jejunio*. Et etiam *sic complacebam* mihi, admonendo eos, id est sic delectabar ibi quasi in admonendo proximum. Et exponit quem proximum, cum addit: Quasi in C admonendo *fratrem nostrum*. Cum dicit *nostrum*, innuit trinitatem personarum. Quod est ac si dicat: Ita delectabar in admonitione eorum, ceu quilibet in admonitione fratris: et sic humiliabar, id est affligebar mœrore, meorum induratione; quasi pater vel amicus lugens et contristatus de morte filii vel amici. Sequitur expositio malorum, de quibus superius 107 dixit: *Retribuebant mala*. Dico quod *humiliabar* pro eis, et ipsi e contrario *lætati sunt et convenerunt*

Præposteratum est. *Convenerunt adversum me* capiendum *et lætati sunt* de me capto, et ab eis *congregata sunt super me*, id est ad opprimendum me, *flagella*; et ignorabam causam qua flagellabar. Non quantum ad sapientiam, sed quantum ad rei experientiam. Quod est dicere: Non eram reus. Per D hoc quod ponit, *congregata sunt flagella*, diversitatem et multiplicitatem flagellorum innuit. Multimode namque (ut in Evangelio legitur) flagellatus est (*Matth.* XXVII, 26). Et quia hæc fecerunt, *dissipati sunt*, id est destructi, in virtutibus, *nec compuncti* sunt postea ad pœnitentiam; a Deo fuerunt dissipati. Vel sic: Cum congregarent super me flagella *dissipati sunt*, id est divisi a quibusdam de eodem populo, qui condoluerunt morti meæ, qui etiam leguntur flevisse, quibus et ipse dixit: « Nolite flere super me (*Luc.* XXIII, 28). » *Nec sunt compuncti* erga me pietate exemplo eorum. Per hoc autem eorum duritiam nimiam innuit fuisse; vel sic. Quia *lætati sunt et convenerunt, dissipati sunt*, id est dissipabuntur per totum orbem. *Nec* ideo *compun-*

www.libtool.com.cn

eti erunt ad pœnitentiam cum tunc compungi debe-
berent. Et sic quoque eorum duritiam innuit : Dixi quod *concenerunt*, etc. Et etiam *tentaverunt me*, dicentes : « Prophetiza quis est qui te percussit? » (*Luc.* XXII 64.) *Et subsannaverunt*, id est deriserunt, *me subsannatione*, id est nimia derisione : « Vah qui destruis, » etc. (*Marc.* XV, 29.) Subsannare est ad nimiam derisionem nares corrugare, ideoque hic pro nimia derisione ponitur. Quod autem addit *subsannatione*, ad nimiam subsannationem, expressionem facit. Et etiam *frenduerunt dentibus suis super me* existentes, id est ad opprimendum me parati, a similitudine illius qui super aliquem stat ut eum opprimat. Cum dicit *frenduerunt dentibus*, idem est ac si dicat : Tanta contra me ira exarserunt ut nec loqui possent, sed dentibus frendebant : Ostensa passione futura per tempus præteritum. Sequitur oratio de resurrectione sic : Dixi quod ita ut narravi mihi fecerunt, et cum humiliter paterer, visus sum oblivioni traditus. Et tu, *Domine*, *quando respicies*, qui videris me oblivioni dedisse? Noli amplius oblivioni me tradere, sed *restitue* corpori *animam meam*, *a malignitate eorum* extortam. Quod est dicere : quam ipsi maligni de corpore auferent. Et apponit causam qua debeat restitui, sic : Et *restitue unicam meam a leonibus* extortam. Quod est dicere : Et ideo *restitue*, quia unica est, id est singularis in sanctitate, et ipsi leones sunt, id est crudeles, crudelitate eam auferentes, non merito. Quam si restitueris, *confitebor tibi in Ecclesia magna*, id est laudem tibi agam, per magnam congregationem membrorum meorum, quæ non erit parva, sicut Synagoga fuit. Et illa Ecclesia non erit levis ad deflectendum in vitia, ut Synagoga, sed *laudabo te in populo gravi*. Quod est dicere : Populus meus gravis, id est ponderosus in virtutibus non cito mobilis, laudabit te omnimoda laude. Dixi ideo *restitue animam*, quia unica est, et quia *confitebor*. Et ideo adhuc, *ne supergaudeant mihi qui adversantur*, id est sunt contrarii *mihi* inique, non ex merito : Quod est dicere : Ne gaudeant de retentione mei in morte, qui tunc essent super me, id est superiores me, convincentes me. *Quoniam* autem dixerat indefinite, *adversantur* ne quidam sicut *pacifice* loquentes viderentur non adversantes, et sic inexcusabiles addit. Et quamvis omnes adversentur, quidam *annuunt*, id est favent *oculis* meis. Quod est dicere : Faventes sunt ante oculos meos, id est in præsentia mea, sed cum non sunt ante me, multum *adversantur*, vel *annuunt oculis*, id est secundum gestum oculorum suorum, non secundum carnis assensum, ut illi qui dixerunt : « Magister, scimus quia verax es, etc. » (*Marc.* XII, 14).

Exponit autem per præteritum, quomodo annuunt sic : Verum est quod dico illos mihi annuere, *quoniam mihi quidem pacifice loquebantur*, *et loquentes cogitabant dolos* adversum me ut me perderent [108] et hoc *iracundia terræ* suæ amittendæ. Metuebant enim per me terram amittere, vel sic, non in bona ira, sed *in iracundia terræ*, id est terrenis pertinente, non spiritalibus : iracundia vero bonorum, est contra vitia irasci. Unde alibi Psalmista : « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* IV, 5). » Dico quod *pacifice* loquti sunt, et non solum hoc, sed etiam *super me* existentes, id est superiores me pro reputatione sua, *dilataverunt os suum*, id est dilatate et superbe locuti sunt dicentes : « Crucifige (*Marc.* XV, 13). » Et gaudendo *dixerunt* : *Euge*, *euge*, id est bene nobis est ; *viderunt* enim *oculi nostri*, quod desiderabamus, eum videlicet turpiter morientem. Dico quod *dilataverunt os suum* et cætera quæ ostensa sunt, fecerunt, et ego omnia humiliter sustinebam, et tu *vidisti*, *Domine*, et mei dejectionem et justitiam meam et eorum iniquitatem et arrogantiam. Ergo *ne sileas* in eos scilicet a redargutione vindictæ, etsi modo videris silere. Quod est dicere : Comproba eos male egisse per vindictam quam inferes juste, ac si verbis ostenderes. Et respiciendo humilitatem meam, *ne discedas a me*, etsi videaris discessisse ; quasi dicat : Noli auxilium tuum elongare a me. Sed *exsurge*, *Domine*, id est potens appare, auxiliando mihi, qui eis impotens videris. *Et intende judicio meo*, id est intense diligenter considera, non secundum considerationem, cum semper omnia videas, sed secundum remunerationem : judicium meum quidem injustum est, cum in mortem ab eis judicatus sim, et hoc pro tui obedientia humiliter sustinui. Quod est dicere : Remunera mihi, quod pro te judicatus sum injuste, tu qui es *Deus meus*, id est creator, et tu qui es *Dominus meus*, cui per omnia servio, *intende in causam meam*, pro qua passus sum, quam honesta sit. Et ideo remunera. Non enim causa cujuslibet delicti passus sum, sed causa salutis hominum. Et etiam *judica me*, non solum supra dictum judicium et causam, *sed secundum justitiam tuam*, id est resuscita, glorifica, et quia judicatus sum pro te et propter hanc causam et quia justus es. Et justum est ut hoc facias cum promeruerim ; et ideo adhuc *judica me* secundum quod judicandus sum, *ut non supergaudeant mihi*. Et hoc, ut superius exponitur, quod ex affectione nimia repetitum est. Non enim semel orare sufficit, quod valde desiderat. Et ostendit unde non gaudeant, cum addit, scilicet : *Non dicant in cordibus suis : Euge, euge animæ nostræ*. Quod est dicere : Illi qui verbis, ut superius ostendi, dixerunt, *Euge*, *euge*, *non dicant* hoc *in cordibus*, id est ut intelligant sic esse, ut vocibus dicunt, sed me resurgente appareant sibi mendaces in conscientia sua, etsi verbis illud negent. Ostendit autem unde *non dicant euge* cum addit scilicet, *non dicant in cordibus devorabimus eum*, id est ex toto destruximus ne resurgat ad modum escæ quæ devoratur. Nam si revera possent dicere *devorabimus*, utique dicerent *euge*, et sic supergauderent mihi : dico *non supergaudeant*, sed *erubescant* in bonum *et revereantur*, id est timeant damnationem de hoc quod male egerunt in me, illi *qui gratulantur* solummodo *de malis meis* simul cum illis qui et gratulantur et operantur. Multi enim

www.libtool.com.cn

nus divites. Per olera vero ditiores. Pretiosiora namque feno olera sunt, dum utrumque in virore subsistit, dico *noli æmulari*, sed *spera in Domino*, id est spera æterna bona, quæ sunt in Domino, quia spes sine opere præsumptio est, *fac bonitatem*, id est bona opera, *et inhabita terram* tuam, id est posside, et rege, et bene excole sensualitatem terrenæ carnis tuæ, resecando vitia et mala opera, ad modum boni habitatoris qui bene excolit terram, resecando spinas et cætera inutilia : *et* si inhabitaveris, *pasceris*, id est reficieris in anima, *in divitiis* 112 *ejus* terræ ; scilicet in operibus bonis, quæ procedent ab exercitio illius terræ. Bene quidem positum est *pasceris* ; sicut enim cibo corporeo corpus pascitur, ita bonis operibus anima saginatur, et faciendo bonitatem, et inhabitando terram, non delecteris in te attribuendo tibi hoc : Sed *delectare* de hoc *in Domino*, id est gaudium et delectationem habe de hoc in Domino, hoc ipsi attribuendo, *et* si feceris, *dabit tibi* quandoque *petitiones cordis tui*, id est, hoc quod sperando petit cor tuum bona affectione, scilicet æterna bona. Et si peccaveris, quod humanum est, *revela* quantum ad te, *Domino*, humili confessione, *viam tuam*, quam jam novit provida consideratione, id est peccatum quod via tua esset ad mortem, si excusando te, illud occultares ut Adam. *Et* revelando *spera in eo* veniam, *et ipse faciet*, id est complebit quod sperabis, et, postquam indulserit, justificabit te. Et hoc est extra librum, sed ex sequentibus innuitur cum dicit : *Et educet*, id est notificabit aliis *justitiam tuam tanquam lumen* existentem, id est ita apertam faciet sicut lumen in tenebris, ut et alii exemplo tuo justitiam operentur, juxta illud Isaiæ : « Orietur in tenebris lux tua (*Isai.* LVIII, 10). » *Et judicium tuum*, quo tu judicas te ut servum Deo et Domino in omnibus obedire, educet *tanquam meridiem*, id est apertum faciet aliis ad modum meridiei, ut et alii exemplo tuo illud idem judicium habeant. Et cum sic educet, noli inde superbire, sed *subditus esto Domino* magis et magis, *et ora eum* ut non deficias, sed magis justificeris, repetit autem quod in principio posuit, ut lucidius dicat sic : Ergo quia educet justitiam sicut lumen, si subditus ei fueris, *noli æmulari in eo*, id est noli irasci in consideratione ejus, *qui prosperatur in via sua*, scilicet noli irasci *in homine faciente injustitias*, id est noli irasci in prosperitate hominis facientis injustitias, quæ erunt ei via ad mortem : sed potius *desine ab ira* parva, *et derelinque furorem*, id est magnam iram. Quod est dicere : Non habeas inde neque parvam neque magnam iram. Repetit etiam aliam partem quam in priori versu posuit, dicendo *ne zelaveris*, etc. Ut causas supponat, dixi *noli æmulari*, id est irasci in homine faciente injustitias ; et etiam *noli æmulari*, id est imitari eum hominem, *ut malignerис* exemplo ejus, ut et similiter prospereris. Nam si malignatus fueris, malo tuo facies.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, id est extra terminos supernæ patriæ expellentur. Quod est dicere : Exhæredabuntur a terra viventium, quam se possessuros nequidquam præsumunt : *Sustinentes autem Dominum* ex opposito, id est sine murmure patientes judicia Domini, qui judicat hic malos florere, et bonos opprimi, *ipsi* qui viles hic videntur et abjecti, *hæreditabunt terram* viventium. Quia vero posuerat, *sustinentes Dominum hæreditabunt terram*, ne cuilibet sustinere illud esset tædio, dicit quod parum sustinendum erit, sic dixi quia *sustinentes hæreditabunt*. *Et* ipsi *adhuc pusillum* sustinebunt, *et* post hoc *pusillum*, *non erit peccator* in hoc statu in quo nunc est, scilicet ita florens et justos opprimens ut modo, *et* tu aliquis *quæres* ratione et cognitione tua *locum ejus*, *et non invenies*. Quod est dicere : Si tu ratione et meditatione quæsieris, an habiturus sit ibi locum superbiendi, et bonos opprimendi, non invenies locum, id est opportunitatem ejus. Postquam enim aurum bene probatum est, ignem in fornace ardere non est opportunum. Vel *quæres locum ejus*, id est statim an ibi sit mansurus cum justis, et non invenies. Unde Dominus in Evangelio dicit : « Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum (*Matth.* XIII, 49). » Dico quia peccator non habebit locum : *Mansueti autem hæreditabunt terram* viventium. Juxta illud Evangelii : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V. 5), » hoc autem superius posuit cum dixit *sustinentes* 113 *hæreditabunt terram*, sed repetit ut addat, *et* cum *hæreditabunt* non in sollicitudine *hæreditabunt* : sed *delectabuntur* in illa terra *in multitudine pacis*, id est in multa pace. Quod est hæreditabunt terram illam cum delectatione et pace. Non vero ponit multitudinem pacis ; quod multæ paces ibi futuræ sint, sed quia una pax æterna de tribulationibus multis, imo de omnibus eis adfutura, et per hoc veniet ad illam pacem, quia hic *observabit peccator justum*, id est insidiabitur justo, ut decipiat eum. *Et stridebit dentibus super eum* existendo, id est habebit iram immoderatam et irrationabilem ad eum opprimendum, more animalium irrationalium, quæ irata dentibus stridente : et post, *gladium evaginaverunt*, etc. *Ut* decipiant *pauperem*, etc. Et hoc totum est ac si dicat : Per hoc devenient ad illam pacem, quod hic insidiabuntur eis peccatores, et stridebunt dentibus : et evaginabunt gladium, et trucidabunt eos, et intendent arcum ut decipiant, et non poterunt : dico quod peccator observabit et stridebit : *Dominus autem deridebit eum*, cum hoc fecerit, id est dignum derisione judicabit eum in providentia sua : *quoniam prospicit*, id est provide videt, *quod veniat dies ejus*, id est dies judicii, qui erit dies retributionis ejus.

Sequitur : *Gladium evaginaverunt*, etc. Istud sic præposterate legitur. Non solummodo *super eum dentibus* stridebunt, sed *peccatores intenderunt arcum suum*, id est intensam facient deceptionem suggestionum suarum, ut decipiant blanditiis *pauperem et inopem*, id est justum quem credent pauperem

www.libtool.com.cn

Quæreret aliquis : Cum justos Deus faciat montes, quare injustos non justificat, ut etiam faciat montes? Respondetur: O Deus, hæc *judicia tua* quod injustos judicas esse repudiandos, sunt *abyssus multa*, id est multum profunda. Quod est dicere, inscrutabilia sunt ad modum abyssi profundissimæ, cujus nequit meta attingi ; dixi, quod *in cœlo* est *misericordia tua*, et etiam *homines et jumenta*, id est et illos qui rationabiliter se habent ut *homines*, id est justos, et illos qui irrationabiliter ut *jumenta*, scilicet injustos *salvabis, Domine*, misericorditer corporali salvatione, dando eis sæcularia necessaria. Ergo, o Deus, *quemadmodum*, id est qualiter, *multiplicasti misericordiam tuam?* Quod est dicere inde apparet, quam multiplicem habeas misericordiam; hoc autem admirative dicit ad laudem misericordiæ Dei. Dixi quod *salvabis* tali salvatione *homines et jumenta*, et jumenta nullam aliam quærent salvationem ; *filii autem hominum*, id est illi qui rationabiles sunt ut homines, id est justi, *sperabunt* aliam salvationem, futuram scilicet, positi *in tegmine alarum tuarum*, id est in protectione duarum legum, quæ solatio sententiarum suarum protegunt eos, ne deficiant in prosperis aut in adversis, ad modum alarum volueris, quæ protegunt pullos ab æstu et pluvia; vel sic : *Domine, in cœlo misericordia tua* erit : scilicet et ipsum cœlum constituetur ex hominibus et jumentis, id est ex sapientibus, et bene rationabilibus, qui ideo homines hic vocantur, et jumentis, ex rudibus scilicet et simplicibus nec multum rationabilibus, qui ideo jumenta vocantur. Ergo *quemadmodum*, etc. Hæc non mutantur. Et non solum hoc habebunt, ut sunt cœlum *filii autem hominum*, id est scilicet ipsi jam cœlum *filii hominum* existentes, id est rationabiles, *in tegmine alarum tuarum* positi *sperabunt* aliam salvationem. Et hæc non mutantur, dico *sperabunt* aliam salvationem, scilicet sperabunt inebriari *ab ubertate domus tuæ*: et revera *inebriabuntur*, id est copiose replebuntur *ab ubertate*, id est a copia *domus tuæ*, scilicet beatitudine quam habent illi qui jam sunt in domo tua, Hierusalem cœlesti. Bene vero ponit *inebriabuntur* per similitudinem, id est, sic replebuntur ut omnis terrena sensualitas ab eis expellatur, ad modum ebriorum, qui omnibus curis expediti sunt. Exponit autem istam ubertatem sic: dico *inebriabuntur* et hoc per te. Tu enim *potabis eos*, id est satiabis, *torrente voluptatis tuæ*, id est delectabili gloria tua, quæ bene torrens dicitur, id est abundantissime ut torrens, vel depellens omnia adversa a fidelibus, ad modum torrentis, qui cum impetu fluens omnia obstantia depellit, ❙❙❙ Et vere potare eos inde potes. *Quoniam apud te est fons vitæ* Christus, a quo torrens ille procedit ; unde Joannes : « In principio erat verbum (*Joan.* I, 4). »

Cum autem ponit *apud te*, diversitatem personarum innuit, *et* quia, *fons vitæ* est *apud te, in lumine tuo*, id est in Filio tuo, qui est lumen tuum, ut Joannes testatur : «Erat lux vera,» etc. (*Joan.* I, 9,) *Videbimus* te *lumen* verum, contemplatione spirituali. Unde idem in Evangelio : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIX, 9). » Orat autem pro ipsa inebriatione, sic dico *inebriabuntur filii hominum*, et ut inebrientur, *prætende, Domine*, hic *misericordiam tuam scientibus te*, id est misericordia tua innocentes fac fidem erga te jam habentes, nondum tamen innocentes. *Et his qui recto sunt corde*, jam innocentes *prætende justitiam tuam*, id est ante inebriationem illam, ut ad illam pervenire possint, da eis justitiam tuam, id est eos justifica. Quod est ac si dicat : Illos ex nobis, qui innocentes non sunt, innocentes fac, ut post justificentur, et sic salventur. Innocentes quoque justifica, et sic salvabuntur. Postquam autem recti corde erimus, *non veniat mihi*, nec illis *pes*, id est affectio *superbiæ*, ut in nobis ex rectitudine gloriando corruamus. Pes vero pro affectione ponitur, eo quod animus affectionibus gradiatur. *Et manus*, id est impulsio suggestionis *peccatoris*, id est diaboli, antonomastice peccatoris, vel peccatoris cujuslibet, *non moveat me* nec illos, a bono proposito, quoniam autem manibus impellimus : manus pro impulsione ponitur, *ibi* enim, id est in superbia, *ceciderunt* in damnationem, *qui operantur iniquitatem* incessanter, id est diaboli : et ideo expulsi sunt de cœlo, *nec potuerunt* postea *stare* et ipso cœlo, vel sic, *ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem*, Adam et Eva, et ejus conformes, qui adhuc in successoribus operantur iniquitatem, et ideo *expulsi sunt* ab innocentia et vita, *nec potuerunt* postea *stare* in ea per se, nisi Dei gratia succurrente.

IN PSALMUM XXXVI.

Titulus tricesimi sexti. *Psalmus ipsi David* attribuendus, id est Christo : vel si dicamus *Psalmus David* solummodo juxta quosdam expositores, erit vox perfectæ Ecclesiæ. Adhortatur hic Christus, vel Ecclesia, simpliciora membra, ne cum viderint impios in hoc mundo florere, et bonos opprimi, irascantur inde, putando vel Deum injustum esse, vel res mundanas non curare, neque velint eos, quia florent, in malignando imitari, sed potius hæc occulta Dei judicia patienter sustineant. Ostendit quoque ad quid impiorum prosperitas, bonorum vero deventura sit adversitas, admonet eos ut non in se, sed in Domino sperent et delectentur, et si peccaverint ei humiliter confiteantur, sic veniam impetrando, justitiam adipiscentur.

Non æmulari, id est irasci *in malignantibus*, id est in consideratione prosperitatis malignantium, dicendo Deum injuste eis hoc concedere : *Neque zelaveris*, id est dilexeris, ut imiteris *facientes iniquitatem*. Hoc autem in sequentibus lucidius dicet, dico : *Noli æmulari. Quoniam arescent velociter* a flore prosperitatis suæ cum morientur, *tanquam fenum* existentes, quod cito arescit a flore viroris, *et cito decident* ab illa prosperitate, existentes *tanquam olera herbarum*, id est olera viridia, quæ secta cito marcent. Notandum quod per fenum denotantur mi-

www.libtool.com.cn

nus divites. Per olera vero ditiores. Pretiosiora namque feno olera sunt, dum utrumque in virore subsistit, dico *noli æmulari*, sed *spera in Domino*, id est spera æterna bona, quæ sunt in Domino, quia spes sine opere præsumptio est, *fac bonitatem*, id est bona opera, *et inhabita terram* tuam, id est posside, et rege, et bene excole sensualitatem terrenæ carnis tuæ, resecando vitia et mala opera, ad modum boni habitatoris qui bene excolit terram, resecando spinas et cætera inutilia : *et* si inhabitaveris, *pasceris*, id est reficieris in anima, *in divitiis* 112 *ejus* terræ ; scilicet in operibus bonis, quæ procedent ab exercitio illius terræ. Bene quidem positum est *pasceris* ; sicut enim cibo corporeo corpus pascitur, ita bonis operibus anima saginatur, et faciendo bonitatem, et inhabitando terram, non delecteris in te attribuendo tibi hoc : Sed *delectare* de hoc *in Domino*, id est gaudium et delectationem habe de hoc in Domino, hoc ipsi attribuendo, *et* si feceris, *dabit tibi* quandoque *petitiones cordis tui*, id est, hoc quod sperando petit cor tuum bona affectione, scilicet æterna bona. Et si peccaveris, quod humanum est, *revela* quantum ad te, *Domino*, humili confessione, *viam tuam*, quam jam novit provida consideratione, id est peccatum quod via tua esset ad mortem, si excusando te, illud occultares ut Adam. *Et* revelando *spera in eo* veniam, *et ipse faciet*, id est complebit quod sperabis, et, postquam indulserit, justificabit te. Et hoc est extra librum, sed ex sequentibus innuitur cum dicit : *Et educet*, id est notificabit aliis *justitiam tuam tanquam lumen* existentem, id est ita apertam faciet sicut lumen in tenebris, ut et alii exemplo tuo justitiam operentur, juxta illud Isaiæ : « Orietur in tenebris lux tua (*Isai.* LVIII, 10). » *Et judicium tuum*, quo tu judicas te ut servum Deo et Domino in omnibus obedire, educet *tanquam meridiem*, id est apertum faciet aliis ad modum meridiei, ut et alii exemplo tuo illud idem judicium habeant. Et cum sic educet, noli inde superbire, sed *subditus esto Domino* magis et magis, *et ora eum* ut non deficias, sed magis justificeris, repetit autem quod in principio posuit, ut lucidius dicat sic : Ergo quia educet justitiam sicut lumen, si subditus ei fueris, *noli æmulari in eo*, id est noli irasci in consideratione ejus, *qui prosperatur in via sua*, scilicet noli irasci *in homine faciente injustitias*, id est noli irasci in prosperitate hominis facientis injustitias, quæ erunt ei via ad mortem : sed potius *desine ab ira* parva, *et derelinque furorem*, id est magnam iram. Quod est dicere : Non habeas inde neque parvam neque magnam iram. Repetit etiam aliam partem quam in priori versu posuit, dicendo *ne zelaveris*, etc. Ut causas supponat, dixi *noli æmulari*, id est irasci in homine faciente injustitias ; et etiam *noli æmulari*, id est imitari eum hominem, *ut malignerис* exemplo ejus, ut et similiter prospereris. Nam si malignatus fueris, malo tuo facies.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, id est extra terminos supernæ patriæ expellentur. Quod est dicere : Exhæredabuntur a terra viventium, quam se possessuros nequidquam præsumunt : *Sustinentes autem Dominum* ex opposito, id est sine murmure patientes judicia Domini, qui judicat hic malos florere, et bonos opprimi, *ipsi* qui viles hic videntur et abjecti, *hæreditabunt terram* viventium. Quia vero posuerat, *sustinentes Dominum hæreditabunt terram*, ne cuilibet sustinere illud esset tædio, dicit quod parum sustinendum erit, sic dixi quia *sustinentes hæreditabunt*. *Et* ipsi *adhuc pusillum* sustinebunt, *et* post hoc *pusillum, non erit peccator* in hoc statu in quo nunc est, scilicet ita florens et justos opprimens ut modo, *et* tu aliquis *quæres* ratione et cognitione tua *locum ejus, et non invenies*. Quod est dicere : Si tu ratione et meditatione quæsieris, an habiturus sit ibi locum superbiendi, et bonos opprimendi, non invenies locum, id est opportunitatem ejus. Postquam enim aurum bene probatum est, ignem in fornace ardere non est opportunum. Vel *quæres locum ejus*, id est statim an ibi sit mansurus cum justis, et non invenies. Unde Dominus in Evangelio dicit : « Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum (*Matth.* XIII, 49). » Dico quia peccator non habebit locum : *Mansueti autem hæreditabunt terram* viventium. Juxta illud Evangelii : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V. 5), » hoc autem superius posuit cum dixit *sustinentes* 113 *hæreditabunt terram*, sed repetit ut addat, *et* cum *hæreditabunt* non in sollicitudine *hæreditabunt* : sed *delectabuntur* in illa terra *in multitudine pacis*, id est in multa pace. Quod est hæreditabunt terram illam cum delectatione et pace. Non vero ponit multitudinem pacis ; quod multæ paces ibi futuræ sint, sed quia una pax æterna de tribulationibus multis, imo de omnibus eis adfutura, et per hoc veniet ad illam pacem, quia hic *observabit peccator justum*, id est insidiabitur justo, ut decipiat eum. *Et stridebit dentibus super eum* existendo, id est habebit iram immoderatam et irrationabilem ad eum opprimendum, more animalium irrationalium, quæ irata dentibus strident : et post, *gladium evaginaverunt*, etc. *Ut* decipiant *pauperem*, etc. Et hoc totum est ac si dicat : Per hoc devenient ad illam pacem, quod hic insidiabuntur eis peccatores, et stridebunt dentibus : et evaginabunt gladium, et trucidabunt eos, et intendent arcum ut decipiant, et non poterunt : dico quod peccator observabit et stridebit : *Dominus autem deridebit eum*, cum hoc fecerit, id est dignum derisione judicabit eum in providentia sua : *quoniam prospicit*, id est provide videt, *quod veniat dies ejus*, id est dies judicii, qui erit dies retributionis ejus.

Sequitur : *Gladium evaginaverunt*, etc. Istud sic præposterate legitur. Non solummodo *super eum dentibus* stridebunt, sed *peccatores intenderunt arcum suum*, id est intensam facient deceptionem suggestionum suarum, ut decipiant blanditiis *pauperem et inopem*, id est justum quem credent pauperem

www.libtool.com.cn

Quæreret aliquis: Cum justos Deus faciat montes, quare injustos non justificat, ut etiam faciat montes? Respondetur: O Deus, hæc *judicia tua* quod injustos judicas esse repudiandos, sunt *abyssus multa*, id est multum profunda. Quod est dicere, inscrutabilia sunt ad modum abyssi profundissimæ, cujus nequit meta attingi; dixi, quod *in cœlo* est *misericordia tua*, et etiam *homines et jumenta*, id est et illos qui rationabiliter se habent ut *homines*, id est justos, et illos qui irrationabiliter ut *jumenta*, scilicet injustos *salvabis, Domine*, misericorditer corporali salvatione, dando eis sæcularia necessaria. Ergo, o Deus, *quemadmodum*, id est qualiter, *multiplicasti misericordiam tuam?* Quod est dicere inde apparet, quam multiplicem habeas misericordiam; hoc autem admirative dicit ad laudem misericordiæ Dei. Dixi quod *salvabis* tali salvatione *homines et jumenta*, et jumenta nullam aliam quærent salvationem; *filii autem hominum*, id est illi qui rationabiles sunt ut homines, id est justi, *sperabunt* aliam salva- [illegible] futuram scilicet, positi *in tegmine alarum* [illegible] in protectione duarum legum, quæ patientium, juxta [illegible] protegunt eos, ne de- persecutionem patiuntur, pro[illegible] modum ala- (*Matth.* v, 10.) Arcum vero, quia justis [illegible] plu- orat confringi. Dixi quod mansueti hæreditabun[illegible] terram, et quod gladius peccatorum intret in corda ipsorum: ideoque *melius est justo modicum* esse, id est pauperem et inopem, *super divitias peccatorum multas* id est quam quod ipse multas habeat divitias et peccator sit. Et subjungit causam sic, ideo scilicet est *justo melius, quoniam brachia peccatorum conterentur*, id est destruentur ex toto divitiæ et potentia eorum, quæ brachia dicuntur, eo quod in eis confidunt ceu quilibet in fortitudine brachiorum; *justos autem confirmat Dominus* per ipsas tribulationes, ut clariores fiant et fortiores in virtutibus. Et ideo adhuc *melius est modicum justo*, quia *novit Dominus*, id est jam in providentia providit *dies immaculatorum*, scilicet dies quos immaculatis, id est justis est daturus. Exponit autem quales dies illi futuri sint, cum addit: *Et hæreditas eorum in æternum erit* duratura, scilicet illi dies beatitudinis quos Deus dabit immaculatis; et ideo
114 adhuc *melius est modicum justo*, quia *non confundentur*, id est non conturbabuntur timore pœnæ *in tempore malo*, id est in die judicii. Et non solum non confundentur, sed etiam *saturabuntur* æterna gloria *in diebus famis*, id est in diebus vitæ futuræ, in qua impii esurient præ inopia veri boni. Dies pluraliter ponit, quia dies illa quæ unica et æterna erit, dierum istorum multitudinem, diuturnitate superabit.

Quæreret aliquis quare vocatur tempus illud malum, et dies mali? Ad hoc autem respondet, reddendo causam sic: *Quia peccatores peribunt* tunc, et non solum tunc peribunt, sed *inimici Domini*, id est etiam ipsi peccatores qui sunt inimici Domini mala vita sua. Ponatur quod *mox*, id est ab infantia *honorificati fuerint*, honore scilicet, et exaltati in

A *Videbimus* te *lumen* verum, contemplatione spirituali. Unde idem in Evangelio: « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIX, 9). » Orat autem pro ipsa inebriatione, sic dico *inebriabuntur filii hominum*, et ut inebrientur, *prætende, Domine*, hic *misericordiam tuam scientibus te*, id est misericordia tua innocentes fac fidem erga te jam habentes, nondum tamen innocentes. *Et his qui recto sunt corde*, jam innocentes *prætende justitiam tuam*, id est ante inebriationem illam, ut ad illam pervenire possint, da eis justitiam tuam, id est eos justifica. Quod est ac si dicat: Illos ex nobis, qui innocentes non sunt, innocentes fac, ut post justificentur, et sic salventur. Innocentes quoque justifica, et sic salvabuntur. Postquam autem recti corde erimus, *non veniat*
B *mihi*, nec illis *pes*, id est affectio *superbiæ*, ut in nobis ex rectitudine gloriando corruamus. Pes vero pro affectione ponitur, eo quod animus affectionibus gradiatur. *Et manus*, id est impulsio suggestionis *peccatoris*, id est diaboli, antonomastice peccatoris, vel peccatoris cujuslibet, *non moveat me* nec illos, a bono proposito, quoniam autem manibus impellimus: manus pro impulsione ponitur, *ibi* enim, id est in superbia, *ceciderunt* in damnationem, *qui operantur iniquitatem* incessanter, id est diaboli: et ideo expulsi sunt de cœlo, *nec potuerunt* postea *stare* no[illegible] [illegible]lo, vel sic, *ibi ceciderunt qui operantur* ideo in æterni[illegible] [illegible] Eva, et ejus conformes, qui *tribuet*. Et hoc non [illegible] [illegible]rantur iniquitatem, et
C sed hoc tali contuitu, *quia bene*[illegible] *nec potue*- laudantes eum bona vita sua, *hæreditabun*[illegible] viventium, *Maledicentes autem ei*, id est vituperantes eum mala vita sua, *disperibunt*, id est ex toto peribunt, et in anima et in corpore. Quod est dicere, ideo miseretur et tribuet: et sic Deum benedicit ut terram hæreditet, et non pereat cessando a Dei benedictione, et sic eum vituperando. Certus est enim, quia omnes benedicentes hæreditabunt, et maledicentes disperibunt. Sciendum est autem, quod sicut bene vivendo, Deum quilibet benedicit, id est laudat, ita male vivendo ipsi maledicit, id est eum vituperat. Apostolo testante: « Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes (*Rom.* II, 24). » Et hoc modo non habebit a se justus quod sic miserendo
D retribuet, et per hoc hæreditabitur: sed *apud Dominum*, id est in dispositione Dei. *Gressus hominis*, id est bonæ affectiones et operationes justi, rationabiliter se habentis, ad modum hominis, quibus ad vitam graditur, *dirigentur* perseveranter de bono in melius. In alia translatione habetur a Domino. Bene tamen ponitur, *apud Dominum*, per similitudinem: quia sicut apud aliquem principem, id est in secreta ejus dispositione totius regni ejus moderamina pertractantur, sic apud divinam dispositionem quidquid a bonis agitur, ordinatur. Et per hoc quod Deus diriget gressus hominis, *volet* magis et magis ipse homo viam ejus Dei: *viam* scilicet mandatorum *ejus*, *per* quam ad vitam veniet, vel sic; Non solum diriget gressus ejus postquam justus erit, sed et

www.libtool.com.cn

nus divites. Per olera vero ditiores. Pretiosiora namque feno olera sunt, dum utrumque in virore subsistit, dico *noli æmulari*, sed *spera in Domino*, id est spera æterna bona, quæ sunt in Domino, quia spes sine opere præsumptio est, *fac bonitatem*, id est bona opera, *et inhabita terram* tuam, id est possi-de, et rege, et bene excole sensualitatem terrenæ carnis tuæ, resecando vitia et mala opera, ad modum boni habitatoris qui bene excolit terram, resecando spinas et cætera inutilia : *et* si inhabitaveris, *pasceris*, id est reficieris in anima, *in divitiis* 112 *ejus* terræ ; scilicet in operibus bonis, quæ procedent ab exercitio illius terræ. Bene quidem positum est *pasceris* ; sicut enim cibo corporeo corpus pascitur, ita bonis operibus anima saginatur, et faciendo bonitatem, et inhabitando terram, non delecteris in te attribuendo tibi hoc : Sed *delectare* de hoc *in Domino*, id est gaudium et delectationem habe de hoc in Domino, hoc ipsi attribuendo, *et* si feceris, *dabit tibi* quandoque *petitiones cordis tui*, id est, hoc quod sperando petit cor tuum bona affectione, scilicet æterna bona. Et si peccaveris, quod humanum est, *revela* quantum ad te, *Domino*, humili confessione, *viam tuam*, quam jam novit provida consideratione, id est peccatum quod via tua esset ad mortem, si excusando te, illud occultares, ut Adam. *Et* revelando *spera in eo* veniam, *tamen faciet*, id est complebit quod spe[illegible] esse derelictum. Ad indulserit, justificabit te. : Non contigit scilicet. *Et* sed ex sequenti ea, id est senes fideles habui, apostoli, scilicet et martyres, et confessores, qui senes dicuntur : vel quia tempore posteriores, vel quia in virtutibus exstitere maturiores, *nec* in senio vidi *semen ejus*, justi qui junior fuit, *quærens panem*, id est carens pane vitæ et intellectus, ad modum illorum qui panem non habentes, mendicando quærunt, nec inveniunt, sicut de quinque fatuis virginibus per similitudinem in Evangelio legitur (*Matth.* xxv, 5) quæ non habendo oleum, mendicaverunt, nec invenerunt. Panis quidem vitæ et intellectus Dei doctrina dicitur, qua fidelium animæ satiantur et confortantur, et ad vitam æternam perducuntur. Panis quoque vitæ et intellectus, beatitudo illa dicitur, in qua fidelium animæ post mortem perpetue vivendo, et de Deo profundius intelligendo, jocundantur. Apostoli vero et cæteri Novi Testamenti fideles, semen primorum justorum, patriarcharum scilicet et prophetarum bene dicuntur, eo quod Dei cooperante gratia, eorum doctrina in fide generati sunt. Unde Dominus ad apostolos dixit : « Alii laboraverunt (*Joan.* iv, 38), » patriarchæ videlicet et prophetæ : « et vos in labores eorum introistis » (*ibid.*) vel sic : *Junior fui* in primis fidelibus.

Quæreret aliquis quare dicis *fui* et non dicis sum? Respondet : *Etenim senui* in apostolis et eorum successoribus, *et non vidi* nec in juventute, nec in senio *justum* a Deo *derelictum*, id est in tribulationibus non adjutum, nec *semen ejus*, id est bona opera, quæ sunt causa vitæ æternæ, sicut semina causa est dicere : Exhæredabuntur a terra viventium, quam se possessuros nequidquam præsumunt : *Sustinentes autem Dominum* ex opposito, id est sine murmure patientes judicia Domini, qui judicat hic malos florere, et bonos opprimi, *ipsi* qui viles hic videntur et abjecti, *hæreditabunt terram* viventium. Quia vero posuerat, *sustinentes Dominum hæreditabunt terram*, ne cuilibet sustinere illud esset tædio, dicit quod parum sustinendum erit, sic dixi quia *sustinentes hæreditabunt*. *Et* ipsi *adhuc pusillum* sustinebunt, *et* post hoc *pusillum*, *non erit peccator* in hoc statu in quo nunc est, scilicet ita florens et justos opprimens ut modo, *et* tu aliquis *quæres* ratione et cognitione tua *locum ejus*, *et non invenies*. Quod est dicere : Si tu ratione et meditatione quæsieris, an habiturus sit ibi locum superbiendi, et bonos opprimendi, non invenies locum, id est opportunitatem ejus. Postquam enim aurum bene probatum est, ignem in fornace ardere non est opportunum. Vel *quæres locum ejus*, id est statim an ibi sit mansurus cum justis, et non invenies. Unde Dominus in Evangelio dicit : « Exibunt angeli justos *sanctos* bunt malos de medio justorum, sed 116 *in æter-* quia peccator *[illegible]* a Deo. Et ideo quoque declinan- *hæredit[illegible]* a malo, quia *injusti punientur* in futuro. Ne vero putaret aliquis eos esse salvandos, pro aliquot operibus bonis, quæ pro favore faciunt, addit : *Et semen impiorum peribit*, id est bona operatio quæ contuitu favoris agitur non remunerabitur. Unde Dominus in Evangelio : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* vi, 5). » *Justi autem* ex opposito *hæreditabunt terram* viventium, *et inhabitabunt in sæculum sæculi*, id est in æternum *super eam*, innitentes et fundati, ne amplius ab ea dimoveantur. Hoc autem superius positum ideo repetit, ut sit causa illius sententiæ, *declina a malo*, etc. Quasi dicat : Ideo *declina et fac*, ut cum aliis justis hæredites terram, id est Christum, qui firma terra est, cui fideles innitentur.

Quæreret aliquis qui sunt illi justi qui hæreditaturi sunt ? Hoc autem determinat sic, ne quis temere se hujusmodi justum esse diceret. *Os justi* illius qui hæreditaturus est, *meditabitur sapientiam*, id est sapienter vivere, quantum ad se. *Et* etiam *lingua ejus loquetur* aliis, id est prædicabit *judicium* istud, quod se complere judicabit, tu et ipsi compleant, scilicet sapientiam loquetur ipsis. Et non meditabitur et loquetur sic, ut postea deficiat, sed *lex ejus* semper *in corde*, id est in voluntate *ejus*. id est semper diligit eam et vult eam complere. *Et* sic est in corde, quod *non supplantabuntur gressus*, id est affectiones ejus ab illa lege. Quæreret aliquis estne quisquam qui eum velit supplantare? Respondetur ita : *Considerat* enim *peccator justum* in lege illa perseverare ; *et quærit* blanditiis vel tribulationibus *eum mortificare*, id est ab eadem lege retrahere, et sic male operari faciendo in mortem animæ deducere. *Dominus autem non derelinquet* inadjutum ne cedat. *Eum, in manibus ejus* positum, id est faciet

www.libtool.com.cn

eum constantem, cum erit in potestate peccatoris non secundum animam, sed secundum corpus; *nec damnabit eum* Dominus, *cum judicabitur*, id est cum hoc sit quod ipse justus damnabitur a peccatore per corporalia tormenta. Et hoc *ipsi* id, est ad sui ipsius utilitatem : quasi dicat: Judicium illud non erit ipsi ad damnationem, sed ad utilitatem ; vel sic : Nec damnabit eum peccator sicut putat, cum judicabitur illi, id est cum hoc sit quod judicium illud quod peccator faciet adversus justum tribulando illum, potius fiat ad damnationem illius peccatoris. Dixi : *Declina a malo et fac bonum*. Et si mox non acceperis inde præmium, noli murmurare sicut filii Israel fecerunt, qui cum cito non possent ad terram promissionis pervenire in Ægyptum, ad ollas carnum reverti voluerunt (*Num.* XIV, 4). Sed *exspecta Dominum* sine murmuratione in brevi remuneraturum. *Et* exspectando *custodi viam ejus*, id est legem ne deflectas ab ea, quæ erit tibi via ad vitam : alioquin enim inanis esset exspectatio tua. Ideoque custodi *ut hæreditate capias terram* viventium, id est ut sit tibi hæreditas. Hanc autem terram *videbis, cum perierint peccatores* in futuro, vel sic. Cum cœperis terram hæreditate, videbis cum perierent peccatores, id est videbis perditionem peccatorum. Per hoc autem eum a peccato revocare intendit, ne cum peccatoribus pereat. Quæreret aliquis unde scis peccatorem periturum? Hoc autem confirmat sic auctoritate sua. Vere scio quod peribunt. Nam ego *vidi*, id est consideravi in mente mea, *impium* in hoc mundo *super* pios *exaltatum et elevatum* in divitiis *sicut cedros Libani*, quæ arboribus aliis magis elevatæ sunt. *Et* postea consideratione *transivi* ad novissima ejus. *Et ecce non erat*, id est fuit in præsentia considerationis meæ, quod ipse non erat sic exaltandus ; quod est dicere : Consideravi illum cariturum exaltatione tali. *Et quæsivi eum*, id est diligenti ratione investigavi locum ejus, scilicet an in futuro habiturus esset locum superbiendi, et bonos opprimendi. *Et non est inventus* a me considerante, *locus ejus*. Sciendum autem quod hanc sententiam superius in secunda persona posuerat sic : Quæres locum ejus 117 et non invenies. Hic vero auctoritate sua confirmat, ideoque diversum est. Ergo quia si exspectaveris, exaltabit te, et quia amplius sicut ostendi non erit. *Custodi innocentiam*, quantum ad ipsum impium, ne, quia te tribulat, velis ei nocere dictis sive factis. *Et vide æquitatem* esse, id est hoc esse æquum, ut erga eum sis innocens. Et bono tuo custodies, *quoniam homini pacifico*, id est innocenti *sunt reliquiæ*, id est æterna bona quæ sibi ipse reliquit, sæcularibus contemptis : *injusti autem disperibunt*, id est omnino peribunt et in anima et in corpore. Simul cum ipsis *reliquiæ impiorum*, id est sæcularia bona quæ sibi reliquerunt, contemptis æternis, *interibunt*, juxta illud : « Cœlum et terra transibunt (*Luc.* XXI, 33), » vel sic : *Reliquiæ impiorum*, id est æterna bona, quæ sibi post mortem præsumptuose relinquunt, peribunt quantum ad eos, id est non aderunt eis : vel sic : Opera bona pro favore facta, quæ post mortem relinquunt, *interibunt*, id est annihilabuntur. Has vero causas superius posuit Sed hic ad aliud repetit. Et ideo adhuc inculcat, ut bonos ad melius attrahat, et impios perterrefaciat. Ne vero justi de salute sua aliquatenus in se glorientur, omnem eorum salutem a Domino esse sic dicit : Dixi quod *justi hæreditabunt terram*, et *cum ceciderit* justus, *non collidetur*; et *Dominus non derelinquet eum in manibus* peccatoris, et hæc salus non est ab ipsis justis : *Salus autem*, scilicet salus justorum, *a Domino* est. Exponit autem salutem per partes sic : *Et protector eorum* est *in tempore tribulationis*, ne cedant. *Et adjuvabit eos* ad bene operandum, *et liberabit eos* a peccatis, *et eruet* eos *a peccatoribus*, id est a potestate peccatorum ne corporibus occisis in animas habeant potestatem. *Et* postea *salvabit eos* a mortalitate et passibilitate, reducendo ad beatitudinem æternam. Et hoc ideo, *quia speraverunt in eo*, non in se.

IN PSALMUM XXXVII.

Psalmi tricesimi septimi Titulus. *Psalm. David in rememoratione sabbati*; quod sic exponitur : Psalmus iste attribuendus est David, id est Christo agenti in rememoratione Sabbati æternæ quietis. Per Sabbatum enim quod quies interpretatur, requies æterna designatur. Est autem in hoc psalmo vox capitis, orantis pro membris futuris : ne in futuro damnentur. Quæ membra per Adam, æternam quietem oblivioni tradiderant, tandem vero per Christum illius quietis rememoratura erant, et de peccatis ante baptisma, et post baptisma pœnitentiam actura. Ut autem affectionem nimiam erga eos se habere ostendat, pro eis, quasi pro se orat: ut etiam facilius impetret, ostendendo causas quare pro eis orandum sit. Addendo quoque causas plures quare debeat pro eis exaudiri : scilicet quia pœnitebunt et de peccatis dolebunt, et solum Deum desiderabunt : et quia pro eis passurus est et resurrecturus. Quam passionem etiam partim ostendit. Et quia parata erunt ipsa membra ad subeunda pro Christo flagella, sicut pro eis ipse flagellatus fuit : et quia peccata confitebuntur, et pro eis satisfacere cogitabunt.

Domine ne in furore tuo arguas me, et cætera. Quasi dicat : *Domine, ne arguas* meos, id est ne convincas meos male egisse, arguendos eos *in furore* judicii tui, cum damnandis dices : « Discedite a me maledicti, » etc. (*Matth.* XXV, 41.) *Neque in ira*, id est vindicta *tua* æterna, *corripias me*, id est punias meos a similitudine illius, qui, cum corripitur, punitur ; et hoc est ac si diceret : Volo quidem hic eos per transitoria flagella argui et corripi, non autem in futuro, quando *in furore* fiet redargutio. Quæreret aliquis : Estne eis necesse, ut pro eis orandum sit ? Respondetur ita : *Quoniam sagittæ tuæ*, id est mortalitas et passibilitas, quas comminatus es Adæ, antequam peccaret, dicendo : « Quacunque die comederis, morte morieris (*Gen.* II, 17), » *infixæ sunt mihi*, id est meis : et plus dicam, *confirmasti super*

www.libtool.com.cn

me manum tuam, id est valde firmam et pondero- A sic et concupiscentiæ mentem eorum aggravant, ne
sam 118 fecisti super meos vindictam tuam. Bene ad cælestia contemplanda sinant eam eniti. Et hoc
vero ponit *super*, a similitudine illius qui, eum ali- totum est ostensio a minori, quasi dicat : Quando-
quem dure percutit, graviter et firmiter super eum quidem pro peccato Adæ sic eos, ut ostendi, mul-
manum premit; exponens autem in quo confirmavit tasti, scilicet sagittas infixisti, manum confirmasti;
manum, addit : in hoc scilicet *confirmasti manum* multo magis est timendum ne pro iniquitatibus qui-
tuam super meos, *quod non est sanitas in carne* bus aggravantur, in futuro gravius multentur. Dixi
mea, id est meorum. Quod est dicere : Caro meo- quod *iniquitates supergressæ sunt caput meum, et*
rum quæ a fomite peccati sana erat, infirma facta est, *gravatæ sunt sicut onus grave*. Et hoc intelligendum
in se semper habens malam concupiscentiam, quæ est ante baptismum : et cum ex ipsis iniquitatibus
fomes peccati dicitur, eo quod ab ea delectatio et expedientur in baptismo; iterum *putruerunt*, id est
occupatio mala oriatur. Unde Apostolus : « Est pec- putrebunt, *et corruptæ sunt*, id est corrumpentur
catum in corpore vestro, sed non regnet (*Rom.* VI, post baptismum, *cicatrices meæ*. Præposteratum est
12). » Et hoc quod non sana est contingit *a facie* sic. Mei cicatricosi, id est sanati a peccatis, quæ
iræ tuæ, id est a præsentia vindictæ tuæ, quam in ante baptismum egerunt, a similitudine carnis cica
eam propter Adæ peccatum exerces ; quoniam au- B tricosæ quæ a vulnere sanata est, corrumpentur post
tem caro non sana est, *non est pax ossibus meis*, baptismum a malis concupiscentiis, ducti in con-
id est rationi et virtutibus meorum. Semper enim sensum et delectationem, a similitudine carnis cica-
sollicitantur, et hoc contingit *a facie*, id est ab tricosæ, quæ si sibi gladius impingatur, corrum-
instantia *peccatorum meorum*. Quod est dicere : pitur. Et populus prave agendo et consuescendo, et
Ideo non est eis pax, quoniam peccata, id est aliis malum exemplum dando, putrebunt a similitu-
malæ concupiscentiæ quæ etiam fomites peccati dine cadaveris, et hoc quod putrebunt et corrum-
dicuntur, instant, quæ ipsam rationem et virtutes pentur continget *a facie insipientiæ meæ*, id est ab
subvertere nituntur, juxta illud Apostoli : « Caro instantia fomitis peccati meorum, qui dicitur insi-
concupiscit adversus spiritum (*Galat.* V, 17). » pientia, eo quod insipientiæ causa sit. Vel sic : *A*
Vel quod dicit *sagittæ tuæ infixæ sunt*, etc., sic le- *facie*, id est a præsentia, *insipientiæ meæ*, id est me-
gitur ut per sagittas plusquam in superiori senten- rum : quasi dicat : 119 Nihil inde culpandum erit,
tia intelligatur. Superius enim per sagittam solum- nisi eorum *insipientia*, et quia corrumpentur et pu-
modo mortalitas et passibilitas intelligebantur, quæ trebunt ? *Miser factus sum*, id est miseri fient cum
bene sagittæ dicuntur, eo quod de longe per eas C prius in baptismo purificati felices exstiterint. *Et*
Deus Adæ comminatu est antequam peccaret, sicut *curvatus sum*, id est deprimentur a peccatis suis,
sagittæ de longe trahendæ comminantur : vel quia *usque in finem* curvationis; id est quantum pote-
per eas genus humanum afficitur, ad modum il- runt curvari. ne possint oculos mentis ad æterna
lius, qui sagittarum vulneribus affligitur. Aliter au- bona erigere, et eorum contuitu bene agere : a si-
tem *sagittæ* latius accipiuntur sic : *Sagittæ tuæ infixæ* militudine curvati, qui sursum aspicere nequit.
sunt meis, id est mortalitas et passibilitas et fomes Vel hoc totum quod dicit, *iniquitates supergressæ*
peccati. Et non horarie, sed tu *confirmasti*, id est *sunt*, etc., potest dici post baptismum, sic : Vere
firmam et perseverantem fecisti *super* meos *manum orandum est pro eis*, ne sic arguantur et corri-
tuam, id est vindictam tuam, scilicet supradictas sa- piantur.
gittas. Et exponit quomodo confirmavit sic : Ita *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt*, id est
confirmasti et infixisti, quod *non est sanitas in* supergredientur *caput meum* post baptismum : *et sicut*
carne meorum *a faciæ iræ tuæ*, id est propter præ- *onus grave gravatæ sunt*, id est gravabuntur, diceret
sentiam vindictæ tuæ, id est infirma est, mortalis, aliquis : Nonne eruentur ab istis in baptismo ? Re-
passibilis, fomiti peccati subjacens. Non quod spondetur : Eruentur, sed postea corrumpentur, et
caro patiatur vel concupiscat, sed quia per ejus D putrebunt cicatricosi mei *a faciæ insipientiæ* suæ :
fragilitatem in anima fit passibilitas et concupiscen- et sic miseri fient, et curvabuntur usque in finem.
tia, quæ fomes est peccati, et ipsa non existente Expositio horum omnium non mutatur. Ostensis
sana, *non est pax ossibus meis*, quod contingit a causis quibus pro eis orandum sit, alias supponit
facie, id est ab instantia peccatorum meorum mem- causas quare non debeant argui et corripi, sic : Oro
brorum, malarum scilicet concupiscentiarum eo- *ne arguas, ne corripias*, neque si corripiendi sunt aut
rum. Et ideo adhuc orandum est ne arguantur *in* arguendi.
furore, et corripiantur *in ira*, *quoniam iniquitates* Quoniam *tota die*, id est jugiter, *contristatus con-*
meæ, id est pravæ concupiscentiæ meorum, *super- grediebar*, id est mei contristati de peccatis ingre-
gressæ sunt caput meum*, id est prævaluerunt menti dientur de magno mœrore in majorem, id est jugi-
meorum, deducendo eam in delectationes peccati. *Et* ter magis et magis contristabuntur de peccatis suis,
etiam *gravatæ sunt super me*, *sicut onus grave*, id est ideoque non debent in futuro argui et corripi pro
graves factæ sunt *super* meos, quos opprimunt, ad eis. Vel sic : *Tota die*, id est jugiter ingredientur, id
modum oneris gravissimi. Quia sicut aliquod onus est incedent viam vitæ hujus contristati de peccatis.
grave illum quem supprimit, erigere non permittit ; Et non solum contristabuntur ; sed etiam *afflictus*

sum et humiliatus sum nimis, id est valde affligent se in corpore jejuniis et aliis anxietatibus, et humiliabunt se in anima, suas voluntates tuis voluntatibus postponendo, qui prius superbierunt inobedientes existendo. Et etiam ut vehementius quid dicam, *rugiebam*, id est rugient, dolebunt scilicet vehementer, ut leo qui, cum contristatus sit, vehementer rugitum emittere consuevit : vel rugient, id est valde sibi de peccatis irascentur ; a similitudine quoque leonis, qui rugit etiam cum iratus sit. Et non rugient voce exterius : sed rugitus ille procedet *a gemitu cordis mei*, id est meorum. Quasi dicat : Prius *in corde* gement, et post eorum gemitus excrescent in rugitum; quod est dicere, *in corde* rugient, sicut prius gemant. Ideo vero contristabuntur, et affligentur, et humiliabuntur, et rugient : *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*, id est corda meorum, quæ ideo dicuntur lumbi, quia ab eis procedit cogitatio mala, quæ hominem coinquinat, sicut a lumbis luxuria, plena sunt malis delectationibus, quæ sunt illusiones malorum spirituum. *Et* ideo sunt pleni, quia *non est sanitas in carne mea*, ut superius ostensum est ; quod est dicere : Et hoc contingit ex fragilitate carnis eorum quæ infirma est. Hoc autem partim verbis aliis superius positum est, cum dixit : *Sicut onus grave*, etc. Sed ad aliud repetitur. Et hoc totum est ac si diceret : debes ideo eis misereri, ne arguas, aut corripias, quia de peccatis omnimodo pœnitebunt.

Et ideo adhuc debes misereri, quia *omne desiderium meum*, id est meorum, est ut sint *ante te*, id est in præsentia tua, quandoque beati illa gloria quam per Adam amiserunt, quod est dicere : Nihil præter te desiderant, et desiderando ad hoc gemunt et suspirant. *Et* ille *gemitus* meorum *non est a te absconditus*, sed tibi cognitus est et gratus; ideoque minime decet ut sit irremuneratus. Vel sic : *Et gemitus* meorum, quem de peccatis agunt, ad beatitudinem suspirando, *non est a te absconditus, sed cognitus et gratus*. Quæreret aliquis; Gement ne ? Respondetur sic : Vere *cor meum*, id est meorum, *conturbatum* est gemendo. Et hoc ideo, *quia dereliquit me virtus mea*, id est meos dereliquit per Adam omnis *virtus* eorum : humilitas scilicet, castitas et cæteræ virtutes. Non quod omnes ex toto dereliquerunt: sed quia quædam ex toto, illæ vero quæ restant valde minoratæ sunt, vel *virtus mea*, id est liberum arbitrium, ut non possint eo ad salutem uti. *Et* ideo *conturbatum est cor*, quia *lumen* |121| *oculorum meorum*, id est intellectus cordium meorum, vel *lumen*, id est sol justitiæ Christus, qui oculos cordium meorum illuminabit : *et ipsum lumen* dico, sine quo nihil esse dicendus sum, *non est mecum*, ut meos illuminet. Supponit quoque causam aliam : passionem videlicet suam, pro qua debeat eis misereri, sic : Et ideo debes eis misereri, quia ideo passus sum quod *amici mei*, etc. Potest quoque superior versus quantum ad passionem legi sic : Dico ne arguas eos neque corripias. Nam ut eis miserearis, *cor meum conturbatum est*, id est anima mea conturbabitur spontanee in passione. Unde scriptum est : « Cœpit pavere et tædere (*Marc.* XIV, 33), » *et dereliquit me virtus mea*, id est videbitur quibusdam dereliquisse me potentia mea. Unde alibi dicitur : « Aruit tanquam testa virtus mea (*Psal.* XXI, 16). » *Et lumen oculorum meorum, et ipsum lumen* dico, sine quo nihil essem, *non est mecum*, id est videbitur a quibusdam non esse mecum : divinitas scilicet, quæ mei cordis oculos illuminat. Unde quidam dixisse legitur : « Deus dereliquit me (*Isa.* XLIX, 14). » Per hoc autem videbitur *virtus mea*, et *lumen meum* non esse mecum.

Quoniam *amici mei* simulati, *et proximi mei*, id est consanguinei, *appropinquarunt*, id est appropinquabunt, *adversum me*, ut capiant. *Et steterunt*, id est stabunt perseveranter in accusatione mei dicendo: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX, 12). » *Et quia juxta me*, id est in familiaritatem mei erant, discipuli scilicet *de longe steterunt*, id est stabunt me relicto præ timore Judæorum. *Et qui quærebant*, id est quærent omnimodo *animam meam* auferre, Judæi scilicet, *vim faciebant*, id est mihi violentiam inferent, flagellando et crucifigendo (*Joan.* XIX). *Et qui inquirebant*, id est inquirent, *mala mihi* consiliis suis videlicet, qualiter occidant et vi detineant, *locuti sunt*, id est loquentur *vanitates*, dicendo : Hic dixit : « Possum destruere, » etc. (*Math.* XXVI, 61.) Et has *vanitates* non loquentur immediate, sed ad cumulum nequitiæ eorum *tota die dolos meditabantur*, id est jugiter meditabuntur vana et dolosa verba contra me.

Ego autem non econtrario eis respondebo : sed *non audiam tanquam surdus*, id est non loquens ero quasi non audiam *ut surdus, et sicut* existens *mutus non aperiens os suum*. Quod est dicere : neque faciam aliquod signum indignationis gemendo vel plangendo, comparabilis muto, qui non solum non loqui, sed nec etiam os aperire potest ut vocem quamlibet emittat. Multi namque muti sunt, qui saltem clamant et gemunt. Repetit quod dixit, *Ego tanquam surdus non audiebam*, ut addat sic : *Et factus sum*, id est factus ero, *sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargationes*. Quod est dicere : Videbor ideo sic tacere *ut surdus*, quod non habeam unde eos redarguam, cum in multis possim eos redarguere. Et hoc totum est ac si diceret : Ideo debes eis misereri, quia talia et talia pro eis patiar. Quia vero mors sine resurrectione, valeus causa non esset, addit :

Et ideo debes misereri, ut per meam resurrectionem, eorum miserearis : *speravi in te, Domine*, id est spem resurrectionis posui. *Et tu exaudies me* orantem, *Domine Deus meus*, ut me resuscites. Et non solum *exaudies* quia *speravi*, sed etiam *quia dixi*, id est verbo orabo dicens : O Domine, resuscita me, *ne quando*, id est aliquando *supergaudeant mihi inimici mei*. Quod est dicere : qui supergaudent in morte, non supergaudeant aliquo modo in quo su-

www.libtool.com.cn

pergaudendum non est. Exponit autem in quo non supergaudeant, cum addit : *Et dum commoventur pedes mei*, id est si commoverentur a proposito suo affectiones meæ, scilicet si eis cederem, supergauderent. Et inde hoc scio, quia super me existentes in passione, *magna*, id est superba, *locuti* sunt dicendo : dixit enim : Filius Dei sum (*Matth.* XXVI, 64). Vel sic : Non supergaudeant mihi quando non est supergaudendum, scilicet in retentione in morte. Et inde scio quia supergauderent, quoniam super me *magna*, id est superba, locuti sunt, id est loquentur, *dum commoventur*, id est dum commovebuntur a me *gressus mei*, id est discipuli mei, relinquendo me in passione [121] qui dicuntur gressus, eo quod portabunt nomen meum inter gentes ; vel sic : Ne *supergaudeant mihi* quando supergaudendum non est, id est in retentione in morte. *Et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt*, id est et non loquantur, *magna*, id est superba *super me* existendo, dicendo se superasse me, dum hoc sit quod commoveantur a proposito *pedes mei*, id est affectiones meæ, id est dum hoc sit quod eis cedam. Quod est ac si dicat : Non permittas commoveri pedes meos, ne super me existentes magna loquantur. Multum enim superbe loquerentur, si sic mihi prævalerent. Ad hanc autem tertiam sententiam mittit nos Hebraica translatio, quæ sic habet : *Ne dum vacillaverint pedes mei, super me magnificentur*, id est magni fiant in superbia. Et ideo adhuc debes misereri.

Quoniam ego in flagella per me suscipienda *paratus sum*, id est mei parati erunt pro me pati flagella, sicut et ego pro eis patiar, alioquin enim passio mea nihil eis proficeret. *Et* ideo adhuc quia *dolor meus*, id est meorum, erit *in conspectu meo*, id est meorum, *semper*, id est semper habebunt in consideratione sua dolorem de peccatis suis. Et ideo adhuc : *Quoniam annuntiabo iniquitatem meam*, id est mei annuntiabunt aliis humiliter per confessionem iniquitatem suam juxta illud Jacobi apostoli : «Confitemini alterutrum peccata vestra (*Jac.* v, 16) ; » et quia hoc non sufficeret, *cogitabo pro peccato meo*, id est cogitabunt satisfacere Deo pro omni peccato suo, jejunando et aliis anxietatibus corpus affligendo. Dixi quod ipsi cogitabunt *peo peccato* carnem mortificando ; *inimici autem mei*, id est meorum, scilicet impii qui persequentur eos multimode, *vivunt*, id est vivent prospere in hoc mundo in divinitiis florendo. *Et confirmati sunt*, id est confirmati erunt in perseverantia *super me*, id est super meos, extollendo se. *Et multiplicati sunt*, id est multi erunt, *qui oderunt me*, id est odio habebunt meos, et hoc *inique*. Exponit autem quomodo *inique* sic, scilicet *qui retribuunt*, id est retribuent meis, *mala pro nobis*, quod iniquorum est. Et hoc etiam exponit in parte cum addit : Scilicet *detrahebant mihi*, id est detrahent meis, *quoniam sequebar bonitatem*, id est quia perseverabunt in bonitate, quod est dicere, quia eis bonum exemplum dabunt, ipsi illis inique detrahent.

A Ergo quia multiplicabuntur inimici super meos, *ne derelinquas me, Domine Deus meus*, id est meos inadjutos in tribulationibus, sed constantes fac ne cedant. Et si videberis derelinquere, permittendo affligi, et interdum in peccatis cadere, ut post humiliores sint *ne discesseris a me*, id est ne elongaveris penitus ab eis, quin postea eis auxilieris ; sed potius *intende in adjutorium meum*, id est meorum, *Domine Deus meus*. Quod est dicere : Quem mei reputabunt Dominum et Deum suum.

IN PSALMUM XXXVIII.

Psalmi tricesimi octavi Titulus. *In finem pro Idithum, Canticum David*. Idithum interpretatur *transiliens* Titulus sic exponitur : *Canticum* istud, id est tractatus iste, in quo continetur canticum, id est B jucunditas futura, scilicet æterna beatitudo, vel jucunditas, id est lætitia nimia pro spe beatitudinis æternæ, est *David*, id est Ecclesiæ perfectæ, factum istud canticum, id est iste tractatus pro *Idithum in finem*, id est pro hoc quod est ipse David transiliens usque in finem, scilicet transiliens de vitiis ad virtutes, de terrenis bonis ad æterna bona ; quæ sunt finis exspectationis justorum. Vel sic : Canticum istud, id est jucunditas futura, vel jucunditas, id est lætitia jucunditatis futuræ, est David, id est Ecclesiæ perfectæ. Canticum dico habendum si de futura jucunditate dicatur, vel habitum si de lætitia futuræ jucunditatis dicatur, per hoc quod David qui hic loquitur est Idithum, id est transiliens usque in finem. In hoc autem psalmo perfecta Ecclesia jucundando, C ostendit se de vitiis ad virtutes transiliisse, sic ut nec in lingua peccare disponat, quod magnum est. Dicit etiam se orasse cum insufficiens per se esset, ut sibi Deus, finem, id est modum tacendi modumque loquendi, notificaret ; et contuitum bonorum æternorum sibi notum faceret, ut sic, sæcularibus contemptis, ad [122] illa bona spe transiliret. Ostendit quoque se impetrasse, et se solummodo bona illa exspectare, et hoc non ad arrogantiam, sed ad aliorum narrat instructionem, ut sui exemplo ad hoc idem intendant. Redarguit quoque eos qui vanitati intenti sunt, ut eos a vanitate ad ea bona quæ vera sunt transilire faciat. Orat quoque ut exemplum orandi aliis tribuat ; quatenus Deus eum ab omnibus D iniquitatibus eruat, ut ad hoc ad quod suspirat sic pervenire queat. Alioquin enim non ad hoc attingeret. Orat insuper ut Deus tribulationes suas alleviet, ne sub nimio pondere deficiat, et sic quod exspectat, amittat. Dicit quoque jam sibi debere parci cum purgata sit diutissime patiendo.

Dixi : *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*. Quasi dicat : Ego bene jam custodivi affectiones et operationes meas, ne in eis peccarem, quæ mihi viæ erunt ad vitam ; sed quia possem harum utilitatem viarum amittere, nisi peccare in lingua desisterem : unde apostolus Jacobus dicit : « Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, seducens cor suum, hujus vana est religio (*Jac.* I, 26) ; *Cum peccator const-*

www.libtool.com.cn

steret adversum me, non paratus rationabiliter contradicere : sed inverecunde et improbe veritati semper resistere, ne in litigium et garrulitatem ; et sic fortassis in blasphemiam devenirem, sicut multoties ante deveni. *Dixi*, id est in corde disposui : *custodiam* perfecte *vias meas*, sic *ut non delinquam in lingua mea*, contra eum peccatorem ne quidquam agendo, sanctum videlicet canibus dando, et margaritas ante porcos ponendo (*Matth.* VII, 6). Non enim fructuose vias custodirem, si in lingua delinquerem, garrule agendo. Unde Salomon : «In multiloquio non deerit peccatum (*Prov* X, 19). « Et non hoc solummodo *dixi*; sed et opere complevi, scilicet *posui ori meo custodiam*, id est custodivi os meum, ne loquendo peccarem, id est *obmutui*. *Et* non ex indignatione, sed *humiliatus sum* in hoc, id est ex humilitate hoc feci ; vel sic : *Et humiliatus sum*, id est cum obmutescerem humilis ab eis reputatus sum, et victus, neque valens resistere. Per hoc autem innuit quod non ex indignatione, sed ex humilitate debemus adversus peccatorem obmutescere : etsi in hoc victi videamur et viles, non est curandum, sed cum gaudio sustinendum. Et adeo *obmutui, quod et silui a bonis*. Quod est dicere : Non solum ab amaris, sed et a bonis verbis silui, timens me bene loquendo, et ei improbe resistendo in litigium iterum devenire ; vel sic : Non solum adversus peccatorem *obmutui*, sed *et silui a bonis*, id est ab instructione bonorum, ne peccator cum eis corporali præsentia manens audiendo resisteret, et verba mea in irritum duceret. *Et* quia vidi malum esse a bonis silere, *dolor meus renovatus est*. Quod est dicere : Qui prius de nimia loquacitate dolueram, de taciturnitate nimia rursus dolui, et inde contigit doloris renovatio, quia *concaluit cor meum*, id est inferbuit amare erga eos, quibus silebam. Qui calor erat *intra me* absconditus, cum verbis propalare non auderem. tunc cœpi meditari quod mihi facerem, videlicet an loquerer an tacerem. *Et in* illa *meditatione mea exardescet ignis*, id est cœpit magis et magis excrescere amor quem habebam, a similitudine ignis exardescentis,

Quoniam autem insufficiens sui disponere, quid mihi agendum esset, *locutus sum* orando Deum. *In lingua mea*, id est in tali lingua, quali soleo orando loqui, rationabili scilicet, et competenter orante, in lingua cordis scilicet, vel in lingua corporis. Sic videlicet locutus sum : *Notum fac mihi, Domine*, divinitus inspirando, *finem meum*, id est modum quem habere debeo in tacendo, et in loquendo. *Et* postquam illum notificaveris, etiam notum fac *numerum dierum meorum*, id est numerositatem dierum meorum æternorum, quos in futuro sum habiturus. Numerum ponit hic pro multiplicitate. Multiplices 123 enim res, numerosas dicere consuevimus. Non quod ibi dies multiplices sint futuri, sed quia dies illa sola et unica et æterna, multiplicitatem dierum nostrorum exsuperabit, Numerum dico *qui est*, id est revera existit, nunquam defecturus ; vel sic : Notum fac mihi numerum, qui revera est. *Numerum* dico, auctorem dierum *meorum* futurorum, Christum scilicet, per quem dies æternos habiturus sum. Qui bene numerus dicitur, eo quod ab eo, cum sit Patris sapientia, numerabilia cuncta consistunt : sicut etiam veritas dicitur, eo quod ab eo omnis veritas est : sive etiam quia incommutalis est : ad modum numeri, qui, licet in mutabilibus rebus consideretur, in se tamen incommutabilis est : ut tria et septem simul juncta, incommutabiliter decem faciunt, quod est ac si diceret : Da mihi subtilem intellectum illius numeri, ut considerem quantus sit, licet non perfecte : *ut* hoc considerando, *sciam*, id est intelligam, *quid*, id est quam magnum quid *desit mihi*, cum tanto bono caream, et sic magis et magis sæcularibus spretis, ad illum numerum intendam et suspirem.

Facta oratione, et certus de impetratione, se jam impetrasse enuntiat : ut si oraverimus ejus exemplo spem impetrationis nobis tribuat. Ego sic locutus sum orando. Et *ecce*, id est in præsentia mentis meæ *mensurabiles posuisti dies meos*, id est fecisti mihi divinitus inspirando cognoscere dies, quos hic habeo, non æternos esse, sed mensurabiles et transitorios. Et per hoc etiam innuit, quod et dies futuros ostendit ei æternos et immensurabiles. Unde namque videret hos esse mensurabiles, nisi comparatione illorum qui sunt immensurabiles ? *Et* etiam posuisti hic in consideratione mea quod *substantia*, id esse essentia *mea*, quam modo habeo, *tanquam nihilum* est *ante te* comparata, id est ad respectum illius substantiæ quæ futura est ante te, id est cum ero in præsentia tui in futuro : vel sic : Tanquam nihilum est ante te comparata, id est ad tui comparationem, ad cujus conformitatem attingendam suspiro ; vel sic : Tanquam nihilum est ante, id est reputatur in mente mea, quæ est ante te quam solus vides. Bene vero ponit, non nihilum, sed *tanquam nihilum*. Nihil enim non est : sed tanquam nihilum, id est defectibilis, adeo ut videatur fere redigi in nihilum moriendo, quatenus in hoc appareat quod ex nihilo a Deo facta sit. Omnia namque fecit Deus ex nihilo. Dico quod dies nostri mensurabiles sunt, et substantia nostra tanquam nihilum. *Verumtamen* licet hoc sit, *omnis vivens homo* non Deus, id est male vivendo confirmans se homini Adæ scilicet, qui humane se habuit et debiliter ; non autem suspirans et enitens : ut conformetur Deo bene se habendo, est *universa vanitas*, id est universæ vanitati subditus. Quod autem ponit *universa vanitas*, ad nimiam eorum redargutionem per emphasim facit : verumtamen quamvis vanitas sit, inexcusabilis est. Nam *pertransit* in vanitatem a certitudine veri boni, cui deberet inhærere. Ipse dico in imagine Dei degens, id est cum sit factus ad imaginem Dei : rationalis scilicet, ut sciat videre quid expetendum sit, ei quid non. Unde in Genesi legitur : « Fecit Deus hominem ad imaginem suam (*Gen.* I, 26) ; » vel sic : Verumtamen quamvis vani-

www.libtool.com.cn

tati subjectus sit, id est appetitui terrenorum quæ vana sunt, pertransit de vita ad mortem in imagine, vel pertransiit in ipsam vanitatem, degens *in imagine*, id est in similitudine imaginis vultus alicujus, quæ in speculo considerata, cito transit juxta illud beati Jacobi apostoli : «Consideravit se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit (*Jacob.* I, 24). » Per hoc autem multum eos a vanitate revocat, ac si diceret : Non ita deberet adhærere mundanis quæ vana sunt, cum sit transitorius sicut imago. Dico quod vanitas est, id est vanitati subjectus : et non solummodo pro se, sed et, id est etiam *frustra conturbatur*, id est sollicitatur in appetitu vanorum pro aliis. Et exponit quomodo, cum addit : *Thesaurizat* enim, *et* cum putet se filo vel 124 amico thesaurizare, sed *ignorat cui*, id est ad opus cujus *congregabit ea* Contingere namque potest quod vel hostis, vel servus unde non sperat, hæres ejus sit futurus ; *et nunc* id est quando quidem homo pertransiit in imagine, et mensurabiles sunt dies mei, *et substantia mea tanquam nihilum, quæ est exspectatio mea ? Nonne Dominus ?* Notandum quod *nunc* non est signum temporis, sed causæ ; quasi dicat : Dixi quod homo pertransiit in imagine. Et mensurabiles sunt dies mei, et substantia tanquam nihilum. Et nunc, id est et ideo, Dominus solus est exspectatio mea, id est illum solum, mundanis postpositis, exspecto.

Notandum vero, quoniam hoc ex lætitia nimia et ad nostram etiam exhortationem interrogative ponit. Et quia te exspecto, substantia mea, quæ quantum ap hunc statum, tanquam nihilum reputatur, apud te, id est in conformitate tui a me considerata est jam, id est videtur jam mihi verum esse habere. Quod est dicere : Cum considero quod futura sit in vero esse, cum erit apud te, id est in tui præsentia et conformitate, jam spe video quod in vero illo esse sit, et ut substantia mea apud te verum esse habere queat, *ab omnibus iniquitatibus* venialibus *erue me* indulgendo, quasi dicat ; Ego bene custodivi, ut in principio psalmi ostendi vias meas a criminalibus, sed tu indulge venialia. Et sic ab omnibus iniquitatibus ero liberatus. Aliter enim ad illud esse non attingerem, cum nihil sordidum in regno tuo futurum sit (*Apoc.* XXI, 27), et eruere debes. Nam *opprobrium insipienti dedisti me*, quod est dicere : cum sæcularibus contemptis, ad te solum spectem, ut expressius dicam, derisio sim et opprobrium insipienti populo, et hoc pro te. Unde Prosper : « Qui volunt pie vivere, necesse est ut patiantur opprobria ab impiis et dissimilibus. » Et cum eis opprobrium sim nihil amare respondi, sed *obmutui* : *et* sic quod nullo modo *aperui os meum*, ut gemendo vel modo aliquo murmurando signum mœroris, aut indignationis ostenderem. Orat etiam ut Deus plagas suas alleviet, ne si plus nimio graves fuerint, sub eorum pondere deficiat, et sic quod exspectat non attingat. Et hoc sic dicit : Non solum oro ut me ab iniquitatibus eruas, sed etiam oro, *amove a me plagas tuas*. Non ex toto amove, sed partim, quod est dicere : Allevia tribulationes quas ad purgandum me mihi intulisti. Et amovere debes *quoniam tu fecisti* jam me perfectum, et purgatum per ipsas plagas. Exponit autem hoc, cum subjungit : Vere tu fecisti me. *Ego* namque *defeci* jam a sordibus meis *in increpationibus*, id est per tribulationes quibus increpasti, et *corripuisti me* : increpationibus dico illatis *a fortitudine manus tuæ*, intransitive dictum, quod est dicere : Illatis a forti manu tua, id est a forti potentia tua, vel vindicta tua. Et increpationes istæ injustæ non fuerunt ; nam *propter iniquitatem* perpetratam, *corripuisti* his increpationibus *hominem me* scilicet, qui hominem vixeram non Deum. Quoniam vero dixerat, ego defeci, exponit in quo defecit sic : dico quia corripuisti, et corripiendo *fecisti tabescere*, id est deficere per ipsas increpationes, *animam meam* a sordibus delectationum suarum *sicut araneam*, id est ad modum arancæ, quæ per opera sua paulatim deficit. *Verumtamen* quamvis adeo perfectus sim, et mei exemplo possent alii deficere, et sic fieri perfecti. *Omnis homo*, id est hominem vivens adhuc *conturbatur vane*, id est sollicitatur in appetitu terrenorum, quæ vana sunt.

Ostensa defectione sua, sic ad orationem revertitur : Ergo quia sic fecisti me tabescere, *Exaudi, Domine, orationem meam* voce prolatam : *et deprecationem meam*, ex intensione cordis procedentem, *et percipe auribus* pietatis tuæ *lacrymas meas*. Vel sic : *ne sileas*, id est perfice quod postulo, *quoniam ego* existens jam spe *apud* te, id est in præsentia et conformitate tui *sum advena et peregrinus, sicut omnes patres mei* fuerunt, antecessores videlicet, quorum sanctitatis filius 125 existo, quasi dicat : Non filius hujus mundi, sed de alia regione sum, ad quam tendo, ad Hierusalem scilicet æternam. Peregrinus et advena idem est, sed ex affectione nimia sic inculcatur : ideo autem Patres advenas et peregrinos fuisse dicit, ut eorum saltem auctoritate nos ab hujusmodi peregrinatione abstrahat. Oro, exaudi, et in hoc exaudi : *Remitte mihi* peccata, *priusquam habeam* de hac vita, *ut*, illis remissis, *refrigerer* in futuro, id est in refrigerio quietis sim, qui hic jugiter tribulationibus propter te affligor. Et si non remiseris antequam abeam, *amplius non ero* in vero esse quod exspecto.

IN PSALMUM XXXIX.

Titulus tricesimi noni. *Psalmus* attribuendus *David in finem*, id est Christo existenti David, id est manu forti usque in finem, id est in perfectionem viriliter agendo contra diabolum, et devincendo eum, et bene complendo obedientiam sibi a patre injunctam. Intendit autem in hoc psalmo caput ostendere ad instructionem et conformitatem membrorum, quanta constantia Deum exspectaverit, et intense susceptorum se quod exspectaverit, ut et membra sui exemplo exspectent, ne denarium ante vesperum exigant, sed in fine, quod bene exspectabunt intense recipiant. Ostendit quoque se non so-

www.libtool.com.cn

lum exspectasse, sed et hoc orasse, et in hoc exauditum fuisse, subjungendo causam qua dignus sit exaudiri; demonstrat quoque se multos imitatores habiturum in exspectatione : ut etiam nobis innuat quod si exspectaverimus, multos in hoc imitatores habebimus. Indicat insuper quo ordine alii ejus imitatores efficientur, per mortem scilicet suam, et suorum prædicationem. Orat postea de resurrectione, ostendens ad quid necessaria sua sit resurrectio. Orat etiam pro inimicis et pro membris.

Exspectans exspectavi Dominum. Cum dicit exspectans, perseverantiam innuit exspectationis, quasi dicat : Non fastidivi, non murmuravi, sed exspectavi remunerationem. Exspectans, id est non deficiens, sed perseverans in exspectatione : *et* quia exspectavi, et adhuc exspectabo, *intendit mihi*, id est intense mihi dabit quod exspectavi, resuscitando me et glorificando. Hoc autem cum futurum esset ex certitudine nimia, quasi præteritum posuit. Non solum autem exspectavi, sed pro hoc quod exspectavi oravi : hoc extra librum cum sit, ex sequentibus habetur. *Et* quia oravi, *exaudivit preces meas*, et hoc accipiendium est future, quasi diceret : Orabo, et exaudiet me, *et* ut dignus essem exauditione, prius *eduxit me de lacu miseriæ*, id est de profunditate vitiorum, in quem alii miseri descendunt, non dixit eduxit, quod in eo fuissent iniqua, seb quia quantum ad debilitatem humanitatis, nisi gratia divinitatis obstitisset, posset contingere : quasi dicat, immunem me fecit a peccato. Bene vero peccatorum profunditas *lacus* dicitur, eo quod instabiles et fluxos faciat et insolidos, quemadmodum lacus instabilis fluxus et insolidus est. *Et eduxit me de luto fæcis.* Hoc autem idem est, quod et de lacu fæcis : sed aliud denotat, scilicet nimiam sorditatem et fetorem mali exempli, sicut lutum de fæce sordidius est et putridius alio luto. Nam qui in lacu miseriæ sunt, et fetidissimi existunt, et alios exempli mali fetore corrumpunt. Et non solum eduxit, sed *et statuit*, id est stabilivit *pedes meos*, id est affectiones meas *supra petram*, id est super firmitatem virtutum. *Et direxit gressus meos*, id est ipsas affectiones meas perseveranter de bono opere in bonum opus. *Et immisit in os meum*, in os cordis scilicet, *canticum novum*, scilicet *carmen*, id est laudem *Deo nostro* competens. In Hebræo habetur *hymnum*, Novum canticum dicit, suis voluntatibus Dei voluntatem præponere, quo vetus homo Adam et ejus membra caruerunt : qui suis voluntatibus obedire maluerunt. Istud autem novus homo Christus, et ejus conformes habuerunt. Notandum, prophetas aliosque fideles qui Christi adventum prævenerunt, 126 Christi membra fuisse, jam in fide et spe, licet nondum esset natus de Virgine : quod præfiguratum est per quemdam in Veteri Testamento, cujus manus in nativitate caput præcessit, Dico : Exspectavi, et ipse intendit. Et oravi, et exaudivit, et hæc *videbunt*, id est intelligent *multi*, sicut intelligendum est. *Et* videndo, exemplo mei *timebunt Dominum*, A timore casto, id est diligent *et* timendo *sperabunt in Domino* remunerationem. Et quia timebunt et sperabunt, *beatus vir* erit in futuro, *cujus* viri *Domini nomen est spes ejus*, id est qui spem salutis ponit in nomine Domini, quod diligit et magnificat. Quod autem ponit singulariter *vir*, cum pluraliter posuisset timebunt et sperabunt, ideo facit ut eos unum quid esse in spe et timore ostendat.

Quoniam autem hoc non sufficeret, addit : *Et* ille beatus vir *non respexit*, id est non retro aspiciet, *in vanitates et in insanias*, declinando. « Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens retrorsum, aptus est regno Dei (*Luc.* IX, 62). » Vanitates dicit appetitus terrenorum, quæ vana sunt. Insanias autem *falsas* dicit ipsa bona, quoniam homines insanire faciunt, dum eos a lege Dei deviant. B Falsa vero quod ipsa appetentibus beatitudinem promittendo fallunt ; vel insaniæ falsæ, idolorum cultus dicuntur. Quid enim fallacius quam creaturam dicere creatorem, aut quæ major insania quam cultum Deo debitum creturæ impendere ? Vel insaniæ falsæ vitia dicuntur, eo quod homines a Deo retrahendo insanire faciunt, et cum desiderabilia dixerim esse, non quantum ad sui naturam, sed videantur esse, fallunt. Dico quod non respiciet in vanitates, id est in terrena. Et quamvis ea vana quantum ad hominum reputationem, qui dicunt ea summa bona esse, cum non sint. Tamen, ne ipsa vituperare videar, dico *quod tu, Domine Deus meus,* C *fecisti multa mirabilia*, scilicet illa terrena, mirabilia existentia, dico tua esse : quod est dicere : Quæ creaturæ tuæ sunt, non creator, vel sic. Non respiciet in insanias, id est in idololatriam, nec est illuc respiciendum, sed in te, Domine, ut colaris. Nam tu, Domine, fecisti multa mirabilia tua ; quod est dicere : Multas fecisti mirabiles creaturas, per quas tu cum sis invisibilis, cognosceris esse Dominus et Creator, ideoque in tui cultum respiciendum est. Unde Apostolus : « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20). » *Et* ea mirabilia fecisti *cogitationibus*, id est dispositionibus, *tuis*, non alterius dispositionibus. Unde idem Apostolus : « Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius D ejus fuit ? » (*Rom.* XI, 34) Nullus scilicet : ergo quia fecisti multa mirabilia cogitationibus tuis, apparet quod *nullus est* qui *similis sit tibi* usquequaque, ut sit scilicet rerum creator, ideoque sicut tu debeat adorari. Quæreret aliquis : Dicis quod multi videbunt, etc. Per quid ergo videbunt ? hoc autem ostendit, cum addit. Per hoc videbunt, quod ego *annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum*, quod est dicere : Mei annuntiabunt eis et loquentur, et per hoc ipsi multiplicabuntur super numerum definitum, id est plures erunt quam numerari possint. Annuntiare et loqui diversa sunt, annuntiabunt scilicet testimonio prophetarum, qui futura locuti sunt.

Annuntiare namque proprie est de futuris, et lo-

www.libtool.com.cn

quentur auctoritate et rationibus suis : loqui vero de A
præteritis et præsentibus. Exponit autem quid annuntiabunt et loquentur, cum adjungit, hoc scilicet annuntiabunt, quod tu noluisti sacrificium legale et hostiam legalem. Multa namque in lege offerebantur, quæ sacrificia non dicebantur, ut panes, et cætera hujusmodi. Et dico quod *sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, id est scilicet intellectum perfectum dedisti mihi, quod est dicere : Et hoc annuntiabunt, quod tu perfectum intellectum dedisti mihi. Aures quidem ponuntur pro intellectu, quoniam auribus
127 audiendo intelligimus. Et hoc etiam quod tu *non postulasti*, et, id est etiam *holocaustum pro peccato* quod magnum esse reputabatur. Cum dicit, *non postulasti* intelligendum est per lyptotem *spreviste*. B
Lyptote quippe est, cum minus dicitur, et plus intelligitur. *Holo* vero *totum*, *causis* autem *combustio* sonat. Inde holocaustum sacrificium dicebatur, quod pro peccato aliquo factum, totum comburebatur. In aliis autem sacrificiis non totum, sed pars comburebatur. Dico quod hoc annuntiabunt, quia tu *perfecisti mihi aures*, et hoc etiam quod tunc *dixi* non voce sed corde, quod est dicere : Quandoquidem *perfecisti*, stabilivi mecum hoc. *Ecce venio*, id est paratus accedo passibus voluntatis, *ut faciam, Deus voluntatem tuam* illam scilicet singularem voluntatem, quæ antonomastice voluntas tua dicitur *et* etiam *faciam legem tuam*, id est compleam legem a te datam, quæ adhuc est imperfecta, ut idem in Evangelio testatur : « Non veni solvere legem, sed C
adimplere (*Matth.* v. 17). » Hoc autem scilicet *ut faciam voluntatem tuam et legem* extra librum supplebitur, ut melius continuatio procedat Et dignum est, *ut faciam voluntatem et legem tuam*. Nam scriptum est, id est ratum et firmum est jam diu, ad modum Scripturæ : *ut facerem voluntatem tuam et legem tuam*, existentem, *in medio cordis mei*, quod est dicere : Quam ego habeo non circa cor, ut parum de ea curem, sed *in medio cordis* memoriter teneo. Dico quod scriptum est, et ostendit ubi sit scriptum, scilicet *in capite libr.* I Psalterii ubi dicitur : « Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psalm.* I, 2). » Vel *in capite libri* I, in Verbi dispositione, mihi D
personaliter uniti, quod est caput meum secundum humanitatem qui sum liber.

Unde Paulus : « Caput mulieris vir, caput autem viri Christus, Christi vero Deus (I *Cor.* XI, 3). » Liber autem dicitur Christus, eo quod ad correctionem morum nostrorum in ejus vitæ exemplo studere debeamus, ceu quilibet in libro causa instructionis studet, unde alibi Psalmista ; « In libro tuo omnes scribentur (*Psal.* CXXXVIII, 16). » Quoniam autem dixerat : *In capite libri scriptum est*, ne videretur ex necessitate, et non ex voluntate complere, interponit *Deus meus* hoc *volui*, ego ut faciam, non ex necessitate cogor. Alioquin enim non magnum meritum meum esset.

Non autem annuntiabo tantummodo, quod *sacrificium noluisti*, etc. Sed etiam *annuntiavi*, id est annuntiabo per membra mea *in Ecclesia magna*, constituta ex utroque populo, non parva, sicut Synagoga significatum fuit, *justitiam* omnem esse *tuam*, id est ex te, non ex operibus legis, ut quidam male asserunt ; vel *justitiam tuam* id est a te fidelibus dandam, quam per Adam amiserunt. Dico, annuntiabunt. *Ecce* hoc est mihi quasi præsens, præ nimia certitudine, quod *non prohibebo labia mea*, id est mei non prohibebunt ab annuntiatione labia sua timore pœnæ. Et ideo non prohibebunt, *o Domine*, quia *tu scisti*, id est tu voluisti hoc, quod dicere : Quia scient te hoc velle. Unde in Evangelio :

Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri
(*Luc.* XXI, 9). » Et etiam *justitiam tuam non abscondi in corde meo*, id est justitiam a te fidelibus dandam, non abscondent, id est non celabunt mei negligenter in corde suo, nolendo eam aliis propalare. Sed *dixi*, id est dicent aliis *veritatem et salutare tuum*, id est prædicabunt me Filium tuum, qui sum dictus Veritas, eo quod a me veritas omnis procedat, et qui sum Salvator tuus, per quem mundum salvabis. Notandum autem quod cum dixisset *annuntiavi*, non superflue supposuit, *non prohibebo labia*, et *non abscondi misericordiam*, cum idem sit. Cum enim ponit *non prohibebo*, innuit quod timore mortis non tacebunt. Cum vero dicit *non* abscondent *in corde*, innuit quod negligentia non cessabunt. Imputaretur enim eis, si
negligentia cessarent, juxta illud prophetæ : « Si non annuntiaveris impio impietatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 18), » et *non abscondi*, id est mei non abscondant *misericordiam et veritatem tuam*, id est me filium tuum, emphatice dictum *misericordiam*, eo quod per me Deus humano
128 generi miserebitur, et veritatem, eo quod a me veritas omnis procedat. Notandum quoque, nec hoc superflue repetitum esse. Repetitum enim est ut sic addat : non abscondent, non dico a paucis, sed nec *concilio multo*. Unde superius psalmus : « Non timebo in meis millia populi, circumdantis me (*Psal.* III, 7), » id est meos. Potest hoc etiam esse diversum, sic : Dixi quod mei non abscondent *veritatem et salutare tuum*, me scilicet. Et
etiam *non abscondent a concilio multo misericordiam tuam*, id est remissionem peccatorum, quam misericorditer hominibus per me impendes. *Et veritatem*, id est justitiam *tuam*, per quam justos in futuro remunerabis, Cum autem ponit non abscondent *a consilio*, intelligendum est per lyptoten, prædicabunt concilio multo misericordiam et veritatem tuam. Summa vero sententiæ litteraturæ hujus ab illo loco, ubi positum est, *annuntiavi et locutus sum*, usque ad *tu autem, Domine*, hæc est : Per hoc *videbunt multi et timebunt et sperabunt in Domino*, quod mei annuntiabunt, et loquentur eis sacrificia et hostias legales, quæ Novi Testamenti umbræ præcesserunt, per mortem meam evacuata esse, ipsum

www.libtool.com.cn

que Novum Testamentum per eamdem mortem completum, cui amodo adhærendum est. Et etiam annuntiabunt me, existentem veritatem et salutare tuum. Annuntiabunt quoque misericordiam tuam, per me hominibus impensam, et veritatem, qua justos in futuro remunerabis ; quod est dicere : Per hanc prædicationem meorum, quæ dixi videbunt, et timebunt, et sperabunt.

Tu autem, Domine ut mei annuntient, et illi videant, *ne longe facias miserationes tuas*, id est beneficia misericordiæ tuæ, *a me*. Nam si *longe* faceres, mei non annuntiarent, nec multi viderent et timerent, quod est dicere : Beneficia quæ mihi misericorditer concessisti, scilicet quod me immunem a peccato fecisti, et me circumcinxisti, ne auferas a me, ducendo ea in irritum, non resuscitando me, id est ne permittas illa tanta beneficia inutilia esse ; quia si in morte detinerer, inutilia essent : et hoc est ac si diceret : Resuscita me, ut mei postea multis, quod superius ostendi, annuntient, et illi quibus annuntiabunt videant, timeant et sperent. Diceret aliquis : Fecit ne tecum miserationes ? Ad hoc autem sic respondet ita : Nam *misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me*, id est custodierunt, quod est dicere : Semper fuisti susceptor meus, id est patronus et defensor, ne in aliquo deficerem, et in omni bono abundarem. Et hoc propter misericordiam fecisti, ut per me mundum misericorditer salvares. Et propter veritatem, ut verus esses in hoc quod promiseras, vel propter veritatem, id est justitiam. Justum enim erat, ut me justum semper susciperes. Suscipere dicit, a similitudine patroni, qui aliquem suscipit ut sibi patrocinetur. Subjungit autem causas ut facilius impetret, quare non debeat longe facere miserationes, sic : dico *ne longe facias*, et necesse est ne hoc facias, *quoniam me*, id est meos, *circumdederunt*, id est circumvallaverunt, propter peccatum Adæ *mala* tribulationum diversarum, *quorum non est numerus* definitus, id est quæ non possunt numerari, a quibus malis nunquam liberarentur, si longe faceres, et ideo adhuc *ne longe facias*, quia *comprehenderunt me iniquitates meæ*, id est prævaluerunt meis iniquitates suæ, et devicerunt, et eos captos subjugaverunt, a similitudine illius, qui aliquem adeo persequitur, quod etiam devincit et comprehendit. Unde Apostolus : «Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati, quæ est in membris meis (*Rom.* VII, 23); » et adeo *comprehenderunt* meos, quod *non potui ut viderem*, id est non fuerunt potentes ut bene viderent, interiori scilicet visione cognoscerent, quid faciendum esset, et quid non, quæ iniquitates non sunt paucæ. Sed *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei*, id est meorum, quod est dicere : Excesserunt numerositate sua multiplicitatem capillorum meorum. Quoniam vero dixerat *comprehenderunt* meos *iniquitates* suæ, ne quilibet eos excusare volens, diceret eos sic debiles a Deo creatos esse, addit : Et hoc quod *comprehenderunt* eos, inde contingit *quia cor meum dereliquit me*, id est ratio cordis meorum, quæ perfecta creata est a Deo, dereliquit meos ex maxima parte, id est imperfecta est. 129

Notandum vero, quod sicut ratio in Adam perfecta creata, per ejus peccatum debilitata est, sic et in unoquoque anima perfecte rationalis creatur, quæ postea per ipsius carnis vitiosæ cui conjungitur oppressionem, debilitatur. Dixi quod meos *circumdederunt mala*, et *comprehenderunt iniquitates*, ut autem et a malis, et ab iniquitatibus eruantur. *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me*, a morte resuscitando. Alioquin enim ipsi non eruerentur ; et ut ego dignus sim erui. *Respice* misericorditer *ad adjuvandum me*, ab bene operandum, et ne deficiam. *Respice* dicit, a similitudine illius, qui illum quem adjuvare vult, sæpe respicit, quod dicitur : Adjuva me ad bene operandum. Cum dicit *complaceat*, denotat Trinitam. Cum autem dicit *tibi*, denotat essentiæ unitatem ; et postquam me eruerís, *confundantur* bona confusione, *et revereantur*, id est timeant *qui quærunt animam meam, ut auferant eam*, non ut imitentur : et non solum qui quærunt, sed et simul cum quærentibus *qui volunt mihi mala*, convertantur de nequitia sua, *retrorsum* post me incedentes, id est ut sint mei sequaces *et revereantur*, id est timeant, vel sic : Simul cum lætitia, qnam de morte mea habuerunt, *revereantur* in resurrectione, et sic *convertantur retrorsum*, præposterate hoc in loco ponitur. Multi vero fuerunt voluntatis malæ, qui non quæsierunt. Et illi quoque *qui* simulatorie *dicunt mihi : Euge, euge*, simulando se amicos meos *ferant confestim*, id est indilatate post resurrectionem meam, *confusionem suam*, id est ad sui utilitatem credentes. Bene vero ponit *ferant*, a similitudine illius, qui grave onus fert, a quo valde comprimitur, quod dicitur : Comprimantur a confusione sua, et sic *convertantur*. Et hoc est ac si diceret : Non solum oro pro aliis volentibus et quærentibus mala, qui non sunt amici mei simulatorii, sed pao simulatoriis, de quibus minus videretur.

Notandum autem quod non pro omnibus, sed pro salvandis tantum orat, inutiliter enim pro perdendis oraret. Dico quod inimici *confundantur et revereantur*. Ex opposito autem, *omnes quærentes te* bona vita sua, scilicet discipuli mei, *exsultentur et lætentur*. Præposteratio. *Lætentur* et non parum, sed *exsultent*, id est valde lætentur, super te fundati ne moveantur. Et ipsi quærentes te *qui diligunt salutare tuum*, id est me diligunt per quem mundum salvabis, non odio habent, ut impii Judæi, dicant vel interius vel exterius : *magnificetur semper Dominus*, id est glorificetur magis et magis in conversione impiorum, qui jam in resurrectione glorificatus est. Dico me esse salutare. *Ego autem*, id est etiam *mendicus sum et pauper*, o auditores, secundum humanitatem scilicet ; quod est dicere : Non solum salvator sum, sed etiam ut sic vos salvem, *pauper sum*,

www.libtool.com.cn

id est insufficiens ope me salvari; *et mendicus*, id est quærens opem alterius, Patris, scilicet, aliter enim non salvaremini. Et quia me humiliter mendicum et pauperem reputo, *Dominus sollicitus est mei*, id est, providit mihi ut remuneret, a similitudine patroni, qui illius quem remunerare intendit *sollicitus est*. Cum autem se, qui omnipotens est, mendicum et pauperem dicit, suæ nos exemplo humilitatis instruit, ne in nobis confidamus, sed nos mendicos et pauperes reputemus, et sic tandem remuneretur, sicut ipse remuneratus est. Orat quoque de remuneratione resurrectionis, ut et nos orare instruat, sic : O *Deus meus*, quandoquidem *sollicitus es mei, tu* qui *es adjutor*, id est cooperator meus, *ut resurgam*; et *protector*, ne in tribulationibus deficiam; ne tardaveris resurrectionem meam usque in communem resurrectionem, sed post tres dies resuscita. Cum ponit *adjutor*, innuit se meritis suis operari resurrectionem, ostendendo quod et eam gratia divina cooperabitur, ut et nos bene agendo salutem nostram operari instruamur.

IN PSALMUM XL.

Titulus quadragesimi. *Psalm. David*, id est Christi respicientis *in finem*, id est in futuram beatitudinem, quæ finis erit exspectationis justorum, vel in se finem prophetiæ et legis, qui etiam finis est totius 130 sanctitatis. Est quoque finis ad quem attingendum omnes boni nituntur. Quoniam autem se mendicum et pauperem dixerat, ne simpliciter secundum humanitatem consideratus solummodo mendicus et pauper intelligeretur, membra instruit ut aliud in se supra mendicum et pauperem intelligant, Deum scilicet : quod illi non intellexerunt qui eum morti dederunt Ostendit etiam duplicem utilitatem eos inde adepturos, hic scilicet et in futuro. Orat quoque pro eis, dicens se passione sua hæc promereri, ut pro eis exaudiatur, quam passionem partim ostendit. Orat insuper de resurrectione, ut sic inimicis quod merentur retribuat, et per hoc suos ab eorum conformitate deterret. Dicitque se exaudiendum, cum innocens sit, ut et nos si innocentes exstiterimus, exaudiendos esse innuat.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, quasi dicat : In psalmo superiori me mendicum et pauperem dixi. Quidam vero sunt qui me simpliciter hominem considerando, solummodo mendicum et pauperem intelligunt, Judæi scilicet, sed beatus erit ille qui intelligit aliud in me, quod est *super egenum et pauperem*, Deitatem videlicet, quæ dominatur humanitati, quæ mendica et pauper est. Ostendit autem partem beatitudinis, cum subjungit : *In die mala liberabit eum Dominus* a morte perpetua in die judicii, scilicet quæ dies dicitur mala, eo quod in malis damnatio tribuetur. Unde scriptum est : « Dies illa dies iræ (*Soph.* I, 15), » calamitatis et miseriæ. Ostendit quoque aliam partem beatitudinis, sic : in futuro *liberabit*; hic autem conservabit et vivificabit, et *beatum faciet in terra, et non* tradet *eum in animam*, id est in manus *inimi eorum ejus*.

A Hoc autem extra librum est, sed ex sequenti oratione percipitur. Dico : liberabit et conservabit, etc., et ita sit. *Dominus conservet eum et vivificet eum* : Præposterus ordo. *Dominus vivificet eum* interius in anima, restituendo virtutes quas per Adam amisit. *Et beatum faciet eum in terra*, quod est dicere : Faciat eum bene dominari et excolere terram, sensualitatem suam, scilicet ut bene exculta germinet fructum bonum, id est opera bona, non tribulos et spinas, id est peccata, sicut prius, quod præsignatum est per Adam, cui dictum est a Domino : « Terra tua tibi germinabit tribulos et spinas (*Gen.* III, 13). » Et sic postquam erit bene culta terra, *beatum faciet eum*, etiam in hoc mundo : *in terra*, id est in bonis fructibus terræ suæ. Et post *conservet eum* perseveranter, in vi-
B vificatione animæ, et in beatitudine terræ. Et in hoc modo scilicet *conservet*. *Non tradat eum in animam*, id est in voluntatem *inimicorum ejus*, quod est dicere : Et si tradat in manus, ut possint eum affligere, non tradat saltem in desiderium, ut eum possint aliquo modo a vivificatione animæ, et beatitudine terræ retrahere, quod est ac si dicat : Sic conservet, ut non possint eum inimici revocare, et etiam *Dominus opem ferat illi* in futuro, eruendo eum a mortalitate et passibilitate. Illi dico existenti *super lectum doloris ejus*, id est dominanti corpori suo, quod est lectus animæ, et lectus *doloris*, in quo hujusmodi dolores regnant. Bene vero ponitur lectus *doloris*, per similitudinem. Sicut cui lectus *doloris*
C dicitur, in quo aliquis infirmus cubat, nec in eo requiescere potest, sic et corpus in quo anima infirmata manet, nec in eo requiescere potest, sed multimode cruciatur, lectus *doloris* ejus dicitur. Exponit autem quomodo factum sit corpus lectus *doloris*.

Sic diceret aliquis : Qnomodo factum est corpus lectus *doloris ?* Respondet : O Domine, tu *versasti universum stratum ejus*, id est, tu commutasti totum stratum ejus, id est, commutasti lectum illum per omnes partes suas, faciens eum *lectum doloris*, cum esset lectus quietis, in quo anima quiesceret, nisi Adam peccaret ; a similitudine lecti, qui, cum sit bene compositus, sic ut in eo possit aliquis bene quiescere, versatur, et fit incompositus, ut jam in eo nequeat quies haberi. *Stratum* dico positum *in infir-*
D *mitate ejus*, quod est dicere, non injuste *versasti*, sed malo merito ejus; quia prius se posuit *in infirmitate* transgrediendo præceptum tuum in Adam : hanc autem apostropham facit ex 131 nimia affectione, quasi dicat : Tu, Domine, qui juste *stratum versasti*, et potens es reficere, clementer refice, ex strato doloris faciendo lectum quietis. Ego oravi : *Dominus conservet*, etc., et sic erit, nam hoc promeruit oratio mea. Ego enim, qui idoneus eram, et ad hoc veneram, ut pro eis orarem, dixi vel interius vel exterius : *Domine, miserere mei*, id est meorum, sic scilicet miserere : *Sana animam meam*, id est meorum, et inde sananda est, *quia peccavit*, id est peccaverit tibi, id est a te solo per remissionem sanandi, dico causans cur adjuvare debes.

www.libtool.com.cn

Nam ut sanes, hoc totum patiar, scilicet *inimici* A *mei dixerunt*, id est dicent, *mala mihi*, hoc scilicet : *quando morietur*, etc., quæ sequentur usque ad, *Tu autem, Domine*, vel hoc sic continuari potest : Dico quod *beatus* erit *qui intelligit super egenum et pauperem*, et merito, quia nolet non intelligere, cum multi non intelligentes sint, quorum malum exemplum posset eum revocare : *Inimici* namque *mei* Judæi *dixerunt*, id est, dicent mihi mala, id est incommodum meum non secundum rei veritatem, sed secundum eorum æstimationem, hæc mala scilicet dixerunt : *quando morietur* iste homo, et sic quod *peribit nomen ejus*, id est fama nominis, quæ tanta est; et hoc est ac si diceret : Occidamus eum, et detinendo in morte deleamus famam nominis ejus. Non solum autem hæc *mala* dicent, sed etiam *etsi*, id est B quamvis aliquis eorum *ingrediebatur*, id est ingrediatur familiaritatem, et præsentiam, et cohabitationem meam, non ingredietur bona intentione, sed solummodo *ut videret*, id est ut videat. Potest etiam *etsi* esse duæ partes, sic hæc mala dicent mihi : *et si* aliquis eorum dicentium *ingrediebatur*, id est ingrediatur familiaritatem et cohabitationem meam, ad hoc ingredietur *ut videret*, id est exploret si quid in me dignum reprehensione sit.

Et cum nihil videbit, *vana* tamen, id est falsa *loquebatur*, id est, loquetur de me, ut quidam dixisse leguntur : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI, 15); » et non solum vana loquetur, sed etiam *cor ejus congregavit iniquitatem*, id est C congregabit iniquas cogitationes de me, et *sibi*, id est ad damnationem sui. Et post *egrediebatur*, id est egredietur *foras* de familiaritate et cohabitatione mea; *et loquebatur*, id est loquetur, mala de me locutione tendente *in idipsum*, id est in perseverantia; quod est dicere : loquetur de me mala perseveranter, vel Loquetur de me *in idipsum* vanitatis tendendo, quod loquetur dum mecum erit; quod est dicere : Et mecum existens, et a me egressus, *vana* loqui non cessabit.

Et non solum iste *vana* de me loquetur, sed *et omnes inimici mei* Judæi, *adversum me* existentes, *susurrabant*, id est susurrando de me loquentur male, juxta illud : « Murmurabant Pharisæi, » etc. (*Luc.* XV, 2.) Et alibi : « Murmur multus erat de eo in plebe D (*Joan.* VII, 12). » Et non solum *susurrabant*, sed *et cogitabant*, id est cogitabunt *mala adversum me*. Et hoc mihi, id est ad exaltationem mei, juxta illud : « Oportebat pati Christum et resurgere, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 7) » Et non solum cogitabunt. sed *verbum iniquum constituerunt*, id est constituent *adversum me*, dicendo : « Reus est mortis (*Matth.* XXVI, 6). » Dico quod ipsi cogitabunt sic, et loquentur. Et cum hoc fecerint, *numquid quidormit*, id est dormiet in morte, *non adjiciet ut resurgat ?* Hoc autem ad eorum increpationem sic interrogative ponit, quasi diceret : Putat me non resurrecturum, sed illi qui voluntatem habet dormiendi (ego scilicet) huic voluntati, adjiciet quoque voluntatem resurgendi. Unde idem in Evangelio : « Ego ponam animam meam, et iterum sumo eam (*Joan.* X, 17). » Dixi quod *inimici mei* sic cogitabunt et loquentur adversum me, et hoc bene credibile est, quia majus quid et mirabilius mihi continget.

Etenim homo pacis meæ, id est Judas homo simpliciter non specialis, compos *pacis meæ*, id est erga quem pacem habeo, ferendo eum patienter, cum ipse mihi nimis adversetur, vel simulator *pacis meæ*, id est qui simulabit se mecum habere pacem, ut me osculo tradat, *qui edebat panes meos*, id est qui convictor meus est, 132 vel panes meos speciales, id est doctrinam qua pascuntur animæ fidelium, et sacramentum corporis et sanguinis mei, *super me* existens, id est superior pro reputatione sua, *magnificavit supplantationem*, id est magnam parabit mihi B deceptionem, ut osculo scilicet me tradat Non tamen deceptionem quantum ad me, sed quantum ad existimationem suam. Hoc autem non ponit ad suorum inimicorum excusationem, sed idem est ac si diceret : Ideo dignum est ut beatus sit qui intelligit, quoniam non removebuntur a bono intellectu suo malo, exemplo illius qui me tradet.

Dico quia *inimici* sic cogitabunt et loquentur adversum me, et *homo pacis meæ magnificabit super me supplantationem. Tu autem, Domine, miserere mei.* Et sic quidem *miserere. Resuscita me* scilicet, et resuscitatus *retribuam eis* quod promeruerunt, scilicet duplicem damnationem in corpore et in anima. Ora- C vi : miserere, quod vere facies; et in hoc *quoniam voluisti*, id est dilexisti *me* faciendo immunem a peccato, *cognovi quoniam non gaudebit inimicus meus* populus Judaicus *super me*, id est de me non resuscitato. Quod est dicere : Tua erga me dilectio est inde pignus et arrha, *inimicus non gaudebit.*

Me autem propter innocentiam suscepisti, id est scilicet *me*, quia innocens sum, suscipies, more medici ducendo de mortalitate ad immortalitatem : et post me existentem *in conspectu tuo*, id est in beneplacentia tua, vel *in conspectu* dixit ad similitudinem servi fidelis, qui semper *in conspectu* Domini existens, paratus est etiam ad nutum ei obedire, quod est dicere : Me semper paratum tibi obedire *confirmasti*, id est confirmabis *in æternum*, id est D in æterna gloria, ne ultra moriar, juxta illud : « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur (*Rom.* VI, 9), » etc. Facit autem apostropham ad auditores, adhortando eos ad Deum inde benedicendum, sic : Ergo, quia me suscipiet et confirmabimini, *Benedictus*, id est laudatus, sit *Dominus Deus* ab *Israel*, id est a videntibus Deum, *a sæculo*, hic incipiendo, *et usque in* futurum *sæculum* eundo : *fiat, fiat.* Hoc autem geminat, vel ad nimiam exhortationem, vel propter geminum Ecclesiæ parietem, ac si dicat : *fiat* hoc in Ecclesia de Judæis, et *fiat* in Ecclesia de gentibus.

IN PSALMUM XLI.

Psalmi Titulus XLI. *In finem intellectus filiis Chore*, Hic non ponitur *Chore* ad historiæ figuram, sed ad

www.libtool.com.cn

solam nominis interpretationem. Chore namque *Calvaria* interpretatur : quoniam autem in Calvariæ loco nominus noster passus est, hic pro ejus passione Chore ponitur. Notandum vero melius eum Chore (quod Calvariam sonat) propter similitudinem posuisse, quam si Golgotha posuisset, quod etiam unomen est loci in quo Christus passus est : quia sicut Chore contemporaneus David filios habuit carnales, sic et Christus, cujus passio per nomen Chore accipitur, filios habet spirituales, qui passionis et bonitatis ejus, in quantum eis possibile est, existunt imitatores. Exponitur autem sic titulus suprapositus. *Filiis Chore*, id est imitatoribus passionis Christi tendentibus *in finem*, id est in summum bonum. Per hoc quod sunt filii Chore, intellectus attribuendus est, id est dicendi sunt bene intelligentes cum se per Christi passionis imitationem intelligant in finem ad quem tendunt perventuros. Introducitur in hoc psalmo vox Ecclesiæ martyrum, in tribulationibus depressæ, et intelligentis se per tribulationes illas ad finem perventuram, ad quem in hoc psalmo valde suspirat, cujus quoque finis contuitu se de tribulationibus suis consolatur, unde etiam oraturam se dicit.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum pervenire, post consumptionem serpentis ; *ita desiderat anima mea ad te, Deus*, pervenire, postquam jam vitia in me consumpsi et destruxi. Ecce hic suspirat ad summum bonum tendendo ; bene vero ponit non aquas simpliciter, sed *fontes aquarum*, quod est dicere : Ad aquas indefectibiles, quæ semper fluunt, 133 et nunquam exsiccantur. Cervus enim serpente devorato, ad fontem vivum, cui aqua nullo tempore deficit, nimio ardore exæstuans properat, ejusque refrigeratione et potatione juvenis efficitur ; sic et fidelis quisque veneno vitiorum in se absorpto, ad fontem vitæ indeficientis Christum bonorum operum cursu, et patientia tribulationum assiduetendit ; ad quem cum carnis vetustate deposita pervenerit, ineffabili juventute per ipsius fontis refrigerium et inebriationem renovabitur. Unde in Apocalypsi : « Ecce nova facio omnia (*Apoc* XXI, 5) : » Ostendit autem propter quid ad Deum pervenire desideret, apostropham ad auditores faciendo, ut et eos hoc idem desiderare instruat, cum subdit : Dico, o auditores, quod *anima mea desiderat*, et non parvo desiderio : sed *sitivit anima mea*, et adhuc sitit, id est, tanto desiderio desideravit, quanto ille qui sitiens est, pervenire *ad Deum fortem* [*fontem*), id est impassibilem, cui nullus hostis prævalere potest, *vivum* indeficienter, juxta illud : « Vivo ego in æternum (*Isa.* XLIX, 18) ; » quasi diceret : Ideo *sitivi* ut per eum *vivum* et fortem vivus efficiar et fortis. Et ego qui sic sitivi et sitio, *quando veniam*, onere carnis deposito, *ante faciem*, id est præsentiam Dei, qui dum in hac sum peregrinatione, elongatus videor. Et postquam venero, apparebo inimicis vivus et fortis, qui hic existens debilis in carne, et assidue mortis periculo subjacens, nec etiam ali-

A quid esse videor ? Hoc autem ex nimio desiderio interrogative ponit.

Quæreret aliquis : Quare adeo venire suspiras ? Ad hoc ergo sic respondet : Ideo suspiro dicendo, quando veniam et apparebo, quia in tribulationibus posita sum, a quibus erui vellem. *Fuerunt* enim *mihi* et sunt *lacrymæ*, id est miseriæ, quæ sunt causæ lacrymarum, *panes*, id est assiduæ ad modum panis, qui cibus assiduus et quotidianus est. Exponit autem in qua significatione ponat panes, cum addit, *die ac nocte*, scilicet fuerunt, id est assidue : *dum*, id est quandoquidem *dicitur mihi* ab inimicis *quotidie*, id est jugiter, et verbis et ipsis tribulationibus quas inferunt : *Ubi est Deus tuus*, qui te non liberat a manibus nostris ? Nusquam. Vel sic : Ubi est Deus B tuus, quem digito nequis ostendere, sicut nos solem et lunam, et cæteros deos quos colimus ? Nusquam. Dico quod fuerunt mihi lacrymæ. Et quia dicunt : Ubi est Deus tuus ? Hæc tamen, id est lacrymas, et hoc quod dicitur Ubi est Deus tuus ? *Recordatus sum*, id est sæpe consideravi. *Et* ideo *effudi animam* : et non extra me ; sed in me diffudi, id est dilatavi animam meam in lætitia. Unde Augustinus : « Lætitia, animi diffusio. Tristitia, animi contractio. Cupiditas, animi progressio. Timor, animi fuga. » Et ideo effudi animam, *quoniam* per hæc quæ patienter fero, *transibo* de hac convalle lacrymarum, *usque ad domum Dei*, scilicet Hierusalem cœlestem, quæ non est transitoria ut tabernaculum : sed per- C manens ad modum domus : de qua apostolus Paulus ad Corinthios : « Ædificationem ex Deo habemus domum Dei, non manufactam, æternam in cœlis (*II Cor.* V, 1). » Dico quod transibo usque ad domum Dei : Ego dico qui transivi *in locum*, id est in opportunitatem *tabernaculi admirabilis*, Ecclesiæ scilicet, quæ est Dei tabernaculum admirabile, in quo Deo a fidelibus militatur. Quod est dicered. Transivi ab idololatria et appetitu mundanorum ad hoc ut sim filius Ecclesiæ, per quam deveniam ad domum Dei. Bene quidem ponit, in locum tabernaculi, id est in opportunitatem. Quod est dicere : in opportunum tabernaculum : Hic enim tabernaculum opportunum est, ut per illud perveniatur ad domum. Cum autem tabernaculum, quod transitorium est, D admirabile dicit : propter excellentiam fidelium qui in eo militant, innuit domum quæ æterna futura est, multo magis admirabilem. Dico quod transibu usque ad domum Dei existendo tunc *in voce*, id est in manifestatione *exsultationis et confessionis* id est laudis. Vocem vero ponit pro manifestatione, quia per eam cogitationes manifestantur. Quod est dicere : 134 Cum transibo, manifeste exsultabo in eo, et confitebor ei, id est laudabo eum. « Nunc enim videmus quasi per speculum, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12), » Subjungit vero causam vocis exsultationis et confessionis, sic : Dico in voce exsultationis et confessionis. Et *sonus* iste, id est vox est sonus, id est manifestatio exsultationis et confessionis meæ *epulantis*. Quod est dicere : Ideo

www.libtool.com.cn

exsultabo manifeste et confitebor, quia epulabor, non in terrenis epulis, sed in æterna beatitudine, quæ mihi erit epulum. Unde alibi Psalmista : « Justi epulentur in lætitia (*Psal.* LXXVI, 4). » Sonus etiam quia sicut et vox res manifesta est, pro manifestatione similiter ponitur. Vel sic : Fuerunt mihi continue.

Et exponit : Dico quando veniam ante faciem Dei. Et certa sum quia veniam. Fuerunt enim mihi lacrymæ meæ die ac nocte, id est jugiter. Quod est dicere : Miserias pro eo jugiter sustinui : dum dicitur mihi quotidie. Ubi est Deus tuus? Lacrymæ dico existentes panes animæ meæ. Ac si dicat : A quibus anima reficitur et confortatur, dum a sordibus per eas expiatur : etsi caro inde crucietur. Et quamvis mihi lacrymæ essent die ac nocte, tantum hæc quæ ego dicam, recordatus sum qui aliquando per tribulationes oblitus fueram, scilicet quoniam per lacrymas transibo usque ad domum Dei, existens in voce exsultationis, quæ vox erit sonus meus epulantis. Ego dico qui jam transivi in locum tabernaculi admirabilis. Et quia transibo ad domum, et jam transivi in locum tabernaculi, effudi in me animam meam. Ergo quia per tribulationes transibo : *Quare tristis es, anima mea*, in tribulationibus ? *Et quare conturbas me*, id est reddis me turbatam pro tristitia tua ? Hoc autem ex affectione nimia ponit sub interrogatione : Quasi diceret : Desine tristis esse, et conturbare me. *Et spera*, id est spem pone *in Deo : quoniam adhuc* futurum est quod *confitebor illi*, id est laudabo illum perfecta laude, in beatudine constituta. Vel sic. Quoniam adhuc sperando usque in finem vitæ, confitebor illi. Ac si dicat : Quoniam si perseveranter speravero, laudabo eum perfecte, aliter vero non confiterer. Et sperandum est in eo : Quoniam *salutare*, id est salvator, est *mei vultus* existens, id est meæ similitudinis, scilicet homo sicut ego. Ideoque mei miserebitur qui ejusdem naturæ sum. *Et Deus meus* est, id est Creator meus. Vultus pro similitudine ponitur quoniam in vultu præcipue solet hominum similitudo denotari. Dico, o auditores, quare tristis est anima ? Et quia tristis est, *conturbata est* indignatione *anima mea ad meipsum*, id est indignata est anima mea adversum semetipsam : quia unde non oportuit tristari, de tribulationibus scilicet, tristis facta est. In hoc autem innuit, quia similiter adversum nos indignari debemus: si contigerit aliquando pro tribulatione tristitia, et sic a tristitia recedere. Dixi quod transibo usque ad domum Dei Et *propterea* quia de hoc certa sum, *memor ero tui* ad te semper tendens. Non amodo oblivioni te tradens. Quæ memoria continget *de terra Jordanis* : de me scilicet, quia facta sum a te terra Jordanis, id est terra irrigua et fertilis per Jordanem, id est, per baptisma, quæ prius eram terra sterilis ab opere bono per peccatorum ariditatem. Jordanis, quia in eo Dominus baptizatus est, pro baptismo ponitur : *Et* illa memoria procedet de *Hermoniim*, id est, de me, quia facta sum per confessionem Hermon, id est anathematizans peccata mea. Et procedet *a monte modico*, id est de me : quia fecisti me montem, id est in virtutibus excelsum, ad modum montis. Et modicum tamen, id est humilem, non de virtutibus superbientem, *de* et *a* causative hic ponuntur. Quod est ac si dicat : Ideo tui memor ero, quia me fecisti terram Jordanis et Hermoniium, et montem modicum. Et adhuc memor ero tui, propter abyssum, id est profunditatem meam, id est propter multitudinem tribulationum mearum. Et hoc extra librum suppletur.

Diceret aliquis : Quare propter abyssum memor eris? Respondet. *Abyssus* enim hæc, id est profunditas tribulationum *invocat*, 135 id est in mente mea vocat per considerationem *abyssum*, id est profunditatem damnationis futuræ, quæ æterna erit. Quod est dicere : Cum video me hic a te permitti tribulationibus affligi, quia per peccata te oblivioni tradidi, considero quod gravius in futuro damnabor, si perseveranter oblivioni te tradidero, et sic per ipsas tribulationes tui memor ero : *Invocat* dicit a similitudine alicujus, qui aliquem separatum ab aliquo vocat, ut illi præsens per vocationem suam fiat : *Invocat*, id est in mente vocat. Et *invocat in voce cataractarum tuarum*, id est in aperta attestatione prophetarum tuorum, qui testati sunt abyssum illam futuram. Ac si dicat : Per hoc *invocat*, quia videt prophetas hæc testatos esse. Vox vero, sicut superius, pro manifestatione ponitur. Cataractæ dicuntur prophetæ, eo quod per eos in humanum genus aqua doctrinæ descendit ; sicut per cataractas aquæ pluviarum in terram defluunt. Cataractæ namque dicuntur proprie viæ per quas aquæ pluviarum in terram defluunt. Unde in Genesi legitur : « Cataractæ cœli apertæ sunt (*Gen.* VII, 11). »

Diceret aliquis : Estne abyssus in te? Respondetur a Patribus, ita : *Omnia* enim *excelsa tua*, id est, magnæ tribulationes, a dispositione tua illatæ ; *et fluctus tui*, id est minores tribulationes, *transierunt*, id est venerunt sicut transirent, *super me*, ut opprimerent me. Cum dicit *transierunt*, innuit quod sic venerunt ut transirent, ut instruat eas non esse timendas, cum sint transitoriæ. *Fluctus* dicuntur tribulationes, eo quod opprimunt carnem, sicut fluctus opprimunt navem Quæ excelsa et quos fluctus nobis *in die*, id est in prosperitate, constitutis *mandavit Dominus*, per scripturas doctorum, esse *misericordiam suam*, id est per misericordiam Dei nobis inferri, ut, per eas purgati, non in futuro damnemur, juxta illud Augustini : « Misericorditer adhibet temporalem severitatem, ne juste inferat æternam ultionem. » Bene dicit quidem *in die*, id est in prosperitate, *mandavit*, quia tunc fidelibus studio Scripturarum vacare licet, cum a tribulationibus quiescunt. *Et* mandavit per easdem Scripturas, in *nocte*, id est in adversitate habendum esse *canticum ejus*, id est jucunditatem in eo, juxta illud Evangelii : « Gaudete et exsultate cum vos oderint homines, et exprobraverint vos, et ejecerint nomen vostrum

www.libtool.com.cn

tanquam malum propter Filium hominis: Merces enim vestra multa est in cœlo (*Luc.* VI, 22). » Diem, quia clarus est, pro prosperitate ponit; noctem autem, quia obscura, pro adversitate. Quoniam autem mandavit tribulationes esse misericordiam, et in nocte habendum esse canticum, *apud me*, id est in corde meo erit *oratio* facienda *Deo*, opifici *vitæ meæ*, id est orabo intra me Deum auctorem vitæ meæ, scilicet *dicam* interius Deo: O Deus, tu *susceptor*, id est medicus et patronus *meus es*.

Quare ergo *oblitus es mei*, id est videris esse oblitus mei? Exponit autem in quo videtur oblitus, sic scilicet: *quare contristatus incedo*, id est quare permittis me constristatum incedere viam vitæ hujus, *dum*, hoc est quod, *affligit me inimicus* tribulando? Et *dum*, hoc est quod. *confringuntur ossa mea*, id est debilitantur fortitudines patientiæ meæ, cum ægre feram tribulationes, de quibus non esset tristandum. Ossa pluraliter ponit quantum ad plures fideles Ecclesiæ. Et quare contristatus incedo, dum inimici mei, qui me tribulant, *exprobraverunt mihi*, id est probra mihi intulerunt, dicentes me stultam et insanam esse, quæ amitto bona præsentia, et promitto mihi invisibilia ac futura? Et *dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus*, qui te non liberat et quem ostendere nequis? Hanc autem orationem ex ingenti desiderio sic interrogative ponit. Et est hoc totum ac si poneret: Noli sic mei oblitus esse, ut de afflictionibus quas pro te patior constrister, et ut confringantur ossa mea, et ut tristis sim de probris ab inimicis pro te illatis. Facit autem apostropham ad se consolando animam suam de tristitia sua, sic: Dico *quod Deus est susceptor meus*. Ergo *quare tristis es* 136 *anima mea? et quare conturbas me?* Noli contristari et conturbare me. Sed *spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus*. Hoc autem hic, ut superius exponitur.

Notandum autem, hoc quamvis superius positum sit, hic etiam non superflue poni, cum ad aliud ponatur, hoc etiam ex affectione nimia sic ingeminat. Quod enim multum desiderat, semel dixisse non sufficit.

IN PSALMUM XLII.

Titulus quadragesimi secundi. *Psalmus David*, id est Ecclesiæ martyrum. Superius videtur egisse Ecclesia martyrum, suspirans in tribulationibus, illatis ab inimicis qui extra Ecclesiam sunt: qui etiam dixerunt bis: « Ubi est Deus tuus? » (*Psal.* XLI. 11.) Hic autem Ecclesia martyrum agit in tribulationibus falsorum fidelium posita, orans ut Dei judicio causa sua a causa ipsorum discernatur, scilicet ut tunc manifestetur, quæ potior sit, quod nunc a multis ignoratur. Orat etiam ut ab eorum consortio eruatur post corporis dissolutionem, quæ modo multa patitur per eorumdem infidelium, cui præsentia corporum conjuncta est, iniquitatem et dolositatem. Consolatur quoque se de tribulationibus suis, nullam inde habendam esse tristitiam ostendens

A *Judica me, Deus*, quasi dicat: Non reformido judicium tuum, ut impii, sed oro, *judica me* sicut judicare debes. *Et* hoc modo *judica*, scilicet *discerne* in futuro *causam meam*, id est negotium meum *de gente non sancta*, id est de causa falsorum Christianorum, qui se sanctos esse simulant et non sunt; ut cum nunc multis incertum sit, qui melius negotium habent et meritum in futuro, reveletur per tui, justi judicis, judicium, cum nos propter meritum nostrum salvabimur, ipsi vero propter suum damnabuntur. Prius autem quam ad judicium illud perveniatur, *erue me* per corporis dissolutionem, *ab homine iniquo*, id est ab iniquorum hominum consortio, falsorum videlicet Christianorum, qui apertam mihi inferunt verbis vel factis persecutionem,

B ut Arius, et cæteri falsi fideles et hæretici, qui fideles veros omnimode persecuti sunt. *Et* erue me a *doloso* homine, id est a dolorosum consortio: falsorum videlicet Christianorum et hæreticorum, qui dolosam mihi et latentem inferunt persecutionem. *Homine* dicit singulariter, quia unum quid in malitia sunt; dignum est autem ut judices et eruas, *quoniam tu es fortitudo mea*, id est fortis sum per te ne deficiam in tribulationibus, etsi, quia de eis contristor, minus videar esse perfectus. Prætentio meriti. *Quare* ergo cum me sic jam fortem fecisti, *me repulisti*, id est visus es a gratia repulisse? scilicet *quare tristis incedo*, id est diu maneo incedendo de tristitia in tristitiam? *dum*, hoc est quod, *affligit*

C *me inimicus* omnimoda afflictione. Quod est dicere: Cum jam per fortitudinem, quam a te habeo non repelli promeruerim, noli repellere sic ut de tribulationibus quibus ab inimicis pro te affligor, dimittas me tristem incedere. Dico: *judica me*. Et etiam judicando *emitte* in me, id est manifeste mitte in me, ut plenius cognoscam, *lucem tuam*, id est sapientiam tuam, quæ dicitur lux tua, eo quod humanam naturam sibi personaliter unitam illuminet, et postea omnia ejus membra, juxta illud: « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » *Et* emitte *veritatem tuam*, id est manifeste mitte in me veritatem tuam, id est humanam naturam, ut fiam ei conformis in impassibilitate et in immortalitate. Dicitur autem

D ideo humana natura veritas, quod cum impassibilis sit et immortalis, penitus incommutabilis est. Unde scriptum est: « Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I. 17). » Bene vero ponit *emitte*, quasi diceret: Jam in me misisti lucem tuam, id est cognitionem et perspicacitatem lucis tuæ; sed obscura est et quasi per speculum. Et veritatem in me misisti, ut aliquantulum ei sim conformis in virtutibus. 137 Sed in futuro *emitte*, id est ex te in me mitte: ut, quæ in te abscondita est, in me plenarie fiat, in quantum possibile est, scilicet ut lucem illam plenarie cognoscam: in quantum mihi possibile est cognoscere, qui nunc cognosco ex parte. Et qui conformis plenarie non sum veritati tuæ, plenarie, in quantum possibile est,

habeam in me conformitatem veritatis, ut impassibilis existens et immortalis penitus incommutabilis existam.

Et dignum est ut emittas lucem et veritatem in futuro. *Ipsa* enim lux et veritas *me deduxerunt et adduxerunt*. Præposteratum est: ipsa me adduxerunt, id est Christus, qui lux est secundum divinitatem, et veritas secundum humanitatem, me adduxit de convalle erroris *in montem sanctum tuum*. Exponit autem in quem montem, cum subjungit *et in tabernacula tua*: Dico *in* illum *montem* in quo sunt perfecti militantes tibi, scilicet in altitudinem virtutum, per quam dimicant contra vitia. Et postquam lux et veritas *adduxerunt me*: *deduxerunt* quoque de bono in melius, et persevare fecerunt in ipso monte. Hoc vero quod oravit, *emitte*, etc., ex certitudine quam habet promittit se adepturum, ut et nos ad orandum invitet exemplo sui, ut similiter adipiscamur. Dico quod *me adduxerunt et deduxerunt*. *Et* per hoc quod jam adductus sum: *introibo* in futuro, id est admittar *ad altare Dei*, id est ad intuitum et conformitatem Dominici hominis: quod *altare* Dei dicitur, eo quod in eo, id est in ejus fide sacrificia omnia Deo a fidelibus offeruntur. Alioquin autem inutilia essent. Et per ipsum *altare*, id est per conformitatem et contuitum ejus introibo *ad Deum*, id est ad cognitionem et subtilem contemplationem divinitatis. Deum dico, *qui lætificat*, id est lætificabit tunc *juventutem meam*, id est qui me juvenem facit et novum, carnis sordida vetustate deposita, vel *lætificat* jam spe *juventutem meam*, id est me juvenem futurum.

Cum dicit *introibo*, innuit rem secretam, et adhuc nobis incognitam esse: introire enim in secreta dicimur. Dico quod tunc *introibo*: Et ut introire merear, hic interim, o *Deus*, qui es communiter omnium *Deus* et creator, et *Deus meus* præ infidelibus, cui obedio scilicet, *confitebor tibi*, id est laudabo te *in cithara*, id est in mortificatione carnis, quando pro te a tribulationibus illatis mortificabitur. Tu vero, *anima mea*, quandoquidem per tribulationes introiturus sum, *quare tristis es* in tribulationibus? *Et quare* per tristitiam *conturbas me*? Noli contristari et conturbare me: sed *spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei et Deus meus*. Hoc autem ut in superiori Psalmo exponitur.

IN PSALMUM XLIII.

Psalmi hujus quadragesimi tertii titulus idem est qui Psalmi quadragesimi primi. *In finem intellectus*, aut *ad intellectum filiis Chore*. Et exponetur ut illic. Est enim vox Ecclesiæ præcipue martyrum imitantium Christi passionem quæ per Chore significatur; et precantium per Christum liberari ab inimicis, præsertim in die judicii. Unde dicunt:

Deus, auribus nostris audivimus. Bene ponit *auribus nostris*. Quasi dicat: Non per somnia audivimus, neque per cogitationes, sed *auribus nostris*, id est certissime *andivimus*: Et non *audivimus* a qualibuscunque recitatoribus; Sed *patres nostri*, viri auctoritate præstantes, per scripta sua *narraverunt nobis*. Et non tale quid narraverunt, quod ignorarent: sed *opus quod operatus es in diebus eorum*, quod ipsi oculis viderunt. Ne vero putaretur *opus* illud *operatus* fuisse *in diebus* non antiquorum Patrum, addit. *Et*, id est scilicet, *in diebus antiquis operatus es opus* istud. Bene vero apponit *opus*, ut innuat hoc magnum quid fuisse quod cum eis fecit Deus. Illud enim quod magnum est, *opus* et negotium vocare consuevimus. Exponit autem quod *opus*, cum adjungit: hoc scilicet quod *manus tua*, id est potentia tua, *gentes disperdidit*: Gebusæos scilicet et Amorrheos, et Pheresæos, 38 et cæteras gentes de terra promissionis: *et* illis gentibus dispersis, in loco illarum *plantasti eos* patres. Cum dicit, *plantasti*, innuit, sic ibi eos posuit, ut multiplicarentur et crescerent, non ut statim inde discederent: a similitudine herbæ vel arboris, quæ alicubi plantatur ut ibi crescat.

Quoniam autem dixerat: *disperdidit*, ne crederentur ignavia, metus, aut negligentia terræ dispersæ, ad augmentationem potentiæ Dei, et ut major sit quæstio, ipsas *gentes* afflictione dicit expulsas, sic; dico: *Manus tua gentes disperdidit*. Sic scilicet: *Afflixisti populos* bellis et aliis multis cladibus: et sic *expulisti eos* de terra promissionis: Gens et populus, hic idem significant. Quod est dicere: Multimoda afflictione *expulisti* populos illos. Diceret aliquis: Quare dicis quod Dei manus gentes *disperdidit* et *afflixit*? Nonne ipsi patres bellis eas afflixerunt, et sic terram sibi acquisierunt? Ad hoc autem sequitur remotio sic: Vere *manus tua disperdidit*. *Non enim* ipsi patres possederunt terram promissionis *in gladio suo*, id est per gladium suum: *et brachium suum*, id est fortitudo sua, *non salvavit eos* ab ipsarum gentium bellis et insidiis: *sed dextera tua*, id est prosperitas victoriæ per te datæ; *et brachium tuum*, id est fortitudo tua; *et illuminatio vultus tui*, id est lucidum consilium sapientiæ tuæ vel gratiæ tuæ, salvaverunt eos. Vultus hic pro gratia ponitur, quia in vultu sæpe gratia cujuslibet potest denotari: Sive Dei sapientia, id est Dei filius, *vultus* Dei *illuminatio* dicitur, eo quod per ejus visibilem humanitatem mundo Patris invisibilis Deitas innotuit, sicut in vultu sæpe cordis secreta dignoscuntur.

Et propter eorum merita non eos salvasti: sed *quoniam complacuisti* tibi *in eis*, id est, complacuit tibi in eis salvandis. Quod est dicere: Solo placito misericordiæ eos salvasti. Vel sic: Vere *dextera tua et brachium et illuminatio* in eorum salute operatæ sunt. Et adeo manifeste, quod per hoc *complacuisti* aliis gentibus in eis salvatis, id est, in eorum patrum salvatione. Quod est dicere: Aliis quoque gentibus videntibus te eorum salutem operari placuit, ut te verum Deum esse cognoscerent, ut quidam dixisse leguntur: « Non est alius Deus, præter Dominum Deum Israel (*Dan.* III, 17), » Dixi quod patres sic salvasti. *Tu es ipse* qui eos salvasti, *rex meus et Deus*

meus, id est te reputo regem meum et Deum meum, et non alium. *Qui* non solum *mandasti salutes* patribus per prophetas, sed etiam *mandas* per Scripturas salutes *Jacob*, id est nobis, qui sumus luctatores et vitiorum supplantatores. Has scilicet salutes *mandas*, quod *in te cornu*, id est per te expulsorem *ventilabimus*, id est separabimus a nobis *inimicos nostros*, infideles scilicet, cum sedebimus super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). Vel *ventilabimus*, id est causa erimus meritis nostris, quare a nobis ventilantur, id est separentur, a similitudine palearum, quæ a granis cornibus furcæ separatæ ventilantur, id est a vento rapiuntur. Sic et infideles in futuro a nobis separarati, ab impetu malignorum spirituum rapientur.

Et hoc mandas, quod non confidentes *in nomine tuo*, id est in honore nominis quod glorificamus Vel confidentes *in nomine tuo*, *in* hoc *nomine* scilicet quod est misericors, *spernemus*, nullo modo timendo, *insurgentes in nobis*, id est diabolos *insurgentes* adversum nos. Et non exterius, sed *in nobis*, id est in interiori nostro : in anima scilicet malas cogitationes suggerendo In alia translatione habetur *insurgentes in nos*. Et secundum hoc possunt intelligi vel exteriores inimici, vel interiores. Diceret aliquis : Dicitis quod per Deum ventilabilis inimicos et spernetis : Nonne per vos poteritis spernere, confidendo in fortitudine vestra? hoc autem removet sic. Vere per eum spernemus. *Non enim sperabo in arcu meo, et non salvabit me gladius meus.* Quod est dicere : Non putabimus nos posse salvari per arcum et gladium nostrum. Per arcum denotatur occulta defensio, quæ consilio fit et astutia, ad modum 139 arcus, qui in occulto percutiendo hostem, percussorem ab hoste defendit. Per gladium vero, quo pugnatur cominus et aperte, defensio aperta designatur. Vel, per arcum, minores virtutes quæ occultæ sunt ; per gladium autem, majores quæ abscondi nequeunt, præ sui magnitudine, intelliguntur, per quas adversum hostes et exteriores et interiores, fideles prælianlur. Quod est dicere : Nunquam vel per arcum vel per gladium meum putabo me liberari posse, nisi misericordia tua cooperante. Et merito *non sperabo in arcu* et gladio, sed *in te* : *salvasti enim*, id est salvabis, *nos* sicut mandas *de affligentibus nos*, et exterius et interius. *Et odientes nos confudisti*, id est confundes, exteriores scilicet destruendo, interioresque invictoriosos reddendo. Et hos mandas quod *tota die*, id est jugiter, *laudabimur* ab ipsis inimicis exteroribus : *in Deo* existentes, id est in participatione beatitudinis Dei. Qui etiam inimici dicent : « Nos insensati eorum vitam æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei ? » (*Sap.* III, 4.) Et hoc mandas, quod *confitebimur tibi in sæculum*, id est laudabimus te in æternum.

Has vero salutes sic proponit Deum mandasse, quasi in præsenti sæculo compleri deberent. Quæ non complebuntur, ut magis eos attrahat : sed ideo non determinat quando complebuntur, ut magis eos ad hoc investigandum instiget : Dixi quod patres nostros *plantasti* et *salvasti*, et eorum inimicos *afflixisti* et *expulisti*, et nobis has salutes mandas. *Nunc autem*, id est in tempore plenitudinis *repulisti et confudisti nos*, et adeo quod *non egredieris, Deus, in virtutibus nostris*, id est in exercitibus nostris. Quod est dicere : Adeo *confudisti et repulisti*, quod non ultra poterimus contra hostes congregare exercitus, in quibus egrediaris ad auxilium per ministerium angelorum, sicut apud patres antiquos fuit. Legitur enim sæpe quando cum hostibus dimicare pararentur, auxiliatores angelos cum eis ad prælium processisse. Et hoc modo per ministros suos dicebatur Deus egredi in exercitibus eorum ad auxilium. Exercitus autem, bene virtutes dicuntur, eo quod in eis constet virtus principum præliandi. Exponit vero per partes sic : Quomodo Deus eos repulit : Dico *repulisti nos* sic : scilicet *repulisti. Avertisti nos retrorsum*, id est permisisti quosdam averti a sanctitate nostra impetu tribulationum, et *retrorsum* ire, scilicet *post inimicos nostros*, ut cedendo timore pœnæ sequamur inimicorum exemplum, et eis conformemur. Et ne putaret aliquis quod omnes essent aversi *retrorsum*, determinat, cum subjungit : *Et* sic dico *avertisti*, quod illi *qui oderunt nos*, inimici scilicet ; *diripiebant sibi*, id est ad suam conformitatem quosdam ex nobis, quasi dicat : Non omnes avertebant sed partem ; a similitudine illius qui, cum non potest rem aliquam totam accipere, diripit inde sibi partem. Dico quod permisisti nos averti, secundum partem deficientem. Et secundum partem non deficientem, sed in bono perseverantem, *dedisti nos* in potestate inimicorum, *tanquam oves escarum*, id est ut nos sine respectu misericordiæ occiderent, sicut oves, quæ ad hoc natæ sunt ut ex eis escæ fiant, sine respectu misericordiæ occiduntur. *Et in gentibus*, id est inter gentes *dispersisti nos*, id est permisisti dispergi et exsules fieri.

Unde Dominus in Evangelio : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* XX, 23). » Dixi quod *dedisti nos tanquam oves escarum*, ut sine respectu aliquo pietatis interimeremur, et inde non contigit aliquis fructus Ecclesiæ, ut exemplo constantiæ nostræ alii converterentur : sed *vendidisti populum tuum*, nos scilicet, *sine pretio*, id est, ita permisisti nos interfici ut similes, essemus vendenti, et pretium inde non accipienti Quod est dicere : Idcirco videris populum suum permittere debere interfici ut filios Ecclesiæ per eorum constantiam parias, et hoc sit pretium mortis eorum. Sed cum quibusdam interemptis, nulla conversio infidelium sequatur, videris vendidisse, et pretium nullum accipere. Et si in morte quorumdam fuit 140 aliqua conversio infidelium, *non* tamen *fuit multitudo commutationibus eorum*, id est non sic commutasti eos ut multos filios pro eorum morte susciperes. Notandum vero quod quidam dati sunt in

www.mobeolos.com.ch

mortem sine pretio aliqeo. Quidam autem parvo pretio, quidam etiam magno. Sed de illis qui pro magno pretio dati sunt non proponit, cum de eis nihil quærendum sit.

Et *posuisti nos opprobrium vicinis nostris*, ut cum nos permitteres affligi vel interfici, illis qui jam vicini nostri erant exemplo nostro volentes converti opprobrium essemus, ut in se verecundarentur se voluisse unquam imitatores nostri fieri. *Et his qui sunt* non in vicinitate, sed *in circuitu nostro*, id est in elongatione a nobis. Vel, *in circuitu nostro*, id est qui circumierunt nos, et circumvallaverunt minis et tribulationibus, a similitudine illorum qui aliquem circumveniunt ne evadat. *Posuisti nos subsannationem et derisum*, id est causam subsannationis et derisionis. Subsannare dicimus quando quilibet ex indignatione nimia nares corrugat. Ideoque subsannatio pro indignatione ponitur. Quod est dicere : *Posuisti nos* tales, contra quos ipsi indignarentur, et quos deriderent, Et *posuisti nos in similitudinem*: id est in parabolam *gentibus*, ut, quando reum aliquem videbant, dicerent : Tali morte dignus es quali periit ille aut ille. Et *posuisti nos in populis*, id est intra populos *commotionem capitis*, id est causam commotionis capitis. Quod est dicere : Adeo permisisti affligi ut infideles populi inde caput derisorie moverent, nos esse stultos et insanos asserentes.

Postquam exposuit quomodo Deus eos repulit, exponit quomodo confundi permisit, sic : Quoniam autem *posuisti nos opprobrium, subsannationem et derisum, et similitudinem, et capitis commotionem, tota die*, id est jugiter, *est contra me*; id est ante me, in conspectu meo scilicet, *verecundia mea*, nunquam a me discedens. Et hæc parva non est. Sed *confusio faciei meæ*, id est verecundia non existens interius a conscientia criminis, sed exterius in facie ex debilitate carnis, *cooperuit me*, id est tanta fuit quod me nimis exterius occupavit, a similitudine amplæ vestis, quæ corpus totum cooperit.

Confusio dico, quæ contigit *a voce exprobrantis*, id est inimici, mihi prora multimoda inferentis. *Et obloquentis*, id est contra me loquentis, et veritatem a me prolatam rationibus humanis improbare conantis. Et *a facie*, id est ab instantia, *inimici*. *Et*, id est etiam, *persequentis* me tribulationibus, non solum *exprobrantis et obloquentis hæc omnia* quæ diximus, *venerunt super nos*, id est ad oppressionem nostri, *nec obliti sumus te*. Et hoc modo *non sumus obliti*, scilicet *inique non egimus in testamento tuo* relicto, id est, non male operati fuimus recedendo a testamento tuo, id est a promissione quam in baptismo tibi promisimus, sub patrinorum testimonio, scilicet quod tibi soli, pompis diaboli postpositis, obediremus. Et hoc etiam modo *non sumus obliti*, scilicet *non recessit cor nostrum*, id est voluntas cordis nostri a te, retroeundo, id est ad infidelitatem deflectendo. Quod est dicere : Non solum *iniquenon egimus*, sed nec etiam recedere a te voluimus, quod levius est. Et hoc non per nos, sed per te habuimus. Nam non *declinasti*, id est declinari non permisisti *semitas nostras*, id est operationes nostras, quæ sunt semitæ nobis ad vitam, *a via tua*, id est a via mandatorum tuorum. Quod est dicere : Non permisisti nos multum operari tale quid, quod extraneum esset a mandatis tuis. Ideoque magis mirum est, cum adeo perseverantes in bono fecisti, quare sic *repulisti et confudisti*, quasi hoc male vivendo promeruissemus. Quæret aliquis: Quare dicitis quod non fuistis obliti, cum non fuisset vobis causa oblivionis ? Respondetur : Vere nobis fuit, *quoniam humiliasti nos*, id est tribulationibus afflixisti, id est affligi permisisti. *In loco afflictionis*, id est in hoc mundo, in quo est locus |41| afflictionis; in futuro enim locus afflictionis non erit.

Et adeo humiliasti quod *cooperuit nos umbra*, exsistens causa *mortis*, id est omnino occupaverunt nos tribulationibus illi qui emphatice dicuntur umbra, id est umbrosi et obscuri in errore, et qui sunt aliis causa mortis, quos sibi incorporant malo exemplo, suggestionibus, minis et tribulationibus : Diceret aliquis : Quare jastastis vos non fuisse oblitos, cum obliti fueritis? Respondetur : Vere non fuimus obliti. Nam *si obliti sumus nomen Dei nostri*, non reputando eum Deum et Dominum, nos autem servos et creaturam ; *et si* obliviscendo nomen Dei nostri *expandimus manus nostras* corporales *ad Deum alienum*, adorando eum. Vel si expandimus manus nostras, id est intendimus affectiones nostras ad Deum alienum, ut etiam ipsi supplicare vellemus, *Nonne Deus requiret ista* in futuro, ut ulciscatur ? Requiret vere. Ac si dicat : Verum dicimus, nos non oblitos essse perhibentes. Nam si obliti essemus, ad quid hoc mentiretur, cum sciamus hoc in futuro Deum requisiturum? Quasi dicerent: Non diceremus hoc, nisi verum esset. Diceret aliquis : Non requiret, quoniam hoc ignorat. Ad hoc respondet, sic : Non ignorat hoc, *Ipse enim novit* universaliter *abscondita cordis*. Sequitur autem oratio pro positis in afflictione, sic : Dixi quia humiliasti nos, et tamen non sumus obliti. Ergo *quoniam propter te tota die*, id est assidue, *mortificamur* in carne ; et dum mortificamur, *æstimati sumus* a persecutoribus *sicut oves occisionis*, id est æstimati sumus occidendi sine respectu misericordiæ, sicut oves quæ ad hoc natæ sunt ut occidantur et comedantur ; *exsurge, Domine*, id est potens appare, qui videris impotens. *Quare obdormis* nobis, id est negligis nos ? Obdormire namque Dei est ipsum aliquem negligere. Ac si dicat : Noli obdormire nobis, sed exsurge. Et hoc modo exsurge : scilicet *ne repellas* nos ab auxilio tuo *in finem* repulsionis, id est in æternum. Et si modo videaris repellere, ne repellas universaliter. Dictum est et de tristantibus. quod sequitur : Et *quare avertis faciem tuam*, id est benignitatem gratiæ tuæ ? hoc modo scilicet avertis : *Obliviscerис inopiæ nostræ*, id est inopum nostrorum. *Et tribulationis nostræ*, id est videris oblivisci quorumdam ex nobis

www.libtool.com.cn

qui sunt inopes, id est tristes in tribulatione sua : cum sic permittas eos tristari unde gaudendum esset. Inopes autem dicuntur fideles illi qui in tribulatione sua tristantur, ac si se Dei ope dubitarent posse liberari. Inopes enim dicuntur, qui sine alicujus ope sunt. Abundantes autem dicuntur, qui, etsi tribulentur, abundantissimam tamen spem habent liberandi. Ac si diceret : Noli avertere faciem, et noli oblivisci inopum. Orat quoque pro deficientibus, sic: non solum oro pro inopibus, sed *quoniam anima nostra*, id est anima quorumdam ex nobis humiliata est, id est *dejecta* et deffectibilis *est* a sanctitate sua : et hoc *in pulvere*, id est in tribulatione pulveris sui, carnis scilicet suæ; quæ nihil aliud est quam pulvis et terra. Et quoniam *venter noster*, id est debilissima pars nostra, *conglutinatus est in terra*. id est conjunctus est terrenis et conformis in desiderio terrenorum. Quod est dicere: Quia quidam ex nobis sunt ex toto deficientes, sic ut non sint in terra conglutinati, quidam vero sic ut sint conglutinati, *exsurge, Domine*, id est potens appare. Et hoc modo scilicet exsurge : *Adjuva nos* secundum illos qui sunt inopes, non tamen deficientes, ut, auxiliante non deficiamus, *Et redime nos* a defectu, secundum partem eorum qui deficiunt. Quod est dicere Mors tua sit pretium quo eruamur a defectu per quem ex toto periremus. Oro, *adjuva, redime*. Et hoc fac non propter merita nostra, sed *propter nomen tuum* magnificandum, et a nobis, si non defecerimus, et ab aliis, exemplo nostro ad hoc commovendis.

142 IN PSALMUM XLIV.

Titulus quadragesimi quarti. *In finem pro his qui commutabuntur, filiis Chore ad intellectum, canticum pro dilecto*: Filios Chore non hic solummodo dicit imitatores passionis Christi : sed et omnes qui filii sunt adoptivi Ecclesiæ per passionem, titulus autem sic exponitur : *Canticum*, id est tractatus iste in quo continetur jucunda laus, propositum est *filiis Chore ad intellectum*, id est ad hoc ut diligenter scrutentur hoc canticum quod gravissimum est, et sic ad intellectum perveniant. Canticum dico habitum et compositum a propheta *pro his qui commutabuntur in finem*, id est in perfectam consummationem. scilicet de mortalitate in immortalitatem : de passibilitate in impassibilitatem, id est pro salvandis. « Omnes enim resurgemus: sed non omnes immutabimur (*I Cor.* xx, 15). » Et habitum pro dilecto, antonomastice Christo scilicet, qui dilectus est a Deo Patre et Ecclesia. De quo vox paterna sic intonuisse in Evangelio perhibetur: « Hic est Filius meus dilectus, » etc. (*Matth.* III, 17.) Et in Canticis, de eo sponsa Ecclesia testatur: « Dilectus meus candidus, etc. (*Cant.* v, 10.) Bene quidem ponit pro his qui commutabuntur; et pro dilecto: pro, enim causative ponitur. Quasi poneret causam eorum qui commutabuntur, et pro dilecto, id est, ad honorem eorum facit hoc canticum : ut cum hoc tractatu eorum laus habeatur, alios ad eum laudandum et honorandum invitet. Introducitur enim Deus Pater, agens ad laudem ejus et nostræ fidei instructionem de genitura ineffabili et æterna Filii sui. Laudans insuper eum secundum humanitatem de innocentia et justitia ejus, et adhortans eum ad prædicandum. Laudat quoque eos qui in finem commutabuntur, id est Ecclesiam primitivam, quæ Dei sponsa est, de perfectione virtutum : et adhortatur ipsam primitivam ad audiendum et vivendum, ut, sic decora facta, diligatur. Et ipsius exemplo et prædicatione dicit Ecclesiam de gentibus successuram, quæ etiam in finem commutabitur.

Eructavit cor meum verbum bonum. Cor hic ponitur pro essentia paterna ; eo quod ipsa arcana sit et incognita, ad similitudinem cordis, quod secretum est et incognitum, nisi soli Deo, et illi cujus cor est. Verbum autem Dei Filius, id est Dei sapientia per similitudinem dicitur, eo quod per ipsum incarnatum divina nobis voluntas innotuit, sicut cordis secreta per verba revelantur. Verbum etiam dicitur eo quod per ipsum Deus Pater omnia disposuit, et ad esse perducit : sicut aliquis princeps quæ complere intendit, verbo suo disponit, et ejusdem verbi imperio ad hoc quod dispositum est complendum sibi subditos cogit. Cum autem ponit, *Eructavit*, innuit quod illum ex secreta essentia protulit et genuit, ante mundi principium ineffabiliter, a similitudine ructatus, qui ex interioribus et secretis corporis partibus profertur. Unde alibi : « Ante Luciferum genui te (*Psal.* CIX, 9), » Qualiter vero Pater generet, qualiterve Filius generetur, qualiter etiam Spiritus sanctus procedat, investigabile nobis est et incognitum, firmissima tamen est fide credendum, Unde legitur : «Generationem ejus quis enarrabit: » (*Isa.* LIII, 8.) Nullus. Bonum autem, non hic adjective, sed substantive ponitur : hoc autem quod supra positum est, *eructavit*, etc., sic exponitur : *cor meum*, id est secreta essentia mea, eructavit, id est protulit, genuit *verbum*. Et non qualecumque verbum; sed tale verbum quod est *bonum* consummatum et summum, ex quo bona omnia bona sunt, Quia vero præterite dixerat *eructavit*, id est genuit. ne videretur nunc etiam non generare, et sic in essentia divina mutabilitas esse videretur, et non perfecta æternitas (nihil enim æternum quod commutabile factum), addit : Non sic eructavi, ut nunc non eructem : Sed nunc etiam ego qui idem sum in essentia cum eo, *dico opera mea regi*, id est dico non verbis, sed ineffabili dicere scilicet dispono, et concipio opera mea per ipsum Verbum, quod rex omnium est, cum idem mecum sit in essentia, et ego rex sim. Unde legitur :

Corde Patris genitum creat et regit omnia Verbum. Non quod Pater et Spiritus non creent et regant, 143 cum unum sint, sed quia per Verbum ineffabiliter omnia disponant, creent, et regant. Æquipollenter autem est secundum Augustinum *Patrem dicere opera regi, et Patrem Filium gignere*. Filii

namque dicit esse generationem paternam, per eum dispositionem et conceptionem.

Non solum autem *dico*, id est dispono opera mea per eum : Sed etiam *lingua mea*, id est verbum meum, est *calamus* meus *scribæ*, *velociter scribentis*, per ipsam linguam. Quod est dicere : Per ipsum omnia *velociter* compono. Hoc autem per similitudinem ponitur. Sicut enim scriba per calamum figuras ponit, sic et ipse Pater per Filium rebus formas impressit. Bene vero ponit *velociter*, cum sine mora suæ voluntatis imperio quidquid sibi placitum est creet. Juxta illud : « Omnia quæcunque voluit fecit (*Psal.* CXIII). » Et alibi : « Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt)*Psal* CXLVIII). » *Lingua* quidem bene pro verbo posita est, cum linguæ auxilio verbum formetur.

Ostensa Verbi sui ineffabili genitura, de eo secundum humanitatem agit, laudans et adhortans ad prædicandum, sic : *Speciosus forma*, etc. Versus qui hunc sequitur, scilicet *accingere*, etc., sic ante legitur : Dico *eructavi verbum*, et tu *potentissime*, id est, tu Verbum, æqualem mecum habens divinitatis potentiam, *accingere gladio tuo super femur tuum* : secundum humanitatem, id est simile sis optimo duci, præparanti se ad bellum, qui accingitur *gladio* suo *super femur*, quo destruat inimicum ; ut similiter præpares te ad prædicandum, qua prædicatione vitia aliorum destruas, more gladii quo corpus destruitur. Unde Paulus : « Gladium spiritus quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 17). » Vel sic : Accingere gladio tuo, scilicet verbo prædicationis, id est præpara gladium tuum, a similitudine illius qui gladium præparat ad bellum, dum eo accingitur. *Gladio* dico posito *super femur*, id est super humanitatem. Quod est dicere : Quem gladium non habebit a se humanitas, sed dabitur ipsi desuper, id est a divinitate. Juxta illud Jacobi apostoli : « Omne donum perfectum desursum est (*Jacob.* I, 17). » *Femur* pro humanitate ponitur, eo quod ex femoribus humana generatio procedat. Unde Abraham legimus servum suum dextram sub femore ponere, et per Deum cœli jurare fecisse, ne alieni sanguinis uxorem filio suo adduceret (*Gen.* XXIV, 2) : præsignantem ex femore suo quemdam esse nasciturum, qui homo et Deus cœli perfecte existeret. Dico *accingere*, id est præpara te ad prædicandum : et idoneus es ad hoc.

Nam *speciosus* es *forma*, id est pulchritudine interiori, innocentia scilicet : *præ filiis hominum*, id est ante fideles, qui rationabiliter se habent ut homines. Quod est dicere : Cum perfecte præ omnibus innocentibus sis innocens, idoneus es ad prædicandum, quoniam in te reprehensibile nihil invenitur. Et necesse est ut accingaris, quoniam *in labiis tuis*, id est per prædicationem quæ procedet a labiis tuis *diffusa est gratia*, id est diffundetur gratia sancti Spiritus in genus humanum scilicet, remissio peccatorum. Et *propterea* quia *speciosus* es, et diffundetur *gratia in labiis tuis*, *benedicit*, id est magnificabit *te* *Deus in æternum*, ex mortali et passibili immortalem faciens et impassibilem. In hoc autem innuit, quod qui, prout possibile fuerit, similiter *speciosus* erit, in futuro quoque benedicetur. Vel sic : Dignum est ut accingaris. *Propterea* enim ut accingaris, *benedixit te*, id est magnificavit te in innocentia, faciendo immunem a peccato : Deus ego scilicet qui Deus tuus sum, secundum humanitatem, quæ benedictio erit in æternum Quoniam autem speciosus es, *intende* specie tua, id est intensum te fac in *specie tua*, id est in innocentia tua : non secundum augmentum, sed secundum perseverantiam. In Dominico enim homine, perfecta semper fuit a principio indocentia. Et intensum te fac in pulchritudine tua, id est in perfectione virtutum perseverando, et in perfectione bonorum operum eundo de bono opere in bonum opus. Non enim simul omnia opera sua bona fecit.

Et intendendo *procede* | 44 *prospere* ad debellandum vitia, prædicatione tua, et ad debellandum diabolum. Et sic *prospere* : scilicet *regna* in fidelibus : debellatis vitiis et diabolo, dico *regna*. Et hoc *propter veritatem*, id est propter prædicationem quam eis facies. Et *propter mansuetudinem*, id est quia non rebellis, sed mansuetus eris in passione. Juxta illud Isaiæ : « Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus (*Isa.* LXII, 11). » Et propter justitiam tuam quam habes, ad cujus similitudinem et ipsi justi fient. Vel propter justitiam quam eis dabis. Quod est dicere : Veritas tua et mansuetudo et justitia causa erunt quare in eis regnabis. Dixi *regna propter veritatem*, *et* in illud regnum *deducet* te, id est dilatabit *te dextera*, id est potentia *tua*. Et hoc *mirabiliter*, id est per mirabilia quæ operaberis. Quod est dicere : Per miracula quæ potentia tua operabitur, deduceris in regnum. Et etiam *sagittæ tuæ* deducent te, id est sententiæ prædicationis, quæ dicuntur *sagittæ*, eo quod per eas ad modum sagittarum corda perculies. Nam sagittæ tuæ *acutæ* sunt, id est penetrantes usque ad cor et efficaces. Et per ipsas sagittas *populi* infideles ab eis percussi *cadent*, id est morientur *in corde inimicorum regis*, id est secundum illam voluntatem cordis cadent, secundum quam erunt inimici tui regis. Quod est dicere : Secundum quod mali sunt, destruentur. *Populi* dico sub te redigendi, id est qui tuæ ditioni subjicientur : Et hoc est ac si sic poneret : Per sententias prædicationis tuæ, quæ efficaces erunt, *populi* tibi subjicientur, et sic regnum tuum dilatabitur. Hoc autem æquipollenter supra posuit, cum dixit, *regna propter veritatem*. Idem enim est veritas, quod et sagittæ. Sed quia non posuerat, antequam illa prædicationis veritas efficax esset futura, repetit æquipollenter cum dicit : Sagittæ tuæ te deducent in regnum, ut addat *acutæ*. Quod est dicere : Quæ non erunt retusæ, sed efficaces. Dico quod *populi sub te cadent*. Et post ipsi *populi* erunt *sedes* tua, o Deus. Quod est dicere : O Fili, qui non simpliciter es homo, sed

www.libtool.com.cn

etiam Deus, *populi* ipsi erunt habitatio tua. Et non solam in hoc sæculo, sed *et in sæculum sæculi* hujus subsecutivum. Juxta illud : Anima justi, *sedes* est Dei.

Et postquam in eis sedebis, si aliquando distorte ierint recedendo a subjectione tua, male operando et cogitando, *reges eos virga*, id est correctione tribulationum : a similitudine equi, qui cum distorte eat, *virga* percutitur, et in viam reducitur. Hoc autem extra librum suppletur, sed ex sequentibus habetur, cum addit : Et illa *virga regni tui*, id est correctio per quam reges tuos fideles, id est qui subjicientur regimini tuo, erit *virga directionis*, id est virga dirigens eos, et in viam reducens. Unde Psalmista alibi : » Visitabo in virga iniquitates eorum,» (*Psal.* LXXXVIII. 33.) etc Exponit autem quomodo diriget, sic : Dico quod *virga regni tui* erit *virga* per quam diriges eos. Et hoc modo scilicet *dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*, id est facies eos per ipsam virgam diligere *justitiam*, et odio habere *iniquitatem*. Vel sic : Dixi duod populi erunt sedes tua, et eos diriges, et ad hoc es idoneus. Nam *dilexisti justitiam*. Quod est dicere : Justus es, ideoque potens eris eos dirigere. *Et* hoc patet ex opposito quod *dilexisti justitiam* nam *odisti iniquitatem*. Dixi quod *dextera tua deducet te*, et *populi sub te cadent :* et erunt *sedes tua*, et diriges eos *virga*, et hoc ideo quia *dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*. Et ut hæc omnia fiant, o Deus, tu scilicet Fili, qui non solum es homo, sed et Deus : *Deus tuus*, ego scilicet *unxi te oleo lætitiæ*, id est, replevi te gratia speciali et immunitate peccati, per quam te lætificarem *præ consortibus*, id est ante alios fideles qui sunt consortes *tui*, id est cohæredes et participes sanctitatis tuæ. Juxta illud Apostoli : « Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). » Unctum esse *oleo* dicit, a similitudine illius qui *oleo* sacrato ungitur ut rex efficiatur. Sic et Christus ut rex esset *oleo* gratiæ specialis et immunitatis unctus est a Patre. Et inde videri potest quod unctus est *oleo lætitiæ*. Quia 145 *myrrha*, id est incorruptibilitas post passionem ; *et casia*, id est exaltatio ascensionis in cœlum ; *et gutta*, id est humilitas in passione, spirabunt *a vestimentis tuis*. Pluralem ponit pro singulari, vestimentis scilicet pro vestimento. Quod est dicere : Ab humanitate tua, quæ dicitur vestimentum divinitatis, eo quod in ea lateat et ei conjungatur, ut intra vestimentum corpus latet et ei conjungitur, redolebunt fidelibus tuis incorruptibilitas et exaltatio post passionem, et humilitas habenda in passione : et exemplo tui myrrha et gutta et casia spirabunt *a domibus eburneis*, id est bene redolebunt tibi infidelibus tuis, qui dicuntur domus tuæ, eo quod in eis habites: Et eburneæ, id est perfectione virtutum nitentes et candidæ : quod contigit eis per multas anxietates atque labores, scilicet ut nitidi sint in perfectione virtutum, sicut ebur; quod cum prius nitore careat, assiduo exercitio limarum candidum fit et nitidum.

Notandum autem quod myrrha, id est, incorruptibilitas ; et casia, id est, exaltatio in Dei præsentia, in futuro a domibus eburneis spirabunt. In hac autem vita, gutta, id est, humilitas spirabit. Si vero ad solam animam referatur, spirabit etiam in hac vita incorruptibilitas fidei et exaltatio in virtutibus. Ex quibus scilicet myrrha et gutta et casia, ex eis spirantibus, *in honore tuo*, id est, ad hoc ut inde honorificeris, non ut inde superbiant, sibi hæc attribuendo ; *delectaverunt*, id est delectabunt, te *filiæ regum*, id est ipsi fideles, qui superius dicti sunt domus eburneæ. Quod est dicere : Ex his valde delectaberis. Vel sic : Ex quibus ex se spirantibus delectabunt te fideles, qui erunt secundum doctrinam filiæ regum, id est apostolorum, qui reges erunt Ecclesiæ. Unde Apostolus : « Filioli mei, quos iterum parturio (*Gal.* III, 19) : » et in Psalmo : « Et nunc, reges, intelligite (*Psal.* II. 10) ; » filiæ regum dico : et hoc *in honore tuo*, id est, sic sunt filiæ regum, ut in hoc honorificeris ab ipsis filiabus, quod gratia tua sunt filiæ. Sciendum quod ideo myrrha pro incorruptibilitate ponitur, quia corpora ea inuncta fiunt incorruptibilia. Gutta vero species est medicorum, quæ ad tumorem depellendum idonea est : ideo pro humilitate ponitur, quæ ad superbiæ tumorem deprimendum est valida. Casia quidem, quia juxta Hieronymum arbor est in altum excrescens, pro exaltatione hic posita est. Vel sic potest legi versus iste : Quia dixerat, *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, videtur eos consortes esse minus inunctos. Aliter enim male positum esset, *præ consortibus*. Ob hoc vero quæreret aliquis : Suntne consortes aliquatenus uncti *oleo lætitiæ*, id est gratia speciali? Ad hoc autem sic respondet : Vere uncti sunt oleo ; et inde hoc apparet, quoniam *a vestimentis tuis*, id est, a consortibus, qui vestimenta dicuntur, eo quod te fide ambiunt, sicut vestimenta corpus ambiunt, spirant myrrha, id est, virginitas ; et gutta, id est humilitas vel castitas ; et casia, id est fides. Dico quod a vestimentis spirant hæc, scilicet a domibus eburneis, id est a consortibus, qui et vestimenta dicuntur et domus eburneæ, per similitudinem ut jam dictum est. Ex quibus, id est, myrrha et gutta et casia, *delectabunt te filiæ regum in honore tuo* : hæc non mutantur.

Myrrha quidem, quia carnem a se unctam incorruptibilem facit, pro virginitate ponitur, per quam caro incorrupta a luxuria existit. Per *guttam* vero, qua venena omnia deprimuntur, charitas intelligitur, per quem omnia venena vitiorum exstinguuntur. Per *casiam* autem, quæ in aquosis locis nascitur, baptisma denotatur. Per baptisma vero fides, per quam ad baptisma pervenitur, ideoque casia pro fide ponitur. Notandum autem quod fideles non filios, sed filias dicit, ut eos humiliet ne in se confidant, cum debiles sint et fragiles, et ad cadendum

www.libroboleo.com

faciles; ad modum feminini sexus, qui debilior est masculino; seu etiam ut ostendat maximo cultu prædicationis eos egere : ad modum filiarum, quæ majori cultu egent quam filii : et per hoc eos multum subditos faciat prædicationibus 146 qui in eorum cultu valde laborant. Juxta illud apostoli : « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes (*Heb.* XIII, 17). Peracta admonitione, et laude sponsi, ad laudandum et admonendum sponsam intendit, ut eam attentiorem ad obediendum sponso reddat. Et hoc sic facit : *Astitit regina*, etc. Quod sic continuat : Dico, Fili, quod adeo *speciosus* eris *forma*. *Regina* autem, id est, Ecclesia primitiva sponsata tibi, id est, sub matrimonio conformitatis et fidei conjuncta : quam de ancilla reginam, de serva liberam morte tua facies : *astitit*, id est, astabit tibi : parata ad obediendum ; more boni servi, qui ante Dominum semper astat, ad nutum etiam obedire paratus. Et hoc ipsum quod *astabit*, procedet *a dextris tuis*, id est, a propitiatione tua, non a meritis ejus : dexteram pro propitiatione ponit, quia ad Dei dexteram dicuntur concessuri, qui divina propitiatione sunt in futuro salvandi. Dico astabit : et hoc *in vestitu*, et non fœdo, sed *deaurato*, id est, in perfectione virtutum qua ornabitur, sicut vestimento pretioso corpus ornatur. Per aurum autem quod metallum pretiosum est et solidum, perfectio virtutum accipitur. Et non in simplici vestitu, id est, in una sola virtute, sed *circumdata*, id est, adornata *varietate* virtutum : a similitudine sponsæ, quæ variis gemmis adornatur.

Notandum autem quod ideo eam per similitudinem visibilium ornamentorum laudat, ut magis ad virtutum perfectionem attrahat. Magis enim quam invisibia, visibilia solent exempla provocare. Sequitur autem laudem exhortatio, cum dicit : *Audi, filia*, etc. Filiam ex affectione nimia vocat, quia eam per fidem regenerabit. Et bene filiam feminine, quia de ea ut de regina ut de sponsa agere inceperat, quod sic continuat : Dico quod astabit regina in vestitu deaurato. Ne vero vestitum hunc dimittas, *o filia*. Filii mei sponsa, *audi* vocem Sponsi : et non solum auditu exteriori ; sed *et vide*, id est, intellige quæ audies, ut perficias. Vel sic : *Audi*, vide, et sic intellige. Nisi enim crederes, non intelligeres : Et ecce vox Sponsi quam audies : *Obliviscere populum tuum*, id est, carnales observantias populi tui Judaici, quæ umbræ erant Novi Sestamenti. *Et* etiam *obliviscere domum patris tui*, id est, conversationem diaboli, qui hucusque pater tuus exstitit. Juxta illud Evangelii : « Vox ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » *Domum* pro conversatione ponit, eo quod in domo conversatio hominum est. Vel sic : *Audi, filia*, prophetata a prophetis de Sponso tuo. Et audiendo vide, id est intellige. Et intelligendo *obliviscere populum tuum*, id est, vitia in te existentia quæ dicuntur populus, propterea quia multa sunt, a similitudine populi. *Et obliviscere domum patris tui* diaboli, ne ultra velis esse domus ejus et mansio. Et hoc ponit a similitudine sponsæ, quæ sponso quem diligit valde conjuncta, ejus amoris causa *populum* suum et *domum patris* obliviscitur. Ostendit autem quæ illi inde utilitas continget, si obliviscatur, ut magis eam ad hoc attrahat, sic : Et si audieris et videris et oblita fueris : *rex*, id est Sponsus tuus Filius meus, qui te reget, *concupiscet decorem tuum*, id est, adamabit te propter decorem virtutum tuarum, ad similitudinem sponsæ, quæ pro decore suo a sponso adamatur. Et vere audire debes eum, et oblivisci propter eum populum tuum, et domum patris tui, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Æquum enim est ut Domino ancilla, et Deo creatura sua obediat.

Annuntiat quoque conversionem gentilitatis, cum dicit : *Et adorabunt eum et filiæ Tyri*, etc. Quod sic continuatur : Dixi quod Filio meo astabit regina, id est ecclesia primitiva, et non solummodo hæc illi astabit, sed *adorabunt eum et*, id est etiam, *filiæ Tyri*, id est animæ gentilitatis, factæ *filiæ* per fidem. Per Tyrum vero, quia locus est gentium, gentilitas intelligitur, In Hebræa translatione habetur : *adorabunt eum fortissimi Tyri*, id est, venerabuntur eum martyres de gentibus, qui fortissimi erunt in angustia tribulationum. 147 Tyrus enim *angustia* interpretatur : et non adorabunt vacuæ a muneribus ; sed *in muneribus*, id est, in offerendo seipsas munera. Juxta illud : Quisquis cogitat quod voveat Domino, seipsum præparet et voveat. Hoc enim exigitur, hoc debetur Non solum autem pauperes de Tyro adorabunt te : sed *et omnes*, id est, omnismodi *divites plebis*, id est, divites in plebeiis, id est in terrenis *deprecabuntur vultum tuum*, o regina, id est, deprecabuntur Deum ut det eis vultum similem vultui tuo, scilicet pulchritudinem virtutum ut et ipsi adorare possint. Quoniam enim pulchritudo in vultu potius apparere solet, vultus pro pulchritudine ponitur. Vel *vultum* dicit visum interiorem, id est intellectum, per quem intelligitur quomodo sit adorandus Deus. Et bene vultus pro visu ponitur, cum in vultu sit visus corporens.

Quoniam autem laudaverat reginam de vestitu aureo, ne putaretur gloria decoris ejus exterius esse in corpore, determinat hoc sic : Dixi quod *regina* astabit *in vestitu deaurato* : et gloriosus vestitus iste non intelligendus est exterius esse in corpore, sed *omnis gloria ejus filiæ regis*, id est filiæ Filii mei, quam superius reginam dixi, erit *ab intus*, id est, ab anima, coruscans *in fimbriis aureis*, id est in perfectione charitatis, quæ per opera bona apparet. Per fimbrias quidem perfectio denotatur, eo quod in fine vestium supponantur. Per aurum quidem charitas, quæ omni alia virtute pretiosior est, sicut aurum cæteris metallis pretiosius est. Et non solum gloriam habebit *in fimbriis aureis*, sed etiam erit *circumamicta*, id est, ornatau *varietatibus* virtutum. Et hoc etiam superius positum fuit, cum dixit *circum-*

www.libtool.com.cn

data varietate; sed quia causa determinationis dixerat *omnis gloria*, etc., ne *in* solis *fimbriis* crederetur gloriosa, hoc repetit. Vel potest hoc diversum esse, sic: Dixi quod *gloria filiæ regis* erit *ab intus*, et etiam ipsa filia erit *circumamicta*, id est *circumdata*, *varietatibus*, id est variis gentibus : quiæ ejus exemplo credent, et eam adornabunt ad modum vestium, quæ circumdando corpus, adornant illud. Quæreret aliquis : Quomodo erit *circumamicta varietatibus* gentium ? Ah hoc respondet sic : Ita *circumamicta* erit : *Adducentur* scilicet per doctrinam Patrum, id est apostolorum, *regi*, id est Christo Filio meo, *post eam* reginam, aliæ *virgines* de gentibus, id est, fideles animæ quæ erunt incorruptæ in fide, ad modum virginum quæ incorruptæ sunt in corpore : et ipsæ *virgines* non erunt alienæ a conformitate, etsi sint alienæ in genere. Sed ipsæ *proximæ* ejus existentes in conformitate, *afferentur* tibi id est, ad cultum honoris tui, o Fili, per doctrinam Patrum. Bene vero dicit *afferentur*, ut eas humiliores faciat, innuendo eas non posse accedere per se, cum debiles sint in intellectu ; sed per Patrum doctrinam *afferentur*, more infirmi, qui ab alio fertur, cum per se non possit ire. Et hæ *virgines* non *afferentur* invitæ ad te ; sed *afferentur in lætitia* ; et non in parva lætitia, sed et, id est scilicet, in *exsultatione*, id est in maxima *lætitia*. Et notandum est quod in hac vita sic *afferentur*. In futuro autem *adducentur* a te *in templum* tui *regis*, in Hierusalem scilicet cœlestem, quæ est templum et habitatio tua. Notandum autem æquipollenter esse idem, *circumamicta varietatibus*, et *adducentur regi virgines post eam* : sed ideo repetit, ut, quoniam magis eas ad hoc attrahit, ostendat quod ob hoc adducentur in templum regis in futurum.

Diceret aliquis : Dicis quod *afferentur regi virgines* per doctrinam Patrum. Quod verum esse confiteor, sed mortuis Patribus, qui vere morientur, cum homines sint, non *adducentur* aliquæ *virgines* ? non enim erit qui adducat. Ad hoc autem sic respondet : *Adducentur* utique per filios, id est, per episcopos et sacerdotes, cæterosque Ecclesiæ pastores, apostolorum successores. *Pro patribus* enim id est in loco Patrum, apostolorum scilicet, *nati sunt*, id est, nascentur in fide et officio prædicandi, *filii*, id est episcopi et cæteri pastores : et hoc tibi, id est, ad opus tuum ; et *eos* filios *constitues principes super omnem terram*, id est, omnem Ecclesiam, quæ stabilis est et solida ut terra : 148 et quæ tibi generabit fructus, opera bona scilicet ad modum terræ, quæ fructus messium profert. Ita scilicet *constitues principes*, ut quæcunque ligaverint vel solverint super terram, sint ligata vel soluta et in cœlis (*Matth.* XVI, 19). Ipsi vero principes constituti, non erunt atiosi ; sed *memor ero nominis tui*, id est ipsos memores esse faciam nominis tui, ut prædicent illud *in omni generatione* Judæorum, *et generatione* gentium, per successionem generationum. Nulla enim usque ad finem mundi generatio erit Judæorum sive gentium, in qua nomen Dei non prædicetur. *Propterea* vero quia filii erunt memores prædicando, *populi* Judæorum et gentium *confitebuntur tibi*, id est, laudabunt te credendo, *in æternum*, id est, quandiu mundus iste durabit, *usque in sæculum sæculi* hujus subsecutivum. Potest etiam psalmus iste legi in persona Prophetæ, ut planior sit lectio, si solum modo duorum versuum primorum expositio mutetur. Si autem in prophetæ persona accipiatur, non agit de ineffabili genitura verbi, quemadmodum in persona Patris agitur ; sed in primis duobus versibus quasi proœmium facit, ut auditores attentiores reddat : proponens unde in hoc opere agat ; de rege scilicet, id est Christo antonomastice rege. Cui postea non adhortative neque imperative, sed concessive et deprecative dicit ut gladio prædicationis accingatur. Non enim creatura adhortari debet Creatorem, ignarus scientem, neque Domino servus imperare.

Laudat vero post ipsum regem, Ecclesiæ sponsum, ad instructionem nostram et conformitatem, ut etiam nos ad ipsius laudem invitet, dignumque laude eum ostendat. Laudat quoque sponsam ejus Ecclesiam primitivam, de ancilla reginam effectam, ut laude sua commoveat eam ad obediendum Sponso, per quem sponsa speciosa est. Quem etiam adhortatur ad audiendum vocem Sponsi et ei obediendum ; filiam eam ex affectione nimia dicendo ; vel sui Prophetæ secundum doctrinam, vel ipsius Christi secundum regenerationem. Enuntiat quoque prophetice gentium ad fidem adductionem, per apostolorum et eorum filiorum prædicationem. *Eructavit cor meum verbum bonum* ; quod est dicere : Cor meum disposuit loquendo proferre verbum bonum. Per hoc vero quod dicit *bonum*, invitat nos ad ipsum verbum diligenter attendendum, quia bonum est. Ostendit autem quomodo bonum sit, cum addit : Vere bonum erit. Nam *opera mea*, scilicet verbum meum, *dico* ego, id est, devoveo et consecro *regi*, id est, Christo antonomastice regi. Quasi dicat : De rege hic agam, cui hoc opus meum *dico*. Et declinatur *dico*, non *dico dicis*, sed *dico dicas*, quod est devoveo et consecro. Hoc autem quod verbum istud eructabo non a me erit, sed *lingua mea* erit *calamus scribæ*, id est, sancti Spiritus *velociter scribentis* per ipsum calamum. Hoc autem per similitudinem dicit. Sicut enim calamus non per se, sed scriba movente litteras format ; sic et *lingua* mea non per se, sed Spiritu sancto movente, verba formabit. Et bene ponit *velociter scribentis*. *Velociter* namque sine præmeditatione per eum Spiritus sanctus loquitur, ut in hoc ostendatur verba ipsa non a seipso Propheta, sed a Spiritu sancto esse : et ecce *verbum* quod eructare cor meum disposuit. O *potentissime* rex, Christe, *accingere gladio tuo super femur tuum*. *Speciosus* enim eris *forma præ filiis hominum*, etc. Quæ amodo non mutantur, sed ut superius ita nunc quoque leguntur.

www.libtool.com.cn

IN PSALMUM XLV.

Titulus quadragesimi quinti. *In finem filiis Core, pro arcanis Psalmus David. Psalmus* iste est *David*, id est Ecclesiæ primitivæ, quæ manu fortis est, viriliter agens in tribulationibus, propositus *filiis Core*, id est filiis Crucifixi fide et conformitate. Filiis dico tendentibus *in finem*, id est, consummationem veri boni et summi. Habitus iste psalmus *pro arcanis*, id est contuitu et occasione arcanorum scilicet secretorum consiliorum Dei, quod videlicet » cæcitas contigit in 146 Israel, ut plenitudo gentium intraret. » (*Rom.* XI, 25) ; et quod in futuro reliquiæ Israel salvæ fient, et quod suos permisit affligi in primitiva Ecclesia a Judæis. Qui sui postea conversi sunt ad prædicandum gentibus, ubi quoque vehementer sunt tribulationibus attriti. Quæ omnia arcana sunt, et a paucis vel a nullis cognita, quare sint a Deo sic dispensata. Et notandum quod hic introducuntur fideles primitivi, non præterite agentes, dicendo se constantes fuisse ; sed promittentes se constantes futuros in tribulationibus, quæ a Judæis inferentur et a gentibus, in prædicatione apostolorum, et hoc ad instructionem aliorum filiorum Core. Et melius future introducuntur quam præterite, ut, cum se prophetico Spiritu jam præscios constantes et intrepidos ostendunt, successores filios Core ad constantiam exemplo sui invitent. Ostendunt etiam prædicatores in tribulationibus a Domino esse lætificandos et confirmandos et adjuvandos, ut filiis Core quibus agunt istud idem innuant esse futurum si non defecerint. Dicunt quoque non esse mirandum si contra prædicatores in prædicatione terra commoveatur, cum et contra Domini vocem sit commota. Qui etiam vocem et utilitatem quæ per vocem illam contingit, ad instructionem et exhortationem eorumdem filiorum Core exponunt.

Deus noster, refugium et virtus. Quod est dicere : Non in aliquo terreno refugium habemus, sed *Deus noster*, id est ille quem nos Deum reputamus, est *refugium nostrum* in omni necessitate. *Et* non qualecunque refugium, sed *virtus*, id est firmum et inexpugnabile. *Virtus* autem per emphasim ponitur : et non solum *refugium* ne cedamus, sed etiam *in tribulationibus* est *adjutor*, id est cooperator, ut inimicos vincamus, incorporando eos nobis, *In tribulationibus* dico, *quæ invenerunt nos.* Quasi dicat : Nos non quæsivimus eas, nec invenimus malis meritis nostris, sed ipsæ tribulantes Ecclesiam, volendo eam ex toto destruere, *invenerunt nos* : et hoc *nimis*, id est non solum in ereptione rerum nostrarum, sed et in afflictione nimia carnis, et usque ad sanguinis effusionem. Et propterea quod *Deus noster* est nostrum *refugium et virtus* et *adjutor*, *non timebus, cum turbabitur terra* contra prædicatores. *Terra*, id est Judæa, quæ prius fuit terra Dei, quam excoluit per doctrinam prophetarum ; vel quæ est *terra*, id est terrenis adhærens, non spiritualibus. Quod est dicere : Non erimus timentes, sed constantes in tribulationibus, quas inferet conturbata ; et dum hoc

A erit quod *montes*, id est apostoli sublimes altitudine sanctitatis et inocentiæ *transferentur* a Judæis *in cor maris*, id est in profunditatem gentium, quæ diffluæ erant in omnia vitia quasi mare, et amaricantes Deum, idolis serviendo. Cor autem pro profunditate ponitur, quia in interioribus est. Quasi dicat : Non in quamdam particulam solummodo transferentur, sed usque in plenitudinem gentium. Vel sic : *Transferentur montes*, id est doctrinæ montium *in cor maris*, id est gentium, ut non solum corporis aure sed etiam eas percipiant corde. Ne vero putarentur montes ideo transferendi esse in gentes, ut ibi timide laterent, non ut eis prædicarent, addit. Dico quod *transferentur in cor maris*, et ibi non latebunt, sed *sonuerunt*, id est aperte eis prædicabunt, ad modum

B soni aquæ res aperta est ; et eorum sono, id est prædicatione, *turbatæ sunt*, id est turbabuntur ; ita adversus montes, *aquæ eorum*, id est populi ejus maris. *Eorum* ponit pluraliter, quia mare collectivum nomen est, et multa significat. Cur autem populi aquæ dicantur, in psalmum primum dictum est. Vel turbabuntur, id est turbidæ et lutosæ esse ostendentur *aquæ eorum*, id est doctrinæ eorum quas agunt de superstitiosa cultura idolorum. Quæ ideo dicuntur aquæ, quia ex eis stultos sibi acquiescentes potant. Quod est dicere : *Aquæ eorum*, id est doctrinæ, quæ videbantur bonæ et lucidæ et utiles, ad modum aquæ claræ, quæ ad bibendi usus utilis est ; ostendentur per sonitum eorum esse turbidæ et 150

C inutiles et fœdæ, ad similitudinem aquæ turbidæ, quæ lutosa, fœda et inutilis est. Et *montes*, id est ipsi prædicatores *conturbati* sunt, id est conturbabuntur carnali timore. Homines enim sunt *in fortitudine ejus* maris, id est in fortiebullitione tribulationum ipsius maris. Sed tamen non deficient in conturbatione. Nam *fluminis impetus*, id est abundantia sancti Spiritus, *lætificat*, id est lætificabit interius *civitatem Dei*. Montes scilicet, qui civitas sunt bene virtutibus munita, flumen dicitur Spiritus sanctus, eo quod suos sapientia et consilio rigat et potat, ad similitudinem fluminis quod copiose rigat. Unde Dominus in Evangelio : « Qui credit in me (sicut dicit propheta) » flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu (*Joan.* VII, 38).

D Et lætificando in ipsis tribulationibus, *sanctificavit*, id est confirmabit in constantia, ille qui est *Altissimus* et Potens, *tabernaculum suum*, id est civitatem prædicatorum sibi militantem.

Hoc autem dicit ad exhortationem filiorum Chore successorum, quibus agunt, ne ideo deficiant, si in tribulationibus timeant ex carnis fragilitate, sed confidant se similiter esse lætificandos et confirmandos. Dico *Altissimus sanctificavit*, qui Altissimus est *Deus in medio ejus* civitatis semper existens, id est in ratione ejus non localiter sed specialiter adhærens, ut constans sit. Quæ ratio per similitudinem medium dicitur, quia sicut per mensuram puncti, quod medium est, totus circulus æqualiter fit, qui vix aut numquam alio modo recte procederet ; sic et

www.libtool.com.cn

per rationis mensuram totus homo dirigitur, alioquin vero distorqueretur. Quoniam autem Deus est in medio ejus, *non commovebitur* in tribulationibus a proposito constantiæ. Et non solum sanctificabit ne cedat, sed ut vincat inimicos *adjuvabit eam Deus mane*, id est *diluculo* : scilicet illuminatione consilii et sapientiæ suæ. *Mane* vero hic idem significat quod et diluculum, illuminationem scilicet ; sed, ne videretur esse positum ad matutinum tempus designandum, quod etiam alibi significat, apponit diluculum, ad determinandum istud. Affinis enim est vox ista quæ est diluculum, secundum compositionem, huic voci, quæ est lux. Domino autem adjuvante, *conturbatæ sunt*, id est conturbabuntur *gentes* bona conturbatione ad fidem. Et non paucæ gentes, sed *regna inclinata sunt*, id est multæ gentes ad fidem accedendo humiliabuntur, infidelitatis suæ superbia postposita, regna vero bene pro multitudine ponit. Cum enim in uno solo regno multæ gentes habeantur, multo magis in multis multæ habentur. Vel sic : *Inclinata sunt regna*, id est ad hoc humiliatæ sunt, ut efficiantur regna Dei, quæ prius erant servientes diabolo. Supra autem dixerat, *turbabitur terra* contra prædicatores, ne hoc mirum esse videretur, quare Deus hoc pateretur, dicit contra ipsius Dei prædicationem etiam terram esse commotam, ideoque non esse dignum admiratione, si contra discipulos commoveatur, Unde ipse in Evangelio : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* xv, 20.) » Hoc autem quod contra Deum mota est terra sic dicit, quod *terra turbabitur* contra montes, nec hoc mirandum est. Nam etiam *Dominus virtutum* cœlestium id est ille qui Dominus est angelorum, non hominum solummodo, *dedit vocem suam* id est prædicationem ; et contra eum *mota est terra*, id est Judæa, mala commotione, dicens eum seductorem et peccatorem. Ubi vero nos habemus *Dominus virtutum*, Hebræi habent : *Adonai Sabaoth*, quod est, *Domini exercituum*, supernorum scilicet. Et exponit quomodo dedit, sic : Dico quod *Dominus virtutum dedit vocem nobiscum*, scilicet existens, id est in nostra humanitate. Quod est dicere : Non secundum divinitatem dedit vocem, sed secundum naturam humanam in Hebræo habetur *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*.

Diceret aliquis : Non est multum culpanda terra, si contra eum est commoda, cum nobiscum existeret, id est homo esset sicut et nos. Ad hoc autem addit : Vere culpanda est. Nam *nobiscum* 151 existens *susceptor noster est*, id est medicus et patronus. Quod est dicere : Ideo homo factus est, ut medicus noster sit et patronus morte sua. Et ideo adhuc culpanda est, quia recens Deus non est : sed *Deus Jacob* : ille Deus quem coluit Jacob, æternus scilicet Deus. Quæ ergo major insania quam contra Deum et medicum et patronum suum aliquem insurgere ? Diceret aliquis : Quid mirum si contra ejus vocem est terra commota ? Fuitne ad aliquid utilis vox illa ? Ad hoc ergo respondendo, ad videndum quæ utilitas per vocem illam contingit, adhortatur exponendo ipsam utilitatem sic : Dixi quod Dominus dedit vocem, quæ tamen valde utilis fuit : et si quæ ratis ad quid utilis fuit ; *venite* fide, *et videte* intellectu *opera Domini, quæ* per illam vocem *posuit prodigia*, id est mirabilia, *super terram*, id est super Ecclesiam, quæ est terra ejus. Bene vero dicit super terram. Nam ad similitudinem civium supernorum, posuit illa opera in terra. Exponit autem opera, sic : Scilicet est *auferens bella*, id est inimicitias quas habebant erga Deum et proximum, male vivendo. Et non in paucis gentibus : sed auferens bella, *usque ad finem terræ*, id est ubique terrarum. Vel sic : Et non in parte tantum auferens bella, sed usque ad finem terræ, id est usque adeo ut finiatur in eis omnis terrenitas. Et hoc est ac si dicat : Pacem dedit terræ suæ, et erga Deum et erga proximum, quam pacem habent cives superni. Unde angeli in ejus nativitate cecinisse leguntur : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus, » etc. (*Luc.* ii, 14.) Et ipse in Evangelio : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis (*Joan.* xiv, 27). » Ut autem ex toto auferantur bella, *conteret*, id est destruet in terra sua, *arcum, et confringet arma et scuta*, id est ex toto destruet. Et exponit quomodo destruet, sic : scilicet *comburet* hæc omnia *igni*, id est consumet Spiritu sancto. Per arcum quidem designatur dolositas et contra Deum et contra proximum. Per arma vero, manifesta impugnatio (et contra Deum vituperando, et in proximum male tractando). Per scutum, falsis rationibus errorum defensio. Quæ omnia destruit in suis Deus, quoniam aliter pax eis plena non adresset.

Ostensa utilitate vocis, adjungit etiam ipsam vocem ad ipsorum quibus agit instructionem, ut ejus verbo eredant. Dixi quod Dominus dedit vocem hanc scilicet : Vos membra mea futuri, vacate a terrenorum sollicitudinibus, et idolorum cultibus, et sic videte intellectu, quia aliter non intelligeretis quoniam ego, qui vobis loquens sum homo, Deus vestrum sum, secundum quod in Evangelio ipse ait : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan* viii, 25) : » et ego, qui Deus sum, *exaltabor in gentibus* ad præsens. Unde Apostolus : « Cæcitas contingit in Israel ex parte, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* xi, 25) » *Et in terra exaltabor* in fine mundi, id est in Judæa. Unde propheta : « Reliquiæ salvæ fient (*Isa.* x, 21 ; *Rom.* ix, 27). » Et in Psal. xx : « In reliquiis tuis præparabis vultum eorum. » Quod est ac si dicat : Cultus meus exaltabitur ad præsens ubique gentium ; in futuro vero apud Judæos. Repetit autem hoc quod superius dixerat : *Dominus virtutum*, etc. Inculcando ut ipsum verbum hic positum commendet sic : Hanc vocem quam posui vacate, etc., bene credere debetis. Non est enim vox cujuscunque, sed ille hanc protulit, qui est Dominus virtutum, et *susceptor noster* et *Deus Jacob*. Hoc vero ut superius exponitur.

www.libtool.com.cn

IN PSALMUM XLVI.

Titulus quadragesimi sexti. *In finem pro filiis Chore psalmus.* Quod sic exponitur : Psalmus iste compositus est pro filiis Chore, id est pro utilitate filiorum Crucifixi, tendentium in finem, id est in consummationem veri boni : introducuntur hic apostoli, adhortantes omnes filios Chore, ad laudandum Deum opere et affectione, et etiam voce exsultationis. Adjungunt vero plures causas quare debeant laudare, quia scilicet excelsus est et terribilis, et quia cœlum ascendit, et omnem mundum sibi subjugavit. In fine autem ostendunt quomodo subjugavit.

152 *Omnes gentes, plaudite manibus.* Ac si dicat: Non solum Judæi ut in lege veteri; sed vos omnes gentes, et Judæi et gentiles, *plaudite* Deo Christo *manibus*, id est gaudete in Dei laude bonis operibus: a similitudine illorum qui præ nimia lætitia manibus plaudunt. Quoniam autem manibus operamur, pro operibus manus ponuntur. Et non solum manibus plaudatis, sed et *jubilate Deo*, id est laudate Deum jubilo, id est lætitia interiori, quæ nec litteris nec syllabis exprimi potest. Et sic jubilate ut perseveretis *in voce exsultationis*, id est in voce exsultandi eum laudando et eum prædicando. Dicit enim idem in Evangelio : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Luc.* XII, 8) : » Et ecce causæ quare debetis ei plaudere, jubilare et exsultare, *quoniam* ipse Christus qui in passione vilis visus est, quasi servus : *Dominus excelsus* est omnium. Juxta quod alibi Psalmista : « Elevata est magnificentia tua super cœlos (*Psal.* VIII, 2). » Et qui visus est perterritus, *terribilis* erit injustis in futuro. Unde beatus Gregorius : « Et placidus justis, et terribilis apparebit injustis. » Et Apostolus : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31) : » et qui visus est et impotens, *rex magnus est.* Et vere magnus. Nam rex est *super omnem terram.* Unde alibi : « Ego constitutus sum rex ab eo (*Psal.* II, 6). » Et in hoc apparet eum magnum regem et Deum esse, *qui nobis* quoque servis suis *subjecit populos* Judæorum ; fideles scilicet *et gentes* misit *sub pedibus nostris*, id est multum nobis subjecit ; a similitudine illius qui subjicitur pedibus alicujus. Quod est dicere : Credituros ex Judæis et gentibus, regimini nostro subdidit ; et in hoc apparet quod multo magis ipsi subditi sunt. Hoc autem quod gentes nobis subjecit, non contingit ex earum meritis, sed ipse *elegit nobis hæreditatem suam*, id est ex electione misericordiæ suæ subjecit nobis gentes, quæ sunt hæreditas ejus quam per nos excolit. Quoniam autem non omnes sunt hæreditas ejus, exponit quam hæreditatem elegit. Sic scilicet elegit *speciem Jacob*, id est speciositatem gentium, figuratam per Jacob. Per Jacob enim, qui benedictionem majori fratri subripuit, gentes præfiguratæ sunt, quæ in locum Judæorum erant successuræ. *Quem* Jacob *dilexit* Dominus, Esau neglecto, de quo scriptum est : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malac.* I, 3 ; *Rom.* IX, 13). » Vel aliter : Elegit speciem Jacob, id est speciosum Jacob, id est illos de gentibus qui speciosi sunt minoribus, luctatores et supplantatores vitiorum. Quem Jacob dilexit, id est quos speciosos dilexit ante mundi constitutionem, in providentia sua. Et ideo adhuc plaudite, jubilate et exsultate, quia ipse *Deus ascendit* cœlos, qui simplex homo videbatur. Et hoc *in jubilo* apostolorum, id est gaudentibus nobis apostolis interiori lætitia, quæ jubilum dicitur. Et ipse *Dominus* existens omnium ascendit *in voce tubæ*, id est in attestatione angelorum voce elementari facta ; quæ fuit ad modum soni tubæ manifesta ; ideoque vox tubæ dicitur, quia angeli dixisse leguntur : « Viri Galilæi, » etc. (*Act.* I, 11.) Ergo quia sic ascendit, et quia excelsus, et terribilis et rex magnus : *psallite Deo nostro*, id est, bene operamini ad laudem ejus, quia Deus noster est. Dico *psallite.* Et *regi nostro psallite*, id est psallite ei quia rex noster est. Psallite vero toties repetit, ut magis exhortetur. Et non solum quia rex noster est, id est nostrum apostolorum. Sed *quoniam* Deus est *rex omnis terræ*, id est omnis modi terræ, psallite ipsi. Et hoc *sapienter*, id est sicut psallendum est, non cum arrogantia et negligentia. Diceret aliquis : Quare dicis quod rex est omnis terræ, cum non sit Deus nisi Judæorum ? Ad hoc vero sic addit : Bene posui *omnis terræ.* Non enim super Judæos tantum, sed etiam *regnabit Deus super gentes.* Exponit vero super quas gentes, sic : Non autem sic regnabit, ut modo non regnet, sed et nunc *sedet* in æternum, sessurus *super sedem sanctam suam*, 153 id est super eos de gentibus sedet, qui sunt sedes sancta sua, ut eos dirigat de bono in melius. Unde Propheta : « Regni ejus non erit finis (*Mich.* IV, 7 ; *Luc.* I, 33). » Quæreret aliquis : Quomodo sibi regnum in gentibus paravit ? Ad quod sic respondet, quod *principes populorum*, id est reges, duces, et cæteri *congregati sunt* ad fidem : non cum recenti Deo, sed *cum Deo Abraham*, id est cum Deo æterno, quem coluit Abraham, vivendo bene, non dissentiendo ab eo, vivendo perverse. Et per principes sunt congregati minores. Posset etiam quæri : Suntne per liberum arbitrium congregati ? Respondetur : Nequaquam. Sed per nos qui sumus *dii terræ*, id est Ecclesiæ, quæ Dei terra est ; vel di terræ, id est deificati ex terrenis, quod prius eramus. Quoniam dii terræ, nos scilicet, *fortes* in constantia prædicationis, vehementer *elevati sunt* in potentia miraculorum, « Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). » Et per prædicationem et miracula illorum deorum *congregati sunt principes populorum.* Dii quidem apostoli bene dicuntur, eo quod dii filii sunt spirituales : et in sanctitate vitæ prout possibile fuit, Christo, qui Deus est, exstitere conformes : et in cœlis quoque post carnis absolutionem, ejus sunt gloriæ participes. Unde per Psalmistam dicitur : Ego dixi : Dii estis (*Psal.* LXXXI, 6),

www.libtool.com.cn

IN PSALMUM XLVII.

Titulus quadragesimi septimi: *Psalmus cantici, filiorum Core secunda Sabbati*, Quod sic exponitur: *Psalmus*, id est tractatus iste est psalmus *cantici*, id est tractatus lætitiæ, continens fundationem Ecclesiæ. Unde debet haberi lætitia ab omnibus fidelibus. Vel psalmus lætitiæ, id est ostendens in quanta lætitia fuerit Ecclesia in ipsius fundatione. In hoc psalmo introducuntur filii Core: apostoli scilicet agentes de hoc quod significatum est, per hoc quod contingit in secunda Sabbati, id est de re præsignata per firmamentum quod creatum est a Deo in secunda Sabbati, quem Latini dicunt diem Lunæ, Hebræi vero, dies a Sabbato computantes, secunda Sabbati dicunt. Per firmamentum namque quod a Deo factum est secunda Sabbati, post lucis creationem, præfiguratum est Ecclesiæ fundamentum; quod contigit post luculentam Christi resurrectionem, quæ resurrectio est nostri intellectus illuminatio. Unde etiam totum tempus a resurrectione Christi usque ad finem mundi ab Augustino secunda Sabbati vocatur: eo quod per totum tempus illud a Deo Ecclesia fundatur de generatione in generationem: sicut in secunda Sabbati accipimus firmamenti fuisse constitutionem. Quæ jure Ecclesiæ firmamentum appellatur, eo quod in virtutum perfectione firmatur. De qua Dominus Petro in Evangelio dixisse legitur: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI, 18). » De hac autem Ecclesiæ fundatione in hoc psalmo apostoli agunt, dicendo quanta exsultatione omnium gentium sit facta ex Judæis et gentibus: et quam constans sit ne aliquo modo metu terrenorum principum deficiat, sed exemplo constantiæ et admiratione suæ gloriosæ fundationis eos ad sui conformitatem attrahat. Et quia talis ab eo fundata est, ostendit Dominum Christum magnum in hoc videri et laudabilem, ut auditores in laudem sui alliciat. De cujus fundatione cives qui in ea sunt ex Judæis et gentibus jubet lætari: gentesque quæ imperfectiores sunt, fidelesde Judæis perfectiores imitari: et, ut tantummodo bonos æmulentur, a falsis prædicatoribus cavere hortatur. Agit autem ideo de hac Ecclesiæ gloriosa fundatione, ut eos qui nondum cives ejus sunt, ad eam invitet accedere; factosque jam cives sic admoneat in ea perseverare:

Magnus Dominus Jesus. Non dico quantum ad corporis magnitudinem, sed quantum ad potentiæ sublimitatem. *Et laudabilis*, id est, dignus laude. Et hoc *nimis*, id est, super humanam facultatem *in civitate Dei nostri*: ejus Christi scilicet *in monte sancto ejus*. Quod est dicere: Dominus Jesus qui 154 magnus et laudabilis apparet *in fundatione* civitatis suæ, id est ecclesiæ, quæ est mons sanctus ejus, id est in virtutibus excelsa facta ad modum montis: ipse Jesus non solum videbitur esse Dominus, sed et *Deus* esse *cognoscetur in domibus ejus* civitatis, id est in consideratione fidelium qui sunt domus ejus civitatis: quos ipse inhabitat, et in omni virtute confirmat. Quod est dicere: Non solum per gloriosam civitatis suæ fundationem, *Dominus* esse *magnus* et *laudabilis* apparebit; sed etiam per admirabilem domorum civitatis ejusdem firmitatem eum Dominum esse constabit. Vel sic: A quocunque non cognoscetur Deus; *in domibus ejus* civitates *cognoscetur* esse Deus, in fidelibus scilicet. Et *cognoscetur cum suscipiet eam* civitatem ad conservandum, in tribulationibus ne deficiat: a similitudine patroni, qui oppressum ab aliquo suscipit ut protegat. Quoniam vero dixerat magnum esse Dominum et laudabilem *in civitate*, posset quæri. Quare laudabilis est *in civitate*? Ad hoc autem respondet, interponendo causam quare *magnus et laudabilis* videre debeat *in civitate*, sic: Vere *magnus* et *laudabilis* est *in civitate*: nam illa *civitas Regis magni*, Domini Jesu scilicet, *fundatur* ab ipso Rege, id est firma constituitur: et hoc *cum exsultatione universæ terræ*, id est sic *fundatur* quod omnes populi et gentiles et Judæi exsultant in ejus fundatione. Et quia possent intelligi exsultare sicut non essent in illa civitate, ostendit ex eis utrisque eam constitui, cum addit: Et ipsa civitas est *mons Sion*: et *latera aquilonis*, id est constituitur ex monte Sion, et ex lateribus aquilonis, id est ex Judæis et gentibus. *Mons* vero *Sion* Judæorum plebs dicitur: non quod in virtutibus esset sublimis, sed quantum ad Dei cultum quem exercebat, et eum exercendo Deum contemplabatur, quo cultu gentium infidelitas carebat. *Latera* quidem *aquilonis*, id est diaboli gens dicitur: eo quod ejus diaboli satellites existentes eum semper ducem habebant: a similitudine clientum, cui cum Domini sui latus includant eum sequendo, ejus latera dicuntur, id est, constipatores laterum ejus. Aquilo vero diabolus dicitur, eo quod cum a fervore charitatis divinæ frigidus sit, alios sibi consentientes in hoc frigidos facit, et sic ab opere bono steriles: ad modum aquilonis, qui, cum frigidus ventus sit, terram frigidam faciendo stringit, et a generatione florum detinet.

Unde in Canticis sponsus: « Surge, aquilo, et veni, auster, etc. (*Cant.* IV, 16). » Quoniam autem dixerat: *Cum suscipiet eam* civitatem in tribulationibus ut conservet, posset quæri: Quare ergo est civitati necessarium ut eam suscipiat? Ad quam interrogationem sic respondet: Ideo necessarium est ut suscipiat, *quoniam ecce* ad præsens *reges terreni congregati sunt*, id est congregabuntur. Et exponit quomodo congregabuntur, cum addit scilicet: *Convenerunt*, id est convenient *in unum* malitiæ affectum, ut ipsam civitatem persequantur; et ipsi qui ad hoc convenient *videntes* eam *sic* esse fundatam, scilicet ex monte Sion, et lateribus aquilonis, et cum *exsultatione universæ terræ*; et Dominum ejus esse magnum et laudabilem *admirati sunt* id est admirabuntur ejus firmitatem et constantiam; et admirando *conturbati sunt*, id est conturbabuntur bona conturbatione, dolendo quia eam persecuti fuerint, et conturbati *commoti sunt*, id est commo-

www.libtool.com.cn

vebuntur de infidelitate ad fidem, de pravitate ad justitiam: et non parum conturbabuntur, sed usque adeo quod *tremor apprehendit*, id est apprehendet *eos*: tantus videlicet timor, qui etiam tremore corporis ostendatur. Bene quidem ponit, *apprehendet*, ipsi nitentur, instigante diabolo evadere mortem frustra: nam adeo persequetur eos, quod etiam comprehendet; a similitudine illius qui, cum nititur evadere, comprehenditur. Ostendit autem ad quid commovebuntur per conturbationem, sic: Dixi quod tremor apprehendet eos: et *ibi*, id est in illo tremore non infructuosi dolores, 155 sed *ut parturientis*. id est similes doloribus parturientis, quæ ad hoc dolorem patitur ut post pariat. Quod est dicere: Ex doloribus hujus tremoris sequetur partus sanctitatis et bonæ operationis.

Ne vero putarentur per liberum arbitrium esse conturbandi et commovendi, addit: Et hoc quod conturbabuntur non erit ex eis; sed tu, Deus Christe, *in Spiritu* sancto *vehementi* ad hoc, id est forti et efficaci, *conteres*, id ex toto in eis destrues, *naves Tharsis*, id est discursus et sollicitudines explorationis, gaudii mundani scilicet. Quod est dicere: destrues hoc in eis, ne sint discurrentes et solliciti in explorando, quo modo in mundanis gaudere queant. Quod est æquipollens ac si poneret: Destrues in eis sollicitudinem terrenorum, ne in eis gaudere quærant, et sic suis faciet esse conformes. Sollicitudines vero naves dicuntur, eo quod per eas cogitando discurrimus, sicut navibus per mare discurritur. Tharsis quidem interpretatur *exploratio gaudii*. Secundum Remigium vero apud Hebræos interpretatur *mare*, secundum quod sic exponitur. *Conteres naves Tharsis*, scilicet destrues in malo, ædificaturus in bono: ipsos reges qui dicuntur naves maris, id est hujus mundi, eo quod ad similitudinem navium, quæ deferunt homines per mare, deferant ipsi quoque subditos imperii sui regimine. Mundus autem mare dicitur, eo quod ad modum maris turbine tribulationem uberrimo conturbatur. Cum vero dicit, *sicut audivimus*, etc., ostendit verum fuisse prophetarum de Ecclesiæ fundatione testimonium, cum in ea penitus quæ ab eis prædicta sunt videantur esse completa: ut per hoc innuat Ecclesiæ fundamentum haudquaquam esse vile quidlibet et abjectum, cum tantorum vivorum antiquissima fuerit auctoritate confirmatum. Quod sic continuatur: Ergo quia sic est fundata Eclesia ex utroque populo, ut supra diximus; et adeo constans, ut non solum non cedat, sed etiam superet, sicut a prophetis fuerat prædictum; revera affirmare possumus quod, *sicut audivimus* auditu intelligentiæ in libris prophetarum, *sic vidimus* conpletum *in civitate Domini virtutum*, id est exercitum supernorum scilicet *in civitate Dei nostri*, id est Christi, non in civitate alterius Domini virtutum: dico cum nullus alius sit præter eum Dominus in Ecclesia videlicet. Exponit autem quid sit in ea completum, sic: Hoc scilicet *vidimus* completum *in civitate Domini virtutum*, quod *Deus fundavit* A *eam* fundatione mansura *in æternum*. Posset quæri. Quibus ministris? Respondetur: per nos videlicet fundavit, sic: Quia in primis *suscepimus misericordiam tuam*, o *Deus* Christe, id est Spiritum paracletum, per cujus donum hominis misertus es, ideoque misericordia dicitur: et hoc *in medio templi tui*, id est in manifestatione templi tui.

Quoniam autem ea quæ in medio ponuntur manifesta sunt, medium pro manifestatione ponitur. Quod est dicere: Adeo suscepimus Spiritum sanctum, quod ejus per nos in miraculis gratia cooperante manifestetur per hoc nos esse templum tuum. Et per nos justos factos, o Deus Christe, *secundum nomen tuum*, id est secundum mensuram nominis tui: *sic et*, id est etiam, *laus tua* est magna, scilicet usque B *in fines terræ* dilatata est. Quod est dicere: Adeo dilatavimus laudem tuam, ut ubique terrarum divulgetur, sicut hoc nomen quod est Deus, vel aliud æquipollens huic nomini, divulgatur in omni loco terrarum. Sicut apud Hebræos hoc nomen quod est *Hel*; apud Græcos vero Θεὸς, et apud cæteras gentes alia nomina hujusmodi. Quoniam autem posset in omni regione divulgari laus Dei, et in unaquaque in paucis, ne pauci viderentur esse, addit: Et non apud paucos laus tua divulgatur, sed *dextera tua*, id est potentia tua, vel pietas tua *plena est justitia*, id est justis. Quod est ac si diceret: Non sunt pauci justi quos pietas et 156 potentia tua per nos acquisivit, sed multi. Omninoque plenus eis es, et circumdatus, a similitudine manus, quæ cum multa C teneat plena est ipsis et referta. Dextera vero ponitur pro potentia, eo quod in dextera potior virtus sit et potentia quam in sinistra. Ponitur quoque pro pietate, eo quod per eam labenti subvenit, sicut dextera cujuslibet labenti sæpius auxilium porrigit. Hoc autem quod dicit per se Dei laudem divulgatam esse, non dicit ex superbiæ tumore, sed ex gratiarum actione. Adhortatur autem hujus civitatis cives, ut Dei judiciis latentur: cognoscendo ea esse justa, non de eis murmurantes, sic: Ergo quoniam a Deo firmiter Dei civitas est fundata, talique regi subjecta, vos cives ejus lætamini ad ejus laudem, scilicet *lætetur mons Sion*, id est collectio fidelium de Judæis: *et exsultent filiæ Judæ*, id est D fideles de gentibus, quos peperit in fide Juda, id est confessio prædicatorum primitivæ Ecclesiæ de Judæis. Quod est dicere: quos acquisierunt Deo prædicationis suæ confessione, ideoque dicuntur eorum filiæ; et bene *filiæ* dicuntur, non filii, eo quod in virtutibus speciosissimi sunt. Species enim major inesse solet filiabus quam *filiis*. Juda vero *confessio* interpretatur. Vel filiæ tuæ, id est primitivæ Ecclesiæ, quæ fuit de tribu Juda. Dico *lætentur exsultent*: et hoc *propter judicia tua, Domine*: quia tu judicasti Ecclesiam ex Judæis et gentibus constituere. Exhortatur quoque filias Judæ ut imitari studeant omnimode fideles perfectos de Judæis, id est prædicatores qui perfectiores sunt, cum longius unius Dei notitiam habuerint.

Dixi vobis, o filiæ Judæ, exsultetis; hoc etiam admoneo: *circumdate Sion*, id est *imitamini* perfectos de Judæis, investigando eorum sanctitatem; a similitudine alicujus, qui aliquem circumdat, et circa eum versatur, ut ejus actus inspiciat: et ut perfecte imitemini, *complectimini*, id est diligite *eam*. Quoniam diligentium est complecti, ponit complecti pro diligere. Exponit per partes quomodo imitentur cum addit: Dico *circumdate Sion*, id est imitamini: hoc modo scilicet: *Narrate* aliis *in turribus ejus*, id est in conformitate prædicatorum ejus primitivæ Ecclesiæ; qui dicuntur turres, eo quod inexpugnabiles sunt a vitiis, Ecclesiamque sanctitatis a fortitudine ad modum turrium munientes. Et non solum in narratione imitamini, sed, ut in virtute eam Sion imitemini, *ponite corda vestra*, id est consideratio- B nem cordium vestrorum *in virtute ejus*, id est considerate quantam habeat virtutem, ut et vos in virtute ipsi conformemini. Virtutem dicit, vel vim constantiæ ejus, vel charitatem quam habet erga Deum et proximum; quæ antonomastice dicitur virtus, eo quod aliis virtutibus excellentior sit. Dixi: narrate in conformitate turrium; ne vero seducamini a falsis apostolis, « qui, » veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 13), » *distribuite*, id est sequestrate *domos ejus* Sion, id est turres, ab illis pseudoapostolis. Quod est dicere: Discretionem habete inter pseudo apostolos et turres, *ut* sic *enarretis* in conformitate turrium *in progenie altera* successura, C non solum in hac præsenti. Vel sic: *Enarretis* non solum in persona vestra, sed etiam in, id est per, progeniem alteram successuram. Quod est ac si dicat: Si conformaremini pseudoapostolis, non essent auctorizabiles enarrationes vestræ, neque recitarentur de generatione in generationem; sed conformamini turribus, et hoc quod enarrabitis auctorizabile erit. Enarrabit etiam aliis altera generatio successura, et hoc enarretis per progeniem alteram, id est, hoc enarratum a vobis enarret progenies altera. *Quoniam hic*, id est in Ecclesia, *est Deus*; et non alienus, sed *Deus noster* Christus; usque *in æternum*, id est quandiu mundus iste durabit: *et usque in sæculum sæculi* hujus subsecutivum, nunquam dimissurus eam. Et non sic est in ea, ut nihil D ibi operetur; sed ipse idem Deus noster reget nos, ne a via sua distorqueamur 157 usque in sæcula sempiterna: hoc autem dicit ut infideles esse filios Ecclesiæ plus invitet.

IN PSALMUM XLVIII.

Titulus *quadragesimi octavi. In finem filiis Core. Psalmus David*, quod sic exponitur: Psalmus iste est David prophetæ vel apostolorum. *David* dico loquentis *filiis Core*, ut nitantur esse filii usque in finem filiationis, id est in quantum esse queunt filii. Quod est dicere ut sint fili in perseverantiam et perfectionem. Intendunt autem in hoc psalmo apostoli vel prophetæ revocare omnes filios Core, et in Judæis et in gentibus, et perfectos et imperfectos, et A divites et pauperes ab iniquitate: ab hac scilicet ne confidant in virtute sua, et ne glorientur in multitudine divitiarum suarum; ostendendo solam iniquitatem causam esse quare in futuro timeant et damnentur, sic ut nunquam redimantur; et ut magis eos ab iniquitate revocent, justos non esse redimendos affirmant. Ut autem ad hanc instructionem eos quibus loquuntur reddant attentos, adhortantur eos ad audiendum, sic ut percipiant, promittendo se sapientiam locuturos, et non impræmeditate; quam etiam non a se habebunt, sed a magistra Veritate interius ipsis præsidente.

Audite auribus cordis *hæc* quæ vobis dicturus sum, o *omnes gentes*, id est omnes fideles de gentibus: et vos fideles de Judæis *qui habitatis orbem*, id est qui B non mobiles et horarii estis in orbe, id est in perfectione virtutum; sed habitantes et immobiles *percipite* hæc *auribus*, id est, sic audite hæc exteriori auditu, ut etiam corde percipiatis. *Orbem*, quod idem est quod et rotunditas, pro perfectione ponit. Quia sicut corporibus rotundis sordes abhærere nequeunt, sic nec vitia adhærere possunt in virtute perfectis. Non autem solummodo Judæos ideo orbem inhabitare dicit, id est perfectionem, quod etiam multi de gentibus non inhabitassent, et adhuc inhabitent; sed quia quidam ex Judæis in primitiva Ecclesia perfectiores aliis exstiterunt, dixit universaliter: *audite, omnes gentes*, et omnes *qui habitatis orbem*. Hoc autem exponit per partes, sic: scilicet *audite* hæc, non solum perfecti, sed et *quique terrigenæ*, *et* quique *filii hominum*, id est et omnes terrenis adhuc inhærentes, qui imperfecti estis: et *filii hominum*, id est ratione utentes ut homines, qui perfecti estis; et non solummodo divites aut pauperes, sed et hoc audiat *dives*, *et* hoc audiat *pauper*: in unum concordiæ eundo, id non remisse unus, et intente alius, sed ambo intente. *Dives* quidem audiat, ut discat in divitiis non gloriari, cum ostendero eas damnationem operari, plus quam salutem. *Pauper* autem, ut hæc eadem intendendo, de paupertate consoletur, divitias spernendo. Reddit autem eos ad audiendum intentos, sic: Dixi, *audite*, et audiendus sum. Non enim vana loquar et inutilia, sed *os meum loquetur sapientiam*, id est tale quid quod D ad sapientem vitam pertinebit: *et* hoc non impræmeditate loquar, sed *meditatio cordis mei* proferet *prudentiam*, id est sapientiam. Bene quidem ponit, humiliando se, non *ego loquar*, sed *os meum loquetur*: nam si poneret *ego loquar*, posset videri quod de se illud haberet. Cum autem ponit, *os meum loquetur*, innuit quod non a se erit, sed os suum solummodo hujusce locutionis erit instrumentum; quod plane in sequentibus ostendit, scilicet quod non erit a se, sic: Dico quod *os meum loquetur sapientiam*: quam sciatis a me non esse, ut eam auctorizabiliorem habeatis: sed a magistra Veritate interius mihi præsidente, et a sancto Spiritu. Ego namque *inclinabo aurem meam in parabolam*, a similitudine boni servi, qui ad audienda diligenter

www.libtool.com.cn

verba Domini, aurem inclinat, *Inclinabo* ego, id est affectabo aurem cordis in parabolam, id est ad opus parabolæ audiendæ interius, ab illa magistra Veritate : et postquam inclinata aure didicero, *aperiam*, id est manifeste ostendam *propositionem meam*, 158 id est parabolam, non solum ore, sed *in psalterio*, id est bona operatione. Quod est dicere : Non tantum ostendam voce, sed et bona operatione ; quæ ostensio per operationem multo efficacior est, quam per vocem solam.

Quontam vero psalterium est quoddam instrumentum musicum, per quod cantilena exprimitur operatione manuum, psalterium pro bona operatione ponitur. Parabolam vero dicit hanc quam facturus est instructionem, eo quod non fiat apertis verbis, sed quasi per quasdam similitudines : cum ponit calcaneum pro statu, et cum dicit, « comparatus est jumentis (*Psal.* XLVIII, 13), » etc., hujusmodi : quæ etiam parabola propositio dicitur, eo quod ad correctionem aliorum proponatur : et quoniam ex hujusmodi locutionibus, cum obscuræ sint, quæstiones soleant generari, facta exhortatione incipit hoc quod promisit, sic: Dixi, *audite*, hoc scilicet : *Cur timebo in die mala* ? Quod est ac si dicat: Beatus ille qui non timebit in die mala, id est in die judicii ; quæ erit dies mala, quantum ad impios : dies scilicet calamitatis et miseriæ. Quia, si fuerit *in die mala* ut timeam damnationem, *cur timebo* ? id est quæ causa erit hujus timoris? Hanc autem quæstionem non in se assumit, eo quod se timere dubitet, cum timoris hujus causa careat ; sed ut in sui transfiguratione hanc quæstionem propositam ad utilitatem audientium solvat. et doceat eos ab iniquitate cavere, sic : Dixi, *cur timebo*: quod sic solvo : Ideo timebo in die mala, si timuero quod *iniquitas circumdabit me*, id est multum occupavit me. Quod est dicere: Quia consciusero, si tumuero, mihi multam iniquitatem inesse. *Iniquitas* dico *calcanei mei*, id est procedens ex affectione mea, quam scilicet in affectione gesserim. Affectionem vero calcaneum dicit ; quod per eam animus cogitando graditur, sicut a corpore calcaneo itur. Vel sic : *Iniquitas*, dico, prostratrix *calcanei mei*, id est destructrix status sanctitatis meæ ; quæ scilicet nunquam alio modo *me* tunc *circumdabit*, nisi hic sanctitatis meæ statum obruerit. Quia per calcaneum statur, pro statu calcaneum ponit. Status autem sanctitatis nihil aliud videtur esse quam in sanctitate perseverantia. Vel sic : *Iniquitas* dico *calcanei mei*, id est perseverantiæ meæ. Ac si diceret : Non me circumdabit iniquitas, nisi fuerit iniquitas, calcanei, id est talis in qua perseverem usque in finem. Calcaneus vero, qui finalis pars est hominis, pro perseverantia ponitur, quæ usque in finem procedit. Per hoc autem instruit ab iniquitatis esse perseverantia valde cavendum. Exponit autem qui sint illi qui habeant iniquitatem, ut consequenter ostendat eos hac de causa damnandos esse, ut sic auditores ab ea penitus absterreat. Dixi quod *iniquitas circumdabit me* si timuero, tamen hac ego careo ; sed hanc illi habent *qui confidunt in virtute sua* interiori, id est qui sine Dei gratia sanctitatem suam, quæ nec etiam sanctitas est dicenda, ad salutem suam sufficere credunt. De quibus alibi Psalmista : « Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ (*Psal.* XXXII, 16). » *Et* illi habent iniquitatem *qui gloriantur* non in Deo, sed *in multitudine divitiarum suarum*, ponendo in eis spem quasi vera bona et summa essent. Quos confidentes et gloriantes quod hujusmodi sunt, *frater non redimit*, id est Christus, qui frater est omnium bonorum, participes erunt beatitudinis ejus. Unde post resurrectionem de apostolis dixit : « Ite, nuntiate fratribus meis, etc. (*Matth.* XXVIII, 10); » Et alibi : « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, » etc. (*Matth.* XII, 50). Quod est dicere : Cum frater pro omnibus passus sit, ut omnes redimat passione sua, quantum ad suam pietatem : tamen non redimit eos quos supra dixi, quantum ad eorum iniquitatem ; quia nolentes ei conformari repellunt a se redemptionem Et cum non redimantur a fratre, *redimet* eos *homo*, id est Adam vetus homo, cui sunt conformes ? Nequaquam. Vel sic : Frater homo non redimit eos hic, id est, Christus qui frater noster est, secundum quod homo, non redimit eos hic morte sua ab injustitia eorum. Redimet ergo eos in futuro ? 159 Minime. Et hoc est quod dicit : vere *non redimet* ; nam *non dabit* ille frater *Deo placationem suam*, id est placationem eorum in futuro. Quod est dicere : Non faciet pro eis orationem Deo Patri, per quam ejus iram placet quam habet contra eos. *Et* hic non dabit eis *pretium redemptionis animæ suæ*, id est eorum. Quod est dicere : Mors ejus quæ pretium redemptionis animæ justorum, non erit pretium redemptionis animæ injustorum ; quia confidunt et gloriantur, ut supra diximus. Et quia ille confidens et glorians non redimetur a fratre, *laborabit* ille misere, in æternum cruciandus in futuro.

Et prius hic adhuc, id est aliquantulum non diu vivet prospere, vita ducente eum in finem, id est in vitam illam æternam. Juxta illud Salomonis : « Prosperitas stultorum destructio est illorum (*Prov.* I, 32). » Dixi quod in futuro *laborabit*. Et hic prospere degens, *non viderit interitum* consideratione interiori, interitum, inquam, suum, quo in futuro *laborabit*. Obeæcabitur enim ne videre queat, *cum viderit* in hoc mundo *sapientes* juste viventes, *morientes*. Quod est dicere : Cum non viderit hic sapientes propter justitiam suam æternos fieri, sed etiam sicut injustos morte corporea mori ; non putabit se propter iniquitatem suam in futuro damnatum iri. Sicut enim in vivificatione justorum Deum opinatur impotentem aut neglectorem, sic etiam in sui damnatione eum arbitratur invalidum aut non ulcisci curantem : et quamvis non videat *interitum*, in futuro tamen *simul*, id est interitu perpetuo *peribunt stultus et insipiens* : *Stultus* dicitur ille qui

www.libtool.com.cn

cum aliquid non ignorat, illud tamen ex negligentia dissimulat. Et sic potest dici non videns, ad utilitatem scilicet suam non videns. *Insipiens*, vero dicitur, qui penitus ignorat, cujus damnatio justa est, quatenus ad hoc ne ignoraret labore ex pigritia dimiserit. Unde Apostolus : « Ignorans ignorabitur (*1 Cor.* XIV, 38). » Vel sic : Dico quod *laborabit* : et cum hoc sibi continget, *non videbit* in futuro *interitum* sapientum : *cum* tamen hic *viderit sapientes* morte corporea *morientes*. Dico quod *sapientes* videbit *morientes*; et non solum ipsi morientur, sed simul cum ipsis sapientibus, morte carnis *insipiens et stultus peribunt*. Quasi diceret : Si mortem sapientum possent effugere, tunc saltem qualicunque modo esset eis tolerabile. Sed cum nequeant istam etiam evadere, constantissimum est eis maximum miseriarum cumulum imminere.

Notandum sane de justorum hic impunitate, de iniquorumque pariter idcirco agi damnatione, ut et impios justorum impunitatis ostensione ad eorumdem justorum conformitatem attrahat, et ipsos impios futuri interitus comminatione a sua perseverantia iniquitatis exterreat. Notandum quoque de iniquis et singulariter et pluraliter, idcirco quia, cum in eis sit personarum multiplicitas, est etiam in eisdem iniquitatis unitas. Sequitur : *Et relinquent*, etc. Quod sic continuatur : Dixi quod *peribunt*, et pereundo non secum deferent *divitias* ad eorum solatium, quarum congregandarum fuerit eis usque adeo studium, sed *relinquent divitias suas alienis* : nam etsi filiis relinquant, ipsi tamen filii erunt ab auxilio eorumdem patrum alieni. Non enim eis beneficio aliquo poterunt auxiliari, cum meritis suis exigentibus fuerint in perpetuo damnati ; et cum ipsi tot hic domus amplissimas ædificaverint, nulla post mortem domorum illarum eis supererit, sed *sepulcra illorum erunt domus illorum in æternum*, id est quandiu mundus iste durabit. In domibus autem amplis nullam utilitatem habebunt, nisi vanam famam; nam *tabernacula eorum*, id est domus illorum, quæ nec etiam *domus* dicendæ sunt, sed *tabernacula*, cum ad modum tabernaculorum sint transitoria, *vocaverunt nomina sua in terris suis*, id est causa erunt quare solummodo vocentur eorum nomina ; et non in longinquis terris, sed tantum in terris suis. Dicetur 160 enim : Hæc domus fuit Octaviani, hæc autem Pompeii, et de cæteris similiter : et hoc *in progenie* præsenti *et progenie* futura, id est in multis progeniebus. Quod vero sequitur : *et homo*, etc., causa est quare *laborabit* iniquus, sic : Dixi quod iniquus *laborabit*, et merito; quia ipse *homo* id est qui erat humanæ naturæ et deberet habere se ut homo, rationabiliter scilicet, non ut jumentum irrationabiliter ; *cum in honore* positus *esset*, id est factus rationalis ad similitudinem Dei, quod honorabile nimis est : *non intellexit*, id est intelligere non curavit ; cum ex ratione posset intelligere interitum suum, eumque bene vivendo effugere : sed *comparatus est jumentis*, id est comparabilis factus est *jumentis*, secundum insipientiam, ut irrationabiliter se haberet. Ne vero putaretur falso comparatus, addit : Et hoc modo comparatus, quod *similis factus est illis*, in insipientia ; dixi quod insipientes sunt ut jumenta et *hæc via ipsorum*, id est hæc insipientia per quam incedunt augmentando de die in diem: ideoque *via* dicitur, erit *ipsis scandalum*, id est causa scandali, scilicet æternæ mortis. Vel sic : Dixi, positi sunt in honore, id est in rationalitate. Et hæc rationalitas, quæ *via* ipsorum esset ad vitam, nisi se ab ea distorquerent, quoniam eam postponunt, erit *scandalum ipsis*, id est causa scandali. Dixi quod iniqui *comparati sunt iumentis* in insipientia. Non autem eis sufficiet quod insipientes effecti sunt, sed et *postea* quam insipientes sunt, *complacebunt* aliis insipientibus per se factis *in ore suo*, id est in suggestione oris sui. Quod est dicere : Suggerent aliis ore, non solum exemplo, confidere in virtute, et in divitiis gloriari, quod summa insipientia est. Et hæc eorum suggestio eis quibus fiet complacebit, et conformabuntur.

Quoniam igitur insipientes ut jumenta facti sunt, et aliis in ore suo complacebunt, *positi sunt*, id est ponentur *in inferno* ut sint *sicut oves*, id est devorentur a morte perpetua ad similitudinem ovium, quæ ad hoc natæ sunt ut devorentur. Ne vero putarentur sic devorari, ut ex toto perirent sicut oves, et sic postea mortis tormenta non sentirent, addit : *mors depascet eos*, id est ita consumet ut tamen in tormentis vivant ; ad modum herbæ, quæ cum depascatur, tamen restat : hoc autem dicit ad exaggerationem calamitatis eorum. Melius enim esset ex toto mori, quam depasci. Dico quod depascentur a morte. Et ut magis doleant, *justi*, quibus hic dominantur, et quos affligunt, *dominabuntur eorum*, id est judicabunt eos : *in matutino*, id est in matutina resurrectione. Juxta illud : « Judicabunt sancti nationes, et dominabuntur populis (*Sap.* III, 8). » *Et auxilium eorum* iniquorum *in inferno* positorum *veterascet*, id est deficiet, ad similitudinem vestis veteris quæ deficit. Quod est dicere : Non ibi amicorum suorum obtinebunt *auxilium* : hoc autem quod *auxilium veterascet*, procedet *a gloria eorum*, id est gloria superbiæ quam hic habent erit inde causa. Vel aliter: *Auxilium*, quod nunc exspectant a gloria eorum, in inferno eis positis deficiet. Dico quod *mors* sic *depascet eos*, et non redimentur a fratre. *Verumtamen* quamvis videar similiter perire et non redimi, cum hic omnibus miseriis subjaceam, *Deus redimet animam meam de manu*, id est de potestate *inferi*. Quod est dicere : Quamvis carnis mortem subeam, tamen mors Domini redemptio mea erit, ne infernum introeam, cum hoc sit quod acceperit me, id est humanitatem meam ut me redimeret. Per hoc autem innuit quod similiter alios sibi conformes *redimet*. Et ideo quia impii depascentur, et anima mea et mihi conformium redimetur, tu, juste quilibet, ne timueris illum qui simpliciter est *homo*, nec etiam deificatus, iniquum scilicet, cum dives factus fuerit

www.libtool.com.cn

ipse homo, et potens ad affligendum te. *Et cum multiplicata fuerit* hic *gloria* id est excellentia *domus ejus*, quoniam non omni tempore durabunt hæc.

Sed *cum homo interierit* morte corporis, *non sumet omnia*, id est non habebit aliquid 161 divitiarum, unde contra te in futuro superbiat. *Neque descendet cum eo in infernum gloria domus ejus*, in qua gloriatur et superbit. Et vere *non sumet* aliquid, neque exaltabitur gloria domus ejus: *quia anima ejus*, id est sensualitas ejus *benedicetur*, id est exaltabitur tantum *in vita ipsius*. Quod est dicere ; Vere in futuro non exaltabitur, quia tantum in hac vita sensualitas ejus exaltabitur in omnimoda voluntate. Ostensio quasi a repetitione. *Anima ejus*, dico, dicentis sibi : Benefac animæ tuæ in omni voluntate. Nam *cum benefeceris ei, confitebitur* tibi, id est laudabit te aliquis dicendo te probum et dapsilem. Sequitur : *Introibit*, etc. Quod sic continuatur : Ita dicet iniquus secum, scilicet *confitebitur*, etc., et benefaciet animæ suæ. Et tamen quamvis hic sibi benefaciat, *introibit usque in progenies patrum suorum*, id est usque in inferum : quo introierunt *progenies* aliorum iniquorum, quorum filius est in malitia. Vel sic : Usque in infernum quo introierunt diaboli patres eorum per superbiam suam : qui dicuntur *progenies*, id est gignentes eum iniquum in infidelitate. Et postquam *introierit*, *usque in æternum non videbit lumen*, id est Dei cognitionem. Et ideo *introibit*, et *non videbit*, quia *homo cum in honore esset*, etc. Hoc autem ut superius exponitur : quod ideo repetit, ut cum a jumentorum similitudine retrahat.

IN PSALMUM XLIX.

Titulus quadragesimi noni: *Psalmus Asaph*. Asaph, Eman, Ethan, Ydithun, quatuor modulatores fuerunt : qui modulatoribus aliis præerant, qui David Psalmos modulabantur. Hic autem non videtur *Asaph* vox hæc apposita ad quamlibet historiæ figuram, sed propter sui interpretationem. Asaph enim illud idem quod et Synagoga interpretatur ; *Congregatio* videlicet : ideoque hic ponitur *psalmus*, id est tractatus iste est Asaph, id est congregationis fidelium ante adventum Chrsiti. Sciendum autem collectionem illam ante adventum Christi, non ideo dictam esse Synagogam, id est congregationem, quod ad irrationabiles et coactos pertinet ; quia multi eorum, cum perfectissimi essent, dicti sunt Ecclesia, id est convocatio : quod ad rationabiles pertinet, et non coactos, qui sola convocatione accedunt ; sed secundum maximam partem, qui non ratione sua eos ducente ad hoc legi deserviebant, sed timore pœnæ, more irrationabilium animalium, quæ non ratione ea ducente, sed vi in unum congregantur. Introducuntur autem in hoc psalmo fideles ante adventum Christi existentes, dicentes Deum qui super prophetas ante locutus fuerat, per Filium suum incarnatum mundo locuturum. Et sacrificiis legalibus quæ tantummodo signum novæ legis exstiterant exinanitis, sacrificium laudis instituturum ; quod in peccatoribus non esse ostendit, ut ipsi sic a peccato, etsi non amore, saltem timore retrahantur. Ideo vero istos introducit Propheta, ut hoc quod hic prophetatur tantorum virorum testimonio magis sit confirmatum.

Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. Quasi dicat : Ille qui Dominus est in rebus, et, cum Dominus sit, potestatem habet sua pro modo suo immutandi et disponendi ; et qui Deus est, id est creator omnium, ideoque in omnibus credendus, et non talis Deus qui ab alio deificatus sit, quemadmodum multi fideles perfecti ; sed *Deus deorum*, id est spirituum cœlestium, et perfectissimorum hominum ; qui ideo dii dicuntur quia ejus sunt divinitatis participes : Iste *Deus locutus est*, id est tempore plenitudinis per Filium populo suo loquetur ; qui jam sapius antea per oracula prophetarum est locutus. Unde Apostolus : «Multifarie multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I, 1).» Et postquam fuerit per Filium locutus, *vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, id est vocabit ad fidem per prædicatores de omnibus habitatoribus terræ, a solis ortu usque ad occasum. Cum autem 162 subsequenter ponere deberet quid loquetur, interponit quod ex Judæis nascetur, vel a Judæis incipiet vocationem suam : ut Judæos infideles, qui eum negaturi erant esse Deum, auctoritate sua convictos, ad audiendum quæ locuturus est, et obsequendum invitet. Interponit etiam ignem *in conspectu ejus* exarsurum, et tempestatem *in circuitu ejus* esse futuram. Et cum cœlum, id est apostolos, et terram, id est mediocres fideles, a perdendis separaturum. Qui etiam apostoli annuntiabunt aliis, qui terra erunt, justitiam ejus Dei : ut cum hoc tanto ante tempore prophetizet, Judæos incredulos ad audiendum et obediendum Christo et discipulis ejus incitet. Adhortatur quoque ipsos cœlos ad Dei fideles futuros prædicatione sua congregandum, ut innuat quantam jam, tanto ante tempore existens, hujusce rei habeat affectionem, et eamdem affectionem doceat aliis habendam esse. Hoc notato, ad verba libri redeamus. Sequitur. *Ex Sion species*, etc. Quod sic continuatur : Dico quod loquetur per Filium incarnatum. Et *species decoris ejus* filii procedet *ex Sion*, id est ipse speciosus in innocentia, et decorus in omnibus virtutibus, nascetur ex plebe Judaica : quæ designatur per Sion, quæ turris est in Judæa. Vel sic : Dico quod vocabit omnem terram ; et species decoris ejus Dei, id est prædicatores ejus, speciosi in innocentia et decori in virtutibus, procedent ex populo Judaico. Vel sic : Advocabit terram. *Et species decoris ejus* terræ incipiet *ex Sion*, id est primi speciosi et decori terræ quos ipse vocabit, erunt de Sion : Ecclesia scilicet primitivorum. In hoc autem Judæos benevolos reddit ad eum audiendum, cum ex eis nasci dignaturus sit et ex eis vocationem suam incepturus.

Dixi quod Deus loquetur per Filium, et ipse Filius

www.libtool.com.cn

Deus existens cum Patre. Et secundum hoc invisibilis veniet, non localiter, sed in notitiam hominum *veniet manifeste*, id est manifestus et visibilis secundum quod homo. Dico *Deus* et non recens : sed *Deus noster*, quem nos et patres nostri coluimus. *Et* ipse *Deus non silebit* se esse Deum. Quod est dicere : Et voce et opere se ostendet esse Deum, secundum quod in Evangelio legitur : « Ego in Patre et Pater in me est (*Joan*, XIV, 10). » Dixi quia veniet, et postquam venerit, *ignis in conspectu ejus exardescet*, id est fervor dilectionis augmentatibur, ad modum ignis exardescentis ; in conspicientibus eum speciali aspectu, in fidelibus scilicet. *Et tempestas valida*, id est excæcatio vehementissima : quæ ideo dicitur tempestas, quia eos ad modum tempestatis dejiciet, et per illicita rapiet. Erit *in circuitu ejus*, id est, in infidelibus, qui neglexerint ei appropinquare. Et erunt *in circuitu ejus*, id est, in elongatione ejus. Vel sic : valida tempestas, id est excæcatio, erit in conspicientibus : non in divinitate, sed *in circuitu ejus*, id est in humanitate solummodo. Quod est dicere : in illis *tempestas erit*, qui eum simplicem hominem esse opinabuntur. Humanitas autem per similitudinem circuitus dicitur. Non quod in se divinitatem localiter comprehendat, sed quod in ea occulte et spiritualiter ipsa divinitas habitet. Cum enim intra rem aliquam habitamus, eadem re circumdamur. Quoniam autem dixerat, *vocabit terram*, et non exposuerat, ne hoc ignoraretur ostendit. Dico quod vocabit terram : et hoc modo, scilicet : prius *advocabit*, id est ad fidem vocabit *cœlum*, id est apostolos, qui sublimitate virtutum dicuntur cœlum.

Ne vero putaretur amittere divinitatem, propter assumptam humanitatem, addit *desursum* existens. In sublimi scilicet æqualitate divinitatis cum Patre : ac si sic diceret : Quamvis homo sit manifestus et visibilis, et humana voce vocans et loquens ; tamen *desursum* erit. Per hoc autem Judæorum perfidiam expugnat, qui eum hominem simpliciter esse mentiuntur. 163 Unde ipse testatur : « Vos de deorsum estis, ego de supernis sum (*Joan*. VIII, 23). » Dixi quod prius *cœlum* advocabit. *Et* per cœlum advocabit *terram*, id est alios fideles qui erunt terra ejus, compluendi doctrina ipsorum apostolorum ; sicut terra a pluvia cœli compluitur, ut per hoc sit fertilis. Volens per ipsum cœlum discernere a massa perditorum populum suum, id est terram suam. Quod est dicere : Per cœlum jam vocatum, vocabit et terram ad fidem, ut separet eam a perditis : et si non a conversatione perditorum in præsenti, saltem a conformitate eorum et in futuro a præsentia quoque.

Sequitur exhortatio ad ipsum cœlum, quæ talis est : Dico quod per vos, o cœlum, *advocabit terram* ; et quoniam hoc tale vobis injungetur officium, diligens huic officio adhibete studium. Scilicet prædicatione vestra congregate in unitatem fidei : et hoc *illi*, id est ad honorem ejus, non ad vestri extollentiam *sanctos ejus*, id est illos quos accedentes ad se fide sanctificabit. Determinat vero qui sint illi sic : *Sanctos* dico illos scilicet *qui ordinant*, id est qui ordinabunt *testamentum*, id est legem novam ejus, *super sacrificia* legis veteris. Quod est dicere : sacrificia reputabunt inferiora, id est indigniora ; et testamentum superius, id est dignius : a similitudine illius qui ordinat lapidem super lapidem, et cætera talia. Exhortatione interposita, redit ad hoc quod incœperat, sic : Dico quod *advocavit cœlum*, et per cœlum *terram* ; et ipsi *cœli annuntiabunt* ipsis quos vocabunt *justitiam ejus*, quod ipse justus est. Et *quoniam* ipse qui *Deus*, est *Judex est* : quod est dicere, ut illos a peccatis exterreat, annuntiabunt eum justum esse Judicem, qui in futuro peccata ulciscetur. Vel hoc totum ab illo loco ubi dicit. *Deus manifeste veniet*, usque ad *audi populus*, de secundo adventu legi potest, de quo ideo interponit ut, cum ipsum Filium, quem loquentem vult introducere, terribilem Judicem in secundo adventu adventurum ostenderit, incredulos ad audiendum, et illi obediendum, timore saltem instiget. *Deus manifeste*, etc. Quod sic continuatur : Dixi quod Deus per Filium loquetur et vocabit terram, et quod *ex Sion erit species decoris ejus*. Et ipse Filius qui, cum humilis erit, non apparebit incredulis esse Deus, *manifeste veniet* ad judicium in futuro, id est cum potestate et majestate. Et sic apparebit esse Deus, secundum quod in Evangelio legitur : « Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate (*Luc*. XXI, 27). » Dico quod *Deus* Filius *veniet*, qui non est recens Deus, sed *Deus noster* quem colimus. Et ipse veniens *non silebit* a vindicta, sicut in priori adventu. Quod est dicere : ulciscetur in eos apparens in majestate, qui negligent eum venientem prius in humilitate. Exponitur autem quomodo ulciscetur, sic : vere *non silebit* ; *ignis* enim elementaris *exardescet in conspectu ejus*, id est in præsentia ejus. Notandum autem quod ignis iste non erit ille ignis æternus quo postea impii sine fine torquebuntur ? Sed ut beatus Petrus affirmat, erit « In resurrectione mortuorum iste ignis, tantum altitudinis aeris attengens, quantum diluvii inundatio conscendit (*II Petr*. III, 10-12) ; » quo igne omnis aeris fœditas expiabitur ; per quem ignem fidelium corpora et animæ simul conjunctæ, sicut modo sunt, velocitate summa sine læsione qualibet, Domino obviam in aera occurrent ad judicium. Unde Paulus (*I Thes*. IV, 17) : « Rapiemur obviam Domino in aera, » impii vero peccatorum mole gravati, multum læsionis in se ferentes, transibunt ad judicium, in æterni protinus ignis mittendi cruciatum. Sequitur : Et cum ignis ibi futurus sit, *et in circuitu ejus*, id est circa eum localiter, vel *in circuitu*, id est in elongatis ab eo in impiis scilicet, erit *tempestas valida*, ventus vehementissimus, scilicet multitudo angelorum 164 malignorum. Qui dicuntur tempestas per similitudinem, quia sicut tempestas, id est ventus, si grana et paleas mista

www.libtool.com.cn

invenerit, grana quidem non movet, paleas vero rapit et defert; sic et ipsi fideles non tangentes, infideles vero rapientes, in ignem detrudent perpetuum.

Sequitur : *Advocabit*, quod sic continuatur : Dico quod *Deus manifeste veniet*. Qui veniens localiter *desursum*, id est de sublimi sede ejus, quæ est ad dexteram Patris, *advocabit cœlum*, id est perfectissimos, *et terram*, minus perfectos, volens per judicium cœli discernere populum suum, id est minus perfectos a damnandis. Juxta quod idem in Evangelio dicit : « Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Math.* XIX, 28 ; *Luc*, XXIII, 30). » Cum dicit *congregate*, etc., adhortatur angelos bonos ex affectione nimia ad congregandum bonos, sic : quandoquidem tempestas rapiet impios, vos angeli boni, quorum ministerio sancti ducentur ad gloriam, *congregate* illi, id est ad honorem illius Filii *sanctos ejus*, id est cœlum et terram. Et determinat qui sint illi sancti, cum addit : *Qui* sancti in hoc mundo *ordinant*, id est, recto ordine reputant *testamentum ejus*, id est æternam beatitudinem, quam ipse promittit in Novo Testamento esse super sacrificia, id est præcellere dignitate sua bonas operationes et virtutes quas ipsi Deo sacrificant, quod est dicere, qui pluris esse reputant æternam gloriam quam merita sua, juxta illud Apostoli : « Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » Dixi, *congregate sanctos* in gloriam, *et* ipsi *cœli*, id est sancti congregati, *annuntiabunt justitiam ejus*, scilicet Dei. Et exponit quam justitiam, cum addit : scilicet *annuntiabunt quoniam Deus judex est*. Quod est dicere. Non voce ; sed gloriæ suæ beatitudine, infidelibus ostendent, quasi si annuntiando ostenderent, quoniam Deus judex justus est, qui eos digne remunerabit. Post interpositionem utilem, incipit enarrare Dei locutionem quam superius promisit, sic : Dixi quod *Deus deorum* loquetur per Filium, quæ locutio est hæc : *Audi, populus meus Israel*. Quod est ac si diceret. Tu collectio Judæorum, quæ populus meus peculiaris es, cui tot impendi beneficia, qui debes esse *Israel*, id est contemplans cœlestia, non cor habens depresssum in terrena : *audi* auditu interiori quæ dicam, et ego qui homo existens, humane loquor, *testificabor tibi*, id est testimonio Scripturarum tuarum et bonorum operum meorum comprobabo tibi quia *Deus sum* et non alienus, sed *Deus tuus*. Ac si dicat : Debes audire me, et audiendo obedire, quia *Deus tuus sum*, quod Scripturarum et operum testimonio comprobatur. Dico *audi*; et hoc scilicet *audi* : Noli ulterius offerre mihi sacrificia legalia, quæ hucusque signa fuerunt, modo vero postquam eorum signatum advenit, signa non sunt, ideoque inutilia.

Non enim amodo *arguam te in sacrificiis tuis* legalibus, non datis; quasi diceret : si dum signa erant legis novæ nondum existentis, ea non obtulisses, te utique per prophetas et Scripturas, et per tribulationes temporales arguissem. Nunc autem quia signa non sunt novæ legis jam existentis, *non arguam te* si non obtuleris, quia amodo non curo ea; *holocausta autem tua* significata non significantia sunt *semper in conspectu meo*, id est in beneplacentia mea ; quod est dicere : holocausta non de bobus et cæteris animalibus, sed holocausta tua, id est de te facta mihi placent, id est si tua vitia penitus in te sancti Spiritus igne combusseris, et si te mihi totum obtuleris, quod designabatur per holocaustum pro peccato factum quod totum comburebatur, illud mihi placebit. Quia vero dixerat indefinite, *non in sacrificiis arguam te*, per partes hoc removet, sic : vere *non arguam te in sacrificiis ; non* enim *accipiam ultra vitulos*, id est sacrificia 165 vitulorum, *de domo*, id est de familia tua. *Neque* accipiam *hircos*, id est sacrificium hircorum, *de gregibus tuis* sumptum. Per has autem duas partes, dat etiam intelligere de aliis partibus. Quod est dicere : Nulla sacrificia tua mihi erunt acceptabilia. Posset dici : etiam si non sunt signa, cum tibi ista dare velimus, accipe. Contra hoc vero sic addit : Cum vobis non essent utilia, sicut prius dum signa erant, non oportet ut accipiam. Non enim his egeo, *quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum*, quarum vos potestatem non habetis. Et *mea sunt jumenta* pascentia *in montibus, et boves*, id est non solum domestica animalia mea sunt, sed et silvestria, scilicet feræ, boves et jumenta in montibus pascentia, quibus dominari non potestis. Ac si diceret : Dum vobis profuit ut ea acciperem, accepi, scilicet cum signa erant. Constat autem quod nusquam mihi profecerunt, neque proficient. Sed cum amodo vobis non proficerent, quia jam eorum significatum advenit, ad quid ea acciperem, quasi his egerem ? Non egeo quidem, cum omnia animalia quadrupedia, et domestica et silvestria sint mea. Non solum autem mea sunt quadrupedia, sed etiam *cognovi omnia volatilia cœli*, id est cum Creator eorum sim, cognosco eorum omnium naturam. Et non solum volatilia mea sunt, sed *et pulchritudo agri mecum est*, id est pulchræ messes, et fructus agrorum, in dispositione mea sunt. Ego enim Creator eorum. Ac si direret : Non egeo, ut des mihi volatilia et messes in sacrificium tibi inutile. Hæc enim omnia mea sunt. Cum dicit *cognovi volatilia*, innuit quod suæ creaturæ sunt. Cum autem et quadrupedia et volatilia mea sint, et pulchritudo agrorum, *si* hoc sit quod *esuriero*, quod nunquam tamen continget, *non dicam tibi* ut mihi ista offeras. Et repetit causam quare non dicat, ut confirmet, sit : vere non dicam, nec oportet. *Meus est enim orbis terræ*, id est omnis terra, *et plenitudo ejus*, id est omnia quæ in eis sunt. Ac si dicat : Cum non sint signa, videris offerre ad hoc, ut hæc esuriam. Sic ideo non oportet ; nam si esurirem, non quærerem ista a te : possem enim egomet accipere, cum omnis terra sit mea, et quidquid est in ea. Quia vero dixerat, *si esuriero*, putaret aliquis quod aliquomodo esuriret. Quod removet sic : quamvis di-

www.libtool.com.cn

xerim : *Si esuriero, nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo ?* nequaquam. Quod est dicere : Non est necesse ut te moneam ad hæc offerenda mihi. Ego namque non manduco *carnes taurorum*, neque poto *sanguinem hircorum*.

Postquam ostendit hæc sacrificia se nolle, ad illud quod sibi placet sacrificium invitat, cum dicit, *Immola Deo*, etc. Quod sic continuatur : Dixi quod sacrificia de vitulis et hircis non curo ut immoles, sed potius *immola* mihi Deo *sacrificium laudis*, id est hoc sacrificium, ut me laudes et affectione et bona operatione, et etiam voce ; et hoc quoque quod me laudabis, non putes a te habere, sed *et redde* mihi *Altissimo vota tua*, id est sacrificia laudis ; quod est dicere : Reputa quod ego tibi hoc dabo, ut si mihi sacrifices, et mihi ista vota reddas ex debito, non donare te credas ex dono. *Vota* dicuntur hujusmodi sacrificia, quod a fidelibus in baptismate Deo voventur. Et si *sacrificium laudis* immolaveris, *invoca me* Liberatorem *in die tribulationis*, id est in extrema die tui obitus, quando occurrent tibi spiritus maligni, volentes te in tribulationes deducere ; *et eruam* te ab omni tribulatione ; *et* inde erutus, *honorificabis me*, id est laudabis in æternum, in gloria perpetua constitutus. *Honorificabis* scilicet non voce, sed affectione. Quoniam autem dixerat immolandum esse Deo *sacrificium laudis*, ne putarentur hoc sacrificium posse peccatores immolare, qui laudare videntur eum voce exteriori : quod non est dicendum esse 166 laus, cum discordent in affectione et opere, ostendit fidelis Asaph ex ipso auctoritate divina, peccatorem nulla utilitate sua Dei laudem voce solum annuntiare, sic : Dixi Deum præcepisse immolandum esse *sacrificium laudis*, et voce, et opere, et affectione. Sacrificium hoc offert justus, maxima utilitate sua ; *peccatori autem* non pœnitenti *dixit Deus* per Scripturas, et dicit etiam per Filium suum : *Quare tu enarras justitias meas*, id est qua utilitate enarras aliis præcepta mea, quæ justa sunt? *et* qua utilitate tua *assumis testamentum meum*, id est legem meam *per os tuum* loquendo tecum, et me sola voce laudando ? nulla utilitate tua hoc agis. Quod est dicere : Justus maxima utilitate sua Deum voce laudat, cum in vita non discrepet, peccator autem ut ipsa Dominica auctoritate convincitur, nulla utilitate sua Deum voce laudat, cum vel secum vel aliis Dei laudem annuntiat. Ostendit autem in persona ipsius Dei, quare sit eas laudare inutile, sic : Dico quod *enarras justitias meas* aliis voce, *et assumis per os tuum*, quas justitias justi enarrant opere et patienter, ferendo disciplinam meam, et ideo ipsis utiles sunt. *Tu vero* eas enarrans et assumens *odisti*, et adhuc odio habes *disciplinam*. Quod est dicere : Si aliquando te pietate paterna, propter peccata tua corrigenda, disciplina tribulationum affligo, non eam patienter et cum dilectione fers ; sed odio eam habendo, cum tædio et murmure inutiliter sustines. Et non solum *odisti disciplinam*, sed *et projecisti retrorsum sermones, meos* id est neglexisti præcepta mea male vivendo.

Ostendit autem per partes quomodo projecerit : sic : Vere *projecisti sermones meos* ; ego enim præcepi non furari, et tu *si videbas furem, currebas cum eo*, id est celeriter consentiebas ei vel actu vel assensu. Et ego dixi non esse adulterandum, et tu si videbas adulteria exercentes, *cum* ipsis *adulteris ponebas portionem tuam*, id est participationem tuam. Quod est dicere : Particeps fiebas adulterii cum ipsis, vel actu vel consensu ; præcepi etiam non esse blasphemandum, et *os tuum abundavit malitia* blasphemiarum in proximum. Statui quoque non esse decipiendum proximum in dolo, *et lingua tua concinnabat dolos*, id est concordando et commiscendo veritatem, ut magis falleret, proferebat dolos adversum proximum. Dico quod *os tuum abundavit malitia* blasphemiarum in proximum, et hoc non semel tantum, sed *sedens*, id est immobilis et perseverans *loquebaris adversus fratrem* tuum malitiam blasphemiarum. Et quia frater potest intelligi æquivoce, scilicet vel frater secundum genus tantum, vel etiam secundum fidem, vel insuper secundum impietatem, determinat de quo fratre hic agat, cum addit : Dico, sedens *adversus fratrem loquebaris*, et, id est scilicet, *adversus filium matris tuæ* Ecclesiæ *ponebas scandalum*. Quod est dicere : Si peccasses contra fratrem illum qui solum frater est in genere, vel adversus eum qui frater est in impietate, licet malum esset, non tamen adeo esset intolerabile. Sed quod multo gravius est, scandalizabas malitia blasphemiarum eum qui frater tuus erat secundum unitatem Ecclesiæ. Ideoque, quia sic *sermones meos projecisti* et multis aliis modis, nulla utilitate tua laudas me, enarrando ipsos justos sermones. Dico quod *si videbas furem, currebas cum eo*, et cætera similia faciebas, et verum est : *hæc* omnia *fecisti* revera, *et* ego *tacui*, id est non redargui te, damnando protinus pro his commissis. Et quia *tacui*, o *inique*, *existimasti quod ero tui similis* consentiendo iniquitati tuæ, non puniendo. Vel *inique* potest legi adverbialiter, sic : quia *tacui*, *existimasti quod ero tui similis*, non ulciscendo iniquitatem tuam, et hoc *inique existimasti*, id est non fuit vera existimatio tua : nam ego *arguam te* in futuro, damnatione tua, *et* sic *arguam* quod *statuam te contra faciem tuam*, 167 hoc autem per similitudinem dicitur, quasi poneret : Adeo manifeste *arguam*, quod, velis, nolis, faciam te cognoscere iniquitatem tuam, quam modo cognoscere negligis ; a similitudine alicujus, qui, si *contra faciem* cuilibet statuitur, cognoscit eum. Notandum quod hoc de peccatore ideo interponit, ut terrendo eum a peccato retrahat, et ad pœnitentiam adducat.

Postquam vero peccatores exterruit, ad intelligendum quod sacrificium facturi sint, invitat, ut in ultimo instruat, sic : Dixi quod nulla utilitate sola voce peccator me honorificat. Ergo vos, peccatores, *qui* modo *obliviscimini Deum*, me scilicet, non obe-

www.libtool.com.cn

diendo præceptis meis, *intelligite*, id est diligenter percipite hæc quæ dixi, ut non sola voce enarretis justitias meas, neque projiciatis sermones meos retrorsum : *ne*, si non intellexeritis, *quando*, id est aliquando, *rapiat* vos Deus ad vindictam, ego scilicet, *et* tunc *non sit qui eripiat* vos de damnatione. Ac si poneret : Cum diabolus aliquando ad malum rapere vos intendat, eripio ego vos : sed si ego rapuero, nemo poterit vos eripere. Quoniam autem eos de peccatis exterruerat, possent quærere : Quando quidem enarrare justitias tuas, sic ut sermones tuos projiciamus, tibi non placet, quid agamus, nos instrue, Cui petitioni sic respondet : Dixi quid non valet sic enarrare justitias meas, cum hoc non sit ad honorem meum ; sed *sacrificium laudis honorificabit me*, id est hoc erit ad honorem meum, quod laudet et voce, et opere, et affectione : *et illic*, id est in illo sacrificio erit *iter*, *quo* itinere *ostendam illi* qui hoc egerit, *salutare Dei*, id est salvationem quam Deus dabit suis in futuro. Ac si dicat : Insistere debet unusquisque ad *sacrificium laudis* ; quod erit *iter*, id est via per quam ille qui institerit, videbit salvationem quam Deus dabit suis in futuro, ego scilicet. Vel sic potest versus iste continuari, ut expositio non mutetur : Ergo qui inutiliter enarratis sola voce justitias meas, *intelligite* hæc quæ vobis dicam : *sacrificium laudis honorificabit me*, etc.

IN PSALMUM L.

Psalmi titulus quinquagesimi : *In finem psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bersabee*, quod sic exponitur. *Psalmus* iste attribuendus est *David* prophetæ, respicienti *in finem*, id est in Christum, finem prophetiæ et legis, per cujus misericordiæ et passionis fidem putat se de homicidio et adulterio, quod commisit, esse salvandum : factus iste psalmus cum hoc sit quod *venit ad eum Nathan propheta. Cum* in hoc loco causative ponitur ; ac si diceret : Causa quare nunc psalmum componeret, exstitit Nathan propheta veniens ad eum. Quia vero ad eum multoties venerat, ne ignoraretur in quo adventu ipse causa fuit hujus psalmi, determinat hoc cum addit : *quando intravit ad Bersabee. Quando* hic causativum est ; quasi poneret : *Cum venit ad eum Nathan propheta* ad corrigendum eum jussu Domini : quandoquidem ipse David *intravit ad Bersabee*, et commisit adulterium. Cum dicit *intravit ad Bersabee*, rem turpem occulte indicat, nec oportuit apertius dici, cum historia nota sit. Quæ historia breviter attingenda est, propter ipsius figuram. Legitur quidem David de solario suo Bersabee Uriæ uxorem de lavacro prodeuntem aspexisse, ejusque pulchritudinem concupivisse (*II Reg.* XI). Qua in adulterio cognita, quoniam eam propter infamiam, marito superstite, in conjugio retinere non poterat, eumdem maritum ejus Uriam fraudulenter fecit interfici, et sic eam sibi conjugio conjunxit. Cæterum quia, se, de peccato tanto secure habens, Deo per pœnitentiam et afflictionem satisfacere negligebat, jussu Dominico per prophetam Nathan correptus, et, de peccato pœnitens, hunc psalmum condidit. In quo Deum vehementi affectione de peccati sui remisssione orat, et ejus benevolentiam in 168 ultimo captat. Orat etiam de omnium iniquitatum suarum remissione. Promittit quoque sibi ex confidentia divinæ clementiæ et potentiæ, se per fidem Dominicæ passionis et baptismi futuri mundandum esse, rogans ut, cum mundatus fuerit, non permittat eum Deus ad peccata reverti. Ostendit quoque, ut magis Dei clementiam ad condonandum moveat, quod, si Deus ei indulserit, multi peccatores ejus exemplo pœnitentes ad eum convertentur. Excusatque se ideo sacrificia legalia non offerre, quia scit Deum eis peccata non condonare. Ostendit insuper quod per sacrificium spiritus contribulati, quod Deo gratissimum est, peccata condonantur. Quod sacrificium quia prævidet in Ecclesia futurum, orat ex affectione nimia pro ea, ut eam Deus benigne constituat, quæ constituta seipsam super altare fidei Deo sacrificabit.

Notandum autem quod, ad utilitatem nostram, David offensio et pœnitentia et remissio de peccato suo nobis proponitur, ut cum tantum virum, usque adeo in sanctitate provectum, sic graviter cecidisse viderimus, nos usquequaque debiles, nullatenus in nobis fiduciam habentes, casum semper timeamus, et omnimodo caveamus. Si autem ad modum ejus, vel multo etiam gravius ceciderimus, ejus exemplo ad pœnitentiam reducti, pro peccato nostro flendo, et omnibus modis Deo satisfacere satagendo, de remissione, cum affectione immodica oremus, et sic veniam consequemur. In hac historia figura continetur, quæ, tametsi ad hujus intentionem psalmi non videtur attinere, non tamen dicenda est audientium utilitate carere ; quæ figura hæc esse dicitur : Per David qui *manu fortis* et *desiderabilis* interpretatur, Dominus Jesus qui contra diabolum agendo viriliter manu fortis exstitit, et ante tempus plenitudinis a fidelibus veris desideratus fuit, intelligitur, qui de solio, scilicet de misericordiæ suæ sublimitate, considerans Ecclesiæ de baptismi lavacro prodeuntis pulchritudinem sanctitatis et innocentiæ, concupivit eam. Quæ Ecclesia per Bersabee figurabatur ; quæ *puteus satietatis* interpretatur. Ecclesia namque est puteus doctrinæ Dominicæ dogmate satiatus, Juxta quod in Evangelio legitur : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Ut igitur Ecclesiam Christus sponsam sibi conjungeret, diabolum, cujus sponsa fuerat, in infidelitate posita, morte sua non secundum essentiam, sed secundum potentiam peremit, ut in eo videlicet propter Adæ peccatum nullum ulterius usurparet imperium. Quod peccatum per ipsius Christi fuit obedientiam deletum, qui diabolus per Uriam Bersabee sponsum, a David interfectum, præsignabatur ; qui *lux mea Dei* interpretatur, diabolus namque recte *lux mea Dei* dicitur. Qui de naturæ suæ lucidissima specie superbiens, non se humiliter erga Deum ut creatura ejus

www.libtool.com.cn

habuit, sed non voce, imo arrogantiæ suæ cognitione, secum ait : Lux mea est lux Dei. Quod est dicere : Quoniam a Deo lucidissimæ naturæ existo, non ut creaturam, sed ut Deum me habebo, hac enim mea tanta luce, me Deum esse comprobatur, quia diabolus, non voce sed affectione dixisse perhibetur : « Ponam sedem meam ad aquilonem (*Isa.* XIV, 14), » id est in frigore dilectionis Altissimi, et sic «similis ero altissimo (*Ibid.*).» Ac si diceret : Si dilectionis ejus igne fervens, me ut creaturam ipsi subdidero, licet lucidissimus existens, tamen ei dissimilis, cum ipse Deus, ego vero ejus creatura reputabor; sed sedebo in aquilone, id est in frigore dilectionis ejus immorabor, nec ei subditus ero, et *similis ei ero*, id est cum tantæ lucis sim, Deus sicut ipse existimabor. Notandum sane, non ignominiosum esse, si per Bersabee adulteram Ecclesia quæ sponsa Christi virgo est et casta ; per David vero peccatorem Christus a peccato immunis ; per Uriam quoque innocentem et injuste peremptum diabolus nocens et juste Dei morte interemptus, fuerit figuratus : non enim magis ignominiosum est quam quod sæpe diaboli nomen litteris aureis, Dei autem nomen atramento, id est colore nigro describitur, quoniam nec atramenti vilitas aliquid Deo offert dedecoris, nec auri pretiositas diabolo quidlibet honoris attribuit.

169 *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Quod est dicere : Cum tu *Deus* sis, et tui sit misereri, *miserere mei.* Et non parum, sed ad modum magnæ misericordiæ tuæ; ut, cum scilicet magna sit misericordia tua, et peccatum meum magnum, secundum quod magna est misericordia tua *miserere mei*, cujus peccatum magnum est. *Et miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum*, id est secundum beneficia misericordiæ tuæ, quæ multa sunt, quæ beneficia miserationes dicuntur. Quod est dicere : Non solum ad mensuram magnitudinis misericordiæ tuæ oro, ut peccati mei magnitudini miserearis, sed ad mensuram multitudinis *miserationum tuarum*, ut, cum scilicet multæ sint miserationes tuæ, miserearis mihi per ipsas, qui multa delicta per Bersabee commisi. Peccavi namque in adulterio peccavi in homicidio, peccavi et in negligentia tui, et in hoc quod Bersabee nocentem feci. Per hoc quod Dei magnam esse misericordiam dicit, et multas esse miserationes ejus, innuitque magnum esse peccatum suum et multiplex, benevolentiam Dei captat, se accusando et Deum magnificando. Ostendit autem in quo sui misereatur, cum addit, sic scilicet : *Miserere : Dele iniquitatem meam*, id est dele a memoria tua iniquitatem meam, ut non punias; vel sic : *dele* ab anima mea maculam iniquitatis meæ. Et sic *dele*, scilicet *lava me ab iniquitate mea, amplius* quam de aliis iniquitatibus laveris. Ac si dicat, de aliis iniquitatibus me jam lavisti, quæ non tam amplæ fuerunt, sed cum ista sit amplior quam illæ essent, ampliori egeo lavatione. Ideoque *amplius me lava.* Vel sic amplius *lava me* quam sciam te rogare, non enim te tantum rogare scio nec possum, quantum oportet. Et non parum *lava*, sed *munda me* ex toto, per magnam misericordiam tuam. *A peccato meo*, peccatum idem est quod iniquitas, vel peccatum potest intelligi concupiscentia mala, iniquitas vero actus ipse. Gravius enim videtur notare iniquitas, quam peccatum.

Quia se mundari oraverat, supponit causam qua mundari debeat, sic : oro, *munda me*, et mundare debes. *Quoniam ego*, qui te oro, et qui peccavi, *cognosco iniquitatem meam*, id est non me latet iniquitas mea. Et non ad horam cognosco, sed *et peccatum meum*, id est iniquitas mea, *est semper contra me*, id est in conspectu meo interiori, quod est dicere : Semper aspicio oculis interioribus peccatum meum ut de illo gemam, a similitudine rei contra aspectum alicujus positæ, quam semper conspicit. Et hoc est ac si sic poneret : Mundare me debes ex misericordia; nam, cum sciam peccata omnia criminalia vel a Deo, vel ab eo qui committit esse punienda, non dedignor iniquitatem meam cognoscere, sed in interiori meo semper eam conspiciendo, punio eam gemitu et lacrymis, et assidua pœnitentia et oratione. Hoc autem totum est ac si breviter diceret : Mundare me debes, nec ulterius punire, cum justus sis. Nam ego jam in me frequenter iniquitatem meam punio. Hoc ostenso, quod ex magna misericordia debet ejus Deus misereri, et ex justitia, quia jam in se iniquitatem suam puniat, subjungit quoque quod ex potentia debet eum mundare, cum ipse solus immunis a peccato et justus possit peccata condonare : oro, miserere, ut iniquitatem meam deleas, et hac fiducia oro, quia *peccavi tibi soli*. Quod est dicere : Quia cum tibi peccaverim, tu talis es qui condonare potes, nam solus es, id est singularis potentiæ, qui peccata potes indulgere. Nemo namque mundus a sorde, nisi tu : ideoque solus es potens ad indulgendum : ideo quoque, oro, *miserere*, quia *malum feci coram te*, id est sic ut te non lateat, sed sit coram te, id est in conspectu tuo ut videas. Ac si poneret : Si iniquitatem meam scirem te latere, **170** excusarem utique me ; non ut misertus esses orarem. Sed quia te, omnia videntem, scio peccatum meum non latere, nolo me inutiliter excusare, sed humiliter, oro, *miserere.* In hoc autem quod Deum singularis esse potentiæ dicit, et omnia videre, multum eum benevolum reddit : Quoniam autem dixerat : *Tibi soli peccavi*, ne male notando *soli*, intelligeremus sic eum velle dicere ut solum contra Deum peccasset, et non contra Uriam, quem injuste occiderat, et sic mendax videretur, determinat qualiter intelligat soli, sic : Dixi *tibi soli*, et sic dico *soli*, quod es solus *ut justificeris in sermonibus tuis*, id est verax inveniaris in omnibus quæ per prophetas locutus es, et quæ etiam per Filium loqueris. Unde apostolus : « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax (*Rom.* III, 4). » *Et* sic etiam solus es, ut vincas cum

www.libtool.com.cn

judicaris, id est ut bonitas tua vincat et superexcellat bonitatem omnium, quotiescunque fit a consideratione justorum judicium inter bonitatem tuam, et inter bonitatem aliorum honorum. Quod est dicere: Quotiescunque fideles tui compensant bonitatem tuam et aliorum, tua semper excellit. Unde in Evangelio: « Nemo bonus nisi solus Deus (*Marc.* XVIII, 19). » Ostendit autem unde possit videri quod ipse vincat, cum addit: *Ecce enim in iniquitatibus*, etc. Quod sic continuatur: Dico vincis *cum judicaris* a fidelibus, et verum est.

Ecce enim in præsenti est, unde possit hoc percipi, quod *vincis* et me et omnes in humano genere. Nam cum tu sis immunis a peccatis, ego *in iniquitatibus* originalibus *conceptus sum*; quod est dicere: Ego existens prius *in iniquitatibus* originalibus, *conceptus sum* a matre mea. Ac si dicat: Antequam *a matre* conciperer, cum adhuc in lumbis patris essem, jam *in iniquitatibus* originalibus eram. Unde Apostolus: « Mors in omnes pertransiit (*Rom.* V, 12). » id est peccatum originale, per quod ad mortem venitur, nisi baptismate purgetur. Non solum ante conceptionem fui *in iniquitatibus* originalibus, sed *et me concepit mater mea, in peccatis*, id est *in iniquitatibus* originalibus, id est sed et in ipsa conceptione fui *in* ipsis *iniquitatibus* originalibus. Et hoc totum est ac si breviter poneret: In hoc et me et omnes humanos vincis, quia tu semper immunis es a peccato, ego vero et omnes humani, et ante conceptionem, et in ipsa conceptione *iniquitatibus* originalibus aggravamur. Bene quidem ponit iniquitates pluraliter. Multipliciter enim Adam peccavit, scilicet delectatione, et actu, et exemplum peccandi aliis derelinquendo. Et vere vincis omnes bonitate. *Ecce* enim in præsenti est unde hoc possit videri, quod bonitate, et me et omnes vincis.

Nam tu *dilexisti veritatem*, id est veram pœnitentiam et cognitionem meam de peccato. Quod est dicere: Cum ego negligenter me habens, de peccato meo pœnitentiam odio haberem, tu piissimus *dilexisti veritatem*, id est ut veram pœnitentiam agerem, et ad hanc me per prophetam Nathan commovisti. Per quod apparet quod me bonitate *vincis*. Nam cum ego contra memetipsum impius essem, in iniquitatis meæ obstinatione, tu pius exstitisti in pœnitentiæ admonitione.

Et in hoc etiam comprobatur quod vincis bonitate, quod mihi, qui non promerueram, et adeo graviter casurus eram, *manifestati* spiritu prophetico *incerta et occulta* mysteria *sapientiæ tuæ*, id est Filii tui; quod est dicere: Revelasti mihi Spiritu sancto mysteria incarnationis et passionis Filii tui, et quod mundum morte sua reparaturus esset, quæ incerta multis sunt, qui, tametsi a prophetis audierunt, non tamen horum plenarie per Spiritum fidem habent, et acculta sunt multis qui nihil penitus inde audierunt; ac si diceret: Ut per fidem horum mysteriorum salvarer a peccato originali, gratuita pietate ista mihi manifestasti. Unde constat quia *vincis*, cum sine merito aliquo hæc ad salutem meam mihi revelasti; |71| et inde adhuc apparet quod vincis bonitate, quoniam *asperges me hysopo*, id est facies me similem illi qui aspergitur hysopo; *et* sic facies me similem quod *mundabor*. Quod est dicere: mundabis me per aspersionem sanguinis Christi, qui erit sparsus hyssopo, id est in humilitate. Quod in veteri lege præfigurabatur. Cum enim leprosus cum fasciculo hyssopi sanguine sacrificii aspergebatur, a lepra mundabatur (*Levit.* XIV, 6). Per hyssopum autem quæ humilis est herba, et in petrosis locis existens, et ad pulmonis tumores deprimendos valens, humilitas Christi, qui petra firma est præsignabatur; qui diabolicæ potentiæ tumorem, per sui sacri sanguinis effusionem depressit, et peccatorum generis humani lepram exinanivit.

Per cujus humilitatis fidem, promittit se David a peccato suo mundari, cum dicit: *Asperges me hyssopo*, id est me similem facies leproso, qui sanguine aspergitur per hyssopum. Et exponit quomodo faciet similem, cum addit *et*, id est scilicet, *mundabor*, id est in hoc facies similem: quod sicut leprosus ille in corpore mundatur, sic et ego per fidem aspersionis sanguinis Christi in humilitate a peccato meo in anima mundabor, et non solum per fidem passionis Christi mundabor, sed etiam *lavabis me*, id est mundabis me ab ipso peccato, in fide baptismatis Christo dedicandum. Et ego totus in fide baptismatis, *dealbabor* in anima *super nivem*. Quod est dicere: Majorem candorem virtutum in anima habebo, quam sit candor nivis suo modo. Quia majorem candorem in corporibus invenire non potuit, de nivis candore comparationem fecit. Et inde etiam apparet, quod bonitate vincis, quia *auditui meo* interiori, id est intellectui meo *dabis gaudium* remissionis peccati mei. Quod est dicere: nunc quidem contristor de peccati mei oppressione, erit autem quando intelligam misericordia tua deletum esse, id est per pœnitentiam quam ago, et sic gaudium mihi dabis de ejusdem peccati remissione, vel dabis gaudium interiori auditui, de hoc quod ego, qui modo propter peccata arcana tua concipere nequeo, quandoque remissione percepta, id est plenarie, arcana illa concipiam. *Et* in futuro dabis *lætitiam* præmii, cum mihi, per gratiam justificato, vitæ æternæ reddes retributionem. Et per hoc etiam vincis bonitate, quod *exsultabunt ossa* mea *humiliata*, id est facies me exsultare de ossibus meis, de ratione scilicet, et libero arbitrio, et virtutibus; quæ cum modo sint per peccatum humiliatæ, quandoque rursus erunt per peccati remissionem et justitiæ meæ restitutionem exaltatæ.

Benevolentia Dei captata per bonitatis ejus commendationem, ad orationem suam congrue redit, sic: Ostendi multimode quod bonitate vincis. Quoniam igitur adeo bonus es, *averte faciem*, id est considerationem *tuam*, *a peccatis meis*, quæ per Bersabee commisi. Non sic dico *averte*, ut non videas, quod impossibile est; sed sic *averte*, ne punias. Avertere *faciem a peccatis* dimissis, id est non sic videre ut

www.libtool.com.cn

puniantur: advertere vero *faciem* peccatis, sic considerare ut puniantur. Quoniam autem in facie visus est, facies pro consideratione ponitur. Non solummodo vera *a peccatis* per Bersabee commissis, oro, faciem avertas, sed *et omnes iniquitates meas*, quascunque commisi, *dele*, sic ut non punias Quibus deletis, *cor mundum crea in me, Deus*, id est tale cor quod omni errore mundum sit, per quod tua mysteria valeam intra me contemplari. *Et spiritum rectum*, id est Filium tuum, per quem omne quod rectum est efficitur, *innova*, id est, noviter inhabitare fac *in visceribus meis*. Quod est dicere : Sapientia tua, id est Filius tuus antea quam sic graviter peccarem, secundum gratiæ operationem in anima mea inhabitavit, quam a me peccando **172** repuli. Quam oro ut rursus in me facias habitare. Innuit propter quid orat, ut innovetur, id est reddatur sibi spiritus, id est Filius, cum interponit *rectum*. Quasi diceret, propter hoc scilicet ut cum ipse spiritus rectus sit, me quoque rectum in operatione faciat, qui me a rectitudine peccando distorsi. Innovare dicit, non quantum ad essentiæ spiritus renovationem, cum immutabilis sit : sed quantum ad bonorum operum reparationem, quæ in eo defecerant : quasi diceret : *Redde mihi spiritum rectum*, per cujus inhabitantem gratiam renoventur in anima affectiones bonæ, quæ defecerunt, quibus affectionibus opera bona exerceam, viscera pro anima ponit: quia circa viscera potissimum anima regnat.

Et postquam spiritum rectum mihi reddideris, *ne projicias me a facie tua*, id est ne permittas ut ego per peccatum iterum me projiciam a rectitudine faciei tuæ, id est Filii, qui facies Patris dicitur, eo quod per ejus obedientiam nos Patris misericordia ut salvaremur aspexit; sicut per visum qui est in facie, aliquis aspicit. *Et ne auferas a me*, id est ne permittas amplius auferri a me per peccatum, *Spiritum sanctum tuum*, id est inhabitantem per gratiam Spiritus tui, et illius scilicet personæ, quæ vulgo Spiritus dicitur, quæ etiam a Patre et Filio procedit; Quod est ac si dicat : Fac in me constanter inhabitare gratiam Spiritus paracleti. Et sic : *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, id est Filii tui qui mundi Salvator erit; ac si diceret : Propter peccati mei gravitatem, Salvatoris Filii tui amisi lætitiam. Scio namque quia in ejus adventum nihil utilitatis habebo, nisi hic peccati remissionem per pœnitentiam adeptus fuero; unde, precor, indulge, et sic lætitiam Salvatoris venturi mihi redde : Et in illa lætitia *confirma* me, id est perseverare me fac, ne peccando criminaliter rursus ea caream. Dico : In ea me *confirma*, et hoc *Spiritu principali*, id est per te Patrem in me specialiter habitantem. Pater autem Spiritus principalis dicitur, non quod Filio et Spiritui sancto principetur, et eis major existat; sed quoniam ab eo ineffabiliter gignitur Filius, proceditque Spiritus. Bene quidem in primis agit de Filio; ubi dicit. *Spiritum rectum innova*, etc. Postea vero de Spiritu sancto, cum ponit : *Spiritum sanctum tuum*, etc. In ultimo quoque de Patre cum subjungit : *Spiritu principali*, etc. Si enim de Patre prius ageretur, ab aliquo forsitan erroneo Pater excellere Filium et Spiritum dignitate crederetur, cum Pater principalis dicatur. Nunc autem quia de eodem ad ultimum agitur, cum minorem non esse constet, parilitatem obtinere nequaquam ambigitur. Notandum sane, non inconvenienter Patrem et Filium, Spiritum nuncupari. Omnis namque substantia incorporea, recte Spiritus appellatur. Pater autem et Filius, substantia incorporea sunt.

Postquam ostendit quod, per misericordiam et potentiam et bonitatem Dei, debent ejus peccata remitti ut veniam citius impetret, quod commodum ex sui venia secuturum sit, ostendit sic : Oravi *miserere et iniquitates dele*, et *cor mumdum crea in me*, et alia etiam multa rogavi, quæ si in me compleveris, exemplo meo *docebo iniquos*, id est alios criminaliter peccantes *vias tuas*, id est misericordiam per quam peccata mihi indulseris : et justitiam per quam me jam justificatum magis justificaveris, quæ misericordia et justitia dicuntur *viæ tuæ*, eo quod per ipsas ad te venitur, quod est dicere : Si per misericordiam mihi indulseris, et justificaveris, et post me justificatum ad majorem justitiam per justitiam tuam provexeris, exemplo innocentiæ et justitiæ meæ a te datæ, misericordem esse te et justum ostendam aliis similiter peccantibus. *Et impii*, id est similiter sicut ego peccantes, *ad te convertentur*, per pœnitentiam, exemplo meo adducti. Ut autem hoc sit quod impii exemplo meo ad te convertantur, o *Deus*, id est Creator meus et **173** Deus *salutis meæ*, id est Creator salvationis meæ, quæ mihi salutem restitues, quam peccando amisi : *Libera me de sanguinibus*, id est de peccatis meis, adulterio scilicet et homicidio, per Bersabee commisso, quæ sanguines dicuntur, eo quod ex nimio sanguinis humore processerunt vel *de sanguinibus*, id est de multis mortibus quas operatus sum. Interfeci namque in corpore Uriam innocentem. Interfeci etiam me in anima, adulterium exercendo. Interfeci quoque Bersabee, eam ad adulterii consensum impellendo. De quibus omnibus mortibus *me libera*, indulgendo clementer, ne per eas ad mortem trahar, cruciandus perenniter. Sanguis quidem pro morte ponitur, eo quod in interfectione soleat sæpe sanguis effundi. Unde propheta : « Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus, » id est mortem, « de manu tua requiram (*Ezech.* III, 15). » Et si me *de sanguinibus* liberaveris, non solum exemplo meo *iniquos docebo*, sed *et lingua mea exsultabit justitiam tuam*, id est exsultanter *annuntiabit* te esse justum : qui me justificaveris; vel sic, *annuntiabit* aliis iniquis *justitiam tuam*, quam mihi dederis, ut et ipsi ad te conversi justificentur. Promittit vero hoc quod oravit, se adipisci ex divinæ misericordiæ confidentia, et in hoc quoque veniam meretur : quod non de Dei clementia diffidit, sed confidentiæ sibi spem attribuit. Dixi quod si liberaveris, quod lingua mea

www.libtool.com.cn

justitiam tuam annuntiabit, et sicut ex misericordia tua esse confido, quod me liberabis, et per mei liberationem, *Domine, labia mea aperies*, id est idonea facies ad laudandum justitiam tuam; ac si diceret: Dum non mundatus a peccatis exstitero, idoneus ad te laudandum nullatenus ero, et sic jure labia clausa habebo. « Non enim est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv, 9). » Ast ubi me a peccatis mundaveris, mox idoneum ad laudandum te, me constitues, et sic *labia mea aperies*, id est jus te laudandi mihi concedens. *Et* postquam aperueris *labia, os meum annuntiabit laudem tuam*, id est laudabit misericordiam et justitiam tuam. Quoniam adeo ingemuerat de peccato et oraverat pro eo, posset aliquis dicere: Quare in tantum gemis? Noli gemere, sed sacrificia legalia Deo offer pro peccatis, et sic liberaberis. Ad quod excludendum sic addit: Necesse est ut gemam et orem: nec utile quidem est ut sacrificia legalia offeram, quæ ego non offeram. *Quoniam si voluisses sacrificium*, si intellexissem te velle me offerre legale sacrificium, *dedissem* jam *utique*, id est certe; *tu non delectaberis holocaustis*, id est sacrificiis legalibus. Notandum autem, Deum holocaustis quodammodo delectatum fuisse in Veteri Testamento. Alioquin enim irrite fieri per Moysen præcepisset. Delectabatur vero holocaustis, ut sacrificiorum in nova lege futurorum signa essent: et quod spiritualiter intellectorum debilium intelligentia capere non poterat, per legalium sacrificiorum imaginem utcunque notaret, ne a fide gratiæ futuræ aliena penitus existeret. Non delectabatur autem holocaustis, ut per ea peccata condonaret, si sacrificiorum ab eis significatorum fides abesset. Ideoque dicit non *delectuberis holocaustis*, sic scilicet ut per ea peccata condones. Notandum sane, David cum sub lege veteri esset, in qua holocausta præcipiebantur offerri, ea non obtulisse, et hoc non ex negligentia, sed ad instructionem fidelium sub Novi Testamenti gratia futurorum dimisisse: ut cum jam fide vir Novi Testamenti esset, fidelibus in Novi Testamenti tempore futuris innueret, ab illis hujusmodi sacrificia esse nullatenus offerenda; quæ advenientibus eorum signatis, erant penitus evacuanda. Post hoc ostendere intendit, quod sacrificium ad peccata remittenda idoneum existat. Si dixi, quod *holocaustis non delectaberis*, o Deus, sed *sacrificium* tibi *Deo* acceptum pro peccatis est *spiritus contribulatus*, id est anima doloribus et gemitibus afflicta, 174 et non parum contribulata, o Deus. Sed *non despicies*, id est acceptabile habebis *cor contritam et humiliatum*, id est animam valde contritam, et ex toto afflictam, in omnimoda satisfactione. Providens autem Propheta hujusmodi sacrificium in Ecclesia primitiva, et in Ecclesia ex Judæis, et gentibus constituenda, penitus esse futurum, pro utraque orat. Sic: Dixi quod sacrificium acceptabile Deo est, *spiritus contribulatus*, quod sacrificium scio et in Sion, id est in Ecclesia primitiva futurum, quæ, terrenis neglectis, cœlestia contemplabitur: et in Hierusalem, id est in Ecclesia ex utroque populo constituenda, quæ Hierusalem erit, id est *videns pacem* æternam spe, vel videns pacem in se, non inimicans Deo male agendo, sed cum eo pacem habens, bene vivendo. Ergo, Domine, quia hoc sacrificium futurum est in Sion et in Hierusalem, *benigne fac Sion*, id est large beneficia ei impende, sublimando eam in innocentia et sanctitate, et non propter merita sua, quæ nulla sunt: sed *in bona voluntate tua*, id est per gratuitam voluntatem tuam, quæ ex bonitate misericordiæ tuæ procedet: *ut ædificentur* ab ipsa voluntate tua *muri Hierusalem*, qui destructi fuerunt in Adam, virtutes videlicet et innocentia, quibus ad modum murorum Hierusalem munietur. Muros Hierusalem dicit per similitudinem, quasi diceret Hierusalem quæ constituta fuit ex angelis et hominibus, et postea per Adam quantum ad homines destructa, quantum ad angelos autem semper inviolata, restituetur, quando homines ejus restituentur cives. A similitudine civitatis, cujus muri in parte destructi reædificantur. *Tunc*, id est postquam ædificaveris Sion et Hierusalem, *acceptabis*, id est acceptabile habebis, *sacrificium justitiæ* significatum scilicet non significans, quod tibi offeretur a Sion et Hierusalem. *Sacrificium* dico existens revera, non significative *oblationes et holocausta*, id est quod sacrificium significatum per *oblationes et holocaussa* legalia. Revera dicendum est oblatio et holocaustum. Oblationes vero et holocausta legalia, ideo sic vocabantur, quia hæc signa erant verarum oblationum, et holocaustorum futurorum. Exponit autem ipsum *sacrificium justitiæ*, sic: Dico quod *acceptabis sacrificium justitiæ* quod offeretur tibi a Sion et Hierusalem. Et vere *sacrificium justitiæ* tibi offerent, id est tale sacrificium, quod justum sit pro indulgentia peccatorum offerri. Nam *tunc imponent*, id est offerent se *vitulos*, id est se sacrificia nova per baptismum: sicut vituli juvenes et novi sunt: et hoc facient *super altare tuum*, id est super fidem fundati, quæ altare dicitur, eo quod super eam omnia sacrificia Deo acceptabilia offeruntur.

IN PSALMUM LI.

Titulus quinquagesimi primi: *In finem intellectus David, cum venisset Doech Idumæus, et annuntiavit Saul, et dixit ei: Venit David in domum Abimelech.* In hoc titulo ad figuram designandam introducitur historia, quæ talis est: David Saulis persecutionem fugiens quadam die in Abimelech sacerdotis domum venit, ibique panes propositionum comedit (*I Reg.* xxi). Videns autem hoc quidam Doech Idumæus, qui custos erat mulorum Saulis, eidem Sauli nuntiavit dicens: *Venit David in domum Abimelech.* Qui Saul in Abimelech ira commotus, quia videlicet David in domum suam susceperat, eum cum omni familia peremit. Figura quidem hujus historiæ talis est: per Doech Idumæum, qui *motus terrenus vel motus sanguineus* interpretatur, Antichristus signatur, qui bene motus terrenus vel sanguineus per emphasim dicitur, eo quod omnem terram a Dei cultu ad sui

www.libtool.com.cn

cultum movere intendet per tribulationem, et sanguinis sibi credere nolentium effusionem. Per Abimelech autem, qui *regnum patris mei* sonat, collectio signatur fidelium in tempore Antichristi futurorum qui David, id est Christum in domum suam recipient, id est in se qui domus ejus erunt, non abnegantes eum timore pœnæ. 175 Quos cum viderit Antichristus recepisse David, nec velle dimittere, dicit Sauli ut ipsos interficiat, id est præcipiet, non voce sed affectione, morti, ut interficiat Abimelech, id est illam collectionem fidelium, quæ David receperit, quod est dicere : Interficiet, omnes illos qui erunt Abimelech, id est regnum patris ipsius David, scilicet in quibus regnabit Deus Pater Christi. Per Sanlem vero, qui interpretatur *appetitio*, bene mors designatur, quæ frequenter ab infidelibus per mala opera appetitur.

Cum autem non de historia, sed de significato historiæ Propheta sit in hoc psalmo acturus; titulus tamen juxta historiæ similitudinem, non ut de futuro, sed quasi de præterito ponitur, cum de futuro intelligatur; qui sic exponitur : *Intellectus* hujus psalmi, id est intellectus qui concipitur in hoc tractatu, attribuendus est *David* prophetæ, respicienti in *finem mundi* : habitus iste intellectus, *cum venisset Doech Idumæus*, id est cum considerasset quod veniet Antichristus, id est regnabit, *et annuntiavit Saul*, et dixit ei : *Venit David in domum Abimelech*. Non dicit annuntiavit et dixit quod aliquid sit cum morte locuturus : cum ipsa mors aut res incorporea sit aut potius nihil; sed ad similitudinem historiæ dicit; ita suscitabit mortem adversus fideles; quia suscipient David, id est Christum in se domum ejus existentes, sicut Doech Idumæus commovit Saulem adversus Abimelech, ut eum interficeret, cum venisset ad ipsum Saul, et annuntiavit, et dixit ei quia venit David in domum Abimelech, et receptus est ab eo. Dico annuntiavit Saul et dixit ei, id est secum in cogitatione sua annuntiabit et dicet morti ut interficiat fideles, ideo quod David, id est Christus veniet in domum Abimelech, id est recipietur ab Abimelech, qui erit domus ejus, id est a collatione fidelium, vel sic, Doech Idumæus, id est Antichristus veniet, id est regnabit et annuntiabit Sauli, id est interfectoribus ministris suis : et scilicet dicit eis : *Venit David in domum Abimelech*, id est receptus est Christus a fidelibus suis, qui domus ejus facti sunt. Ideoque interficite ipsos fideles. Bene quidem ministri ipsius dicuntur Saul, vel juxta similitudinem, vel juxta ipsius vocis interpretationem. Juxta similitudinem quidem eo quod sicut Saul Abimelech innocentem interfecit, quia David Christum Domini juste receperat; sic et ipsi ministri in fine mundi fideles innocentes interficient, eo quod juste Christum Domini Patris Jesum, in fide recipient. Secundum vero vocis interpretionem, quia Saul *appetitus* dicitur, ipsi vero ministri ab Antichristo omnibus modis appetentur, ad fidelium perniciem. Est autem in hoc psalmo vox Prophetæ intelligentis Antichistum in fine mundi futurum, et fideles persecuturum, quem de malitia sua increpat, ostendens quod eadem ipsi erit causa omnimodæ destructionis, ut ipsos fideles in tempore ejus futuros, quos ipse persequetur corroboret in constantia, et eos ab illius conformitate retrahat Quos etiam fideles, ad ipsorum solatium, prædicit erga Deum timorem habituros, et eum laudaturos, prævidendo mortem ipsius Antichristi, ne, si defecerint a timore et laude Dei, sic et ipsi sicut Antichristus pereant, et in judicii die promittit ipsis fidelibus, ad eorum consolationem quod ipsum Antichristum deridebunt.

Quid gloriaris in malitia, id est, propter quam utilitatem *gloriaris*, id est, lætaris *in malitia* verborum, et cogitationum et actuum, contra fideles, tu Antichriste, *qui potens es in iniquitate*, id est, cui permittitur a Deo potestas iniquitatis exercendæ in ipsos fideles, propter nullam utititatem scilicet? Quasi diceret : Ita *gloriaris in malitia*, quasi esset res honesta, vel quasi quælibet utilitas inde esset secutura, sed neque malitia res honesta est, neque inde continget utilitas, sed damnatio, Exponit autem ipsam malitiam per partes, ut appareat esse res inhonesta. Dixi : *Quid gloriaris in malitia*, et vere gloriaris in ea. Nam *tota die*, id est, jugiter, *lingua tua* interior, id est, meditatio cordis tui *cogitavit*, *injustitiam*, id est, injustas cogitationes, quomodo scilicet fideles a lege Dei revocares. Quoniam autem cordis loqui, nihil aliud est quam meditari, meditatio pro lingua dicitur, et 176 non solum cogitasti, sed etiam *fecisti dolum*, id est dolosa verba, dicens te Deum esse, cum solummodo te esse hominem intelligeres. Tu dico existens *sicut novacula acuta*, id est comparabilis novaculæ acutæ, sic scilicet promptus ad malitiam peragendam, *sicut novacula acuta* ad officium suum exsequendum. Vel sic : comparabilis novaculæ, ut sic sub specie rectitudinis quosdam latenter in fide corrumpas et lædas, sicut aliquando novacula, cum pilos radere debeat cutem vulnerat, Vel sic : similis novaculæ, ut, sicut novacula superflua pilorum auferendo cutem purgat et nitidiorem efficit, sic et tu, licet non ad hoc intendas, persecutionibus tuis fideles a peccatorum superfluis sordibus mundabis, et nitidos in sanctitate facies : quod est dicere : Causa eris quare ipsi mundi fiant et nitidi. Dico quod *fecisti* et cogitasti *dolum*, et hoc non invitus, quod tolerabilius esset; sed *dilexisti malitiam*, malas et asperas cogitationes *super benignitatem*, et bonas cogitationes non; ac si diceret : Si ratio tua te moneret aliquando ut bene cogitares, cum nullus adeo sit iniquus quem aliquando ratio sua ad cogitandum bene non adhortetur, contempta bona cogitatione, cogitasti malitiam. In hoc autem eum damnatione dignissimum ostendit, cum malum bono scienter præferat, et *dilexisti iniquitatem*, id est iniqua et blasphema verba et aspera loqui contra fideles, ut eos tibi conformares, *magis quam loqui æquitatem*, id est æqua verba et bona, quod est dicere : Aspera et iniqua verba dilexisti loqui, non autem æqua : cum dicit *magis quam* æqui-

tatem, innuit quod interdum a ratione monitus, ut bene loqueretur, bene loqui sprevit, et male locutus est. Non solum vero *dilexisti* iniqua verba et aspera, sed etiam *dilexisti verba præcipitationis*, id est omnia verba per quæ posses fideles in errorem cultus tui præcipitare, scilicet et minantia verba et blanda. Tu, dico, existens *lingua dolosa*, emphatice dictum est: quod est dicere: Existens dolosus in lingua, ut dicas te Deum, cum hominem te esse intelligas. Hoc autem totum, quod more prophetico præterite ponitur, future intelligendum est. Dixi quod *dilexisti malitiam* etc.

Et *propterea Deus destruet te in finem* destructionis, id est omnino, vel *destruet te* promotum in finem, id est in perfectionem malitiæ: quod est dicere: postquam venies ad finem, id est ad cumulum malitiæ, destrueris a Deo: et hoc modo, scilicet *evellet te* Deus *de tabernaculo tuo*, id est de hac vita, et potentia tua, quæ transitoria erit ut tabernaculum, et in qua diabolo militabis, *et emigrabit te*, id est emigrare faciet de hoc tabernaculo in pejus. Ostendit vero per remotionem unde faciet te migeare cum addit: dico: *Evellet te de tabernaculo tuo*, et etiam *radicem tuam evellet de terra viventium*, id est propter vanam superbiam potentiæ tuæ *evellet te de terra viventium*, ac si dicat: Tu per potentiam tuam, qua te Deum facis, putas te in terra viventium radicaturum, sed Deus propter tuam superbiam, *te* inde *evellet*: vel *radicem tuam evellet*, per solam similitudinem dicit, id est ex toto destruet, a similitudine arboris et herbæ, quæ radicitus evellitur. Per hoc quod dicit quod *evellet* eum *de tabernaculo*, id est de hoc mundo, *et de terra viventium*, innuit quod migrare faciet in infernum, cum nullus alius status restet post hos duos, a quibus evelletur. Hoc autem quod Deus sit destructurus te, *videbunt*, id est prævidebunt *justi* quos persequeris, et *timebunt* sibi exemplo tuo, ne, si tibi conformentur, tecum perdantur, et ideo cavebunt sibi: et in die perditionis ejus, id est in die judicii, supra te existentes, qui in hoc mundo a te deprimuntur per tribulationes, *ridebunt*, id est te dignum irrisione judicabunt, et *dicent: Ecce* nunc apparet quia hic est *homo* solummodo, non Deus, ut dicebat; *Qui* homo *non posuit Deum* esse *adjutorem suum*, id est non reputando se creaturam sed Deum, noluit orare Deum ut eum adjuvaret. *Sed speravit*, id est confidentiam habuit efficiendi quod vellet: *in multitudine divitiarum suarum*, id est permultas divitias suas, et interiores et exteriores. 177 Divitias interiores dicit, facundiam et sapientiam mundanam, quam habebit. Divitias autem exteriores, aurum et cætera terrena, *et in vanitate sua*, id est in vana superbia prævaluit, id est ante omnes valuit, ut majorem haberet potentiam præ cunctis, vel sic *in vanitate* potentiæ suæ positus, prævaluit nobis, non in animarum, sed in corporum læsione. Vel sic: *In vanitate* spei suæ positus prævaluit, id est se nobis prævalere putavit, ut ei conformaremur, Dico quod ipse *speravit* in divitiis multis, *Ego autem speravi in misericordia Dei in æternum*, id est quandiu sæculum transitorium duravit, et eundo usque in sæculum æternum, sæculi prioris subsecutivum.

Ego dico existens tunc in domo Dei, id est in Ecclesia; non sterilis ab opere bono, sed *sicut oliva fructifera*, id est fructum ferendo bonorum operum ad modum olivæ fructiferæ, et semper viridis in fide, et in prosperis et in adversis, ad similitudinem olivæ, quæ nec ætate nec hieme caret virore. Vel sic: Existens *sicut oliva fructifera in domo Dei*, id est secundum hoc quod eram domus Dei; ac si diceret: Non per me fructifera, sed per Deum; cujus domus eram. Dico quod tunc *speravi in misericordia*, cum ipse speraret in divitiis. Ego dico sic: Mecum dicens: O Deus *confitebor tibi in sæculum*, ac si dicat: Non denegabo te timore Antichristi, sed *confitebor*, id est laudabo te respiciens *in sæculum* æternum, in quo mihi reddes spei meæ præmium. Et ideo *confitebor, quia fecisti* me olivam fructiferam, et non faciam me in hoc sæculo Deum. Sed *exspectabo*, id est patienter exspectabo *nomen tuum*, quod mihi dabis in futuro, hoc scilicet nomen quod est Deus, quod mihi dabis in futuro, cum me participem facies divinitatis tuæ; et merito illud *nomen exspectabo, quoniam bonum est*, existens jam in conspectu, id est in interiori consideratione sanctorum tuorum; quod est dicere: Jam considerant illud nomen spe; vel sic: *exspectabo*, id est diligenter considerabo nomen tuum, quod est Deus, id est non attribuam mihi hoc nomen quod est Deus, vel Antichristo, sed hoc nomen tuum esse considerabo, quoniam hoc nomen bonum summum significat, id est te et non illud, et hoc est constans in conspectu interiori sanctorum tuorum, cuicunque non constet. Vel sic *exspectabo*, id est diligenter considerabo *nomen tuum*, id est magnificationem honoris nominis tui, id est, hoc considerabo, quod nomen tuum honorandum est magnifice, non nomen Antichristi, *quoniam bonum est nomen tuum*, id est honor nominis tui *in conspectu sanctorum tuorum*; quod est dicere: Ideo considerabo, quia video quod sancti tui reputant esse bonum hoc considerare.

IN PSALMUM LII.

Psalmi quinquagesimi secundi Titulus: *In finem pro Amalech intellectus David*. Quoniam notissima est hæc historia, quæ in hoc titulo ad figuram inducitur, breviter eam innuit, cum dicit *pro Amalech*. Quæ historia talis est: Amalecitæ Siceleg civitatem parvulam, in qua filii David et uxor ejus habitabant, vi capientes, eosdem filios et uxorem captivos duxerunt. Quo audito David, manu maxima collecta, insecutus est eos, et devicit, et uxorem suam, et filios eripuit (*I Reg.* xxx). Figura quidem hujus historiæ talis est. Per David Christus, per Amalech, qui *dolens* vel *parturiens* interpretatur, infideles ex utroque populo intelliguntur, qui fideles in hoc mundo persequuntur, et per tribulationes captivos ducunt, in eorum corporibus dominando: qui infi-

www.libtool.com.cn

deles digne dicuntur parturientes et dolentes, eo quod hic semper mala opera ad pœnas æternas parturiunt de quibus in futuro sine fine dolebunt. Per uxorem David et filios ejus ab Amalech ereptos, denotatur Ecclesia primitiva specialis Christi sponsa, et alii fideles per ipsius Ecclesiæ prædicationem et exemplum filii Christi facti, qui in futuro ab infidelium potestate penitus eripientur, cum æterna gloria ditabuntur. Ipsi vero infideles in perpetuum damnabuntur. Tituli vero 178 verba sic exponuntur : *Intellectus David in finem respicientis, habitus est pro Amalech* ; quod est dicere : *Intellectus* quem habuit *David* in componendo psalmum istum, habitus est *pro Amalech*, id est occasione Amalech. *David* dico *respiciemtis in finem*, id est in Christum, ac si diceret : Amalech devictus a David significans infidelium collectionem, a quibus Deus suos eruet in futuro, causa fuit quare David intellectum haberet finis, id est Christi, respiciendo in ipsum finem, id est Christum, et propter hunc intellectum istum psalmum componeret ad honorem ipsius finis, considerando quod ipse finis, suos etiam erepturus, et infideles damnaturus. Introducit autem in hoc psalmo Propheta ipsum caput Christum, de infideli et insipienti populo suos persequente agentem, qui in persecutione fidelium Deum ultorem esse non reputant, quos corruptos in moribus, et Deo abominabiles esse dicit, propter iniquitates suas : quos etiam inexcusabiles esse ostendit, cum salutem sibi a Deo propositam contemnant, sese videlicet Christum a Patre pro mundi redemptionem missum, a quo omnimodo declinant.

Demonstrat quoque ipsorum infidelium, et hic et in futuro damnationem, et fidelium et hic et in futuro salvationem.

Notandum sane quod cum psalmus iste superius in tredecimo loco sit positus, non absque ratione, eisdem fere verbis hic est repetitus. Cum autem in superiori loco titulus iste in quo inducitur historia de Amalech non præponatur, sed solummodo psalmus David, nobis innuitur nondum victoriam Amalecitarum accidisse, cum a Propheta psalmus compositus fuerit. Si enim accidisset, titulus ibi præpositus esset. Postea vero Amalech devicto, et uxore David et filiis ereptis, videns ipse Propheta, negotium victoriæ hujus illud quod in psalmo de Christo prædixerat figurare, psalmum eumdem repetiit occasione hujus historiæ, ut innueret hanc filiorum et uxoris ereptionem, ereptionis Christi filiorum futuræ fuisse figuram. Sicut autem instruit hanc ereptionem negotium quoddam legis novæ portendisse, innuit quoque cuncta legis veteris acta, ad legis novæ negotia designanda præcessisse, Paulo apostolo sic attestante : *Omnia in figura contingebant illis* (*Cor.* x, 11). Illos autem tres versus qui superius in hoc psalmo leguntur : in repetitione vero nec ipsi nec aliqua verba illis æquipollentia inveniuntur, asserunt quidam Prophetam non posuisse. Cæterum quia Paulus hos tres in Epistola ad Romanos posuerat, uno versu modico hujus psalmi istis addito, propter Apostoli auctoritatem, in hunc psalmum perhibentur fuisse recepti. Ponit enim sic Apostolus. « Sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinaverunt (*Rom.* III, 10-12), » etc. Illi vero tres versus hi sunt. *Sepulcrum*, etc. *Quorum os*, etc., *contritio*, etc, Quoniam vero psalmus iste superius ample, et prout nobis possibile fuit, diligenter expositus est. Cum etiam hic fere eadem littera sit et sententia, de eodem iterum agere prolixe superfluum esse judicantes, breviter eum attingere videmus esse idoneum, ut si quidlibet incognitum, cujus nondum tunc scientiam attigeramus, in superiori tractatu non posuimus, in hoc saltem suppleamus. Sive etiam si hic pars aliqua diversa posita sit litteraturæ, ipsam quoque nitamur pro posse nostro utcunque exponere. In primis autem dicendum est, quod cum superius dixissemus ipsum caput in hoc psalmo Judæos exprobrare, sciendum esse non solum de Judæis, sed generaliter de omnibus sui membrorumque persecutoribus in hoc psalmo agi posse.

Dixit insipiens Judaicus populus et gentilis, mei meorumque prosecutor, *in corde suo : Non est Deus* iste Christus, ut possit se ulcisci et suos. Vere uterque populus *insipiens* cum me saltem per opera et miracula mea meorumque, Deum esse non cognoscat. Quoniam vero dixerunt : *Non est Deus, corrupti sunt*, id est magis et magis corrumpentur interius per excæcationem, et corrupti *abominabiles facti sunt*, id est exsecrabiles fient Deo, *in iniquitatibus suis* perdurando ; ac si dicat : Non solum corrumpentur et abominabiles Deo erunt, ideo quod dixerunt : *Non est Deus*, sed etiam propter iniqua opera sua, et adeo corrumpentur : quod *non est*, id est non erit 179 inter eos *qui faciat bonum* opus. Potest quoque versus iste legi præterite, sic : Hoc quod dixerunt : *Non est Deus*, inde contigit quia *corrupti sunt*, id est, excæcati et adeo corrupti, quod *abominabiles facti sunt* Deo. Et in hoc apparet eos esse corruptos et abominabiles, quod *non est* eorum aliquis *qui faciat bonum* opus, *Bonum* quidem multis modis dicitur. Deum enim dicimus *bonum*, verum et summum ; *bonum* etiam dicuntur virtutes et opera quæ per eas exercentur ; *bonum* quoque dicuntur omnes creaturæ, secundum quod a Deo creatæ sunt, unde legitur : Quæcunque auctore bono condita sunt, bona sunt. *Bonum* insuper diximus, beneficia, a qualicunque impensa, et si non sint virtutis alicujus exercitio facta. Quamvis autem insipientes *corrupti* sint et *abominabiles*, et dicant : *Non est Deus*, inexcusabiles tamen sunt de hac insipientia. *Deus* enim Trinitas *prospexit* misericorditer *de cœlo*, id est de me humana natura *super filios hominum* universaliter, id est super omnes homines, ut *videat*, id est videre faciat *si est* aliquis *intelligens, aut requirens Deum*, quod est dicere : Ut in aperto ponat qui sunt intelligentes et requirentes, et qui non. Ipsi vero omnes

www.libtool.com.cn

nsipientes *declinaverunt* se ab illo prospectu, id est, non curaverunt prospectum misericordiæ, et *simul* cum declinatione *inutiles facti sunt* et sibi et aliis. Et ostendit quomodo *inutiles* sibi. *Non est* enim aliquis *qui faciat bonum, non est* qui *usque ad unum* fide perveniat, id est ad me qui sum unum et summum bonum, juxta illud : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x. 30), » vel potest legi, *Deus de cœlo*, etc. Sic, ne putarentur omnes homines *corrupti*, sic dicit : *Dixi*, insipientes esse corruptos. Filii vero hominum non sunt corrupti; nam *Deus prospexit de cœlo*, id est per doctrinam apostolorum, *super filios hominum*, id est super fideles sese rationabiliter habentes, *ut videat si est intelligens, aut requirens Deum*, id est ut in evidenti ponat quis eorum est recte *intelligens aut requirens Deum*, qui possit alios ad hoc instruere. Multi namque sunt fideles, qui non adeo sunt intelligentes, ut aliorum queant esse instructores. Dixi quod *super filios hominum prospexit* ut et per ipsos alii intelligerent. Insipientes vero nolentes per eos intelligere, *omnes* ab intellectu *declinaverunt*, etc.

Dixi, quod dicunt quod ego non sum Deus, sed *nonne cognoscent* in futuro *omnes qui operantur iniquitatem*, id est faciunt iniqua opera, *qui devorant* tribulationibus *plebem meam, ut cibum panis*, id est assidue : quod ego sum Deus quem modo negant, vere cognoscent ? Hoc autem interrogative ponit, ut sic eos increpando a tali errore retrahat. Et ideo sic excæcati sunt, ut operentur iniquitatem, quia me *Deum non invocaverunt* adjutorem, et quia *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* habendus. Judæi scilicet timuerunt carnales observantias dimittere ; gentiles vero idola sua non colere, quæ utraque timenda non essent. Cum autem posuerit, *trepidaverunt*, non superfluo addit *timore* ; multi namque trepidant non causa timoris, sed pro febre, vel aliqua re tali. Ideo autem sic excæcati sunt, quod *Deum non invocaverunt, quoniam Deus* Trinitas *dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent*. Quod est dicere : Deus debilitavit ad modum rei dissipatæ, quæ debilis efficitur, liberum arbitrium et rationem eorum, ne eum invocare vellent, et non injuste *dissipavit*, sed ideo quia placent hominibus in persecutione fidelium, id est ideo persequuntur eos ut placeant sibi invicem qui simpliciter homines sunt, non etiam Dei in eorum persecutione : Quod est dicere : Ut glorientur ad invicem. Et ipsi jam dissipati *confusi sunt*, id est confundentur omnino, hic scilicet ut plus excæcentur in futuro ut sine fine perdantur, ideoque confundentur, *quoniam Deus sprevit eos* pro malis meritis eorum. Facit autem quæstionem ut ipsemet solvat, sic : Dico quod Deus sprevit eos. Et *quis*. Deus ? Sequitur solutio. Ille qui *ex Sion* nascens *dabit* in hoc mundo *salutare Israel*, id est dabit salvationem fidelibus ne excæcentur contra 180 hoc quod dissipavit hic ossa insipientium, et contra hoc quod in futuro confundet ipsos. In futuro *exsultabit Jacob et lætabitur Israel*, id est gaudebunt fideles et majores et minores, *cum* Deus Trinitas *averterit captivitatem plebis suæ* Jacob et Israel, id est mortalitatem et passibilitatem.

IN PSALMUM LIII.

Titulus quinquagesimi tertii. *In finem in carminibus intellectus David, cum venissent Ziphæi et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos ?* Hic etiam titulus justa historiam positus esse videtur quæ talis est : Cum a Saule David fugaretur, ad vicum Ziph nomine, ubi sui contribules habitabant, confugium faciens, ibi se abscondit. Ziphæi vero qui cum ejus essent consanguinei, eum occultare debuissent, Saulem adeuntes dixerunt ei : Quare non interficis David, cum eum nunc habeas interficiendi potentiam? Nonne enim absconditus est apud nos, ubi eum potes invenire? Hoc dicto eum Sauli prodiderunt (*1 Reg.* XXIII). Figura vero historiæ hujus hæc est : Per Ziphæos David Sauli prodentes, qui *florentes* interpretantur, Judæi signabantur, qui cum in terrenis florerent, sui floris arrogantia commoti, Christum qui revera est David, Sauli prodiderunt, id est morti, metuentes amittere locum et gentem. Qui Christus secundum deitatem apud eos latebat, id est in carne quam de eorum sanguine in Virgine sumpserat, absconditus erat. Quare vero per Saulem mors figuretur, sæpe jam dictum est. Verba quidem tituli, sic explananda sunt. *Intellectus David* Prophetæ quem habuit in componendo hunc psalmum : David dico respicientis *in finem*, id est in Christum ; in carminibus, id est in laudibus, quod est dicere : Respicientis sic in finem, ut laudet eum componendo carmina, hæc, id est hunc psalmum ad laudem ejus. Habitus est iste *intellectus* ab ipso Propheta, *cum* hoc fuerit quod *venissent Ziphæi et dixiscent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos*, ubi potes eum interficere? Et post eum Sauli prodiderunt, quod est dicere : Propheta considerans Ziphæos contribules suos, qui eum occultare debuissent, ad Saul venisse et ei dixisse : *Nonne David absconditus est apud nos ?* et postea eum Sauli prodidisse, et per hoc negotium in se completum, intelligens sancto Spiritu Christi proditionem ad mortem a Judæis faciendam præfigurari respiciendo in ipsum Christum, hunc psalmum in ejus laudem composuit. In quo eum introducit secundum humanitatem, divinam Trinitatem orantem, ut eum in passione constantem faciat, ne timore cedat cum Ziphæi prodent eum Sauli. Orat quoque de resurrectione et pro inimicis, et ostendit passionem suam, pro qua eum oporteat orare, et promittit semetipsum esse voluntarie in cruce offerendum, contuitu resurrectionis, quod sacrificium causa est, quare Deus eum orantem debeat exaudire. Hoc vero quod positum est in titulo : *Nonne David*, nihil ad figuram videtur operari in psalmi intensionem, sed ad historiæ ostensionem.

Deus Pater, *salvum me fac*, ne cedam. *Me* dico *in nomine tuo*, id est in honorem nominis tui perseverantem, juxta illud : « Non quæro gloriam meam.

www.libtool.com.cn

sed ejus qui misit me Patris (*Joan.* VIII, 50), » *et judica me* sicut judicandus sum, faciendo scilicet resurgere *in virtute tua*, id est in potentia tua. Quod est dicere: Quia potens es ad me resuscitandum. Ostendit autem se dignum exauditione, cum non solum verbis, sed et affectione oret, cum addit : Oro *salvum me fac et judica me*, et hoc oro et affectione et verbis. Ergo, *Deus, exaudi orationem meam* affectione factam, et *auribus percipe*, id est, audi *verba oris mei*, id est, orationem quam verbis profero. *Auribus percipe*, dicit ad humanum modum. Necesse est autem ut orem te, ut me salvum facias ne cedam ; *quoniam alieni*, id est Judæi qui deberent esse amici, cum sint contribules mei, ipsi vero sunt alieni a me facti, per superbiam et invidiam suam : *insurrexerunt adversum me*, capiendo, verberando et blasphemando, 181 *et* ipsi *fortes* esse volentes, ad hoc ut me detineant in morte, *quæsierunt animam meam*, id est. quærent ut auferant vitam meam. Et cum deberent considerare me Deum esse, et sic non persequi, *non proposuerunt*, id est non proponent *ante conspectum suum* interiorem, *Deum* verbum, mihi personaliter unitum, esse mihi auxiliatorem, quod est dicere : Non considerabunt me esse hominem et Deum. Diceret aliquis : Habesne Deum tibi personaliter unitum adjutorem. Respondit : Ita. Vere Deum proponere deberent. *Ecce enim* in præsenti est, quod *Deus adjuvat me*, faciens constantem, et ideo deberent constantiæ meæ contuitu, eum *ante conspectum suum* proponere : *et Dominus* mihi personaliter unitus, *susceptor est animæ meæ*, id est suscipiet animam meam, ut ad corpus post tres dies reducat. Sequitur oratio pro inimicis sic : Quamvis insurgant *adversum me*, et quærant *animam meam*, tantum oro, *Domine averte mala*, quæ merentur *ab inimicis meis. Et disperde illos* secundum quod mali sunt, *in veritate tua*, faciendo existere, id est in conformitate mei, qui sum veritas tua, juxta illud ; « Ego sum, via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6), » vel potest esse concessio divinæ justitiæ, sic : Dico quod *fortes* quærent *animam meam* detinere in morte, et ideo concedo, *averte mala* hæc a me ne detinear et cedam, et da *inimecis meis* hæc mala, scilicet ut ab hostibus Romanis vincantur, et in æternum damnentur. Exponit autem partem malorum, cum addit : *In veritate tua*, id est in vero judicio tuo et justo *disperde illos*, id est destrue per Titum et Vespasianum, vel *disperde* destructione mortis æternæ. Adjungit vero causam, quare debeat eum Deus exaudire sic : Oravi te, Deus, ut me salvum facias et judices, et dignum est. Nam *voluntarie*, id est libenter non invite, *sacrificabo tibi* memetipsum in cruce. *Et* post *confitebor*, id est veros confessores pariam *nomini tuo*, id est ad honorem nominis tui, *Domine, quoniam bonum est* confiteri, id est bonum est ut confessores pariam. Et ideo *sacrificabo, quoniam* certus sum *quod ex omni tribulatione* ista *eripuisti*, id est eripies *me*, faciendo immortalem, *et oculus meus*, id est consideratio mea, *despexit super inimicos meos*, qui modo inferiorem se reputant.

A Quod est dicere : Despiciam, id est deorsum aspici faciam ipsos inimicos, super eos apparens, partem mihi subjugando, salvando scilicet, partem per mundum dispergendo. Et hoc est ac si diceret : Debes me orantem exaudire, ut a tribulatione eripias. Nam ideo *sacrificabo tibi*, quia fiduciam habeo, quod *me ex omni tribulatione* eripies, et post despiciam *super inimicos meos* qui me modo in humilitate positum despiciunt, id est inferiorem se reputant.

IN PSALMUM LIV.

Psalmi quinquagesimi quarti titulus. *In finem, in carminibus, intellectus ipsi David*, quod sic exponitur. *Intellectus* hujus psalmi ascribendus est ipsi David, id est Christo perseveranti, in carminibus, id est in laudibus, ut laudet Deum intentione, voce et B opere, non desistens etiam in ipsa passione, ubi potius Deus laudandus est. *In carminibus* dico perseveranti usque *in finem*, scilicet vitæ, id est donec vita ejus per mortem crucis finiretur, vel sic perseveranti *in carminibus* usque *in finem*, id est usque in consummationem æternitatis. Quod est dicere, perseveranti *in carminibus*, id est in Dei laudibus, et in prosperis et in adversis, donec Deus reduceret eum in perfectam et consummatam immortalitatem. Ubi vero ponitur *in carminibus*, solet sæpius psalmus de Passione agere : et innuitur nobis quod sicut Christus in passione sua in laude Dei perseveravit, ita et nos in tribulationibus minime debemus a Dei laude cessare. In hoc autem psalmo C introducitur caput orans, ne in passione cedat, et ut resurgat, ostendens passionem suam, pro qua eum necesse est orare. Agit etiam de repulsione Judæorum, et conversione gentium, de quorum Judæorum damnatione et in corpore et in anima concessive agit; prædicit quoque se constantem futurum, et resurrecturum et ad cœlos ascensurum, et hoc totum ad instructionem 182 convertendorum ponit, ut de salute sua Deum diligant, et in perditione infidelium sibi caveant, ne si a Deo discesserint, similiter damnentur. Unde dicit :

Exaudi, Deus, orationem meam, ut me resuscites, et immortalem facias et exaltes, *et ne despexeris deprecationem meam*, qua oro ne permittas me in passione deficere. Orare proprie dicimur, quando ad D hoc precamur, ut aliquid consequamur, deprecari vero quando ad hoc, ut aliquid incommodi prece nostra a nobis depellamus. *Intende mihi*, id est, da mihi intentionem perseverantiæ in virtutibus, et in bono proposito meo, ut te scilicet assidue laudem *Et* hoc modo, inquam, *exaudi me*, dando mihi intentionem. Hoc autem addit ex ingenti affectione, vel quia in passione labor maximus est, seu in qualibet exercitatione, ponitur exercitatio pro passione, dico *exaudi*. Et dignum est : nam si *in exercitatione mea*, id est in passione *contristatus sum*, id est contristabor pro Judæis, quia doctrinæ meæ nolunt acquiescere ac si dicat : Ideo dignus sum ut exaudiat quia pro te ero in exercitatione passionis, et adeo prius ero, quod de inimicorum obstinatione incre-

www.libtool.com.cn

dulitatis contristabor. Passio quidem exercitatio dicitur per similitudinem, eo quod sicut per exercitationem artium sæcularium pervenitur ad divinæ paginæ notitiam, ita et per passionem pervenit Christus ad immortalitatis sublimitatem, vel sic. *In exercitatione* doctrinæ meæ, id est in perseveratione doctrinæ meæ, *contristatus sum* de Judæorum obstinatione. Ostenso merito quo debeat exaudiri, prætendit necessitatem, sic : Oro, *exaudi*, et necesse est. Nam *conturbatus sum a voce inimici*, id est Judaici populi, *et a tribulatione peccatoris* ejusdem populi, scilicet antonomastice peccatoris; quod est dicere: Contristabor timore spontaneo secundum carnem. Qui timor continget *a voce minantis* Judaici populi, id est quia minabitur mihi mortem, dicendo : Crucifige, *et a tribulatione peccatoris*, quia scilicet mihi tribulationem inferet, capiendo, ut latronem ducendo, conspuendo et verberibus affligendo.

Exponit autem cur a voce illorum conturbabitur sic : *A voce* eorum ideo conturbabor. *Quoniam iniquitates* quas habent *declinaverunt*, id est declinabunt a se *in me*, ut sic me possint interficere, ut cum ipsi seductores sint et blasphemi, me seductorem et blasphemum esse mentiantur. Unde legitur : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII ; *Marc.* II). » Et alibi : « Hic blasphemat (*Matth.* XXVI ; *Joan.* X). » Et a tribulatione timebo, ideo quia *molesti erant mihi*, id est prævideo quod molestam tribulationem mihi inferent. Et non propter merita mea, sed *in ira*, id est propter impietatem irrationabilis iræ suæ. Quia dixerat se conturbandum esse, ne putaretur non sponte, sed invite conturbandus esse, repetit se conturbandum esse, ut determinet sic : Dixi : Conturbabor *a voce et a tribulatione*, et sic erit : quia *cor meum conturbatum est*, id est anima mea conturbabitur timore vocis et tribulationis. Et hæc conturbatio erit *in me*, id est in meo jure. Quod est dicere : Potestatem habeo conturbandi et non conturbandi. Ac si dicat : Sponte mea conturbabor. Non solum vero timebo propter vocem et tribulationem, sed *et formido mortis cecidit super me*, id est continget mihi. Cum dicit cadet *super me*, innuit quod gravissima erit illa formido, adeo ut illum vehementer opprimat; a similitudine rei ponderosæ, quæ si super aliquem ceciderit, nimis eum opprimit.

Ostendit autem istam formidinem per partes sic: Vere formido cadet *super me*, et non simplex formido, sed *super me venerunt*, id est ad mei oppressionem venient in me, *timor* in anima, *et tremor* in corpore, *et* non erit inanis timor iste, nam *contexerunt me tenebræ*, id est ex toto occupabit mors corpus meum, contegere ponit a similitudine rei, quæ cum contegitur, penitus a re qua contegitur occupatur.

183 Mors dicitur tenebræ, eo quod oculos corporales tenebrosos faciat. Dico quia declinabunt *in me iniquitates et molesti* erunt *in ira* : et contristabunt me nolendo doctrinæ meæ acquiescere. *Et* tunc *dixi*, id est : Dicam et voce et affectione : *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, et volabo et requiescam ?* Istud sub interrogatione positum, oratio est, sed ex affectione nimia interrogative ponit. Majus enim pondus affectionis tales interrogationes habere solent. Ac si diceret : O Deus, mihi existenti sicut columbæ, id est revera columbæ. Ita scilicet simplici ut est columba, et sine felle iræ et odii, et amore charitatis pleno ad similitudinem columbarum, quæ ex dilectione sibi invicem oscula præbent, da pennas, id est agilitatem resurgendi, ut non differatur resurrectio mea usque in resurrectionem communem. Sed cito fac me resurgere, post tres dies scilicet. *Pennas* pro agilitate ponit, quia pennatæ volucres agiles sunt. Et postquam dederis pennas *volabo*, id est, citissime ibo ad gentes per prædicatores meos, non localiter : sed fide quia in me scilicet credent, *et requiescam* in eis, id est delectabor in eorum fide. Quandoquidem Judæi me repellunt, dico : Da *mihi pennas*. Nam mihi sicut columbæ existenti, scilicet mihi carente felle amaritudinis, ad modum columbæ; *quis* alius *dabit pennas et volabo et requiescam ?* Nullus, nisi *tu* scilicet. Quia dixerat. *Quis dabit*, etc., ne videretur hoc ex incertitudine sic posuisse, apostropham ad auditores faciens, se inde certum esse ostendit, prædicens quod volabit sic. Dixi : *Quis dabit*, etc. Cujus rei tamen minime sum incertus. Nam scio quod *ecce*, id est in præsenti, *elongavi*, id est elongabo a Judæis *fugiens*, id est coactus ab eis, quia me respuunt, a similitudine fugientis, qui coactus de loco aliquo discedit. *Et* post *mansi in solitudine*, id est in æternum manebo in gentibus, quæ solitudo dicebantur, eo quod desertæ erant et ab omni opere bono et virtute, carentes doctrinæ rore, a similitudine solitudinis, id est desertæ terræ, quæ omnium bonorum fertilitate caret ; vel sic : *Quis dabit mihi pennas*, id est agilitatem resurgendi, *et volabo*, id est citissime tendam in immortalitatem et impassibilitatem; *et requiescam*, id est delectabor, qui hic multis anxietatibus affligor. Ac si dicat : *Da mihi pennas, et volabo et requiescam*. Nam *quis* alius *dabit* nisi tu ? Nullus scilicet. Hujus etiam rei ostendit se certum esse, sicut et in sententia superiori, sic. Quamvis dixerim, *Quis dabit et volabo*, tamen non sum hujusce rei incertus. Nam securus sum quia *ecce* in præsenti elongabo a morte *fugiens*, id est citus ad modum fugientis : et manebo perenniter *in solitudine*, id est in solitaria beatitudine. Et vere solitudo est beatitudo ejus. Cum ad tantum beatitudinis nemo præter eum solum pervenerit, neque perventurus sit. Licet ad hanc omnes fideles perventuri sint. Quoniam. autem dixerat : *Quis dabit*, ne putaretur ignorare ipsum datorem, addit : Dixi . *Quis dabit*, o auditores, et tamen non ignoro ipsum datorem pennarum : sed *exspectabam eum*, id est ego bene cognoscens, et exspecto et exspectabo eum patienter, sine murmure vel tædio, *qui salvum, me fecit*, id est faciet, *a pusillanimitate spiritus*, id est ne habeam pusillanimem spiritum, deficiendo in pas-

www.libtool.com.cn

sione. Illi namque pusillanimem spiritum habere dicuntur, qui timore cedunt; et *salvum me faciet a tempestate*, id est a commotione mentis, ne commovear in passione ira et odio contra Judæos. Bene quidem hujusmodi commotio tempestas dicitur, eo quod mentem turbat, virtutesque pessumdat, a similitudine aeris, quæ vulgo tempestas dicitur, a qua aer perturbatur et segetes pessumdantur. Ait autem concessive de inimicis sic : Inimici declinabunt in me iniquitates et molesti erunt, et idcirco ab eis ad gentes volabo. Qui inimici, ut prævideo, postea præcipitabuntur ab honore, unde modo superbiunt Et ita concedo, *præcipita*, Deus, eos ab honore, et quia possent 184 ab honore præcipitari sic, ut in patria remanerent, addit : *et* præcipitando *divide linguas eorum*, id est divisas fac et diversas. Ac si diceret : Dum in patria sua sunt, una tantum eis lingua necessaria est. Sed tu eos ubique terrarum disperge, et sic eis erit necesse diversas linguas habere. Et hoc quod dico *præcipita*, non dico causa malevolentiæ : sed pro malis meritis eorum : *quoniam vidi in civitate*, id est, in congregatione eorum, *iniquitatem*, id est iniquas cogitationes et opera iniqua, *et contradictionem*. Quod est dicere : *Vidi* eos iniquos in cogitationibus et operibus esse, et contradicentes veritati. Ideoque concedo, *præcipita*. Civitas per metonomiam pro congregatione ponitur, eo quod hominum congregationem contineat. Et hanc *iniquitatem* nunquam postponent ; sed *die ac nocte*, id est, assidue : vel *die ac nocte*, id est et in prosperis et in adversis *circumdabit eam iniquitas*, id est ex toto occupabit. A similitudine civitatis, quæ ab hostibus circumdatur. Ostendit autem per partes ipsius civitatis iniquitatem eam circumdare, id est ex toto occupare, sic. Dico quod *iniquitas circumdabit eam*. *Iniquitas* dico existens *super muros ejus*, id est subjugans sibi principes ejus civitatis. Summos videlicet sacerdotes et scribas, et Pharisæos, qui muri dicuntur, eo quod ad modum murorum munire doctrina sua minores deberent, cum alti sint in scientia. *Et in medio ejus*, id est in plebe, *est labor et injustitia*, id est laboratio ad habendam injustitiam. Quod est dicere : Laborant omnino ad hoc, ut injusti sint. Medium dicitur plebs, eo quod a majoribus muniri debet. Sicut civitatis medium a muris munitur, vel sic : *Die ac nocte circumdabit eam iniquitas*, existens super muros ejus, id est prævalens custodiæ murorum ; ne muri possint eam munire, angeli scilicet, qui illis a Deo dati erant ad custodiendum, quorum ipsi custodiam per iniquitatem a se repellunt. Quod est dicere : Tanta est ejus iniquitas, quod muri eam custodire non possunt. Et ideo *in medio ejus* civitatis, id est in plenitudine ejus civitatis est *labor et injustitia*, id est laboratio ad injustitiam. Quod est dicere : Non pauci laborant ad injustitiam, sed tota plenitudo civitatis illius.

Quod dicit injustitiam esse *in medio ejus*, a similitudine hostium positum est, qui postquam medium civitatis occupaverunt, circumquaque in ea dominari possunt. Ac si dicat : Injustitia totam illam civitatem occupavit. Vel sic ad litteram legi potest : *Die ac nocte circumdabit eam iniquitas*, existens super muros ejus lapideos, id est excellens altitudinem murorum ejus. Quod est dicere : Cum ipsius muri pro modo suo sublimes satis sint, altior tamen est eorum iniquitas pro modo suo. Et ideo *in medio ejus*, id est in aperto est *labor et injustitia*. Quod est dicere : Aperte et inverecunde laborant ad injustitiam. Quia illud quod *in medio* est, apertum est, medium pro aperto ponitur. Et exponit per partes injustitiam, sic. *Et de plateis ejus*, id est de publico, *non defecit usura et dolus ad litteram*. Ac si diceret : In plateis etiam aperte usuram et dolositatem exercent, vel sic. *De plateis ejus*, id est de principibus, *non defecit usura*, id est nimia vindicta *et dolus*. Quod est dicere. Si aliquis in eos peccat, plus exigunt vindictæ, quam sit offensio ; a similitudine usurarii, qui plus pecuniæ a debitore exigit quam commodaverit. Si autem aliquando nequeunt de peccantibus in se usuram accipere, id est manifestam vindictam, dolose contra eos agunt. Plateæ principes recte dicuntur, eo quod per eorum regimen et doctrinam minores incedere debent, sicut per plateas itur. Quoniam vero de eis egerat concessive, posset aliquis dicere : Quare potius concedis hos præcipitandos esse, cum multi etiam sint gentiles qui tibi non obediunt, de quibus non dicis ut præcipitentur. Ad hoc autem sic respondet, ostendendo causam quare potius isti sint non sustinendi quam gentiles, si ei maledixissent, et super 185 eum *magna* locuti fuissent : et respondendo facit ad eos apostropham increpative, et eos cum multi sint personaliter, singulariter hominem vocat quia unum sunt in malitia. Dixi concessive, *præcipita*, et digne concessi. Indignum enim est ut te sustineam, id est, patienter differam penitus pœnam tuam usque in futurum. *Quoniam si inimicus meus*, gentilis populus, qui nunquam mentitus est esse se amicum meum, sicut tu plebs Judaica mentiris, dicendo : « Magister, scimus quia verax es, etc., (*Matth* XII, 14), qui gentilis populus aperte mihi inimicatur, non habens mei fidem, *maledixisset mihi*, non voce, sed re, id est, depressisset me in tribulatione, sicut tu maledices, id est, deprimes : *utique sustinuissem*, id est, patienter ejus pœnam omnino distulissem usque in futurum, non concederem ut hic præcipitaretur sicut de te concedo. *Et si is qui oderat me*, aperte male vivendo, non fingendo se amicum sicut tu fingis : gentilis populus scilicet *super me* se extollens per arrogantiam, ad modum tui *locutus fuisset* ore *magna*, id est, superba sicut tu dicendo : « Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari (*Joan.* XIX, 12), » et cætera talia, *forsitum*, id est, revera *abscondissem me ab eo*, id est, *abscondissem* potentiam meam *ab eo*, differendo vindictam usque in futurum. Non hic eum præcipitando, sicut te præcipitabo. Hoc autem quod præterite posuit, sic

www.libtool.com.cn

gendum est : *Si inimicus meus malediceret mihi, sicut tu maledices, utique sustinerem. Et si is qui odit me super me magna loqueretur, revera absconderem potentiam meam ab eo. Tu vero* populus Judaicus, existens *homo*, id est, animalis non spiritualis, *unanimis*, id est, amicissimus mihi simulatione, non re, non secundum omnes : sed secundum quosdam qui dolose mei familiaritatem appetunt, ut me redarguere possint : *dux meus* secundum illos quos constitui duces populi, licet bene illos non ducant, scilicet secundum summos sacerdotes et cæteros principes, qui claves scientiæ habent, neque intrant, neque alios intrare permittunt (*Matth.* XXIII, 13) ; dicti tamen duces, quamvis non ducant, eo quod ducendi habeant officium : *et notus meus*, id est, consanguineus, secundum quosdam, qui eadem tribu sunt : vel notus secundum quosdam, eo quod cum sim corporaliter nutritus, et cum eis ab ætate puerili conversatus : *qui simul mecum capiebas dulces cibos*, id est, dulcia præcepta legis, quæ cibi sunt animæ, et *simul capiebas*, id est, in eodem loco. In Synagogis scilicet et in templo. Quod est dicere : Omnes capiebamus, et in eodem loco, et *in domo Dei*, id est, in templo *ambulavimus cum consensu*, id est, cum concordia, ut ibi pariter sacrificia et alia instituta legalia compleremus. Tu, inquam, populus Judaicus, qui talis et talis es, ut dixi, es a me sustinendus? Minime. Quod est ac si diceret : Vere debeo concedere ut præcipiteris, neque debeo te sustinere usque in futurum ultionem tuam protelando, quoniam *tu* es *homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, et cum quo *in domo Dei* ambulavi *cum consensu* ; et quamvis hæc omnia sint, tamen contristabis et conturbabis me et repelles cum deberes non repellere : sed mihi utpote regi et Salvatori tuo subjici, quem prophetarum testimonio cognoscere potuisti, et sic me lætificare. Ideoque dignus es omnino ut præcipiteris. Dico quod te non sustinebo, cum hoc et hoc sis, et tamen me et contristes et conturbes. Inimicum quidem gentilem populum, qui me aperte odit, sustinerem *si mihi* malediceret, et *ab eo* potentiam meam absconderem *si super me magna* loqueretur, cum non sit *notus*, et *unanimis*, et *dux meus*. Non enim adeo dignus est gentilis populus damnatione, qui nunquam me per legem qua carebat cognoscere potuit, quantum tu, qui me per legis testimonium cognoscere potuisti. Et qui nunquam fraudulenter se mihi fecit unanimem ; 186 nec est a me dux constitutus sicut tu, neque mihi exstitit consanguineus. Cum ponit *tu vero homo*. Illud *vero* non quantum ad sententiam, sed quantum ad ordinem litteræ videtur operari.

Cum autem dixit *maledixisset*, ponitur maledicere pro deprimere, sicut benedicere sæpe ponitur pro exaltare. Facta concessione de damnatione Judæorum in hoc mundo futura, et ostensis causis quibus debeant hanc damnationem subire ; agi consequenter de damnatione in die judicii futura, sic : *Dixi, præcipita* et *divide*. Et non solum præcipitentur et dividantur : sed etiam quandoque, *veniat mors* perpetua *super illos*, qui ignorant me Deum esse, super plebem rudem scilicet, quæ adhortatione principum in me peccat, *et descendant in infernum viventes*, id est, illi qui prudentes et scientes se interficiunt in me peccando, cum me Deum esse non ignorant. Mittit autem ad similitudinem historiæ de Dathan et Abiron et eorum consentaneis (Num. XVI). Nam Dathan et Abiron, cum sacerdotio Aaronico contradicerent, et se contra Deum illius sacrificii dispositorem agere non ignorarent, multos quoque sibi consentientes, ignorantes tamen ipsos contra Deum agere haberent, a terra vivi absorpti, in infernum descenderunt. Reliqui vero ignoranter eis consentientes igne cremati sunt. Per Dathan igitur et Abiron, qui viventes perierunt Judæorum pars illa portendebatur, qui cum Christum Deum esse non ignorarent, tamen erant illi contradicturi, et in ipsius Christi cognitione viventes et prudentes, in inferni damnationem erant descensuri. Per consentaneos autem eorum igne consumptos, qui ignoranter peccabant. Judæorum pars illa figurabatur, quæ cum Christum Deum esse ignoraret, eique contradiceret, infernali igne superveniente, et eos demergente, perituri erant, non quia vivi et prudentes, sed quia ex ignorantiæ negligentia perverse agerent. Hujus autem historiæ similitudini alludit, cum ponit. *Veniat mors super illos*, qui ignorantes me Deum esse, mihi contradicunt, sicut super consentaneos Dathan et Abiron ignis venit, qui eos consumpsit Et bene positum est super eos per similitudinem, ac si poneret : Sic eos perpetua mors opprimat, ne possint surgere inde et evadere, ad modum illorum, qui ab aliquo pondere supercadente adeo deprimuntur, ne surgere sit eis licitum. Et illi qui sunt viventes, idest, non ignoranter peccantes, descendant in infernum, id est, veniant in profundissimum interitum quod denotatur, cum dicit descendant. Descendere namque dicimus ad profunda venire, dico descendant in infernum, et veniat mors super illos. *Quoniam nequitiæ*, id est, nequam opera sunt *in habitaculis eorum*, id est, in corporibus quæ habitacula sunt animarum. Et nequitiæ, id est, nequam cogitationes sunt *in medio eorum*, id est, in corde quod dicitur medium, eo quod in medio corporis sit situm. Vel medium dicitur per simile eo quod per ejus mensuram corporum actus fiunt, sicut ad mensuram puncti, quod medium est, circulus constituitur. Cum vero addit : *Ego autem*, etc. Salutem suam annuntiat, ne videretur ex incertitudine orasse. Et hoc sic continuatur. *Dixi* quia illi sic destruentur, et hic et in futuro. *Ego autem ad Dominum clamavi*, intentione devotionis, *et Dominus salvabit me*. In perficiendo constantem, in *vespere*, id est in passione : quæ contingit circa vesperum ; circa nonam videlicet, quæ præfigurabatur per agnum, qui

www.libreoboreum.com

immolabatur in lege veteri ad vesperum. *Et salvabit me* in *mane*, id est in resurrectione quæ continget in mane faciens immortalem et impassibilem. *Et salvabit me in meridie*, id est in ascensione quæ circa meridiem erit, exaltando me super cœlos, et mihi mundum totum subjiciens. *Et* ego *narrabo* per prædicatores meos omni mundo has salvationes postquam acciderint. Et cum adhuc futuræ sint, *annuntiabo* eas discipulis meis, ut ipsi omnibus narrent, postquam factæ fuerint. 187 Narrare quidem dicitur de præterito: Annuntiare vero de futuro; vel sic : Dominus *salvabit me vespere et mane*, et *meridie*, id est et in prosperis et in adversis, ne me scilicet prospera elevent, nec adversa deprimant. Per vesperum et mane, quia tunc aer caret fervore, prosperitas denotatur. In qua tribulationum fervor minime dominatur. Per meridiem autem, qui solis fervoribus exæstuat, adversitas intelligitur : in qua tribulationum fervoribus quilibet opprimitur. Et quia *salvabit me* per prædicatores, *narrabo* beneficia quæ mihi dederit; *et annuntiabo* beneficia quæ fidelibus meis in futuro retribuentur ; vel sic : *Narrabo* per prædicatores minora beneficia, ab eo mihi jam data, scilicet immunitatem a peccato, et virtutem miraculorum, et exercitium operum bonorum, *et annuntiabo* majora beneficia quæ dabit, scilicet immortalitatem et impassibilitatem, et totius mundi subjugationem. *Dixi* quod clamavi interius affectione, et non solum hoc, sed et voce orabo. Et hoc non est in libro, sed ex hoc intelligitur quod addit *et exaudiet vocem meam*. Et hoc modo *exaudiet*, quod *redimet*, id est eruet *animam meam in pace* perpetua constituendam et hoc superius obscure positum est, cum dixit : *Salvabit me vespere* : sed ideo repetit æquipollenter, cum dicit *redimet*, ut lucidius post enarret et ostendat a quibus redimet, cum addit, *ab his redimet qui appropinquant mihi*. Et quia appropinquare est et ad bonum et ad malum, determinat hoc sic. Dico quod *redimet* a Judæis, *qui appropinquant mihi*. Et necesse est ut *ab his me* redimat, *quoniam erant mecum*, id est sunt in familiaritate mea, *inter multos* existendo, id est ita ut sint in numero infidelium qui multi sunt, non in numero fidelium qui pauci. Quod est dicere : Sic mihi appropinquant, ut infidelitatem suam non deserentes, insidientur mihi ; ut redarguere queant, et occasionem meæ mortis inveniant.

Annuntiata salute sua, annuntiat quoque duplicem inimicorum damnationem, de qua superius egerat concessive ubi dicit : *Præcipita*, etc. *Et veniat mors*, etc. Ut igitur hanc annuntiet consequenter damnationem, repetit quod superius posuit, ut confirmet sic. *Exaudiet*, inquam, *Deus* verbum me, ut redimat, *et* ex opposito *humiliabit illos* inimicos meos ab honore mundano, et terra sua præcipitando, Deus Verbum mihi personaliter unitum dico *ante sæcula* existens, id est ab æterno, quod ipsi dicunt mihi non unitum. Quod est dicere : Ego, qui Deus et homo sum secundum quod Deus æternus, secundum quod homo in tempore natus, humiliabo *illos*, quia ipsi solum me hominem considerantes negant ab æterno existere. Diceret aliquis : Periitne, adeo misericordiæ ut cum ipsi forsitan aliquando commutandi sint de impietate sua eis non misereatur Deus ne humilientur? Ad hoc autem sic respondet, dicendo eos nunquam esse commutandos. Dico quod *humiliabit* eos Deus Verbum, et merito. *Non enim est illis commutatio*, id est nolunt unquam de malitia sua commutari, ut boni fiant. Ac si dicat : Si commutarentur, non humiliarentur, sed quia nolunt commutari, *humiliabit* eos Deus, et ideo *non est illis commutatio*, quia *non timuerunt Deum* Verbum, id est non proposuerunt ante considerationem suam Deum verbum metuere. Quod profecto si timerent, et commutationem expeterent.

Agit autem de damnatione in die judicii futura sic: Dixi quod Deus *illos humiliabit*, et non solum hanc vindictam de ipsis accipiet, sed adhuc *extendit manum suam*, id est adhuc amplificabit vindictam suam *in retribuendo* damnationem majorem pro malis meritis eorum. A similitudine percutientis, qui cum aliquem graviter vult percutere, valde manum extendit. Manus vero bene pro vindicta ponitur, eo quod manuum percussione, 188 de hostibus sæpe vindicamus. Et merito extendet *manum*, quia *contaminaverunt testamentum ejus*, id est corruperunt legem ejus, male exponendo. Juxta quod in psalmo decimo legitur : « Quæ tu perfecisti, destruxerunt (*Psal.* x, 3). » Contaminaverunt quidem legem, non quantum ad ipsam legem, quæ sancta est et munda, sed quantum ad suam sinistram interpretationem. Quod est dicere : Corruptam de lege dederunt expositionem. Apposita causa quaextendet vindictam, exponit ipsam vindictam sic : Dico extendet *manum* hoc modo, scilicet quod *divisi sunt ab ira vultus ejus*, id est dividentur in die judicii a regno Dei, quod temere habitare præsumunt. Et hæc divisio continget *ab ira* Dei, id est propter hoc quod eis erit iratus. Quod autem dicit *ira vultus ejus*, humano more dicit, eo quod ira soleat in vultu notificari, nihil est plus *ab ira vultus* quam ab ira simpliciter, vel *ab ira vultus ejus*, id est ab ira mea quando in judicii die apparebo in majestate iratus. His a quibus neglectus sum, veniens in humilitate pacificus, qui Dei vultus dicor et facies, eo quod per me Deus genus humanum misericorditer respiciat, sicut vultu quilibet respicit ; vel sic legi potest, *extendit manum suam in retribuendo*. Dico quod non est illis commutatio de malo ad bonum, et hoc ideo quia *non timuerunt Deum* ut obedirent præceptis ejus. Et licet eum non timerent, tamen *extendit manum suam*, id est amplam fecit largitatem misericordiæ suæ *in retribuendo* bona pro malis. Ut cum scilicet nequam essent, et legis præceptis non obedientes, mitteret eis misericordiam, id est Filium suum, me scilicet qui eos ad viam vitæ reducerem. Et ipsi non cognoverunt misericordiam Dei, sed contaminaverunt testamentum ejus, male exponendo, et detorquendo ad aliud,

www.libtool.com.cn

quidquid ibi scriptum est de me, ideoque dividentur A in futuro *ab ira vultus ejus*, Quod dicit *manum extendit*, a similitudine ponit, quia cum alicui beneficia impendere volumus, ipsi manum extendere solemus. Dico quod illi dividentur a regno Dei, et ex opposito « cor illius Dei appropinquavit (*Matth.* xxv, 34), » id est appropinquavit regno Dei, ut illud possideat. Unde legitur : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* xxv, 34). » Cor Dei boni dicuntur eo quod ejus secreta sciunt, vel usualiter cor Dei dicuntur. Amicissimos enim nostros, cor nostrum vocare consuevimus. *Et* merito *appropinquavit cor illius*. Quia non contaminavit *Testamentum*, sed *sermones ejus molliti sunt* illi *super oleum*, id est præcepta ejus quæ austera aliis videbantur, mollia ad intelligendum et levia facta sunt, suo modo plusquam B oleum molle sit et leve suo modo.

Quia dixerat *molliti*, etc., eo quod molle solet aliquando poni pro fragili et invalido, ne hic similiter poni videatur pro fragili et invalido, addit, *et ipsi* surmones *sunt jacula* ipsi cordi. Quod est dicere : Quamvis dixerim sermones esse molles quodam respectu, tamen *jacula* sunt alio respectu dicenda, eo quod eum eis catholicæ fidei adversarios fideles repercutiunt, sicut jaculis hostes percutiuntur. Quoniam vero sermones dixerat esse *jacula*, unde datur intelligi, quod fideles aliquando tribulationes et rixas ab infidelibus patiuntur. Adhortatur ne timeant, si aliquando persecutionem passi fuerint, sed omne onus curarum suarum *super Deum* rejiciant, C et ipse bene inde eos expediet. Dixi quia *sermones* Dei sunt *jacula* cordis Dei, id est fidelibus contra infideles. Qui infideles si contra te tribulationes et rixas moverint, o cor, ne timeas, ne sis sollicitum, sed *jacta super Dominum curam tuam*, id est pone super eum omne onus sollicitudinis tuæ, a similitudine ponderis, quod super aliquem ponitur. Quod est dicere : Noli sollicitus esse quomodo possis evadere, sed securus esto, et omnem curam salvationis tuæ Domino attribue, et ipse Dominus 189 *te enutriet* in sermonibus suis, id est pascet et confortabit ut fortis sis et prudens hujusmodi jaculis hostes referire. Et si corporea tribulatio tibi ab hostibus illata non fuerit, *non dabit* Deus tibi *justo fluctuationem*, id est non permittet te fluctuare, id est laborare, cum hoc sit quod es justus ; quod est dicere : Propter justitiam tuam sic te constantem faciet, quod nullo modo fluctues. Facit apostropham ad Deum agens, annuntiabo de impiorum morte perpetua sic : Dixi quod non fluctuabit.

Eos vero qui cor tuum persequuntur. *deduces tu* Deus Verbum qui potens es, id est, deduci permittes a malignis spiritibus. *In puteum interitus*, id est, in profundissimum interitum. Unde non poterunt emergere, a similitudine putei profundissimi. In quem si quis ceciderit, non poterit inde exsurgere, de quo puteo interitus legitur : « Os ejus claudetur, vermis ejus non morietur, nec ignis exstinguetur (*Isai.* LXVI, 24), » Et hoc est ac si ponerent : Non solum *ab ira vultus ejus* dividentur, quod valde miserum est, sed etiam post divisionem *in puteum interitus* deducentur. Et merito : nam ipsi *viri sanguinum* existentes *et dolosi non dimidiabunt dies suos* ; præposteratio, ipsi dolosi cum per blanditias bonos sibi conformare nituntur, et post quia blanditiis non prævalent ; existentes *viri* effusores *sanguinum*, id est, aperte et per effusionem sanguinis eos a sanctitate retrahere cupientes *non dimidiabunt dies* vitæ suæ, id est, non discernent, ut cum partem præteritam nequam operibus, et cogitationibus impenderint, futuram bonæ operationi et cogitationi attribuant. Quod est dicere : Nunquam saltem partem aliquam vitæ suæ sancte et innocenter deducent ; sed omnibus diebus suis nequiter vivent.

Ideoque juste deducentur *in puteum interitus* : vel sic : Diceret aliquis : Dicis quo deducentur, nonne prodest eis ut non deducentur, quod aliquando bene operantur ad horam, et post deficiunt ? Contra hoc sequitur remotio sic : Vero deducentur, et si bene operentur ad horam, et post deficiunt.

Nam *viri sanguinum et dolosi, non dimidiabunt dies suos*. Quod est dicere : Non licet eos dimidiare dies suos ; ut alternatim partim Deo, partim vero serviant diabolo, jexta quod Dominus in Evangelio dicit : « Non potestis Deo servire, et mammonæ (*Matth.* vi, 34) ; » vel sic potest legi : Ut spectet ad hoc quod superius positum est, ubi dicitur : *Humiliabit illos Deus* a regno. Dico quod *humiliabit eos* C *Deus*, et hæc humiliatio non diu morabitur. Nam *viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt* in terra sua *dies suos*, ac si poneret : Putant se fore ibi de generatione in generationem, omnibus diebus, quibus mundus iste durabit, sed nec per medietatem dierum illorum, quos sibi et filiis suis attribuunt, ibi erunt cum in quadragesimo secundo anno inde sint expellendi. Dixi quod ipsi deducentur *in puteum interitus*, *ego autem sperabo in te, Domine*. Quod est dicere : Mei autem non sperabunt in terrenis sicut infideles faciunt, sed *in te* sperabunt, id est, spem salvationis ponent, Ideoque non deducentur *in puteum interitus*.

IN PSALMUM LV.

D Psalmi quinquagesimi quinti titulus. *In finem pro populo qui longe factus est a sanctis ipsi David* : in tituli inscriptione, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. In hoc autem titulo, etsi quædam verba videantur esse posita juxta historiam, videlicet ista, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. Sunt tamen ibi quædam apposita, quæ nos plane revocant ab historiæ intellectu, ubi dicitur *in finem pro populo, qui longe factus est a sanctis*. Hæc enim verba nusquam in historia leguntur. Unde supradicta verba : hæc *scilicet cum tenuerunt eum Allophyli in Geth*, secundum interpretationem solummodo accipienda sunt. Per hanc quidem vocem quæ est Allophyli qui alienigenæ interpretantur, Judæi intelliguntur, qui prius existentes filii, modo vero facti sunt alie-

www.libtool.com.cn

nigenæ, id est, alieni, juxta quod in psalmo decimo septimo legitur: 190 « Filii alieni mentiti sunt mihi (*Psal.* XVII. 48). » Per Geth quidem qui *torcular* interpretatur, passionis pressura notatur, eo quod torcularis esse solet premere. Hoc notato, ad tituli verba exponenda accedamus.

Psalmus iste est agens pro populo Judaico commutando per fidem, *in finem*, id est, in conformitatem et subjectionem Christi, qui finis est prophetiæ et legis, *pro populo* dico, *qui longe factus est a sanctis*, id est, valde dissimilis factus est ab apostolis, et aliis fidelibus veteris legis; qui Christum regem Judæorum esse crediderunt, sicut fuit Joseph ab Arimathia et Nicodemus, et Gamaliel aliique multi et eorum contemporanei, et ante tempus eorum existentes. Dico quod *longe factus est a sanctis*, in hoc scilicet longe factus est in inscriptione tituli facta *ipsi David*, id est, Christo a Pilato : quæ inscriptio hæc est: « Jesus Nazarenus rex Judæorum (*Joan.* XIX, 19). » In tituli inscriptione dico commutata ab eodem populo, cum Allophyli, id est, ipse populus existens Allophyli, id est alieni. Prius autem filii tenuerunt eum in Geth, id est, putaverunt eum tenere in pressura mortis, ne resurgeret. Commutavit enim iste populus titulum, quantum ad credulitatem suam dicens ad Pilatum: « Noli scribere rex Judæorum, sed quia ipse dicit: Rex sum Judæorum (*Ibid.*, 21). » Et hoc totum est, ac si dicat: Psalmus iste agit pro utilitate populi Judaici, qui prius longe factus est a sanctis, per hoc quod commutavit inscriptionem tituli et voce et affectione, cum ipse alienus voluit Christum in morte detinere: nolens videlicet Christum regem suum esse. Qui populus commutandus est ab incredulitate et duritia sua, in fidem Christi. Et bene dicitur psalmus iste agere pro utilitate populi commutandi. Cum enim in superiori psalmo de passione, et de parte populi damnanda agens, Christus introductus sit. Introducitur in hoc orans ante passionem ne cedat, et ut resurgat. Ostendens passionem suam, et populi salvandi commutationem. Quod ad ejus utilitatem dicit, ut per hoc quod ejus commutatio prædicitur, ad ipsam commutationem incitetur.

Misere mei, Deus, ut me constantem facias et resuscites, et necesse est ut hoc orem, et dignum etiam est ut miserearis ; *quoniam* Deum *me* et Creatorem *conculcavit homo*, id est, conculcabit Judaicus populus, qui homo est, id est, creatura : quod indignum est ut creatura Creatorem conculcet. Cum dicit *conculcavit*, alludit similitudini de torculari, quia posuerat in titulo *Geth*, quod interpretatur torcular: torcularis enim est uvas conculcare, vel sic: Conculcabit *me homo*, id est, Judaicus populus, qui simpliciter est homo, id est, animalis non utique spiritualis. Exponit vero quomodo conculcabit, cum adjungit: Dico conculcabit: ita scilicet *tribulavit me*, id est, cruciabit tribulationibus *tota die* passionis meæ, *impugnans* me verbis dicendo : « Hic dicit: Possum destruere templum Dei (*Matth.* XXVI, 61), » etc. Bene quidem ponit *tota die*. Nunquam enim illa die ab ejus tribulatione impugnatione cessaverunt, vel sic tribulavit me in die passionis, impugnans me prius ante passionem verbis maledicis, *tota die*, id est, assidue, dicens : « Dæmonium habes (*Joan.* X, 20), » et cætera similia. Notandum autem, hic Christum introduci agentem ante tempus passionis suæ. Quoniam autem se conculcandum esse prædixerat, ne videretur pro meritis suis esse conculcandus, repetit addendo causam conculcationis sic : Dico quod conculcabit *me homo*, et non in Deo quod promeruerim : sed *conculcaverunt me inimici mei tota die*, id est, conculcabunt me *tota die* passionis, ideo quia sunt *inimici mei*. Quod est dicere: Inimicitia sola erit causa, non aliquod meritum meum. Ne videretur autem quod timorem habiturus esset in ipsa conculcatione, removet hoc sub interrogatione sic: Dixi quod me conculcabunt, *et quoniam multi bellantes* et verbis et tribulationibus erunt *adversum me*, qui alti erunt, id est, superbi in dominatione. quæ permittetur eis in me, *timebo* 191 ego *ab altitudine diei* , id est, habebo timorem propter superbiam dominationis temporalis et brevis. Quod est dicere : Timebo quod eorum altitudo, id est, dominatio ducens me ad mortem, sit causa quare detinear in morte. Nequaquam. Cum ponit *dici*, innuit quia brevi tempore duratura est dominatio illa, quoniam dies unus breve tempus est. Ac si poneret, non generabitur mihi timor, non resurgendi *ab altitudine*, quæ per diem solum duratura est. *Ego vero in te sperabo*. Ac si diceret: Non *timebo*, sed ego qui sum innocens, justus, tibi obediens. *sperabo* resurrectionem, *in te*, id est, in consideratione potentiæ et misericordiæ tuæ. Notandum autem quod ante passionem, cum ipse passioni proximus esset, ad instructionem suorum sponte Christus timuisse perhibetur. In passione vero jam positus, timuisse non legitur. Quia vero sperare sine bona vita, non spes, sed præsumptio dicenda est, addit : Dico *sperabo*, quæ spes præsumptuosa non erit, nam ego ante passionem *in Deo* existens, id est, in operatione et laude Dei, *laudabo sermones*, id est, laudabiles ostendam bona vita mea prædicationes meas. Quod est dicere : Bene vivendo prædicationem meam laudabilem ostendam. Unde in Actibus apostolorum legitur: « Cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I, 1). » Nam si ea quæ prædicabat opere non complesset, non utique ejus prædicatio laudabilis exstitisset.

Quoniam vero dixerat *in te sperabo* (in passione scilicet) ne videretur innui ante passionem non sperare, addit non solum in passione sperabo, sed et *in Deo speravi* semper *ideoque non timebo quid faciat mihi caro*. Quod est dicere : Neque timebo propter eorum altitudinem, ut in morte detineat, neque timebo tribulationes et blasphemias et insidias quas facient mihi illi qui solummodo carnales sunt, non etiam spirituales. Exponit autem quid facient per partes, sic: Hoc scilicet *mihi*, faciet *caro tota die*, id est, jugiter *exsecrabantur*, id est exsecrabilia judica-

www.libroolvidado.com

bunt *verba mea*, dicendo : « Abraham mortuus est prophetæ, et tu dicis; Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum (*Joan.* VIII, 52), » et cætera similia. Et ideo *exsecrabuntur verba mea*, quia *omnes cogitationes eorum* erunt *adversum me*, et quia multi cogitant adversum aliquem, non ut ei noceant, sed ut eum secundum quod perversus est, destruant. Addit : *In malum* erunt *cogitationes eorum*, non in bonum. Quod est dicere : A malis cogitationibus quas adversum me cogitabunt, procedet exsecratio verborum meorum. Unde in Evangelio legitur : « Ex abundantia cordis os loquitur (*Luc.* VI, 45), » et ipsi exsecrantes *inhabitabunt* familiaritatem meam, *et abscondent* causam inhabitationis : non quantum ad me, qui omnia video : sed quantum ad existimationem suam. Quod est dicere: Cum ipsi mala intentione inhabitet, bona intentione se inhabitare fingent. Ostendit vero quare *inhabitabunt*, addendo sic : Dico *inhabitabunt*, et *ipsi* inhabitantes *observabunt calcaneum meum*, id est exspectabunt finem meum, ut cum in principio nihil in me habeant quod notent, saltem quod possint redarguere in fine inveniant. Bene quidem calcaneus pro fine ponitur, eo quod sit finalis corporis pars. Vel sic *observabunt*, id est exspectabunt *calcaneum meum* lapsurum. Quod est dicere : Exspectabunt an forte me viderint in aliquo crimine labi. Quia per calcaneum aliquis labitur, calcaneus pro lapsu ponitur. Sententia quidem eam in his verbis concipitur, quæ etiam in superioribus. Dixi quod *observabunt calcaneum meum. Sicut sustinuerunt animam meam*, id est utpote illi qui sustinebunt vitam meam, id est quibus erit vita mea oneri et tædio, et ad modum alicujus, pondus aliquod grave sustinentis, cui pondus illud maximo tædio est. Quod est dicere : Hoc quod vita mea erit eis tædio, causa erit quare me observabunt. Agit autem de inimicorum commutatione et salute sic.

192 Dixi quod me conculcabunt, et exsecrabuntur, et *calcaneum meum observabunt*. Et quamvis hæc omnia perverse faciant, tamen *pro nihilo*, id est sine aliquo merito eorum, *salvos facies eos* ; hic ab originali crimine, et ab actualibus, vel sic : Dico quod in me *calcaneum observabunt*. Et tamen *salvos facies illos pro nihilo*, sicut *pro nihilo*, id est, sine causa sustinebunt *animam meam*. Sententia fere eadem est quæ et superius, sed distinctio mutatur, et in superiori lectione *sicut*, pro *utpote* legitur. Hic autem comparative accipitur. *Et* priusquam *salvos* facias, *confringes populos*, id est multitudines inimicorum secundum quod mali sunt, *in ira*, id est in cognitione iræ tuæ futuræ. Quod est dicere : Per cognitionem iræ tuæ; quam eis dabis, confringetur eorum impietas. Cum ponit populos pluraliter, innuit quod non pauci erunt, sed multi ; sicut una die tria millia, alia vero quinque leguntur conversa fuisse (*Act*, II, 41 ; IV, 4). Et ipsi priusquam confringantur. *O Deus, vitam meam annuntiavi tibi*, id est ipsi mei futuri, annuntiabunt tibi per confessionem fe-

A ditatem vitæ suæ. Et hoc totum est ac si sic poneret : Mei annuntiabunt peccata sua per confessionem, et tu illos confringes secundum quod peccatores sunt, et sic *salvos facies illos* hic, et per hoc quod hic illos salvabis, in futuro *posuisti in conspectu*, id est pones in præsentia et beneplacentia tua *lacrymas meas*, id est ipsos eosdem pro quibus sæpe lacrymosas preces fudi. Vel *lacrymas meas* per emphasim, id est, pro quorum morte lacrymatus sum in morte Lazari (*Jaon.* XI, 35). Notandum enim eum tunc non pro Lazaro flevisse, qui mox resuscitandus erat, sed pro illis quorum mors in morte Lazari figurabatur, qui adeo scilicet in peccatis mortui erant quod jam aliis malo exemplo suo fetebant, ad modum Lazari quatriduani (*Ibid.*, 39).

B Dico quod salvabis, et quod pones eos in conspectu tuo, *sicut et*, id est etiam *in promissione tua* est hæc constans, id est promisisti per prophetas, quorum promissionem et ipsum confirmat Evangelium, ubi angelus Joseph viro Mariæ salvatorem nasciturum enuntians, ait : « Salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Et hoc est ac si diceret : Et hoc ego annuntio, et tu hoc promisisti. Dixi quod annuntiabunt et *confringes*, etc., et tunc ipsi *inimici mei convertentur* ad me *retrorsum* incedentes, id est mei sequaces, a similitudine illius qui aliquem sequitur. Quod est dicere : Bene vivent ad mei conformitatem, mei prout poterunt sequaces effecti. Dico quod *convertentur*, et non solum in

C prima ætate suscipies eos, vel in secunda ; sed *in quacunque die invocavero te*, id est in quocunque tempore ætatis invocabunt te per veram compunctionem, sic ut post non revertantur. Juxta illud propheticum : « In quacunque hora peccator ingemuerit (sicut ingemendum est) salvus erit (*Isai.* XXX, 15, *secundum LXX*). » Quia vero dixerat, *mei* annuntiabunt vitam suam, quoniam annuntiatio nequit esse, nisi prius habeatur Dei cognitio, subdit: Dico quod annuntiabunt, et prius *ecce*, id est in præsenti, *cognovi quod Deus meus es*, id est fide cognoscent mei, quod tu es Deus eorum. Et quia fides sine operibus mortua est, ipsi existentes *in Domino*, id est in operatione Domini, *laudabunt verbum*, id

D est laudabile ostendent verbum suum, bona vita sua, *in Deo et in Domino* idem est. Sed verbum et sermo differunt. Sermonem namque proprie et usualiter dicimus quando aliquis non composito scripto, vel composita et ornata locutione, sed vulgari loquitur ad aliquem, aut ad plures. Verbum autem quando compositione Latinitatis seu vulgaris locutionis ad quemlibet agit. Et hoc totum est ac si poneret : Postquam fide Deum cognoverint, bene operabuntur, et sic et sermonem et verbum suum laudabile esse ostendent. Si enim male viverent, contemptilia esse facerent. Juxta illud beati Gregorii. « Cujus vita despicitur, restat ut prædicatio despiciatur » (hom. 21 *in Evang.*), vel sic legi potest, ut tota Trinitas hic denotetur. Dixi quod annuntiabunt, et ut annuntiare valeant, ecce in præsenti *cognovi*,

www.libtool.com.cn

193 id est, cognoscent quia *Deus meus* est, id est Deus Pater, est Deus meorum. Quod est dicere : Cognoscent Deum Patrem, et *in Deo* Patre, id est in æqualitate Dei Patris, *laudabo*, id est laudabunt Verbum ; id est Filium scilicet : et *in Domino laudabo sermonem*, id est in æqualitate Domini Spiritus laudabunt me Filium, qui sermo sum Patris, per quem dixit, id est disposuit, et facta sunt omnia (*I Joan.* I, 3). Et hoc totum est ac si diceret : Cognoscent Patrem esse Deum, et me quem prius æqualem Patri esse negaverunt et contempserunt, cognoscent Deum æqualem Patri et Spiritui ; et sic me laudabunt fide, opere, et devotione. Et cognoscendo et laudando Deum Trinitatem, *in* ipso *Deo speravi*, id est spem salvationis æternæ habebunt, ideoque *non timebo*, id est non timebunt, *quid faciat mihi homo*, id est sibi homo, id est persecutor, qui solummodo homo est, id est animalis non spiritualis. Quod est dicere : Non timebunt tribulationes, mortem, damna terreni census, quæ sibi inferentur a persecutoribus ; diceret aliquis : Vere timendus est persecutor, quia auferet terrena bona, et postea non habebunt unde legalia vota solvant, contra quod subjungit. Dico quod non timebunt *quid faciat* sibi *homo*, neque timendum est ; nam licet auferat terrena, non tamen auferre potest quin tibi sacrificent : *in me* enim, id est in meis *sunt vota*, id est sacrificia tua, *quæ reddam*, id est reddant *tibi*, *laudationes* scilicet. Quod est dicere : In se habent quod tibi sacrificabunt, scilicet ut te laudent voce, opere, et devotione, quod nullus persecutor potest eis auferre, et dignum erit ut reddant. *Quoniam eripuisti animam meam de morte*, id est eripies animam meorum de multitudine peccatorum per quæ venirent ad mortem, nisi eis indulgeres ; et postquam eripies a morte per peccatorum indulgentiam, eripies *pedes meos*, id est affectiones meorum *a lapsu*, ne corruant a sanctitate per malam concupiscentiam aliquam, *ut placeam*, id est placeant *Deo in lumine viventium*, id est in conformitate mei positi, qui sum lumen omnium in perfectione virtutum viventium, non in peccatorum mole mortuorum. Quod est dicere : Ideo eripies ut tibi placeant conformes mei facti, qui sum illuminator omnium bene viventium. Ipsi dico placeant coram Deo existentes, id est in manifesta cognitione Dei, ut eum revelata facie specialiter videant a similitudine illius qui manifeste videt eum coram quo est.

IN PSALMUM LVI.

Titulus quinquagesimi sexti. *In finem ne corrumpas* [*disperdas*], *ipsi David. In tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul in speluncam.* In hoc titulo sicut in superiori quædam verba secundum historiam videntur apposita, quæ sunt hæc ; *cum fugeret a facie Saul.* Sed quod adjungitur non in speluncam, sed in spelunca non procedit, si ad historiam referatur. Est etenim ibi positum *in speluncam*, cum expositores habeant in spelunca. Legitur A quippe David, Saule persequente in speluncam fugisse (*II Reg.* XXII) : illud quoque quod apponitur in titulo, scilicet *in tituli inscriptione*, nullatenus ad historiam videtur attinere, cum David prophetæ nusquam legatur inscriptio tituli facta fuisse. Idoneum ergo videtur, non juxta historiam, sed juxta vocis interpretationem, titulum hunc accipere ; qui sic exponitur. Psalmus iste spectans *in finem*, id est in Christum, adhortatur *ne* tu quicunque lector *corrumpas David*, id est Christum, quantum ad te. Et ostendit in quo non corrumpas, addnedo sic : *Ne corrumpas* dico, *in tituli inscriptione* facta *ipsi David*, id est Christo a Pilato. Quam in superiori psalmo ostendimus. Quod est dicere : Ne corrumpas inscriptionem tituli, id est illud quod in inscri- B ptione tituli notatur, scilicet Christum regem esse. Quod tu corrumperes, quantum ad te ; non quantum ad eum si eum regem esse denegares, vel affectione, vel voce, vel negligentia præceptorum ejus sicut Judæi corrumpere voluerunt, quando eam commutaverunt : Dico *ne corrumpas*, *David*, *in tituli inscriptione* 194 commutata, facta *ipsi David*, cum *fugeret a facie Saul in spelunca*. Quod est dicere : *Ne corrumpas*, cum hoc sit, quod ipse latens in spelunca, id est in humanitate, secundum divinitatem fugit, id est ad modum fugientis omnino discessit : *a facie Saul*, id est a præsentia cognitionis Judaici populi. Ac si poneret : Judaicus populus ideo corrupit inscriptionem tituli commutando eam, C quia ipse Christus latens in humanitate, discessit ab ejus cognitione, id est non cognovit eum esse Deum. Sed tu, lector, *ne corrumpas* ideo, quod in spelunca latens, id est in humanitate, fugit *a facie Saul*, id est a præsentia cognitionis Judaici populi, qui bene dicitur Saul, id est appetens mortem per mala opera sua, vel ideo dicitur Saul, quia persecutus est Christum, sicut Saul persecutus est David. Spelunca quidem humanitas recte dicitur, eo quod humilis fuit, et in ea divinitas latuit, sicut spelunca humilis res est, et in ea latere aliquis potest. Notandum quod, cum dicamus hunc psalmum adhortari lectorem ne corrumpat, non tamen aperte hoc admonet. Sed si bene ejus verba notentur, innuit non esse corrumpendum. Introducitur enim in hoc psalmo Domini- D cus homo, orans ante passionem, ut in passione Deus se constantem faciat et resuscitet, et ostendit passionem suam. Agit vero postea de resurrectione et exaltatione, et totius mundi subjugatione, per quod datur intelligi eum Dominum esse et regem, cum resurrecturus sit et exaltandus, et sic ei sit totus mundus subjiciendus ad regendum, et per hoc innuit lectori inscriptionem non esse commutandam nec corrumpendam, cum ipse Christus rex sit omnium.

Miserere mei, Deus Pater, ut constantem facias, *miserere mei*, ut resuscites et exaltes, vel sic : *Miserere mei* ut constantem facias et resuscites et exaltes ; et *miserere mei*, id est meorum ut morte mea salventur. Et dignum est ut hoc facias : *Quo-*

www.Abbaye-St-Benoit.ch

nium anima mea confidit in te, id est in tua misericordia, et potentia, et justitia. Dico quod *in te confidit anima mea, et* adhuc *sperabo in umbra alarum tuarum*, id est in refrigerio protectionis tuæ, *donec transeat iniquitas*, id est donec consummetur in me mors, quam Judæi inique operabuntur. Quod est dicere : Sperabo in protectione tua indesinenter, donec a morte liberer, quæ protectio est mihi refrigerium a tribulationis æstu, sicut umbra refrigerium est a calore solis æstuantibus. Alas ponit pro protectione, eo quod alis protegit avis pullos suos a pluvia et æstu, et rapacium volucrum impetu. Notandum sane certius esse confidere quam sperare; sed hic tamen pro eodem accipitur, nisi quod unum præsens est, scilicet *confidit*, alterum autem futurum, scilicet *sperabo*. Dixi quod *sperabo*, et non solum hoc, sed etiam *clamabo*, et devotione, et voce, et opere, *ad Deum altissimum*. Ac si dicat : Cum altissimus sit, et altitudo dignitatis ejus expostulet ut intense clamem, *clamabo*, ego intense, *Deum*, inquam, *qui beneficit mihi. Benefecit*, et præterite intelligendum est, et future, quasi diceret : Ideo *clamabo*, quia jam mihi beneficia contulit, et adhuc alia conferet. Exponit autem quod beneficium contulit, cum addit, *misit de cœlo*. Ac si dicat : Hoc beneficium mihi humanæ naturæ contulit, quod de cœlo misit Verbum, quod mihi personaliter uniretur, et immunem me faceret a peccato. Notandum autem, quod Verbum non est de cœlo missum localiter. Absit enim, Deum localem esse confiteri ! Sed quod dicitur, *de cœlo misit* Deus Pater Verbum, sic exponitur. Verbum cujus solummodo notitiam habebant cives cœlici, de cœlo, id est de cognitione civium cœlestium, misit, specialiter ad cognitionem hominum, cum fecit ipsum humanæ naturæ personaliter uniri. Quod est dicere : Cognitionem ejus quam habebant cives cœlici, ab ipsis usque ad homines dilatavit per humanam naturam cui unitum est. Exponit etiam beneficia quæ humanæ naturæ conferet, cum addit : Dico quod *misit de cœlo* Verbum, sed *et* per ipsum Verbum *liberavit*, id est liberabit *me*, humanam 195 naturam innocentem et sanctam a potestate Judæorum, et *dedit*, id est dabit *in opprobrium*, dispergendo eos ubique *conculcantes me*, id est Judæos affigentes me morte et vilipendentes, a similitudine rei vilissimæ, quæ conculcatur.

Quia vero dixerat, *misit de cœlo*, et non exposuerat quid *misit*, et etiam dixerat liberabit *me*; et non ostenderat a quibus liberabit, exponit utrumque cum repetitione, sic. *Misit*, inquam, *Deus misericordiam suam et veritatem suam*, ut mihi uniretur idem Verbum, *et* per ipsum Verbum *animam meam eripuit*, id est eripiet *de medio catulorum leonum*, id est de communi desiderio plebis Judaicæ, desiderantis me in morte detinere : Quæ plebs per similitudinem dicitur catuli leonum, id est principum ut leones ferocium, eo puod ipsa plebs a principibus in malitia generanda sit, sicut a leonibus catuli generantur.

A Ostendit autem quomodo *de medio catulorum* liberabit, sic : Dico quod *me* liberabit *de medio catulorum*, et necesse erit. Nam ego *conturbatus* timore spontaneo, *dormivi*, id est dormiam in morte per ipsos catulos. Cum ponit *dormiam*, innuit brevem futuram esse mortem, ad modum dormitionis. Verbum quidem per emphasim misericordia et veritas dicitur, eo quod per ipsum Deus humano generi misertus est, et in eo completum est quidquid Deus per prophetas promiserat. Exponit autem qui sint illi catuli, qui ipsum in morte dormire facient, et quibus armis interficient, ne quis vellet eos excusare, quoniam ipsum sagittis et gladio non peremerunt. Et hoc sic dicit : *Filii hominum*, etc. Usque ad *exsurge*, et non sunt legenda verba hæc ita seriatim ut ponuntur, sed construenda sic. Dixi quod dormiam *conturbatus*, et verum est. Nam *filii hominum*, id est Judæi qui rationabiliter se habere deberent ut homines, cum sint *filii hominum*, id est prophetarum, qui rationabiliter se habuerunt ut homines, *laqueum paraverunt pedibus meis*, id est mortem parabunt affectionibus meis, per quam eas ab affectu detineat : a similitudine volucris, quæ pedibus illaqueata, ne possit evadere, detinetur : ut cum scilicet affectionem habeam resurgendi, et exaltandi, et mundum mihi subjugandi, ipsas affectiones ab effectu detineant et in irritum ducant. Dico quod parabunt laqueum, id est mortem, et in ipsa morte *incurvaverunt*, id est humiliare putabunt *animam meam*, sic ut non resurgat. Repetit C autem alia similitudine hoc quod dixit, parabunt laqueum, id est mortem, ut innuat non parari illam mortem sibi ignoranti, sed scienti. Et per hoc datur intelligi eum Deum esse, cum futura prævideat. Dixi quod parabunt laqueum, et hoc non inscienti, sed *foderunt foveam ante faciem meam*. Quod est dicere : Sed parabunt profundissimam mortem mihi de qua non evadam, a similitudine illius qui fodit foveam, id est profundissimam foveam facit, in quam aliquem detrudat, qui inde exire nequeat. Et illam foveam fodient *ante faciem meam*, id est, sicut cognoscam et prævideam, ad modum illius qui illud videt, quod ante faciem suam est. Et hoc totum est, ac si diceret : Hanc mortem non sic mihi parabunt, D ut ignorem, sed, sicut sit *ante faciem*, id est cognitionem meam. *Et inciderunt*, id est incident *in eam* foveam. Quod est dicere : Cum mihi parent mortem æternam, me liberato, inde cadent ipsi in eam, sic ut nunquam inde emergant : a similitudine illius qui cum foveam foderit, ut quemlibet in eam dejiciat, ipse in eam cadit, nec postea exsurgit. Ostendit vero quomodo ipsam mortem sibi parabunt, cum interponit : *dentes eorum*, etc. usque ad *exaltare*. Quod sic continuatur. Diceret aliquis : Quare dicis quod filii hominum parabunt tibi mortem, cum neque sagittas, neque gladium, neque aliquid unde te interficiant contra te sint accepturi. Ad quod sic dicit : Vere mihi parabunt laqueum, id est mortem. Nam *dentes eorum*, id est, ira et odium eorum, quæ

www.libtool.com.cn

dicuntur dentes, eo quod sæpius cum fremitu dentium ostendantur, 196 erunt *arma*, id est instrumenta mortis meæ. Ostendit vero quæ arma, cum addit : *Et*, id est scilicet *sagittæ*. Quod est dicere. Odium et ira eorum erunt longinqui apparatus mortis meæ, sicut sagittæ longinqua arma sunt, id est de longe mortem minantia : *et lingua eorum* erit *gladius acutus*, id est vox eorum erit aperta causa mortis meæ. Cum dicent : « Crucifige (*Luc.* XXIII, 21) » et : « Si hunc dimittis, non est amicus Cæsaris (*Joan.* XIX, 12) ; » A similitudine gladii, quo manifeste quilibet interficitur. Et hoc totum est ac si poneret : Non sunt excusabiles, et si me armis et gladio non interficiant, nam propter odium et iram, non propter hoc quod meruerim, mihi fraudulenter mortem parabunt, et voce sua manifeste postea eam expetent. Illud vero quod sequitur *exaltare*, etc., oratio est ex affectione nimia interposita antea quam illud quod incœperat finiret, quod sic continuatur.

Dixi quod filii *hominum* parabunt mihi laqueum, sed tu *Deus* Pater *exaltare super cœlos* me exaltando. Quod est dicere : Exalta me, secundum quod homo sum super cœlos, id est super cœlestes rationabiles creaturas, super angelos scilicet, ut qui modo vilis videor, et abjectus, videar super eos magnus et exaltatus in potentia, cum gloriose cœlos ascendam. Et super me exaltatum, exaltare et tu, id est videare tu magnus et altus in potentia super ipsos angelos, cum apparebis potens exaltando me, *et gloria tua* dilatetur *in omnem terram*. Quod est ac si dicat : Non solum apud paucos exalteris per exaltationem mei sed *in omnem terram* dilatetur *gloria tua*, id est, ubique terrarum glorificeris de exaltatione mei. Cum dicit, *paratum cor meum*, etc., ostendit se libenter passurum, ut nos reddat magis obnoxios, pro quibus libenter passus est. Et hoc sic continuatur. Ipsi fodient mihi foveam, ad quam subeundam, *o Deus* Pater, est *paratum cor meum* ; *paratum cor meum*, id est parata voluntas cordis mei. Quod est dicere : Jam voluntatem habeo illam subeundi. Repetit autem *paratum cor meum*, ut ostendat quantam pro humani generis salute moriendi habeat affectionem; et quia *paratum cor meum : cantabo*, id est prædicabo doctrinam vitæ, quæ erit canticum et delectatio et mihi et Deo. *Et* etiam *psalmum dicam*, id est bona opera mea in manifesto ponam : a similitudine dicti, quæ res manifesta est. Psalmus autem pro bono opere ideo ponitur, quia fit exercitio manuum, et hoc totum est, ac si diceret : Quandoquidem mortem subire paratus sum, cum certus sim quia canticum, id est prædicatio mea et psalmus, id est bona operatio causæ erunt, quibus me interficient, tamen non cessabo a cantico, non cessabo a psalmo. Cum dicit, *exsurge*, etc., gratulando de resurrectione sua, exhortatur corpus suum ad resurgendum. Quod sic continuatur. Dico quod paratus sum ad subeundam mortem, de qua tu *psalterium et cithara* dicitur *exsurge*, *exsurge*, id est tu humanitas mea *exurge* de morte illa. Psalterium dicitur Christi humanitas, eo quod a superiori, id est a divinitate sonuit, ad modum psalterii, quod a superiori sonat. Quod est dicere. Ex ipsa divinitate fama miraculorum prodiit, per operationem humanitatis : operabatur enim in miraculis humanitas, eundo ad mortuos resuscitandos, super ægros manus imponendo, loquendo et multis aliis modis. Cithara vero dicitur eadem humanitas, eo quod ad modum citharæ ab inferiori sonuit, id est ab inferiori dulcem sonum Deo protulit, id est dulcem obedientiæ laudem : cum corpus suum quod erat inferius divinitate, in ara crucis Deo obtulit : et quia etiam in obedientia positum esuriit et sitivit. Dico *exsurge* a morte humanitas, quæ es *psalterium et cithara*, tu dico futura *gloria mea*, omphatica dictio. Quod est dicere : Quæ humanitas futura es immortalis et impassibilis, in qua gloriabor et gloriosus ero. Dico *exsurge*, et ita erit : *exsurgam diliculo*, id est in matutina resurrectione. Ostendit autem, quod commodum sequetur 197 de resurrectione sua sic. Dico quod *exsurgam*, et exsurgens *confitebor tibi in populis*, id est veros confessores acquiram in populis Judæorum. Quod est dicere : Multos ex Judæis efficiam laudatores tui, *et psalmum dicam tibi in gentibus*, id est pariam tibi inter gentes multos, dicentes *psalmum tibi*, id est ponentes opera sua bona in manifesto ad honorem tuum. Quod est dicere : Multos efficiam ex gentibus bene operantes ad honorem tuum, per gloriosam resurrectionem meam. Ostendit autem quomodo constituit et confessores et *psalmum* dicentes, sic. Dixi quod pariam tibi confessores in populis, et *psalmum* dicentes *in gentibus*, et hoc faciam per cœlos et per nubes, id est per prædicationem apostolorum, qui dicuntur cœli propter sublimitatem sanctitatis suæ, et nubes eo quod alios compluant doctrina, ad modum nubium terram compluentium. *Quoniam magnificata est usque ad cœlos* constituendum *misericordia tua*, id est ego Filius tuus, et *misericordia tua* magnificabor usque adeo, id est in tantum potens ero, quod discipulos meos faciam cœlos. *Et veritas tua* magnificabitur *usque ad nubes* constituendas, id est ego qui sum veritas tua, ero adeo magnus et potens quod ipsos cœlos faciam nubes. Notandum, non ideo dici magnificandum eum esse *usque ad cœlos et nubes*, quod jam non esset magnus et potens ad hoc faciendum, sed quia magnitudo illa et potentia nondum apparebat. Ac si diceret : Qui modo vilis videor et impotens, magnus *usque ad cœlos et usque ad nubes* apparebo. Et ut ego confitear *tibi in populis*, *et psalmum dicam tibi in gentibus*, *exaltare super cœlos Deus* Pater exaltando me. Hoc autem ut superius exponitur, præ nimio desiderio repetitum, *et* per exaltationem mei *super omnem terram* dilatetur *gloria tua*, id est gloriatio tua superne ad homines perveniens, dilatetur ubique terrarum, vel potest esse exhortatio ad verbum sibi personaliter unitum, cum dicet : Exaltare, Deus, verbum, id est appareat

altitudo tua per exaltationem mei humanæ naturæ, quæ altitudo tua modo non apparet, *et super omnem terram gloria tua*, hoc non mutatur.

IN PSALMUM LVII.

Titulus quinquagesimi sexti. *In finem ne disperdas ipsi David in tituli inscriptione* Quod sic exponitur. Psalmus iste respiciens *in finem*, id est in Christum admonet, *ne* tu quicumque *disperdas David*, id est destruas regnum Christi veri David, denegando eum esse regem, incommutata tituli inscriptione facta *ipsi David*, id est Christo. Loquitur in hoc psalmo Propheta adhortans Judæos, ut eum legant in veteri lege de Christo et intelligant; recte judicent de eo, attribuendo ipsi quod de eo libri prophetarum loquuntur, scilicet eum esse regem. Juxta quod Micheas testatur : « Exiet dux qui reget populum meum Israel (*Mich.* v, 2).» Et alii : « Rex tuus venit tibi mansuetus (*Zach.* IX, 9; *Isa.* LII, 11).» Notandum autem quod cum in superiori psalmo possit denotari exhortatio, ne corruptio fiat diverso tamen modo est ibi. Superius enim agendo de resurrectione et exaltatione sui et totius mundi subjugatione innuit non esse corrumpendam tituli inscriptionem. Hic autem plane adhortatur Propheta, ut cum Christum in libris prophetarum loquantur esse regem justum, non corrumpant denegando regnum ipsius. Et ostendit quorumdam male in corde operando titulum corrumpentium damnationem, ut inexcusabiles sint, et cuncti timore damnationis eorum revocentur.

Si vere loquimini in libris prophetarum *justitiam*, id est Christum antonomastice *justitiam* a quo omnis justitia est, qui propositus est nobis a Patre redemptio et justitia, sicut ait Apostolus (*I Cor.* I, 30). Quod *utique* facitis, id est *justitiam loquimi, o filii, hominum*, id est vos Judæi filii prophetarum, 199 qui eorum exemplo debetis homines esse, non irrationales : *recte judicate* de ipsa justitia, id est de Christo, attribuendo ipsi regnum. — Injuste enim judicabitis, si cum in prophetis dicatis Messiam regem esse Jesum, quem per opera et prophetarum signa Messiam esse constat, Messiam et regem esse negetis, et alium venturum, qui Messias et rex futurus sit, affirmetis. Notandum autem quod more prophetico ita loquitur Propheta de futuris, quasi præsentibus. In posterioribus autem aliquando ut præteritis. Cum dicat *alienati sunt*, etc. Aliquando vero ut futuris, cum dicit Deus *conteret*, etc. Semper tamen future intelligendum est. Sequitur *etenim*, etc. Quod sic continuatur, quia eos adhortatus erat ad recte judicandum, posset dici : Ad quid nos sic adhortaris ? Nonne recte judicamus ? Ad quod sic respondet : Necessaria vobis est exhortatio mea, cum injuste judicetis, *etenim in corde operamini iniquitates*, id est in corde molimini operari iniquitates, id est capere Christum et interficere, et regnum ei auferre, quod reputabitur vobis pro opere. Cum enim in vobis cogitando jam ipsi regnum auferatis, idem est ac si jam abstulissetis. Dico quod *operamini iniquitates in corde*. Etenim *in terra*, id est in consideratione terrenæ carnis Christi, quia consideratis eum solummodo hominem terrenum non etiam Deum, vel *in terra*, id est in timore terræ amittendæ quia scilicet metuitis terram amittere, si eum regem suscipiatis : vel *in terra* operari molimini *iniquitates*, id est in terrena carne Christi, scilicet ut verberetis, conspuatis, interficiatis. Vel operari molimini *iniquitates in terra*, id est in terrena et impia affectione vestra. Quod est dicere : Iniquitates quas adversus Christum molimini, non molimini bono zelo, ut putetis contra eum agere, quasi contra legis destructorem, sed hoc facitis affectione terrena, id est ira et odio : cum per opera et prophetarum signa, de eo prædicta, eum Deum et regem esse et cognoscere possitis. Non solum autem *operamini iniquitates in corde* cogitando, sed etiam *manus vestræ concinnant injustitias*, id est operationes vestræ concordanter exercent inquantum possunt injustitias, id est ad actum perducunt cogitationes injustas. Quod est dicere : Concordatis in injustis operibus, et injustis cogitationibus, ut sicut cogitationes *vestræ* injustæ, sic et opera vestra injusta sint. A similitudine concinentium, id est concorditer cantantium quia sicut illi in cantu concordant, sic cogitationes et opera vestra in injustitia. Ostendit autem quæ sit causa quare operentur iniquitatem, faciendo apostropham ad auditores, ut eos instruat, ne propter eamdem causam operentur injustitiam.

Dico quod operantur iniquitates, et hæc ideo faciunt, quia ipsi *peccatores* antonomastice, cum deberent per fidem generari, ut essent filii Ecclesiæ, *alienati sunt* per incredulitatem *a vulva*, id est a spirituali Ecclesiæ genitura. *Vulva* per similitudinem pro genitura ponitur, eo quod in vulva fit generatio. Exponit autem per partes illorum alienationem, cum addit : Scilicet *erraverunt* in cogitatione *ab utero* Ecclesiæ remoti, id est ab ejus spirituali conceptione. Quod est dicere : Nolentes ejus filii spirituales effici, uterus quidem quia in eo concipitur, pro conceptione ponitur. Hic autem idem videtur esse uterus et vulva, errare vero et alienari non sunt idem ex toto, quia errare pars alienationis est. Sequitur autem alia pars alienationis, cum addit, *locuti sunt falsa*. Quod est dicere. Non sufficit in cogitatione errare, sed etiam de Christo falsa loquentur, dicendo : « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan* IX, 16), » Et alibi : « Commovit populum, docens a Galilæa usque huc (*Luc.* XXIII, 5). » Et iterum. « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram (*Luc.* XXIII, 2). » Et rursum : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Vel sic oportet legi, ut continuatio non mutetur. *Peccatores* antonomastice 199 qui filii Christi esse deberent, *alienati sunt* a filiatione ejus et hæc alienatio contigit *a vulva*, id est a carnali Christi conceptione. Et exponit ipsam alienationem per partes, cum addit : Scilicet erraverunt in fide. Quæ erratio contigit *ab utero*, id est a conceptione Christi : et ideo

sunt falsa, negando eum Deum esse et regem. est dicere : Ideo ab ipso *sunt alienati* et *erra-* et *falsa locuti sunt*, quia viderunt eum in et utero Virginis concipi secundum carnem, minime quidem ignominiosum est. Vel potest iste non generaliter de Judæis legi, sed spe- r de perdendis sic : Dico quod operantur *ini- s in corde*; et quidam ipsorum operantium *i sunt*, id est repudiati sunt a Deo, *a vulva*, a tempore conceptionis sui, *et erraverunt*, id ronei provisi sunt a divina providentia ; *ab* id est a conceptione sui, et *locuti sunt falsa*, prævisi sunt locuturi falsa. Quod est dicere: leus eos alienavit a vulva, id est repudiavit, rævidit eos erraturos in fide, et falsa locuturos. ero sint alienati, et errantes et falsa loquen- *ror*, id est dementia est *illis secundum simili- n serpentis*, id est secundum hoc quod sunt s serpenti. Et hic ostendit cui serpenti, cum : *Sicut aspidis*, id est utpote aspidis.

ndum quod non dicit eos habere furorem ad rationem aspidis, cum illa non habeat furo- ed calliditatem. *Cam non audit vocem incan- n*, qui eam interficerent si eos audiret ; sed os habere furorem secundum hoc, quod as- miles sunt. Ostendit autem in quo sunt similes , cum subjungit : *Surdæ*, quod est dicere : Et sunt similes, quia obsurdescunt sicut aspis, o putaretur aspis naturaliter esse surda, ad similitudinem et ipsi naturaliter surdi essent, e excusabiles ; addit, *et obturantis aures suas.* est dicere : Quæ sponte sua surda est obtu- aures, unam quidem terræ fortiter applican- eram vero cauda obturando : demonstrat au- a causa aures obturet, subjungendo : *quæ am* aures obturaverit, *non exaudiet vocem ntium*, et ostendit pro quo incantante obtu- res cum addit : *Et*, id est scilicet non exau- *enefici, incantantis sapienter.* Quasi diceret. bturat propter vocem insipientis incantatoris, ihil ei noceret, sed ad hoc ut non exaudiat *venefici incantantis sapienter*, qui eam obdor- faceret et interficeret, et inde venenum eli- Et hoc totum est, ac si sic poneret : Adeo urentes, quod sponte aures rationis obturant, a cauda, id est consuetudine præteritorum um, quæ per caudam designantur, quæ pos- pars corporis est, eo quod ipsa mala jam rita posteriora sunt ; partim vero aures ratio- turant, applicatione terræ, id est per hoc applicant se terrenis et impiis affectionibus ad m aspidis, quæ unam aurem obturat, terræ pplicando, alteram vero cauda. Et idcirco nt ut non audiant vocem : id est prædicatio- ncantantium, et non insipientium incantato- sed veneficorum incantantium sapienter, lorum scilicet, et aliorum prædicatorum, quæ ur ideo incantatores et venefici, eo quod ip- ccatores prædicatione sua obdormire in pec- A catis faciunt, id est cessare, et sic eos secundum quod mali sunt interficiunt, et venenum pravæ concupiscentiæ auferunt : sicut venefici incantatores aspidem obdormire voce sua faciunt et interficiunt, et venenum eliciunt. Quod est æquipollens, cum alienati sint, tantum furorem habent quod per malas affectiones præteritas et præsentes obturant rationis aures, ne vocem prædicatorum audiant : et a peccatis cessantes veneno malæ concupiscentiæ careant, et sic boni fiant.

Ostendit autem quorumdam ipsorum alienatorum et salvandorum scilicet destructionem in malo ut boni fiant. sic : 200 Dixi quod *peccatores alienati sunt* ; et cum tales sint, quoniam aliter salvari non possent, *Deus conteret* per impugnationem prædica- B torum suorum *dentes eorum*, id est parvas corrosiones et detractiones eorum, quorumdan scilicet qui salvandi sunt. *Et* Dominus *confringet* per eosdem prædicatores *molas leonum*, id est maximas corrosiones ipsorum, qui sunt leones, id est sanctos verbis suis et tribulationibus devorantes, ad modum leonum devorantium. Et hoc *in ore ipsorum*, id est in responsione oris ipsorum. Quod est dicere : Adeo faciet suos sanctos facundos, quod facundia sua destruent, quidquid impii male de Deo et de ipsis loquentur : et hoc etiam per attestationem oris eorum, id est sic rationabiliter cum eis disputabunt, quod ipsa voce eorum per inconvenientia eos deducente destruent, et minores plasphemias et majores: *dentes* pro corrosionibus verborum ponit, pro mino- C ribus scilicet, et *molas* pro majoribus, quia dentium est corrodere, et quia molares dentes majores sunt, quam dentes qui non sunt molæ : anteriores scilicet dentes : vel *dentes eorum* qui sunt in ore, id est illas corrosiones quæ jam sunt in aperto, *in ore* scilicet, id est mala verba eorum, *et molas*, id est occultas corrosiones, cogitationes scilicet, quibus secum devorant Deum et sanctos, quæ occultæ sunt ut molæ ; *conteret* Dominus, id est destruet ex toto per prædicationem fidelium, ne amplius eos corrodant, vel cogitando, vel loquendo ; postquam vero dentes et molæ conterentur, *ad nihilum devenient* de malitia sua *tunquam aqua*, id est ad modum aquæ *decurrentis.* Quod est dicere : Sicut aqua quæ col- D lecta pluvia crescit, cito decurrit, et ad nihilium deducitur, id est de loco per quem currit cito defluit ; sic ipsi de malitia sua cito annihilabuntur, et per hoc *devenient ad nihilum* ; quia Dominus *intendit arcum suum*, id est intensam faciet comminationem Scripturæ suæ per prædicatores, *donec infirmentur* in malitia sua, id est donec malitia eorum deficiat.

Ostenso hoc quod Deus *conteret dentes et molas* quorumdam, et sic annihilabuntur de malitia sua, ne pereant, damnationem aliorum ostendit, sic : Dixi quod *Deus dentes* quorumdam alienatorum et *molas* conteret, et sic annihilabuntur ne pereant. Cæteri vero qui damnandi sunt, *auferentur* de terra *sicut cera quæ fluit*, id est ad modum ceræ, quæ

fluit *a facie ignis*. Quod est dicere : Sicut cera inconstans est ante præsentiam ignis, sic et ipsi inconstantes erant et infirmi ante instantiam inimicorum, Romanorum scilicet. Ab eis enim devincentur, et captivi ducentur. Notandum autem quod illi ex Judæis qui conversi fuerant, non sunt ablati et captivi ducti. Prius enim quam Hierusalem obsideretur, a Spiritu sancto commoniti fuerunt, ut transferrent se in regnum Agrippæ, ubi quieti essent (Euseb. lib. III *Hist.* cap. 5). Vel sic *auferentur* in futuro a facie judicantis Dei : in infernum fluxuri, *sicut cera quæ fluit* a præsentia ignis. Et hic interim in hoc mundo, *super cecidit ignis*, id est super eos cadet *ignis*, id est fervor malarum concupiscentiarum : cum dicit *super*, innuit quod tantus erit ignis concupiscentiarum, quod eos omnino deprimet, ad modum oneris desuper cadentis. Quod est ac si diceret : Cum ipsi per malas concupiscentias suas cæci sint, multiplicabit in eis fervorem malarum concupiscentiarum, ut magis excæcentur. Et hoc ideo erit, quia *non viderunt* per fidem, *solem* justitiæ, Christum, qui totum mundum fide et virtutibus illuminat, ad modum solis mundum splendore illuminantis. Et iste ignis *absorbet eos sicut viventes*, id est devorabit excæcando rationem eorum, qui sunt non revera viventes, sed *sicut viventes*. In corpore tantum secundum sensualitatem viventes. In anima vero per peccatum mortui. Dico quod absorbebit, et hoc sicut *in ira*, id est, non in illa Dei, id est vindicta, quæ revera est dicenda ira, id est *in* 201 *ira* perpetua, sed quasi *in ira*, id est in tali ira quæ erit quasi ira, id est umbra iræ perpetuæ. Quod est dicere : Hæc vindicta, per quam Deus eos igne concupiscentiarum hic absorberi permittet, non erit perpetua ira qua damnandi sunt, sed umbra illius iræ. Et hoc ideo dicit, ne quilibet existimaret, quod nulla alia ira damnandi essent, nisi hac excæcatione temporali. Facit autem apostropham ad ipsos impios, innuendo eis æternam damnationem ad futuram, ut et si illi non exterrerentur, alii saltem ab impietate exterreantur, sic : Dico quod absorbebit vos ignis et hæc absorptio erat *priusquam spinæ vestræ intelligerent rhamnum*, id est quam peccata vestra, quæ quandoque intelligent, ipsa rei experientia intelligant rhamnum, id est damnationem æternam. Non ideo dicit peccata intelligere, quod aliquid intelligere queant : sed per metonomiam, ac si diceret : Priusquam vos propter spinas, id est propter peccata vestra intelligatis in futuro sentiendo æternam damnationem, qui hic eam intelligere negligitis, ut ab ea caveatis. Rhamnus est virgultum, quod in juventute non habet spinas, neque asperum est : postquam vero excrescit et indurescit, spinis multis circumdatur et asperrimum est. Ponitur ergo pro damnatione perpetua, non ea similitudine, qua dum est tenerum leve tactu non asperum est ; sed ea potius qua postquam induruit spinis horrescit, et asperrimum est. Perpetua namque damnatio, præ omnibus asperrima futura est. Et hoc totum est, ac si dicat : Hic antequam ad damnationem æternam veniatis, igne excæcationis absorbemini, in futuro vero damnatione perpetua consumemini.

Notandum autem quod secundum hoc quod exposuimus, ab illo loco ubi dicitur ; *Deus conteret*, usque ad *lætabitur*, cum sint quatuor versus, duo sunt expositi de contritione alienatorum salvandorum in bono : hi duo scilicet *Deus conteret*, et *ad nihilum* : alii vero duo de damnatione perdendorum, et hic et in futuro. Hi duo scilicet, *sicut cera* et *priusquam* : possunt autem omnes quatuor de perdendis legi, ut in parte sententiæ diversitas habeatur. In parte vero identitas, si sic exponantur, ut illi sententiæ continuentur, secundum quam illi tres versus, scilicet *alienati sunt*, et *furor illis* ; et *quæ non exaudiet*, de perdendis specialiter exponuntur, et sic continuatur. Dixi quod illi *a vulva*, id est, a conceptione sui *alienati sunt*, id est repudiati sunt. Et hoc ideo, quia erraturi et falsa locuturi a Deo prævisi sunt : et quod illis est *furor secundum similitudinem aspidis surdæ*, et cum tales et tales sint, et hic et in futuro damnabuntur. Hic enim Deus *conteret* per facundiam prædicatorum *dentes eorum*, id est minores corrosiones et blasphemias, quas faciunt in Deum et in sanctos, et *molas leonum*, id est majores blasphemias *confringet* Dominus ; et hoc more ipsorum, id est in propria voce ipsorum, quod propria responsione a sanctis devincentur, non ut erubescendo pœniteant, sicut superius in alia scientia, quæ fuit de salvandis, sed ut solummodo erubescant non habentes quid proferant, et aliis mendaces appareant. Vel sic : *Dentes eorum*, id est apertas blasphemias et molas, id est occultas *confringet Dominus in ore ipsorum*, id est in propria voce ipsorum. Juxta quod de beato Stephano legitur : « Non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur (*Act.* VI, 10). » Et non solum hoc erit, quod dentibus et molis eorum contritis, mendaces appareant ; sed de hac potentia et prosperitate quam habeant *ad nihilum devenient*, *tanquam aqua decurrens*, cum a Romanis obsidebuntur Quod est dicere : Transitoria erit hæc eorum prosperitas, ad modum torrentis citissime defluentis, et vere *ad nihilum devenient*. Deus enim *intendit arcum suum*, id est intensam in eis faciet impugnationem suam, *donec infirmentur* ex toto : 202 Legitur enim ex Josepho, quod cum ab inimicis exterius expugnarentur, ipsi adinvicem adeo excæcati iram et odium exercentes semet impugnabant, ut sæpius in civitate inter se pugnarent, donec penitus infirmati, et a se et ab inimicis deficerent (Joseph. lib. V *Bell. Jud.* cap. 20). Arcum pro expugnatione ponit, eo quod arcu inimicum expugnamus. Et ipsi infirmati, *auferentur* de terra sua, et captivi ducentur sicut cera quæ fluit. Vel *auferentur* in futuro a facie judicantis Dei, *sicut cera quæ fluit*. Hoc autem quod sequitur : *Supercecidit*, etc., usque ad *lætabitur* nullo modo mutatur.

www.libtool.com.cn

Dico quod impii sic damnabuntur. *Justus* autem quicunque *lætabitur*, *cum viderit vindictam* impiorum hic. Non de vindicta quidem impiorum *lætabitur*, sed de innocentia sua, cum de ipsa hujusmodi vindicta non capiatur, ut supercidat in eum ignis excæcationis, et cæteræ damnationesque in impiis contingent: et *lavabit manus suas in sanguine peccatoris*, id est, affectiones suas mundabit in consideratione sanguinis, id est mortis peccatorum. Quod est dicere: Cum consideraverit mortem peccatoris, et hic secundum excæcationem, et in futuro secundum damnationem ne et ipse similiter moriatur, mundabit affectiones suas, ut nihil peccati criminalis operetur. *Et dicet* secum homo, *si est fructus*, id est utilitas, *justo* de justitia sua, ut magis a Deo justificetur, quod utique est : *Deus utique est judicans*, id est damnans eos impios, excæcando *in terra* hac præsenti, ac si diceret : Cavendum est mihi a malitia ne excæcer, nam vere excæcarer a Deo. Quod potest per simile videri. Nam cum justus pro justitia sua magis a Deo justificetur, utique impius pro impietate sua excæcatur, ut in futuro sine fine damnetur. Hoc autem dicit ad instructionem nostram, ut cum cognoverimus justum pro justitia sua justificari, impium autem pro impietate excæcari, impietatem fugiamus, et justitiæ adhæreamus. Vel hoc ideo dicit ut removeat illud quod quidam opinantur, scilicet quod asserunt nullum in hoc mundo quidquam detrimenti pati judicio et dispositione Dei, sed omnia casu contingere.

IN PSALMUM LVIII.

Titulus quinquagesimi octavi. *In finem ne corrumpas, ipsi David in tituli inscriptione, quando misit Saul ad custodiendam domum ejus, ut interficeret eum.* Quod sic exponitur : Psalmus iste est respiciens *in finem*, id est in Christum, adhortans sui evidentia *ne* tu quicunque *corrumpas David*, id est Christum, auferendo *ipsi* regnum quantum ad te. *In tituli inscriptione* facta ipsi David commutata. Quod est dicere : Ne corrumpas eum commutando inscriptionem tituli, quæ affirmat ipsum regem esse, quod verum est : Dico *ne corrumpas* eum in commutando ejus inscriptionem, *quando misit Saul*, id est quandoquidem, hoc est quod Judaicus populus misit custodes milites *ad custodiendam domum ejus*, id est sepulcrum *ut eum interficeret*, secundum famam et honorem, quem jam interfecerat secundum carnem et tamen nequivit eum sic interficere. Hoc quod nequivit eum interficere, non habetur in titulo : sed intelligitur ex psalmo, ubi dicit in fine psalmi, *factus es susceptor meus*, id est resuscitator. Ideoque ad corroborandum causam suppletur hoc extra librum, et est æquipollens ac si diceret : Non debes eum corrumpere denegando esse regem, quandoquidem apparet eum regem omnium esse. Cum hoc sit quod Judaicus populus volens eum interficere, id est, famam et honorem nominis ejus exstinguere, misit custodes milites ad custodiendum sepulcrum dicens quod, nisi custodiretur, discipuli furarentur corpus ejus, et dicerent plebi quia surrexit, et sic in eum credere facerent non potuit tamen eum interficere, id est famam nominis ejus exstinguere. Ipse namque non a discipuli furatus, sed die tertia palam custodibus perterritis resurgendo, ab omni gente cognitus per glorificationem resurrectionis suæ, totum mundum regimini suo 203 subjugavit Et multum quidem custodes ad sepulcrum positi, ad resurrectionis ejus testimonium valuerunt, quanquam pecunia corrupti, eum a discipulis furatum esse, sese dormientibus mentiti sunt. Namque per eorumdem custodum fallaciam. Judæorum manifeste falsitas patuit, Christum scilicet ubi ipsi falso perhibebant in morte detentum non fuisse, sed procul dubio surrexisse. Cum enim custodes præsentes essent, ad hoc deputati ut custodirent, utique se videntibus corpus ejus furto subtrahi non permitterent. Si vero eis dormientibus discipuli ad illud furandum accessissent, cum lapis suprapositus sine tumultu auferri a discipulis non posset, utique tumultu excitati fuissent.

Concedatur vero, licet omnino falsum sit, discipulos sine tumultu lapidem potuisse revolvere, nec tamen minus custodum falsitas apparebit. Unde namque sciunt corpus ejus subtractum fuisse furto cum se perhibeant tunc temporis fuisse sopore gravatos ? Sic igitur eorumdem falsissimo sermone deprehendi potest, eum de sepulcro surrexisse. Quod sepulcrum domus ejus dicitur, non quod in eo longo tempore, sed quod parvo spatio corpus ejus in pace quievit. Notandum autem quod hoc de futuro propheta intelligi voluit, licet titulum more prophetico præterite posuerit. Nobi autem jam præteritum est. Notari etiam potest quod in tribus titulis posuit, *ne disperdas*, vel *corrumpas* in tituli inscriptione, propter tria genera linguarum, quibus omnibus titulus scriptus est, posuisse. Scriptus namque fuisse legitur, Hebraice, Græce et Latine (*Joan.* XIX, 20). Cum igitur ter ponit, *ne corrumpas*, innuit in nulla harum trium linguarum titulum corrumpendum esse. Notandum quoque psalmum istum non apertis verbis adhortari lectorem ne corrumpat, sed ipsa sui evidentia et devotione. Cum enim hic Dominicus homo de conversione gentium et dispersione Judæorum, et in fine de salvatione reliquiarum Israel agat, et etiam de sua resurrectione, per quam hæc omnia contingent, pro certo datur intelligi Rex et Salvator Judæorum et gentium esse. Et cum eum regem esse intelligatur, non esse corrumpendam inscriptionem tituli, quæ eum regem asserit, certissime probabitur. Orat autem in principio psalmi de resurrectione, ne in morte juxta velle Judæorum detineatur, quos postea dicit eum interfecturos, et in morte detinere putaturos. Orat etiam de salute gentium convertendarum, et concessive agit de dispersione Judæorum, et orat de salute reliquiarum in fine mundi convertendarum.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Quod est dicere : Cum omnium *Deus* es, *meus* specialiter es,

www.libtool.com.cn

vel quia personaliter es unitus mihi, vel quia præ omnibus obedio tibi. Ergo *eripe me* de desiderio inimicorum meorum Judæorum, qui mihi inimicantur invidia et ira, ne me in morte detineant, et gloriam nominis mei exstinguant, et sic regnum mihi auferant. *Et ab insurgentibus in me libra me*, id est, a Judæis, ne in morte detineant, *eripe me*, faciendo resurgere; *de operantibus iniquitatem*, id est de Judæis operantibus mortem meam, quæ antonomatice est iniquitas quantum ad eos. *Et a viris sanguinum*, id est, a potestate Judæorum qui sunt viri sanguinum exemptum *salva me*, resuscitando. Sciendum idem esse, *eripe* et *libera*, et *salva*, et eosdem esse inimicos et insurgentes, et operantes iniquitatem, et viros sanguinum. Sed ideo toties repetit, ut ostendat gradatim eos in primis inimicos futuros, in corde male de eo cogitando; postea quidem in eum insurrecturos, blasphemiis et accusationibus et verberibus; postea vero iniquitatem operaturos interficiendo eum: ad ultimum autem viros sanguinum futuros, id est viros interfectores, et sui ipsius et filiorum suorum, per peccatum et malum exemplum suum, sicut ipsimet concesserunt. « Sanguis ejus, id est peccatum mortis ejus, super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25)» Vel viri sanguinum effusores fuerunt, qui autem non solummodo Christum, sed multos etiam sanctorum 204 interfecerunt, sicut Stephanum et Jacobum, multos quoque etsi non occiderunt, usque ad sanguinis effusionem afflixerunt. Necesse quidem est ut orem: *Eripe, quia* ecce in præsenti *ceperunt animam meam*, id est, se capere putabunt animam meam, id est in morte detinere, ne resurgere possit: a similitudine capti, qui inclusus in carcere nequit inde exire. Et prius *irruerunt*, id est irruet, *in me fortes*; id est desiderii sui efficaces, ut me dent in mortem, seu desiderant. Hoc autem præposteratum est, ac si diceret: Interficient me: et interfectum et in sepulcro positum, non resurrecturum putabunt.

Notandum quod dicit eos inimicos et cætera quæ postea ponit. Ideo facit ut ipsorum impietatem ostendat, et comprobet non eorum desiderium esse complendum, ut eum possint in morte detinere. Se quoque, ut facilius impetret quod orat, innocentem esse sic ostendit: Oro, *eripe*, quod facere debes: *nam neque iniquitas mea* ulla est, *neque peccatum meum* ullum *est, Domine. Iniquitas* scilicet in cogitatione, *peccatum* in operatione, Vel *iniquitas* quantum ad proximum, quod proprie ponitur *peccatum*, quantum ad se. Quod est dicere: Neque docens sum in cogitatione, neque in opere. Vel sic: neque peccator in me, neque peccator contra proximum. Non solum autem non iniquus, sed ego existens *sine iniquitate*, id est non iniquus, *cucurri*, id est cito peregi opera bona, et non solum hoc, sed *et direxi* alios, qui distorte ibant, ad viam bene operandi, discipulos meos scilicet. Et ideo quia *neque iniquitas. neque peccatum meum*: et quia *cucurri et direxi, exsurge*, id est potens appare, *in occursu meum* eundo, id est resuscitando et exaltando me. Quod est dicere: Cum tibi occurram non localiter, sep bene agendo, pro te patiendo, et tu mihi occurre remunerando, resuscitando scilicet et exaltando a similitudine patroni qui ad se fugienti occurrit, ut eum in securitatem deducat. *Et vide*, id est videri fac per totum mundum occursum tuum, hoc scilicet quod me resuscitabis et exaltabis. Quod est dicere: Manifestum fac ubique gentium per prædicatores meos resurrectionem et exaltationem meam. Notandum idem esse: *Ersurge in occursum* et *eripe*, *libera*, *salva*, quod superius dicit.

Sed ideo repetiit, ut adderet; et *vide*. Dico *exsurge et vide*. Et sic *tu, Deus*, qui potens es, tu, dico, Deus *virtutum* cœlestium, *et Deus Israel*, id est Judæorum. Quod est dicere: Tu quem jam cognoverunt esse Deum et cœlestes spiritus, et populus Israeliticus. *Intende*, id est intentum te fac, *ad visitandum omnes gentes*, id est omnismodi gentes. Quod est dicere: Tu qui jam tui notitiam cœlestibus spiritibus revelasti, et Israel, id est populo Judaico, manifesta etiam gentibus et sic visita eas ut ad fidem venire facias, et sic salves: et hoc intense, hic scilicet ab originali crimine, et in futuro æterna salvatione. Virtutes dicit omnes cœlestes spiritus, ponens partem pro toto. Cum pars eorum virtutes dicantur. Et bene virtutes, cum eis sit virtus maxima divinæ contuitionis. Dico: Gentes visita. Et ex opposito concedo, quod justum est, hoc scilicet quod *non miserearis* visitando per fidem *omnibus qui operantur iniquitatem*, id est mortem meam, sic ut non pœniteant. Facta oratione de conversione gentium, earum conversionem ostendit, sic: Dixi: *Intende ad visitandas omnes gentes*, et sic erit, vere visitabuntur. Nam *convertentur* ab errore ad fidem: et hoc *ad vesperum*, id est in sexta ætate, ac si poneret: Illæ quæ a mundi principio otiosæ fuerunt a bona vita, tandem modo in fine sæculorum, in sexta ætate scilicet, convertentur. Dicitur autem sexta ætas vesperum, eo quod sit in fine mundi, sicut vesperum est finalis pars diei. Dicitur autem vesperum illa ætas, quæ est a tempore Christi, usque ad finem mundi. Quæ etiam a Domino in Evangelio per similitudinem undecima hora vocatur (*Matth.* XX, 6). Et non solum convertentur, sed et quidam *ut canes* 205 existentes, id est prædicatores custodientes Ecclesiam fideliter, et oblatrantes inimicis hæreticis, scilicet per sententias, ne impetum in Ecclesiam faciant more canum, domum domini fideliter custodientium, et hostibus et furibus oblatrantium, *patientur famem*, id est desiderium sibi incorporandi alios per prædicationem. *Et ipsi* qui erunt ut canes *circuibunt civitatem*, id est, bene munient et custodient Ecclesiam, quæ est civitas Dei, a visibilibus hostibus, id est hæreticis, et invisibilibus, id est malignis spiritibus, prædicatione et exemplo bonæ vitæ suæ et oratione, ne ipsi hostes in Ecclesia prævaleant: a similitudine bonorum custodum, qui diligenter custodiunt civitatem sibi commissam, circum-

www.libtool.com.br

lo eam, ne hostes impetum faciant et fures la-
er subeant. Non solum autem *patientur famem*;
ecce, id est palam, *loquentur*, non in corde, vel
cripto, sed *in ore suo* loquentur verbum prædi-
nis: *et gladius* erit *in labiis eorum*, ac si dice-
Prædicatio eorum non erit inefficax, sed *in la-*
orum erit *gladius*, id est, talis prædicatio quæ com-
bilis erit gladio : interficiens in anima vitia et
rpore mala opera, ad modum gladii interficien-
Notandum quod *ecce* ideo ponit pro palam, quia
quæ in præsenti est et palam consuetum est
ecce.
ceret aliquis : Dicis quod palam loquentur ac si
mirum esset et magnum. Nonne cæteri homines
m loquuntur? Ad quod sic addit : Vere mirum est,
iam quis audivit ea, quæ ipsi loquentur? Nemo ;
dicat : Incognita loquentur et inaudita, homi-
scilicet de Virgine natum, fuisse mortuum et
a die resurrexisse, et cœlos ascendisse, et, quod
bilius est, Deum et hominem esse. Agit etiam
ntiative de damnatione inimicorum, sic : Dixi
non miserearis omnibus operantibus *iniquitatem*.
on solum non misereberis, sed *et tu, Deus*, qui po-
es et justus, *deridebis eos*, id est dignos derisione
ndes eos, cum dejicies ab honore et loco suo. Et
quia gentes convertentur, et *omnes gentes* con-
as *deduces ad nihilum* de impietate et malitia
Quia vero de inimicis dixerat : *Non miserearis*
ridebis eos, posset aliquis dicere : Quandoqui-
, o Christe, qui operantes sunt iniquitatem, mi-
cordiam non sunt consecuturi, ad quid eos ad
sens ex toto non destruis ? quod sic solvit :
mvis concedo quod misericordiam non conse-
ntur, non tamen eos hic ex toto destruam in cor-
et in anima, sed *custodiam fortitudinem meam*,
t potentiam meam reservabo usque in futurum,
os damnem ex toto, ad te, Pater, respiciens, id
d dispositionem tuam, qua disposuisti ut custo-
. Facit autem apostropham ad auditores, osten-
quare fortitudinem suam custodiet, sic : Dixi
custodiam fortitudinem meam ; et hoc ideo fa-
, *quia Deus* Pater, *susceptor meus*, ut resuscitet
meus creator, et *misericordiam ejus præveniet me*,
st præ aliis veniet in me. Quod est dicere : Ma-
rit in me, quam in aliis ; ut me scilicet exaltet,
tum mundum mihi subjiciat : *Deus*, in quam,
dit mihi in interiori meo, mihi dico, conside-
i *super inimicos meos*, rationabiliter perscrutanti
de eis esset agendum. Hoc scilicet *ostendit* ne
ruerem, sed pro eis ipsum Patrem sic orarem.
eus Pater, *ne occidas eos* ad præsens usque in
rum et in corpore et in anima, *ne quando*, id est
nando, populi Christiani *obliviscantur* me, id est
ficii a me impensi, scilicet quod pro eis mor-
sum ut salvarentur, vel, *ne obliviscantur populi*
Christiani prophetarum, qui me prædixerunt.
oc est ac si diceret : Cum hoc sit quod Deus
r sit *susceptor meus* et creator et quod *misericor-*
jus præveniet me, obedire ei debeo, qui mihi

A ostendit in ratione mea, ut pro eis orem, ne occidantur corporali occisione, ut sint testes mortis meæ ; et reservent libros prophetarum ad testimonium 209 mei, qui in illis prædictus sum, et ad instructionem fidei meorum. Nam si ipsi destruerentur, neque mei haberent libros prophetarum in quibus testimonium resurrectionis et mortis meæ continetur, et quandoque oblivioni traderent : sed cum Judæos ubique dispersos propter mei mortem videbunt, ejusdem mortis memoriam sine fine retinebunt. Dico : *Ne occidas*, sed *disperge illos* ubique terrarum *in virtute tua*, id est in potentia tua : cum sis potens ad dispergendum eos. Quia vero sic dispergi possent, ut alicubi honorem retinerent, addit : Et *tu, Domine*, qui es *protector meus*, ne cedam, *depone eos* ab omni honore. Orat autem de salute in fine mundi convertendorum, sic : Dico : *Ne occidas eos* hic in corpore, sed in salvandis occide *delictum oris eorum*, id est, destrue delictum quod habebunt, quia me ore blasphemabunt exemplo patrum suorum. Et postquam *delictum* occideris, occide et blasphemum sermonem *labiorum ipsorum*, id est, ne amplius in me loquantur blasphemiam. Et sic *comprehendantur* a ratione sua *in superbia sua* errasse, id est, ratione comprehendant se errasse, cum superbe locuti fuerint in me blasphemiam et mihi cultum denegaverint.

Ostensa causa una quare fortitudinem suam custodiat, usque in futurum scilicet, quia Deus ostendit ei ut pro ipsis oraret, adjungit aliam, sic : Et ideo adhuc custodiam fortitudinem, *quia annuntiabuntur*, id est annuntiatione prædicatorum, id est doctrina convertentur de exsecratione et mendacio in quo prius erant, *in consummationem*, id est in perfectionem virtutum. Quod est dicere : De hoc quod prius erant exemplo patrum suorum, exsecrantes me, et mendaces dicendo me non esse Deum et Regem, efficientur in virtutibus consummati, per prædicationem prædicatorum Heliæ, scilicet et Henoch, et cæterorum. Dico quod convertentur, et hoc *in ira consummationis*, id est in consideratione iræ futuræ, quæ erit ira consummata, id est perfecta : non talis scilicet quæ sit transitoria, sed quæ sit æterna. Quod est dicere : Quod considerabunt iram perpetuam super eos futuram, timore illius iræ convertentur, et post non erunt impii quod prius. Et ipsi qui prius non cognoscent me dominari et Judæis et gentibus, scient, id est *cognoscent*, *quia Deus dominabitur Jacob et finium terræ*. Quod est dicere : Cognoscent quod ego qui non simplex homo, sed et Deus sum, dominabor et Jacob, id est Judaico populo, et omnibus gentibus usque ad fines terræ. Fines terræ *pro* ipsis gentibus ponit per metonomiam. Ostendit autem in quo tempore, sic : Dico quod annuntiatione, id est doctrina prædicatorum convertentur, et hæc conversio non erit ad præsens, sed *ad vesperum convertentur*, id est in fine sextæ ætatis. In fine mundi scilicet, *et ut canes* quidam existentes eorum *famem patientur*, incorporandi sibi alios, *et circuibunt civitatem*, id est bene custodient Ecclesiam. Hic

www.libtool.com.cn

autem versus, hic ut superius exponitur, nisi quod vesperum superius accepit pro principio sextæ ætatis, quæ tota vesperum dicitur; hic vero vesperum dicit finem sextæ ætatis, et hoc proprie, quia vesperum accipimus finalem partem diei. Non solum autem *famem patientur*, sed *et ipsi dispergentur* per multa loca *ad manducandum*, id est ad incorporandum sibi alios Judæos infideles, more cibi, qui dum manducatur incorporantur. *Si vero non fuerint saturati*, incorporatione aliorum, id est, si multos sibi incorporare nequiverint, non solum dolebunt corde, sed *et murmurabunt* ore, id est conquerentur ad Deum orando ut satientur. In hoc autem innuit eos valde perfectos futuros, cum etiam pro aliorum conversione oraturi sint.

Ostensa conversione Judæorum et gentium, agit etiam Deo gratias de fortitudine et misericordia ejus, promittens quod laudabit Deum, et bene operabitur contuitu fortitudinis et misericordiæ illius. **207** Dixi quod gentes et Judæi convertentur per mortem et resurrectionem meam; *ego autem*, ut hæc omnia fiant, *cantabo* ore et devotione *fortitudinem* mihi dandam, *et exsultabo*, id est exsultanter laudabo *misericordiam tuam mane* mihi adfuturam. Quod est dicere: Laudabo te ore et affectione; et de fortitudinis constantia, quam mihi dabis in passione, et de misericordia resurrectionis matutinæ. Exponit autem quod in hoc versu dixit, cum subdit: Dixit quod laudabo te de misericordia matutina, scilicet laudabo te *quia factus es* id est fies, *susceptor meus*, id est medicus, resuscitando et ad immortalitatem deducendo; et dixi quod laudabo te de fortitudine tua, scilicet de hoc quod fies *refugium meum*, id est securitas, ne cedam *in die tribulationis*, id est passionis meæ. Dixi quod *cantabo* tibi et de fortitudine et de misericordia. Non solum autem *cantabo* ore et devotione, sed *psalmam tibi*, id est bene operabor ad honorem tui, et quia eris *adjutor meus* ne cedam, et *quia tu, Deus* Pater, eris *susceptor meus*, ut me resuscites, et quia es *Deus meus*, id est creator secundum quod homo sum, et quia es *misericordia mea*, emphatica dictio. Quod est dicere: Misericors es erga me, non in hoc solum quod resuscitabis, sed quia immunem a peccato fecisti, et multa alia beneficia conferes.

IN PSALMUM LIX.

Titulus quinquagesimi noni. *In finem pro his qui commutabuntur, ipsi David in tituli inscriptione. In doctrinam cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Syriam Sobal, et convertit Joab et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.* In hoc titulo etsi videatur historia innui, non tamen juxta similitudinem historiæ psalmus videtur esse compositus. Cum enim in historia habeatur, David vicisse inimicos et occidisse, hic non de victoria agitur, sed de repulsione et destructione; unde convenienter videtur titulus iste non juxta historiæ accipi similitudinem, sed juxta vocum interpretationem. Per David igitur Christus accipitur: per Mesopotamiam Syriæ, et per Syriam Sobal, Ecclesia intelligitur de Judæis quæ succensa est a Christo vero David igne Spiritus sancti: Mesopotamia namque *elevato vocatio* interpretatur; Syria vero, *sublimitas*. Ecclesia autem de Judæis congrue dicitur elevata vocata sublimis. Igne namque spiritus per mortem Christi succendenda vocata est ad fidem per apostolos, et per pœnitentiam a vitiis elevata, et sic in virtutibus sublimis facta. Per Syriam vero rursus positam, quæ sicut dicimus, *sublimitas* interpretatur, et per Sobal quæ *vana vetustas* sonat, denotatur sublimitas, id est superbia veteris legis; quæ lex vana erat, non quod bona non esset, sed quia non sufficiebat ad mundi salutem sicut multi opinabantur. Quam superbiam igne Spiritus sancti David, id est Christus, vel Ecclesia de Judæis succendit, id est penitus destruxit. Per Joab autem qui *inimicus* interpretatur, et Edom qui *terrenus* vel *sanguineus*, gentium populus ad fidem conversus intelligitur, qui conversus est de inimicitia, quam contra Deum male vivendo habebat, ad pacem bene vivendo; et, cum terrenus esset, id est terrenis intentus, et sanguineus, id est effusor sanguinis fidelium, persequendo, vel sanguineus, id est effusor sanguinis victimarum, quas idolis immolabat, percussus est a Christo per prædicatores, mortem perpetuam non convertendis comminantes, vitamque perpetuam convertendis pollicentes. Quod est dicere: Destructa est in eis terrenitas, et fidelium persecutio, et idolorum cultura; per vallem vero quæ res humilis est humilitas; per salinas metonomicos e contiguo sal accipitur, quoniam sal in salinis conficitur. Per salem quippe, qui cibos omnes condit et sapores facit, sapor humilitatis intelligitur. Humilitas namque virtutes alias condit, et acceptabiles Deo efficit, cum sine ea aliæ virtutes habitæ inutiles essent et Deo inacceptabiles, nec etiam virutes in te vocarentur, sed virtutum simulationes. Unde etiam nuncupatur regina virtutum, sicut superbia regina vitiorum.

In qua **208** humilitate Christus Mesopotamiam Syriæ succensam, et Joab et Edom conversum et percussum posuit. Judaicum scilicet populum et gentilem, ut in ea perseverando ad exaltationem pervenirent. Per duodecim millia illud idem accipitur, quod et per Mesopotamiam Syriæ, et per Joab et Edom: Judaicus scilicet populus et gentilis; sed aliud quiddam denotatur. Cum superius namque indefinite per Mesopotamiam Syriæ Judaicus populus intelligeretur, per Joab autem et Edom gentilis, similiter indefinite per millenarium numerum qui adeo perfectus est, ultra quem numerum nulla procedit varietas, perfecta plenitudo utriusque populi accipitur, ad fidem conversa, et adhuc per sextam ætatem totam usque ad finem mundi convertenda: de qua in superiori psalmo actum est, quæ tanta est, quanta ante sextam ætatem nunquam fuit. Quia vero si solummodo millenarium numerum posuisset, posset intelligi maxima plenitudo non tamen ex omnibus mundi partibus, apposuit duodecim; per duodenarium quippe numerum, qui per

www.libtool.com.cn

ternarium et quaternarium multiplicatur, omnis mundi populus ex omnibus quatuor mundi partibus ad fidem Trinitatis in sexta ætate conversus accipitur : ter namque quatuor, vel quater tria, duodecim faciunt. Per ternarium etiam et quaternarium qui partes sunt septenarii, quibus duodenarius multiplicatur, septem dona sancti Spiritus accipiuntur, quibus populus ad fidem conversus uberrime repletur. Singularum vocum interpretatione denotata, ad tituli verba adaptanda accedendum est, *A* agitur in hoc psalmo *pro his qui commutabuntur in finem*, id est in perfectionem beatitudinis, in futuro de mortalitate scilicet ad immortalitatem, de passibilitate ad impassibilitatem, de imperfecta cognitione ad perfectam Dei cognitionem. Dico quod *commutabuntur*, et hoc *in tituli inscriptione ipsi David*, id est Christo facta quam susceperunt. Quod est dicere : Ideo perfecte in futuro commutabuntur, quia Christum Jesum regem susceperunt, quod *in tituli inscriptione* designatum est.

Quia vero non sufficeret eum regem esse cognoscere et suscipere, nisi etiam ejus præceptis obediretur, juxta quod idem in Evangelio testatur : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII, 21). » additur, *in doctrinam* ; quasi diceret : Dico quod *commutabuntur*; ideo quia susceperunt tituli inscriptionem, unde tamen *in doctrinam*, id est, quia intendunt in doctrinam ejus ut ei obediant. bene operando, et a vitiis cessando sicut præcepit. Ne vero putaret aliquis quod per liberum arbitrium illi qui commutabuntur, sine auxilio gratiæ Dei tituli inscriptionem suscepissent, et in doctrinam complendam ejus interderent, ostendit per gratiam Spiritus sancti eos ad hoc attigisse cum addit, *cum succendit*, etc. Quod sic adaptatur : Dico quod pro his qui commutabuntur per susceptionem inscriptionis et completionem doctrinæ in psalmo agitur, et non per liberum arbitrium suffecerunt ad susceptionem tituli et obedientiæ completionem : sed susceperunt titulum et obedierunt doctrinæ ; cum hoc fuit quod ipse *David*, id est Christus, *succendit Mesopotamiam Syriæ*, id est accendit fervore gratiæ spiritualis plebem Judaicam factam Mesopotamiam Syriæ, id est vocatam ad fidem et elevatam a vitiis et sublimem in virtutibus ; et in ipsa Mesopotamia succendit, id est destruxit ; *et* totam ad modum rei quæ succenditur, *Syriam Sobal*, id est sublimitatem vanæ vetustatis, superbiam scilicet veteris legis, ne in ea amplius confidendo superbiret : *et* cum hoc fuit quod ipse David *convertit Joab*, id est inimicum gentilem populum scilicet ab errore ad fidem : *et percussit Edom*, id est, percussit per prædicationem fidelium ipsum Joab secundum quod erat Edom, id est *terrenus* vel *sanguinous*, ut in eo terrenitatem destrueret et spiritualem faceret : et hoc quod sanguineus erat, id est persecutor et idololatra in eo consumeret, et pacificum et mitem et Dei cultorem faceret.

Dico quod *succendit Mesopotamiam*, *et convertit Joab*, et hoc totum fecit *in valle Salinarum*, id est in sapida humilitate, 209 ut ex superbis humiles faceret : et non parum *succendit* de *Mesopotamia* et *convertit* de *Joab*, sed *duodecim millia succendit et percussit*, id est maximam plenitudinem de Judæis et gentibus ex omnibus mundi partibus congregatam. Ubi dicit cum *succendit*, illud *cum* est causativum ; et hoc totum est ac si diceret : In hoc psalmo agunt fideles ex Judæis et gentibus, orantes *pro his qui commutabuntur in finem*, id est pro se ut Deus commutet eos in perfectam beatitudinem, qui jam eos commutavit per mortem suam de peccato originali ad vitæ innocentiam : et ideo commutet, quia susceperunt tituli inscriptionem, et obediunt doctrinæ ejus, per hoc quod Christus succendit gratia spiritali Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal, id est destruxit in Judæis superbiam vanæ veteris legis : et per hoc fecit eos elevatos a vitiis et sublimes in virtutibus, vocando eos ad fidem per doctrinam apostolorum; et convertit ipse Christus Joab ab errore ad fidem, et percussit eum secundum quod erat Edom : et hoc totum fecit in sapida humilitate, et non paucos *succendit* et *convertit et percussit de Mesopotamia et Joab*, sed *duodecim millia*. In principio vero hujus psalmi ostendunt ipsi fideles, qui hic agunt, in quantam miseriam devenerunt per Adam : de qua partim erepti sunt, partim vero adhuc eripiendi; quod ideo ostendunt ut conquerendo de ea penitus eripi mereantur : et postea orant ut ex toto eripiantur, cum hoc sit quod pro Deo dura patiantur, et ad fidem jam pervenerunt; et dicunt eos ex toto in futuro debere eripi, cum istud per Filium suum Deus promiserit, quem terram loquentem introducunt : promittunt quoque se in nullo confidere, nisi in ipso Deo.

Deus, repulisti nos, per Adam, a cognitione tui manifesta, quam haberemus, nisi Adam peccasset; *et destruxisti nos* a beatitudine quam haberemus, faciens omnibus miseriis subjacere, frigori scilicet et calori, et infirmitatibus, et mœroribus, et cæteris hujusmodi passionibus; et hoc non fecisti ex injustitia, sed *iratus es nobis*, id est, hoc fecisti propter iram tuam, id est propter justam vindictam, quam exercuisti in humanum genus propter culpam Adæ. Ira vero Dei nihil aliud est quam vindicta ejus, *et* post *misertus es nostri* per mortem tuam, ut redimeres de originali peccato. Exponit autem quemodo misertus est, cum addit : *Commovisti terram, et conturbasti eam*. Præposteratum est. Dico *misertus es*, et sic scilicet *conturbasti terram*, id est, nos qui terreni eramus, bona conturbatione, comminando per prædicatores, quod « qui non crediderit condemnabitur (*Marc.* XVI, 16) » : et sic commovisti eam ad fidem, eripiens de ignorantia in qua prius detinebatur propter originalia et actualia peccata sua. Et tu, qui jam eam in parte sanasti, ut ex ignorantia eam eriperes, et per baptismum ejus peccata redimeres, *sana contritiones ejus*, id est, sana eam in futuro de

www.libtool.com.cn

contritionibus ejus, ut cum hic omnibus doloribus et A passionibus conteratur, quæ pœna sunt peccati originalis, in impassibilitatem reducta non ulterius conteratur. Quod est dicere: Qui jam eam de peccato sanasti, sana quoque in futuro de pœna peccati. Et sanare debes contritiones ejus in futuro, *quia* jam *commota est* de errore ad fidem, ut te Deum et creatorem et regem suscipiat, cui prius cultum denegabat. Ostendit etiam aliam causam, quare debet terram sanare, sic : Dixi ut sanes terram, ideo quia commota est, et ideo etiam quia *ostendisti populo tuo dura*. Quod est dicere : *Ostendisti* nobis, qui populus sumus tuus et terra tua, exemplum patiendi duras tribulationes, cum pro nobis dura et aspera passus sis: et hoc ostenso, *potasti nos vino compunctionis*, id est replevisti 210 nos compungenti vino, id est B poculo tribulationum, ut per eas in fine commutemur, qui ante conversionem dulci vino potati fuimus, id est poculo voluptatis. Et hoc totum est ac si diceret: Ideo nos sanare debes, quia pro te potione tribulationum potamur. Unde nobis exemplum in morte Dominici hominis dedisti. Vinum vero compungens, tribulatio dicitur, eo quod corpori amara sit et austera, ad modum vini compungentis, quod amarum est et austerum. Dicitur quoque voluptas vinum dulce, eo quod dulcis est, et homines dementat, dum eos a Deo retrahit ad modum vini, dementantis eos quos inebriat. Dicuntur etiam tribulationes potiones per similitudinem, quia sicut amaris potionibus medicorum morbus depellitur, sanitasque restituitur; sic etiam tribulationum amaritudine vitiorum fœditas expiatur, et vita perpetua reparatur. Unde Dominus in Evangelio dicit : « Potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum (*Matth.* xx, 22). »

Demonstrat vero qua utilitate ostendit suis dura esse patienda, sic : Dico quod *ostendisti populo tuo dura* patienda esse, et per illa dura *dedisti metuentibus te significationem* ; id est, ad hoc *dedisti* eis dura, ut sint eis significatio, id est, signum futuri judicii, scilicet ut cum viderent Deum hic ultionem accipere de peccatis fidelium per tribulationes, per hoc judicent multo magis ultionem accepturum de peccatis non confitentium. Juxta quod Apostolus dicit : « Quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei (*II Thess.* I, 4). » Dixi quod per *dura dedisti* fidelibus D *metuentibus te significationem*, ad hoc scilicet, *ut* contuendo hæc signa tribulationum, per correctionem vitæ suæ *fugiant a facie arcus*, id est a præsentia comminationis ejus, id est a damnatione perpetua, quam tribulatio mundana comminatur, cum sit signum ejus, Bene quippe tribulatio temporalis *arcus* dicitur: quia sicut arcus de longe minatur, ita et ipsa mundana tribulatio mortem æternam non convertendis comminatur, cujus signum est.

Facies quoque bene pro præsentia ponitur, eo quod coram facie positos, præsentes esse dicamus. Et ideo *fugiant* hic metuentes te *a facie arcus*, per vitæ suæ correctionem, *ut dilecti tui*, id est metuentes te, *liberentur a facie arcus*, id est a damnatione perpetua in futuro. Et ita sit Deus ut liberemur. *Salvum fac*, scilicet salvatione perpetua, me populum tuum : in *dextera tua* constituendo, id est in favore gratiæ tuæ, non in sinistra constituendo cum perdendis. *Et* de hoc quod oro *salvum* me *fac* : *exaudi me*, id est, sic audi ut impetrem. Ostendunt vero se salvationem adepturos, et in fine mundi a malis esse disgregandos ex ipsa promissione Dei, quem hic loquentem introducunt : et per Dominicum hominem bonos ad perdendum separaturum et suscepturum : et ideo eum loquentem inducunt, ut auctorizabilius sit, quod eum promittere dicunt. Dixi ut Deus me populum suum salvum faciat, et vere faciet : *Deus*, enim *locutus est in sancto suo*, id est in Dominico homine, antonomastice sancto.

Lætabor et partibor Sichimam, id est, lætanter *partibor* a perdendis *Sichimam*, id est humerosos illos scilicet, qui in humeris suis patienter jugum meum ferunt, id est in humeris cordis legem meam, quæ jugum suavissimum est, memoriter gerunt, a similitudine illorum qui jugum super humeros portant. Sichima quippe *humerus* interpretatur, et dicitur esse locus in Judæa: unde per Sichimam fideles de Judæis intelliguntur; quia indeterminate posuerat *Sichimam*, non datur plane intelligi quos humerosos partietur, cum sint quidam etiam qui jugum diaboli deferunt, et quidam qui etsi jugum Domini ferre videantur, non tamen in humilitate patiuntur, sed inviti sustinent. Ideoque determinat C quos humerosos partietur, sic : 211 Dico quod *partibor Sichimam, et*, id est scilicet, metibor *convallem tabernaculorum*; id est tabernaculantes in convalle, scilicet militantes Deo in humilitate patientiæ. Quod est dicere : Colligam eos a conventu malignantium, a similitudine metentis, qui colligit spicas a culmis. Unde legitur : « Separabit eas gentes ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis (*Matth.* xxv, 32). » Convallis congrue eo quod sit humilis, pro humilitate ponitur: tabernaculum vero pro militia, eo quod in tabernaculis habitare militantium est: et non *metibor* illos militantes in convalle, qui deficiunt a militia, timore tribulationis et martyrii. Sed *meus est Galaad*, id est, illi mei sunt ad metiendum qui sunt Galaad, martyres scilicet D militantes, perseveranter non denegantes nomen Dei etiam in tribulatione, ubi videretur locus timoris et denegationis, Galaad nempe *acervus testimonii* interpretatur. Unde congrue per Galaad martyres intelliguntur, qui testes Dominicæ fidei etiam in tribulationibus existere non metuunt. Quod etiam per hoc nomen intelligitur, quod est martyr. *Martyr* enim Græce, *testis* sonat Latine. Ille vero non juste dicitur testis, qui timore mortis a veritatis testimonio desistit. Acervus vero dicuntur martyres, quia multi sunt. Acervum enim dicimus, multarum rerum collectionem. Potest etiam unus alia similitudine acervus dici, eo quod in altitudinem perfectionis per tribulationes excrescit ac modum acervi, qui in altum excrescit.

www.libtool.com.cn

Quoniam vero quidam fuerunt, qui usque ad mortem testes Dominicæ fidei exstiterunt; et non charitate commoti, sed favore hominum instigati; Unde dicit Apostolus: « Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 3), » determinat quem Galaad dicat esse suum, cum addit: *Et*, id est scilicet, *meus est Manasses*, id est oblivio. Quod est dicere: Illi martyres mei sunt, qui sunt Manasses, id est obliviscentes omnem terrenum favorem, et pro sola charitate in tribulatione militantes. Manasses quippe *oblivio* dicitur: *et* iste Galaad qui est Manasses, existens etiam *Ephraim*, id est fructificans alios in fide per prædicationem et constantiam suam, est *fortitudo mei capitis*, id est, computat se fortem esse in constantia tribulationum per me, qui sum caput suum, id est gubernator suus. Ephraim autem *fructificatio* interpretatur. Et hoc totum est ac si diceret: Illos humeros partibor ego a malis: metibor et mihi qui mei erunt testes, etiam in tribulationibus, et omnem favorem humanum obliviscentes, et alios, prout possunt, in fide fructificantes, et omnem fortitudinem constantiæ suæ, non sibi sed mihi capiti suo attribuentes. Galaad locus est in Judæa. Ephraim autem et Manasses, homines Judæi fuerunt. Unde per hæc vocabula, martyres ex Judæis intelliguntur. Ne vero viderentur confessores ex Judæis non esse sui, ipsos etiam addit, sic: Et *Juda rex* est *meus*, id est confessores ex Judæis mei sunt, qui se regunt ne per illicita defluant. Parum enim aut nihil alicui confiteri Deo voce proderit, nisi etiam se bene regendo ab illicitis abstinuerit, et bene operari studuerit. Unde Prosper: « Bene loqui et male vivere, nihil est aliud quam sua se voce damnare. » Et Joannes apostolus: « Si quis dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II, 4). » Juda quidem *confessio* interpretatur. Convenienter ergo per Judam, qui vir Judæus fuit, Jacob scilicet filius, confessores ex Judæis designantur.

Postquam martyres et confessores ex Judæis suos esse ostendit, et in futuro partiendos esse, ne fideles ex gentibus exclusi putarentur, quorum multi martyres, multi autem exstitere confessores, ipsos quoque sic adjungit universaliter: et *Moab* est *olla*, id est refectio, *spei* 212 *meæ*. Quod est dicere: Gentilis populus ad fidem conversus est meus, pro quo spero me gaudio refici, cum in futuro eum a malis partiar. Moab filius fuit Loth, quem ex filia sua genuit: de cujus sanguine gentilium generatio maxima processit, qui etiam Moabitæ dicti sunt (*Gen.* XIX, 7). Moab igitur *ex lex* interpretatur, eo quod contra legem de filia sit generatus. Per Moab ergo gentilis populus accipitur, qui semper contra legem sine lege fuit, dum Deo cultum debitum denegavit. Per ollam refectio non inconvenienter accipitur, eo quod ex cibis in olla coctis, corpus reficitur. Vel sic potest legi, ut et sententia et distinctio mutetur. *Moab olla* est *spei meæ*, id est, ille gentilis populus, A qui excoctus est ab omni terrenitate per ignem tribulationis, ad modum ollæ quæ excoquitur igne ut robustior sit, attinet spei meæ, id est, illum spero in futuro a malis partiri. Vel sic: *Moab olla* attinet *spei meæ*, id est gentilis populus qui fidelium meorum olla fuit, id est, excoquens eos per ignes tribulationum ab omni sorde, ad modum ollæ in qua cibi excoquuntur a nocuo humore. Et quia posset quæri: Quomodo acquires tibi Moab, id est gentilem populum? modo ostendit quomodo acquiret, sic: Dico quod Moab attinet ad spem meam, quem Moab mihi acquiram, sic per hoc scilicet, quod *in Indumæam*, id est in gentilem populum, *extendam calceamentum meum*, id est prædicatores qui doctrina eum sua mihi acquirent.

B Idumæa *terrena* dicitur; unde per Idumæam plebs gentilium denotatur, quæ ante conversionem soli terrenitati vacabat. Calceamentum autem dicuntur congrue prædicatores, eo quod Ecclesiam prædicatione et exemplo et oratione sua muniunt, sicut pes a calceamento munitur. Vel per calceamentum e contiguo pedes accipiuntur, eo quod calceamentis utuntur; per pedes vero prædicatores: quia sicut pedes corpus deferunt, sic et prædicatores nomen Domini in gentes detulerunt. Vel sic: Per hoc acquiram mihi gentilem populum, quia *in Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, in notitiam Idumææ, gentilis populi scilicet, extendam notitiam calceamenti mei, id est humanitatis meæ, ut me qui C Deus eram, hominem esse factum pro totius mundi salute cognoscens, mihi spontanea subjiciatur. Calceamentum autem ex pellibus mortuorum animalium efficitur, ideoque pro humanitate Christi ponitur, quæ per multas tribulationes ad ultimam passione crucis mortificata est. Unde Joannes Baptista: Post me temporaliter venit vir, Christus scilicet, qui ante me factus est (*Joan.* I, 27), secundum humanitatem, non temporaliter sed dignitate. Quod est dicere: Qui factus est dignior me, cum sit posterior tempore secundum quod homo. Corrigiam calceamenti cujus non sum dignus solvere (*Ibid.*), id est, minimam particulam mysteriorum ejus humanitatis non sum dignus explicare. Quod est dicere: Nec etiam dignus sum et sufficiens ad explicandum aliquod minimum secretum ejus humanitatis, nedum aperire non sufficiam mysteria ineffabilia ejus Divinitatis. Corrigia vero quia minima pars est calceamenti, pro minima parte mysteriorum humanitatis Christi jure ponitur. Vel sic: Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, id est quæstionem humanitatis ejus, hoc scilicet quod a quibusdam quæritur qualiter ille, qui Deus erat, homo sit effectus. Quæstio quoque convenienter corrigia dicitur, quia sicut corrigia nectit calceamentum, sic et quæstio ligat illud unde fit. Dixi quod *in Idumæam extendam calceamentum meum*: et sic *alienigenæ mihi subditi sunt*, id est Idumæi mihi subdentur, qui hucusque fuerunt alienigenæ, id est de alia generatione, id est generati a diabolo, et alieni a cognitione

mei. Notandum 213 quod etsi non invenientur hæc in Evangelio, quæ hic dicuntur a Domino dicta fuisse, his tamen æquipollentia Deus locutus fuisse in Evangelio legitur, quæ alicui investiganti facillime apparebunt.

Postquam verba Dominicæ passionis introduxit de hac promissione fidelium collectio gratulans, quasi sub interrogatione orat deduci *in civitatem munitam*, id est in Jerusalem cœlestem, in qua non fiet assultus hostium : et hoc sic dicit et orat, ut hic magis ac magis dilatetur de die in diem. O Deus, promisisti quod partieris Sichimam et Moab ollam a perdendis me, scilicet Ecclesiam de Judæis et gentibus : et ita fiat ut me partiaris, et partitam *in civitatem munitam* deducas. Nam *quis deducet me in civitatem munitam?* et quia promisisti quod extendes calceamentum in Idumæam, dilata hic me usque in Idumæam, id est usque in illos qui adhuc sunt terreni, ut ipsi scilicet mihi adjungantur: nam *quis deducet*, id est dilatabit, *me usque in Idumæam*, id est adeo ut Idumæi mihi adjungantur? *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos*, id est qui videris nos hic repellere in tribulationibus positos, et qui hic *non egredieris in virtutibus nostris*, id est in exercitibus nostris, ut nos scilicet facias exercitus contra hostes congregare; et cum ipsis exercitibus egrediaris ad pugnam adversus inimicos nostros, sicut egressus es cum exercitibus patrum nostrorum, per ministerium angelorum. Et hoc totum est, ac si diceret : Cum hoc promiseris, quod nos in futuro a malis partitos in civitatem munitam deduces, et hic in Idumæam calceamentum extendes, etsi videar a te repulsa, tamen in futuro deduc me in civitatem munitam; et hic dilata me usque in Idumeam : nam quis potest hoc facere nisi tu? nullus. Hoc autem ex ingenti desiderio ponit interrogative. Dixi quod *repulisti nos*, id est, videris hic repellere in tribulatione positos; et ideo quia hic nos permittis in tribulatione, *da nobis auxilium de tribulatione*, id est per hanc tribulationem, quam patimur. Quod est dicere : Fac ut hæc tribulatio sit nobis auxilium, id est causa salutis, dum per eam excoquimur a sordibus nostris; et ideo oramus per tribulationes adjuvari, *quia vana* est *salus hominis*. Ac si diceret : Oramus adjuvari per tribulationem, non per humanum auxilium, quia salus humana vana est, id est humanum auxilium vanum a salute. Dixi, o auditores, quod *Deus* non egredietur *in virtutibus nostris*; nos enim non congregabimus amodo virtutes, sed *in Deo faciemus virtutem* nostram, id est, Deum habebimus pro virtute, et in eo confidemus magis quam in aliqua virtute, ut ipse faciat nos inimicos nostros superare; *et ipse deducet tribulantes nos ad nihilum*, id est de malitia sua per prædicationem nostram faciet eos bonos. Vel *deducet* in futuro *ad nihilum tribulantes nos*, id est potestatem tribulantium nos, ne nobis in futuro prævaleant sicut modo in corpore prævalent. Hanc autem apostropham ad auditores facit, ut sui exemplo instruat eos solo Deo confidere, non in terrena virtute.

IN PSALMUM LX.

Psalmi sexagesimi titulus. *In finem in hymnis, Psalmus David*. Quod sic exponitur : *Psalmus David*, id est Ecclesiæ perfectorum perseverantis in hymnis usque ad finem vitæ, id est perseverantis in Dei laudibus, opere, voce et devotione : vel sic tendentis in finem, id est in beatitudinem perfectam, in hymnis perseverando, id est in Dei laudibus. Orat autem perfectorum collectio ut Deus exaudiat orationem suam quam facit, ut in hoc sæculo habitet in tabernaculo Dei, et in futuro hæreditatem æternam possideat : et orat ut exaudiat deprecationem quam facit 214 ut Deus proteget eam a vitiis, ea removendo a se : et protegat de pœna perpetua. Ubi notandum quod oratio dicitur, quod fit de adeptione rei cujuslibet; deprecatio vero de remotione. Ostendit autem se adepturam quod orat et quod deprecatur : et confidentia meriti et exemplo beneficiorum, quæ jam adepta est, et hac confidentia qua adipiscetur se psalmum dicturam pollicetur.

Exaudi, Deus, deprecationem meam, ut me protegas a vitiis et pœna perpetua, removendo ea a me. *Intende orationi meæ*, id est diligenter audi orationem meam : vel *intende*, id est intensum te fac orationi meæ; scilicet sicut intense oro, ita et tu intense quod oro largire, scilicet ut qui jam habitare cœpi in tabernaculo tuo, id est in militia tua, hic magis ac magis inhabitem, et in futuro hæreditatem meam possideam. Et dignum est ut exaudias : nam *clamavi* et ore, et opere, et mente, *ad te* promerendum, non aliquid terrenum; et iste clamor processit *a finibus terræ*, id est terrenitatis. Quod est dicere : Per hoc deveni ad hunc clamorem, quod in me finivi omnem terrenitatem, ut non terrenis, sed spiritalibus inhiarem, prætentione meriti. Ostendit autem beneficia jam adepta, quorum exemplo se credit adepturam quod orat. Dico *exaudi*, et quod oro et quod deprecor : et exaudire debes cum hæc beneficia jam impenderis, scilicet quod *exaltasti in petra*, id est in conformitate Christi, qui firma petra est, *me*, quæ ante depressa eram in vitiis. Quod est dicere : Exaltasti me in virtutibus, ut conformis essem Christo. Petra vero Christus dicitur, eo quod ad similitudinem petræ firmum fundamentum sit omnium fidelium, ne in illo fundati aliquo modo moveantur. Unde Apostolus : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 4); » et propheta : « Erit in lapidem offensionis, et petram scandali duabus domibus Israel (*Isa.* VIII, 14). » Ostendit quoque unde exaltavit, apponendo sic : Dico : Exaltasti, *dum*, hoc est quod, *anxiaretur* ex conscientia criminum *cor meum*, id est, cor dum meum erat, non tuum. Tunc cor dicitur esse peccatoris, cum male cogitat : tunc vero Dei, cum bene. Unde Prosper : « Non nostri est muneris, cum recte cogitamus. » Et hoc totum est ac si diceret : *Exaltasti me* ab anxietate criminum

www.libtool.com.cn

exemptum. Vel sic : *Exaltasti me*, et necesse erat dum hoc esset, ut anxiaretur cor meum, prius enim contristabatur, quia per me non poteram exaltari. Ac si diceret : Necesse erat ut me exaltares, cum per me insufficiens essem ad exaltandum, unde nimis anxiabar. Nimis enim aliquid anxiatur, cum id ad quod valde nititur, attingere non potest. Et me exaltatum *deduxisti*, id est perseverare in illa exaltatione fecisti, ne caderem ; vel, deduxisti de magno ad majus, ut me exaltatum magis de die in diem exaltares. Promittit vero sibi ex certitudine spei, quam habet, se adepturum quod orat, cum addit : *Quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.*

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum. Quod sic continuatur et construitur, ut singulis singula reddantur. Dixi : *Exaudi deprecationem meam*, ut me protegas a vitiis et pœna perpetua, et *intende orationi meæ*, ut magis magisque facias inhabitare *in tabernaculo tuo :* et hujus rei quam deprecor et oro adipiscendæ certa sum, scilicet quia *factus es spes mea*, id est, quia per hoc quod me *exaltasti* et *deduxisti, factus es* talis, in quo sit *spes mea,* certa sum quia *inhabitabo in tabernaculo tuo*, id est in militia tua magis eundo *in sæcula* mundana, id est, quandiu sæcula mundana durabunt, perseverabo in militia tua, qui incœpi deduci in ea. 215 Hoc quod dicit : *Factus es spes mea*, emphatice ponit. Et quia factus es *turris fortitudinis a facie inimici*, id est, quia factus es mihi forte munimentum ab instantia inimici visibilis et invisibilis me eripiens, certa sum quia existens *in velamento alarum tuarum*, id est in defensione tua *protegar :* et hic indesinenter a vitiis, et in futuro a pœna. Quod dicit *in velamento alarum*, non dicitur quod alas habeat, sed a similitudine volucris ponit, quæ pullos ab æstu et pluvia et volucrum rapacium impetu alarum velamento protegit. Et est æquipollens ac si diceret : Proteges me in defensione tua. Vel per alas possunt accipi duæ leges, vetus et nova, seu etiam gemina dilectio, Dei scilicet et proximi. Quarum exercitio Ecclesiæ fideles assidue refrigerati, et hic proteguntur, ne a tribulationibus superentur, et in futuro, ne pœna perpetua puniantur, sicut alis volucris pulli ab omni læsione proteguntur.

Non solum autem spero quod *inhabitabo in tabernaculo tuo*, ideo *quod factus es spes mea*, sed ideo quoque *quoniam tu, Deus*, qui potens es ad complendum quod oro, *exaudisti orationem meam*, id est disposuisti complere orationem meam, scilicet ut inhabitem in tabernaculo tuo *in sæcula :* et non solum dabis ut hic inhabitem in tabernaculo, sed in futuro *dedisti*, id est dabis, *hæreditatem* æternæ beatitudinis *timentibus nomen tuum*, scilicet cum timore casto venerantibus hoc nomen tuum, quod est Dominus, non dolentibus et blasphemantibus hoc, quod Dominus es. Hæreditatem vero, æternam beatitudinem per similitudinem dicit, eo quod eam fideles per mortem Christi filii adoptivi facti, perenniter habebunt, sicut filii patris hæreditatem, post ipsius patris mortem, quandiu vivunt obtinent. Exponit autem ipsam *hæreditatem*, cum subjungit: Dico quod dabis *hæreditatem ;* scilicet, *adjicies dies regis super dies* regis. Quod est dicere : Cum hic habemus dies conformes diebus Christi, autonomastice regis, ut hic pro posse nostro militemus, sicut ipse tibi Deo in hac vita militavit, *adjicies* nobis post mortem carnis alios dies conformes aliis diebus Christi regis, qui erunt *super* nos *dies regis* præsentes digniores. Dies scilicet æternos, id est, vitam perpetuam, quæ conformis erit vitæ Christi, quam post mortem carnis adeptus est : sicut ipse testatur : « Ego vivo et vos vivetis (*Joan.* XIV, 19). » Quia vero dixerat *dies*, ne viderentur parum quid esse, digniori eos vocabulo vocat, cum addit : scilicet *adjicies annos* regis super annos ejus, scilicet regis. Anni et dies hic pro eodem habentur. Notandum non dici vitam perpetuam dies vel annos pluraliter, quod in ea sit dierum multiplicitas futura, sed quia dies illa sola dierum istorum multiplicitatem excedet : dico quod *adjicies dies super dies regis :* et hoc facies in diversis justis *usque in diem generationis et generationis*, id est, dabis illos dies secundum animam diversis justis in diverso tempore. Hodie quidem uni de hac vita migranti, cras alii, et post cras alii : et sic semper per successionem usque in diem judicii, qui erit dies *generationis et generationis*, id est duplicis generationis, in quo fideles dupliciter in æternitate generabuntur, et secundum corpus scilicet, et secundum animam: qui mox post carnis obitum secundum animam generantur. Hæc autem dies, a Domino dies regenerationis nuncupatur, cum dicit : « In regeneratione cum sederit filius hominis (*Matth.* XIX, 28), » etc. Vel dicitur dies *generationis et generationis,* eo quod omnes in eo spiritaliter generati in fide, æterna beatitudine simul generabuntur : quæ generatio et generatio *permanet in conspectu Dei in æternum*, id est, qui spiritualiter generati vel in corpore et in anima generati, permanebunt in æternum, in 216 præsentia et beneplacentia Dei, juxta illud Apostoli : « Sic semper cum Domino erimus (*I Thess.* IV, 16). » Diceret aliquis : Dicis quod permanebunt *in conspectu Dei*, ac si magnum esset. Ad quod sic addit : Vere magnum est illud permanere. Nam *quis requiret* postea *misericordiam*, id est peccata remitti, et de tribulationibus eripi ; *et veritatem*, id est æternum et verum esse, et incommutabile ? Nemo. Ac si dicat : Felices erunt, qui permanebunt, nam cum fuerint misericordiam et veritatem penitus adepti, Deum de misericordia et veritate amplius orare necesse non erit. Ergo ut permaneam in conspectu tuo, o Deus, *psalmum dicam nomini tuo*, id est bona opera mea in evidenti ponam ad honorem nominis tui, non ad favorem hominum ; et hoc non faciam horarie neque invitus, sed faciam *de die in diem* opera mea, quæ dicuntur *vota*, eo quod voto et de-

www.libtool.com.cn

siderio cordis fiunt, non invite : et hoc faciam *usque* A *in sæculum*, scilicet *sæculi* hujus subsecutivum. Quod est dicere, quandiu mundus iste durabit.

IN PSALMUM LXI.

Titulus Sexagesimi primi. *In finem pro Idithun. Psalmus David.* Quod sic exponitur : Psalmus iste est David, id est Ecclesia perfectorum, compositus per Idithun in finem, id est pro ea consideratione quod e t Idithun : in finem, id est ea occasione quod ipsa Ecclesia est transiliens eos, contra quos hic disputat : in finem tendens, id est in conformitatem Christi finis prophetiæ et legis. Disputat enim in hoc psalmo Ecclesia perfectorum contra hæreticos et gentiles et Judæos qui volunt eam a lege Dei devocare et a subjectione ejus, ostendens quod nullatenus eam devocabunt : et ostendit cau- B sas plures quare non poterunt eam devocare. Exprobrat autem eorum impietatem, ut sic revocet eos vel alios, qui adhuc sunt insontes, bonos videlicet ab eorum conformitate retrahat. Adhortatur etiam animam suam, ne eorum exemplo a Dei subjectione discedat : bonos quoque ut in Deo sperent admonet, non in rapinis et divitiis : dicens in fine psalmi, quod Deus unicuique juxta opera sua reddet : sperantes in se salvando, et in divitiis sperantes juste condemnando.

Nonne Deo subjecta erit anima mea ? Ac si diceret: Vultis eam, o fidei catholicæ adversarii, a Dei subjectione removere, si poteritis hoc efficere, ne sit subjecta : nequaquam, vere subjecta erit, non pote- C rit a vobis moveri. Et merito subjecta erit : *ab ipso enim* est *salutare meum*, id est salvatio mei. Quod est dicere : Ipse me salvabit. Diceret aliquis : Estne potens ad te salvandum ? Ad quod sic respondet : Ita vere ab ipso potest esse salvatio mei. *Nam et ipse* est *Deus meus*, id est recreator mei, per mortem suam, qui perieram in Adam, *et susceptor meus* erit in futuro, id est medicus meus qui me faciet ex mortali et passibili immortalem et impassibilem. Vel sic continuetur, ut sententia non mutetur : Ideo *subjecta erit* ei *anima mea*, quia *ab ipso* est *salutare meum* : et ideo adhuc, *nam et ipse* est *Deus meus et salutaris et susceptor*. Ac si diceret : Non solum est *salutaris*, sed *et Deus*, *et salutaris*, *et susceptor* : et cum tantæ causæ sint ei subjiciendi, *non movebor* D *amplius* ab ejus subjectione : cum dicit *amplius*, non ex necessitate datur intelligi, quod aliquando mota esset, sed æquipollens est ac si diceret : Nunquam movebor. Vel sic : *Non movebor amplius*, postquam tibi subjici incœpi, quæ antequam subjicerer, a te per infidelitatem remota fui. Postquam autem contra omnes adversarios egit, specialiter contra manifeste impugnantes per tribulationes, Judæos scilicet et gentiles, agit; ostendens nequidquam eos ipsam velle devocare, et per hoc semetipsos potius in anima interficere, ut hoc modo eos devocet. Vel si devocari noluerint, inexcusabiles reddantur : et hoc sic dicit, dico : *Non movebor* : et cum sim immobilis, *quousque*, id est usque ad quod tempus, *ir-* A *ruitis* per tribulationes *in* me 217 *hominem*, id est in me, qui adhuc homo sum, id est mortalis et passibilis, in quo facultatem irruendi habetis. Hoc autem increpative positum æquipollens est, ac si diceret : Cum immobilis sim, desistite ut propter hoc in me irruatis, ut me revocetis : nam irruendo *interficitis vos, universi.* Quod est dicere : Hoc quod in me *irruitis*, causa est quare in anima interficiamini et vobis loquor existentibus, *tanquam parieti inclinato*, id est comparabilibus parieti jam inclinato, quæ presto est ad ruendum : et est hoc ac si diceret : Cum Deus vos fecerit rationabiles, et liberum arbitrium habentes, et sic vos habiles effecerit, ut Ecclesiæ paries essetis, vos prave vivendo inclinastis vos, id est fecistis aptos ad cadendum in mortem, sicut B paries inclinatus aptus est ad cadendum.

Demonstrat autem adhuc eos esse debiliores, cum addit : *Et* vobis loquor existentibus tanquam *maceriæ depulsæ*, id est, *maceriæ* comparabilibus et non maceriæ rectæ sed maceriæ *depulsæ*, id est quæ jam impulsa est, et ad cadendum prona. Maceria proprie dicitur congeries lapidum sine cæmento vel ligatura quælibet subalternatim positorum, quæ cito dirui potest : paries vero, lapidum congeries subalternatim positorum cæmento vel junctura aliqua ligatorum, quæ non est adeo facilis ad cadendum, ut maceria. Unde congrue maceriæ comparantur, qui sine junctura fidei et concordiæ existentes, et a vitiis impulsi, ad ruendum in mortem fa- C ciles existunt : et hoc totum est ac si poneret : Cum jam propter malam vitam vestram sitis ruituri, sicut maceria depulsa, deberetis utique fidei et subjectionis Dei cæmento ligari, ne rueretis. Facit autem apostropham ad auditores, ostendens adversariorum desiderium ut ipsam Ecclesiam a subjectione Dei retrahant, et sic etiam Deum, cui inhiat, sibi auferant. Agit quoque de hæreticis, qui exterius ore bene loquendo allicere eam nituntur, ut veris locutionibus falsas admiscendo eam decipiant, et sic sibi conforment : ostendit quoque suam in bono perseverantiam, ut hoc de se dicendo instruat ipsos auditores ab eisdem adversariis cavere, et in bono perseverare ; et sic dicit : Dixi quod *non movebor*, o auditores, propter supradictas causas. Dixi etiam D quod interficiunt se adversarii mei, dum in me irruunt. *Verumtamen* quamvis his duabus causis deberent dimittere, *cogitaverunt* a me *repellere pretium meum*, id est, *cogitaverunt* quomodo me a Dei subjectione repellerent, et sic pretium laboris mei mihi auferrent, Deum scilicet, cui penitus inhio, ad quem omni labore operum bonorum tendo. Non solummodo vero illi qui in me tribulationibus irruunt, judæi scilicet et gentiles, *cogitaverunt* me *repellere*, sed etiam hæretici ; nam cum ego *cucurri* per viam bonorum operum, et hoc *in siti*, id est in desiderio eos mihi incorporandi, per exemplum eorumdem operum bonorum, ipsi *ore suo benedicebant*, id est quædam bona verba simulatorie proferebant : *et* idem, ipsi *corde suo maledicebant*, id est, eadem

www.libtool.com.cn

verba, quæ bona videbantur in oris prolatione, reputabant mala et deceptoria in cordis conceptione. Quod est dicere : Quædam deceptoria verba, quæ bona videbantur, ore proferebant, ut his falsa latenter admiscendo, me deciperent, et sic mihi a Dei subjectione remotæ laboris mei pretium auferrent; facit autem ad animam suam exhortationem, cum addit : *Verumtamem Deo subjecta esto, anima mea.* Quod est dicere : *Verumtamen* quanquam ipsi nitantur omni modo te a subjectione removere, et sic pretium tuum a te *repellere*, noli malo exemplo et exhortationi cedere, sed magis ac magis Deo *subjecta esto, anima mea.* Diceret aliquis : Si subjecta existens eorum exhortationi, cedere nolueris, multas tribulationes patieris, ad quod sic addit : *Non emigrabo* ab ipsius subjectione, timore tribulationum, sed tribulationes pro eo patienter feram, 218 *quoniam ab ipso* est *patientia mea*, id est, exemplum patientiæ meæ, dedit enim mihi exemplum patiendi, cum pro me passus sit. Vel *ab ipso* est *patientia mea*, id est, ipse dedit mihi patientiam, ne pro eo pati timeam, et ideo adhuc *non emigrabo*, quia *ipse* cui subjecta sum, *est Deus meus*, id est, Creator et *Salvator meus*, remittendo peccata, *et adjutor meus*, ut bene operer. Notandum has causas quas hic ponit, dicendo quia *ipse Deus meus*, etc., non superfluo repetitas, cum superius easdem posuisset, quoniam superius eas posuit contra adversarios agendo, hic vero ad aliud sese, videlicet exhortando.

Innuit vero salvationem suam a solo Deo fuisse, non ab aliquo merito suo præcedenti, ne quis putaret quod in ejus salvatione aliquid cooperatum esset liberum arbitrium aut ullum meritum ejus, sicut in bona operatione liberum arbitrium cooperatur, sic : Dixi, quod *Deus* est *salvator meus* et *salutare meum*, id est, ipsa salvatio mihi data *in Deo* solo, id est, in sola Dei gratia data fuit; quod *gloria mea*, id est hoc quod fecit me gloriosum et vita laudabilem propter salvationem mei, in solo Deo est, non in merito quolibet, aut in libero arbitrio meo. Ne vero bona operatio ex libero arbitrio penitus esse videretur, et non etiam ex Deo, addit, et *Deus* est *auxilii mei* opifex. Quod est dicere : Cum gratuita voluntate me salvaverit, et gloriosum fecerit, auxiliator quoque mihi est ad bene operandum, libero arbitrio meo cooperante. Ideo ergo quia gratuito me salvavit, et gloriosum fecit, et etiam auxiliator est ad bene operandum, *spes mea* est *in Deo* : id est, cum tot jam impenderit mihi beneficia, spem habeo adipiscendi ea quæ in Deo sunt, scilicet immortalitatem et impassibilitatem. Exhortatur vero bonos ad operandum in Deo, sui exemplo, cum subjungit sic : Dico quod *spes mea in Deo est*, Unde exemplo mei *sperate in eo, omnis congregatio populi*, id est, vos qui non estis disseparati a Christo mala vita vestra et hæresibus, sed quicunque in populo mundano congregati estis in fide, et conformitate Christi, et in hoc unum estis, ut ait Apostolus : « Multi unum corpus sumus in Christo (*Rom.* XII, 5). » Et ut spes vestra recta sit et firma, *effundite corda vestra*, id est, evacuate corda secundum hoc quod vestra sunt et non Dei : quod est dicere : Evacuate corda vestra a cogitationibus malis, quæ ex vestra parte sunt et non Dei : ut effundendo corda sitis *coram Deo*, id est in beneplacentia Dei ; nisi enim effunderetis, non coram Deo essetis, et effundere debetis; nam sic *Deus adjutor noster* erit, id est, adjuvabit et me et vos ad bene operandum, *in æternum* nos deducturus, per illud auxilium gratiæ suæ. Exprobat vero adversariorum duritiam ad utilitatem fidelium, quos proxime adhortatus est, ne ipsi eis conformentur, cum subdit : Dixi, o *congregatio populi*. ut in Deo speretis, et corda effundatis, et sic coram eo sitis, et adjutor vester sit. *Verumtamen* quanquam sperantium corda coram Deo sint, et eum habeant adjutorem, *filii* tamen *hominum* veterum conformitate, id est adversati mei gentiles conformes vetustatis Adæ et Evæ *vani* sunt, id est nolunt in Deo sperare, quæ spes certissima esset, sed vani sunt, id est vanis adhærentes, terrenis scilicet. Ubi nos hic habemus, *filii hominum*, Hebraica translatio habet, *filii* Adam. Et *filii hominum*, Judæi et hæretici, *mendaces* sunt *in stateris*, id est, in divinis Spirituris quas sinistre exponunt.

Dictum est a similitudine mercatorum, qui cum deberent in statera ponderare æqualiter, mentiuntur ponderando inæqualiter. Dicuntur vero stateræ, divinæ Scripturæ, eo quod examen totius sint justitiæ, sicut stateræ justi ponderis examen sunt. Quod est dicere : Cum utrisque ex Judæis et hæreticis Scripturæ propositæ sint ad examen rectitudinis, ipsi motu illarum Scripturarum nolunt effundere corda sed mentiuntur exponendo perverse ipsas Scripturas, 219 ad hoc, *ut decipiant* bonos, *ipsi*, qui boni quibusdam videntur, eundo *de vanitate in idipsum*, id est in vanitatem, quod est dicere, ut decipiant fideles, tendendo de vana et falsa locutione in magis vanam et falsam. Facta exprobratione inimicorum, revertitur ad exhortationem bonorum, sic : Dico *sperate* in Deo, *nolite sperare in iniquitate* generaliter, ut videlicet speretis ex iniquitate qualibet adipisci aliquid utilitatis, vel sic *nolite sperare in iniquitate*, id est in divitiis quæ iniquitas dicuntur, eo quod iniquum sit eas congregare, et non pauperibus erogare. Unde Dominus dicit : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI, 9). » Quod est dicere : *Nolite sperare* utile esse divitias retentare : et vos, carentes divitiis, *nolite concupiscere rapinas*, id est divitias quæ dicuntur rapinæ, vel quia vi seu fraude alicui rapiuntur, seu etiam quia nulli tribuuntur; juxta illud Prosperi : « Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit; » et *si divitiæ affluant*, id est abundent vobis, *nolite* illis *cor apponere*, id est desiderium cordis applicare, ut eas plus nimio diligentes, Deum obliviscamini. Unde apostolus : « Avarus, quod est idolorum servitus, non habet partem in regno Christi et Dei (*Eph.* V, 5). » Vel, *nolite apponere cor* cordi, id est, adjun-

www.libtool.com.cn

gere superbiam superbiæ cordis vestri, scilicet cum magis et magis divitiæ vobis affluxerint, non ideo magis magisque superbi efficiamini; unde Paulus ad Timotheum: « Præcipite divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*II Tim.* VII, 17). » Quia vero dixerat esse sperandum in Deo, et non in divitiis, ut ad hoc attrahat auditores, dicit Deum potentem esse ad puniendum in divitiis sperantes, et misericordem ad bene remunerandum in se sperantes. Dixi, *congregatio populi, sperate in Deo*, et non in divitiis, et *nolite cor apponere*, et hoc obedienter complere debetis. Nam *Deus locutus est* et per scripturas, et per humanam naturam, et hoc *semel*, id est incommutabiliter. Quod est dicere: Tale quid locutus est, quod incommutabile erit, et necesse est ut compleatur. Illud quippe unum recte dicimus, quod nullius mutabilitatis obtinet diversitatem, sicut Deus cum in personis sit trimus, unus dicitur, eo quod in sententia sit incommutabilis et indiversus. Unde *semel* pro incommutabiliter hic ponitur. Dico quod *Deus locutus est*, et inter ea quæ in locutione ejus percepi, audivi *duo*, propter quæ est in eo sperandum, et non in divitiis, et sunt corda effundenda: Hæc scilicet duo, *quia potestas est Dei*, id est, tua, o Deus, quia tu Deus potens es, *et tibi, Domine*, est *misericordia*, id est, et tu, Domine, misericors es: hæc autem breviter exponit subdendo, sic: Dico quod tibi est *potestas et misericordia*, quod est ac si dicerem, *quia tu reddes unicuique juxta opera sua* in futuro hoc autem totum est, ac si breviter diceret: Effundenda sunt corda et sperandum in Deo, et non in divitiis; quoniam tu, Deus, loquens nobis verissima et incommutabili locutione hæc ostendisti: qui cum sis potens ad damnandum negligentes te, reddes in futuro unicuique juxta opera sua, scilicet negligentibus te pœnam; sperantibus autem in te et effundentibus corda sua, salutem perpetuam; vel sic: *Semel locutus est Deus*, id est, æterne et incommutabiliter disposuit omnia, et adhuc disponit. Quod est dicere: Incommutabiliter et æternæ genuit Filium, et adhuc gignit investigabiliter. Gigni quippe Filium a Patre, non est aliud quam per eum cuncta disponere: Dispositionem autem Dei vocamus ineffabilitatis locutionem, et in illa locutione duo hæc audi- D tu audivi interiori, etc.; hæc non mutantur.

220 IN PSALMUM LXII.

Psalmi sexagesimi secundi titulus. *Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ*. Quod sic exponitur: Psalmus iste attribuitur *David*, id est Christo: habitus est iste psalmus ab ipso David, *cum ipse* David *esset*, id est conversaretur corporaliter *in deserto Idumææ*, id est in populo Judaico, qui desertum erat propter Idumæam, id est propter terrenitatem suam. Quod est dicere: Quia terrenis intenti erant, et legem Dei propter traditiones suas irritam fecerant, deserti erant a gratia Dei, et infertiles bonorum operum, ad modum terræ desertæ, quæ infertilis est. Ostendit autem in hoc psalmo Dominicus homo A ante passionem desiderium suum perveniendi ad Deum. Unde se vigilare in bono opere asserit, ut ad eum pervenire possit, et promittit perseveranter se Deum laudaturum et voce, et bona vita sua, et orat gratia spiritali perseveranter repleri, ut a laude non desistat; hoc autem facit ad instructionem suorum, ut et ipsi exemplo suo vigilent, et ad Deum pervenire desiderent, et eum omnimode laudent, et orent spiritali gratia repleti, ut sic in ejus laude perseverent: aliter enim non possent. In fine vero psalmi agit de hoc quod quærent eum inimici frustra in morte detinere. Agit etiam de eorumdem inimicorum multiplici damnatione, et de lætitia resurrectionis, et de laudatione suorum in futuro.

Deus, qui omnium communiter es *Deus*, *meus* spe- B cialiter, cui præ omnibus obedio qui me penitus immunem fecisti a peccato, *vigilo*, bene vivendo, *ad te* obtinendum. Quod est dicere: Non me negligenter habeo in voluntate tua, sed *vigilo*, id est curiosus et sedulus nitor ad te adipiscendum, id est ad hoc ut tui conformitatem obtineam, secundum hoc quod homo sum, ut videlicet fiam immortalis et impassibilis sicut tu, a similitudine boni servi, qui exspectando dominum suum non dormit sed vigilat, de quo in Evangelio legitur: « Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem (*Luc.* XII, 37). » Dico *vigilo*, et hæc vigilatio contingit *de luce* virtutum et cognitionis tuæ, qua interius repleor. Quod est dicere: Maxima lux virtutum, et tuæ cognitionis mihi ingesta, causa est quare vigilem C perseveranter. Vel, vigilia mea contingit *de luce*, id est de sapientia tua, mihi personaliter unita, quæ animam meam incessanter illuminat, et inde quoque contingit bene vigilatio mea: quia *sitivit anima mea in te*, id est, anima mea vehementer desideravit et adhuc desiderat illud quod in te est, impassibilitatem scilicet; quod est dicere: Tantum habet desiderium in te, id est, in impassibilitate conformari, quantum ille qui valde sitit desiderium habet bibendi, *et caro mea* sitivit *tibi* adhærere quam *multipliciter?* Quod est dicere: In carne mea multo plures causæ sunt quam in anima, quibus sitio tibi confirmari. In anima sola illa causa est, quare te sitiat, quia passibilis est; in carne vero, et quia D multo passibilior anima, et quia mortalis, quod anima non est. Dico quod *anima* et *caro sitivit tibi*: *anima et caro* dico posita *in terra deserta*, etc. Vel sic continuatur, ut expositio non mutetur, Dico quod *vigilo ad te*, ego dico, positus *in terra deserta et invia et inaquosa*; ac si diceret: Etsi converser inter Judæos qui *terra* sunt, id est omnino terreni et invii, id est sine via, nolentes me recipere, qui sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6): et ideo quia terreni sunt et invii, sunt etiam inaquosi, id est non aquati gratia spiritali, sed steriles ab omni bono et sicci; tamen a vigilatione mea non revocor per eos, et si posset esse locus desistendi: cum autem dicit *in terra deserta*, talia verba juxta titulum ponit, in quo dictum fuit: *Psalmus David, cum esset in deserto*

Idumææ. Quia vero dixerat *vigilo*, ne videretur hoc ex jactantia 221 dixisse, et non ex vero, confirmat se vigilare ex ipsa auctoritate Patris, cum subjungit : Dixi quod *vigilo* et *sitivi et in sancto apparui tibi*, id est, in hac sancta vigilatione et siti notus sum tibi. Quod est dicere : Quod me dico vigilare et sitire, non est vanum, nam *in* hoc *sancto apparui* ego *tibi*, id est, notus sum, sic *ut viderem virtutem tuam*, id est, notus sum tibi in hac vigilatione sancta et siti perseverare, ut hanc virtutem *et gloriam* revelationis videam, id est reputem esse *tuam*, non meam. Per hoc autem nos instruit, quod quidquid boni habemus, Deo, non nobis imputemus. Dixi quod *vigilo*, et hoc ideo, quia *misericordia tua*, id est, vigilando vivere, quod contingit et misericordia tua, *melior est super vitas*, id est melior est omnibus vitis sæcularium virorum, quantumcumque sint felices, et longe vel *melior est super vitas*, id est utilior et dignior omnibus institutis vivendi, quæ a philosophis inventa sunt. Quod est dicere : Ideo vigilare dispasui, quia vita hæc omnibus vitis longe melior est.

Cum dicit, *super vitas*, et non oporteat ponere nisi omnibus vitis, ad inculcationem ponit, ac si diceret, multo melior est omnibus vitis : promittit vero se de cætero laudaturum, cum addit : Dico *vigilo* laudando te voce et vita : et non sic ut quandoque dormitans a laude tua desistam, sed *labia mea* exteriora *laudabunt te* incessanter, et sic quod *benedicam* etiam ideo exaltabo et in bona vita mea, id est, bene vivendo, *et in nomine tuo*, id est, in honorem nominis bene operando, *levabo manus meas*, id est sublimabo opera mea. Quod est dicere : Bene operabor in honorem nominis tui, et sic sublimia et digna erunt opera mea ; si vero in nomine meo operarer, potius deprimerem, quam exaltarem opera. Orat autem interiori sapientia et robore gratiæ spiritalis repleri incessanter, ne aliquatemus a laude deficiat, cum subjungit : Dixi quod laudabo te labiis et benedicam vita, et hoc sic : *repleatur anima mea sicut adipe et pinguedine*, id est, sapientia interiori, quæ est sicut adeps, id est, comparabilis adipi, interius scilicet latens in anima, sicut adeps in visceribus latet, et robore gratiæ spiritalis, quod est sicut pinguedo, id est comparabilis pinguedini, exterius scilicet apparens per opera, sicut pinguedo apparet exterius per membra. Adeps quippe proprie dicitur, qui vitalia cooperit interius latens, pinguedo vero quæ exterius apparet membra corroborans ; non dicit *repleatur*, quod non sit semper repleta sapientia interiori et robore gratiæ spiritalis exterius, per opera apparentis, sed idem est ac si diceret : anima mea, quæ jam repleta est, non deficiat aliquo modo, sed perseveret in repletione sicut adipis et pinguedinis, et etiam *labia exsultationis*, id est, mea exsultantia labia repleantur *sicut adipe et pinguedine*, id est verbis procedentibus a sapientia interiori et gratia spiritali, et taliter *laudabit te os meum*. Vel ita, ut etiam littera diversa sit : Dico *repleatur anima mea*, et sic *laudabit* te *os meum labiis exsultationis*, id est exsultantibus labiis. Comprobat autem exemplo recordationis, se deinceps Deum laudaturum, cum addit : Dico quod laudabo te exsultantibus labiis, quod revera faciam *si*, hoc est quod, *memor fui* tui assidue *super stratum meum*, id est in strato meo existens. Quod est dicere : Inde potest comprobari quod laudabo te incessanter, quia ego hucusque semper memor fui tui, id est tuæ laudis, in strato meo, id est in puritate conscientiæ meæ, quæ *stratum* dicitur, eo quod in ea omnimode sancta quiesco et delector, sicut aliquis in strato optimo quiescit et delectatur. Cum dicit, *super stratum*, idem est quod et in strato ; sed quia super stratum aliquis jacet, ea similitudine ponitur hic super.

Non solum autem laudabo te *labiis exsultationis*, sed ego *in te* respiciens, id est, contuitu adipiscendi immortalitatem et impassibilitatem, quæ 222 in te sunt, *in matutinis meditabor*. Vel sic, *in te*, id est per te, adjutorem *meditabor in matutinis*, id est, in operibus bonis complendis, scilicet per auxilium tuum curiosus ero, ut in bonis operibus complendis te laudem : quæ ideo matutina dicuntur, quia splendida sunt et clara sicut mane ; et inde comprobari potest quod meditabor in bonis operibus incessanter, *quia fuisti adjutor meus* ad bene operandum hucusque. Quod est dicere : Sicut hucusque me adjuvisti, ita deinceps adjuvabis. Dixi *repleatur anima mea sicut adipe et pinguedine*, ut per hoc te laudem et ore et *in matutinis* ; et ego sic te laudans, non timebo ne deficiam in tribulationibus, ut videretur locus timendi et deficiendi : sed *exultabo* positus *in velamento alarum tuarum*, id est exsultanter bene operabor, consistens in refrigerio protectionis tuæ. Quod est dicere : Protectio clementiæ tuæ mihi refrigerium erit in tribulationibus, ne desistam ab opere bono. *Velamento alarum*, pro refrigerio protectionis, a similitudine ponitur, eo quod volucris velamento alarum pullos refrigerat ab æstu et a læsione protegit : et ideo exsultabo, quia *adhæsit* tibi glutine dilectionis *anima mea*, *post te* existens, id est te sibi præponens, et te præ se diligens. Quod est dicere : Idcirco *exsultabo* in protectione tua, quia tibi anima mea nimia dilectione conjuncta est, et inde certus sum quod *exsultabo*, quia *suscepit me dextera tua*, id est patrocinatus est semper mihi favor gratiæ tuæ, ut in nullo permitteret me crimine offendere. Dextera pro favore ponitur, eo quod illos quibus favere solemus, ad dexteram ponere consuevimus.

Dixi quod *meditabor in matutinis*, et *exultabo in velamento alarum ; ipsi vero*, quod minime deceret, ad quos docendum et salvandum adveni, Judæi scilicet, de quorum sanguine natus sum, *quæsierunt*, id est quærent, *animam meam* detinere in morte, ne amittant locum et gentem : et hoc facient *in vanum*, id est, vana erit hæc spes eorum, nam a patria expulsi, *introibunt in inferiora terræ*, id est, cum a sua terra quæ fertilis est, expulsi fuerint, *introibunt* in pejores et in inferiores partes terræ : vix dum enim

aliqua pars terrarum adeo infertilis est in qua pars eorum non possit inveniri; et hoc dicit ad aggerationem calamitatis eorum, quia si a patria expulsi in aliquam regionem fertilem dispergerentur, minus utique grave videretur quam quod in asperrima mundi loca maxima pars eorum dispersa est; vel sic, quærent animam meam, et malo suo, nam ideo *introibunt in inferiora terræ*, id est in infernum, qui est in inferioribus terræ partibus. Unde quoque infernus dicitur, quasi infimus: et quidam *tradentur in manus*, id est in potestatem gladii, ut interficiantur: et postquam interfecti fuerint, *erunt partes vulpium*, et cæterarum ferarum, ut ab ipsis eorum corpora non sepulta comedantur; vel sic, secundum illam sententiam in qua diximus, *introibunt in inferiora terræ, id est in* infernum; non solum introibunt in infernum, et *tradentur in manus gladii*, sed et quidam eorum *partes vulpium erunt*, in est partiti erunt, et captivi ducentur a vulpibus, a principibus scilicet, qui vulpes dicuntur, eo quod callidi fuerunt ad expugnandum eos, sicut vulpes callidissimum animal est. In hoc autem multum exaggerat eorum nequitiam, cum illos ostendit ab extraneis dispergendos. Dico quod ipsi *introibunt in inferiora terræ*, et *tradentur in manus gladii*, et *erunt partes vulpium. Rex vero lætabitur in Deo*, id est, ego antonomastice rex, lætabor in misericordia Dei, dum me resuscitabit et glorificabit: et non solum *rex lætabitur*, sed *et omnes qui jurant in eo*, id est qui in baptismate firmiter promittunt se perseverare in eo, id est, in voluntate ejus laudabuntur, id est, in futuro laudabiles etiam inimicis apparebunt, cum æterna gloria ditabuntur, qui hic abominabiles videntur, dum assidua tribulatione macerantur, qui etiam dicturi esse leguntur: 223 « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei (*Sap.* v, 4, 5). » Dico quod *lætabitur rex*, et merito, *quia obstructum est*, id est obstruetur, *os loquentium iniqua*, Judæorum scilicet, qui me negant esse Deum, imo seductorem et blasphemum asserunt. Quod est dicere: Ita testimonio resurrectionis et exaltationis meæ convertentur, quod nihil quod de me dicant, habentes, velint, nolint, tacebunt, qui mihi modo multis verbis maledicis insurgunt.

IN PSALMUM LXIII.

Titulus sexagesimi tertii: *In finem Psalmus David.* Quod sic exponitur: Psalmus David, id est Christi respicientis in finem, id est in perfectam sui consummationem, post mortem futuram; vel in finem, id est in perfectam suorum consummationem in die judicii futuram, « quando erit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* xv, 28). » Orat in hoc psalmo Dominicus homo de resurrectione, et deprecatur ut Deus eripiat se a timore inimici. Agit quoque de occulta et de manifesta inimicorum persecutione; de resurrectionis exaltatione, et inimicorum inefficacitate, et postea de operum Dei quæ per prædicatores fiet annuntiatione, et de justorum in futuro lætitia ac laudatione, quando ditabuntur æterna remuneratione.

Exaudi, Deus, orationem meam, ut me resuscites, et *eripe a timore inimici*, Judaici populi, *animam meam*, ne cadat in eorum conformitatem, *cum* ego *deprecor* te. Quod est dicere: Tunc *eripe, cum* ego *deprecor* assidue, scilicet, sicut hoc ego assidue deprecor; enuntiat autem illud futurum esse quod oravit, cum addit: Dico *eripe*, et ita facies. *Protexisti me*, id est proteges me, *a conventu malignantium* Judæorum, id est ut non cedam eis timore, cum in me insurgent malignis verbis, et non solum me proteges a timore eorum, cum malignis verbis insurgent in me, accusando et detrahendo, sed etiam proteges me *a multitudine operantium iniquitatem*, id est proteges me faciendo constantem, ne pro timore cedam multitudini, id est conventui Judæorum operantium mortem meam antonomastice iniquitatem. Quod est dicere: Neque cum malignantes erunt, timebo eos, neque cum erunt iniquitatem operantes. Ne vero excusentur ab iniquitatis operatione, cum eum neque manibus neque armis occiderint, adjungit: Vere operabuntur mortem meam, et si non armis et manibus, quia *exacuerunt*, id est exacuent, *linguas suas et gladium*. Quod est dicere: Adaptabunt verba linguarum suarum, ut efficacia sint ad me in mortem trahendum, dicendo: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* xix, 12), » et cætera talia, per quæ cogent Pilatum qui me quæret dimittere, ut crucifigat, a similitudine gladii, qui exacuitur ut efficacior sit ad interficiendum. Et priusquam exacuant linguam, *intenderunt arcum*, id est intantam faciant deceptionem suam, ut blande loquendo capiant me in sermone, improvidum et incautum, et sic tradant ministris Cæsaris ad damnandum, vel accusent de legis prævericatione. Interrogabunt enim me quasi magistrum: « Licet censum dare Cæsari, an non? » (*Matth.* xxii, 17) ut si dixero non esse dandum, ministris Romanis tradant me, utpote tributi Cæsarei prohibitorem; si vero esse dandum asseruero, legis mihi prævaricationem imponant, injustum judicem me vocando, qui eos Dei cultui subditos, regi Romano deservire judicavero. Et hoc est quod obscure ponit æqui pollentur; intendent *arcum*, *amaram rem* scilicet, et si dulcis videatur, id est deceptoria verba parabunt, quæ et si videantur dulcia, erunt tamen amarissima, *ut sagittent immaculatum*, id est, lædant me insontem, sicut ille læditur, qui sagittatur. Et hoc *in occultis* faciant, id est, sic sagittent, ut occultum mihi sit, ne cavere valeam. Notandum quod *gladium*, id est apertam eorum persecutionem, non dicit esse *rem amaram*, quia constat; *arcum* vero qui res 224 dulcis videtur, *rem amaram* vocat: postquam autem intenderint *arcum, subito sagittabunt eum* immaculatum, quantum ad opinionem eorum, id est, certi esse putabunt quod revera me *sagittabunt*, et hoc *subito*, id est ex improviso, quod nesciam cavere: *et non timebunt* me sagittare, cum hoc valde timere deberent pro doctrina sancta mea, quam audient, et

www.libtool.com.cn

pro miraculis et operibus meis bonis, quæ frequenter aspicient. Et cum me sagittare nequiverint, *firmaverunt*, id est firme et constanter proferent, *sermonem nequam*, dicendo: «Crucifige (*Luc.* XXIII, 21),» et hoc *sibi*, id est ad incommodum et destructionem sui, quia hujusce rei gratia destruentur. Vel sic: Postquam exacuerint *linguas*, firme et constanter proferent ad incommodum suum *sermonem nequam* dicendo: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Dico quod intendent *arcum ut sagittent*, et me sagittare putabunt, et postquam sagittatio eorum inefficax erit, *narraverunt*, etc. Vel sic continuatur, ut expositio non mutetur: Dico quod firmabunt *sibi sermonem nequam*, scilicet. « Sanguis ejus, » etc.; prius vero quam firment *narraverunt*, id est narrabunt in dispositione sua, *ut absconderent laqueos*, id est, ut absconditam mortem mihi parent, qua me detineant, ne mundus mihi subjiciatur, et ne refugiam a similitudine volucris, quæ laqueis detinetur ne evadat, et *dixerunt*, id est dicent, secum cogitando: *Quis videbit eos*, id est laqueos, id est, quis cognoscet nos, operatos esse mortem ejus? nullus; ac si diceret: Disponent in cogitationibus suis ut latenter parent mihi mortem, tradendo me per discipulum, et interficiendo me per Romanos milites, et putabunt quod nullus existimet eos hujusce rei culpam habere, cum nihil manibus agent. Unde eos dixisse legitur (AUG. *in hunc Psal.*): « Omnia faciamus sic, ut nihil fecisse videamur, » et has iniquitates, id est *ut laqueos* absconderent, scilicet ut me per discipulum meum tradant, per milites Romanos interficiant, *scrutati sunt*, id est investigabunt quomodo possint efficere, et frustra, nam *scrutantes* hæc *scrutinio*, id est cum summa et diligenti scrutatione, *defecerunt*, id est hæc efficere nequibunt, ut hujusce rei non appareant esse rei. Dico quod disponent parare mihi *laqueos*, id est absconditam mortem, quasi præsciendo vellem eam effugere, sed non oporteret ad hoc eos laborare. Nam ad mortem sponte *accedet homo*, id est, ego, quem simplicem hominem opinantur, accedam sponte *ad* mortem in hoc quod homo sum, et hanc accessionem faciet *cor altum*, id est alta et investigabilis dispositio sapientiæ meæ. Summum enim mysterium hoc est, quare potius homines morte sua redimere voluit, cum eosdem potentiæ suæ imperio salvare potuerit, quod equidem conveniens fuit, ut eo scilicet mortali facto, cum a diabolo in morte sua instigante injuste invaderetur, idem diabolus humani generis potestate, quam jure obtinebat, juste privaretur

Dico quod homo accedet ad mortem, *et* sic *exaltabitur Deus*, id est, exaltabor resurgendo et cœlos ascendendo, et tunc apparebo etiam Deus, qui non videor homo purus: Oportet enim pati Christum, et ita intrare in gloriam (*Luc.* XXIV, 26); et vere exaltabitur resurgendo, nam *plagæ eorum*, quibus me ducent ad mortem, *factæ sunt sagittæ parvulorum*, id est fient comparabiles sagittis parvulorum, quia sicut illæ cum fragiles sint, de ligno vel de aliqua fragili materia factæ, parum lædunt, et earum læsio si aliqua est, citissime sanatur; ita et eorum plagæ parvo tempore lædentes, brevi tempore sanabuntur; quoniam post tres dies resurgam (*Matth.* XXVII, 63), et postquam exaltabor, *linguæ earum infirmatæ sunt*, et hoc *contra eos*, quod est dicere: Hæc verba quæ de me mentientur, fingendo non resurrexisse, sed corpus meum a discipulis furatum fuisse, infirma apparebunt et falsa: et quæ etiam *contra eos* erunt, id est idonea ad eos 225 mendaces esse comprobandum. Si enim, ut asserunt, custodes, cum furatum corpus fuerit, dormierunt, unde furatum esse cognoverunt? Dico quod infirmabuntur linguæ eorum, *et omnes qui videbant*, id est qui videbunt eos infirmatos, non solum exteriori sed et interiori visione, sua ratione *conturbati sunt*, id est conturbabuntur bona conturbatione, timendo pœnam, quia in morte ejus consenserunt: *et* post conturbationem, id est post timorem servilem, *timuit omnis homo*, id est timebunt eum timore casto omnes illi conturbati, qui erunt homines, id est ratione non carentes, sicut multi qui irrationabiles existentes, neque conturbabuntur neque timebunt: *et* timentes facti, *annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt*; hoc sic præposterate legitur: Postquam timentes erunt, id est diligentes, intelligent facta Dei, id est, intelligent mortem, et resurrectionem, et ascensionem, et cætera opera mea esse facta dispositione pietatis Dei, non casu; et intelligendo, annuntiabunt ipsa opera Dei.

Dico quod ipsi conturbabuntur; *justus autem* quisque *lætabitur in Domino*, id est, discipuli mei qui justi sunt, lætabuntur in exaltatione Domini mei, *et sperabit in eo*, id est spem firmam ponet in eo qui potens erit eum in futuro beatificare, et qui potens erit se post diem tertium suscitare, quod prius ab ipsis justis discipulis quibusdam dubitabitur, an sit videlicet potens resuscitandi se, ideoque in ipso Domino, in me scilicet, non audebunt firmiter sperare. Unde dubitando dixisse leguntur: « Nos putabamus quod hic redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21). » Dico, juste lætabuntur in exaltatione scilicet Domini mei, et in futuro *laudabuntur omnes recti corde*, id est laudabiles apparebunt justi *recti corde*, cum gloriosi et impassibiles efficientur. Possunt autem hi tres versus de apostolis sic legi, ut sic continuentur: Dixi quod abscondent laqueos et intendent arcum ad sagittandum me, et omnes discipuli mei ratione utentes, ut homines timebunt pœnam ipsorum Judæorum, quam excæcati timere nescient, et timendo annuntiabunt eis opera Dei, ut convertantur, id est annuntiabunt opera mortis et resurrectionis, et miraculorum meorum facta fuisse dispositione Dei, *et facta ejus intellexerunt*, id est intelligere facient ipsos Judæos quosdam salvandos, qui nunc intelligere negligunt; *Justus* autem *lætabitur in Domino, et sperabit in eo*: hoc autem pluraliter legendum est et exponendum, ut in supradicta sententia, et sic continuatur: Dico quod justi qui vide-

www.libtool.com.cn

bunt eos excæcatos, discipuli mei scilicet, conturbabuntur, id est contristabuntur de excæcatione eorum, qui tamen justi lætabuntur *in Domino*, id est in exaltatione Domini, scilicet mei, et sperabunt *in eo*, id est firmam spem in me habebunt, quia potero eos in futuro renumerare, cum potens sim me resuscitare. Unde prius dubitaverunt, ut jam supra diximus, *et* in futuro *laudabuntur omnes recti corde*: hoc non mutatur.

IN PSALMUM LXIV.

Titulus sexagesimi quarti: *In finem, Psalmus David, canticum Jeremiæ et Aggei, de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci.* In hoc titulo videtur innui psalmum istum juxta similitudinem historiæ, de reditu peregrinationis Judæorum de Babylonia compositum esse: quam peregrinationem Jeremias et Aggeus spiritu prophetico, et ipsius peregrinationis reditum prædixerunt. Aggeus quoque in ipsa peregrinatione et reditu fuit. Cæterum, an ex hujus historiæ consideratione Psalmista psalmum istum ediderit, dubitatur : manisfestum enim est longe post ipsius tempus historiam istam contigisse; possibile tamen fuit ut qui multa Spiritu sancto præviderat, istum quoque peregrinationis 226 reditum prævidisset, per quem peregrinationis totius generis humani reditus ad Jerusalem cœlestem præsignabatur : et hac tali consideratione de hoc totius generis humani reditu in hoc psalmo egisset. Esdras autem scriba, qui Psalmis titulos asseritur adaptasse, qui post Babylonicæ peregrinationis reditum fuit, videns in Spiritu sancto hujus historiæ similitudinem ad præsentis psalmi negotium posse attinere, juxta historiam titulum adaptavit. Qui sic exponitur : *Psalmus* iste est *David* prophetæ respicientis *in finem* mundi, quando ad cœlestem patriam omnium fidelium reditus erit, vel respicientis *in finem* id est in perfectam et consummatam beatitudinem, in qua fideles ad patriam cœlestem de hac miseriarum convalle reversi restituentur ; vel *in finem*, id est in finem sæculorum, in sextam ætatem scilicet quæ ab Apostolo finis sæculorum dicitur (*I Cor.* x, 11) : in qua gentium plenitudo de infidelitate sua ad Dei notitiam et cultum reversura est, vel *in finem*, id est in Christum per quem ad patriam redeundi facultas nobis conceditur : et est ipse psalmus, *canticum Jeremiæ et Aggei*, id est delectatio et jucunditas maxima omnium fidelium bene vivendo, exspectantium æternæ vitæ reditum quem futurum esse prævident, quem etiam quandoque assequentur Qui nimirum fideles per Jeremiam et Aggeum convenienter accipiuntur. Jeremias quippe *excelsus Domini* interpretatur : Aggeus vero *festivus* sive *solemnis*; fideles autem jam in Domini contemplatione excelsi, quorum « conversatio, ut ait Apostolus, in cœlis est (*Philipp*, III, 20), » merito excelsi Domini dicuntur, in perfectione virtutum jam a Domino sublimati. Bene etiam solemnes nuncupantur et festivi, cum, omni temporalium bonorum sollicitudine postposita, solummodo solemnibus et festivis cœlestibus gaudiis intuitu suæ contemplationis immorentur.

Dico quod iste psalmus est *canticum Jeremiæ, et Aggei*, agens *de verbo peregrinationis : de verbo* scilicet, id est de cogitatione Adæ et Evæ, qui cogitando in corde dixerunt : « Erimus sicut dii (*Gen.* III, 5), » si pomum a Deo vetitum comederimus; quod verbum fuit causa peregrinationis totius generis humani, et duplicis quidem peregrinationis. Peregrinabamur enim a Domino propter verbum istud, dum ab ejus fide et contemplatione et virtutum perfectione, ante Christi mortem, qua redempti sumus, alienabamur. Peregrinamur etiam nunc post redemptionem, dum mortales et passibiles illius verbi gratia existens a divina præsentia angelorum consortio dividimur. De hoc autem verbo breviter in hoc psalmo agitur : ubi dicit, *verba iniquorum prævaluerunt super nos*, et etiam agit iste psalmus de hoc, *quando incipiebant proficisci*, id est, quando et per quem incipient redire de peregrinatione, et in patriam proficisci, cum dicit : *Beatus quem elegisti*, et cætera usque in finem psalmi. Quod est dicere : De duplici reditu hujus peregrinationis duplicis agit, et quando et per quem uterque reditus incipiet. Et sciendum quod reditus uterque per Christum : *unus* quidem usque in finem mundi duraturus, in tempore incipit ; quando genus humanum, quod antea peccatorum suorum et originalium et actualium mole maxima gravatum erat, eorumdem peccatorum per Christi mortem indulgentia percepta, ad fidem Dei, et contemplationem et virtutum perfectionem quam per supradictum verbum amiserat, redire cœpit usque in finem mundi de generatione in generationem semper rediturum. *Secundus* autem in die judicii incipiet et perficietur per ejusdem mortis Christi redemptionem, quando omnis peccati pœna, id est, mortalitate et passibilitate et omni imperfectione in nobis absumpta, immortales et impassibiles effecti, et perfectam Dei naturam habentes, ad æternam patriam redibimus, ibi feliciter sine fine mansuri. De primo vero reditu agit Propheta, qui in hoc psalmo loquitur, ab eo loco ubi dicitur : *Beatus quem elegisti*, usque ad illum locum ubi habetur : *Benedices* ; et ostendit per quem et quibus ministris et quomodo fiet. De secundo autem egit ubi dicit : *Benedices*, et cætera usque in finem psalmi. 227 Orat etiam ut Ecclesia ex omni populo constituatur, quæ sic reditura est. Orat autem et pro reditu, ut fiat, cum dicit : *Exaudi nos, Deus*, et se etiam Ecclesiæ fidelibus adjungit cum dicit : *Exaudi nos*, licet adhuc illis futuris : et merito, cum ipse jam et si ante temporaliter existens, Ecclesiæ tamen membrum fide esset : hunc itaque tractatum ad utilitatem omnium et jam conversorum, et adhuc convertendorum facit, ut conversos scilicet, qui jam primum reditum attigerunt, ad secundum reditum magis et magis invitet; convertendos autem ad utrumque reditum eliciat,

www.libtool.com.cn

cum autem erat de hoc reditu, dat nobis orandi exemplum.

Te decet hymnus, Deus, in Sion, id est in Ecclesia quæ Sion erit specula terrena, erit *hymnus*, id est laus, talis, qua te, Deus Verbum, *decet*, id est decebit. Quod est dicere : Ecclesia a te constituenda laudabit te decenti laude, scilicet fide, voce, opere et devotione. Quod Synagoga non facit, dum carnalibus observationibus plus nimio immoratur et confidit, *et in Jerusalem* cælesti, *reddetur tibi votum*, id est persolvetur tibi perfecta laus omni voto et omni desiderio ab eadem Sion, quando ipsa ad Jerusalem reversa, de qua per Adam cecidit, sine fine beatificabitur. Reddere votum a similitudine ponitur; sicut enim reddere votum perfectius bonum est quam vovere, cum utrumque sit bonum; ita laus illa quæ in Jerusalem cælesti persolvetur a fidelibus, perfectior erit laude hac, quæ in præsenti sæculo fit, fide, voce, opere et devotione. Licet hæc laus sancta sit et Deo grata, hic enim etsi a fidelibus ita laudetur, in aliquo tamen ab eisdem offenditur, dum saltem aliquod peccatum veniale committitur. In futuro vero adeo perfecte intensa devotione laudabitur, ut nullatenus offendatur. Nullus enim tunc peccandi erit affectus, et quandoquidem Sion te decenter laudatura est : *exaudi, Deus* Verbum, *orationem meam*, pro ea factam, ut eam Sion constituas. Quia vera posuerat *Sion*, et per hanc vocem solet sæpe plebs Judaica designari ; ne ex Judæis solummodo crederetur Ecclesia esse constituenda, addit : Dico quod *te decet hymnus in Sion* et hæc Sion non ex solis Judæis constituetur, sed *ad te veniet* per fidem *omnis caro*, id est omnismodi homines et Judæi, et gentiles, et pauperes, et divites, qui nunc caro sunt, id est carnales, carni scilicet pœnitus obedientes. Ex quibus constitues Sion. Quia vero dicenda : *Ad te omnis caro veniet*, dabatur intelligi quod a Deo caro recessisset, ostendit quomodo a Deo recesserit addendo, sic : Vere *ad te veniet*, a quo per *verba iniquorum*, Adæ scilicet et Evæ, recessit; nam verba, id est pravæ cogitationes, quæ fuerunt verba cordis iniquorum, a Deo apostatantium, cum cogitaverunt : « Erimus sicut dii (*Gen* III, 5), » *prævaluerunt super nos*, id est prævaluerunt nobis. Quod est dicere : Adeo fuerunt efficacia ut non solum Adam et Evam, sed etiam nos omnes et Judæos et gentes in mortem detruderent. Omnes enim iniquitatis eorum, quam in pomi comestione commiserunt, participes effecti sumus. Unde apostolus : « Per unum hominem peccatum introivit in mundum, et per peccatum mors, et sic in omnes pertransiit (*Rom.* III, 12). » Ne vero putaretur quod per se caro ad Deum pervenire sufficeret, additur : Dico quod *verba prævaluerunt super nos, et tu* Deum Verbum, *propitiaberis impietatibus nostris*, et est non ex meritis nostris, sed ex propitiatione tua nostras et actuales et veniales impietates delebis, et sic ad te qui vera vita es (*Joan.* XIV, 6), veniemus. Cum dicit : *Verba iniquorum prævaluerunt super nos*, æquipollens est ac si diceret : Ad hoc *prævaluerunt* ut essent *super nos*, id est opprimerent nos, a similitudine rei, quæ ab aliquo gravi pondere supercadenti vehementer opprimitur. Ostendit autem per quem propitiabitur, sic : Et hoc facies per quemdam omnino *beatum*, Dominum Jesum scilicet, qui immunis a peccato futurue est, *quem tu eliges* 228 ex omnibus hominibus præ cæteris fidelibus dignum et egregium. Juxta quod in Canticis de eo sponsa Ecclesia dicit : « Dilectus meus candidus et rubicundus ex millibus electus. (*Cant.* V, 10). » Et *assumes eum*, id est tibi personaliter unies, juxta quod et Athanasius testatur; « Deus et homo unus est Christus (*Athanas. in Symbolo*). » Et ille beatus *inhabitabit in atriis tuis*, id est in amplitudine dilectionis tuæ, et bonæ operationis. Quod est dicere : Perfectissimus erit in omni charitate et bona operatione. Atrium dicitur aula amplissima, quæ intra domos nobilium est, ideoque pro amplitudine ponitur, vel, *inhabitabit* post resurrectionem suam *in atriis tuis* cœlestibus, id est in cœlis quos ascendet, ut nos ad se trahat. Juxta quod idem in Evangelio asserit. « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 32); » et iterum « Ubi ego sum, illic et minister meus erit (*Ibid.* 26). » Et hoc extra librum adaptatur, sed ex sequentibus notatur, cum sic additur : Vere per beatum *propitiaberis*.

Beatus enim quidem futurus est *quem elegisti*, id est quem eliges *et assumpsisti*, id est assumes, et ipse *inhabitabit in atriis tuis*, et postquam propitiatus fueris impietatibus nostris, delendo eas, *replebimur bonis domus tuæ*, existendo in bonis ipsis id est in corpore et in anima, *replebimur bonis* Dominici hominis, qui erit domus tua in qua habitabis. Et per ipsum beatum replebimur illis bonis. Cum dicit *replebimur bonis*, per emphasim ostendit quod valde replebimur illis bonis, a similitudine illius qui, cum sit in aqua vel in aliqua tali re, repletur interius ipsa aqua. Quod est dicere : Valde replebimur ipsis bonis et exterius in corpore, et interius in anima per ipsum beatum. Et exponit partem ipsorum bonorum sic : Vere bona habebit domus tua, nam *sanctum est*, id est erit, *templum tuum*, id est ille beatus, qui domus et templum tuum erit, omni sanctitate plenus erit, et non parum sanctum erit ;] sed *mirabile* erit in *æquitate* sanctitatis suæ, id est adeo æquus erit et sanctus Dominicus homo, quod mirabilis omnibus erit : qua sanctitate et æquitate per eum replebimur ; scilicet ut sancti et in cogitatione et in operatione efficiamur, licet non adeo ut ipse. Orat autem ipsum Deum Verbum, ut propitietur impietatibus ipsius, qui tanto ante tempore existit per fidem Domini Jesu, quam jam habet : et impietatibus eorum propitietur, qui in tempore plenitudinis fideles erunt, et eos sanctificet, et ipsum ab actualibus peccatis exemptum, in opere et devotione augmentet, et in tempore plenitudinis eum licet jam mortuum in corpore, tamen emundatum ad

www.libtool.com.cn

æternam patriam reducat; fideles autem vel in tempore plenitudinis futuros, et ab actualibus et originali expiet, et in opere et devotione sanctificatos, ad æternam patriam inducat, et hoc sic dicit : Dico quod *propitiaberis* nobis, et replebis bonis per beatum illum, et ut hoc sit, *exaudi nos, Deus* Verbum *salutaris noster*, id est salvator noster futurus per ipsum me, scilicet, exaudi nunc de propitiatione et repletione orantem, et fideles futuros te de hac eadem re quandoque oraturos. Tu, dico, qui eris *spes* salutis *omnium finium terræ*, id est omnismodi hominum et Judæorum et gentilium, existentium in omnibus finibus terræ : *et* ut plus dicam, *spes* eris *omnium in mari longe* positorum, id est in insulis marinis, quæ *longe in mari* positæ sunt. Quod est dicere : Spes eris salutis omnium et in terra, et in mari habitantium.

Unde legitur : Veniens evangelizavit pacem his qui longe sunt, et his qui prope (*Ephes.* II, 17); vel sic : *Spes* eris salutis *omnium finium terræ*, id est jam omnium finientium in se terrenitatem fidelium, scilicet ex Judæis, qui jam ejus notitiam et fidem ante ejus adventum adepti sunt, et in futuro *spes* eris *in mari longe* positorum, id est infidelium, qui adhuc longe, id est valdesunt in amaricatione infidelitatis suæ; qui ad te convertentur tempore Dominici hominis. Mare congrue pro amaricatione ponitur, quia res amarissima 229 est. Ostendit autem ipsorum positorum in mari conversionem et salvationem per apostolos, quos Deus præparabit, faciens eos *montes*, id est in vita sublimes, et hoc sic dicit : Dico quod *spes* eris *omnium finium terræ, et in mari longe*, et tu eris, *præparans montes*, id est apostolus, *in virtute tua*, id est in constantia prædicationis, et in omnibus virtutibus, quas eis dabis : et eris *accinctus potentia*, id est ipsis apostolis potentibus in miraculis, qui erunt emphatice potentia tua, circumvallatus, a similitudine strenui ducis, qui militibus suis accingitur. id est circumvallatur, ut per eos inimicos suos expugnet. Quod est dicere : Præparabis eos, ut sint in beneplacentia et obedientia tua, *qui conturbas profundum maris*, id est conturbatis per prædicationem et eorum bona conturbatione illos qui profundi sunt in mari, id est in infidelitatis amaricatione, gentiles scilicet : et postquam conturbaveris secundum hoc quod sunt mare, conturbabis etiam *sonitum fluctuum ejus* maris, id est contradictionem et persecutionem illorum, qui propter amaricationem infidelitatis erunt fluctus, id est exundantes contra tuos in tribulationibus ad modum fluctuum exundantium. Quod est dicere : Postquam eorum infidelitatem destruxeris, destrues etiam eos in hoc ne tuis ulterius contradicant, et eos persequantur. Digne quippe eorum contradictiones sonus dicuntur, eo quod cum magno sono factæ sunt. Repetit autem quod posuit, *conturbas profundum maris*. ut addat *turbabuntur*, inquam, *gentes*, quæ sunt profundum maris : ut timeant de peccatis suis servili timore scilicet, et post *timebunt* te timore casto, id est diligent te, et hoc quod turbabuntur, continget *a signis tuis*, id est miraculis prædicatorum.

Postquam autem *conturbabuntur et timebunt, delectabis*, id est delectabiles facies in eis, *exitus matutini* in vesperum, id est exitus prosperitatis in adversitatem, et exitus *vespere* in matutinum, id est exitus adversitatis in prosperitatem. Quod est dicere : Sic facies eos exire de adversitate in prosperitatem, et de prosperitate in adversitatem, ut nec adversitate frangantur, nec prosperitate extollantur, et in talibus exitibus delectaberis. Mane quidem quia vespera clarius est, pro prosperitate ponitur. Vespera vero, quia mane obscurior, pro adversitate. Per hoc autem ostendit eos perfectissimos futuros, cum tales exitus solummodo perfectissimorum sint, et per hoc *delectabis* in gentibus *exitus matutini et vespere* : Quod *visitasti terram* omnem scilicet, id est visitabis et gentes et Judæos qui terreni sunt, et hoc modo, scilicet quod *inebriasti eam*, id est replebis eam Spiritu sancto qui non permittet post eam sentire, vel prospera ut elevetur; vel adversa, ut frangatur; ad modum vini, quod ex magna parte sensum aufert illi quem inebriat. Quod est dicere : Terram visitabis, sit ut eam repleas gratia spiritali, et non simplici gratia: sed *multiplicasti*, id est multiplicabis, *locupletare eam*, terram, id est multipliciter locupletabis eam a diversis donis sancti Spiritus. Juxta illud Joelis prophetæ : « Effundam de spiritu meo super omnem terram (*Joel.* II, 28). » Diceret aliquis : Suntne multiplices locupletationes gratiæ spiritalis ? Ad hoc sequitur responsio, sic : Vere multipliciter locupletare poteris eam gratia Spiritus sancti ; nam *flumen Dei repletum est aquis*, id est Spiritus sanctus qui dicitur flumen, eo quod fideles refrigeret et satiet ad modum fluminis, repletus est aquis, id est multis donis diversis, quibus fideles potantur sicut aqua, ex ipso flumine *parasti*, id est parabis, *cibum illorum*, quo in anima satientur. Quod est dicere : Ipsum flumen facies esse cibum illorum, qui cibus est panis vitæ et intellectus : *quoniam ita est præparatio ejus*, cibi, id est præparatur ita, per te scilicet. Quod est dicere : Necesse est ut tu eis cibum præpares, quoniam aliter non posset præparari Orat vero ut quod nuntiavit, futurum sic contingat. Cum addit, dixi quod inebriabis terram, et sic fiat, Deus, *rivos ejus*, terræ 230 *inebria*. In alia translatione habetur, *sulcos ejus*, etc., et bene, quod in hac translatione *rivos* pro sulcis ponit, eo quod rivorum sulci obtineant similitudinem, cum ad modum rivorum ripas habere videantur. Dico *rivos ejus* terræ *inebria*, id est reple gratia spiritali corda illius terræ, scissa et sulcata vomere prædicationis, id est aperta ad prædicationem recipiendam, quæ prius clausa erat per infidelitatem, ad modum terræ quæ ad hoc scinditur, sulcatur, vomere aperitur, ut semen suscipiat, et inebriando sulcos ejus, *multiplica genimina ejus*, id est multa da illi genimina : multos

www.libtool.com.cn

scilicet successores filios spiritales, de doctrina et ejus fide germinantes: et si hoc feceris, *germinans* quisque *lætabitur in stillicidiis ejus*, fluminis, suscipiendis, id est lætanter suscipient genimina ejus terræ, stillicidia ejus fluminis, id est doctrinas quæ ab eo stillabunt: vel sic possent hi tres versus legi: *Exitus matutini et vespere delectabis* in gentibus; et per hoc *delectabis*, quia *visitasti terram*, id est gentes solummodo, *et* sic visitasti quod *inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam* hæc mutantur.

Ostendit autem quo ordine visitabit terram, sic: Dico quod visitabis terram, et hoc facies per flumen, id est per primitivam Ecclesiam de Judæis, quæ dicitur flumen, eo quod ex ea prædicatores procedent, sicut de flumine rivi procedunt. Nam illud *flumen Dei repletum est*, id est replebitur, *aquis*, id est multos habebit prædicatores, qui dicuntur aquæ, eo quod alios ad modum aquarum doctrina sua potent. Et tu, Deus, *parasti cibum illorum*, id est parabis cibum illi flumini, dabis scilicet ei Spiritum sanctum, qui erit ei cibus, id est panis vitæ et intellectus. Non incongrue vero *illorum* refertur ad flumen, quoniam et si in litteratura singulare, in sensu tamen est plurale. Dico quod parabis cibum illorum, *quoniam ita est*, id est erit, *præparatio ejus*, cibi, id est aliter præparari non posset. Orat autem pro ipsis prædicatoribus, cum addit: Dico quod *flumen Dei* replebitur *aquis*, id est prædicatoribus, et tu, Deus, *rivos ejus inebria* gratia spiritali, prædicatores scilicet qui ex flumine prodeunt ut rivi, et per rivos inebriatos *multiplica genimina ejus* fluminis, id est multos fac germinare filios de rivis ejus fluminis. Quod est dicere: Multos de incredulis in Judæa fac germinare in fide de generatione in generationem, per prædicationem rivorum; et si rivos inebriaveris, *in stillicidiis ejus* fluminis, id est in doctrinis quæ stillabunt a rivis fluminis, *lætabitur germinans*, id est gentilis populus in fide germinans. Quod est dicere: Non solum Judæorum populum germinare facient, sed etiam gentilem. Et hoc totum est, ac si breviter diceret: Hoc ordine visitabis terram, gentes scilicet, quod prius Ecclesiam primitivam de Judæis constitues, quæ multos habitura est prædicatores, per quos terra id est populus gentilis, germinabit in fide et inebriabitur.

Ostenso primo peregrinationis reditu, secundum ostendere intendit, sic: Dixi quod terram visitabis et inebriabis per rivos fluminis, et hoc scilicet, facies in hoc mundo: in sexta videlicet ætate; in futuro autem *benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, id est, exaltabis in cœlesti gloria universalem Ecclesiam tuam, et ex Judæis et ex gentibus, quæ erit corona *anni benignitatis tuæ*, id est multitudo redempta in anno benignitatis, id est in tempore passionis tuæ. In quo benigne ages cum humano genere. Coronam enim, multitudinem circumastantium dicere consuevimus. Ideo digne pro multitudine ponitur fidelium, qui in æterna gloria præsentiæ Domini Jesu circum astabunt vel corona pro victoribus ponitur, cum victores caronis sæpius honorentur; et sic exponitur: *benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, id est gloria sublimabis victores salvandos in anno benignitatis tuæ, omnes scilicet fideles, qui hunc mundum bene vivendo devincent. Cum dicit: *Benedices coronæ*, de universa Ecclesia agit.

231 Quod etiam per partes exponitur, sic: Dico quod *benedices coronæ*, ita scilicet, quod *et campi tui*, qui erunt pars illius coronæ, scilicet fideles Judæi qui dicuntur campi, eo quod jam habentes Dei notitiam habiliores fuerunt quam gentes ad doctrinæ semen recipiendum: sicut campi habiliores sunt quam montuosa terra ad semen suscipiendum *replebuntur*, in futuro, *ubertate* beatitudinis æternæ et in anima et in corpore. Et *speciosa deserti*, quæ sunt alia pars coronæ, id est gentes, quæ ex hoc quod prius desertum erant, scilicet, lege et Dei notitia carentes, speciosæ factæ sunt in fide et in omni virtutum et bonorum operum perfectione, *pinguescent*, id est replebuntur eadem et gaudebunt ubertate qua et campi. Pinguescere dicit a similitudine divitis, qui omnibus divitiis repletus, pinguescit, et gaudet in eis. Quæ vero et *deserti speciosa* et *campi* habent etiam suas partes: prælatos scilicet, qui colles dicuntur, eo quod aliis præsunt ut colles vallibus, et subjectos dictos valles, quia prælatis subjiciuntur sicut valles collibus, et insuper majores et altiores prælatos, qui omnium et collium et vallium duces sunt, sicut arietes et ovium et agnorum duces existunt. Ostendit autem per partes quam ubertatem habebunt et *campi et speciosa deserti*, cum sic subjungit: Dico quod *campi replebuntur ubertate, et speciosa deserti pinguescent*; et sic erit. Nam *et colles*, id est minores prælati et camporum et deserti, *accingentur*, id est replebuntur et circumvallabuntur et in corpore et in anima, *exsultatione* beatitudinis æternæ, a similitudine illius qui re aliqua accingitur, id est totus circumdatur, et *arietes*, id est majores prælati, ovium duces, id est minorum, *induti sunt*, id est induentur eadem exsultatione, qua et colles, id est et in anima et in corpore replebuntur. Hoc autem dictum est per emphasim, a similitudine alicujus corporis, quod vestibus quibus indutum est cooperitur et circumdatur: *et valles*, id est subditi et collibus et arietibus, *abundabunt frumento*, id est beatitudine præsentiæ Christi qua pascentur spiritaliter et in anima et in corpore, ad modum frumenti quod magis egregium est cæteris messibus ad pascendum. Dicitur etiam frumentum Dominus Jesus, qui nos pane doctrinæ suæ satiat. De quo legitur: « Nisi granum frumenti (*Joan.* XII, 24), » etc.; *et* ipsæ *valles* quæ *abundabunt, frumento clamabunt*, et ostendit hoc a parte clamoris; sic vere *clamabunt, et enim hymnum dicent* Deo, id est laudem non ore, sed intarioris devotionis intensione.

IN PSALMUM LXV.

Titulus sexagesimi quinti, *In finem canticum psalmi resurrectionis*. Quod sic exponitur: In hoc tractatu continetur *canticum* id est jucunda remu-

www.libtool.com.cn

neratio, *psalmi*, id est bonæ operationis, quod canticum est resurrectionis, tendentis *in finem*, id est in perfectam et incommutabilem consummationem. Quod est dicere : Hic agitur de jucunda remuneratione, quæ dabitur fidelibus pro bona devotione et operatione, in illa perfecta et consummata resurrectione, in die judicii futura, de qua remuneratione agit breviter : ubi dicit ; *Eduxisti nos in refrigerium*, et cætera usque ad, *venite et narrabo*. Agit etiam secundum unam sententiam de ea, ubi ponit, *in flumine pertransibunt*, et cætera usque ad, *qui dominatur*. Introducuntur autem apostoli in hoc psalmo, invitantes omnes gentes jam conversas, ad Dei laudem, contuitu æternæ remunerationis ; ut autem Deum in humilitate laudent, considerare hortantur ejus opera terribilia, quod electos repudiat, Judæos scilicet, et repudiatos gentiles elegit, in quo utroque opere terribilis esse perpenditur. Cum enim electos repudiet, timendum est, ut et gentes si superbierint, abjiciat. Cum autem ipsas gentes sola gratia elegerit, ab eisdem valde, ne graviter offendatur, metuendum est ; ne offensus eas quibus clementer indulsit, gravius damnet. Agitur vero de repulsione Judæorum breviter ubi dicitur : *Mentientur tibi inimici tui* : de electione gentium, ubi ponitur, *qui convartit*, etc., usque ad *benedicite* : 232 pro quibus orant sui, ubi habetur *omnis terra*, etc., usque ad *venite*. Adhortantur quoque ad benedicendum Deum corde, opere et voce, et ne timeant timore pœnarum eum coram infidelibus benedicere ; et præferunt etiam constantiam suam, quam habent in multimodis tribulationibus : ut ipsæ gentes exemplo eorum efficiantur in tribulatione constantes : et hoc est in illo loco ubi dicit. *Benedicite* usque ad illum ubi habetur, *transivimus* : ubi incipit agere de remuneratione quam in futuro pro constantia sui accipient : ut eas gentes spe ejusdem remunerationis ad constantiam invitent. Ubi vero habetur : *Venite et narrabo*, etc., usque in finem psalmi, ostendunt beneficia jam sibi a Deo collata merito bonæ vitæ suæ : ut et gentibus quibus loquuntur innuant ista eadem sibi danda esse, si bene vivere perseveraverint, et sic ad bonam vitam invitent.

Jubilate Deo, omnis terra. Quod est dicere : Vos omnes gentes conversæ, quæ adhuc estis *terra* et cinis, id est mortales et terreni, nondum scilicet spiritales et immortales facti, etiam cum adhuc *terra* sitis, laudate Deum interiori jubilo mentis, quod nec voce nec scripto plane potest explicari, scilicet laudate eum intensa devotione, quia vero non sufficit solo jubilo laudare, *psalmum dicite nomini ejus*, id est bonum opus manifeste. Insistit non ad favorem hominum, sed ad laudem nominis ejus, « ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* v, 16) : » et sic dicendo *psalmum* scilicet *nomini ejus*, *date gloriam laudi ejus*, id est facite gloriosam laudem ejus, quam ei opere exhibebitis. Quod est dicere : Ideo *psalmum dicite nomini ejus*, ut hæc laus quam Deo reddetis, per psalmum sit gloriosa et Deo grata. Si enim ad humanum favorem psalmum diceretis, non esset utique gloriosa laus vestra. Unde Apostolus : « Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet ; nam si evangelizavero non est mihi gloria (*I Cor.* IX, 15, 16). » Vel sic : Dico *jubilate et psalmum dicite*, et sic *date gloriam laudi ejus*, id est facite gloriosam laudem ejus. Quod est dicere : Tunc gloriosa erit laus Dei, si eum et jubilo et psalmo laudaveritis. Solummodo vero jubilare, vel psalmum dicere non sufficeret ; et ut in humilitate jubiletis, et psalmum dicatis ; *Dicite Deo*, interiori dictu, id est ne de jubilo et de psalmo superbiatis, cogitate hoc vobiscum ad honorem Dei : O Deus, *quam terribilia sunt opera tua*, id est quantum possumus exterreri contuitu operum tuorum ! Et exponit partem ipsorum operum sic : Dico quod *terribilia sunt opera tua*. Et ecce hoc opus tibi est terribile quod disponis, scilicet, quod *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*. Quod est dicere : Judæos qui prius fuerunt amici, nunc mala vita sua facti sunt inimici, adeo permittis excæcacari et obdurari, quod et mentiti sunt et mentiuntur, et perseveranter *mentientur*. In consideratione multitudinis *virtutis tuæ*, scilicet cum considerant multipliciter potentiam tuam in resurrectione tua, et totius mundi subjugatione, et in miraculis quæ operatus es, et adhuc per tuos operaris, et contuitu illius deberent te laudare, et Deum esse confiteri. E contrario mentiuntur denegando te resurrexisse, et Deum esse, et *mentiuntur* perseveranter. Si vero a mendacio cessarent, tolerabile esset Bene vero ponit, non mentiuntur, sed *mentientur*, ut perseverantiam eorum in mendacio ostendat. Dico quod *mentientur*, et hoc tibi, id est ad tuum honorem continget. Nam propter tantam excæcationem eorum, continget quod *omnis terra*, id est omnis modi populus gentilis, *adorabit* te, qui adhuc *terra* est, id est terrenis intentus. Quod est dicere : Illis expulsis, gentilis populus venerabitur te fide et devotione, cognoscens te Creatorem et se reputans creaturam. Et sic sit Deus, *omnis terra adoret te, et* qui ad hoc non sufficeret, *psallat tibi*, et exponit istud tibi addendo, sic : scilicet *psalmum dicat nomini tuo*, id est 233 ad bonum opus manifeste insistat, ad honorem nominis tui, non ad extollentiam.

Adhortatur autem ipsas ad videndum non solum illud terribile opus, quo Judæos repellit, sed alia *terribilia* opera, scilicet quod easdem gentes gratuita pietate sibi acquirit, ut inde magis eum timeant, et hoc sic dicit : Ostendimus unum opus Dei terribile, hoc scilicet quod *inimici mentientur*. Et adhuc sunt alia *terribilia* contuitu quorum operum ut Deum timeatis, vos *venite*, gentes, et devotione et fide, id est præparate vos, *et* sic *videte* interiori visu rationis illa *opera* Domini existentis *terribilis in consiliis* habitis *super filios hominum*, id est in consiliis quæ exercet in gentibus, quæ filii dicuntur Adam et Evæ

www.libtool.com.cn

primorum hominum, secundum malæ vitæ conformitatem. Quod est dicere : Hoc quod valde *terribilis* est, apparet *in consiliis* ejus existentibus *super* homines, id est quibus dominatur hominibus, complendo in eis quidquid sibi placet : et hoc denotantur cum dicit *super*. Ostendit autem ipsa *opera terribilia* subdendo sic : Dico *videtete opera* Domini, quod Dominus *convertit mare in aridam*, id est gentes quæ amare fuerunt et diffluentes in vitia, ut *mare* amarum est et diffluum, *convertit in aridam* terram, id est ad hoc ut sint terra sua, quam excolat vomere prædicationis : et ut sint aridi, id est sitientes doctrinam, quam prius neglexerunt, ad modum terræ aridæ quæ aquam sitit. Non solum autem hoc beneficium impendet, ut convertat gentes *in aridam*: sed istud etiam quod ipse *in flumine* existentes *transibunt* illud flumen *pede*, id est per humilitatem in qua perseverabunt. Quod est dicere : Faciet eas transire flumen, in quo sunt *pede*, id est merito humilitatis suæ : vel *pede*, id est cum securitate : vel *pede*, id est velociter : flumen dicitur hoc mortale sæculum, eo quod ad modum fluminis cito fluat. Quod faciet eas transire reducendo ad immortalitatem, et hoc pro humilitate sua, et velociter post parvum tempus et secure, ut in discessu hujus vitæ non timeant pœnas ex conscientia delictorum, quibus prius emundabuntur. Pes pro humilitate ponitur, eo quod sit inferior pars corporis. Ponitur etiam pro velocitate, eo quod velocitas in pedibus hominis fundetur : ponitur quoque pro securitate, eo quod pedibus secure nitimur. Vel, *pertransibunt* flumen, id est contemnent affluentiam sæcularium bonorum, quæ dicitur flumen, eo quod cito fluat, et hoc facient *pede*, id est velociter, et in humilitate, ut non inde superbiant : et *ibi*, id est *in illo* transitu *lætabimur*, et nos apostoli et gentes pertranseuntes *in ipso* Deo, non contristabimur de amissione temporalium ; vel secundum sententiam priorem : *In ipso lætabimur*, id est in adeptione ipsius cum de hoc mundo pertransibimus.

In ipso dico *qui dominatur in æternum in virtute sua*, id est in potentia sibi congrua, non in virtute aliena : vel *in virtute sua*, id est in potentia resurrectionis. Quod est dicere : Per hoc Dominus effectus est, quia passus est et resurrexit. Juxta illud Apostoli : « Dedit illi nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II, 10). » Quod est dicere : Non frustra lætandum est in eo, cum ipse dominetur *in virtute sua in æternum*. Quia vero dixerat : *convertit mare in aridam*, ne gentes putarent se salvari meritis suis, addit sic : Dico *convertit mare*, id est gentes *in aridam*, et hoc non merito gentium, sed *oculi ejus* misericordiæ *respiciunt*, id est misericorditer *gentes* respicit ut salvet, a similitudine pii patroni, qui de sublimi solio imperii sui aliquem oppressum oculis pietatis suæ respicit, ut eum salvet. Faciunt autem apostropham ad conversos de Judæis, qui affirmabant nullos præter Judæos in fide recipiendos esse, dicentes Dominum Jesum pro Judæorum solummodo salute advenisse, et adhortantur ne insultent gentibus, quandoquidem *oculi* Domini *respiciunt super gentes*, et sic dicitur quandoquidem *oculi* Domini *respiciunt super gentes*, non *super* Judæos 234 tantum : *non exaltentur*, id est non superbiant amplius *in semetipsis*, id est in genere et in notitia sua : et hoc secundum quod sunt de genere Abrahæ, et Dei notitiam prius habuerunt. Illi *qui exasperant* pietatem Dei, quantum ad reputationem suam, non quantum ad Deum, qui in sua natura semper mitis est. Quod est dicere : In hoc eam reddunt asperam, quod solummodo judicant ipsam pietatem debere misereri Judæis, non etiam gentibus. Adhortantur autem gentes ad benedicendum Deum, sic : Ergo quia *oculi ejus respiciunt super* vos, *benedicite*, *gentes*, *Deum nostrum*, id est laudate omnimoda laude devotionis et operis. Cujus *oculi super* vos *respiciunt*, qui Deus est, et noster, id est homo nostræ naturæ existens, *et* non solum opere et devotione laudetis; sed *auditam facite vocem laudis ejus*, id est laudate eum manifeste, ut audiant alii et exemplo vestro laudem ejus. Sequitur :

Qui posuit animam meam ad vitam, ac si dicat : Si in laude persecutiones vobis ingruerint, nolite metu desistere a laude, sed patienter sustinete, ut per hoc ad vitam perveniatis, sicut et nos patienter sustinemus ut ad vitam perveniamus. Deus enim *posuit animam meam*, dicit Ecclesia apostolorum, id est humiliavit sensualitatem meam in tribulationibus, id est affligi permisit, et hoc *ad vitam* adipiscendam, id est ut per hoc vitam adipiscamur æternam. Ponere proprie dicimus, quando res de superiori loco sumpta, inferius mittitur. Ideoque convenienter pro humiliare ponere accipitur, et quamvis me *posuit*, *non* tamen *dedit in commotionem pedes meos*, id est non permisit in commotionem dari affectiones meas, ut præ timore pœnarum a bono proposito commoverentur. Posset objici : fuit ne aliquid unde possetis commoveri? Ad quod sic additur, faciendo apostropham ad Deum cum gratiarum actione, de constantia sua : Vere fuit unde commoveri possemus. *Quoniam* tu, *Deus probasti nos*. Exponit vero quomodo probavit, cum addit, scilicet *examinasti nos igne* tribulationum, et non ad incommodum nostrum, ut ex toto consumamur *igne* tribulationum : sed ita *examinasti*, *sicut examinatur argentum*. Quod est dicere : Sicut argentum in igne positum *examinatur*, id est omni sorde expiatur ; ita nos *igne* tribulationum expiasti. Notandum quod non ideo dicit *probasti* quod prius eorum constantiam ignoraret, sed idem est ac si diceret : Nos probatos ostendisti, qui prius non videbamur constantes. Demonstrat autem ipsas tribulationes per partes, sic : Dico quod *probasti nos igne*, et ecce ignem scilicet *induxisti nos*, id est permisisti nos induci *in laqueum*, id est in diversas captiones carcerum, cipporum, compedum, catenarum, vinculorum, et cæterorum hujusmodi ; *posuisti*, id est permisisti *tribulationes in dorso nostro*, ut diversis verberibus

www.libtool.com.cn

afligeremur; *imposuisti homines*, id est imponi perministi impios, qui jure dicuntur *homines* non spirituales, *super capita nostra*, id est dominandi capitibus nostris eis potentiam concessisti, ut possent occidere nos, vel *imposuisti super capita nostra*, id est subjecisti nos potentiæ eorum. Et quid tibi irem per singula ?

Transivimus per ignem et aquam, id est per prospera et per adversa, sic ut nec asperitate fracti, nec prosperitate simus elevati. Ignis recte dicitur adversitas, eo quod torqueat et cruciet, et suo modo urat sicut ignis. Aqua quidem prosperitas, eo quod suo modo sicut aqua refrigerat; vel sic : *transivimus per ignem et aquam*, id est per omnismodi tormenta quæ fiunt in igne et in aqua : et per hæc duo dat intelligere cætera tormenta. Et quia per hæc omnia transivimus, non deficientes, *eduxisti*, id est educes *nos* ab his omnibus, ducendo *in refrigerium* æternæ quietis. Exponit autem in quod *refrigerium* deducet, sic addendo : Vere *in refrigerium* me deduces. Nam ego *introibo in domum tuam*, scilicet in Hierusalem cœlestem. Ego dico existens *in holocaustis*, id est in consummata et perfecta combustione : **235** ut in me prius quidquid, id est terrenum est et mortale et passibile consummatur, et perfecte spiritalis fiam et immortalis, juxta illud Apostoli : « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem (*I Cor.* xv, 53). » Holocaustum sacrificium illud dicebatur, quod ex toto comburebatur. Ideoque pro perfecta combustione ponitur, et postquam introiero domum, *reddam tibi vota mea*, id est persolvam tibi in æternum laudes meas, ex omni voto et desiderio : *quæ* vota *iabia mea* interiora, labia scilicet cordis, id est cogitationes meæ *distinxerunt*, id est distincta et divisa, et excellentia intellexerunt præ omni laude quæ in hoc mundo fit. In hoc enim mundo imperfecte et aliquando cum tædio Deus laudatur; in futuro quidem, et perfecte et absque tædio laudabitur. *Reddam vota*, eadem similitudine dicit, qua in alio psalmo proximo dictum est : Tibi *reddetur votum in Hierusalem* (*Psal.* LXIV, 2); et hæc *vota* esse reddenda, *locutum est os meum* etiam *in tribulatione mea*. Quod est dicere : Nec etiam in tribulatione tacui reddenda esse hæc *vota*, ubi videretur locus tacendi. Dico *introibo in domum*, et ut introeam quandoque hic interim *holocausta medullata offeram tibi*, id est sacrificia cum medulla, scilicet cum interiori dilectione, quæ medulla dicitur, eo quod interior est in anima ut medulla. Exponit autem ipsa holocausta, cum addit scilicet : *offeram tibi bovos* incensos, id est incensionem boum *cum incenso arietum*, id est et incensionem arietum, et *cum hircis*, id est et incensionem hircorum. Quod est dicere : Incendam in me bovem, id est omnem recalcitrationem, ne recalcitrem jugo præceptorum tuorum, et castigationibus tuis per tribulationes, ut bos sæpe jugo recalcitrat et stimulo ; sed patienter jugum portem, et verbera, et incendam in me arietem, id est rebellionem et superbiam : ne tibi rebellis sim vel superbus, sicut aries rebelle animal est et superbum, et incendam hircum, id est luxuriam quæ fetet tibi ut hircus qui fetidum animal est : et istæ incensiones erunt tibi dulcissima holocausta, quæ præfigurabantur per holocausta quæ in lege veteri ex bobus et hircis et arietibus offerri præcipiebantur. Adhortantur vero ad videndum beneficia, sibi jam a Deo collata : ut et ipsi bene vivendo ad hoc nitantur, sic : Dixi *venite et videte opera et terribilia Dei*, et enarravi vobis ea, ut eorum contuitu Deum cum timore laudetis.

Ut autem ad hanc laudem magis magisque nitamini, *venite*, id est præparate vos ad audiendum, aure cordis more venientium, qui ad aliquid audiendum currunt. Et *audite, et narrabo, vobis omnes qui timetis Deum*, timore casto, *quanta* beneficia *fecit animæ meæ :* quæ beneficia vobis faciet, si bene nobis conformemini. Non timentibus enim hæc beneficia narrare infructuosum esset. Et ecce beneficia hæc scilicet in me effecit, quod *clamavi*, id est clamore intenso egi : *Ore*, et non vano ore, sed *meo*, id est tali ore quali clamare soleo, devoto scilicet et attento. Et hoc iterum in me effecit, quod *exsultavi sub lingua mea*, id est in corde meo de puritate innocentiæ meæ. Quod est dicere : Dedit mihi innocentiam, unde nimis exsultarem. Duo vero versus qui sequuntur, præposterate leguntur sic : Dico *sub lingua exsultavi*, de innocentia mea quam diligo. Et *propterea* quia innocentiam diligo, et de ea exsulto, *exaudivit*, id est exaudiet me orantem *Deus* de perfectione virtutum. *Et attendit voci deprecationis meæ*, id est diligenter et attente exaudiet me deprecantem de remotione vitiorum. Et hoc probat ex opposito, cum præponit sic : Vere exaudiet me propter innocentiam quam dilexi, et de qua *exsultavi*. *Nam si aspexi iniquitatem in corde meo*, id est si dilexi iniquitatem, et de ea *exsultari* in corde meo, *non exaudiet* me Dominus. Aspicere quidem pro diligere et exsultare ponitur, eo quod rem quam diligimus, et de qua exsultamus, sæpius aspicimus. Et etiam hoc effecit in me, quod *non amovit*, id est amoveri non permisit *orationem meam a me*, id est frequenter fecit me orare se, quod est summum beneficium. Et *non amovit misericordiam suam* a me sed multiplicavit, id est multum **236** beneficium per misericordiam datum *amovit* a me, sed omnia augmentavit. Ideoque *benedictus*, id est laudatus sit *Dominus* omnimoda laude, *qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me*. In hoc autem datur auditoribus exemplum benedicendi Deum de collatis bonis, ut augmententur.

IN PSALMUM LXVI.

Titulus sexagesimi sexti. *In finem, psalmus David.* Quidam autem expositores habere dicuntur, *In finem in hymnis psalmus cantici David*. Hieronymus autem Hebraicæ veritatis investigator diligentissimus habet : *in finem psalmus David*, quod est dicere, psalmus iste est David, id est apostolorum respicientium in finem, id est in perfectam consummatio

www.libtool.com.cn

nem, quam Deus daturus est gentibus conversis, et in hoc sæculo secundum fidem et omnes virtutes, et in futuro secundum æternam beatitudinem, quæ longe perfectior erit hac præsenti consummatiane. Vel, *in finem*, id est in Christum, quem pro se et pro gentibus orant, cum per eum ista perfectio fiat. Et in hoc dant ipsis gentibus exemplum orandi, quæ imperfectiores existunt, cum ipsi longe perfectiores pro se orent, quibus non adeo oratio videretur esse necessaria.

Deus Pater *misereatur nostri*, ut carnales motus nostros comprimat, ne prævalcant motibus spiritalibus, *et benedicat nobis*, id est exaltet motus nostros spiritales, ut prævaleant, motibus carnalibus. *Illuminet vultum suum super nos*, id est det illuminationem Filii sui in animam nostram, quæ est super nos existens, quantum ad corpus, id est superior et dignior pars est nostri, regens corpus et dominans illi; scilicet det nobis claram et manifestam cognitionem Filii sui ut per hoc ad ipsius Patris notitiam attingamus, qui idem est in essentia cum Filio. Vultus bene Filius dicitur, eo quod per eum Patris invisibilitas cognita est, sicut per vultum, totus homo cognoscitur. Ut vero innuatur carnales motus nunquam in hoc sæculo penitus esse comprimendos, ideoque de eorum compressione frequenter orandum esse, etiam post benedictionem et illuminationem, ne prævaleant, repetunt sic: Et postquam benedixerit et illuminaverit *misereatur nobis*, semper comprimendo motus carnales in nobis. Et nimio quidem impetrandi desiderio, apostropham sic ad Deum faciunt: Diximus, misereris, benedicas, illumines, *ut* hic modo *cognoscamus viam tuam in terra*. Alioquin vero minime cognosceremus, quod est dicere: Videamus cognitionem Filii tui esse in nobis, et *in gentibus*, qui adhuc sumus terra, id est animale corpus habentes, non spirituale, juxta quod in Oratione Dominica oratur: « Fiat voluntas sua sicut in cœlo et in terra (*Matth.* VI, 10.); » quod est dicere: Sicut vis notitiam Filii tui esse in cœlestibus spiritibus, in angelis scilicet, ita quoque velis in hominibus esse. Filius via dicitur, eo quod per eum ad Patris notitiam venitur, juxta quod ipse testatur: « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Et non in paucis *cognoscamus* esse *viam tuam*, sed in omnibus, id est in omnismodi gentibus *cognoscamus* esse *salutare tuum*, in est, videamus esse notitiam Filii tui, qui est salutaris tuus, per quem mundum salvas. De quo prædictum est per prophetam: « Mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos (*Psal.* XXIX, 20.) » Notandum vero apostolos de hac cognitione pro se orare, non ideo quod careant, sed ut in eis augmentetur, ut exemplum orandi, sicut supra diximus, aliis tribuant. Postquam autem misertus fueris et benedixeris, et illuminaveris gentes: *Confiteantur tibi, Deus, populi*, id est laudent te gentes omnimoda laude, et non pauci populi, sed *confiteantur tibi populi omnes*, id est omnismodi, qui antea gratam laudem tibi non redderent, « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli*, XV, 9). »

Versus autem qui sequitur, sic præposterate legitur, singula singulis reddendo: Diximus ut misereris, et benedicas, et illumines, et sic laudent te, et te hoc faciente, *Lætentur gentes*, quoniam 237 dirigis de bono in melius. Vel dirigis de malo in bonum ipsas gentes, in hac terra, id est hoc sæculo. *Et exsultent*, id est tantam lætitiam habeant, quæ etiam cum saltatione corporis ostendatur, de hoc quoniam *judicas*, id est judicabis in futuro, populos *in æquitate*, reddendo unicuique secundum opera sua, justos salvando, et injustos damnando. Si vero non misereris eis, et cætera, non esset eis gaudendum de justo judicio tuo, per quod juste propter injustitiam suam damnandi essent. Vel sic hi duo versus aptantur ut diversa sit sententia prioris, et eadem sententia secundi. Diximus: *Deus misereatur*, et *nostri* et gentium. Et quia ad hoc *populi*, id est gentes non possent attingere: *Confiteantur tibi populi, Deus*, peccata sua, pœnitendo de eis; et non pauci, *populi*, sed *confiteantur tibi populi omnes*. *Et* sic *lætentur et exultent gentes, quoniam judicas*, in futuro, *populos in æquitate, et gentes in terra dirigis*, quæ aliter non gauderent et exsultarent, sed potius tristarentur. Repetit autem quod dixit *confiteantur*, ut addat causam quare confitendum est, sic: *Confiteantur*, inquam, *tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes*. Et amodo confitendum est quoniam *dedit terra fructum suum*, id est Deus Verbum *terra* factus pro nobis et homo. *Dedit* in parte *fructum suum*, innocentiam scilicet per peccatorum remissionem, et virtutum perfectionem, et Dei cognitionem, et partem fructus daturum se promisit in futuro, cooperante gratia totius Trinitatis, scilicet benedictionem æternam. Et quia eadem dandam esse promisit: *Benedicat nos* in futuro *Deus* Pater, *benedicat Deus noster*, id est *Filius*, qui nostræ humanæ naturæ est particeps, *Benedicat nos Deus* Spiritus sanctus; et quia aliter non possent ad illam benedictionem pertingere; hic interim *metuant eum*, timore casto *omnes fines terræ*, id est omnes justi finientes in se terrenitatem, vel *omnes fines terræ*, id est omnismodi gentes habitantes in omnibus finibus terræ.

IN PSALMUM LXVII.

Psalmi sexagesimi septimi titulus. *In finem psalmus David cantici*; quod sic exponitur: Psalmus iste est David prophetæ respicientis in finem, id est in consummationem Ecclesiæ futuram per Christum, et hic secundum perfectionem virtutum, et in futuro secundum perfectam beatitudinem: vel respicientis in finem sæculorum, id est in sextam ætatem, in qua Deus constructurus erat Ecclesiam, ei in finem mundi, quando illam remunerabit æterna beatitudine; *psalmus David*, dico existens *psalmus cantici*, id est nimiæ jucunditatis. Jucundatur enim in hoc psalmo propheta agens de gloriosa Christi resurrectione futura, quam optat; et de beatitudine justo-

rum primitivorum et hic, et in futuro, quos adhortatur ad cantandum Deo, et psallendum, et prædicandum aliis. Agit quoque de universali Ecclesiæ constitutione, quomodo fiet, et per quos, et de ascensione Christi. Dicit etiam multos perfectos qui videbuntur esse Christus, nequaquam esse Agit etiam de futura Ecclesiæ remuneratione, et in hoc sæculo de hæreticorum in Ecclesiæ superatione, et increpatione. Et in his omnibus quæ futura prævidet jucundando, dat exemplum nobis, in his eisdem in Dei laude jucundari. Jam pars completa est. De alia vero parte complenda certi existimus. Agit quoque non optando, sed concedendo de inimicorum, et hic, et in futuro damnatione : ut nos perterrendo retrahat ab eorum conformitate, et ut magnam esse Christi potentiam innuat.

Exsurgat Deus Christus, ac si diceret : Prævideo Christum, secundum hoc quod homo erit, moriturum, et resurrecturum, et in hoc esse Deum appariturum. Et quia hoc prævideo futurum, concedo et exopto ut *exsurgat*, Deus per hoc appariturus : et prævideo quod inimici ejus Judæi, qui in eum insurgent blasphemiis et tribulationibus, dissipabuntur, ideo ubique terrarum, *et fugient a facie ejus*, in hoc sæculo : *et* in futuro *deficient sicut fumus, et peribunt a facie Dei*. Et hoc concedo, ut *dissipentur* hic *inimici ejus* ubique 238 terrarum : *et fugiant a facie ejus qui oderunt eum*, id est sponte recedant a cognitione ejus more fugientis : ut excæcati nolint eum cognoscere. Et hoc ideo contingat, quia *oderunt eum*, id est odio eum prosequentur, non ex merito ejus. Et in futuro *deficiant* ob omni quiete, et ab omni commodo quod se putant habituros, qui erunt exaltati flamma odii et pravæ concupiscentiæ suæ, *sicut deficit*, id est evanescit *fumus* a flamma exaltatus. Vel *deficiant*, in pœnis, id est consumantur et crucientur, non sic ut ex toto destruantur : *sicut fumus* exaltatus *deficit*, non ut nihil efficiatur, sed dispergitur ut non appareat. Juxta quod alibi dicitur: « Mors depascet eos (*Psal.* XLVIII, 15), » et ut magis miseri sint, *sicut fluit cera a facie ignis*, id est sicut inconstans est cera ante præsentiam ignis, *sic pereant peccatores*, antonomastice Judæi scilicet *a facie Dei*, id est a præsentia et a contemplatione Dei remoti, juxta illud quod legitur : « Tollantur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » Esset enim aliqua eis refrigeratio, si in pœnis constituti, Dei contemplatione perrui possent, quod esse non poterit. Consequenter agit de justorum duplici beatitudine, cum dicit :

Et justi epulentur, ac si diceret : Sicut prævideo quod inimici et hic et in futuro damnabuntur; ita prævideo ex opposito, quia justi in hoc sæculo exaltabuntur et exsultabunt, et in futuro delectabuntur: et ita concedo et exopto. *Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei*, id est reficiantur diversis donis sancti Spiritus, ad modum epulantis, qui variis ferculis reficitur. Et epulando *exultent in conspectu Dei*, id est in anima quam solus Deus conspicit. Vel *exultent in conspectu Dei*, id est in hoc quod spem habebunt se Deum in futuro conspecturos. *Et* in futuro *delectentur in lætitia* beatitudinis æternæ, ubi nullum fastidium erit, sed æterna delectatio est. In hoc enim sæculo aliquando Deo fastidiose servitur. Hoc autem dictum est de primitivis justis. Facit autem apostropham ad ipsos justos, hortans ad cantandum Deo et psallendum, ut ad lætitiam illam attingere mereantur, sic : Dico, o justi, quod delectabimini *in lætitia*. Et ut hoc sit : *Cantate Deo*, id est laudate Deum in contemplatione, theoricæ vitæ studendo : *et psalmum dicite nomini* ejus, in practica vita, id est bene operamini ad honorem nominis ejus. Hoc autem dictum est, quantum ad diversos, ut minus perfecti scilicet practica vita Deum laudent, et perfectiores theorica. Practica vita est quæ activa dicitur, bene operari, nudos vestire, et cætera similia; sic tamen ut non ex toto terrena sollicitudo ambiatur : theorica vero, quæ contemplativa dicitur, omnibus terrenis omissis, solis orationibus, et contemplandis secretis Dei vacare. Et non solum cantetis et psalmum dicatis, sed *iter facite ei qui ascendit super occasum*. Hoc dicit quantum ad prædicatores, quod est dicere : Prædicatione vestra facite ejus notitiæ iter in cordibus infidelium, quæ per infidelitatem clausa sunt : et *iter* facere debetis, cum adeo potens futurus sit quod ascendet *super occasum*, id est conteret morte et in se et in suis, ad modum illius qui rem conterit quam calcat et super quam ascendit. Mors autem occasus recte dicitur, eo quod ad defectum corpus deducit. Et tamen alia causa est quare debetis iter facere ei, quia scilicet *illi* est *nomen Dominus*. Magis autem dicit, subjundo : *Dominus nomen illi*, quam si simpliciter poneret *Dominus est*. Innuit enim per hoc, quod nomen hoc proprie et præ cæteris competit ei, et *iter* ei faciendo, *exsultate in conspectu ejus*, ac si diceret : Si in faciendo iter persecutio ingruerit, nolite deficere, sed *exultate in conspectu ejus*, id est in spe conspectus ejus; vel *in conspectu ejus*, id est in anima, quam ipse solus conspicit. Et si exterius in carne tristes appareatis, et exsultandum est, cum sitis eos prædicatione vestra superaturi. Nam vobis prædicantibus, *turbabuntur* infideles bona conturbatione, et hoc continget, *a facie ejus*, id est a cognitione ejus Dei, quam nunc ignorant. Ejus dico, existentis *patris orphanorum* in hoc sæculo, et futuri *judicis viduarum*, post hoc sæculum, quod est dicere : Qui Pater est hic vestrum, id est pie patrocinans vobis more piissimi patris ne in tribulationibus deficiatis, qui orphani 239 estis mortuo patre vestro diabolo. Orphanus proprie dicitur, cujus pater mortuus est ; et in futuro judex erit vestri, ut vos secundum merita vestra juste remuneret, qui viduæ per similitudinem dicimini, eo quod a solatio terrenorum destituti estis, quæ in vobis mortua sunt, soli Deo adhærentes, sicut vidua a mariti sui jam mortui solatio destituitur. Et per hoc eos attrahit ad obediendum ei, in faciendo *iter*, cum et hic pater eorum sit, et in fu-

turo judex futurus sit. Non solum autem *turbabuntur*, sed post turbationem, *Deus in loco suo* apparens *Deus inhabitare facit*, id est faciet eos existentes *unius moris in domo*, quod est dicere : Cum ipse Deus sit, potens est, qui inhabitare faciat eos *in domo*, id est perseveranter faciat habitare in Ecclesia, quæ est domus sua, eos factos *unius moris*, id est ejusdem consuetudinis, et ejusdem voluntatis, et ejusdem concordiæ : quod est ac si diceret: Faciet eos postquam turbati fuerint eumdem habere morem credendi, et bene agendi, et sic in Ecclesia perseverare faciet, nec unquam ab ejus participatione aberrando discedere.

Hoc autem quod dicit *in loco suo sancto Deus*, ad hoc interpositum est, ut ostendat in quo comprobari possit eum esse Deum. Dico Deus Christus faciet eos *inhabitare in domo. Deus* dico *in loco sancto suo*, Deus apparens, id est qui comprobatur esse Deus per fideles suos, qui erunt locus ejus in quo inhabitabit, quos adeo gloriosos faciet in miraculis, et in virtutibus et operibus bonis perfectos. Nisi enim Deus esset, non utique tales eos efficere posset. Et quia posset quæri: quomodo faciet inhabitare? ostendit hoc cum addit, sic: *Educet* a peccatis *vinctos* ipsis peccatis *in fortitudine* ponendos, id est quos ab infirmitate peccatorum expeditos fortes faciet et constantes. Notandum, quod de illis vinctis dicit, qui, licet peccatis graviter onerati, nondum tamen in profunditatem peccatorum devenerunt. Et *similiter* sicut *vinctos, educet eos* etiam *qui exasperant* Deum, id est qui Deum, cum in natura sit dulcis et mitis, asperum faciunt, nunquam resipiscere volentes. Qui vero sint illi exprimit, cum addit : Scilicet *eos educet, qui* jam *habitant in sepulcris*, id est in morte cæcitatis, qui jam desperant salutem, propter peccatorum suorum profunditatem, quod est dicere: Et illos *educet* a peccatis, qui solummodo vincti erunt, nondum tamen mortui, et illos qui jam per desperationem erunt mortui *educet*, et *eos inhabitare in domo faciet*. Sepulcra hic pro morte ponuntur, eo quod in sepulcris mortuorum corpora ponantur. Et priusquam eos educas. *O Deus, terra mota*, id est ipsi terreni, et in Judæis, et in gentibus movebuntur de infidelitate ad fidem. Et hoc tunc erit, *cum egredereris*, id est egredieris apparens *in conspectu populi tui*, Judaici, qui tui notitiam jam aliquantulum attigit ; quod est dicere : Tu qui ei nunc es obscurus, et in magna parte ignotus, apparebis manifeste *in conspectu*, id est in consideratione fidei *populi tui* : Et tunc *terra mota* erit ad fidem : *cum pertransieris in desertum*, id est cum a Judæis transiens in notitiam gentium, qui desertum modo sunt, et sine doctrina et lege, et fructu bonorum operum sunt sicut desertum ; et ostendit per quos ministros ad fidem movebuntur, addendo sic: Vere terra movebitur

Etenim cœli, id est prædicatores *distillaverunt pluviam voluntariam*, id est diverso modo stillabunt doctrinam *voluntariam* gratis, et sine pretio datam, vel *voluntariam*, id est gratuita Dei voluntate datam, sine quolibet merito illius terræ. Et vere diverso modo stillabunt doctrinam, ut capacioribus magna, minus vero capacibus parva loquantur. *Pluviam* dico procedente *a facie Dei*, id est a cognitione et illustratione et præsentia Dei, et non recentis Dei, sed Dei *Sinai*, id est Dei datoris veteris legis, et Dei Israel, id est Jacob ; ac si dicas : Qui etiam ante legem in Sinai datam, existens fuit *Deus*, vel *Deus Israel*, id est novi populi videntis Deum in contemplatione ; quod est dicere : Deus est et veteris legis et novæ. Sinai vero interpretatur *tentatio*. Unde bene pro lege veteri ponitur, quæ causa erat per prævaricationem sui peccandi, sicut tentatio 240 peccare facit. Peccata namque prohibebat, non ad cessandum adjuvabat. Unde Apostolus : « Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me (*Rom.* VII, 11). » Vel quia in Sinai fuit data, Sinai pro lege ponitur. In hoc enim damnat impiorum Judæorum errorem, qui eum Deum esse denegant, cum dicat non recentem Deum esse, sed Deum Sinai, et Deum Israel. Dico quod *pluviam* distillabunt cœli, et illam *segregabis Deus* a perdendis, et hoc *hæreditati tuæ*, id est ad opus fidelium qui participes erunt hæreditatis tuæ, scilicet beatitudinis æternæ ; vel qui erunt hæreditas tua, quos tu per prædicatores excoles, et in eo multum eos attentos reddit, et subditos, cum eis dicit solummodo dandam esse rem adeo sanctam et pretiosam. *Et infirmata est*, id est infirmabitur ipsa terra in nequitia sua, propter *pluviam voluntariam. Tu vero*, qui ad hoc potens es, *perfecisti eam*, id est *perfectam* facies in omni bono postquam fuerit infirmata, Vel sic : Dico quod segregatim dabis *pluviam hæreditati tuæ, et* hæreditas *infirmata est*, id est infirmabitur, in tribulatione carnis propter susceptionem ; quod est dicere : Qui doctrinam suscipiens, et obedire sataget, multis tribulationibus infirmabitur ab impiis. *Tu vero* qui potens es, *perfecisti eam*, id est : sed quia propter te infirmabitur, tu perfectam facies eam in futuro, et omnino beatam, ac si dicat : Non est curandum si infirmetur pro pluvia ; infirmatio enim illa, causa erit, quia eam in futuro perficies. Et hoc totum ab illo loco, ubi dicitur *Deus in loco*, æquipollens est, ac si sic ordo poneretur : Per hoc *turbabuntur* gentes, quod *cœli* distillabunt *pluviam*, per quam *terra* movebitur, id est turbabitur bona turbatione, *cum egredieris* in *conspectu populi tui*, et pertransieris *in desertum*. Et tunc *educes vinctos*, et *eos qui habitant in sepulcris*, et sic *inhabitare facies in domo*, et post dimittes tribulationibus infirmari, et in futuro perficies. Notandum quod cum idem sit *turbabuntur*, et *terra mota est*, ideo repetitum esse ut ostendat quando movebitur, et per quos. Quia vero dixerat, *segregabis hæreditati tuæ*, dedit intelligere quosdam esse qui non sunt in hæreditate; ideoque determinat qui sunt dicendi esse in hæreditate, ut sic appareat, qui in ea non sint, et ita esse in ea satagunt, et hoc sic dicit : Dico quod *pluviam segregabis hæreditati tuæ*.

In ea autem hæreditate *habitabunt*, id est perse-

www.libtool.com.cn

veranter manebunt *animalia*, id est illi qui sunt mansueti et simplices, sicut illa quæ vulgariter dicuntur animalia, boves scilicet, et non cujusque modi animalia, sed *tua*, id est tui fidem et dilectionem habentia, et jugo tuæ subjectionis subdita sicut animalia jugo subjici idonea sunt. Multi namque sunt qui tametsi mansueti videantur, jugo tamen Dei non subjiciuntur. Per hoc autem innuitur quia illi qui non sunt *animalia* Dei, non sunt in ejus hæreditate. Ostendit autem doctrinam Dei non esse bonis austeram, ut nolentes recipere ad eam attrahat, sic : Dico quod *pluviam segregabis hæreditati tuæ*, quæ non erit ei austera, sed tu Deus *parasti*, id est parabis illam *pluviam pauperi*, id est ad opus pauperis hæreditatis, scilicet quæ pauper erit spiritu. Et *in dulcedine* parabis, id est ita ut sit ei dulcis. In dulcedine dico *tua*, id est a te data, ac si dicat : Illam etiam dulcedinem a se non habebunt, sed a te. Et per hoc eam humiliat, ne a se boni aliquid esse existimet. Ostendit quoque prædicatores doctrinam per liberum arbitrium a facie Dei non suscipere, sed a Dei dono habere, ut per hoc eos humiliet, et ut addat sic : Dixi quod *cœli* stillabunt *pluviam a facie Dei*. quam tamen a se non habebunt, sed *Dominus dabit verbum* prædicationis, quam superius *pluviam* vocavi, *evangelizantibus*, id est prædicatoribus, quos cœlos vocavi. Et illud *verbum dabit cum virtute multa*, id est cum multiplici miraculorum virtute, ut non solum in prædicatione potentes sint sed etiam in miraculis: et per hoc etiam exponit quid vocaverit pluviam, et quos cœlos. Dominus dico, *rex virtutum* 241 *dilecti dilecti* existens, id est rector ipsorum evangelizantium, qui per emphasim dicentur virtutes Christi, *dilecti* a Deo Patre, secundum quod Deus, cum ei sit consubstantialis, et *dilecti*, quod homo cum futurus a peccatis omnibus sit immunis. Virtutes dicentur, eo quod omni virtute pleni erunt, et hoc est ac si diceret, *dabit evangelizantibus* et potentiam prædicandi, et miracula faciendi, et plenitudinem virtutum : quia hæc tria ad Ecclesiæ instructionem erunt utilia. Non enim eorum prædicationi crederetur, nisi miracula operarentur. Si vero et bene prædicarent, et miracula operarentur, et, virtutibus carentes, male viverent, magi viderentur, et sic eis minime crederetur.

Dabit igitur et prædicare, et miracula agere, et bene vivere. Et non tantum *dabit verbum evangelizantibus*, et non tantum *Rex* erit *virtutum* ne deficiant, sed et *dabit dividere spolia*, id est dabit potestatem distribuere alios fideles, qui erunt spolia ablata diabolo per ipsos evangelizantes, ut alios faciant diverso modo in Ecclesia prælatos, alios vero subjectos. Dico *dabit dividere spolia*, et hæc divisio erit *speciei domus*, id est ad opus speciei Ecclesiæ, scilicet ut Ecclesia quæ domus Dei est speciosior sit, propter diversitatem filiorum suorum. Juxta quod Apostolus dicit; « Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes (*I Cor.* XII, 28). »

A Facit autem apostropham ad ipsa spolia, adhortans ut dormiant *inter medios cleros*, ostendens quam utilitatem inde habebunt, sic : Dixi quod *dabit* eis *dividere spolia*. Et, o vos *spolia*, ut sitis species *domus* Dei Ecclesiæ, *dormite inter medios cleros*, id est, quiescite ad modum dormientis *inter* mediatos *cleros*, quod est dicere : Sic quieti estote, ut sitis in medio duorum clericorum Mediata namque dicimus, quæ media habent. Clerus *electio* interpretatur, Ponitur ergo clerus, et pro multitudine filiorum hujus mundi, qui terrena magis quam cœlestia eligunt, et pro multitudine civium supernorum, qui a Deo electi sunt. Sive clerus pro bonis temporalibus ponitur, quæ a terrenis eliguntur, et pro bonis cœlestibus, quæ a viris sanctis eliguntur. Fideles B autem illi dicuntur dormire *inter medios cleros*, id est quiescere in medio harum duarum electionum, scilicet temporalium bonorum et cœlestium, vel in medio sæcularium virorum et civium cœlicorum, qui jam egressi electionem terrenorum bonorum et jam spreta conformitate sæcularium virorum, cum bene vivendo ad cœlestia bona tendant, et ad consortium civium supernorum, non tamen properant murmurando de dilatione electionis, quam exspectant : neque revertuntur ad sæcularem electionem, quam jam egressi sunt et spreverunt, sed in medio harum duarum dormiunt, id est quiescunt bene vivendo, sic ut ad spretam non redeant, et ad eam quam exspectant patienter non præproperent. C Tunc autem præproperarent, si ante tempus a Deo dispositum, ad eam se non attingere dolerent vel sic adaptatur littera, ut sententia sit eadem.

Dormite id est quieti estote, non præproperantes existendo *inter medios cleros*, id est, inter collectiones fidelium, quæ sunt cleri id est electæ a Deo, et sunt medii cleri, inter terrenum clerum et cœlestem clerum quiescentes ; ut jam terrenum reliquerint, et ad cœlestem nondum pervenerint. Et hoc totum est, ac si diceret : Dormite existendo inter collectiones justorum, qui sunt cleri medii, inter duos cleros terrenum et cœlestem.

Nam si dormiatis *inter medios cleros*, id est, si non murmurantes, non præproperantes, sed dormientes, id est patienter exspectando, quiescentes ma- D neatis in medio duarum electionum, temporalis scilicet et cœlestis : eritis *deargentatæ pennæ columbæ*, id est eritis sublimantes Ecclesiam bona vita et oratione, et etiam prædicatione vestra ad similitudinem pennarum, volucrem sublimantium, dum eam per aerem devehunt. Columba quidem Ecclesia dicitur, eo quod simplex sit et sine felle blasphemiæ 242 in Deum et in proximum, ad similitudinem columbæ, quæ avis simplex est et sine felle. Juxta quod de ea Sponsus in Canticis testatur : « Una est columba mea (*Cant*, VI, 8) » etc. Et tales *pennæ* que erunt *deargentatæ*, id est argenteæ, scilicet in constantia perfectissimi eritis, ut per ictus tribulationum, ne deficiatis : sicut merum argentum ad ictus non crepat mallei. Et non solum pen-

www.libtool.com.cn

næ eritis sed etiam *posteriora dorsa ejus*, scilicet Ecclesiæ. Intransitive dictum est, ac si diceret : Eritis tales posteriores in Ecclesia, qui eritis dorsum, id est digni quibus imponatur onus regiminis Ecclesiæ : quasi posteriores partes corporis, quas nos dorsum dicimus, et habiles sunt ad onus deferendum, quod est ac si diceret : Eritis dorsum Ecclesiæ, id est digni prælatione Ecclesiæ, scilicet digni ut episcopi sitis vel presbyteri, et cæteri in Ecclesia prælati, qui subjecta Ecclesiæ membra prædicatione et exemplo bonæ vitæ, et oratione vestra portetis Vos dico *in pallore auri* abundantes, id est in pallido auro. scilicet in perfectione virtutum, quæ designatur per pallidum aurum, quod perfectius est illo auro, quod album nimis est, vel rubrum sicut cuprum ; quod est dicere : Merito eritis prælati Ecclesiæ, quia eritis perfecti in omni virtute.

Vel sic versus iste exponitur : O spolia dormite *inter medios cleros*, id est, usque ad dormitionem mortis, studendo moramini inter cleros, id est inter multos libros veteris et novæ legis, et non inter omnes libros, cum multi eorum sint apocryphi, sed *inter medios*, id est inter illos qui sunt communes catholicis viris et auctorizabiles, qui a papa Gelasio bene numerantur. Medium pro communi ponit, quia res quæ in medio circumstantium ponitur solet eis esse omnis. Clerum quidem dicimus usualiter clericorum multitudinem. Ideoque cleros hic ponit pro multitudine librorum utriusque legis. Et non hic denotatur interpretatio vocis hujus, quæ est clerus. Et bene ponit *inter*, ac si diceret : Usque ad dormitionem studete in auctorizabilibus libris, sic ut sitis inter eos, id est in medio eorum confirmantes alteros per alteros : novos scilicet per veteres, et veteres per novos. Dico dormite ; nam *si dormiatis inter medios cleros*, id est si usque ad dormitionem studeatis in medio auctorizabilium librorum, eritis *pennæ columbæ*, id est sublimatores Ecclesiæ, hoc non mutatur, et tales *pennæ* quæ eritis *deargentatæ*, id est habentes argentum, scilicet intellectum ad litteram qui nitidus est ut argentum, et non solum *pennæ deargentatæ*, sed etiam *posteriora dorsi ejus*, scilicet Ecclesiæ, eritis, id est digni ad onus regiminis Ecclesiæ deferendum ; hoc quoque non mutatur. Vos dico *in pallore auri* abundantes, id est in pallido auro, scilicet in mystico intellectu, quem Græci anagogen dicunt, qui per pallidum aurum, quod reliquo omni auro perfectius est, designatur eo quod longe sit perfectior intellectu illo qui ad litteram est ; quod est ac si diceret : Digni eritis ut pennæ sitis Ecclesiæ, et dorsum, cum et intellectu ad litteram, et mystico abundaveritis. Habent autem quidam expositores, *in virore auri*, juxta quos sic exponitur : *Si dormiatis inter medios cleros*, id est in medio auctorizabilium librorum, eritis *pennæ columbæ*, id est sublimatores Ecclesiæ. Hoc non mutatur. Et *deargentatæ pennæ* : in hac sententia proprie ponitur *deargentatæ*. Deargentatum enim dicitur quod, cum exterius habeat argentum, interius aliud habet.

Sic ergo exponitur : Exterius in ore claram et resonantem facundiam habebitis quæ per argentum designatur, quod clarum est et nitidum, et melius omni alio metallo resonans, et non solum *pennæ*, eritis, sed et *posteriora dorsi ejus* Ecclesiæ, id est latores regiminis ejus. Hoc etiam non mutatur. Vos dico abundantes *in virore auri*, id est in virore procedente ex auro, scilicet in charitate, quæ semper in unoquoque fideli viridis est, et nunquam marcida, quæ procedit ex interiori sapientia, quæ perfecta est ut aurum et pretiosa. Dicitur quidem a multis quia aurum optimum aliquando colorem habet virori vicinum. Vel sic : Eritis *pennæ deargentatæ*, id est sublimatores nitidi in omni virtutum et operum perfectione, sicut argentum, et hoc in hac vita, et in futura 243 eritis *posteriora dorsi ejus*, id est portitores ejus Ecclesiæ *in pallore auri*, id est in pallido auro scilicet in perfecta beatitudine, quæ per pallidum aurum quod perfectum est accipitur, id est eritis tales filii ejus Ecclesiæ, qui in futuro magnum et gravidum pondus æternæ beatitudinis in vobis deferetis, ad modum dorsi quod onus defert; quod est dicere : Et hic nitore virtutum, et operum, et prædicationis Ecclesiam sublimabitis, et in futuro præmium beatitudinis æternæ deferetis. Notandum, quod in superioribus omnibus sententiis postquam eos pennas dixit, non superfluo dixerit eos dorsum. Multi namque sunt *pennæ*, id est bona vita sua sublimatores Ecclesiæ, qui non sunt dorsum, id est prælati. In hac autem ultima sententia pennas et dorsum esse diversa perpatens est, cum unum in præsenti accipiatur, pennæ scilicet, aliud vero in futuro, hoc est dorsum. Versus autem qui sequitur, scilicet *dum discernit*, etc., duobus modis continuatur, sic tamen ut expositio non mutetur. Nam si accipiamus cleros pro duabus electionibus, terrena scilicet et cœlesti, sic continuatur : Dixi dormite *inter medios cleros*, id est quieti estote in medio duarum electionum, et *si dormiatis*, ostendi quod inde sitis assecuturi. Non est autem horarie dormiendum, sed tandiu *dum*, id est quandiu *rex cœlestis*, id est Deus Pater, *discernit reges super eam* columbam, id est ordinat multos prælatos super Ecclesiam, ut dominentur ei bona dominatione regendo eam; quod est dicere : Tandiu est dormiendum, quandiu hæc præsens vita durat, in qua Deus *discernit reges super eam*. per hoc autem ipsos prælatos subjectis commendat, cum a Deo dicit eos super subjectos ordinari.

Notandum, quod nulli dormient *inter cleros* per totam hanc vitam, cum non sint semper in hoc mundo victuri, sed quantum ad omnes dictum est. Inter omnes enim hanc dormitionem complebunt, non unusquisque totam, sed unusquisque partem in statu suo. Unus quidem viginti annos, alii vero triginta ; alii autem magis, alii minus, et sic de generatione in generationem succedendo; et unusquisque in statu suo dormiendo per totam vitam istam dormient *inter medios cleros*. Si vero cleros accipiamus

www.libtool.com.cn

pro librorum multitudine veteris et novæ legis, sic continuatur : Dico eritis *pennæ*, et hoc tandiu, *dum* rex cœlestis *discernit reges super eam*, id est per totam hanc vitam eritis *pennæ*, unusquisque scilicet in suo statu de generatione in generationem. Qui reges *dealbabuntur nive*, id est puritate et candore fidei, quæ per nivem bene denotatur, eo quod res candidissima est; *in Selmon*, id est per Christum, qui congrue per Selmon accipitur. Selmon enim interpretatur *umbra*. Per umbram quippe refrigerium intelligitur, cum umbra laborantes æstu refrigerare soleat Unde per Selmon Christus denotatur qui umbra est perfectæ refrigerationis. In hoc autem prælatos humiliat, ostendens non per se dignos esse ut reges super Ecclesiam discernantur; sed per Christum, a quo prius fidei candore dealbantur. Diceret aliquis : Eritne Christus potens eos dealbare ? ad quod sic addit : erit utique. Christus enim erit *mons Dei* Patris, id est sublimatus a Deo Patre in omni potentia. Juxta quod in Evangelio dicitur : « Dedit ei omnia Pater in manu (*Joan.* III, 35) : » Et talis mons qui erit *mons pinguis*, id est redundans pingui et perfecta sapientia, qua suos nutriet et confortabit ad modum pinguis montis, qui inhabitantia in se animalia pinguibus pascuis suis impinguat et confortat. Et cum sit pinguis in sapientia et doctrina, quantum ad perfectos, erit *mons coagulatus*, id est lacteus, quantum ad minus pecfectos, scilicet nutriens eos parva doctrina, ad modum pueri, qui lacte nutritur. Coagulum quidem proprie lactis est. Unde per coagulatum, lacteus convenienter accipitur.

Et cum sit *mons pinguis*, quantum ad perfectos, et *mons coagulatus*, quantum ad imperfectos, erit etiam *mons pinguis*, quantum in se, id est abundans omni perfectione sapientiæ et virtutum. Et cum iste solus sit futurus *mons pinguis : ut quid* vos Judæi *suspicamini*, id est suspicaturi estis, *montes coagulatos* esse hunc montem 244 pinguem. Injuste utique estis suspicaturi. Hoc autem corrective ponit, ac si diceret : Multi erunt sancti, qui præ nimia sanctitate sua putabuntur esse ille *pinguis mons* Christus, sicut Joannes, Jeremias, et cæteri tales, sed tamen erunt coagulati montes, non pingues, ad comparationem ejus, id est erunt lactei, parvi scilicet in doctrina et sapientia ad comparationem ejus. Quos igitur, cum sint coagulati, nolite suspicari esse illum pinguem montem. Dico quod *Selmon mons pinguis* erit, et adeo *pinguis* quod *mons* erit *in quo beneplacitum est Deo*, id est bene placebit Deo ex toto, ut in nullo displiceat, ac si dicat : Quamvis in montibus aliis placeat Deo, in eorum sanctitate tamen erit aliquid in quo ei displiceat. Nemo enim mundus a sorde, nec infans cujus unius diei vita super terram. Sed cum iste *pinguis mons* a peccato futurus sit immunis, in eo bene placebit per omnia Dei Patri. Juxta quod idem in Evangelio testatur : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III, 17). » Hoc est ac si diceret : In perfectione cujus montis bene placebit Deo, et etiam bene placebit Deo Patri habitare in eo monte pingui, et vere placebit ei habitare in eo monte, scilicet in Dominico homine. *Etenim habitabit in* eo in *finem* habitationis, id est in perfecta habitatione, scilicet ut ei personaliter uniatur, et sic in eo habitet in perpetuum. Hoc autem quod dicit, *etenim habitabit in finem*, determinatio est qualiter inhabitabit. Facta adhortatione ad spolia, et facta commendatione montis pinguis, revertitur ad hoc quo agere incepit de prædicatoribus, et Ecclesiæ constitutione. Et in primis ipsos apostolos commendat, ut subjectos eis, magis subjectos et obedientes faciat, et hoc sic dicit : Dixi quod *Dominus dabit verbum evangelizantibus*, qui accepto verbo cum multa virtute, erunt *currus Dei*, deferentes Deum in notitiam hominum cum concordia prædicationis, sicut currus ab equis concorditer tractus fert aliquem. Tametsi namque prædicator a prædicatore in littera diversa sonare videatur, in eorum tamen sententia, concordia est intellectus. *Currus* dico existens *multiplex decem millibus*, quod est dicere : Collectio illa prædicatorum, multos habebit prædicatores, decem millia scilicet, id est tales qui juste denotantur per hunc numerum, qui est decem millia, scilicet qui perfecti erunt in sanctitate et in fide solidi ad similitudinem hujus numeri, qui est decem millia, qui ab arithmeticis dicitur perfectus et solidus, eo quod in solidum corpus videatur excrescere, in corpus scilicet quantitatem, non in corpus substantiam, quod videlicet corpus ex superficiebus componi dicitur, quæ iterum superficies ex lineis constituuntur. Ponatur centum iste numerus, ut linea, et multiplicetur centum per denarium numerum, et dicatur : decies centum fiet mille, qui quasi superficies ab arithmeticis dicitur ex decem lineis composita, scilicet ex decies centum. Multiplicetur quoque superficies hæc, quæ est mille, per denarium et centenarium numerum, et dicatur centum decies decies, quod est dicere : Decies mille, fiet decem millia, quod solidum corpus est, ex decem superficiebus compositum, scilicet ex decem millibus. Perfectus autem est, cum ultra millenarium numerum altior numerus nequaquam inveniatur. Cum sic igitur perfectus sit iste numerus, et solidus, rectissime per decem millia, prædicatores accipiuntur, qui in virtute et opere, et in fide erunt solidi.

Et illa *millia* erunt *lætantium*, id est illi multi prædicatores, perfecti et solidi erunt lætantes in tribulationibus, non deficientes timore ipsarum tribulationum. Et ideo lætantia erunt illa millia : quia *Dominus* erit *in eis* spiritaliter *in Sina*, id est in tentatione tribulationum, ne deficiant. Sina quippe *tentatio* dicitur, scilicet *in sancto* erit in eis, id est in sanctitate, ut eos sanctos faciat, et constantes in ipsa tentatione, juxta quod idem in Evangelio testatur : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* VIII, 20). » Ostendit autem quomodo fient currus, faciendo apostropham

245 ad Deum cum gratiarum actione, sic: Dixi quod fient *currus*, et per hoc fient *currus* : et habitabis *in eis in Sina in sancto*, quod *ascendisti in altum*, id est ascendens in cœlum secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non es localis, et per ascensum tuum, mittendo Spiritum sanctum in eis, fient currus tuus. Nisi enim abires, Paracletus, ad eos non veniret (*Joan.* XVI. 7). Et tu ascendens *cepisti captivitatem*, id est capies tecum et duces sanctos patriarchas et prophetas, qui ante adventum tuum morientes, captivi in inferno detinebuntur, quos resurgendo inde educes, et ascendendo tecum deduces. Per hoc autem vivos allicit ad obediendum sibi, ut et ipsi deducantur. Non solum autem *captivitatem* capies, sed etiam *in hominibus*, id est inter illos qui erunt homines adhuc in carne viventes *accepisti*, id est *accipies dona*, quod est dicere : Ex hominibus quosdam accipies per doctrinam currus tui, qui erunt dona tua, a tuo tibi scilicet Patre donandi. Hoc autem ostendit a parte, sic : Vere accipies quosdam ex hominibus, qui erunt dona tua.

Etenim accipies, o Dominice homo, *non credentes inhabitare Dominum Deum*, scilicet quosdam ex Judæis, qui erunt *non credentes inhabitare* in te *Dominum Deum*, qui hoc dicturi sunt verbum : « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Per hanc autem partem de Judæis innuit, quod etiam de gentibus partem accipiet. Facit autem apostropham ad auditores, enuntians salutem per Dominum futuram. Sic dixi, quod Dominus Jesus ascendit *in altum*, et accipiet *dona in hominibus*, et ipse *benedictus Dominus*, id est exaltatus Dominus existens, *die*, id est per illuminationem gloriæ suæ, quæ per diem accipitur, eo quod illuminat fideles, ad similitudinem diei mundum illuminantis : *Quotidie*, id est assidue de die in diem, *faciet nobis prosperum iter salutarium nostrorum*, id est salvationum nostrarum ; quod est dicere : Illuminatio ejus nobis erit iter ad salvationes, id est ad peccatorum remissiones, et ad vitam perpetuam obtinendam, id est illuminatio gloriæ ejus salvabit nos a peccatis, et ad vitam reducet. Cum dicit *nobis*, adjungit se fidelibus novæ legis, ostendens se jam fide Ecclesiæ membrum esse, ac si dicat : Et me ante tempus plenitudinis existentem, et fidem ejus habentem et illos quos in tempore plenitudinis assumet, *salvos faciet* a peccatis illuminando nos gratia sua spiritali, et ad vitam quam amisimus reducet. Nullus enim adeo sanctus exstitit, qui ante tempus plenitudinis a peccatis originalibus salvaretur. Et bene ponit *quotidie prosperum iter faciet* ; quotidie namque fideles per gratiam Dei veniunt ad salvationem, unusquisque in suo statu. Dominus dico existens *Deus noster*, cui facimus locum deitatis in nobis obediendo, et nos ipsi subdendo, et existens *Deus salvos faciendi*, potens, id est qui potens erit ad salvandum nos. *Et* hoc idem est quod superius posuit, *prosperum nobis iter faciet salutarium nostrorum* ; sed ad Dei laudem magnificandam repetitum est, et quamvis potens erit ad salvos suos faciendum, tamen *exitus Domini* illius, revera et antonomastice Domini existentis, erit *exitus mortis*. Quod est dicere : Exiet ad gloriam resurrectionis et immortalitatis per mortem. Juxta illud : « Oportebat pati Christum et resurgere, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 28); » ac si dicat : Ne existimetis eum impotentem, quia morietur ; nam per mortem exibit ad gloriam. Et per hoc innuit quia et fideles exibunt per mortem similiter ad gloriam. Et in hoc innuit non debere eos contristari de hoc quod sunt morituri.

Cum vero bis dicit *Domini Domini*, ad laudem ejus hoc facit : ac si dicat : Illius Domini dicit, qui antonomastice Dominus est, cui omnis creatura subdita est. Quia vero dixerat eum moriturum, ne aliquo modo videretur eum depressisse, commendat eum sic : Dico quod *exitus Domini* erit *mortis exitus*. *Verumtamen Deus* existens, ipse qui Dominus simpliciter credetur, *confringet capita inimicorum suorum*, id est confringet potestatem spirituum malignorum, qui sunt capita infidelium, qui inimici Dei sunt. Et digne quidem capita infidelium dicuntur, quia eis dominantur, 246 sicut caput membris omnibus dominatur. Quod est dicere : Auferet malignis spiritibus potestatem, ne illis qui modo ei male vivendo inimicantur, dominari possint. Et *confringet verticem capilli per ambulantium in delectis suis*, id est superbiam levitatis eorum qui perambulant in delictis suis, id est perseverant eundo de delicto in delictum. Quod est dicere : Per hoc *confringet* in eis *capita*, id est potestatem capitum, quod confringet in eis superbiam, quæ procedit ex eorum vanitate, per quam eis capita dominantur. Vertex quidem quia alta pars est in homine, recte superbiam designat, quæ plus nimio mentem exaltat. Capillus vero quia levissima res est, et omni vento facillime cedens, pro vanitate competenter accipitur. Hoc autem ab auctoritate ostendit, sic : Vere Dominus *confringet* inimicos, convertendo eos ad se.

Nam *Dominus dixit* hoc mihi interius, spiritali revelatione, *Ex Basan*, id est ex confusione *convertam* quosdam, id est *convertam* quosdam ad me de inimicis meis : propter *Basan*, id est propter confusionem quam in se habebunt, de peccatis suis verecundando et gemendo. Basan quippe *confusio* dicitur. Cum dicit *ex Basan*, illud *ex* causative ponitur. Ostendit autem per partes quos convertet, addendo sic, scilicet *convertam in profundum maris* existentes, id est illos qui profundi erunt in amaricatione vitiorum. Per hanc vero partem innuit quia multo magis convertet quosdam, nondum existentes in profundo maris. Facit autem apostropham ad Deum, cum gratiarum actione, sic : Dixi o Deus, quod convertes et confringes inimicos, et usque adeo confringes, *ut pes tuus intingatur in sanguine*, id est inimici facti pes tuus, id est discur-

www.libtool.com.cn

sores tui qui te per mundum discurrentes confitebuntur, intingantur in sanguine martyrii. Exprimit autem ad quod efficientur *pes* cum subdit: *Pes* dico ex *inimicis* factus, *lingua canum tuorum*. Imtransitive dictum est, ac si diceret: Qui discursores ex inimicis efficientur linguosi tui canes : et hac *a teipso*, non a libero arbitrio suo. Quod est dicere : Facies eos similes linguosis canibus, qui fidelia animalia sunt dominis suis, et inimicis oblatrantes, ut ipsi similiter tibi fideles, hæreticis et omnibus infidelibus oblatrent ubique gentium discurrentes, et doctrinæ semina spargentes, pro qua etiam non dubitabunt intingi *in sanguine* martyrii. Quia vero pede curritur, pes pro discursoribus haud incongrue sumitur. Per hoc autem intingentur *in sanguine* quia *viderunt ingressus tuos*, id est videbunt *gressus tuos*, *Deus*, id est quod tu per mortem gradieris, Ideoque tui exemplo intingentur. In alia translatione habetur : *Viderunt itinera tua*. Qua de re et ingressus pro gressus positum esse colligimus. Ne vero inconveniens videretur eum Deum esse, et per mortem gradi confirmat hoc, ad instructionem auditorum, apostropham ad eos faciendo, sic : Dico quod videbunt gressus tuos. Et vere, o auditores, gressus tales erunt *Dei mei, regis mei, qui est*, id est habitabit *in sancto* Dominico homine; ac si dicat : Verbum Dei Deus meus existens cuicunque Deus non videatur et rex meus, secundum quod *in sancto* erit, gradietur per mortem, id est sanctus ille ipsi personaliter unitus morietur. Quod est ac si dicat : *Deus verbum dabit* eis exemplum moriendi gradienda per mortem. Et ideo adhuc intingentur *in sanguine*, quia *prævenerunt principes*, id est apostoli, qui *principes* erunt Ecclesiæ, prævenient eos in intinctione sanguinis. Quod est dicere : Non solum Deus dabit eis exemplum intingendi, sed et apostoli qui prius intingentur.

Queniam autem dixerat eos *principes*, ne viderentur de principatu suo superbire, addit : *principes* dico *conjuncti psallentibus*, id est qui conjungentur minoribus fidelibus bene operantibus, ut cum eis sint unum corpus Ecclesiæ, sic. Quod est dicere : Non dedignabuntur conjungi subditis, ut unum sint cum eis, sed una collectio cum eis erunt. Exprimit autem quibus psallentibus conjungentur, cum subjungit, scilicet erunt *in medio juvencularum tympanistriarum*, id est erunt existentes inter illos fideles ut sint una collectio cum eis, qui juvenculæ 247 dicentur, eo quod in fide juvenes erunt, id est noviter ad fidem accedentes. Tympanistriæ vero dicuntur, eo quod in tympano Deum laudabunt, id est carnis mortificatione, quæ tympanum intelligitur: quod musicum instrumentum est mortuorum animalium pellibus involutum. In hoc autem dant exemplum humilitatis, ne aliquis in Ecclesia prælatus contra subditos extollatur. Tympanistrias quidem subditos fideles feminine dicit, eo quod imperfectiores sunt apostolis in sanctitate, sicut femininus sexus imperfectior et debilior est masculino.

A Faciendo vero apostropham ad eos quos superius vocavit Dei pedes et linguosos canes, adhortatur ad benedicendum Deum, habitando in communitate Ecclesiæ, non superbe dividendo se ab ea, quod Deo esset ingratum, quandoquidem *principes conjuncti* erunt juvenculis. O vos convertendi *ex Basan* futuri pedes Dei, nolite superbire de hoc quod pedes eritis, sed in *Ecclesiis*, id est in communitate Ecclesiarum de Judæis existentes, quas juvenculas vocavi. *Benedicite Domino Deo*, id est laudate illum Dominum qui Deus est potens remunerare laudem vestram, laudate scilicet voce, vita, et pro eo moriendo. Dico *benedicite Deo*, quod benedicere procedat *de fontibus Israel*, id est de exemplo fontium, id est Ecclesiæ, scilicet laudate eum in communitate Ecclesiæ de Judæis persistendo, sicut apostoli, B qui dicuntur fontes Ecclesiæ, eo quod eam doctrina sua potant. Nihil enim proficeret bene facere, si superbiendo discederetis ab Ecclesiæ collectione. Juxta quod Apostolus testatur: « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 3). » Tunc quidem discederis ab Ecclesia, si vos solos sanctos esse judicantes, illos de Ecclesia judicaretis esse solummodo peccatores et indignos conversatione vestra, et sic charitatem erga eos non haberetis.

Diceret aliquis : Qui erunt fontes illi ? Ad hoc autem sic respondet, *ibi*, id est inter illos fontes erit *Benjamin adolescentulus*, id est Paulus qui erit de C tribu Benjamin, sicut idem testatur ad Philippenses. « Ego circumcisus octava die ex genere Israel de tribu Benjamin (*Phil.* III, 5), » etc. Dicitur autem Paulus *adolescentulus*, eo quod ultimus apostolorum ad fidem venerit : non quod in fide et santitate imperfectior exstiterit, qui ideo abortivum se testatur sic : « Novissime omnium tanquam abortivo visus est, et mihi (*I Cor.* XV, 8). » Dico quod Benjamin, id est Paulus est futurus inter apostolos : et hoc *in mentis extasi*, id est per excessum mentis, scilicet extasim mentis in qua erit pergens Damascum, quando circumfulgebit eum lux de cœlo, sicut in Actibus apostol. legitur (*Act.* IX, 3). Vel sic : *Benjamin* erit ibi existens *in excessu mentis*, id est D qui erit in contemplatione secretorum cœlestium scilicet cum rapietur usque ad tertium cœlum, et audiret arcana verba quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). Vel sic: *Benjamin* erit *ibi*. et hoc is *excessu mentis* hominum, id est in stupore. Stupebunt enim multi ejus conversionem audituri, cum prius Ecclesiæ persecutor futurus sit: Et ibi etiam, id est in collectione fontium Israel erunt *principes Juda*, *et principes Zabulon*, *et principes Nephtalim*, id est cæteri apostoli, quorum quidam erunt de tribu Juda, quidam de Zabulon, quidam vero de Nephtalim. De his enim tribubus volunt quidam expesitores apostolos fuisse, et si forsitan scriptum alicubi non habeatur. Quod hic denotat Propheta ad evidentiam prophetiæ suæ. Vel per Judam qui *con-*

fessio dicitur, fides accipitur; ex qua confessio Dei generatur. Per Zabulon autem qui *fortitudo* sonat, spes intelligitur, quæ fortes in passione fideles facit. Per Nephtalim vero quæ dicitur *dilatatio*, charitas denotatur, quæ usque ad inimici etiam dilectionem dilatatur. Apostoli quippe principes fidei, spei et charitatis Ecclesiæ exstitere, cum ista tria habenda esse prædicavere. *Principes* dico futuri *duces* illorum scilicet Israel, id est Ecclesiæ totius. Illorum autem etsi casus pluralis sit, ad Israel, qui singularis casus est congrue refertur. Est enim in sensu pluralis, in litteratura singularis.

Enuntiata 248 Ecclesiæ constitutione, orat Deum Patrem ut officio Filii istud quod prophetizavit compleatur, sic : Dixi quod gentes turbabuntur, et terra movebitur, et Deus confringet capita inimicorum, et convertet eos ex Basan : et cætera talia quæ predixi fient. Et ut hæc omnia compleantur, *Manda Deus* Pater hoc *virtuti tuæ*, id est impone hoc officium Filio tuo, qui per emphasim erit virtus tua, per quem diabolum mirabiliter expugnabis. Et postquam hæc per Filium compleveris, *confirma hoc* quod operatus es, id est *quod operatus es in nobis*. Quod est dicere : Constitue Ecclesiam ex utroque populo, et perfectam fac in omni sanctitate, et post eam confirma, ne deficiat. Cum dicit *nobis*, confert se in Ecclesiam futuram, quia fide jam Ecclesiæ membrum erat. Dico, *manda*, id est impone negotium constitutionis Ecclesiæ Filio tuo : Incipiens *a templo sancto tuo, quod est in Hierusalem*, id est incipiens constituere ipsam Ecclesiam ab illis convertendis, qui existentes in Hieruselem, id est in Judaico populo, erunt templum sanctum tuum, in quibus fidelibus factis spiritaliter habitabis. Quod est dicere : A Judæis sit principium Ecclesiæ. Hierusalem vero quia civitas est in Judæa, pro Judaico populo congrue sumitur. Et si hoc Filio mandaveris, *tibi offerent reges munera*, id est multi ex gentibus et Judæis reges sui ipsius facti, offerent sese tibi munera, ut suas voluntates postponendo, se tibi subjiciant, et tibi soli obediant. Prævidens autem Propheta in Ecclesia multas hæreticorum seditiones esse futuras, orat Deum ut eas compescat sic : Non solum oro ut mandes hoc negotium virtuti tuæ, sed cum videam hæreticos multos in Ecclesia futuros, qui recte feræ dicentur, eo quod feroces erunt et irrationabiles, et fidelium devoratores ut feræ, oro, *increpa*, id est increpatione prædicatorum tuorum convince, *feras arundinis* devoratrices, id est divinæ Scripturæ, quam corrumpunt interpretando sinistre : quæ Scriptura recte per arundinem accipitur, quia arundine antiquorum erat scribere. Quasdam, scilicet *increpa*, ut convertantur : quasdam vero non convertendas, sic ut manifestentur, ne ultra decipiant. Vel feras devoratrices arundinis, id est illorum fidelium, qui leves et instabiles erunt ut arundo, et qui omni vento doctrinæ circumferentur.

Necesse quidem erit ut increpes. Nam *congregatio taurorum*, id est hæreticorum qui dicentur tauri eo quod superbi erunt ut tauri qui cervicosi sunt, erit *in vaccis pnpulorum* fidelium, id est in jam dictis fidelibus, qui debiles erunt ad modum vaccarum, quæ debiliores sunt tauris. Quod est dicere : Multi erunt hæretici, qui sibi multos idiotarum conformabunt. Ne vero videretur Deus eos permittere dominari, sine omni suorum utilitate, quod inconveniens existimaretur, addit : Ad hoc scilicet *in vaccis populorum, ut excludant* a massa idiotarum *eos qui probati sunt*, id est perfecti in *argento*, id est in Scriptura, quæ nitida est ut argentum; vel in argento, id est in facundia bene resonanti, ad modum argenti. Quod est dicere : Ut per eorum separationem a fidelibus sapientibus, appareant et manifestentur ipsi fideles, in Scripturarum scientia et in eloquentia probati. Qui aliter non manifesti fierent, juxta quod Apostolus asserit, « Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis (*I Cor.* XI, 16). » *Excludant*, pro manifestent, per similitudinem ponit a similitudine scilicet illius, qui, cum alicubi sit inclusus, non apparet; si vero excluditur, apparet statim et fit manifestus. Notandum quidem quod majores hæreticos *feras* dicit, illos scilicet qui magistri sunt errorum, eo quod immites sunt ad modum ferarum. Non solum autem oro increpari feras, sed etiam oro : *dissipa gentes quæ bella volunt*, id est convince minores hæreticos, discipulos majorum. Quos gentes ideo dico, quod multi erunt. Dico, *dissipa*, id est divide scilicet ut quosdam sic convincas ut convertantur; quosdam autem perdendos, solummodo ut manifestentur. Et merito dissipabis, quia non volunt pacem, sed seditiones in Ecclesia et bella. Et ita erit. Vere feras increpabis et gentes 249 dissipabis prædicatores, qui legati tui erunt. Nam *venient legati ex Ægypto*, id est ex massa peccatorum in peccatis tenebrosorum, qui per Ægyptum competenter accipiuntur; Ægyptus quippe dicitur *tenebræ*. Quod est dicere : Multi ex peccatoribus legati tui facti, venient ad hoc ut prædicent. Et priusquam Ægyptus legatos habeat, *Æthiopia*, id est Ægyptus *præveniet*, id est ante festinabit dare *Manus ejus*, id est manus suas *Deo*, id est massa tenebrosorum salvanda festinabit se Deo subdere per fidem, a similitudine illius, qui cum subditus cujuslibet efficitur, manus suas dat illi. Æthiopia quidem illud idem hic significat quod Ægyptus, non quod ei eadem sit interpretatio, sed quia Æthopiæ coloni nigerrimi sunt. Adhortatur vero omnes fideles psallere Deo et cantare, contuitu omnium horum supradictorum, sic : Ergo quia hæc omnia quæ prædixi complebuntur, *regna terræ*, id est vos omnes efficiendi regna Dei, ex terra, id est ex terrenis, *cantate Deo* Christo, id est laudate Deum cum cantico, id est jucunditate contemplativæ vitæ. Et qui non potestis cantare, *psallite Domino*, id est laudate Dominum, psalmo, id est bona operatione activæ vitæ. Hoc autem superius in hoc eodem psalmo dictum est, ubi dixit :

www.libtool.com.cn

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus. Sed superius ad primitivos dictum est, hic autem dicitur ad omnes fideles *Psallite*, iniquam, *Deo, qui ascendit super cœlum cœli*, id est Deo qui secundum humanitatem ascendet *super cœlum*, id est super firmamentum *cœli* aerii complexivum, id est complectens in se totum aerem, terram mare et omnia quæ in eis sunt. Determinat quoque locum unde ascendit, ad fidei nostræ confirmationem, sic: Dico ascendet cœlum et hoc *ad orientem*, id est versus orientem, scilicet a monte Oliveti, qui Hierusalem oppositus est ab orientali plaga. Vel ascendet, id est dignitate sua sublimabitur, usque ad orientem, id est usque ad hoc dignus erit ut personaliter uniatur Verbo Dei, quod in æternum et ineffabiliter oritur, id est generatur a Patre. Dico, ascendet, ipse dico existens sublimis *super cœlum* superius *cœli* inferioris complexivum, id est dignior sublimioribus cœli civibus, qui in potestate principatus sui minores spiritus complectuntur. Dico, *psallite* et *cantate*, et hoc faciendo *date gloriam Deo*, id est date gloriosam laudem Deo; non reputantes vos a vobis hoc habere, quod eum laudare potestis, sed ab eodem Deo. Alioquin gloriosa laus non esset. Et dignum est ut hoc totum faciatis. *Ecce* enim in præsenti non diu tardabit, scilicet post præsens sæculum quod brevissimum est, ad comparationem Dei, *dabit voci suæ, vocem virtutis* esse, id est faciet vocem suam esse vocem virtuosam et potentem, dicendo: « Discedite a me, maledicti (*Matth.* xxv, 41), » etc., qui in passione humilem vocem habebit, dicendo: « Tristis est anima mea (*Matth.* xxvi, 38), » et cætera hujusmodi. Ac si dicat: Laudate eum qui potens apparebit in judicio, nolentibus eum audire in humilis doctrinæ alloquio, ne vos tunc juste damnet, si in ejus laude fueritis neglectores. Et ideo adhuc *date gloriam*, quia tunc *magnificentia ejus* erit super Israel, id est ex superiori dispositione sua magnificabit in gloria electos ex Israelitico populo, *et virtus ejus* erit *in nubibus*; id est beatitudo et potentia judicandi mundum ab eo data in apostolis, qui sunt nubes, id est erunt Ecclesiæ complutores in hac vita. Juxta quod dicit: « Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xix, 28). » Non solum autem nubes et Israel beatificando *mirabilis* apparebit, sed mirabilis *Deus* apparebit *in* omnibus *sanctis suis*, eos beatificando ex quocunque populo. *Deus Israel dico*, id est Deus Jacob patriarchæ, non recens Deus. Vel Deus Israel, id est totius Ecclesiæ, quæ tunc erit videns Deum. Exponit autem, in qua re *mirabilis* erit *in sanctis suis*, cum addit: Dico *mirabilis*, et in hoc quia *ipse dabit virtutem plebi suæ*, id est immortalitatem et impassibilitatem, quæ hic infirma est, eo quod sit passibilis et mortalis, et *dabit fortitudinem pleb suæ*, ut ulterius non possit decipi et peccare. Ipse dico *benedictus Deus* existens, id est 250 exaltatus Deus; ac si dicat: Cum ipse exaltatus sit. In sublimitate divinitatis suæ potest utique plebem suam in futuro exaltare, dando ei fortitudinem et virtutem.

IN PSALMUM LXVIII.

Psalmi sexagesimi octavi titulus. *In finem Psalmus pro his qui commutabuntur David.* Quod sic exponitur: Psalmus iste agit *pro his*, id est pro utilitate eorum *qui commutabuntur David* Christo, id est commutati de vetustate Adæ, conformabuntur novitati Christi. Dico *commutabuntur*, et hoc *in finem*, id est in perfectam commutationem. Hic scilicet *commutabuntur* et conformabuntur ei secundum sanctitatem et innocentiam, prout eis erit possibile, in futuro vero secundum immortalitatem et impassibilitatem. Et bene quidem intitutatur *psalmus*: Agere pro utilitate eorum qui commutabuntur. Cum et Christi resurrectio, futura sit causa hujus commutationis; et cum Christus hic introducatur orans de constantia et de resurrectione. Orare etiam haud dubium est eum, pro suorum commutandorum utilitate. Ostendit quoque in hoc psalmo passionem suam, ut passione eadem redemptos obnoxios sibi reddat, et pro se patiendi exemplum tribuat. Agit insuper de inimicorum damnatione multimoda, ut suos ab eorum conformitate retrahat. In fine vero psalmi suos ad Dei laudem exhortatur, de quorum breviter agit salvatione.

Salvum me fac, Deus Pater, faciendo constantem, et resuscitando. Et necesse est ut hoc orem, *quoniam aquæ*, id est Judæi *intraverunt*, id est intrabunt *usque ad animam meam*, auferendam. Quod est dicere: Ipsi qui diu voluntatem, habuerunt mortem meam operandi, et non potuerunt, eam nondum esset tempus meæ passionis a Deo dispositum, tandem intrabunt ad operationem passionis meæ, *usque*, adeo ut etiam animam meam auferant, permissione hac a Dei dispositione accepta, a similitudine illius qui diu aliquo intrare desiderans, et non valens, tandem intrare permittitur. *Intraverunt aquæ*, a similitudine dicit: sicut enim aquæ navem intrantes, navem submergunt, ita et ipsi inimici passionis ejus operationem ingressi, eum in mortem demerserunt. Unde etiam, scilicet quia eum in mortem demerserunt, aquæ dicuntur. Aquarum enim est mergere. Sive aquæ dicuntur eo quod diffluisunt, et moventes se ad omne nefas, more aquæ, quæ res mobilis est et diffluа. Per hoc autem potestatem habebunt intrandi *usque ad animam meam*, quod *infixus sum in limo profundi*, id est, ego Verbum tuum, Pater existens, fixe et incommutabiliter unitus sum humanæ naturæ, quæ limus dicitur, eo quod terrena est, et secundum mortalitatem fragilis, et profundus limus, id est infimus, inferioris scilicet naturæ quam divinitas. Profunda quippe res, infima est aliquando. Ideoque profundus sumitur pro infimo. Cum autem dicit *infixus*, quia immutabiliter unitus est, et firmiter humanæ naturæ intelligere datur. Illud namque quod immobile est et firmum, fixum vocari solitum est.

www.libtool.com.cn

Bene vero non fixum, sed infixum ponit, quasi diceret interius fixum, ut innuat et se firmiter unitum esse, et humana natura latere, non visibilem apparere. Et in hoc fidem nostram instruit, cum se Deum esse et hominem asserit. *Et* quoniam infixus sum, *non est substantia,* id est non erit mihi subsistentia. Quod est dicere : Non subsistam, id est non vivam; quin moriar, cum sic a Patre meo dispositum sit. In alia translatione habetur. *Non possum consistere.* Vel sic : Et ideo *salvum fac,* quia *infixus sum in limo profundi.* Hoc autem per solam similitudinem ponitur, ac si dicat : Ideo necesse est ut me salves, quia similis ero infixo in limo profunditatis, qui, non valens evadere, demergitur. Nam et ego in tribulationibus infigendus, non evadam, et quia similis ero infixo, non erit substantia ; hoc non mutatur. Vel sic : Ideo intrabunt *aquæ usque ad animam meam,* quia *infixus sum in limo* profunditatis, id est quia ego existens conversando inter Judæos, qui sunt limus profundissimus, *sum infixus,* id est interius firmus 251 et constans in anima, ne eis conformer timore, etsi videar exterius infirmus in carne. Limus quidem jure dicuntur, eo quod sordidi sunt in iniquitatibus, et cœnosi, ad modum luti, quod cœnosa res est et sordida. Et bene quoque profunditatis limus dicuntur, eo quod in sorditate sua profundissimi sunt.

Quia vero dixerat eos esse limosos, videretur alicui quod Deus eos naturaliter limum fecisset, et sic omnis culpa in eum transferretur, ipsis excusabilibus existentibus. Quod intendit removere, addendo sic : *Et* hoc quod sunt limus, *non est substantia,* id est non est aliqua natura a Deo in eis creata. Quod est dicere : Non creavit eos Deus limosos et sordidos, sed ipsi per iniquitates suas limosi et sordidi facti sunt. Dixi quod aquæ intrabunt *usque ad animam meam.* Et hoc injuste sine aliquo merito meo malo. Ego namque *veni in altitudinem maris.* Id est gratuita voluntate accessi ad ipsos Judæos, qui alti sunt et profundi in amaricatione peccatorum suorum. Et veniendo *laboravi* ad hoc ut eos instruerem, clamans ad eos et prædicatione et opere. Quod est dicere : Gratuita clementia ad eos veni, et *laboravi* intento clamore prædicationis et operum, ut eos ad salutis viam reducerem. *Et* ex opposito *tempestas demersit me,* id est ipsi facti tempestuosi. Scilicet in insurgentibus in me tribulationibus et blasphemiis, more tempestatis demergent me, id est de vita in mortem mergent. Mittit autem nos ad figuram historiæ de Jona, qui a maris tempestate demersus, et a ceto absorptus, post dies tres, ceto eum supra littus evomente, evasit (*Jon.* II, 11). Sic et Dominus Jesus per tres dies in potestate Judæorum existens, a quibus est in mortem demersus, post tres dies surrexit. Dico quod *laboravi clamans,* Et dum clamarem, *raucæ factæ sunt fauces meæ,* id est fauces meæ comparabiles erunt raucis faucibus, scilicet sicut ille cujus fauces raucæ sunt non auditur, ita nec mea prædicatio ab illis audita est. Et hoc totum est, ac si diceret : Dignus sum salvari. Nam injuste me occident, qui ad eorum salutis instructionem veni, quem audire neglexerunt. Deprimendo quippe inimicorum partem, suam magis exaltare videtur. Ut autem salvationis suæ meritum augmentet, nimiam futuram esse tempestatem eum demersuram ostendit, cum sic addit : Dico quod demerget me tempestas, pro qua tempestate *defecerunt oculi mei,* id est deficient apostoli, qui dicuntur oculi, quia totum corpus meum, Ecclesiam scilicet, illuminent prædicatione et vita. Sic videlicet deficient, ut me solum reliquentes aufugiant. Dum hoc sit tamen quod ego *spero in Deo meo ;* ac si dicat : Quamvis deficiant a me, tamen exemplum deficiendi non habebunt. Ego enim non deficiam, sed in Deo meo qui præ cæteris obedio, spem resuscitandi habens, immobilis existam.

Et ideo necesse est ut me salvum facias, *quia* Judæi qui *oderunt me gratis,* id est, Judæi qui odio me persequuntur gratuito, *multiplicati sunt super capillos capitis mei,* id est multi erunt super numerum eorum, qui capilli erunt mei capitis, eorum existentis, id est plures erunt quam discipuli mei, qui sunt ornantes me bona vita sua, sicut capilli caput ornant. Et non solum multi erunt, sed *confortati sunt,* id est fortes erunt et efficaces divina permissione, *inimici mei* Judæi, qui persequuntur me innocentem. Hoc quod dicit *confortati sunt,* illud idem videtur dicere quod superius, ubi dicitur *intraverunt aquæ,* sed hic manifestius ponitur. Ideoque repetitur est. Et tunc quando me persequentur, *exsolvebam quæ non rapui,* id est exsolvam pœnam rapinarum Adæ et Evæ, *quæ non rapui,* id est quas rapinas non feci. Rapere dicitur qui quod suum non est sibi assumere præsumit. Rapinas itaque Adam et Eva fecerunt, quando per pomi comestionem se deificare putaverunt. Dico quod exsolvam pœnas alienarum rapinarum. Et hoc insipientia maxima esse videbitur infidelibus ut, cum Deus sim, et innocens, mori velim pro peccatis alienis Sed tu, Pater, qui omnia conspicis, *scis insipientiam meam,* id est disponis hoc quod insipientia videtur, quod potius 252 summa sapientia est. Unde Apostolus : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus (*1 Cor.* I, 25). » Dico quod *non rapui.* Judæi vero putant me rapinam facere, et peccatorem esse, eo quod me Dei Filium dicam, et regem Israel. Et *delicta mea a te non sunt abscondita,* id est hæc talia quæ ipsi reputant esse delicta mea. Et potius summa justitia sunt et veritas *a te non sunt abscondita,* id est tibi placent.

Quod dicit *a te non sunt abscondita,* per similitudinem ponit. Illa namque quæ nobis placent, non nobis abscondi volumus, sed sæpe aspicimus. Et ideo adhuc *salvum me fac,* ut *non erubescant in me* non resuscitato, id est de hoc quod ponunt spem salvationis in me, illi *qui expectant te* me resuscitaturum *Domine, Domine,* inquam, non solum terrestrium, sed etiam *virtutum* cœlestium. Quod est

www.libtool.com.cn

dicere : Non solum propter merita mea me resuscites, sed cum tu Dominus virtutum existens potens sis ad me resuscitandum, resuscita me, ne apostoli, qui in me spem salvationis suæ ponunt et mei resurrectionem exspectant, erubescant. In me namque se sperasse erubescerent, si in morte remanerem. Non solum vero *non erubescant*, sed etiam *non confundantur super me*. Id est de me non resuscitato apostoli mei, *qui quærunt te* bona vita sua *Deus Israel*, id est Deus qui facis Israel omnes te quærentes; ac si dicat : Apostoli mei qui bene vivendo te quærunt, ut eos facias *Israel*, id est spiritaliter videntes te, confunderentur a Judæis si non resurgerem. Id est verberarentur, et seductores et mendaces dicerentur, et etiam interficeretur. Et ideo quia per me *te quærunt salvum me fac*, ne ipsi *confundantur*. Et ideo adhuc *salvum me fac, quoniam propter te sustinui opprobrium*, id est ut hanc obedientiam a te mihi injunctam compleam; obedientiam scilicet patiendi, sustinebo, id est patienter feram opprobrium, a Judæis illatum, cum dicent me mendacem et seductorem. Et *operuit confucio faciem meam*. Id est videbitur verecundia penitus occupare faciem meam. Quod est dicere : Illud patiar, unde solet operiri facies multorum confusione, sputa scilicet et blasphemias, et verbera. Et adeo sustinebo opprobrium, quod *extraneus factus sum*, id est fiam, *fratribus meis* apostolis, qui filii adoptivi sunt Patris mei, scilicet dimittent et denegabunt me ut extraneum, sicut Petrus qui dicet : « Mulier, non novi eum (*Luc.* XXII, 37). » *Et filiis matris meæ*, id est Judæis omnibus filiis stirpis Judaicæ unde natus sum, fiam *peregrinus*, ut nullum misericordiæ respectum in me habeant, ac si peregrinus essem, id est alienigena. Vel *filiis matris meæ*, id est progeniei meæ scilicet contribulibus meis fiam peregrinus, ut partem meam nunquam adjuvent, ac si alienigena essem.

Et ideo adhuc *salvum me fac, quoniam zelus*, id est indignatio *domus tuæ*, id est templi tui male tractati, *comedit me*, id est causa erit comestionis mei, scilicet causa erit cur me morte devorabunt more cibi qui comeditur. Ac si poneret : Illud quod ego juste indignatus de templo tuo, quod faciunt speluncam latronum, emendo et vendendo in eo ipsos inde expellam (*Matth.* XXI, 12, 13), causa erit quare me interficient injuste. Ideoque dignus sunt salvatione. Et ideo adhuc, quia *opprobria*, id est pœnæ opprobriorum *exprobrantium tibi ceciderunt super me*, id est cadent super me, scilicet retorquebuntur in me, ut me opprimant, more ponderis, quod super aliquem cadens, eum opprimit. Ac si dicat : Tibi exprobrant Judæi, dum præceptis tuis omissis, traditiones suas observare nituntur. Opprobria namque tibi inferunt, dum, præcepta tua postponendo, traditiones suas prævalere innuunt. Quoniam autem eos de his opprobriis redarguenti, pœnas mihi inferent crucis, a quibus in mortem cadam, dignus sum salvatione. Et ideo

A adhuc quia ego *in jejunio* incorporationis eorum existens *operui animam meam*, id est celabo animam meam esse potentem ad eos damnandum, quæ solo velle possset eos interficere. Et hoc quod celabo *factum est*, id est fiet *mihi in opprobrium*. Ac 253 si dicat : Cum ego de eorum incorporatione satiari voluero, me jejunum facient, nolendo converti. Et cum eos ad hoc jejunium statim damnare solo velle animæ meæ potero, patienter sufferam, ut eis exemplum patiendi relinquam. Et sic celabo animam meam esse ad damnandum potentem. Unde mihi opprobrium inferent, mendacem esse asserentes, quia me Dominum et regem asseruerim. Et quia adeo patiens ero in jejunio, salvatione dignus existo. Operire quidem pro celare bene ponitur,

B quia rem quam celare volumus, aliquando operire solemus. Et ideo adhuc *salvum me fac*, quia *posui vestimentum cilicium*, id est ita contristatus sum de eorum perditione, sicut ille qui in morte amici sui ponit vestimentum suum cilicium, id est utitur illo vestimento, quod cilicium dicitur. Ut enim signum esset mœroris, in amicorum morte, antiqui cilicio utebantur. Et ideo adhuc quia *factus sum illis in parabolam*, id est de me eis parabolice locutus sum, ut eos mihi incorporarem. Verbi gratia, ubi locutus est de patrefamilias, qui misit filium ad vineam, quem agricolæ interfecerunt (*Matth.* 28; *Marc.* XII), et in multis aliis locis parabolice de se locutus est, ut eos sibi alliceret. Citius enim para-

C bolica verba mentes audientium allicere solent quam si aperta locutio eis fieret. Et hoc est ac si dicat : Dignus sum salute, cum adeo pius sim quod de inimicorum perditione contrister, et de me, ut eos alliciam, parabolice eis agam.

Cum autem de eorum salute sollicitus ero, e contrario illi *qui sedebant*, et adhuc sedent in *porta* scientiæ, non introeuntes, neque alios malo exemplo suo introire permittentes (*Luc.* II, 52), Scribæ et Pharisæi scilicet, *adversum me loquebantur*, id est adversum me loquentur, agendo de morte mea. *Et qui bibebant vinum*, plebs scilicet quæ repletur et inebriatur carnali voluptate, quæ eos a vera voluntate et sensu revocat, more vini inebriantis, *psallebant in me*, agendo ; id est psalmodia dulcis-

D sima eis erit, mihi detrahendo agere de morte mea; ac si diceret : Et principes qui aliquantulum austeram ducunt vitam, ut scientes æstimentur, ipsi tamen in porta scientiæ, non in ipsa scientia sunt, id est scientes apparent et stulti sunt. Ut petulans plebs omnimoda voluptate inebriata, contra me loquendo, in hoc valde delectantur. Vel sic : Ii qui sedent in porta civitatis ad judicia facienda (judicum enim erat in porta sedere, ut parati essent et intrantibus et exeuntibus judicium facere), et illi qui bibunt vinum in conviviis, psallunt in me agendo, ac si dicat : Et ubi congregantur ad justitiam exercendam, et ubi ad voluptatem suam complendam, contra me semper agunt, et hoc est eis

www.libtool.com.cn

psalmus dulcissimus, *Ego vero*, quamvis sic contra me loquantur, *orationem meam* puram et sanctam, et ex recta devotione procedentem, *ad te Deum* Patrem dirigam pro eorum parte salvanda. Ideoque dignus sum ut salver, cum pro inimicis oraturus sum clementer. Quæ oratio mea talis est : *O Deus* Pater, *tempus* est *beneplaciti* tui, id est beneplacentis tibi gratiæ tuæ exercendæ *in* me existente *multitudine misericordiæ tuæ*, id est exercendæ in humano genere, per me, qui sum multa misericordia tua, per quem multa beneficia misericordiæ generi humano impendes. Ac si dicat : Miserere inimicorum meorum salvandorum ; nam jam est tempus gratiæ, tempus plenitudinis, in quo debes et Judæorum et gentilium convertendorum, per me qui sum multa misericordia tua, peccata remittere. Et quia tempus plenitudinis advenit, ut per me generi humano miserearis, prius *exaudi me orantem in veritate*, id est in consideratione veritatis *salutis tuæ*, id est qui hac fiducia te oro, quia considero te veracem futurum in hoc quod promisisti te salvaturum me, vel orantem in veritate salutis tuæ, id est in postulatione veræ et æternæ salutis a te dandæ ; ac si dicat : Vere debes exaudire, cum te considerem veracem in hoc quod me salvandum esse a te promisisti. Et cum non quæram salutem hominum, quæ vana est, 254 sed salutem immortalitatis et impassibilitatis æternæ a te solo dandam, in hoc scilicet me exaudi.

Eripe me de luto, id est de carnis putredine. Quid enim caro putrida humore commisto aliud melius dici potest, quam lutum. Et non sic eripias *de luto* ut prius in lutum perveniam, sed *ut non infigar in lutum*, id est sic *eripe* ut nullatenus in putredinem veniam, sicut alibi dicitur : « Nec dabis sanctum tuum vidore corruptionem (*Psal.* xv, 10), » Et in hoc quoque *exaudi me*, scilicet *libera me ab his qui oderunt me*, id est a Judæis, qui odio iniquo persequentur me. Exponit autem quomodo se orat ab eis liberari, addendo sic : *Et*, id est scilicet, *libera me de profundis aquarum*, ut *non me demergat tempestas aquæ*, id est plebs Judaica existens aqua tempestuosa, quæ vult me in conformitatem suam trajicere, more aquæ tempestuosæ, qui existentem in se demergit, non habeat potestatem ut me timore mortis in conformitatem suam demergat. *Neque absorbeat me profundum* inferni. Absorbere dicimus, cum aliquis invitus ab aqua vel abysso profundissima suscipitur : ac si dicat : Volo quidem in infernum ire, ut eum exspoliem, non sic tamen ut ab eo pro aliqua actuali vel originali macula invitus absorbear, sicut cæteri omnes absorbentur. *Neque putens*, id est profunditas inferni, *super me* absorptum, *urgeat*, id est coarctet, vel claucat *os suum*. Quod est dicere : *Neque me absorbeat, neque super me* absorptum os suum claudat, ne egredi valeam, a similitudine putei, quem ai aliquis ingrederetur, et os putei clauderetur, ingressus non haberet egrediendi potestatem, sed interius retentus periret. Et hoc est ac si dicat : Neque me infernus absorbeat, neque me retinendi facultatem habeat. Et ne aliquid horum sit, *Exaudi me, Deus*. Hoc autem ex nimio impetrandi desiderio repetit.

Et ideo *exaudi quoniam benigna*, id est larga *est misericordia tua*, id est quia naturaliter large misericors es, *exaudi me* misericorditer. Et *respice in me* misericorditer, id est miserere ut resuscites, a similitudine illius qui benigne respicit eum cui vult misereri. Dico *respice in me*. Et hoc *secundum multitudinem miserationum tuarum*, id est secundum multas miserationes tuas, scilicet secundum multa beneficia misericordiæ tuæ ; ac si dicat : Cum multa beneficia omnibus creaturis tuis misericorditer impendas, multo magis dignum est ut mihi, qui tibi præ omnibus obedio, beneficia hæc quæ postulo tribuas. Oro, *respice in me. Et* oro etiam *ne avertas faciem*, id est gratiam, *tuam a puero tuo*, id est a me servo tuo, secundum quod homo sum. Gratia per faciem designatur, eo quod in facie signum gratiæ solet apparere. Puer autem pro servo usitative ponitur. Quod est dicere : Cum gratia tua magna sit erga me, non permittas me in aliquo labi, ut per hoc gratiam a me avertas. Notandum eum non ideo orare quod labi timeat in aliquo, sed ideo ut exemplum orandi ne labamur nobis relinquat. Et *quoniam tribulor*, id est in tui obedientia sum tribulandus, *exaudi me* ut resuscites : et hoc *velociter*, post tres dies scilicet. Ideo repetiit *exaudi me*, ut apponeret *velociter*. Et *intende animæ meæ*, id est intentionem famæ da vitæ meæ, ut ubique populorum palam sit me resurrexisse. *Et* ut intentionem ei des, prius *libera eam* a morte. Hoc autem illud idem est in sententia, quod et *exaudi me velociter* ; sed ideo repetit, quia determinat quomodo liberet, cum subjungit scilicet *eripe me*, id est libera me manifestate, non occulte. Et hoc oro *propter inimicos meos* custodes, qui me custodient ne refugiam ut ipsi confusi recedant ; vel *propter inimicos meos* et Judæos et gentiles, qui mihi male vivendo inimicantur, ut propalata gloriosa resurrectione, in ea convertantur. *Eripe me* per similitudinem ponitur. Qui enim eripitur, non clam, sed manifeste, liberatur, ac si dicat : Libera me manifeste, velint nolint, et sic inimici mei convertantur. Et me eripere debes, nam tu qui omnia nosti *scis improperium meum*, a Judæis 255 inferendum, esse falsum ; hoc scilicet quod improperando dicent me seductorem, fabri filium, et cætera talia.

Et scis *confusionem meam*, ab eis imponendam, esse falsam, hoc scilicet quod injuste reputabunt me in anima confundi de conscientia peccatorum, qui peccatum non feci, nec inventus est dolus in ore meo (*I, Petr.* ii, 22). Et *tu scis* esse falsam verecundiam, quam meam facient, scilicet quod dicent me habere verecundiam, id est erubescentiam de objectione falsorum criminum, cum me mentientur esse peccatorem, de hoc quod me Deum assero et regem, unde nullam habebo verecundiam. Imper-

www.libtool.com.cn

fectorum enim est de impositione falsorum crimi- A existens, id est in evidenti eorum existens, quantum
num erubescere. Et *in conspectu tuo*, qui omnium ad ipsius Scripturæ evidentiam, non quantum ad
judex es, *sunt omnes qui tribulant*, id est tribula- ipsorum cæcitatis pertinaciam. Quod est dicere:
bunt *me* insontem. Quod est dicere : Cum scias im- Scriptura, quæ quantum in se manifesta esset illis,
properium meum esse falsum, consideras etiam tu se crederent, obscura et decipiens et excæcans fiat
qui nil dignum ultione dimittis impunitum, quam illis, cum in incredulitate perseverent : et *fiat ipsis in*
injuste me tribulabunt. Quod improperium et tribu- *retributionem*. Exponit autem in quam retributio-
lationem non invitus patiar. Nam *cor meum*, id est nem, cum adjungit. *Et* id est scilicet *in scandalum*,
anima mea exspectavit, id est diu desideravit pati id est in casum de vitio in vitium. Quod est dicere:
improperium istud *et miseriam istam* tribulationum, Ipsa Scriptura faciens eos 256 cadere de vitio in
quod ipsi miseriam reputant, cum non sit mise- vitium, hoc modo sit eis retributio incredulitatis
ria, sed summa felicitas. Et cum ad hanc miseriam eorum. Exprimit autem singulis singula reddendo,
pervenero, *sustinui qui simul contristaretur et non* quomodo Scriptura sit eis *in laqueum et in scanda-*
fuit, id est patienter considerabo an sit aliquis qui *lum*, sic : Dico : *fiat mensa eorum in laqueum*, hoc
mecum contristetur de perditione sua, et non erit modo scilicet *obscurentur oculi eorum, ne videant*,
qui contristetur. *Et qui consolaretur me, et non* B id est excæcentur oculi rationis eorum, ne recte
inveni, id est et sustinebo an sit aliquis qui conso- *videant*, id est recte intelligant Scripturam. *Et dor-*
letur illam tristitiam meam, per conversionem *sum eorum semper incurva*. Hoc autem est expositio
suam, et non inveniam. Tunc enim tristitia mea ali- de hoc quod dixit, *fiat mensa eorum in scandalum*;
quantulum consolaretur, si unusquisque de igno- et est dictum per similitudinem, ac sic dicat : Per-
rantia sua converteretur. Et cum negligant con- mitte eos adeo cadere in peccata ut nimia mole pec-
tristari mecum, et tristitiam meam consolari, *dede-* catorum graventur, ne possint inde exsurgere, a si-
runt, id est dabunt *in escam meam fel*, id est militudine illius cujus dorsum pondere gravissimo
amaritudinem. Quod est dicere : Cum vellem eos incurvatur, qui se nequit erigere, Non solum au-
dulces esse, id est obedientes ut sint esca mea, id est tem iram, id est vindictam tuam eis sic infundas,
ut eos mihi conformando incorporem, dabunt se id est interius in animam fundas, ut excæcari et de
amaros mihi, id est inobedientes, nolentes fieri esca peccato in peccatum cadere permittas, sed etiam
mea dulcis. Quod est dicere : Dabunt amaritudinem *effunde iram tuam super eos*, id est exterius in cor-
in escam meam, id est facient se amaros, quos esse pore funde iram tuam, ut opprimat eos in hoc sæ-
vellem escam meam dulcem. Et cum sitiam, id est culo. *Et* in futuro *furor iræ tuæ* subsecutivus *com-*
valde desiderabo eos ut dulce vinum potare, id est C *prehendat eos*, id est sic damnet ut nullatenus eva-
in mei conformitatem trajicere, *potaverunt* id est dere queant. Furor dicitur vindicta illa æterna
potabunt *me aceto*, id est vetusto et acri vino *in siti* qua Deus eos in futuro puniet, quæ tanta erit ad
mea, id est in desiderio meo incorporationis eorum. comparationem præsentis vindictæ, quanta res est
Ac si dicat : Cum sitiam eos dulce poculum quo re- furor ad comparationem iræ. Cum dicit *comprehen-*
ficiar, et novum, id est mihi novo homini conforma- *dat*, a similitudine ponit, ac si diceret : In hoc sæculo
tum, ipsi facient se acetum, id est acre vinum et non ex toto comprehendentur; licet enim propter
vetus, scilicet conformabunt se acerbitati veteris ho- mala merita sua puniantur, se tamen hujusce rei
minis. Et illo aceto potabunt meam sitim, id est ama- gratia puniri falsis rationibus occultabunt. Sed in
ris tribulationibus, ad similitudinem veteris homi- futuro gravius punientur, sic ut omnibus et eisdem
nis, replebunt me, salutem eorum sitientem. ipsis causa pœnæ eorum appareat; a similitudine
illius qui, diu fugiens, tandem comprehenditur, si-
Notandum quod illud idem fere est *potaverunt* cut ulterius effugere non possit. Exponit autem quo-
me in siti mea aceto, et *dederunt in escam meam* modo ira effundatur super eos, addendo sic : Dico
fel; nisi quia alia similitudine ad aggerationem D *effunde iram*. Hoc modo scilicet *effunde* : *Fiat habi-*
impietatis eorum istud idem dicit, et per acetum *tatio eorum*, id est in qua habitant terra *deserta*. Et
tamen vetustatem eorum denotat, quæ per fel non ne aliquis putaret sic concedere deserendam, ut
denotatur. Acetum enim dicimus vetus vinum et nullus homo in ea habitaret, addit sic, ut determi-
acre. Quoniam autem dabunt *in escam meam fel*, et net : Et sic concedo fieri desertum, ut *in tabernacu-*
in siti mea potabunt *me aceto*, video quod *fiet mensa* *lis eorum*, id est in domibus quæ tabernacula jure
eorum coram ipsis in laqueum, etc. Et quia hoc prævi- dicuntur, eo quod eas cito mutabunt ad similitudi-
deo, concedo : *Mensa eorum*, id est divina Scriptura, nem tabernaculorum, *non sit* eorum *qui inhabitet*,
qua refici consueverunt spiritaliter, seu quilibet id est dominetur sicut modo. Ac si dicat : Concedo
in mensa reficitur corporaliter, *fiat* eis *in laqueum*, quidem ut exteræ nationes ibi inhabitent, ipsi vero
id est in deceptionem ; scilicet, male exposita, minime. Et bene quidem ponit non *maneant* sed
causat si quare illaqueentur, id est decipiantur, a *inhabitent*. Multi namque eorum ibi ut servi reman-
similitudine volucris, qui occulto laqueo decipitur. serunt, nullus autem ulterius inhabitavit, id est do-
Ne vero ipsa Scriptura adeo videretur gravis, quod minatus est. Inhabitare quidem pro dominari usi-
ipsi nullatenus eam intelligere possent, et sic inex- tate ponitur. Unde quoque eum qui se bene vivendo
cusabiles essent, addit : *Mensa* dico *coram ipsis*

www.libtool.com.cn

regit, sui ipsius inhabitatorem dicimus. Hoc autem jure eis continget.

Quoniam quem tu, qui potens *es*, *percussisti* mortalitate et passibilitate, *persecuti sunt*, id est persequentur me scilicet, ac sic dicat : Adam peccando se et totum genus humanum percussit, id est, mortale et passibile fecit. Ego vero, a peccato immunis, me non percussi, sed tua dispositio me percussit, mortalem faciens et passibilem, ut mundus per me salvetur. Et ipsi me insontem a te percussum persequentur, ideoque dignum est ut a patria expellantur. Et ideo adhuc, quia *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, id est addent custodiam sepulcro, ut intra mortem æternam detineant. Quod est dicere : Post dolorem vulnerum quem mihi inferent, addent etiam sepulcro custodes, ut omnino nomen meum deleant, ideoque *appone*, id est apponi permitte *iniquitatem* filiorum *super iniquitatem corum* patrum, ut major sit cumulus miseriæ eorum; scilicet cum iniqui sint ipsi et obstinati, filios iniquos habeant et obstinatos usque in finem mundi cum reliquiæ salvæ erunt. Et utrique iniqui existentes, *non intrent*, id est non ingrediantur viam vitæ hujus *in justitia tua*, id est in justificatione permanendo. Quod est dicere : Non justificentur a te, per remissionem peccatorum. Exponit autem quod superius concessit, scilicet furor iræ tuæ comprehendat eos sic: 257 Dixi quod hoc totum in hoc sæculo contingat ut *fiat habitatio eorum deserta*, etc. Et in futuro *deleantur*, id est se deletos manifeste sciant *de libro viventium*, de dispositione tua scilicet, in qua omnes æterne victuri ordinati sunt, sicut in libro aliquo multorum nomina scribuntur; ideoque liber dicitur. Non autem sic *deleantur* quod in illo libro scripti sint vel scribendi. Nullus enim in eo scriptus inde delebitur, sed ideo dicit *deleantur*, quia ipsi se reputant esse scriptos, ac si dicat : Qui modo sibi ipsis videntur scripti, appareant sibimet in futuro deleti. Et ut ista deletio contingat eis in futuro, hic interim *non scribantur*, id est a Dei dispositione non ordinentur esse *cum justis*, id est non disponat eos Deus hic esse in consortio justorum, id est bene operantium. Non enim in futuro delerentur, et dignum est ut *deleantur*.

Nam per eos *ego sum*, id est ego ero, *pauper et dolens*, id est ipsi facient me dolentem, id est dolorem pati, et pauperem vitam, id est carentem vita scilicet, interficient me. Sed inde potius gaudeo, non contristor. Nam *salus tua*, *Deus* Pater, *suscepit*, id est suscipiet *me*, id est his de causis quia dolens ero et pauper, tu, Salvator, suscipies me, id est patrocinaberis mihi more pii patroni resuscitando me, scilicet, et quia me suscipiet, *laudabo*, o auditores, id est mea membra laudare faciem *nomen Dei cum cantico*, voce scilicet, cum jocunda affectione, *et magnificabo eum in laude*, id est mei magnificam laudem agent ei bona operatione. Quod est dicere : Faciam ut mei eum laudent, voce, affectione et opere, et hæc laus *placebit Deo*, fundata *super virtutum novellum*, id est super fidem vituli novelli, mei videlicet, qui ero sacrificium pro salute mundi oblatum. Quod designatum fuit per vitulum, quem in Evangelio legitur obtulisse paterfamilias pro filii reditu de peregrinatione, qui perierat inventus et est, mortuus fuerat et revixit (*Luc.* xv, 32). Vitulum se vocat, quia per hunc vitulum de quo dixim us præsignatus est, et quia pro mundi salute sacrificandus erat, more vituli qui in lege veteri sacrificabatur. Novellum vero se dicit, quia cum novus homo esset, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.*, IX, 24), venerat nos de vetustate primi patris eluere, et ad sui conformitatem revocare. Vitulum dico *producentem ungulas et cornua*, id est habentem producta cornua, et productas ungulas, scilicet magnam potentiam expellendi inimicos Judæos, qui impotens reputatur, et magnam discretionem, qui stultus et insipiens videtur. Per producta cornua, recte magna expulsionis potentia notatur, quia potentior est bos qui producta cornua habet ad hostem expellendum, quam qui brevia. Per productas quidem ungulas, maxima discretio accipitur, quia ungulæ fissæ et discretæ sunt. Et hoc est ac si dicat : Illa laus placebit Deo fundata in fide mei, qui sum vitulus novellus, habens producta cornua, et productas ungulas. Hoc autem ideo ponit, ut, in quantum possibile est, attrahat nos ad conformitatem sui, scilicet quatenus omnimode studeamus inimicos omnes visibiles et invisibiles expellere, et discretionem in omnibus habere. Sed etiam per cornua producta denotatur potentia maxima defendendi suos, etsi in passione sua se defendere noluit. Cornibus enim animalia cornuta se defendunt.

Adhortatur vero suos ad videndum et lætandum et quærendum Dominum, sic : Dixi me pauperem esse, et dolentem, et esse salvandum, et vitulum novellum, et hoc totum *videant*, id est intelligant. *pauperes* spiritu, fideles mei scilicet, qui humiles sunt in spiritu, non superbi. *Et lætentur* de salute mea, per quam salvabuntur. Et quia hoc non sufficeret, o vos pauperes, *quærite Dominum* bene operando, *et* per hoc *vivet anima vestra* in æterna gloria. Per vitam autem animæ, dat etiam intelligere vitam corporis, quæ in futuro donabitur. Et quærendo Dominum, 258 orate eum ut det vobis vitam, *quoniam exaudivit*, id est exaudiet *Dominus pauperes* orantes, id est acquiescet precibus pauperum ; *et non despexit*, id est non despiciet *vinctos suos*. Hic per litoteta minus dicitur, et magis intelligitur. Ac si dicat : Illos videlicet vinctos vinculis mortalitatis et passibilitatis, qui sui sunt, id est qui sibi subditi, non despiciet, exaltabit quos hic despicere videtur : vel *vinctos suos*, id est unitos et conjunctos vinculo dilectionis et subjectionis. Ostendit autem quos vocet *pauperes*, cum addit : *Laudent, illum cœli et terra*. Sola pars ista quæ est, *laudent*, tantum continet, quantum istæ tres, *videant*, *et lætentur* et quærant Dominum. Deum enim laudat

www.libtool.com.cn

qui de eo recte inteligit, et lætatur, et eum quærit. Dico *videant pauperes*, etc.; scilicet laudent illum videndo, et lætando et quærendo, *cœli*, id est apostoli, et *terra*, id est Ecclesia de Judæis, *et mare*, id est Ecclesia de gentibus. Bene quidem per terram Judæi, per mare gentes accipiuntur. Quia sicut terra undique a mari circumdatur, sic et terra Juda, quæ terrarum pars est exigua, undique a gentibus clauditur. Ne vero viderentur *cœli, et terra, et mare* per se ad hoc devenisse ut Ecclesia fierent, humiliat eos, cum addit: *Et*, id est scilicet, *laudent illum reptilia in eis*, id est illi qui in eis scilicet inter illos sunt reptilia prius existentia. Intransitiva positio; Ac si diceret: *Cœli et terra et mare* dico, qui prius fuerunt *reptilia*, id est terrenis adhærentes, non ad superna spectantes, more reptilium. quæ terræ serpunt. Quasi dicat: Laudare eum debent, cum ex reptilibus fecerit ad cœlestia tendentes. Dico *laudent*, et hoc ideo, *quoniam Deus salvam faciet Sion*, id est salvabit suos in futuro perfecta salvatione, reducendo in immortalitem et impassibilitatem; suos dico factos Sion, cernentes scilicet Deum non per speculum, sed facie ad faciem, id est manifeste. Vel sic: *Salvam faciet Sion*, id est restituet super cœlestem Sion, quæ civitas sua erit ex angelis et hominibus, quæ, quantum ad homines, destructa erit per Adam, quantum ad angelos autem, minime. Et hic interim *ædificabuntur* in virtutibus, *civitates Judæ*, id est Ecclesiæ fidelium confitentium Deum pura fide Juda quippe *confessio* interpretatur. Unde, per civitates Judæ Ecclesiæ fidelium denotantur, qui Dei confessores existunt, qui in virtutibus sunt munitissimi, ad similitudinem civitatum. *Civitates* bene pluraliter ponit.

Quanquam enim omnes fideles secundum fidem Ecclesia una catholica sunt, secundum tamen locorum diversitatem, Ecclesiæ multæ sunt. Dico quod hic *ædificabuntur civitates Judæ*. In futuro autem *inhabitabunt ibi*, id est in Sion scilicet, in illa beata Dei contuitione et civitate Dei. Et hoc per se non habebunt, sed *acquirent eam* Sion *hæreditate*. id est per hoc quod sunt Dei hæreditas, id est per mortem meam mei cohæredes efficientur. Vel sic: *Acquirent eam* bona vita sua, et operibus, hæreditate, id est ad hæreditatem, ut sit eis hæreditas æterna. *Et* in futuro *semen servorum ejus possidebit eam*, id est, semen procedens a servis ejus, causa erit quod ipsi servi sint eam possessuri, bona opera scilicet quæ hic in lacrymis seminant, ut in futura beatitudinem æternam cum gaudio metant (*Psal.* cxxv, 6). Quia vero bene operari nihil est sine charitate, determinat sic: Dico quod fideles *inhabitabunt Sion* per bona opera sua, *et*, id est scilicet illi *habitabunt in ea, qui diligunt nomen ejus*, scilicet Dei hoc nomen quod est Dominus, id est diligunt casto amore quod est Dominus. Unde Apostolus: « Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil sum (*I Cor.* XIII, 3). »

A Per hoc autem invitat nos ad bonam operationem, et Dei dilectionem, per quam venitur ad patriæ cœlestis inhabitationem. Vel sic isti tres versus legi possunt: Adhortor cœlos et terram et mare, ut Deum laudent. Cœlos autem et terram, id est apostolos et Ecclesiam primitivam ideo ad Dei laudem adhortor, 259 quia prævideo *quoniam Deus salvam faciet Sion*, id est per mortem meam salvabit remittendo peccata, et justificando Ecclesiam primitivam de Judæis, quam *faciet Sion*, id est sublimem in speculatione cœlestium secretorum, et mare, id est Ecclesiam de gentibus, ideo ad Dei laudem invito quia prævideo quod per mortem meam *ædificabuntur* a Deo Patre in virtutibus, *civitates Judæ*, id est Ecclesiæ gentium Deo confitentium quæ destructæ B fuerunt per Adam, *et* illæ civitates ædificatæ *inhabitabunt ibi* in Sion, id est, assidue habitabunt in conformitate illius Sion, Ecclesiæ primitivæ, quæ longe perfectior erit; et sic *inhabitabunt* quod *acquirent eam hæreditate*. *Acquirent* et *inhabitabunt* idem est, sed repetit ut determinet, addendo *hæreditate*. Quod est dicere: *Acquirent* fide et opere bono conformitatem ejus Sion *hæreditate*, id est hæreditario jure, id est, sic ut jure sint una hæreditas Dei cum ipsa Sion. Cum enim filiis Abrahæ sit facta hæreditatis promissio, etsi illi non sint filii Abrahæ secundum carnem, cum tamen mei filii spiritales futuri sint. qui filius sum Abrahæ secundum carnem, per me veri filii Abrahæ futuri, jure cum Judæis Dei hæreditas erunt. Hoc autem C dictum est de gentium Ecclesiis primitivis. De successuris autem Ecclesiis agit, cum subjungit: *Et semen servorum ejus possidebit eam*. Ac si dicat: Non solum autem *civitates Judæ* primitivæ *inhabitabunt* in ea, sed *et semen servorum ejus possidebit eam*, id est illi qui erunt semen, id est filii spiritales servorum ejus, Dei apostolorum scilicet, et ipsarum civitatum primitivarum possidebunt eam Sion secundum conformitatem, sicut etiam civitates Juda. Determinat autem quos vocat *semen servorum*, cum addit: *Et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea*. Quod est dicere: Illos scilicet dico *semen*, et dico quod *inhabitabunt* in ea, *qui diligunt nomen ejus* quod est Dominus, non reformidant, scilicet D quibus gratum est et jucundum eum Dominum esse, et diligunt eum dilectione pura.

IN PSALMUM LXIX.

Titulus sixagesimi noni: *In finem, Psalmus David in rememoratione, eo quod salvum fecit eum Dominus*. Quod sic exponitur: *Psalmus* iste est *David*, id est verba ista sunt Christi. *in rememoratione*, id est in frequenti memoria habita, *eo quod salvum fecit*, id est faciet, *eum Dominus* salvatione in fine tendenti, id est in perfectionem et consummationem sui ipsius et suorum, sui ipsius, scilicet secundum immortalitatem et impassibilitatem et ineffabilem glorificationem, et suorum secundum peccatorum remissionem, et justificationem in præsenti et in futuro, secundum perfectam corporis et animæ beatitudinem. Ac si

www.libtool.com.cn

dicat ; Christus ante passionem suam prævidens sui suorumque salvationem, frequenter hanc orationem fecit, in qua orat de resurrectione, et de constantia in passione, et de inimicorum salvandorum conversione, et de suorum lætitia et exsultatione. Quos ad Dei invitat magnificationem et ipsorum humiliatonem, et sui exemplo hortatur ad orationem.

Deus Pater, *in adjutorium meum intende*, id est fac te intentum in adjutorium meum, ut, sicut intensam promereor salvationem, et ita et tu intense des, me resuscitando immortalem et impassibilem faciendo Et hoc adjutorium non differas usque in communem resurrectionem, sed *festina ad me adjuvandum*, ut post tres dies resuscitando me, in perfectam beatudinem reducas. Et per hoc quod me adjuvabis, *confundantur* bona confusione, *et revereantur*, id est de peccatis suis timeant illi *qui quærunt animam meam* auferre, Judæi scilicet, et non solum qui quærunt animam meam, sed etiam *qui* solummodo *volunt mihi mala. Avertantur retrorsum et erubescant* Præposteratio erubescant, id est verecundentur de malitia sua, et sic avertantur ab ea retrorsum 260 post me euntes, id est mei sequaces effecti. Multi namque sunt mihi mala volentes, qui non sunt animam meam quærentes. Dico *avertantur*, et hæc aversio non differatur usque in sæculum futurum, sed *erubescentes statim*, id est in brevi post resurrectionem meam, *avertantur* de malitia sua illi *qui*, volentes mala, *dicunt mihi ! Euge, euge :* « Magister, scimus quod verax es (*Matth.* XXII, 16), » etc. quod est dicere : Illi *avertantur*, qui blanditiis suis me decipere nituntur, Dico *confundantur qui quærunt animam meam.* Illi vero qui jam quærunt te, bene operando mei exemplo, discipuli mei scilicet *exsultent* in futuro, *in te*, id est in adeptione beatitudinis quæ in te est : *et* hic interim *lætentur* de spe adeptionis. Et ipsi idem *qui diligunt salutare tuum*, id est salvationem, quam eis in futuro dabis, per quam et ipsi et hic et in futuro salvabuntur. Vel *salutare tuum*, id est salvationem quam eis in futuro dabis, dicant in bono desiderio suo post resurrectionem meam *magnificetur Deus* Christus et hoc semper, ut qui jam magnificatus est per resurrectionem, et sui ipsius glorificationem, magnificetur hic semper remittendo suis peccata, et justificando eos de generatione in generationem, usque in finem mundi, et in futuro *magnificetur* per suorum perfectam glorificationem, Dico ut de me Deo dicant *magnificetur Deus.* De se vero dicant, *o Deus, adjuva me*, bene, cooperando et me a peccatis eripiendo. *Nam* ego *egenus sum*, id est nullius alterius ope potens salvari, nisi tua. *Et pauper*, id est ope mea salvari impotens. Dico *adjuva me*, et tu, *Domine, ne moreris*, id est non sis tardus ad adjutorium et liberationem meam. Nam tu solus es *adjutor meus* ad bene operandum, *et liberator* a vitiis. Quod est dicere : Tu solus adjuvare me potes et liberare.

IN PSALMUM LXX.

Titulus septuagesimi : *Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum.* Innuitur hic figura historiæ de Jonadab qui in lege veteri sacerdos Dei sanctissimus fuit, et filiis suis præcepit vinum non bibere, nec in domibus, sed in tabernaculis habitare (*Jer.* XXXV, 6, 7) cujus præceptis non defuit filiorum obedientia. Per Jonadab autem qui *spontaneus Domini* dicitur, Christus congrue figuratur, qui sacerdos in æternum juxta ordinem Melchisedech, non ex timore servili, sed amore spontaneo et casto, Domino Patri serviens obedientiæ suæ cursum peregit.

Qui Christus filiis suis, spiritalibus fidelibus scilicet, præcepit vinum non bibere, id est carnalem voluptatem non amare, quæ homines sibi subditos a Deo retrahendo dementat, more vini inebriantis. Juxta quod in Evangelio idem asserit : « Qui vult post me venire, tollat crucem suam quotidie et sequatur me (*Luc.* IX, 23).» Præcepit quoque non in domibus, sed in tabernaculis habitare, id est, cum in terrenis habitent, non sic habitent ut in domibus, sed quasi in tabernaculis, id est putent ea esse manentia ad similitudinem domus, sed transitoria ad similitudinem tabernaculorum. Juxta quod Apostolus dicit : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Et alibi : « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). » Tituli vero littera sic adaptatur : *Psalmus* iste est *David* Christi orantis pro se, ut resuscitetur, et in passione constans efficiatur, et est psalmus iste *filiorum Jonadab*, id est Christi, et determinat quorum filiorum, cum dicit, et priorum captivorum. Quod est dicere : Qui prius captivi et a patria exsulantes fuerunt per Adam, postea vero per Christum ad patriam reducti. Et hoc dicitur ad differentiam spirituum cœlestium, qui, cum filii sint adoptivi a Verbo Dei creati, non tamen prius exstitere captivi. Et bene quidem dicitur Psalmus iste filiorum Jonadab. In hoc enim psalmo agit Christus de suorum filiorum salute, et laude et constantia prædicationis. Agit quoque concessive de inimicorum confusione et pudore.

In te, Domine, speravi. Prætentio meriti Quod est dicere : *Domine* Pater, *speravi* ea quæ sunt in te, immortalitatem et impassibilitatem. Ergo 261 *non confundar in æternum*, etsi ad tempus videar Judæis confusus. Tunc autem confunderer, si quod *speravi* non adipiscerer. Dico non confundi me permittas, sed *libera me in justitia tua*, id est secundum quod justitia tua exigit. Justum enim est ut in te sperantem liberes, *et* non *libera me* in abscondito, sed *eripe*, id est *libera* manifeste, vi *me* eripiendo, et *inclina* cum sis sublimis *ad me* infirmum et humilem secundum humanitatem, *aurem tuam*, id est potentiam misericordiæ tuæ qua clamantes ad te exaudis, ideoque auris dicitur. Quod est dicere : Condescendere fac sublimem potentiam tuam precibus meis infirmi et humilis, *et* sic *salva me*, et liberando, ut superius dixi, et gloriosum et immortalem et impassibilem faciendo, qui hic infirmor secundum

www.libtool.com.cn

mortalitatem et passibilitatem. Et est dictum a similitudine medici, qui infirmo, assurgere nequeunti, aurem clementer inclinat, et eum sanificat. Dico *salva*, et *ut me* postea *salvum* facias, prius *esto mihi in Deum protectorem*, id est cum mihi Deus creator, scilicet ex Deo sis mihi tendens in Deum protectorem, qui me in passione protegas, ne timore pœnæ deficiam. *Et* esto mihi *in locum munitum*, id est in securitatem, ut nec etiam timeam sicut locus munitus securitas est ad se fugientibus. Multi quippe proteguntur, qui securi non sunt, ideoque superflue non additur in locum munitum. Et amodo esse debes protector et locus munitus, *quoniam* hucusque *es tu firmamentum meum*, id est firmus protector meus *et refugium meum*, id est securitas.

Ac si dicat: Cum hucusque firmamentum et refugium meum exstiteris, ne in aliquo defecerim, deinceps refugium et firmamentum meum esse debes, ne in futuro deficiam. Vel sic : Ideo oro *ut me salvum facias*, quoniam *tu* solus *es firmamentum meum, et refugium meum*, id est quia tu solus potes me protegere et securum facere. Exponit autem quod superius dixit *eripe*, a quibus te oret eripi, sic : Dixi *esto mihi in protectorem*, etc.

Et tu etiam *Deus meus* speciali quadam obedientia mea, *eripe* resuscitando *de manu*, id est de potestate *peccatoris*, ne ulterius me affligendi licitum habeat. Exponit vero per partes *de manu* cujus peccatoris oret se eripi, cum dicit scilicet : *eripe me de manu contra legem agentis*, Judaici populi, in hoc quod mihi negligit obedire, cum ipsi sit a lege præceptum. Juxta quod Moyses dicit : « Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis Dominus Deus vester tanquam me, ipsum audietis, et omnis qui non exaudierit prophetam illum, exterminabitur de populo meo (*Deut.* XVIII, 13 ; *Act* III, 22, 23). » Et *eripe me de manu iniqui* gentilis populi, qui me crucifiget, et in sepulcro custodiet. Qui, cum non sit contra legem quam non habet, saltem iniquus est, id est infidelis et male operans. Repetit autem quod oravit, *esto mihi in Deum*, etc. Cum dicit *ne projicias*, etc., usque ad *quia dixerunt*, ut præponat causas quas superius non posuit, quæ causæ continentur ab illo versu.

Quoniam tu es patientia mea, etc., usque ad *ne projicias*. Quæ sic leguntur et construuntur : Oravi ut eripias *me de manu peccatoris*. Oro etiam *ne projicias* id est ne despicias *me* quin protegas *in tempore senectutis* positum, ante resurrectionem scilicet, quandiu temporalis sum. Post resurrectionem namque æternus ero et sine tempore. In tempore dico senectutis, id est vetustatis, in quo scilicet vetustatem Adæ retineo, non secundum peccatum, sed secundum pœnam peccati, id est in quo mortalis et passibilis existo, quod est pœna peccati veteris Adæ. Et ideo non projicias. *Quoniam tu, Domine, es patientia mea*, id est, tu causa es patientiæ meæ ; ut enim tui conformitatem obtineam, tribulationes pa-

A tienter sufferam. Et ideo adhuc *ne projicias*, quoniam tu *Domine*, es *spes mea*, id est in te spem habeo remunerationis, quæ spes procedit *a juventute mea*, id est a provido consilio et strenuitate mea. Quod est dicere : Ideo spem habeo in te, qui providus sum in consilio, et strenuus in actu obedientiæ 262 tuæ. Alioquin enim spes mea esset irrita. Juventutem quippe pro provido consilio et strenuitate ponit, quia juvenum est provido uti consilio, et in actu esse strenuos. Et ideo adhuc *ne projicias me*, quia *in te* existens *confirmatus sum*, id est, firmus factus sum, *ex utero*, id est ex tempore conceptionis meæ, non sum infirmatus in Adam per originale peccatum, sicut cæteri homines, qui, dum concipiuntur secundum legem concupiscentiæ, quæ pœna est

B originalis peccati, fiunt et ipsi originalis peccati rei Quod est dicere : Me conceptum absque lege concupiscentiæ, confirmasti a tempore meæ conceptionis in tui conformitatem, scilicet ut a peccato immunis essem, sicut tu. Vel sic : *in te*, id est in tui conformitate *confirmatus sum ex utero*, id est secundum humanitatem quam accepi in utero. Secundum deitatem enim in qua tibi par existo confirmatione non egui : et ideo adhuc *ne projicias me*, quia *tu es protector meus*, ne in aliquo caderem : *de ventre matris meæ*, id est semper me protexisti ex illo tempore ex quo processi de ventre matris meæ. Vel sic : *Protector meus es tu*, secundum illam naturam qua processi *de ventre*, scilicet secundum humanitatem. Quasi dicat : Quia hucusque protector meus fuisti,

C oro deinceps ne me projicias, et ideo adhuc *ne projicias*, quia *in te* est *semper cantatio mea* fundata, id est jucunda laus mea, id est quia te semper jucunde laudo, et affectione et operatione.

Vel *cantatio mea* est *in te*, id est omnis delectatio mea, et quia terrenis omnibus neglectis, in tui solummodo laude nitor, in te delector, *tanquam prodigium factus sum multis*, id est impiis qui multi sunt ad comparationem bonorum, quorum numerus parvus est : factus sum tanquam monstrum, ut me omnino respuant et abhorreant, quasi monstrum essem ; et ideo adhuc *ne projicias*, quia *tu* es *adjutor fortis* ad bene operandum. Vel sic : Dico quod *factus sum prodigium multis, et tu* tamen es *adjutor fortis*,

D ne cedam ipsis multis. Orat autem ut Deus faciat eum in laude ejus perseverare, sic : Quia tu es *spes mea*, et per te *confirmatus sum* : *Repleatur os meum laude*, id est cum te jam laudaverim de his beneficiis collatis, fac omnino repleri *os meum laude*, id est fac me in laude tua perseverare, *ut* scilicet ego *tota die*, id est jugiter *gloriam cantem tuam et magnitudinem tuam*, id est, ut ego lætanter ascribam tibi gloriam meam et magnitudinem meam. Quod est dicere : Ut reputem, quod sum gloriosus et magnus, hoc esse ex te. Vel sic : *Ut cantem gloriam tuam et magnitudinem tuam*, id est tu lætanter tibi ascribam supradicta beneficia mea, quæ erunt gloria tua et magnificentia, id est causa erunt quod gloriosus videaris hominibus et magnificus, id es

www.libtool.com.cn

potens. Et hoc totum est ac si dicat : Fac me in laude tui perseverare, hoc modo scilicet, ut omnia hæc beneficia supradicta tibi ascribam, non mihi.

Ostensis causis pluribus, et incidenter oratione interposita, ad ultimum illud ponit, cujus rei gratia causas apposuit, sic : Quia tot et tanta mihi contulisti beneficia, scilicet ut esses patientia, spes, confirmatio, et cantatio mea, *ne projicias me in tempore senectutis*, et repetit illud idem æquipollenti voce apponendo aliam causam, cum dicit : *Ne derelinquas*, inquiam, *me*, id est *ne projicias in tempore senectutis*, *cum* hoc sit quod *defecerit virtus mea*. Defecerit, hic præteritum est, ac si dicat : Non debes relinquere, quia virtus omnis quæ in me est, sic defecit, ut non sit mea reputata, id est non reputo virtutem quam habeo, ex me habere, sed ex te. Vel potest esse determinatio, sic : Ne derelinquas, inquam, cum deficiet virtus mea, id est cum reputabitur potentia mea defecisse, in morte scilicet.

Vel potest in hac sententia legi *defecerit*, si non præterite accipiatur. Repetit autem quod superius dixit *eripe me de manu peccatoris*, æquipollentibus verbis, cum dicit : *Deus, ne elongeris a me*, etc., præponendo causas alias quas non posuerat, quæ continentur ab illo loco ubi habetur : *Quia dixerunt*, etc., usque ad *Deus ne* 263 *elongeris*. Quod sic legitur : Non solum oro *ne me projicias* in passione, sed oro etiam, o *Deus, ne elongeris a me*, ut differas resurrectionem meam usque in futurum. Sed tu qui *Deus meus* es, cui specialiter obedio, *respice in auxilium meum*, ut scilicet post tres dies me resuscites. Et hoc ideo oro, quia *inimici mei* Judæi *dixerunt*, id est dicent ad invicem, et hoc *mihi* id est ad dammum meum. Determinat vero quos vocet inimicos, cum addit : *Et* illi inimici, inquam, *qui custodiebant animam meam*, id est qui insidiabantur animæ meæ, si forte aliquid dignum reprehensionis viderent in ea, *fecerunt*, id est facient *consilium in unum* malitiæ eundo. In hoc autem quid gravius notat, cum dicit *concilium fecerunt*. Pejus enim est de malo agere per consilium quam temerarie. Dico quod *consilium fecerunt*, *dicentes* unus ad alium : *Persequimini eum* tribulationibus ; nam *Deus*, cujus Filium se asserit, *dereliquit eum*, id est contempsit. Et non solum persequimini, sed *et comprehendite* eum, ne evadat, id est interficite, *quia non est qui eripiat*. Ac si dicat : Ipse dicit quia Deus eripiet eum a morte post tres dies, sed ille non eripiet. Id circo *comprehendite eum* morte. Agit autem concessive de inimicorum confusione, sic :

Dixi ut respicias in auxilium meum, et ex opposito *confundantur* in malo, id est erubescant *et deficiant* ab omni prosperitate mundana, *detrahentes animæ meæ* virtutes suas, id est Judæi qui mihi auferunt virtutes meas, quantum ad suam reputationem, dicendo me esse seductorem et legis destructorem, et non parum *confundantur et deficiant*, sed *operiantur confusione et pudore*, id est circumvallentur erubescentia et corporali destructione. A similitudine corporis, quod omni parte vestimentis operitur. Quod est dicere : Plenariam habeant confusionem et pudorem illi *qui quærunt mala mihi*, scilicet ut interficiant et in morte detineant. Ac si dicat : Non solum habeant confusionem et erubescentiam, quia mihi detrahunt, sed quia etiam *mala mihi quærunt*. Confusionem superius accepit pro erubescentia. Et defectum pro destructione ubi dixit, *confundantur et deficiant*. Hic autem confusionem pro destructione ponit, et pudorem pro erubescentia. De spe vero suorum, et laude quam Deo facient, agit sic : Dico quod inimici confundantur. *Ego autem semper sperabo*, id est mei semper sperabunt in te perfectam in futuro salvationem exemplo salvationis meæ, *et adjiciam super omnem laudem tuam*, id est adjicient laudem tibi existentem *super omnem laudem tuam*, a priori populo datam. Quod est dicere : Laudabunt te omnimoda laude quæ perfectior erit laude populi prioris, cum et ipsi perfectiores sint futuri. Et notandum non dici perfectiorem laudem apostolorum, et cæterorum in nova lege existentium, laude quorumdam, qui, etsi sub lege veteri essent, viri tamen erant Novi Testamenti per fidem, ut fuit Elias et cæteri perfectissimi, qui mundum omnino spreverunt. Sed laudem novorum dicit perfectiorem laude illorum veterum, qui non adeo perfecti exstiterunt, quorum multus numerus fuit. Vel adjicient *laudem super omnem laudem tuam*, de rerum creatione tibi collatam, scilicet ut cum lauderis de mundi creatione, multo magis te laudabunt de generis humani reparatione. Dico quod *adjicient laudem*, id est laudabunt te innocentia et justitia sua, quam non reputabunt suum esse : Sed *os meum*, id est meorum *annuntiabit justitiam tuam*, id est omnem justitiam suam a te esse, et *tota die*, id est jugiter annuntiabit *salutare tuum*, id est salvationem futuram a te fore, non a meritis suis. Vel sic : Dico quod mei sperabunt in te semper, et hoc dico generaliter. *Os* autem *meum*, id est prædicatores, qui dicendi sunt os in corpore meo, id est Ecclesia, *annuntiabunt justitiam* omnem *tuam* esse, id est a te, et *tota die salutare tuum*. Hæc non mutantur. Et ideo annuntiabunt mei justitiam omnem a te esse.

Quoniam non cognovi litteram esse justificantem, id est, mei cognoscent litteram legis veteris non posse 264 aliquem justificare. « Littera enim occidit (*II Cor.* III, VI). » Quod est dicere : Cognoscent illud esse falsum, quod Judæi affirmabant aliquem ex lege justificari posse. Lex enim solummodo peccatum indicat. Non etiam ad abstinendum adjuvat. Et cognoscendo per litteram non posse justificari, *Introibo*, id est mei introibunt *in potentias Domini*. Quod est dicere : Qui prius se potentes existimabant ad bene operandum per liberum arbitrium et per legem, se per hoc insufficientibus cognitis ad bene operandum, introibunt *in potentias Domini*, id est ad hoc divina gratia inspirante ingredientur, ut se reputent potentias bene operandi et a vitiis abstinendi non a lege, sed a Domino ha-

www.libtool.com.cn

bere. Unde in Evangelio legitur : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 5). » Non solum annuntiabunt justitiam suam esse tuam, id est a te ; sed, o Deus, *memorabor justitiæ tuæ solius*, id est mei memorabuntur justitiæ tuæ, quæ sola est, id est singularis, id est incomparabilis, perfectissima. Unde legitur : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* cxlii, 2). » Quod est dicere : Dicent te unicam et singularem et perfectissimam habere justitiam, et hoc memoriter dicent, non negligenter; Hoc autem quod justitiam suam tuam esse annuntiabunt, et solam et perfectissimam justitiam tuam memoriter prædicabunt, non ex se habebunt solummodo, sed te cooperante. Quia tu, *Deus*, *docuisti me*, id est docebis meos spiritali sapientia tua eis interius impendente, et ideo *pronuntiabo mirabilia tua*, id est mei pronuntiabunt aliis *mirabilia tua*, justitiam scilicet, quam generi humano per me restitues, *et salutare tuum*, quod in futuro daturus es. Hoc autem superius dictum est, ubi dixit : *Os meum*, etc. Sed ideo repetit ut ostendat pronuntiationis eorum perseverantiam, sic : Dico quod mei annuntiabunt mirabilia tua, et hoc *ex juventute mea*, id est ex tempore martyrum, qui juvenes erunt, id est in fide calentes et strenue agentes, more juvenum qui ferventes sunt ætate et strenui actione, *et nunc*, id est in ipsa juventute *usque* pronuntiabunt, id est assidue et constanter, mortis metu non deficientes, *et* ea *usque in senectam* pronuntiabunt mei, id est usque tempus confessorum, qui senes erunt, id est aliquantulum frigidiores martyribus, non mortem corporis pro Deo subeuntes, sicut senectus frigidior ætas est juventute.

Et pronuntiabunt *usque in senium*, id est usque in tempus Antichristi, in quo multi a fervore fidei frigescent, ideoque senium dicitur, eo quod senium ætas frigidissima sit et defectibilis. De quo tempore Dominus in Evangelio dicit : « Ex abundantia iniquitatis refrigescet charitas multorum (*Matth.* xxiv, 12). » Quod est dicere : Mei constanter te laudabunt, et illi qui erunt in juventute, et qui in senectute, et qui in senio. Vel martyrum tempus juventutem dicit ; tempus autem confessorum senectutem, et tempus Antichristi senium, eo quod prius fuere martyres, post eos autem sunt temporaliter confessores, ad ultimum autem, tempus Antichristi erit. Ergo quod mei pronuntiabunt et in juventute, et senectute, et senio. *Ne derelinquas me*, id est meos, inadjutos, *donec omni generationi*, id est donec annuntient omnismodi generationi, *quæ ventura est* usque ad finem mundi, *brachium tuum*, *et potentiam tuam*, *et justitiam tuam*, me scilicet qui brachium tuum sum, per quem diabolum fortiter expugnabis, sicut aliquis brachii fortitudine debilem hostem superat ; et qui sum potentia tua, per quem facies fideles potentes ad resistendum vitiis, et qui sum justitia tua, per quem fideles justificabis. Me dico *potentiam et justitiam tuam usque in altissima* pertingentem, id est qui non tantum in hominibus potentiam habeo, sed in altissimis etiam cœlestibus spiritibus. Vel sic aliter legi potest, ut brachium non mutetur. Dico *donec* annuntient me *brachium tuum*, *et potentiam tuam*, *et justitiam tuam*, ab infimis rationabilibus creaturis usque in altissima eundo, id est usque in supercœlestes rationabiles creaturas. Quod est dicere : Donec annuntient 265 omnem potentiam et justitiam esse ex te ; incipiendo ex potentia et justitia hominum, qui infimi sunt ad comparationem angelorum, et eundo usque in potentiam ipsorum angelorum, ac si dicas : Hoc reputabunt esse ex te, quod ibi erunt potentes in futuro justi in operibus, et hoc quod angeli justi sunt in affectione dilectionis Dei, et potentes, id est alti in beatitudine.

Commendat autem ipsos angelos ad Dei laudem, quasi admirative de eis agendo sic : Dico *usque in altissima*, et illa *magnalia*, id est altissima tua, quæ magnalia dicuntur, eo quod in excellentia dignitatis magna sunt, *quæ*, id est quanta, *fecisti*, id est quam digna ; et ideo *quis similis* est *tibi* in sublimitate potentiæ ? Nullus. Ac si dicat : Inde comprobari potest nullum tibi esse similem. Et quia nullus tibi similis est, cum adeo potens sis, quoniam Adam et Eva voluerunt se facere similes tibi per comestionem pomi, dicentes : « Erimus sicut dii (*Gen.* iii, 5) ; » *Quantas*, id est quam magnas *tribulationes ostendisti mihi*, id est meis, ne ulterius superbirent ! et quam *multas* et quam *malas*, id est quam nocivas ! mortem scilicet et omnismodi passiones, quæ animæ et corpori asperrimæ sunt et nocivæ. Et tu *conversus* ab ira, id est a vindicta quam in eis per tribulationes exerces, *vivificasti me*, id est per mortem meam vivificabis meos, interiori vivificatione eos innocentes et justos faciens, et in futuro *reduxisti me*, id est retroduces meos, ad patriam, scilicet de qua per Adam sunt expulsi. Meos dico iterum *de abyssis terræ* educendos, id est de imo terrenitatis. Prius enim eos in Adam de humilitate et utilitate terrenitatis eduxisti, ut ex limo terræ faceres animatos et non morituros ; qui per peccatum Adæ ad eamdem imitatem præcipitati sunt, ut moriendo efficiantur cinis et pulvis, unde eos in futuro eripies. Abyssum dicimus nimiam profunditatem, ideoque pro imitate ponitur.

Dico quod reduces eos de abyssis terræ ; et tunc *multiplicasti magnificentiam tuam*, Deus, id est multiplicem in eis facies magnificam gloriam tuam, immortales faciens et impassibiles, et omni beatitudine felices. Et prius hic *conversus consolatus es me*, id est, vivificabis meos, et per hoc consolaberis, ut superius dixi, ubi posui *vivificabis me*. Hoc autem ideo repetit, ut per effectus ostendat qualiter de imis eos assumat. Per hos autem effectus comprobabitur te eos vivificasse.

Nam et ego confitebor, etc. *Nam* signum est positionis, et vero bene positum est quantum ad ordinem. Ac si diceret : Tu vivificabis, et mei confitebuntur tibi, id est ad honorem tui, *veritatem tuam*, id est te veracem in promissione tua de mundi repa-

www.libtool.com.cn

ratione per me completa et de futura salvatione complenda. Dico quod mei confitebuntur tibi. Mei, dico, quidam existentes *in vasis psalmi,* id est in psalterio, quod dicitur vas psalmi, eo quod fiat in eo psalmus, scilicet in contemplatione bonorum supernorum, per quam in Dei laude resonabunt ad modum psalterii quod ex superiori resonat. Vasis pluraliter ponit quantum ad plures fideles. *Et psallam tibi,* id est quidam meorum bono opere te laudabunt, existendo *in cithara,* id est in activa vita. Quæ per citharam ex inferiori resonantem congrue denotatur, eo quod inferior sit contemplatione. Dico quod tibi psallent et confitebuntur. Tibi dico qui *sanctus* es *Israel,* id est adeo sanctus ut potens sis sanctificare, omnes fideles quos facis Israel. Cujus rei desiderio tibi psallunt et confitentur. Et hoc est ac si dicat : In hoc poterit videri te eos vivificasse, quia tibi psallent et confitebuntur : quod aliter non esset. Et *cum cantavero* tibi, id est cum mei laudabunt te, *exultabunt labia mea,* id est meorum in ipsa laude. Et, ne accipiemus labia exteriora, addit: *Et* hoc modo scilicet *anima mea,* id est meorum, *quam redemisti,* id est mei exsultabunt laudando te affectionibus animæ suæ; ideo quia eam redimes per me. Affectiones autem labia dicuntur, eo quod per eas anima sibi interius loquatur. Non 266 solum autem anima meorum in tui laude exsultabit, *sed et lingua mea* id est meorum, *meditabitur justitiam tuam,* id est in tui laude cum meditatione non temere annuntiabunt omnem justitiam esse tuam, id est a te. Hoc autem superius positum, ubi posuit *os meum,* etc. Ideo repetit ut addat : Hoc contuitu annuntiabunt. *Cum* hoc erit quod illi *qui quærunt mala mihi,* Judæi scilicet, *confusi* in malo *et reveriti fuerint,* id est erubescentes de resurrectione mea; et timentes in persecutione Vespasiani et Titi. Quod est dicere : Cum viderint justo judicio tuo illos esse factos erubescentes et timidos, hanc justitiam tuam aliis annuntiabunt, ut ab eorum conformitate retrahantur. Vel sic : Lingua meorum meditanter proferet justitiam tuam, id est dicet te esse justum judicem, cum confusi et reveriti fuerint *qui quærunt mala mihi,* id est cum præviderint quod timebunt et confundentur in futuro omnimoda confusione. Illi qui quærunt mala meis, qui hic non videntur reverentes, sed securi; nec confusi, sed beati. Quod est dicere : In hoc te justum judicem esse annuntiabunt, quod prævidebunt inimicos suos justo judicio tuo futuros esse confusos et reverentes.

IN PSALMUM LXXI

Titulus septuagesimi primi : *Psalmus David in Salomonem.* Quod sic exponitur : *Psalmus* iste est *David* prophetæ *in Salomonem* respicientis, id est in verum Christum Salomonem, id est verum pacificum, qui fecit utraque unum, et qui est pax nostra (*Ephes.*) II, 14). Hic autem psalmus etsi videatur quædam habere quæ Salomoni filio David contigissent, scilicet cum dicit : *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.* Et judicabit pauperes populi, et si qua cætera talia sunt, cum tamen quædam habeat quæ nullatenus eidem Salomoni contigerint : ubi scilicet dicit : *Permanebit cum sole et ante lunam, et adorabunt eum omnes reges,* et cætera similia, totus competenter in Christum verum et significatum Salomonem est referendus. Contuens namque Esdras, psalterii titulorum impositor, qui longe post Salomonem regem Israel temporaliter exstitit, ab eodem Salomone Christum significatum fuisse, et secundum nominis interpretationem, et secundum rei gestionem, Psalmum istum, qui de Christo legendus est, Salomonis nomine titulavit. In Salomonis namque tempore justitia et pax maxima fuit in Israel. Unde etiam idem *pacificus* dicitur. Et dilatatum fuit regnum ejus valde. Et ipse sapientissimus exstitit, sic etiam ut regina austri venisse legatur a finibus terræ audire sapientiam ejus (*III Reg.* x, 1). Sic et Christus qui verus pacificus fuit, mundum justificavit et Deo pacificavit. Et sapientissimus existens reginam a finibus terræ, Ecclesiam scilicet, quam ex captiva reginam et sponsam suam fecit, per prædicatores ad se vocavit; et sapientiam præceptorum ejus eam audire fecit. De dilatatione regni ejus Christi, et de justitia et pace in ejus tempore futura, et de ejus æternitate, et quomodo sibi regnum acquiret, et qui in regno ejus erunt, et de ejus regni benedictione et salvatione Propheta agit, in ipsius laude satis ample immorando. Pro quo in principio psalmi orat ut ei Deus Pater judicium et hic et in futuro ad utilitatem populi sui tribuat. Orat quoque ut montes et colles pacem a Deo suscipiant, quam susceptam populo suggerant. In fine vero psalmi eidem regi benedicendo, nobis ei benedicendi dat exemplum.

Deus, judicium tuum regi da, id est judicium quod tu cum sancto Spiritu de mundo exerces, et in futuro facturus es, da Christo regi, secundum quod homo est, quod jam habet, secundum quod Deus. Et ostendit quod judicium, et cui regi, cum addit : *Et justitiam tuam filio regis.* Hic autem per hendiadyin idem est justitio quod et judicium. Ac si dicat, scilicet Filio tui regis, Christo, da justum judicium tuum. Et bene dicit *tuum,* cum hoc judicium Patris sit, et Filii et Spiritus sancti. Licet hoc a quibusdam astruatur. « Non enim 267 Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v, 22). » Quod nihil impedit, cum, sic intelligendum sit: « Pater non judicat quemquam » visibiliter, quia ipse invisibilis est; « sed omne judicium dedit Filio, » secundum quod homo est, cum, secundum quod Deus est, æqualis ei sit, et nihil ipsi ab eo conferatur. Sic scilicet dedit Filio omne judicium, ut ipse, visibilis apparens, totum in futuro judicet, cooperante tamen invisibiliter totius potentia Trinitatis. Et exponit ipsum judicium per partes, sic: Dico, *da filio* tui *regis* Christo justum judicium tuum, scilicet da ei *judicare populum* tuum *in justitia, et pauperes tuos in judicio.* Justitia et judicium idem est. Populum vocat minores, pauperes autem san-

www.libtool.com.cn

ctiores, qui, mundum omnino spernentes, Christum nudi et inopes sequuntur. Et est ac si dicat : Da ei potentiam in futuro judicandi populum tuum, id est minores fideles, qui populus dicuntur, eo quod maxima multitudo erit eorum, ad comparationem malorum. Vel sic hi duo versus leguntur : *Deus, judicium tuum regi da*, et hic et in futuro; et ut judicium illud prosit populo salvandorum, da *justitiam tuam*, id est justitiam quæ ex te est, *filio* illius *regis*, scilicet populo Christiano, qui filius erit spiritalis regis illius. Quod est dicere : Justifica illum regis filium, et secundum peccatorum remissionem, et secundum virtutum et bonorum operum perfectionem. Si enim injustus relinqueretur, justo judicio regis damnaretur. Et exponit judicium per partes, sic : Dico, *da judicium*, scilicet da ei *judicare* hic *populum tuum*, quem dixi filium regis; *in justitia*, id est secundum quod justitia ipsius populi promerebitur a te data, scilicet ut, cum idem populus in hoc mundo justus sit, plus ab eodem rege justificetur.

Et da ei regi *judicare* in futuro *in judicio* justo *pauperes tuos*, fideles scilicet qui non extra velle sunt pauperes ; sed tui pauperes, id est, pro te. Per majores autem fideles, quos pauperes dicit, dat etiam intelligere minores ; qui, si non sint mundum omnino relinquentes, in futuro tamen salvandi sunt. Ut autem istud judicium fiat et hic in futuro, *suscipiant montes pacem populo* exhibendam, id est apostoli, qui alti sunt ut montes ad comparationem collium, suscipiant ab ipso rege pacem, id est dilectionem Dei et proximi, per quam pax erga Deum habetur et erga proximum. Ideoque pax jure dicitur, quam populo, id est minoribus annuntient. *Et* quoniam montes non sufficerent, *colles*, id est, minores prædicatores, qui dicuntur colles eo quod inferiores erunt in sanctitate, ad comparationem collium qui montibus sunt inferiores, *suscipiant* ab ipsis montibus justitiam *populo* annuntiandam. Justitia idem est quod pax. Et bene dilectio Dei et proximi justitia dicitur, eo quod omnis eam perfecte habens, perfecte justificatur. Enuntiat autem quod orando et optando dixit, ubi posuit *judicare populum*, etc., sic : Dico, *suscipiant montes pacem, et colles justitiam*, populo exhibendam. Et postquam montes et colles pacem populo susceperint, *judicabit* ille rex in futuro *pauperes populi*, scilicet remunerabit justo judicio suo illos quos dixi montes et colles, qui pauperes erunt hic in populo suo, mundum relinquentes; *et salvos faciet* æterna salvatione *filios pauperum*, subjectos scilicet qui filii erunt spiritales apostolorum et prædicatorum, *et humiliabit calumniatorem*, diabolum scilicet deprimet, ne ulterius locum habeat suos tentandi vel accusandi. Qui quandiu mundus iste durat, calumniator est, id est accusator, non voce, sed mala sua conceptione. Est etiam calumniator, id est in quantum potest totius boni disturbator. Illum enim usualiter calumniatorem dicimus qui bonum disturbare intendit. Vel *calumniatorem humiliabit*, id est quemcunque impium, qui hic suis calumnias, id est scandala infert, ne ulterius locum habeat eis calumniandi.

Vel sic potest legi, secundum sententiam quam in duobus primis versibus sxposuimus, ut continuatio non mutetur : **268** Postquam pacem susceperint montes, et colles, et populi, *judicabit* hic, id est remunerabit hic *pauperes populi*, majores scilicet, ut, cum justi sint, faciat eos justiores. Et per hanc partem innuit quod et minores, licet non adeo perfecte, juxta hoc tamen quod justitia eorum exiget, remunerabit, *et salvos faciet* in futuro salvatione æterna *filios pauperum*, id est minores. Et per hoc datur intelligi quod multo magis ipsos pauperes, quorum filii erunt, salvabit; *et humiliabit calumniatorem* in futuro. Hoc non mutatur. Laudat autem eum de æternitate sua, sic : Dico quod *humiliabit calumniatorem, et* idem rex qui eum humiliabit, *permanebit* in futuro *cum sole*, id est cum majestate Patris, secundum deitatem ei consubstantialis. Pater autem jure sol dicitur, cujus naturæ claritas a nullo potest perfecte contemplari, sicut solis claritas ab humano visu perfecte conspici nequit *et* sic permanebit quod erit *ante lunam*, id est, in præsentia lunæ secundum humanitatem. Secundum deitatem namque non est localis, scilicet in præsentia Ecclesiæ suæ erit, ut ad cumulum beatitudinis ejusdem Ecclesiæ ab eadem jugiter conspiciatur. Ostendit vero quod vocet lunam cum addit : *In generatione* scilicet *et generatione* erit, id est in præsentia generationis et generationis, id est omnis generationis justorum. Cum bis ponat *generationem*, de omnibus justorum generationibus dat intelligere. Generatio et generatio idem est quod luna. Lunam Ecclesiam dicit, eo quod in tempore persecutionis decrescat per imperfectionem filiorum, ut luna, et in tempore pacis crescat per filiorum regenerationis augmentum. Vel sic : *Permanebit cum sole*, id est quandiu sol durabit. Et hoc exponit cum in sequentibus addit : Scilicet usque in generationem hujus generationis subsecutivam, et generationem ultimam. Cum bis generationem ponit, omnes generationes dat intelligere. Ac si dicat : Tandiu permanebit, quandiu mundi omnes generationes duraturæ sunt. Et ne putaretur post solem et generationes non esse permansurus, addit: *Et ante lunam* est ipse, id est dignior et durabilior erit luna scilicet omni re commutabili, quæ per lunam ideo designatur, quia luna sæpe commutatur. Vel sic : Ne videretur non fuisse ante mundum addit : *Et ante lunam* permansit, secundum quod Deus. Per lunam quippe, quæ pars est omnis creaturæ, omnem creaturam vult intelligere.

Quoniam autem eum regem dixerat, et judicaturum pauperes, et filios pauperum, posset quæri, quomodo eos acquiret in regnum? Quod sic ostendit : Dixi quod rex erit, et pauperes et filios pauperum judicabit. Quos pauperes et filios sic in regnum sibi acquiret, quod prius *descendet*, id est, veniet de sublimi invisibilitate sua in notitiam primitivæ Ecclesiæ de Judæis, *sicut pluvia* descendit *in vellus*, area

existente sicca in tempore Gedeonis. Et post descendet in notitiam gentium, *sicut stillantia stillicidia*, id est, sicut stillantes pluviæ *super terram* descendunt, id est super aream, vellere manente sicco. Et bene ponit *stillantia*, ut valeat ad similitudinem. Sicut enim stillicidium pluviæ stillat, id est paulatim fluit; ita et ejus notitia paulatim per prædicatores in mentes hominum fluxit. Mittit autem nos ad figuram historiæ de Gedeone. Quem cum Dominus dixisset, Israelem a gentibus, quæ nimirum illum oppresserant, liberatum, signum hujusce salvationis a Domino petiit quod est ei a Domino concessum, scilicet, ut vellus quoddam in area positum humidum inveniret, area sicca existente; altera vero die aream humidam sicco vellere (*Jud.* VI, 37-40). Per vellus ergo prius a pluvia infusum, Judaicus populus præsignabatur, qui se a Deo sine Dei detrimento aliquo abruperat sicut vellus ab ove, sine damno ovis abrumpitur. Qui populus tamen secundum partem imbre gratiæ spiritalis erat infundendus, gentibus inde siccis existentibus. Per aream autem 269 quæ postea vellere sicco humida fuit, gentium populus præsignabatur, qui postea, Judæis siccis secundum maximam partem ab ipsa gratia, ea gratia erat replendus; juxta illud Apostoli : « Cæcitas contigit ex parte in Israel, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* II, 25). » Et bene per aream gentilis plebs portentebatur. Quia sicut area vellus circumquaque ambiebat, sic et infinitus gentium populus Judæos, quorum non tantus erat numerus, omni parte localiter circumdabat. Bene etiam area dicebantur qui terreni erant in affectionibus, nihil eorum quæ Dei sunt sapientes. Area namque nihil aliud est quam terra. Vel sic versus iste legi potest : Dico *quod judicabit pauperes et filios pauperum*, et prius descendet in uterum Virginis, non localiter, sed spiritaliter, *sicut pluvia* descendit *in vellus*. Quod est dicere : Sicut pluvia descendit in vellus illud, sine velleris corruptione; et inde exprimitur sine ejusdem velleris læsione, sic et Dei verbum descendet in Virginem, id est incarnabitur in Virgine, et nascetur sine Virginis corruptione, et post descendet in notitiam hominum, ut eos spiritali gratia imbutos, Deo bona opera fructificare faciat, *sicut stillicidia stillantia super terram* imbuunt eam, et germinare faciunt.

Laudat autem eum de justitia sua, sic : Dico quod *descendet*, et *in diebus ejus*, id est in tempore regni ejus, *orietur justitia*, id est genus humanum, quod per Adam in injustitiam decidit, per eum justificabitur, quod per legem et per liberum arbitrium adipisci non potuit. *Et* non parva justitia, sed *abundantis pacis*, id est abundantissima pax, scilicet dilectio Dei et proximi, quæ et justitia et pax dicitur, ut superius est ostensum. *Abundantia pacis* dico, duratura *donec auferatur luna*, id est Ecclesia de hoc statu in perfectum statum. Vel luna quæ in cœlo est, auferatur de hoc statu : in perfectum statum. Luna namque, et sol et cætera elementa immutabuntur.

A Juxta quod legitur : Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XII, 5). Quod est dicere : tandiu pax ejus durabit, donec mundus iste transeat, non quod post non duret in æternum, sed talia genera locutionis sæpius habemus, velut cum dicimus : Exspecta me donec veniam, non quod postea velimus eum discedere. Laudat eum etiam de regni ejus amplitudine, sic. Dico quod *in diebus ejus orietur justitia*, et ipse *dominabitur a mari* orientali, usque ad mare occidentale, et a mari australi usque ad mare septentrionale. Quod est dicere, dominum ejus durabit ab oriente usque in occidentem, et ab austro usque ad septentrionem, et a flumine incipiet dominari, id est a Jordane qui flumen antonomastice dicitur, eo quod dignissimus fluvius sit in Judæa. Per Jordanem autem dat intel-
B ligere baptisma, quia in Jordane Dominus est baptizatus. Ac si dicat : A tempore baptismi incipiet apparere dominium ejus, per prædicationem suam. Ante baptismum enim non prædicavit, non ut ignoraret, qui a tempore nativitatis suæ secundum quod homo erat, omnia scivit. Non enim, ut Augustinus asserit, locum habere poterat ignorantia, ubi personaliter erat indesinenter Patris æterni sapientia : sed usque post annum tricesimum et post baptismum prædicationem differre voluit, ut exemplum daret ante baptismum, et anni tricesimi ætatem, a nullo esse prædicandum.

Quia vero posuerat *a mari usque ad mare*, et cum maria multa sint, posset intelligi mediterraneum mare, vel aliquod proximum, et sic totus mundus
C ejus dominio non intelligeretur esse subditus, additur *a flumine*, id est a baptismate, *usque ad terminos orbis terrarum* damnabitur, id est ubique terrarum. Vel *a flumine* incipiet damnari, id est a Judaico populo, de quo primitivam Ecclesiam constituet, qui metonomice per Jordanem, qui flumen antonomastice dicitur, accipitur, 270 eo quod in Judæa sit *usque ad terminos orbis terrarum*, id est usque in omnes nationes. Ne vero solummodo illi qui non erunt valde peccatores intelligerentur in regno ejus esse, ostendit illos etiam qui in peccatis erunt teterrimi in ejus regno futuros, ut per hoc magis ejus justitiam commendet, sic : Dico quod *dominabitur*, et ecce illi super quos dominabitur : *Æthiopes*, id
D est illi qui in moribus sunt nigerrimi, sicut Æthiops in corpore, *procident*, id est se humiliabunt de superbia sua, et *coram illo*, id est in beneplacentia ejus. Vel, *procident coram illo*, id est adorabunt eum. Adorantium autem est coram illo quem adorant procidere.

Et inimici ejus qui nolent coram illo procidere, *terram lingent*, id est terrenis nimio desiderio adhærebunt; a similitudine illius qui, cum ei cibus comestus non sufficiat, vas etiam lingit in quo positus fuit, vel a similitudine quorumdam animalium, quorum natura est terram lingere. Ac si dicat : Irrationabiliter se habentes nimio desiderio terrena complectentur, quæ eis causa perditionis erunt. Hoc autem dicit ad cumulum miseriæ eorum. Ostendit

www.libtool.com.cn

vero ad Dei laudem ipsos Æthiopes varias virtutes habituros, addendo sic : Dico quod procident Æthiopes, *et* ipsi effecti *reges Tharsis*, id est sui ipsius, et hoc sit ut sint reges contemplationis, contemplantes cœlestia, non terrena. Tharsis enim *contemplatio* interpretatur. *Offerent munera* illi regi, scilicet contemplationem suam, et cæteras virtutes non sibi imputabunt, sed illius regis munera esse testabuntur : et sic ea munera ei offerent; et Æthiopes adhuc facti *insulæ*, id est innocentes et rejicientes procul a se omne circumstans peccatum, ad modum insularum, quæ maris circumstantis æstum a se repellunt, et siccæ persistunt; *offerunt munera* illi regi, innocentiam scilicet, et cæteras, virtutes suas, quas non sibi sed regi attribuent; et ipsi Æthiopes facti *reges Arabum*, id est humiles et alios fructificantes : *et* effecti reges *Saba*, id est incensi igne charitatis, et ad fidem conversi, *adducent dona* regi, id est alios per prædicationem suam Deo adducent, quos se Deo donare facient per subjectionem. Per Arabes quidem congrue humiles et fructificantes accipiuntur. Arabia namque *humilis* dicitur, vel *campestris*. Per campestres quippe fructificantes intelliguntur, eo quod campi ad fructificandum habiles sunt. Per Saba vero quæ interpretatur *incensa* vel *conversa*, charitatis igne incensi, conversique ad fidem merito designantur. Et notandum, non omnes has virtutes omnibus convenire, scilicet ut sint contemplantes, et innocentes, et humiles, et fructificantes, et conversi, et charitate incensi ; sed quibusdam perfectis scilicet omnes conveniunt, aliæ vero aliis, et aliæ aliis. Vel ad litteram intelligi potest, scilicet quod reges Tharsis illius regionis, et cultores insularum marinarum offerent se munera illi regi, per conversionem ; et reges Arabum, illorum populorum, et reges Saba, illius terræ, adducent se dona Deo per fidem. Ne vero, si ad litteram acciperetur, soli Æthiopes illi populi, et reges Tharsis, et insularum cultores et reges Arabum et Saba essent adoraturi, addit :

Et adorabunt, id est venerabuntur *eum* per fidem et bonam operationem, *omnes reges*, id est omnis modi principes : Per reges, omnes terrarum principes designat, *omnes gentes*, id est omnis modi gentes, *servient* ei casto amore. Et merito, quia morte sua *liberabit pauperem* mundum, qui ope sua liberari nequit *a potente* diabolo, qui in eum potentiam per peccatum Adæ exercet. « Princeps enim mundi hujus ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » *Et pauperem*, inquam, *cui non erat adjutor* aliquis, id est qui nec per se nec per aliquem adjutorem poterat liberari. Cum vero dixerat pauperem, id est per se insufficientem, videretur per aliquem posse liberari, nisi adderet : *Cui non erat adjutor*. Et non solum *liberabit a potente*, 271 sed hic *parcet pauperi et inopi* ; mundo scilicet, qui, quantum ad auxilium suum pauper, quantum ad alterius auxilium, inops est ; *parcet*, id est peccata indulgebit. Posset enim a potente eum liberare; et peccata non remittere, et sic tamen mundus damnaretur. Dico quod hic *parcet* ; et in futuro *salvas faciet* æterna salvatione *animas pauperum*, fidelium scilicet suorum, qui sunt pauperes, id est in spiritu humiles. Cum dicit animas esse salvandas, de salvatione quoque corporum datur intelligi. Exponit autem versum hunc singulis singula reddendo, cum addit *Ex usuris*, etc.

Quod sic legitur præposterate. Dico : *parcet* hic *pauperi et inopi*, scilicet morte sua *redimet animas* suorum *ex iniquitate*, id est omni ex crimine pretio suæ mortis eruet. Et dico quod *salvas faciet* in futuro *animas pauperum*, scilicet *redimet*, id est redemptione suæ mortis *redimet ex usuris*, id est ex pœnis æternis, quæ ideo dicuntur usuræ, quia majores et durabiliores erunt quam peccata, quæ hic fiunt, sicut usura major est fenore. *Et nomen eorum* existentium *coram illo*, id est in beneplacentia ejus erit honorabile. Quod est dicere : Quia in beneplacentia ejus erunt, honorabile nomen eis dabit, ut prius vocati servi peccati rei et injusti, et cætera talia nomina habentes, filii dicantur, et reges sui ipsius, et justi, et cæteris hujusmodi vocabulis nuncupentur. Vel sic : *Nomen eorum* erit *honorabile*, et hoc erit *coram illo*, id est in conspectu illius. Quod est dicere : Ipse reputabit nomen honorabile, cuicumque non videatur, et vivet in eis. Ac si dicat : Ideo nomen eorum erit honorabile, quia ipse *vivet in eis*, id est perenniter erit cum eis. Juxta quod idem dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Vel sic, *et vivet* legitur : Quia superius dicendo, *redimet animas eorum*, dabatur intelligi eum morte sua redempturum, addit : Dixi quod *redimet* moriendo, et tamen postea *vivet in æternum* resurgendo, non in morte detinebitur, sicut Judæorum infelicitas mentietur. Juxta quod legitur : « Mors illi ultra non dominabatur (*Rom.* VI, 9). » Quia vero de conversione Æthiopum et regum et gentium agendo, de sapientium conversione nihil dixerat de hac etiam agit sic : Dixi quod *adorabunt eum omnes reges et gentes* ; et etiam *dabitur ei* a Deo Patre *de auro Arabiæ*, id est quidam de sapientissimis philosophis hujus sæculi. Qui per aurum Arabiæ, quod omni alio auro pretiosum est, designatur, eo quod sapientia pretiosissima sit ad modum auri Arabiæ. Et ipsi qui erunt aurum, orabunt semper eum, id est jugiter; de hoc ipso hoc accipientes, id est de doctrina ejus ut orent. Quod est dicere : Ipse dabit præcepta orandi, sicut in Evangelio legitur dedisse discipulis, sic : « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VIII, 9), » etc. Vel orabunt, de ipso hoc habentes, non a seipsis. Ac si dicat : Hoc etiam quod eum orare poterunt, ab ipso habebunt, non a viribus suis. Vel sic : *Adorabunt eum*, id est venerabuntur fide et devotione; de ipso hoc habentes, non per seipsos ad hoc sufficientes; et *benedicent ei*, id est laudabunt eum, *tota die*, id est de tota illuminatione sua quæ tanta erit ut dies, scilicet hoc quod illuminati erunt fide et sapientia non sibi ascribent, sed illi; inde laudabunt

www.libtool.com.cn

eum. Vel *tota die*, id est jugiter *benedicent ei*, id est laudabunt enm voce et opere, de beneficiis sibi ab eo collatis.

Et merito *benedicent*; nam ipse *erit firmamentum in summis montium*, existentibus *in terra* hac præsenti. Quod est dicere : Ipse firmos faciet in omni virtutum perfectione philosophos summos ; qui præ nimia scientia dicendi sunt summi montes montium, id est inter alios montes, scilicet alios philosophos. Vel intransitive dictum est *in summis montium*, id est in summis montibus. Dico quod eos firmos faciet, et in hac terra præsenti ubi locus est defectionis. Vel faciet firmos existentes *in terra*, id est, in terrenitate sua, in carne, scilicet. **272** Quod est dicere : Dum in hac terrena carne erunt, eos confirmabit ne deficiant. Non solum in futuro, ubi multo magis confirmabuntur. Et quia ipse *erit* eorum *firmamentum*, *superextolletur super Libanum fructus ejus*, id est ipsi montes quos firmabit, quos in fide fructificabit, superextollentur *super Libanum*, id est exaltabuntur in dignitate meorum candentes, id est prosperantes in terrenis, qui per Libanum designantur, eo quod Libanus *candor* interpretetur, et per candorem solet prosperitas sæpissime denotari. Quod est dicere : Digniores erunt in terrenis florentibus. Et illi *de civitate*, id est de Libano scilicet, de Babylonia, quæ est candens in terrenis, et est civitas diaboli, *florebunt* in præsentibus bonis *sicut fenum terræ*, id est utpote terrenum fenum, « quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* VI, 30). » Quod est dicere : Flos prosperitatis illorum qui cives sunt Babyloniæ, id est civitatis impiorum, quæ est civitas confusionis, transitorius est sicut flos feni. Unde Isaias : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni (*Isa.* XL, 7). » Vel sic : Dico quod *fructus ejus superextolletur super Libanum*, et illi qui sunt fructus *de civitate* hac præsenti, id est de Ecclesia, quæ est civitas Dei munitissima, ituri in aliam civitatem, scilicet in Hierusalem cœlestem, *florebunt* in bonis operibus ad generandum messem, id est æternam beatidudinem in futuro suscipiendam, sicut fenum terræ floret ad hoc ut semen ex flore procreetur. *Fenum terræ* dicit, ad differentiam feni tectorum, cujus flos inutilis est ad seminis procreationem, quod fenum « priusquam evellatur exarescit (*Psal.* CXXVIII, 6). » Et bene ponit *de civitate*; Ac si dicat : *De civitate* hac, id est de Ecclesia, quæ Dei civitas est, procedent flores justorum, id est opera bona, et in futuro colligentur messes operum bonorum, scilicet beatitudinis æternæ præmium, quoniam autem montes firmabuntur, et superextollentur, et florebunt.

Sit nomen ejus regis *benedictum*, id est exaltatum usque *in sæcula* futura. Nomen usualiter pro gloria ponit. Illum enim qui gloriosus est, magni nominis esse dicere consuevimus. Dico ut a montibus benedicatur nomen ejus. *Ante solem* tamen *permanet nomen ejus*, id est gloria ejus. Per solem accipit mundi creationem, eo quod tunc sol creatus est. Et est ac si dicat : Non adhortor ut gloriam ejus exaltetis, niti ad utilitatem vestram. Nihil enim ei exaltatio vestra conferet, cujus gloria manet ante mundi constitutionem. Quoniam vero dixerat : *Erit firmamentum in summis montium*, ne putaretur solos majores, non etiam minores firmaturus, addit : Dico quod *erit firmamentum in summis montibus*, et non solum hoc ; sed *in ipso*, id est in fide ipsius, *benedicentur*, id est exaltabuntur in omni morum et virtutum perfectione *omnes tribus terræ*, id est omnismodi tribus terræ, tam Judæorum quam gentium. Juxta quod ad Abraham promissio facta est sic : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXVI, 4). » Et quia in ipso benedicentes, *omnes gentes magnificabunt eum*, gentes et tribus idem est, quod est dicere : Sublimabunt eum laude omnes gentes, dicentes : *Benedictus Dominus Deus Israel*, id est exaltatus sit, quia Dominus est in rebus, et Deus fidelium, quos facit Israel, id est videntes se Deum in contemplatione ; vel qui Deus apparet Israel, id est fidelibus cuicunque non appareat Deus. Qui facit, etc., ac si dicat : Ideo benedictus sit, *quia fecit mirabilia* : et non qualiacunque, sed *magna*, et non alieno auxilio, sed *solus*. Mirabile namque est eum de virgine natum fuisse, et mundum morte sua redemisse, desperatos ad vitam reducere, et multa alia innumerabilia egisse. *Et* non ad horam sit benedictus, sed in æternum *benedictum* sit *nomen majestatis ejus*, id est gloria magnitudinis ejus, id est exaltata sit gloria magna ejus. Dico quod *omnes tribus terræ benedicentur in ipso* : *et* hoc modo scilicet quod *omnis terra replebitur majestate ejus*, id est omnismodi terreni replebuntur magnitudine spiritus ejus. Juxta quod dictum est per Joelem : « Effundam de spiritu meo super omnem **273** carnem (*Joel.* II, 20). » Hoc autem ut repleatur ; *fiat* in Ecclsia de Judæis, *fiat* in Ecclesia de gentibus.

IN PSALMUM LXXII.

Titulus septuagesimi secundi : *Defecerunt laudes David filii Jesse Psalmus Asaph*. Quod juxta Augustinum exponitur : *Psalmus* iste est *Asaph*, id est fidelis synagogæ, habitus pro eo quod defecerunt laudes David filii Jesse, id est pro ea consideratione quod defecerunt laudes Judaici populi qui consuevit Deum laudare contuitu temporalium bonorum, non contuitu æternorum. Adveniente namque Christo, laudes hujusmodi defecerunt, cum præceptum a Christo datum sit, non de temporalibus, sed de spiritalibus bonis debere sollicitari. Juxta quod ipse perhibet in Evangelio. « Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Scit enim Pater vester quod his omnibus indigetis (*Matth.* VI, 31 32). Et addit : « Quærite ergo primum regnum Dei et, justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis (*Ibid.*, 33). » Congrue quidem additum est : *filii Jesse* ad differentiam Ecclesiæ et Christi, qui solent accipi per hanc vocem, quæ est David : ut intelligatur

www.kbr.be/ocr.cm.cn

ad litteram David rex Israel, qui fuit filius Jesse. Per David nimirum Jesse filium metonomice populus Israel accipitur, eo quod ejus idem David rex exstitit. Et bene etiam ea occasione quod *defecerunt laudes* Israelitici populi, psalmus iste dicitur compositus fuisse. Ecclesia namque, quæ et synagoga fidelis dicitur, quæ prius Deus de contuitu terrenorum laudaverat, videns post adventum Christi bonas affligi, malos vero prosperari, in indignationem deveniens, pene defecit. Et pene ex toto malignorum parti conformata est, ut et ipsa posset prosperari. Ab hujusmodi vero errore Dei gratia opitulante tandem exempta, malorum prosperitatem cognovit tendere ad eorum destructionem : bonorum vero adversitatem ad ipsorum salvationem. Et sic amodo non displicet, imo placet ipsi adversitas. Ut igitur bonos ab errore et indignatione retrahat, et Deum non in terrenis sed in bonis æternis esse laudandum ostendat, in Dei laudem erupit, ostendens eum esse bonum etium in afflictione bonorum. Redarguendo quoque se ostendit errasse : et qua de causa erraverit, scilicet contuitu impietatis et malitiæ eorum, scilicet impiorum, quam multipliciter demonstrant ; de quorum etiam agit consolatione futura. Tractat insuper ad exemplum aliorum de sui erroris commutatione, et sui erga Deum subjectione : dicendo se Deo amodo adhærere, in eo spem habere. De titulo quidem juxta Augustinum sic agitur. Si vero ad Hieronymi sententiam recurramus, titulus hujus psalmi solummodo esse videtur *psalmus Asaph*. Istud igitur quod præponitur, scilicet defecerunt laudes David filii Jesse, affirmat beatus Hieronymus apud Hebræos hujusce tituli nequaquam esse partem, sed sententiam ad præcedentem psalmum spectantem ab Esdra competenter appositam. Considerans enim Esdras, titulorum compositor, in præcedenti psalmo negotium adventus et regni Christi contineri, in cujus tempore laudes Judaici populi deficient, quas pro contuitu agebant terrenorum, ad instructionem in tempore Christi futurorum hanc sententiam adjunxit ; quam sic ponit ac si jam rex advenisset, quæ sic ad psalmum refertur : Quandoquidem rex ille, de quo in hoc psalmo superiori actum est, adveniet, qui talis et talis est ut in hoc psalmo est ostensum, deficient laudes David filii Jesse, scilicet laudes actæ Deo a populo Israel contuitu temporalium Quod est dicere : Ille rex instraet suos Deum non esse laudandum pro temporalibus, sed pro æternis. Has autem laudes defecisse innuit *psalmus Asaph* qui sequitur ; cujus intentio cum superioris tituli expositione ostensa est.

Quam *bonus Israel Deus his qui recto sunt corde*. In Hebriaca translatione habetur : *attamen quam bonus Israel Deus*, etc. Ac si dicat : Cum suos Deus affligi permittat, malosque prosperari, a quibusdam non recte considerantibus, non bonus in hoc
274 esse decernitur. Attamen ipse, qui Deus apparet omnibus qui sunt Israel, quibuscunque non appareat *quam bonus*, id est valde et ineffabiliter bonus, apparet in hoc iis *qui recto sunt corde*, illis scilicet qui corde recto perpendunt ad quid impiorum exaltatio, bonorumque deventura sit afflictio. *Mei autem pene moti sunt pedes*. Quod sic ad superiora conjungitur. Rectis corde quam bonus Deus apparet ! Sed *mei pedes pene moti sunt* ab eo, id est ratio mea qua animus incedit, sicut pedibus corpus, pene separata ab eo, id est pene distorsi ab eo rationis meæ contuitum. Et sic *pene effusi sunt gressus mei*, id est bona opera mea, quibus ad Deum incedo, quasi quibusdam gressibus pene effusa sunt, id est exinanita et in irritum deducta : ad similitudinem alicujus liquoris, qui, de vase effusus, in irritum deducitur. Si enim ab eo ratio mea mota esset, omnia bona opera mea ad nihilum redacta viderentur. Juxta quod Ezechiel dicit : « Si averterit se justus a justitia sua, omnium justitiarum ejus non recordabor (*Ezech.* III, 18). » Adjungit autem causam quare pene moti sunt pedes ejus et gressus, sic : Ideo scilicet pene moti sunt pedes, *quia zelavi*, id est indignatus sum, considerando rationis intuitu super iniquos. Et exponit unde zelavit *super iniquos*, addendo sic scilicet : zelavi *videns pacem peccatorum*, id est de hoc indignatus sum, quia, considerando ipsos iniquos, videbam eos habere vitam pacificam et imperturbatam, cum peccatores essent et digni pertubatione. *Super iniquos* dicit, a similitudine illius qui, in alto loco consistens, super inferiores aspicit. Accedit vero ad hoc ut solvat qua de causa pax sit peccatoribus data, sic : Dico *zelavi*, *pacem peccatorum videns*. *Pacem* dico ideo datam a Deo, *quia non est respectus* Dei *morti eorum*, id est ideo concedit eis Deus pacem in futuro valde nocituram ; quia non respicit ad mortem eorum, quæ pro hac pace eis continget, ut eos inde clementer eripiat. Si enim eos inde eripere vellet, non eis utique pacem, imo adversitatem concederet. *Et* non est *firmamentum* Dei *in plaga eorum*, id est in eis plagatis vulnere peccatorum. Quod est dicere : Et ideo pacem eis concedit, quia non curat confirmare in sanitate eos plagatos ; nam si eos adversitate castigaret, ipsos utique plagatos, per hoc in sanitate firmaret.

Et merito *non est firmamentum in plaga eorum*, Nam *in labore hominum non sunt*, id est non sunt participes laboris hominum, fidelium scilicet, rationabiliter se habentium, ad modum hominum. Quod est dicere · Negligunt ad æterna bona adipiscenda laborare ad quæ fideles laborant. *Et* ideo *cum hominibus non flagellabuntur*, id est cum fidelibus non castigabuntur flagellis tribulationum. Vel aliter melius hi versus leguntur, ut adhuc addat causas quare zelavit, sic : Et ideo *zelavi quia non est respectus* Dei *morti eorum*, id est peccatis eorum, quæ dicuntur mors, eo quod causa sint mortis. Quod est dicere ; Ideo zelavi quia Deus non respicit peccata eorum ut in præsenti ulciscatur, et quia *non est firmamentum in plaga eorum*. Quod est di-

www.libtool.com.cn

cere : Si aliquando eis plaga contingit, id est adversitas. In illa plaga *non est firmamentum*, id est illam plagam Deus non confirmat, ut diu daret, prout eorum mala merita videntur exigere, sed cito transitoria est. Et ideo adhuc *zelavi*, quia *non sunt in labore hominum*, fidelium scilicet, id est non sunt participes laboris fidelium, ut eodem modo laborent in adversitatibus sicut ipsi. Et hoc exponit cum addit, *et*, id est scilicet, *non flagellabuntur* in hoc mundo, neque flagellantur flagellis tribulationum a Deo *cum hominibus*, id est cum fidelibus, quod est dicere : Ideo indignor, quia video fideles laborare et flagellari a Deo, malos vero minime ; si enim saltem boni non laborarent neque flagellarentur, non adeo indignarer. Vel ita potest legi, ut superius expositum 275 fuit. Dico quod Deus non respicit mortem, id est peccata eorum, et ipsi tamen *non sunt in labore hominum*, id est fidelium, ut ad æterna laborent, sicut fideles, et cum ideo viderentur digni flagellatione, non flagellantur a Deo cum hominibus. Ac si dicat : Tanto magis indignatus sum cum videam bonos laborantes ad æterna flagellari ; ipsos vero ad æterna laborare negligentes, minime flagellari. *Ideoque* quia non flagellantur neque flagellabuntur, *superbia eos tenuit*, id est vinxit et alligavit numquam eos dimissura, et tanto magis magisque superbiunt.

Et ideo adhuc *operti sunt*, id est circumvallati *iniquitate*, id est iniqua cogitatione quantum ad proximum ; *et impietate* quantum ad Deum sua, id est ab eis precedenti non a meritis Dei et proximorum. *Operti sunt* per emphasim dicit, a similitudine corporis, quod undique vestibus operitur. Ac si dicat : Valde repleti sunt iniquitate et impietate sua, quam sponte habent, nullo eis occasionem dante, et *iniquitas eorum*, id est iniqua eorum cogitatio, *prodiit quasi ex adipe*, id est ex terrena prosperitate, quæ dicitur quasi adeps, id est similis adipi, quia sicut adeps pinguium animalium causa est, quare ipsa superbiant, sic eorum prosperitas terrena quare superbiant est causa. Et ex *iniquitate*, id est ex iniqua cogitatione, *transierunt* usque *in affectum cordis*, id est usque in nimium desiderium cordis. Quod est dicere : Non solum cogitaverunt inique, sed etiam ad hoc transierunt, ut affectum haberent in corde, suæ voluntatis pravæ complendæ. Vel sic : Si dicamus in affectu cordis. Dico quod iniqua cogitatio eorum *prodiit ex adipe*. Et non fuit parva hac iniqua cogitatio. Sed *transierunt* alios malos qui ita non prosperantur, sicut ipsi id pravo affectu cordis. Quod est dicere : Superaverunt omnes alios nequam, in pravo cordis desiderio ut pejora desiderent quam ipsi. Repetit autem, cum dicit, *cogitaverunt*, ut addat sic : Non sufficit eis transire alios in pravo affectu et prava cogitatione, sed *cogitaverunt nequitiam* iniqui. *Et* post *locuti sunt nequitiam*, et non in secreto quod utique tolerabilius esset, sed *iniquitatem locuti sunt in excelso*, id est in manifesto, ut alios ad eam attrahant, a similitudine illius qui in altum locum ascendit ut vox ejus omnibus in circuitu existentibus manifesta sit. Et non qualemcunque iniquitatem *locuti sunt*, sed *posuerunt os suum in cœlo*, id est constans fecerunt os suum in blasphemia Dei cœli, vel *posuerunt in cœlum*, id est contra cœlum, scilicet ut Deum cœli blasphemarent. Et sic tamen quod *lingua eorum* prius *transiit in terram*, id est in ea quæ sunt in terra, quod est dicere : Prius blasphemaverunt homines et ea quæ in terra sunt, et ab eorum blasphemia ad Dei cœlestis blasphemiam transierunt, ut eum postea blasphemarent vel sic : Dixi quod *tenuit eos superbia*, et adeo *tenuit* quod *posuerunt os suum in cœlo*, id est in conformitate cœlestis Dei, ut sicut ille res disponit et dispositione perficit, sic et ipsi subditis imperando res futuras pro velle suo disponerent, et ad effectum pertrahere sui verbi imperio molirentur, et lingua eorum in terra existentium transivit terrenas cogitationes, scilicet ut cum terreni essent, non quasi terreni cogitarent, sed quasi dii reputantes se nimis sublimes, ac si dii essent. Ac si dicat : Cum ipsi terreni sint et sublimia nimis loquantur impune, causa sunt quare *zelavi*.

Quia vero dixerat se zelasse, et causas zeli ostenderat, posset ab aliquo quæri, Quare hoc dicis ? Ad quod sic respondet : Ideo hoc dico, quare *convertetur* ab hoc eodem errore *populus meus*, id est populus fidelium mei conformis, *hic*, id est in consideratione horum verborum. Ac si diceret : Ideo me talibus de causis zelasse demonstravi de quo tandem resipui : quia occasione horum verborum convertetur populus fidelium mihi conformis 276 ab hac eadem indignatione si in ea fuerit et sic in eis fidelibus populi *invenientur dies pleni*, id est plenitudinis. Quod est dicere : Talem habebunt vitam, qualis debet esse vita eorum qui sunt in diebus plenitudinis, id est sic vivent ut Deum in adversis laudent contuitu cœlestium utpote existentes in diebus plenitudinis, id est in tempore gratiæ. Vel sic : Et quia convertentur a zelo, in futuro *invenientur in eis dies pleni*, id est dies æterni et indeficientes, quod est dicere : conversio causa erit, quare vitam æternam tandem sint adepturi, ut vero magis et magis retrahat, ostendit unde convertentur, sic ; Dico quare populus fidelium convertetur. *Et dixerunt* ipsi fideles et voce et cogitatione : *Quomodo scit Deus*, id est qua ratione potest comprobari quod Deus sit sciens omnia, *et si est scientia in excelso*, id est si cum excelsus sit, omnia scit, injustus est. Hoc autem subintelligitur per aposiopesin ; sed quia ignominiosum est, ponere noluit, ostendit quoque unde in hunc errorem deciderunt, sic : Dicimus quod Deus videtur non scire omnia, aut si scit, injustus videtur esse, et *ecce* quare alterutrum horum videtur, quia *ipsi*, id est iidem homines *peccatores* existentes, *et abundantes in sæculo*, id est in bonis sæcularibus, *obtinuerunt divitias*, id est diu habuerunt, quod utrumque injustissimum videtur. Ac si dicat : Si omnia sciret, illos utique qui peccatores sunt, non

www.libtool.com.cn

permitteret abundare divitus sæcularibus. Quia si abundare permitteret, saltem eas obtinere non sineret, sed eos eis cito privaret. Si vero omnia scit, tunc injustus videtur. Cum ipsos qui sunt peccatores dimittit divitiis abundare. Et quod multo pejus videtur, eas divitias obtinere, qui potius digni essent omnimoda afflictione. Dico quod fideles dixerunt hoc quod superius posui, *et* ego *dixi* istud idem mecum et istud quoque quod sequitur. *Ergo*, si Dominus non scit, vel, si scit, et injustus est, *sine causa*, id est sine utilitate *justificavi cor meum*, bene cogitando, *et* sine utilitate, *lavi manas meas*, id est munda feci opera mea, *inter nocentes* existens, quorum exemplo devocari possem et non sum devocatus, quod est dicere : Inutiliter bene cogitavi, et opera bona et munda feci, vel si Deus non omnia sciat, vel si sciens injustus sit, Et inde apparet quod sine utilitate feci, quia et *fui flagellus* a Deo *tota die*, id est jugiter tribulationibus. *Et castigatio mei* fuit *in matutinis*, id est in celeritate. Quod est dicere : Si aliquid committo, inde me celeriter castigavi. Et tamen ipse me flagellavit, et ideo videor inutiliter cogitasse, et opera mundasse, cum propter hoc diceret me immunem a flagellis esse. *In matutinis* ponit, pro in celeritate, a similitudine illorum qui mane surgunt celeriter, ad opera sua complenda.

Ostenso errore suo, ostendit quoque quomodo sit inde conversus, sic, illa dixi ego quæ superius ostendi, et contra hoc *dicebam*. Si ego *narrabo sic*, id est affli mavero vel Deum inscientem esse vel in justum. Ecce tali modo in præsenti est hoc inconveniens, scilicet *reprobavi*, id est reprobatam ostendi, nonquantum ad rei veritatem, sed quantum ad meam reputationem *nationem filiorum* tuorum, id est multitudinem fidelium, qui sunt filii tui spiritales, quod est dicere : Ostendi, quantum ad me, te reprobare omnem multitudinem fidelium, quos non remunerabis, si inscius aut injustus sis. Quod est inconveniens et incredibile ut non remunerentur, vel sic : Si hoc narravero, scilicet Deum esse inscium et injustum, et filios suos non remuneraturum, ecce in præsenti est hoc inconveniens scilicet *reprobavi*, id est contempsi *nationem filiorum tuorum*, id est auctoritatem multitudinis fidelium, qui affirmant Deum omnia scire, justum esse, et fideles remuneraturum quandoque. Et quoniam inde tale mihi inconveniens occurrebat, *existimabam ut cognoscerem*, *hoc* existimabam, non multum proprie appositum esse videtur, sed cum in Hebraica translatione habeatur 277 cogitavi, videtur etiam existimabam, positum essse pro cogitabam. Ac si diceret : Cogitabam *ut cognoscerem hoc*, quare Deus cum omnia sciat et justus sit bonos deprimi, malos autem in præsenti permittit exaltari. Et *labor* iste ut hoc cognoscam *est ante me*, id est ultra me, scilicet major me, ut ad finem nequeam illum deducere :

Donec intrem in sanctuarium Dei, id est donec a divina gratia admittar, in dispositionem Dei videndam, quæ sanctuarium dicitur, eo quod in ea sancta

A Dei mysteria continentur, quod est dicere : Labor hoc cognoscendi tantus est quod nunquam illum ad effectum perducam, donec gratia divina concedente admittar, ut aliquantulum mihi justa et occulta dispositio Dei manifestetur, per quam ista decernentur. Quod autem ponit *intrem*, a similitudine illius dicit qui in aliquam domum diu habens intrandi desiderium, tandem admissus intrat. *Et est* iste labor ultra me, donec positus *in novissimis eorum* consideratione, *intelligam*, id est intellectum rectum habeam, quare hic Deus malos prosperari patiatur. Aut si dicat : Nunquam cognoscam, quare hic prosperari permittantur, nisi ad novissima eorum respexero tormenta, quæ pro prosperitate sunt eis adfutura. Vel sic potest legi : Hoc *labor est ante me*, dico, B quia cogitabam *ut cognoscerem*, et *hoc* cognoscere *labor est ante me*, id est labor est cognoscere, considerando ea quæ sunt ante me scilicet præsentes eorum prosperitates, et bonorum afflictiones, quæ sunt in conspectu meo. Quod est dicere : Si eorum aspiciam prosperitates, et bonorum adversitates ; quæ ante me sunt, id est in mei præsentia, laboriosum est cognoscere quare hæc fiant. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum*. Expositio hujus versus non mutatur. Quod est dicere : Non hoc cognoscam, donec ad Dei dispositionem, et ad eorum novissima me referam. *Verumtamen* potest hoc videri per ipsas eorum prosperitates, quare eis contingant, licet dixerim esse laboriosum hoc cognoscere, nisi per novissima con- C siderata, nam *posuisti eis* prosperitates *propter dolos*, id est juxta dolos, scilicet ad similitudinem dolorum. Quod est dicere : Ita dedisti eis prosperitates, ut videantur esse doli, cum tamen ex justitia sic contingant. Et exponit quomodo sint similes dolis, sic vere juxta dolos posuisti. Nam *dum allevarentur* ipsis prosperitatibus, *dejecisti* eos interius, id est destruxisti eorum rationem ut magis excæcarentur. Quod est dicere : Cum eis dederis prosperitates ad eorum delectationem, videris dolose egisse, cum tamen justum sit, a similitudine illorum qui simulatoria bona prætendunt, ut per hoc aliquem decipiant. Ostendit autem eorum novissima, sic : Dico quod *intelligam in novissimis*. Et in ipsis novissimis D *quomodo facti sunt in desolationem*, id est in quantam fient desolationem, amittendo bona temporalia, in quibus modo consolationem habere videntur, et de illa desolatione non poterunt cavere. Nam *subito defecerunt*, id est repente et improvide deficient, et desolabuntur a bonis temporalibus, juxta quod Apostolus ait : « Dies Domini sicut fur in nocte veniet (*I Thess.* v, 2), » et non solum deficient a temporalibus, quod utique tolerabile esset ; sed etiam *perierunt*, id est peribunt sine fine *propter iniquitatem suam*, quam hic habent, juxta quod idem Apostolus dicit : « Cum dixerint pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus (*Ibid.* 3). » Ostendit autem per similitudinem, quomodo deficient, sic.

Dico quod deficient, et hoc *velut somnium surgentium*, id est sicut deficiunt divitiæ, quæ quando somniantur a populis, eis scilicet surgentibus, a somno nihil esse apparent, ita et eorum prosperitas quæ vana est, deficiet, eis in futuro surgentibus, et non solum tunc apparebunt nihil esse, sed hic etiam *rediges ad nihilum in civitate tua*, scilicet in Ecclesia, *imaginem ipsorum*, id est imaginaria 278 bona ipsorum, bona videlicet terrena, quæ ipsi reputant vera bona, cum non sint nisi imago, et quasi umbra bonorum. Quod est dicere: Ecclesiæ tuæ specialiter revelabis hæc imaginaria bona, quæ impii reputant magna, nihil esse, ad comparationem æternorum bonorum. Posset quæri unde scis quod mali desolandi sunt. Et quod hæc bona nihilum esse reputantur in Ecclesia. Ad quod sic respondet: Inde mihi notum est hoc. Quia *cor meum inflammatum est*, id est illuminatum et succensum flamma sapientiæ spiritalis: *et renes mei commutati sunt*, id est delectationes meæ, quæ per renes accipiuntur, eo quod in renibus delectatio carnalis est, commutatæ sunt, ut qui prius delectabar in sæcularibus, modo delecter in spiritalibus. Ostendit autem unde sit commutatus, sic addens: Et priusquam commutarer *redactus sum ad nihilum*, id est ad nihilum virtutum et rationis meæ, ut carerem ex toto vel ad nihilum, id est appetitum temporalium, quæ nihil sunt. *Et* adeo *sum redactus ad nihilum* quod *nescivi* quod agendum esset et quod dimittendum, et adeo postea *renes commutati sunt*, et *cor meum inflammatum*, quod ego qui prius rebellis eram et immansuetus apud te existens, id est in familiaritate, et beneplacentia tua, *factus sum ut jumentum*, id est domitum animal, et paratum ad deferendum onus præceptorum tuorum, ad modum jumenti, quod mansuetum animal est, et ad onus ferendum habile. *Et ego semper tecum* ero, non ulterius te deserturus. Ostendit autem quomodo factus est jumentum per eum, sic: Vere *factus sum jumentum*, non per me, sed per te. Nam tu *tenuisti*, id est perseverare fecisti, *manum dexteram meam*, id est bonam operationem meam, quæ per manum dexteram accipitur, per quam solet sæpe prosperitas intelligi, eo quod bona operatio cedat ad prosperitatem, *et deduxisti me in voluntate tua*, id est promoveri me fecisti de bono in melius in præceptis tuis, ut magis et magis ipsa complerem, et sic jumentum fierem, et in futuro *suscepisti*, id est suscipies me, de mortali et passibili faciens immortalem et impassibilem. *et* hoc *cum gloria*, id est sic ut me facias gloriosum et in anima et in corpore. Agit autem de gloria illa admirative, ut eam esse magnam ostendat, sic: Vere me suscipis cum gloria.

Quid enim mihi est in cœlo, id est quam magnum quidem mihi paratum in cœlo, æterna gloria scilicet, et cum illud quod est id cœlo magnum sit, et illud semper appetiisse debuissem, *quod volui* ego miser dari mihi a te *super terram*, id est quam vile quid petii dari mihi a te in hoc mundo, dum *zelavi pacem peccatorum videns*, scilicet terrena bona *volui* mihi dari, quæ vilissima sunt. Ob hoc autem sic se redarguit ut alios devocet ab appetitu terrenorum. Diceret aliquis: Unde scis te suscipiendum esse *cum gloria*, cum terrena prius appetieris? Ad quod sic adjungit: Inde confido me *cum gloria* esse suscipiendum, quia jam *defecit caro mea*, id est secundum quod mea, *et cor* secundum quod *meum* erat. Quod est dicere: Defecit in me carnalis appetitus, et cogitatio terrena, et quia *Deus* est *cordis mei* inhabitator spiritaliter, ut de illo solo cogitem, et *pars mea*, ut ex omnibus rebus eum solum partem eligam et appetam. Et hoc *in æternum*, et hic scilicet et in futuro. Quod est dicere: Ideo me *cum gloria* suscipiet. Quoniam, omnibus omissis, illum solum cogito et expeto. Subjungit vero causas, quare Deum cogitet et appetat singulis singula reddendo, sic: Dico quod *Deus cordis mei* possessor est, et *ecce* in præsenti est causa, o Deus, quare te velim esse *mei cordis* possessorem, *quia* illi *qui elongant se* cogitatione *a te peribunt* sine fine. Et ne peream, a te nolo elongari. Et te partem meam eligo et expeto. Quia *perdidisti*, id est perdes *omnem qui fornicatur abs te* recedendo, et diabolum sequendo, qui adulterinus maritus est. 279 A similitudine fornicariæ mulieris, quæ, marito relicto, adultero sociatur, et ne me perdas. Nolo fornicari recedendo a te, velut qui fornicatur abs te recedendo, id est non obediens tibi, casto amore sed timore; a similitudine mœchæ mulieris, quæ potius timore quam amore marito obedit:; quæ, si auderet, fornicatur. Dico quod illum perdes qui elongat se a te et qui fornicatur. *Mihi autem bonum est*, id est utile, *adhærere* tibi *Deo* cogitatione, *et ponere in* te *Domino* omnium et Deo, id est creatore *spem meam*, id est appetitum meum. Quod est dicere: Sed me non perdes. Nam ego utile existimo de te solo cogitare, et te solum appetere, et est mihi bonum, id est utile, *ut annuntiem* aliis *omnes prædicationes tuas*, id est omnia præcepta tua, quæ tu jubes prædicari. Ego dico existens *in portis filiæ Sion*, id est in virtutibus, quæ sunt portæ per quas Ecclesia introibit ad Sion, id est ad consortium angelorum. Cujus Sion dicitur esse filia, eo quod ad ejus puritatis et innocentiæ similitudinem, innocens et pura consistat: vel intransitive dicit, filiæ Sion, sic: Ego dico existens in prophetarum sententiis, qui per doctrinam portæ sunt; per quas Sion eorum filia, id est imitatrix, ad vitam introeat. Ac si dicat: Sic eis prædicabo ut in virtutibus perseverem: «Ne si aliter prædicaverim, reprobus efficiar (*I Cor.* IX, 27).» Vel sic. Sic prædicabo, ut a prophetis non dissentiam. Et quia bonum esse reputo sic prædicare, non perdet me Deus cum fornicantibus ab eo. Per hoc autem quod hoc dicit: aliis exemplum dat Deo adhærendi et in eo spem ponendi, et in portis filiæ Sion prædicandi.

IN PSALMUM LXXIII

Psalmi septuagesimi tertii titulus. *Intellectum Asaph*, id est fidelis Synagogæ, vel ante tempus

www.libtool.com.cn

Christi, vel in tempore persecutionis martyrum existentis. Quod est dicere : Psalmus iste in quo occultus continetur intellectus, est fidelis Synagogæ quæ hic agit conquerendo de repulsione et persecutione Judæorum a Romanis facta. Pro quorum Romanorum salute et conversione orat, cum persecutionem illam non fecerint ea intentione, ut Deum vindicarent, licet illa persecutio ad Dei vindictam fieret, sed potius ea intentione, ut nomen Dei delerent, et sibi ipsis triumphum requirerent. Agit etiam de persecutione fidelium, pro quibus etiam orat, et hoc ea intentione facit ut justi judicii Dei intellectum in nobis generet. Adjungendo causam, quare infideles persecutionem patiantur ad damnationem et quare fideles ad salvationem, quod utrumque obscurum erat. Cum autem et pro persecutoribus et pro persecutis orat, nobis sic orandi exemplum dat. Et notandum quod quando in titulo ponitur intellectus, in psalmo aliquid obscurum intellectu continetur, verbi gratia, in hoc psalmo, per cujus evidentiam intelligitur, quare Deus bonos affligi sicut et malos patitur, quod forsitan injustum esse videtur, et quod ad intelligendum obscurum est. Notandum quoque quia si fidelis Asaph ante Christi tempus existens, et damnationem successorum Spiritu sancto prævidens, loqui introducatur. Hoc quod more prophetico præterite ponit, future intelligendum esse. Si vero illa fidelis Synagoga de Judæis, quæ in tempore et post persecutionis tempus exstitit introducuntur loquens ; hoc præterite positum præterite quoque legetur. Notandum etiam quod cum de eorum damnatione conquerendo et compatiendo agat ; admiscendo etiam se, ex compassione nimia numero, eorum, nobis exemplum dat, quod etiam inimicis et damnandis compati debeamus.

Ut quid, Deus, repulisti in finem repulsionis, id est omnimoda repulsione et in corpore et in anima ? Determinat autem quos dicat repulsos ; cum addit: Et ut quod *est iratus*, id est vehementer accensus *furor tuus, super oves pascuæ tuæ*, id est ad hoc ut Judæos opprimat, qui fuerunt oves pascuæ tuæ, id est quos tu pavisti in pascuis legis, ad modum pastoris qui 280 oves in optimis pascuis pascit. Ira et furor aliquando idem est. Aliquando furor pro nimia ira ponitur. Cum autem hic dicit *iratus est furor tuus*, vehementiam furoris innuit. *Ut quid, Deus, repulisti*, et iratus est furor tuus, idem est in sententia, sed ideo repetit dicendo *iratus est furor tuus*, ut addat ad determinationem, scilicet *super oves pascuæ tuæ*. Et hoc est ac si diceret : Cum Judæos olim adeo dilexeris, mirum pluribus videtur quæ causa est quare sic eos repulisti ; et sic adversum eos furor tuus exarsit. Causam autem repulsionis eorum postea ostendit, persecutionem ipsam præostendens ; vel aliter medietas hujus versus legi potest, sic : *Ut quid, Deus, repulisti in finem* Judaicum populum. Hæc pars versus non mutatur. Est etiam *iratus*, id est succensus *furor tuus super oves pascuæ tuæ*, super nos scilicet, quos pascis ut oves simplices pascuæ doctrinæ tuæ. Ac si dicat : Cum etiam nos affligi sinas sicut infideles, facis ideo ut sis nobis iratus. Hanc questionem facit, ut postea solvat. Orat autem pro se sic : Dico quod populum Judaicum repellis, et quidquid de illis sit qui æternam damnationem promeruerunt. Saltem *memor esto congregationis tuæ*, nostri scilicet qui sumus congregatio tua, ne nos in perpetuum repellas, et nobis iratus permaneas. *Quam congregationem* per antecessores nastros patriarchas, scilicet et prophetas *possedisti ab initio* gentis nostræ. Ac si dicat : Cum tu, Deus, possessor noster sis, a tempore antecessorum nostrorum quorum fidem imitatur et eis jam beneficia multa impenderis, et eorum memor fueris, oro quoque nostri memor sis, ne a tua gratia repellamur. Non enim alii possessori quam tibi Deo subjici volumus, et ideo *memor esto*, quod beneficium hoc nobis jam contulisti, scilicet *redemisti* pretio mortis tuæ *virgam*, id est regnum *hæreditatis tuæ*. id est nos qui sumus regnum tuum hæreditarium, id est naturale regnum nulli alii Deo prius subditum, a similitudine possessionis hæreditariæ, quam possidet aliquis non sic ut eam alii Domino rapuerit, sed quæ sibi ex atavis hæreditario jure contingit. Ac si dicat : Cum nos utpote regnum tuum hæreditarium existentes redemisti, oro quoque nostri memor esto, ne redemptio illa deducatur in irritum. Per virgam, quidem sceptrum ; per sceptrum regnum accipitur, cum sceptrum regni sit signum. Quæ virga, id est quod regnum hæreditarium est *mons Sion*, sublimis in virtutibus, scilicet ad modum montis et speculans æterna. In quo monte tu, qui omnia potes, *inhabitasti* non localiter : sed secundum inoperantem gratiam. Ac si dicat : Non per se est mons Sion, sed per hoc quod tu *in eo* inhabitas secundum inoperantem gratiam, ut eum ad opus bonum promoveas. Et quia inhabitationem tuam ipsum montem Sion effecisti, oro quoque *memor* ejus *esto*.

Dico *in quo inhabitasti*, *in eo* scilicet quod sunt *mons* et *Sion*, id est in ea consideratione quod sunt sublimes in sanctitate et speculantes æterna. Vel sic littera adaptatur, sententia tamen eadem existente virga illa est mons Sion, in quo, id est consideratione cujus rei, scilicet quod est mons Sion, inhabitasti in eo monte secundum inoperantem gratiam, nisi enim inhabitares, nequaquam mons esse posset. Et in eo quod mons est, te inhabitare considerari potest. Orat etiam pro persecutoribus Judaici populi, Romanis scilicet. Qui cum populum persecuti sunt non quantum ad Dei vindictam, sed quantum ad ignominiam, sic : Dixi quod *repulisti* Judaicum populum a terra per Romanos, et tu, Deus, *leva*, id est exalta, *manus tuas*, id est potentiam tuam : *in finem* levationis, id est omnino *in superbias eorum* deprimendas, per quos plebem Judaicam repelli permisisti. Ac si dicat : Non solum oro ut nostri memor sis, sed etiam oro ut exaltatam ostendas potentiam tuam, deprimendo eorum superbias, et humiles eos et subditos tibi faciendo, vel sic : *Leva manus tuas*,

www.libtool.com.cn

id est potentiam tuam, in 281 *superbias eorum* A deprimendas. Et hoc *in finem*, id est in consummationem. Quod est dicere : Adeo potentiam tuam super eos exalta ut eorum superbias ex toto consumas.

Ostendit autem partes earum superbiarum, cum addit : Vere ipsi superbias habuerunt, nam *inimicus* Romanus populus tibi mala vita sua inimicans, quanta *malignatus est in sancto* sanctorum, id est quam magnas malitias in sancto templo tuo exercuit. Sanctum sanctorum interior pars templi dicebatur, quam solus pontifex semel in anno cum sacrificiis intrabat, potest etiam totum templum sanctum dici, eo quod dedicatum esset, licet ab indignis cultoribus frequentaretur. Non solum vero malignati sunt sed *gloriati sunt* de malitia sua *qui oderunt te*. Dene- B gando cultum tibi debitum, et nomen tuum delere cupientes, Romani scilicet, *in medio solemnitatis tuæ* paschalis, id est in omnibus diebus solemnitatis paschalis, quam licet indigne, tamen in honore tuo celebrare se putaverunt. Ideoque tua dicitur, quod est dicere: Gloriati sunt Romani de sua obsidione et persecutione, et hoc ad intentionem odii et ignominiæ tuæ. Legitur namque quod quia in Pascha Judæi Dominum Jesum crucifixerunt, in quadragesimo secundo anne post Domini passionem, in Pascha a Romanis obsessi fuerunt (Joseph. *Bel. Jud.*). Et sicut Judæi in illo festo de Domini morte sunt gavisi, ita et Romani in eodem festo de eorum obsidione et persecutione sunt lætati, quod superbum valde fuit. C Pejus enim est et superbius, de mali completione gaudere quam ipsum malum complere. Et non solum gloriati sunt, sed etiam quod superbum fuit, *posuerunt super summum*, id est super aliquem excelsum locum *signa sua* : signa scilicet, id est talia signa quæ ipsi non reputaverunt esse signa Dei, sed *signa sua*, id est signa victoriæ suæ. Et sic *posuerunt sicut in exitu* solent, signa poni, id est in arcu triumphali, sub quo homines intrant et exeunt. Ideoque dicitur exitus. Vel in porta, per quam homines intrant et exeunt. Tangit autem morem antiquorum. Qui cum aliquam civitatem ceperant et devicerant, statuam vel signum aliquod, super arcum triumphalem, vel super portam, in memoriam victoriæ suæ ponebant. Cæterum quia Romani, Ilie- D rusalem funditus eversa, portam in qua signa victoriæ suæ ponerent non habuerunt, super aliquem summum locum posuerunt, qui non reputaverunt esse signa ultionis divinæ, quod debuissent facere; sed suæ victoriæ, quod utique superbissimum fuit. Vel *sicut in exitu*, id est ita posuerunt sicut victores ponunt signa *in exitu*, scilicet quando exeunt aliqua civitate devicta, *et non cognoverunt* hanc victoriam, non ex sua probitate, sed ex divisa dispositione contingere. Vel sic legitur, si super summo ibi sit, juxta Augustinum, *et non cognoverunt*, *sicut*, id est qualiter fit, *in exitu*, *super summum*, id est de summa Dei dispositione, quod est dicere : Non cognoverunt qualiter hæc victoria exivit de dispositione summi regis. Quod utique si scissent, nunquam de ea superbissent. Demonstrat vero a partibus, quomodo *in sancto* malignati sunt, cum addit : Vere *in sancto* malignati sunt, nam *in idipsum* malitiæ tendentes, id est in eadem cogitatione mala concordantes.

Exciderunt securibus januas ejus templi, *quasi in silva lignorum* solet fieri. Silva lignorum proprie dicitur ea quæ ad hoc deputata est ut arbores ejus succidantur. Non ut defendatur ad opus pascuæ ferarum. Arbores enim incisæ, ligna dicuntur. Quod est dicere : Sine reverentia qualibet januas ejus exciderunt, sicut sine reverentia silva lignorum succiditur. Per excisionem januarum, quæ magis ornatæ partes templi erant, innuit quoque destructionem aliarum partium. Antiqui namque magis in portis ædificandis studebant, et non solum exciderunt, sed etiam *dejecerunt*, id est prostraverunt eas januas *in securi et ascia*, id est in percussione securis et asciæ. Per hæc 282 duo, omnia ferramentorum genera designat. Cum vero ponit *in ascia*, innuit quantam habuerint templum destruendi voluntatem. Cum illud opus fabrile, quod ferramentis magnis delere non poterant, ascia et ferramentis aliis parvis delebant. Et non solum dejecerunt januas, sed *incenderunt igni sanctuarium tuum in terra* positum, id est templum quod dicitur sanctuarium, eo quod in eo sancta continebantur, arca scilicet, et candelabra, et cætera talia. Quod enim supponit *igni*, non ideo dicit, ut succendi posset nisi igne, sed ad ostensionem vehementis incensionis hoc supponit. Et C bene ponit *in terra*, ac si diceret : Illud quod *in terra* positum erat, incendi potuerat, in cœlesti vero templo, quod per hoc significabatur, nihil juris habuerunt. Et per hoc ad illud templum nos niti adhortatur, in quo nullum patiemur ab hostibus assultum. Priusquam vero incenderent, *polluerunt* homicidio et sacrilegio, et aliis perversis actionibus *tabernaculum nominis tui*, id est gloriæ tuæ, templum scilicet, quod ad gloriam *nominis tui* factum fuit, quod nimirum ad respectum supercœlestis templi *tabernaculum* dicitur, eo quod illud æternum sit, istud vero transitorium : et inde hoc contigit quod *incenderunt* et *polluerunt*, quia *dixerunt in corde suo*. Et non pauci ex eis hoc dixerunt : Sed D *cognatio eorum simul*, id est omnis eorum collectio unanimiter dixerunt in corde suo, *Faciamus quiescere*, id est cessare, *a terra ista*, scilicet a Judæa, *omnes festos* dies *Dei* Judæorum. Ac si dicerent : Ipsis diis nostris spretis, nescio quem Deum colunt cui festa faciunt. Sed nos templum destruamus, et sic faciemus quod amplius in hac terra illi festi dies non celebrabuntur. Et quia hoc *in corde dixerunt*, ad actum etiam perduxerunt.

Demonstrata igitur Judæorum persecutione, et Romanorum malitia et superbia, subjungit fidelis Asaph causam ipsius persecutionis, hoc scilicet quod tempus visitationis suæ non cognoverunt. Et admiscet se collectioni eorum loquendo de illis, quasi et ipse Asaph eis fuisset conformis, ignorando tempus

www.libtool.com.cn

visitationis (*Luc.* xix, 44), non tamen quod eis conformis exstitisset, sed ideo sic agit, quia cum ejusdem originis esset, et nimium ei compatiatur, errorem eorum suum reputat non secundum ejusdem erroris habitudinem, sed secundum compassionem. Dixi : *ut quid repulisti.* Et ostendi quomodo fuere repulsi. Quod merito contigit nam nos *signa nostra non*, id est nonne, *vidimus ?* Vere vidimus. Ac si dicat : Ideo jure contigit, quia tempus visitationis non cognovimus quantum ad partem nostri, id est, multi ex nobis cognoscere noluerunt. Cum tamen signa viderimus a sanctis viris prædicta. Vel sic legitur non interrogative, jure contigit. Nam *non videmus*, id est quidam ex nobis non cognoverunt, *signa nostra*, a prophetis prædicta. Quæ utique si videre voluissent, et tempus visitationis cognovissent, et sic repelli non promeruissent, et ecce quoddam ex signis, scilicet quod *jam non est propheta* nobis, qui de Messia prophetizet, quod prædictum fuit a prophetis. Quatenus post ejus adventum essent cessaturi, qui semper usque ad ejus adventum perseverarunt. Unde legitur, « cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra (*Dan.* ix, 24). » Non enim ulterius necessaria fuit prophetia, ubi contigit ipsa rei experientia. Et cum jam non sit nobis propheta, apparet quod *nos non cognoscet amplius* Messias, id est quosdam ex nobis repulsos, qui eum venturum dicunt, non ita visitabit ut ad eos corporaliter veniens, de captivitate ipsorum eos extrahat. Et hoc quod ulterius non veniet, signum est tempus plenitudinis jam advenisse.

Causa repulsionis Judæorum ostensa, quia admiratio et quæstio fieri posset, quare saltem fideles persecutionem patiantur. De ipsorum persecutione admirative agit, et quæstionem facit, ut post modum
283 solvat, sic : Ostendi Judæos esse repulsos, quia videndo signa, noluerunt tempus visitationis cognoscere. Non solum vero est persecutio in paleis, id est in infidelibus qui promeruerunt, sed etiam in granis, id est in fidelibus, qui nihil promeriti sunt, est persecutio et in dictis et in factis. Et quandoquidem fideles persequuntur, *usquequo Deus improperabit* tuis per dicta *inimicus*, id est infidelis populus! Istud *usquequo* non est signum temporis, sed mensuræ. Ac si dicat : Videbatur locus persecutionis esse tantum in paleis; sed postquam ad grana perveniendo non cessat, *usquequo*, id est ad quem modum permittes inimicum inferre fidelibus tuis improperia per dicta ? Quod est dicere : Putabatur improperatio cessatura perveniendo ad grana. Sed cum jam in ipsis granis locum habeat, ignoratur quæ mensura et quis finis sit futurus in ea. Et usque ad quem modum *adversarius* infidelis populus ? *Irritat in finem* irritationis *nomen tuum*. *Irritat* compendiose positum est. Quasi poneret, *usquequo adversarius* irritando te *in finem*, id est omnino per fidelium persecutionem, blasphemabit *nomen tuum*, non voce, sed ipsa fidelium persecutione. Fidelium namque persecutio, Dei nominis est blasphematio. Quasi dicat : A modo ignoratur quis finis et quæ mensura futura sit in irritatione fidelium persecutionis. Quandoquidem in granis non cesset. Post admirationem facit quoque quæstionem sic : Dico, *usquequo improperabit* et irritabit ? Et quidquid facias de infidelibus, qui juste repelluntur; *ut quid* saltem, *avertis in finem*, id est qua de causa ex toto videris avertere *de medio sinu tuo*, id est de omnimoda protectione tua, *manum tuam*. *Et*, id est scilicet *dexteram tuam*. Quod est dicere : Ut quid permittendo affligi manum dexteram tuam, scilicet fideles per quos diabolum expugnas, videris eos avertere omnino de protectione tua omnimoda. Et bene ponit, non de sinu, sed *de medio sinu*. Ac si diceret: Non dico quidem quod non protegas aliquo modo, cum eos constantes facias : sed non omnino protegis, quoniam eos affligi permittis. Quæ ergo causa est quod eos avertis. Et est hoc positum quod dicit manum averti de sinu, a similitudine historiæ de Moyse. Cujus manus de sinu extracta leprosa apparuit (*Exod.* iv, 6), quasi diceret : Repellendo eos secundum corpus a protectione tua, quæ figurabatur per sinum Moysi, facis eos videri viles, qualiter leprosa manus affecta vilis apparuit, per quam manum ipsi denotabantur in passione viles apparituri.

Facta quæstione, accedit ad solutionem, sic : Dixi, o auditores, quæstionem faciendo. *Ut quid avertis*, etc. Et hoc quod quæsivi scilicet quare suos Deus affligi permittat videtur, forsitan fieri injuste, et sine qualibet utilitate. *Deus autem*, id est scilicet Deus *noster rex ante sæcula*, per hanc fidelium aversionem *operatus est salutem* et non paucorum salutem, sed *in medio terræ*, id est in communitate terrenorum. Quod est dicere : Non videatur fortuita vel injusta eorum aversio; nam per eam ille qui Deus est, id est creator et *rex noster ante sæcula* existens, qui nos rexit ab æterno ante sæcula dispositione, modo vero regit ipsa rei experientia, *operatus est salutem* communiter omnismodi terrenorum. Vel sic : Deus operatus est salutem hominum per eorum aversionem. Deus dico *rex noster in medio terræ* existens, id est in Judæa corporaliter habitans, quæ in medio terrarum sita est. Et quamvis in medio terrarum habitaverit, secundum quod homo, ante sæcula tamen est secundum quod Deus. Ac si dicat : Dominus Jesus rex noster, per eorum passionem, mundi salutem operatus est. Quod quidem facere potuit; nam et si homo in terra apparuit, ante sæcula tamen Deus existit. Vel, *in medio terræ* existens, id est in medio Judæorum, qui simplex terra
284 sunt, non spiritales. Ostendit vero ipsam salutem, sic : Vere operatus es salutem, o Deus. Nam *tu* qui ad hoc impotens videbaris, *in virtute tua* fidelibus data, id est per constantiam quam dedisti eis in persecutione, *confirmasti in* fide *mare*, illos scilicet qui difflui erant per errores, ad modum maris, quos fecisti in fide stabiles. Multum nimirum operata est constantia martyrum ad fidem infidelium. Quorum profecto constantia, si defecisset, non utique tanta infidelium multitudo per eorum exemplum credidis-

www.libtool.com.cn

set. Et non solum *confirmasti mare in virtute* tuorum, sed etiam eadem virtute cooperante per exemplum, *contribulasti*, id est destruxisti in aquis baptismatis *capita draconum*, id est principalia vitia. Quæ capita dicuntur, eo quod inter cætera vitia principalia sunt, sicut caput principalis pars est corporis; *capita* dico a draconibus per suggestionem illata, id est a spiritibus malignis, qui dracones dicuntur, eo quod astuti sunt et nocivi ut dracones. Quod est dicere : Non solum eos qui mare erant confirmasti in fide, sed etiam per baptismum in eis vitia principalia delevisti, a malignis spiritibus illata, et hoc fecisti per exemplum constantiæ tuorum, et non solum hoc, sed etiam tu per constantiam tuorum *confregisti*, id est omnino destruxisti in tuis confirmatis, *capita draconis*, id est principatus dæmonis, omnium dæmoniorum principis, quod est dicere : His potentias per constantiam tuorum in eis annihilasti, quas in eis obtinebat principalis diabolus, per peccatum primi hominis. Illis enim per tuorum martyrium ad fidem vocatis, potestates illæ deletæ sunt, quæ capita dicebantur, eo quod eis dominabantur, sicut caput aliis membris dominatur ; et non solum *capita draconis confregisti*, sed etiam *dedisti eum* draconem *escam*, id est consumptionem *populis Æthiopum*, id est populis in fide confirmatis, quos mare vocavi superius, qui prius Æthiopes fuerunt, id est nigri in peccatis. Quod est dicere : Non solum potentiam originalem ei abstulisti, sed etiam hanc potentiam fidelibus tuis, per martyrum constantiam confirmatis, *dedisti*, ut eum consumerent, id est ejus insidias et in se et in aliis, et eum fugarent ab obsessis corporibus, devorarentque sicut esca consumitur. Vel sic : *Dedisti eum populis Æthiopum escam*, id est incorporationem, scilicet ut incorporarent eum sibi in fide, non secundum eum, sed secundum membra ejus. Quod est dicere : Dedisti eis facultatem, quædam ejus membra sibi incorporandi.

Non solum vero hæc omnia fecisti per constantiam tuorum, sed per hoc quod tu *dirupisti fontes*, id est exuberare fecisti sapientia ipsos martyres, ad modum fontis clausi, cujus clausura ex nimia ipsius fontis exuberatione dirumpitur. Quod est dicere : Nimiam sapientiam ex eis emanare fecisti, *et* ipsos *fontes* fecisti *torrentes*, id est fluentes cum impetu ad modum torrentis ; et omne adversariorum objectiones impellentes, ut nullus possit resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur (*Act.* VI, 10). Et per ipsos torrentes *siccasti*, id est annihilasti ad modum aquæ exsiccatæ *fluvios Ethan*, id est varias et falsas doctrinas gentilis populi, quibus alios imbuebat ad modum fluviorum. Habebant enim quasdam doctrinas superstitiosas, quas theologicas dicebant, id est sermones de deorum origine, quæ per doctrinas prædicatorum exinanitæ sunt. Multum enim ad instructionem fidei obesset, si hujus modi fallacia superesset. Ethan quippe *robustus* interpretatur. Unde per Ethan gentilis populus accipitur, qui in erroris sui fuit obstinatione robustus. Et per ipsos fontes fecisti diem et noctem, id est quosdam valde claros in fide et intellectu, ad similitudinem diei ; et quosdam simplices et obscuros in intellectu ad similitudinem noctis. Et ille *dies tuus est*, id est per te factum est officium prædicatorum, *et nox tua est*. Et hoc dicit ideo, ne putaretur conversio infidelium per solos prædicatores contigisse, *et tu fabricaturus es* per fontes, id est tu fecisti *auroram et solem*, id est minus accensos in dilectione, qui per auroram designantur qua rutilante, frigus nocturnum 285 incipit depelli, licet non ex toto, et aer aliquantulum calere. Et *fecisti* magis accensos fervore charitatis, qui per solem merito intelliguntur, quo fervente frigus nocturnum magis expellitur, et aer calidus efficitur, et *tu* etiam *fecisti* per ipsos fontes *terminos terræ*, id est omnes terminantes et finientes in se terrenitatem, et etiam fecisti *æstatem et ver*, id est laborem hic et mercedem in futuro. Per ver quippe bonorum operum labor accipitur, eo quod in vere messes seminentur et flores procreentur. Per æstatem merces æterna, eo quod in æstate messes et fructus colligantur. Quod utrumque, per prædicatores hominibus innotuit. Hoc autem quod per partes posuit.

Dicendo *tuus est dies*, etc., confirmat universaliter ponendo sic : Vere tua sunt dies et nox, aurora et sol : Nam *tu plasmasti ea*, id est tu creasti ut talia essent, non utique a fontibus creata sunt, et quia *tu plasmastis ea* talia, *memor esto hujus* plasmationis, ut facias eam perseverare, ne in eis deficiat, et necesse est ut hoc orem. Nam *inimicus* infidelis, scilicet populus, *improperavit*, id est improperia inferet tibi *Domino* omnium ; quodque magis nefandum est, ut eos devocet a te blasphemabit te verbis. Et ne illis improperiis devocentur, *Memor esto* ut perseverare facias, et non solum improperabit tibi dictis sed *et populus insipiens*, infidelis scilicet, *incitavit*, id est incitabit, *nomen tuum*, persequendo tuos. Incitabit compendiose positum est, quod est ac si dicat : Incitando te, id est exasperando te, blasphemabit nomen tuum, id est persequetur tuos, quæ persecutio erit blasphemia nominis tui, et per hoc incitabit te ad vindictam. Ne vero tui in incitatione illa deficiant præ timore, memor esto ut eos perseverare facias. Quia vero *populus insipiens improperabit tibi*, et *incitabit nomen tuum*, ut per hoc tuos sibi conformet. Oro, Domine, non ut tradas corpora ad affligendum, quod eis valde utile est ; sed, *ne tradas animas confitentium tibi*. Animas scilicet fidelium tuorum, laudantium te omnimoda laude *bestiis*, id est infidelibus, bestialiter viventibus, id est irrationabiliter more bestiarum. Quod est dicere : Et si corpora permittis affligi, non saltem *animas* eorum permittas bestiis conformori, cum hoc sit quod te assidue laudent. Et *ne obliviscaris in finem* oblivionis, id est usquequaque. Et si videaris id persecutionibus oblivisci animas *pauperum tuorum*, tradendo eas bestiis. Tunc enim omnino eas oblivisceretur, si eas bestiis conformari pateretur. *Ne obliviscaris in finem*, idem

www.libtool.com.cn

est quod et *ne tradas bestiis*, sed causam interponit, ubi dicit pauperum tuorum, ac si dicat : Non debes oblivisci, cum pauperes sint spiritu, mundanis omnibus pro te omissis. Dico *ne obliviscaris*, sed potius *respice in testamentum tuum*, id est in firmam promissionem tuam ne in irritum deducantur. Promisisti enim : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Testamentum dicitur scriptum aliquod quod sub testium auctoritate confirmatur. Ideoque pro firma promissione ponitur, ac si dicat : *Ne obliviscaris*, sed adjuva eos sicut firmiter promisisti. Ostendit autem adversarios merito dici bestias, sic : Vere bestiæ sunt, *quia repleti sunt iniquitatum* ipsi *qui obscurati sunt*, id est excæcati in intellectu *in domibus* terræ, id est in domibus terrenis habitando, quod est dicere : Solis corporibus, quæ sunt terrenæ domus, intenti sunt, voluptuose se habendo more bestiarum, ideoque penitus obscurati, et iniquitatum repleti. Vel in domibus terrenis habitando, id est similes illis qui jam mortui in terrenis domibus sunt, id est in sepulcris. Quod est dicere : Jam omnino in vitiis mortui, sunt iniquitatum repleti. Oro *respice*, et per hoc contingit, *ne avertatur* a te *humilis* populus, scilicet pauperum tibi subditus humiliter. Hoc autem idem est quod superius posuit *animas pauperum tuorum ne obliviscaris*, sed ideo repetit, ut ostendat effectum qui sequeretur, si averteretur.

Dico *ne avertatur humilis*. *Humilis* 286 dico *factus confusus*, si aversus fuerit, quod est dicere : Qui si averteretur omnimoda confusione confunderetur. Ideo oro *ne avertatur*. Quia si populus humilis a te non fuerit aversus, hoc continget quia *pauper et inops laudabunt nomen tuum*, id est singuli fideles de tuo humili populo, qui se reputabunt pauperes, id est insufficientes per se liberari, et inopes, id est insufficientes per alium quam per te adjuvari. *Laudabunt nomen tuum*, id est laudando te voce, corde et opere, magnificabunt nomen tuum. Et ideo *exsurge Deus*, id est potens appare adjuvando eos ; et hoc modo scilicet exsurgere : *Judica* in tuis *causam tuam*, id est justo judicio dispositionis tuæ, defende in eis causam tuam ; ac si dicat : Ipsi susceperunt causam tuam, ad defendendum contra catholicæ fidei adversarios ; sed quia per se insufficientes sunt, justo judicio tuo defende in eis causam tuam : et non solum hoc, sed etiam *memor esto improperiorum, tuorum* fidelium, *eorum* scilicet improperiorum *quæ tota* die, id est jugiter *ab insipiente* infideli populo *sunt* eis collata, quod est dicere : *Ne obliviscaris* quando eos in futuro remuneres, quod pro te improperia sustinent ab impiis, etsi hic videaris oblivisci : Et *obliviscaris voces inimicorum tuorum*, id est improperia, quæ tuis inferunt per verba, quin in futuro remuneres, et si hic videaris oblivisci, et dignum est *Ne obliviscaris*. Nam *superbia eorum qui te oderunt*, tuos persequendo, *semper ascendit*, id est crescit et exaltatur.

IN PSALMUM LXXIV.

Titulus septuagesimi quarti. *In finem ne corrumpas. Psalmus Asaph cantici.* Asaph quidem qui *Synagoga* interpretatur, hic pro infideli Synagoga accipitur, quæ Christi membra conformare sibi intendit, contra quam Christus in hoc psalmo agens, confirmat suos in laude Dei, et in narratione mirabilium ejus. Nunquam ejusdem Asaph admonitione defecturos, quos ostendit in judicii die se remuneraturum. Cum eos juste exaltabit, qui hic humiliantur, et eorum adversarios humiliabit, qui hic exaltantur. Adhortatur quoque infideles, ut desistant inique agere et inique loqui, ne juste a potente judice damnentur. Ad hoc autem suorum perseverantiam in laude et mirabilium narratione Dei, et remunerationem suorum et infidelium ostendit ut sic perversam Asaph a fidelium persecutione devocando, ad Dei laudem exemplo suorum invitet. Titulus quidem sic adaptatur : *Iste psalmus cantici*, id est bonum opus, et canticum, id est jocunda remuneratio boni operis. Ideo dicitur *psalmu cantici* ; propositus est tibi, o *Asaph* infidelis, adhortans te sui evidentia, *ne corrumpas* ipsum tractatum, *in finem* respiciens, id est in Christum, cui eum ascribas, qui hic agere videtur. Nam si alii eum attribueres, utique corrumperes. Nulli enim nisi Christo competit, ut dicat : *Ego confirmavi columnas ejus, et omnia cornua peccatorum confringam*, etc., quæ hic dicit. Cum autem talia in se habeat quæ soli Christo conveniunt, ipsa sui evidentia te infidelem Asaph, quæ sinistre Scripturas interpretaris, admonet ne eum corrumpas, sed Christo attribuas.

Confitebimur tibi, Deus, Trinitas. Ego et mei ex nimia quidem dilectione, et quia unum est spiritaliter cum eis, se membris adjungit, cum dicit *Confitebimur*, ac si dicat : Asaph infidelis a laude tua meos devocare intendit, quod frustra est. Nam ad mei exemplum confitebuntur, id est laudabunt mei, opere. Repetit autem ut addat sic : *Confitebimur*, inquam, opere, *et* etiam *invocabimus nomen tuum*, id est interius in anima bona devotione vocabimus nomen tuum, quod est Dominus, quod est dicere : Censuerunt mei te Deum esse, et nomen tuum in interiori suo vocando venerabuntur, vel sic : *Invocabimus* ore *nomen tuum*, quod est dicere : Nomen tum, quod est Dominus, invocando orabunt te, mei exemplo, et non solum hoc, sed et *narrabimus* 287 *aliis mirabilia tua*, quod est dicere : Ego per meos narrabo aliis mirabilia tua, scilicet incarnationem et nativitatem meam, et mundi redemptionem, et cætera mirabilia quæ per me operaris. Ut auditis mirabilibus istis, ad te convertantur, et bono suo mei confitebuntur, et invocabunt et narrabunt. Ideo namque *cum accepero* a paterna dispositione *tempus* judicandi, ego qui hic a Judæis judicatus sum injuste, *justitia*, id est justa judicia *judicabo*, remunerando meos, prout justum fuerit.

www.libtool.com.cn

Dico quod mei narrabunt aliis mirabilia tua ut convertantur, et necesse est. Nam *terra* quæ ad hoc facta fuit, ut solida et firma in virtutibus esset, *liquefacta est*, id est inconstans et difflua facta est, in vitiis et in infidelitate sua. Ad similitudinem liquidæ rei, quæ difflua est. Ne vero intelligeremus hic agi de terra hac, quam usualiter terram dicimus, quæ utique liquefacta non est, determinat hoc cum addit : *Et omnes qui habitant in ea* terra, quod est dicere : Scilicet *omnes* homines dico liquefactos, *qui habitant in ea* terra, tam gentiles quam Judæos; sed *ego* qui impotens videor et humilis : *Confirmavi columnas ejus*, id est mittendo Spiritum paracletum in fide et virtute, et doctrina prædicatores, qui erunt columnæ ejus terræ, id est per prædicationis officium et per exemplum, et doctrinam suam, erunt sustentacula Ecclesiæ de terrenis constitutæ, quemadmodum columnæ domorum sustentacula sunt.

Et per columnas confirmatas, *dixi iniquis*, id est dicam infidelibus : *Nolite inique agere*, id est desistite a prava actione, *et delinquentibus*, id est prave agentibus, dicam : *Nolite exaltare cornu*, id est nolite sublimare superbiam vestram, gloriando de prava actione. Cum enim malum sit prave agere, pejus est cornu exaltare, id est de prava actione gloriando, superbiam augere et sublimare. Superbia nimirum per cornu accipitur, quod in altum tendit et rigidum est, eo quod ipsa cor illud, cui inest, nimis altum et rigidum facit. Unde regina vitiorum dicitur esse ; et *nollite extollere cornu vestrum*, id est sublimitate superbiam vestram in altum, id est contra Deum altissimum. Exponit vero qualiter non extollant contra Deum cornu, cum addit, *scilicet nolite loqui iniquitatem adversus Deum*, blasphemando eum aliquomodo. Ille quippe cor nimis *in altum* extollit qui in Deum blasphemiam agit. Vel sic : *Nolite extollere* in, id est, contra altum Deum *cor vestrum*, id est superbiam vestram, de eo male cogitando. Et *nolite loqui* ore *adversum Deum iniquitatem*, id est blasphemiam, hoc non mutatur. Dico : *Nolite inique agere*, et *nolite loqui adversus Deum*, et hoc ideo vobis est observandum, quia *judex* venturus est, scilicet Christus, qui judicabit districte agentes inique.

Judex dico *neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus*, scilicet neque ab austro, ubi sunt montes pro nimio æstu calentis zonæ deserti, neque a septentrione, qua montes pro frigida zona deserti sunt, ac si dicat : Timendus est judex ille, cujus præsentiam nemo poterit effugere. Non enim localis est venturus ab oriente, vel ab occidente, vel ab austro, vel a septentrione, sed ubique est, et vere non est localis ab aliqua mundi plaga venturus. *Deus* enim *judex* ille *est*. Et inde constat localem eum non esse, secundum divinam naturam, cum tamen secundum humanam sit localis ; et inde constabit eum esse judicem, qui Deus est, qui ad hoc potens est, quod *hunc humiliat*, id est populum inique agentium humiliabit damnatione perpetua, qui hic per superbiam exaltatur, *et hunc*, id est alium populum, scilicet fidelium, qui hic Deo confitentur, *exaltat*, id est beatitudine æterna exaltabit, qui hic per tribulationes humiliantur ; et vere alios humiliabit, et alios exaltabit, *quia in manu*, id est in potestate, *Domini* Jesu venturi erit *calix plenus misto*, id est mistura vini meri, quod est dicere : In potestate Domini erit judicium, redundans mistura vini meri, id est in quo continetur mistura æquæ remunerationis, quæ vinum dicitur, eo quod alia pars ejus dulcis erit, quantum ad bonos, alia vero amara quantum ad malos. Utraque tamen pars mera erit, id est justa, et ab omni injustitia pura. Calix autem 288 judicium dicitur, eo quod in eo mistim utraque remuneratio continebitur, sicut in calice poculum, et hoc est ac si dicat : Vere potens erit ad humiliandum et ad exaltandum. Nam ipse in potestate judicium habebit, in quo mistim duplex remuneratio continebitur ; et hunc calicem *inclinavit*, id est extendet, *ex hoc* potato *in hunc* potandum. A similitudine pincernæ qui uno potato, inclinat calicem ad alium. Et *ex hoc in hoc*, neutraliter positum est, ac si dicat : Vix hoc potato *inclinabit*, id est promptum faciet judicium suum, in alium potandum, quod est dicere : Postquam suos salvando remuneraverit, malos damnando juste remunerare intendet.

Quia vero utramque remunerationem vinum merum vocaverat, ne sic ex toto mera intelligeretur, ut in nulla parte amara videretur, eam austeram et asperam esse ostendit, quantum ad damnandos, sic: Dico *vini meri*. Verumtamen licet mera sit retributio, *fæx ejus* calicis *non est exinanita*, id est quamvis illa retributio mera, sit, tamen fæx est quantum ad impios austera, scilicet et turbida ad modum fæcis: et talis fæx, quæ nunquam erit exinanita, id est quæ nunquam evacuabitur, sed æterna erit. Et ex ea fæce *bibent omnes peccatores terræ* qui terra sunt, id est solummodo terrenis inhiantes. Nam si absolute omnes peccatores poneret, tunc omnes bonos fæce potandos esse perhiberet. Nullus enim adeo justus, qui saltem venialiter non peccet. Vel omnes peccatores terræ, id est qui ubique terrarum sunt, tam gentiles quam Judæi, peccantes scilicet criminaliter. Hoc autem totum dicit, ut malos exterrendo, a peccatis eos retrahat. Postquam autem suos loquentes introduxit, ab eo loco ubi positum est *Dixi iniquis*, usque ad *ego sum*. Ipse etiam in sua persona agens, ostendit aliis verbis suorum in bono perseverantiam, et in futuro eorum, et etiam malorum retributionem, sicut in persona suorum utramque remunerationem ostenderat, et id ad hoc facit, ut utramque remunerationem ostendendo perversam Asaph, contra quam hic agit, magis magisque a malitia revocet, et hoc sic dicit: Dico quod *de fæce bibent peccatores. Ego autem annuntiabo in sæculum*, id est sed mei fæce non potandi, annuntiabunt, id est narrabunt mirabilia tua aliis, de generatione in generationem, usque in sæculum futurum, et *cantabo*

Deo Jacob, id est cum delectatione laudabunt Deum A luctatorum, ut eos viriliter luctari faciat contra vitia. *Et* ego in futuro *confringam cornua peccatorum*, id est ex toto destruam peccatores propter cornua, id est propter sublimitates superbiæ suæ, *et exaltabuntur cornua justi*, id est justi exaltabuntur propter sublimitates virtutum et bonorum operum suorum, quæ in altum tendunt ut cornua. Vel aliter exponuntur, juxta Augustinum hi duo versus, scilicet *hunc humiliat*, etc., et *inclinavit*, etc., si hoc quod dictum est : *Dixi iniquis*, et *nolite inique agere*, et *nolite loqui adversus Deum iniquitatem*, de solis Judæis dicatur ; qui antonomastice iniqui sunt.

Et hoc sic dicitur : *Dixi* per meos iniquis Judæis : *Nolite inique agere, et exaltare cornu*, etc. Et hoc ideo quia *Deus judex est*, qui non veniet *ab oriente*, etc., B qui districte judicabit vos secundum opera vestra, et in hoc constat, quod in futuro districte judicabit, quia hic jam judicio suo *hunc humiliat, et hunc exaltat*. Judaicum, scilicet populum, qui sublimis erat in notitia legis, ad gentium comparationem, quæ legem penitus ignorabant, humiliat excæcando, et hunc scilicet gentilem populum, qui humilis erat atque repudiatus, exaltat, illuminando eum spiritali legis intellectu. Exponit autem qualiter hunc humiliet, et hunc exaltet, cum addit : Vere *hunc humiliat et hunc exaltat, quia in manu*, id est in potestate Domini est calix, vetus lex, scilicet quæ calix dicitur, eo quod in ea intellectus continetur, ut poculum in calice. Calix dico *plenus meri vini*, et *plenus misto*, C id est redundans puro et spiritali intellectu, quod merum vinum dicitur, eo quod purum est et dulcissimum, et lætificans corda 289 fidelium, ad modum vini meri, et redundans misto vino, id est turbido et austero, quod etiam fæx dicitur, scilicet carnali intellectu ad litteram qui bene mistum vinum et fæx dicitur, eo quod turbidum est et austerum. Ad similitudinem misti vini quod fæx dicitur, et hunc calicem *inclinavit ex hoc in hoc*, id est ex Judaico populo potato convertit in gentilem populum, quem inde potavit. *Verumtamen*, licet inclinet potando hunc et hunc, non eodem modo potat utrumque, nam *fæx* ejus calicis *non est exinanita*, id est carnalis intellectus ejus legis non exinanietur a Judæis, sed in eis per- D severabit, quod est dicere : Ecce Judæos perseveranter potabit. Per hoc autem innuit quod populum gentilem mero vino potabit, et quamvis fæce hic Judæi potentur, gentes vero mero vino, tamen in futuro de mero bibent omnes, id est omnismodi peccatores terræ non solum gentiles, sed et Judæi. Quod est dicere : Dabit in futuro intellectum spiritalem reliquiis Judæorum, quæ salvæ fient, et sic : omnismodi peccatores mero potabuntur. Dico quod Judæi tantum in fine mundi bibent merum. *Ego autem*, id est mei, jam inde potati, annuntiabunt in sæculum, et cætera quæ usque in finem psalmi sunt, non mutantur.

IN PSALMUM LXXV.

Titulus septuagesimi quinti. *In finem in laudibus Psalmus. Asaph canticum ad Assyrios*, quod sic exponitur. *Psalmus* iste est *Asaph*, id est fidelis Synagogæ dirigentis se *in finem*, id est in Christum, et non in vituperatione, sed in laudibus. Laudat enim cum dici *Tu terribilis*, etc., et est psalmus iste *canticum*, id est cum summa delectatione et jucunditate prolatus *ad Assyrios* convincendos et convertendos. Ad Judæos scilicet qui revera Assyrii sunt, propter similitudinem pravæ actionis Assyriorum, quam retinebant. Sicut enim Assyrii a lege Moysi alieni, Judæos persecuti sunt, ita et Judæorum perversa pars, veros Judæos ad fidem Christi conversos usquequaque persecuti sunt. Secundum autem hujus B vocis interpretationem, quod est Assyrius, falso Assyrii Judæi dicuntur. Assyrius enim dicitur dirigens. Assyrii igitur Judæi dicuntur, non quod sint in divinis præceptis dirigentes se, sed quia sese solos dirigentes esse mentiantur. Juxta quod in Evangelio legitur : « Nos Moysi discipuli sumus (*Joan.* IX, 28). » Alibi vero de ipsis legitur : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX, 13; *Marc.* VII, 6). » Contra Judæos quidem psalmus iste bene agere dicitur. Nam quia Judæorum pars perversa de his vocabulis, quæ injuste sibi ascribebat, gloriabatur, dicendo videlicet se Judæos dici, et Hierusalem, et Israel, et Sion. Asaph fidelis eos humiliare intendit, comprobans non juste his eos vocabulis uti. Ostendens quoque C qui juste dicantur Judæi et Hierusalem et Sion. Demonstrans insuper et falsorum Judæorum in hoc sæculo excæcationem, et in futuro maximum eorum tremorem. Adjungens postea verorum Judæorum salvationem : propter bonas cogitationes et opera bona, quorum exemplo, ipsos perversos adversum quos agit admonet, ad vovendum Deo bona opera cogitando, et ad reddendum operando, adjungens causam quare hoc faciendum sit.

Notus in Judæa Deus, ac si dicat : Nolite infideles Judæi gloriari de hoc nomine, quod est Judæa, quod injuste vobis ascribitis. In Judæa namque Deus notus est, id est illi qui revera Judæa sunt, id est Deum pure confitentes, Dei Christi notitiam habent. D Qua cum careatis, non utique Judæa estis, et *in Israel magnum* est *nomen ejus*, quod est ac si dicat : Neque de hoc nomine quod est Israel, gloriemini. *In Israel* enim *magnum*, id est gloriosum est *nomen ejus*, id est qui revera Israel sunt, nomen Christi glorificant et magnificant. Quod igitur cum apud vos non magnum, sed vilissimum existat, non utique Israel estis, id est Deum videntes, *et factus est in pace locus ejus*. In alia translatione habetur *in Salem*. Sed quia *Salem pax* interpretatur, pra *Salem* ponit *pacem*, ac si diceret : De hoc quoque vocabulo quod est Salem, superbire desistite. *In Salem* quippe *factus est locus ejus* Christi, id est in illis qui revera Solymitani sunt, scilicet 290 pacem habentes cum

www.libtool.com.cn

Deo et cum proximo; manet Deus non localiter, sed spiritaliter, sicut aliquis in loco aliquo manet. Juxta quod Joannes evangelista testatur: « Qui manet in charitate (quæ revera et merito pax dicitur) in Deo manet et Deus in eo (*I Joan.* IV, 16). » Cæterum quia Dei locus esse renuitis, nec Salem juste vocamini; *et habitatio ejus* est *in Sion*, ac si poneret: Sion etiam hoc vocabulum, nolite vobis arroganter attribuere. *In Sion* quippe *habitatio ejus* Christi est, id est in illis qui Sion sunt veri, videlicet speculatores æternorum. Christus secundum inoperantem gratiam habitat. Verumtamen quia procul a vobis est, minime quidem Sion estis. Inde vero constat eum in Sion habitare, quia *ibi*, id est in Sion et Israel *confregit*, id est omnino dextruxit *potentias arcuum*, id est instrumenta illa per quæ arcus lædere possunt, quæ ideo potentiæ dicuntur, sagittas scilicet. Per sagittas nimirum quæ quasi furtim et improvide accedentes lædunt, doli qui latenter nocet accipientur, et *confregit ibi scutum*. Per scutum quo protegitur aliquis, pertinacia peccatoris culpam suam defendentis intelligitur, scilicet omnem pertinaciam in eis destruxit, ne se ulterius de peccatis excusent, sed potius homini confessione accusent, *et gladium*, id est manifestam persecutionem, quæ per gladium congrue denotatur. Quo manifesta fit persecutio, scilicet hoc in eis confregit, ne fideles ulterius persequi manifeste præsumant; et quid irem per singula, *bellum* omne ibi confregit, ut in nullo Deo vel proximo rebelles existant, quæ cum in vobis, o infideles Judæi, nondum confracta sint, constat utique vos neque Sion esse neque Israel. Ostendit autem per quid in eis confringit talia, faciens apostropham ad Deum, cum gratiarum actione, sic: Et per hoc in eis confringis hoc quod *tu* es *illuminans* eos o Deus fide et cognitione tui, et hoc *mirabiliter*, id est per manifesta mirabilia, per tuos operata, puæ illuminatio per miracula processit *a montibus*, et non a malis montibus, sed a montibus *æternis*, scilicet ab apostolis, qui montes sunt in virtutibus, et æterni, id est ad æternitatem, alios prædicatione sua ducentes. De excæcatione quidem perversorum Judæorum socialiter interponit, ut eos increpando ab infidelitate retrahere nitatur.

Dico quod tu es Sion et Salem, et Israel, et Judæam *illuminans*, gentilem populum scilicet, de qua illuminatione *turbati sunt* invidia *omnes insipientes corde*, perversi scilicet Judæi, qui non solum insipientes sunt in opere, sed etiam in cordis cogitatione, cum propter mala merita sua excæcati sint. Sunt etenim plures qui tametsi insipienter agant, nequaquam tamen se male agere ignorant. Ideoque minime sunt insipientes corde. Unde in Actibus apostolorum legitur, audientes Judæi, quia Samaria recepit verbum Domini, et repleti sunt zelo (*Act.* XIII, 14). » Et turbati *dormierunt somnum suum*, id est sibi nocivum, scilicet complebunt infidelitatem suam, ut nunquam ab ea desistant, donec in tempore reliquiarum, in fine mundi a similitudine dormientis, qui donec somnum compleat, non excitatur, Infidelitas autem somnus dicitur, eo quod gravat animas, sicut somnus corpora. Unde Apostolus: « Qui dormiunt, nocte dormiunt (*I Thess.* V, 7). » Et alibi: « Hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII, 11). » Et quia dormient, ipsi *vivi divitiarum* futuri pro reputatione sua, non secundum rei veritatem, *nihil invenerunt in manibus suis*, quod est dicere: Ipse qui se solos opinantur futuros divites æterna gloria, in die judicii nihil beatitudinis in præsentia sui invenient, a similitudine dormientis, qui divitias inter manus habere somniat, et evigilans nihil in manibus invenit. Demonstrat vero unde dormitatio illa contigit, et propter quam causam: ne injuste a Deo permissa esse videatur, sic: *Dormitaverunt*, inquam, id est dormient; et hoc *ab increpatione*, id est ab induratione *tua* continget, *o Deus Jacob*, id est fidelium viriliter luctantium. *Dormitaverunt* idem est quod et dormierunt: et est utrumque pro futuro positum. Induratio quidem eorum, digne increpatio 291 dicitur, eo quod signum est, eos maligne contra Deum egisse, ideoque puniendos esse: sicut increpantia verba signa sunt, et præteritæ pravæ actionis, et futuræ ultionis, et est ac si dicat: Ideo dormient, quia tu eos excæcando indurasti. Apponit quoque causam dormitationis, sic: *Omnes* illic scilicet dormitabunt *qui ascenderunt*, et *qui* perseveranter ascendent *equos*, id est superbias, quæ per equos denotatur, eo quod superba animalia sint, quod est dicere, ideo indurasti, quia se nimis in superbia sublimaverunt, et adhuc sublimant Christum negligendo, a similitudine illorum, qui equos ascendendo, se sublimes faciunt. Sequitur:

Tu terribilis es. Quod sic continuatur: Dico quod tu omnipotens es, Sion illuminans. *Tu*, inquam, qui *terribilis es*, id est terribilis eris veniens ad judicium, Gregorio sic attestante, et blandus justis, et terribilis apparebit injustis. *Et quis resistet tibi* tunc? nemo, ac si diceret: Nunc quoquomodo tibi resistunt, dicentes se solum hominem et impotentem, sed tunc nequaquam resistere poterunt. Nam *extunc*, id est ex illo tempore usque in æternum *ira tua*, id est vindicta tua, manifesta erit, modo latet. Juxta quod alibi Psalmista: « Cum exarserit in brevi ira ejus (*Psal.* II, 12), » et tunc *de cœlo* veniens localiter secundum quod homo *fecisti*, id est facies *judicium*, et non occultur sed *auditum*, id est audibile omnibus et manifestum. Juxta quod legitur: « Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eas, » etc. (*Matth.* XXV, 32.) Dico auditores quia faciet audibile judicium. *Terra* autem *tremuit, et quievit*, id est terreni peccatores, scilicet solis terrenis hic intenti timebunt, id est timebunt valde, et quiescent, velint nolint, id est cessabunt ab impietate sua, non tamen ad sui commodum qui hic cessare negligunt, *cum exsurgeret in judicium Deus*, id est tunc tremebunt et quiescent, cum Deus Christus qui Hic impotens videtur, exsurget *in judicium*, id est potens apparebit in judicium veniens, *ut faceret*, id

www.libtool.com.cn

est ut faciat *salvos* æterna salvatione, *omnes mansuetos terræ*, id est fideles, qui ex terra quod prius erant facti sunt mansueti a Deo, id est mites, in nullo, Deo repugnantes, vel *omnes mansuetos terræ*, id est qui sunt in hac terra, tam Judæos quem gentiles. Hanc apostropham ad auditores facit, ut et timore pœnæ a malitia retrahantur, et amore præmii ad opus bonum impellantur. Et merito mansuetos salvos facies, o Deus, *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi*, id est unusquisque mansuetus rationabiliter sese habens, ut homo laudabit te, bona cogitatione sua, *et reliquiæ cogitationis*, id est bona opera quæ relinquuntur post cogitationem, id est restant ad complendum, *agent tibi*, id est ad honorem tui, *festum diem*, id est celebrem et sanctam vitam in qua a pravis actionibus cessabunt, sicut in die festo a servili opere cessatur. Ideoque per similitudinem dicitur dies festus, quod est ac si diceret: Bona opera quæ ipsi agent, causa erunt quare ad tui laudem celebrem vitam deducant. Apostropham autem ad infideles Judæos facit, contra quos in hoc psalmo agit, ut ad Deum laudandum cogitatione et opere invitet; aut si facere hoc neglexerint, saltem inexcusabiles sint, ita dicens: Ergo quia mansueti propter bonas cogitationes et opera salvabuntur, ut et vos eodem modo salvemini.

Vovete Domino Deo vestro, id est bene cogitando promittite Christo bona opera, quia et Dominus est in rebus et Deus, id est creator vester, velitis nolitis. *Et* postquam voveritis cogitatione, *reddite* ipsa actione. « Melius est enim non vovere, quam post vota non perficere (*Eccle.* v, 4).» Et vovere et reddere debetis. Nam *omnes qui sunt in circuitu*, id est in beneplacentia *ejus*, *afferent Deo munera* bonarum cogitationum et operum, quasi poneret: Ideo vovere et reddere debetis, quia nullus in circuitu ejus erit, nisi qui hic ei afferet munera bonarum cogitationum, et operum. *Domino Deo* dico, terribili futuro ut ostendi, ac si dicat: Cui vovendum est et reddendum cum *terribilis sit*, et ei Domino dico *qui aufert spiritum principum*, id est qui potentiam habet auferendi animas principum, scilicet eos interficiendi: 292 et non solum futuro terribili, sed *et terribili apud reges terræ*, id est quem etiam jam timent plures reges terræ, non solum modo principes. Vel *qui aufert spiritum principum*, id est qui adeo pius est, quod aufert superbum spiritum quorumdam quos principes facit suiipsorum. Quod est dicere: Aufert a spiritu eorum superbiam, et dat eis humilitatem; et *terribili apud reges terræ*, id est apud fideles bene regentes terram suam, videlicet terrenam carnem suam, ne per illicita defluat. Vel *qui aufert spiritum principum*, id est spiritum rectum aufert a quibusdam principibus, propter aliqua eorum mala merita, a fidelibus scilicet quibusdam qui prius suiipsorum principes erant; sicut legitur a Salomone abstulisse, quoniam idolis caput inclinavit, et a Juda quoniam eum tradidit, qui prius miracula fecisse legitur, et a pluribus aliis. Et quid principibus *spiritum rectum aufert terribili* existenti, hic apud *reges terræ*, timentes ne si ceciderint, similiter eis spiritum rectum auferat. Quanto vero eum terribiliorem indicat, tanto magis auditores ad ejus obedientiam invitat.

IN PSALMUM LXXVI.

Psalmi septuagesimi sexti titulus. *In finem pro Idithun. Psalmus Asaph*, quod sic exponitur. *Psalmus* iste est, *Asaph*, id est fidelis Synagogæ, habitus *pro Idithun in finem*, id est pro ea occasione quod ipsa Asaph est Idithun, id est transiliens eos, de quibus in sequentibus agit, ubi ponit *sicut oves*, etc., scilicet infideles Judæos, est transiliens usque in finem eundo, id est in Christum transilire se eos ostendens fide, bona operatione et investigatione et cognitione. Ea igitur occasione quia transiliens est infidelitatem et omnia terrena: et in finem verum in Christum, scilicet tendens, ut sui exemplo infidelem Asaph ad transiliendum in finem invitet. Saltus suos ostendit quomodo, scilicet cum jam ad eum fide pervenisset, investigatione postea et operum Dei consideratione ad ipsius cognitionem et dilectionem jam ex parte pervenerit, in futuro quidem perfectius ad hoc perventura. Ostendit quoque ut magis infidelem Asaph Judæos, scilicet ad transiliendum in finem impellat, gentes multas in Christum transiliisse fide et cognitione per doctrinam et miracula prædicatorum; et eorumdem Judæorum incredulitatem detestatur, cum hi ad eum qui eos deduxit in manu Moysi et Aaron cognitione nolint transilire.

Voce mea ad Dominum clamavi, ac si dicat: Vos, infidelis Asaph, clamate ad Dominum, ut vos in finem transilire faciat, exemplo mei, et ipso vos exaudiet. Nam ego *voce mea* agens, id est non vana et inutili voce, sed firma et attenta, et mihi voce utili agens, *clamavi*, id est clamore interiori intensæ devotionis egi ad Dominum Patrem, *voce mea*, inquam, ad Deum Patrem egi. Cum bis ponit *voce mea*, idem est, sed cum ponit *ad Deum* et *ad Dominum*, diversas causas notat, ac si dicat: Vere clamare debui, cum ipse Dominus sit, id est gubernator et Deus, id est creator. *Et* quia clamavi, *intendit mihi*, id est intentionem magis clamandi dedit mihi, vel se intensum fecit mihi, ut quod intense clamando oravi, intense mihi daret. Quod est dicere: Exaudivit me de hoc quod intense clamando oravi. Exponit vero quid clamando oravit, et unde exaudita est, sic: inde scilicet clamantem exaudivit me Dominus, quia *in die tribulationis* ubi locus deficiendi videretur, *exquisivi Dominum* affectione et voce: vel in die tribulationis, id est in toto tempore vitæ meæ, in qua non sunt nisi dies tribulationis. « Militia enim est vita hominis super terram. (*Job* VII, 1). » Dico Deum exquisivi, et hoc feci sicut faciendum erat. Nam *exquisivi manibus meis contra eum* extensis, id est operibus meis coram eo sublimatis per multiplicationem, a similitudine illorum, qui manibus extensis orant. Dico *manibus*, id est operibus sublimatis et dilatatis ad honorem Dei. Et hoc *nocte* etiam, id est in adversitate

www.libtool.com.cn

ubi multi a bono opere cessant : quæ congrue 293 A nox dicitur, eo quod in ea incedentes offensacula plurima sentiunt, sicut in nocte ambulantes offendunt. Vel *manibus meis* extensis *nocte*, id est tota vita mea, quæ bene ad comparationem vitæ futuræ nox dicitur, eo quod obscura sit ut nox. Illa vero quasi dies clarissima, quod est dicere : In hoc me exaudivit, quod eum tota vita mea et in prosperis et in adversis, et ore et devotione et operatione *exquisivi*, id est extra alia omnia quæsivi, scilicet eum solum quæsivi omnibus aliis contemptis.

Et quod quæsivi jam ex parte dedit, et in futuro perfectius dabit : et exquirendo eum, *non sum deceptus* ab aliqua suggestione occulta sive prosperitate aliqua a diabolo, vel a quolibet ejus membro oblata, quæ me ab exquisitione Dei retraheret, quod B est dicere: Neque suggestio neque prosperitas aliqua a diabolo, sive membro ejus illata me decipere potuit, ut ab exquisitione Dei me revocaret. Exponit autem quomodo non sit deceptus : Vere non sum deceptus; nam *renuit anima mea consolari* ab aliqua re, nisi a solo Deo, quod est dicere : Omne solatium terrenorum bonorum contempsi, et *memor fui Dei* solummodo, id est in memoria semper eum habui per fidem, *et exercitatus sum* in cognitione ejus; ac si diceret : Cum in eum jam fide transiliissem, laboravi ad hoc ut cognitionem mysteriorum ejus haberem : *et* in hoc exercitio *defecit spiritus meus*, id est anima mea, id est insufficiens fuit mysteriorum ejus perfecte cognitionem attingere. Exponit quidem quomodo exercitatus est, addendo C sic : Dico *exercitatus sum*, in investigatione cognitionis Dei, et non parum quidem *exercitatus* : nam *anticipaverunt vigilias* aliorum fidelium *oculi mei* interiores, quod est dicere : Ratio mea quæ oculus est animæ, anticipavit vigilias, id est supergressa est alios fideles vigilantes et sedulos in exercitio cognitionis mysteriorum Dei, ut cum in hoc valde sint seduli, magis illis sedulus fuerim. Et cum anticipando vigilias, tamen defeci, *turbatus sum* in anima dolore quia deficiebam. *Et* licet dolerem de defectu, *non sum* tamen *locutus* blasphemiam in Deum, sicut multi illud blasphemant quod cognoscere nequeunt; quasi diceret : Licet dolerem me deficere, non tamen indignatus sum ob hoc, aut D aliquid *locutus* contra Deum blasphemiæ, et in hoc præcribit nobis formam non esse indignandum, sed patienter sustinendum, si quilibet ab alicujus mysterii cognitionem cito pertingere nequit.

Inde vero mihi patientia illa contigit, ut non essem *locutus*, quia *cogitavi dies antiquos*, in quibus Adam et Eva inobedientes facti de perfecta Dei cognitione, quam, si perseverarent, erant habituri, ad defectum pervenerunt, ad quem pariter nos omnes attraxerunt, *et annos æternos*, quos per Adam amisimus, id est vitam æternam *in mente habui*, quos si habuissemus, non utique deficientes essemus ; quod est dicere : Ideo patienter hunc defectum tuli, ne inde mumurarem, quia *cogitavi* quod merito nobis contigit hoc propter culpam primorum parentum, per quam etiam vitam æternam amisimus, quam donec recuperemus, incessanter existimemus. Et cogitando hoc, *meditatus sum* quoque *nocte*, id est tota vita mea vel *nocte*, id est etiam in adversitate, in qua plures desistunt ab hujusmodi cogitatione, *meditatus sum* scilicet an defectum hunc unquam evadere possemus. *Cum corde meo* agens, quasi cum alia persona, id est mihi in *corde meo* multa opponens et solvens. *Et in* hac meditatione *exercitabar*, id est frequens et sedulus eram. Et non parum *exercitabar* : sed *scobebam* [al., *scopebam*] *spiritum meum*, id est fodiebam animam meam, scilicet profundam faciebam animam meam valde, investigando : a similitudine foveæ, quæ fodiendo profunda fit. Quod est dicere : In profundas quæstiones deducebam animam meam : vel scobere ponitur pro purgare, sicut multi afferunt, sic legitur hoc : Et ut exercitationi meæ nulla cogitatio terrena noceret, *scobebam spiritum meum*, id est purgabam animam 294 meam ab omni sollicitudine sæculari. Ostendit autem in quo meditando *exercitatus* est, cum sic adjungit : Dico *meditatus sum cum corde meo*, scilicet sic agendo : *Nunquid in æternum projiciet* nos *Deus*, a perfectione cognitionis suæ, a qua per peccatum Adæ hic projecti sumus : Quod est dicere : Erimus semper imperfecte Deum cognoscentes, sicut modo sumus? Et num, id est *nonne apponet Deus, ut adhuc sit* nobis *complacitior*, id est magis complacens et dilectus? Quod est dicere : C Ipse qui jam in nobis ex parte posuit, ut eum diligeremus, et nobis complacitus esset, nonne adhuc in futuro *apponet, ut sit complacitior*, id est magis et perfecte dilectus, nobis perfecte sui cognitione illustratis?

Quoniam igitur indeterminate dixerat, *nunquid projiciet, et non apponet* indeterminate, et constet quia multi, omnes scilicet in infidelitate morituri, in æternum sunt projiciendi, et nunquam eis Deus *complacitior* futurus sit, determinate de regeneratis quærit singula singulis reddendo sic: Dixi indeterminate. *Nunquid in æternum projiciet* nos *Deus* a perfectione cognitionis suæ? Aut ita determinate possum quærere : *abscindet Deus in finem* abscisionis, id est in perpetuum *misericordiam suam*, scilicet perfectionem cognitionis suæ, quæ summa misericordia est et beatitudo *a generatione* prima quæ sit secundum vetustatem Adæ, usque *in generationem* secundam eundo, quæ fit secundum Spiritum? Quod est dicere : Sicut perfectionem suæ cognitionis, quæ magna misericordia est, abscindet in finem, id est in æternum ab infidelibus, qui solummodo generantur prima generatione, quæ fit per concupiscentiam carnis, abscindet etiam eamdem cognitionem in finem, et hic scilicet et in futuro a fidelibus, qui generantur secunda generatione per baptismum : *Aut obliviscetur misereri Deus?* Istud vero ad illud spectat quod supra posuit : *Et non apponet*, etc. Quod sic legitur ; Dixi indeterminate : *Nonne appo-*

net adhuc ut complacitior sit? Aut ita determinate possum dicere. *Obliviscetur Deus misereri*, id est cum Deus jam incœperit misereri fidelibus, dando eis dilectionem sui, ex parte *obliviscetur* hanc misericordiam, non perficiendo eam in ipsis, quod est inconveniens maximum, scilicet ut Deus aliquid obliviscatur? Singulis vero singulis redditis, ponit sententiam ad utrumque supradictum spectantem, cum addit: *Aut* sic dicere possum: *continebit in ira misericordias suas*, scilicet cognitionis sui et dilectionis perfectionem? Quod est dicere: Cum naturaliter præsto sit ad miserendum fidelibus in futuro: per illuminationem sui perfectæ dilectionis et cognitionis, continebit a fidelibus has misericordias suas, ne eis conferat propter iram quam contra genus humanum habet de peccato originali, quod inconveniens videtur.

Quæstionibus his factis, ad solvendum accedit sic: Dico quod *meditatus sum cum corde meo* opponendo sic: *Nunquid projiciet Deus in æternum* nos? Et contra hanc oppositionem *dixi* hanc solutionem. *Nunc cœpi*. Quod est dicere: Vere non *projiciet* nos *in æternum*: et erit *adhuc complacitior*. Et inde hoc scio: quia *nunc cœpi* cognoscere; ac si diceret: Pars cognitionis et dilectionis ejus in principio ab eo mihi data arrha et pignus est, quod perfectius cognoscam eum et diligam. Et inde etiam scio; quia perfectius cognoscam et diligam, quoniam *hæc mutatio* est *dexteræ Excelsi*, id est hoc quod mutamur de ignorantia Dei ad ejus cognitionem, et de odio ad dilectionem contingit per dexteram Excelsi, id est per Filium Excelsi Patris et omnipotentis: qui bene dextera ejus dicitur. Per eum enim diabolum debellavit. Quod est dicere: Cum Christus Patris Excelsi Filius, qui tantus est et tam potens, hanc mutationem incœperit in nobis, haud quaquam dubium est quin eam perficiat in futuro, ut perfecte eum diligamus et cognoscamus. Ostendit igitur unde comprobari queat eum Patrem esse Excelsum addendo sic: Dico *dextera Excelsi*. Et ut eum Excelsum
295 et Omnipotentem esse comprobarem, *memor fui operum Domini* Patris, id est in frequenti recordatione habui, quam gloriose et mirabiliter operatus est a mundi principio, et per hoc eum Excelsum esse mihi apparuit. Ab hac itaque memoria non desistam, sed incessanter *memor ero mirabilium* operum *tuorum ab initio* mundi factorum. Hæc autem duo commoda mihi inde provenient: quatenus *et meditabor in omnibus operibus tuis*, adimplendis, *et exercebor* operando *in adinventionibus tuis*, id est in præceptis tuis quæ tu adinvenisti. Quod est dicere: Has duas utilitates adipiscar de consideratione mirabilium tuorum, quod *meditabor* quomodo tua præcepta opere compleam, et prout potero operabor.

Facta interpositione, ut ostenderet per quid comprobaverit Deum Excelsum esse, æquipollenti voce repetit quod supra posuit: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, ut ea occasione in laudem Dei prorumpat sic: *Dixi* quod *nunc cœpi*, o *Deus* ad dilectionem et cognitionem tui venire. Et *via tua*, o Deus, per quam ad tui cognitionem et dilectionem perfectius venimus, *in sancto* sanctorum Christo nobis est proposito, id est in conformitate ejus. Quod est dicere: Per ejus conformitatem ad te venimus. Ergo quia viam tuam in eo proponis nobis, *quis Deus magnus* est *sicut* tu *Deus noster* existens, a quocunque non reputeris Deus? id est *quis* a gentibus *Deus* reputatus est *magnus*, *sicut* tu quem nos Deum reputamus? Nullus. Nam *tu es Deus qui facis mirabilia*, et nullus alius facit mirabilia: Et ecce *mirabilia*, scilicet *notam fecisti in populis virtutem tuam*. Quod est dicere: Istud mirabile fuit quod notum fecisti per prædicatores, in populis gentium et Judæorum Filium tuum, qui virtus tua dicitur: eo quod per eum mirabiliter et potenter operaris. Et ecce aliud mirabile quod *in brachio tuo*, id est in Filio tuo, dicto *brachio*, eo quod per eum diabolum expugnas, *redemisti* passione crucis, *populum tuum* factum per fidem, populum dico *filios* effectum, id est qui filii tui per regenerationem effecti sunt. *Filios* dico *Jacob et Joseph*, id est Judaicum populum et gentilem. Congrue nimirum per Jacob accipitur Judaicus, per Joseph vero gentilis populus. Jacob namque cum angelo luctando, ab eo percussus uno pede claudus effectus est: et benedictionem suscepit (*Gen.* XXXII, 24, 25, 29). Sic Judæorum populus cum Domino luctans; dum ipsius præcepta in irritum duxit, a Domino cæcitate percussus, uno pede claudicavit, scilicet intellectu carnalium observantiarum: quo solam litteram intellexit: non etiam ad spiritum, alio tamen intellectu rectus remanens, intellectu videlicet moralium præceptorum, in quo littera tantum insistenda erat. In parte quoque salvandorum benedictionem adoptivæ filiationis suscepit. *Joseph* quidem *augmentatio* dicitur. Unde per *Joseph* gentilis populus accipitur, ad augmentum Ecclesiæ primitivæ de Judæis adjunctus, Et ecce aliud mirabile, quod per notitiam filii *viderunt te* fide, o *Deus* Pater, *aquæ*, quæ prius ignorantes erant scilicet gentes. ad similitudinem aquarum inconstantes et diffluæ. Ut igitur addat, repetit sic:

Viderunt, inquam, *te aquæ*, *et timuerunt*; *et turbatæ sunt abyssi*. Præposteratio. Ac si dicat: et ipsæ aquæ quæ prius in infidelitate erant, ad modum abyssorum profundæ, turbatæ sunt bona turbatione, et timuerunt de malis actis suis. Et non paucæ aquæ: sed *multitudo sonitus aquarum*, id est multæ aquæ sonantes, id est cum nimio sonitu verborum, Dei præceptis rebellantes, Dico quod *notam fecisti virtutem tuam*, et *viderunt te aquæ*. Et id per hoc contigit, quia *nubes*, id est prædicatores Ecclesiæ complures, *dederunt vocem* prædicationis, per quam aquæ ad Dei fidem et notitiam conversæ sunt. Posset quæri: Quare propter prædicatorum vocem *aquæ turbatæ sint*, cum ipsi solummodo de Judæis fuerint? Ad quod sic respondet: Vere propter vocem prædicatorum *aquæ* turbantur. *Etenim sagittæ tuæ transeunt*, id est iidem prædicatores *sagittæ tuæ*

www.libtool.com.cn

dicti, eo quod eorum prædicatione infidelium corda saucias, transitum faciunt de Judæis regnum Dei respuentibus, 296 ad gentes. Ostendit vero quousque *transeunt*, cum addit scilicet: *vox tonitrui tui* transit, existens *in rota*, id est in toto orbe : qui, quoniam ad modum rotæ rotundus est, per rotam accipitur. Quod est dicere: Vox prædicatorum qui tonitruum dicuntur, eo quod manifeste prædicando mortem æternam non credituris comminantur, sic transit ut in rota manifesta sit, id est in toto orbe. « Quoniam in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVII, 5). » Non autem per solam prædicatorum vocem *turbatæ sunt et timuerunt aquæ* ; sed etiam *terra*, id est terrenus populus salvandus ex Judæis et gentibus *contremuit* de peccatis, *et commota est* ad fidem per hoc quod *illuxerunt orbi terræ coruscationes tuæ*, id est manifesta fuerunt omni mundo coruscantia mirabilia prædicatorum ad modum coruscationum aeris, quæ in tempore tonitrui lucent. Quod est dicere : Per miracula prædicatorum, terreni commoti sunt. Et sic post commotionem *in mari*, id est in populo gentili, qui prius omnino Dei notitia carebat: *via tua* fuit, id est cognitio Filii tui fuit, qui est *via* per quam ad te venitur, sicut ipse testatur : « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » *Et semitæ tuæ* sunt *in aquis multis*, id est præcepta tua sunt in multis gentibus, quæ dicuntur semitæ, eo quod ad similitudinem semitarum carni arctissima sunt. Non dicit viam et semitas Dei esse in gentibus ; ut velit innui, hoc non esse in parte salvandorum ex Judæis : sed ideo de gentibus specialiter agit, ut ea occasione infidelium Judæorum exsecretur incredulitatem, sic : Dico quod *vita tua* et *semitæ* sunt in gentibus, quæ nihil amplius de te per prophetas audierunt, quibus non tot beneficia contulisti ut Judæis. Sed *vestigia tua* id est præcepta tua et prædicatorum m racula, quæ sunt *vestigia*, per quæ pervenitur ad te, *non cognoscentur* a populo tuo, scilicet ab infideli parte Judæorum, qui populus tuus esse deberent. Quem tamen *populum tuum deduxisti sicut oves*, id est de Ægypto in terram promissionis duxisti, *in manu*, id est in ducatu *Moysi et Aaron* : utpote oves tuas, scilicet adeo diligenter eos pascens et custodiens, sicut pastor valde diligenter oves pascit et custodit. Ac si dicat : Gentes quas hucusque visus es neglexisse, præceptis tuis obediunt. Judæi vero increduli, quos *sicut oves in manu Moysi et Aaron* deduxisti, et quibus alia plurima beneficia contulisti, præceptorum tuorum et miraculorum prædicatorumque *vestigia* contemnent : quod utique facere non deberent. Ideo vero Judæorum incredulitatem detestatur, ut per hoc salvandorum pars ab eorum conformitate retrahatur.

IN PSALMUM LXXVII.

Titulus septuagesimi septimi. *Psalmus intellectus Asaph.* Quod sic exponitur. Iste *psalmus intellectus*, id est intelligentiæ in quo mysticus intellectus continetur, est *Asaph*, id est perfecte fidelis Synagogæ, agentis ad minus perfectam fidelem Asaph, et enarrantis pristina beneficia patribus eorum a Deo in temporibus antiquis collata. Et in principio hujus psalmi adhortantis eamdem minus perfectam Asaph, ut quæ sibi in parabolis et propositionibus loquetur, attente et diligenter audiat, scilicet intelligendo ea beneficia mystice, non ad litteram tantum sicut patres eorum increduli fecerunt, qui neglectui ea habentes, ad solam litteram intelligentes perierunt. Ideo vero beneficia illa enarrat, ut instruat eos, quatenus quæ in priori populo contigerunt ad historiam, in Ecclesia quoque contingunt ad figuram. Et sciendum quod, cum psalmus iste, continuatim juxta historiam legendus, in se allegoriam contineat; non tamen aut vix ubique juxta allegoriam continuatim legitur. Notandum sane psalmum hunc, sicut et cæteros, bene ad prophetiam attinere, etsi ad historiam legatur; tum ideo quia fidelis Asaph quæ eo tempore nondum erat, a Propheta loqui introducitur, tum etiam quoniam in his beneficiis quæ hic historialiter facta Propheta posuit, alia beneficia in Ecclesia futura mystice designavit.

297 *Attendite, popule meus, legem meam. Attendite*, pluraliter ponit, quia populus nomen est collectivum. Ac si diceret : Tu, fidelis Asaph, minus perfecta, existens populus meus, id est mei modi, quia scilicet et ejusdem gentis sumus, et ejusdem fidei, *attende*, id est diligenter *legem* veterem considera, non negligenter ut patres tui veteres. *Legem* dico jam *meam* factam per intellectum, id est quam jam meam jure possum dicere, cum eam intelligam, quæ aliter tua non erit, nisi eam intellexeris. Quoniam ergo legem indeterminate posuerat, ne hoc modo putaremus quod sic nos ad totam legem intelligendam mitteret, et nihil inde locutus esset, addit : Et ut totam legem veterem exemplo verborum meorum diligenter consideretis, *Inclinate aurem vestram* eundo *in verba oris mei* intelligenda. Hoc autem est a similitudine strenui discipuli, qui ut bene docentis verba percipiat, *aurem* inclinat. Ac si dicat : Diligenter audite verba quæ loquor : ut ea mystice intelligendo, cætera quæ in lege leguntur historialiter exemplo horum mystice intelligatis. Et necesse est ut attendatis, et aurem inclinetis; nam *aperiam os meum in parabolis*, id est parabolice loquar per similitudines, scilicet ideo diligenter attendendum, ut quod parabolice dicitur, mystice sentiatur. Et non solum *in parabolis loquar ;* sed etiam *loquar propositiones*, id est obscuras similitudines *ab initio* legis veteris incipiendo. Ideoque magis attente considerandum est. In Hebræo habetur ænigmata antiqua. Unde propositiones accipimus similitudines illas quæ intellectu sunt obscuriores, parabolas vero quæ manifestiores, quare etiam *propositiones* dicuntur, eo quod ad quæstionem proponantur. Quia vero parabolæ clariores sunt intellectu quam propositiones, innuit cum ponit : *Aperiam in parabolis os meum*, quasi diceret : Aperte *loquar in parabolis*. Ut autem atten-

www.ABRAHAM.COM.AR

tiores reddat, dicit se ea quæ dicet non finxisse, sed a patribus qui viri fuerunt magnæ auctoritatis audisse et cognovisse. Dico quod *loquar* quæ non finxerim.

Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis. Quod est dicere : Hæc quæ loquemur quæ *quanta* sunt, id est valde magna, *patres nostri* auctorizabiles viri *narraverunt nobis*, et nos diligenter *audivimus*, et mystice *cognovimus*, et idcirco nobis credendum est. Et hæc *non sunt occultata a filiis eorum* patrum, a nobis scilicet, *in generatione altera*, id est a nobis diversa. Quod est dicere : Non ea ex invidia occultavimus, quin generationi gentium intimaremus, quæ est *altera*, id est, a nobis secundum originem diversa. Et in hoc eos valde reddit attentos : cum etiam gentes quibus ista beneficia non fuerunt collata, ea audierunt attente. Post hujus versus interpositionem ad hoc quod incœpit revertitur sic : Dico quod *patres* magna *narraverunt nobis*. Patres *narrantes* dico *laudes Domini*, id est præcepta in quorum observantia Deus laudatur, *et virtutes ejus*, id est ea beneficia quæ quasi per violentiæ virtutem operatus esse visus est. Scilicet de maris interruptione, de Pharaonis submersione, et de inimicorum superatione. *Et mirabilia ejus quæ fecit*, id est, beneficia illa quæ non quasi per violentiam, sed per solam potentiam operatus est mirabiliter, sicut manna quod pluit, aqua quam de petra dedit, et cætera talia. Ostendit igitur ubi hæc *narraverunt* sic : Vere *narraverunt laudes, et virtutes et mirabilia* Dei. Nam *Deus* per ipsos patres et *suscitavit in Jacob*, id est in populo Judaico *testimonium*, id est scripta virtutum et mirabilium suorum, quæ idcirco *testimonium* dicuntur, quoniam eum potentem esse testantur, *et in Israel*, id est in populo Judaico, *posuit legem* per ipsos patres, id est scripta præceptorum suorum, quæ *laudes* ejus sunt. Et bene ponit *suscitavit*, a similitudine rei mortuæ quæ suscitatur ; ac si dicat : Quia miracula et *virtutes* et præcepta ejus aliter morerentur, fecit ipsos patres scripta conponere, in quibus *mirabilia* et *virtutes* et *laudes* ejus suscitarentur.
298 Et hoc compendiose dicit. *Suscitavit testimonium in Jacob*, id est ut *mirabilia* et *virtutes* suas suscitaret, scripta per Patres posuit in populo Judaico, vel *testimonium suscitavit* in Jacob, id est scripta carnalium observantiarum, quæ *testimonium* dicebantur, eo quod alia mystica per sui evidentiam in Ecclesia futura testabantur ; *suscitavit in Jacob*, id est posuit in populo Judaico, ad suscitanda præcepta sua, quæ in Adæ prævaricatione erant mortua. Et legem moralium præceptorum *posuit in Israel*. Israel et Jacob pro eodem habet. In quo testimonio, et in qua lege *quanta mirabilia et virtutes et laudes mandavit patribus nostris, nota facere ea* per scripta sua *filiis suis* ? nobis scilicet. Ac si dicat : Vere narraverunt nobis *laudes* Dei, *et virtutes, et mirabilia*. Nam eus Deis præcepit ut scripta nobis relinquerent, in quibus *mandavit* ut nobis filiis suis *nota* facerent magna ejus beneficia, scilicet *laudes ejus et virtutes et mirabilia*: *ut* per nos ista eadem *cognoscat*, id est mystice intelligat, *generatione altera*, scillicet gentilis. Et notandum quod istud fere dixerat superius, ubi dixit *quanta audivimus*, usque ad *narrantes*.

Sed in hoc tamen diversum est, quia hic dicit eos hæc narrasse mandato Domini, quod superius non dixerat. Non solum vero *generatio altera* cognoscet : sed *et filii qui nascentur ex nobis, et exsurgent*, id est attenti erunt in hac cognitione mystice intelligentes : non jacentes, id est non ad solam litteram hæc accipientes enarrabunt filiis suis. Per hoc vero eos quibus agit hic, valde reddit attentos, cum eos quibus agit hic, valde reddit attentos, cum eos qui nasciturí sunt, prædixit hæc non ignoraturos. Et ideo hæc eis narrabunt. *Ut ponant in Deo spem suam*, id est auditis his beneficiis patribus a Deo gratis concessis : nihil a se exspectent, sed omnem *spem* beneficiorum in *Deo ponant. Et non obliviscantur operum Dei*, sicut patres obliti sunt, id est *non obliviscantur* beneficiorum quæ in eis Deus est operaturus ; quæ significata fuerunt per beneficia in patribus antiquis operata, quorum ipsi obliti sunt. *Et ut mandata ejus* Dei *exquirant*, id est attente cognoscant et diligant, quæ patres neglexerunt. Et ideo quoque narrabunt : *Ne* filii *fiant sicut patres eorum* antiqui, scilicet ne fiant *generatio prava* in moribus, et *exasperans* Deum in malis actibus sicut patres. Ostendit autem in quo *prava* fuit, cum dicit : *Generatio* scilicet *quæ non direxit cor suum*, ut bene de Deo cogitaret : *et*, id est scilicet, *spiritus*, id est ratio ejus non est creditus cum Deo, id est cum Dei auxilio bene cogitare, sed per se. Quod est dicere : Crediderunt per se sufficientes esse ad bene cogitandum sine auxilio Dei, et in hoc pravi fuerunt ; vel sic : *Generatio quæ non direxit cor suum*, ad bene cogitandum, hoc non mutatur. Et si quando bene cogitavit humano more, *spiritus ejus cum Deo* existens, *non est creditus*, id est non crediderunt rationi suæ quæ bene cogitando cum Deo erat, id est quæ placita Deo cogitabat, ut quæ rationabiliter cogitabant, opere complerent. Vel sic legi potest de patribus qui fuerunt in tempore Christi. Dico quod *filii* nostri *qui nascentur narrabant filiis suis* salvandis, ne fiant sicut patres eorum increduli, qui fuerunt in tempore Christi, scilicet ne fiant *generatio prava* in moribus, et *exasperans* Deum suis pravis actibus, de quibus in Evangelio Dominus testatur. « Generatio prava et adultera signum quærit, » etc. (*Matth.* XII, 33.) *Generatio* scilicet *quæ non direxit cor suum*, ut de Deo bene cogitaret, et cum Deo Filio *non est creditus spiritus ejus*. Quod est dicere : Non credit Filio et sancto Spiritui. Et in hoc innuit quod nec Patri. Pater enim sine Filio et Spiritu sancto non cognoscitur, cum unum sint.

Verumtamen priori sententiæ de patribus antiquis qui fuerunt in tempore Moysi, melius videntur sequentia consonare. Dico quod patres fuerunt *generatio quæ non direxit cor suum*. Et non solum illi qui fuerunt inferiores in patribus, sed et illi qui

deberent esse *filii Ephrem*, id est, imitatores Ephrem, filii Joseph, cui benedixit Jacob, sacerdotes scilicet et Levitæ, qui, cum potiores essent in populo, 299 et hoc bona vita sua expetere debuissent : ut a Deo more Ephrem benedictionem (*Genes* IV, 8) susciperent, *intendentes arcum, et mittentes* sagittas *conversi sunt in die belli*. Hoc autem per similitudinem ponit. Scilicet facti sunt similes ignavis, qui ante bellum præludium facientes, intendunt arcum et mittunt sagittas, minantes se bene pugnaturos, et in die belli postquam ad rem venitur, convertuntur et fugiunt. Tunc enim arcum intenderunt et sagittas miserunt, cum se Deo bene obedituros promiserunt dicentes : Quidquid præceperit Dominus et Moyses servus ejus audiemus et faciemus (*Exod.* XIX, 8 ; XX, 19) : at simul ac ad observantiam mandatorum, et ad vitiorum bellum venerunt, illico *conversi sunt* ad scelera sua. Per Ephrem quippe, quod dicitur *fructificatio*, sacerdotes et Levitæ designantur, qui cum in populo opera bona fructificare debuissent ut sic essent filii, id est imitatores Ephrem, steriles fuerunt. Istud etiam in Ecclesia accidit. Nam complures in Ecclesia prælati, qui promittunt se viriliter acturos prædicatione et exemplo bonæ vitæ suæ in populo, postquam ad rem veniunt convertuntur. Ipsi vero filii Ephrem esse deberent, scilicet bonorum operum fructificatores. Ostendit autem quomodo conversi sunt *in die belli*, cum apponit, scilicet *non custodierunt testamentum Dei*, id est non compleverunt legem Dei, et si in aliquibus pauci custodierunt, *in lege ejus noluerunt ambulare*, id est in completione legis non fuerunt voluntarie incedentes. Quod est dicere : Ea quæ compleverunt non ex voluntate, sed inviti ex timore compleverunt. Et cum ipsi saltem contuitu benefactorum ejus, testamentum Dei diligere debuissent, *obliti sunt benefactorum ejus*, quæ quasi per violentiam operatus est, scilicet de Pharaonis submersione, et cæteris hujusmodi. *Et* etiam *obliti sunt mirabilium ejus, quæ ostendit eis*, id est quæ fecit palam eis. Mirabilia dicit illa beneficia quæ non quasi per violentiam, sed per potestatem mirabiliter operatus est : ut de manna et de cæteris hujusmodi. Dico quod *obliti sunt mirabilium* quæ ostendit, scilicet quæ mirabilia et beneficia fecit in Ægypto. Et exponitur in qua parte Ægypti, cum addit *in campo Taphneos* (*al.*, *Taneos*), scilicet fecit eis benefacta et mirabilia. Taphnis enim civitas est in Ægypto, ubi Deus multa pro eis mirabilia operatus est et benefacta. Et hæc mirabilia in Ægypto facta, fecit *coram patribus*, Moyse videlicet et Aaron, et cæteris ducibus Israel, qui patres dicebantur non secundum generationem, sed secundum paternam quam habebant in subditos affectionem, ac si diceret : Licet illa mirabilia populus ignoraret, tamen sic fecit ea ut *coram patribus* essent, id est manifestum esset eis quod significarent. Postea igitur enumerat ea quæ fecit in Ægypto : cum prius enumeret ea quæ fecit post discessum ab Ægypto sic : Dico quod *obliti sunt mirabilium quæ ostendit eis*. Et ecce mirabilia : Quando eos Pharao persequebatur *interrupit mare* pro ipsis : *et per* mare interruptum *duxit eos*. *Et* ne aquæ nocerent eis aliquatenus, *statuit aquas* maris, id est stare fecit ne fluerent, *quasi in utre* stant aquæ constrictæ ne fluendi facultatem habeant. Sic igitur cætera beneficia usque in finem psalmi ad litteram leguntur : quæ omnia in suo loco ad litteram exponuntur continue. Sed quoniam in singulis videtur allegoria contineri, pro longitudinis tædio, per singula allegorica videntur exponenda esse mysteria, cum secundum allegoriam difficile sit, aut impossibile psalmum legere continuatim. Quapropter ad eorum quæ jam legimus ad litteram allegoriam accedamus, et ab eo loco ubi dictum est, *filii Ephrem* incipientes, prius aliter quam superius ad historiam hunc versum exponamus, postmodum autem allegoriam attingamus.

Quoniam itaque superius promiserat, *Aperiam in parabolis os meum*, facta interpositione sui, ut eos quibus agit ad intendenda verba sua redderet attentos, ad loquendas parabolas et propositiones accedit sic : Dixi me aperturum *os in parabolis*. Et ecce pono parabolas, ab illo loco ubi dico filii Ephrem usque in finem psalmi. Quarum prima est hæc : *Filii Ephrem*, id est imitatores et sequaces Jeroboam, qui fuit de tribu 300 Ephrem. Ideoque dicitur Ephrem non quantum ad nominis interpretationem, *intendentes arcum*, id est intensam facientes dolositatem suam, et *mittentes* ab arcu sagittas, id est mittentes ex ipsa deceptione sua deceptorias in proximos læsiones, *conversi sunt* a Hierusalem et a tribu Juda euntes in Samariam post Joroboam, volentes esse *in die belli* potius quam in concordia, id est in rebellionis fervore contra tribum Juda, et contra tribum Benjamin, et paucos ex tribu Levi qui remanserunt Hierusalem cum Roboam rege filio Salomonis de tribu Juda. Et intendendo arcum et mittendo sagittas, *non custodierunt testamentum* Dei, etc., usque ad *coram patribus*, quæ ut jam superius exposita sunt, hic etiam exponuntur. Hic historia tangitur quæ talis est (*III Reg.* XIV) : In tempore Roboam filii Salomonis regis Israel quidam alius ex tribu Ephraim filii Joseph Jeroboam nomine surrexit, qui abiens in Samariam sibi regnum ibi paravit. Quem tribus decem secutæ sunt : solummodo vero tribus Juda et Benjamin, cum quibusdam filiorum Levi in Hierusalem remanserunt cum Roboam rege. Illi vero qui cum Jeroboam abierunt dolose se habentes contra proximos, benefacta et mirabilia Dei in tempore suo et in tempore patrum a Deo operata obliti sunt, quorum contuitu a dolositate sua revocari debuissent, et in Hierusalem cum tribu Juda habitare. Per Roboam nimirum Hierusalem regnantem, qui fuit de tribu Juda, Christus de tribu Juda rex æternæ Hierusalem et terrenæ Ecclesiæ videlicet, quæ jam pacem æternam in contemplatione videt, accipitur. Per tribum autem Juda et cæteros qui cum Roboam in Hierusalem remanserunt, fideles, Christi membra

www.libtool.com.cn

existentes, qui ei subjici malunt, et in Ecclesia permanere præsignabantur. Jeroboam sane qui, relicta Hierusalem, in regione extera sibi regnum paravit, diabolus congrue figuratus est : qui, Hierusalem cælestis consortio per superbiam relicto, in infidelibus ab eadem Hierusalem penitus extraneis regnum per infidelitatem sibi paravit. Per decem vero tribus, quæ relicta Hierusalem et Roboam rege suo Jeroboam regi perfido adhæserunt, hæretici portendebantur, qui Christo rege vero et sancto, et Ecclesiæ consortio contempto, diabolo subjiciuntur. Sequitur alia parabola cum dicit. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos*, ad litteram ut superius ostendimus. Sic et Deus facit in Ecclesia mirabilia, dum infideles ad viam fidei reducit, et alia innumerabilia operatur. Et hæc mirabilia licet ab idiotis ignorentur, *coram patribus* tamen sunt, id est manifesta fidelibus in Ecclesia prælatis, qui paterna affectione populo præsident. Et hæc mirabilia facit in hac terra præsenti, quæ est terra afflictionis. Ægyptus quippe afflictio interpretatur. Et *in campo Taneos* facit, id est in planitie humilis mandati, scilicet, hæc miracula : quod infideles ad fidem vocat, facit per planam et intelligibilem doctrinam prædicatorum in humilitate factam, quæ non gravis est et obscura ut lex vetus. Unde congrue per campum Taneos intelligitur. Campus enim plana terra est. Taphnis [*Thanis*] vero *humile mandatum* interpretatur.

Sequitur alia parabola. Postquam egressi sunt de Ægypto, *interrupit* Deus *mare* pro eis, et per siccum *duxit eos* : et ne eis aquæ nocerent, *statuit aquas quasi in utre*, ne fluerent. Et hoc totum contingit ad historiam, juxta quod legitur : « Filii Israel ambulaverunt per medium sicci maris : aquæ autem erant eis pro muro ad dexteram et sinistram (*Exod.* XIV, 22). » Quod etiam allegorice contingit in Ecclesia. Interrumpit namque Deus mare, id est dividit gentilem populum per doctrinam prædicatorum : ut partem assumat ad salvationem, partem damnandam spernat. Et per fidem et opera bona ducit salvandos ad terram promissionis, scilicet ad patriam cœlestem. Et ne aquæ, id est infideles difflui 301 velut aqua possint bonos perturbare : *statuit* ipsos id est constringit sicut aquæ *in utre* constringuntur, ne fluere valeant, nisi ad pincernæ libitum. Non sic quidem constringit impios, ut in bonos sæviendi nullam habeant facultatem ; sed sic eos Deus permittit ad mensuram sæviendo fluere, ut cum bonos tormentis in corporibus interdum afficiant, nullatenus sibi conformare queant ; vel interrumpit *Deus* Rubrum *mare*, id est dividit Deus baptisma, ut aliis sit ad salutem, justis scilicet, aliis, qui justi non sunt, ad damnationem. « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX, 16). » Baptisma vero per mare designatur, eo quod ex aqua fit, et in eo vitia delentur, sicut in mari hostes filiorum Israel destructi, sunt. Rubrum quidem dicitur, eo quod per Christi sanguinis effusionem consecratum est : et per ablutionem et fidem baptismi ducit suos ad terram viventium. Ne vero sui post baptismi gratiam ab aquis submergantur, id est ne a fluctibus malarum concupiscentiarum ad operationis pravæ mortem ducantur, *statuit aquas quasi in utre*, id est refrenat ipsos concupiscentiarum fluctus per carnis mortificationem, ne prævaleant. Quæ mortificatio per utrem congrue figuratur, eo quod uter ex pellibus mortuorum animalium fit. Quod est dicere : Facit suos carnem eorum jejuniis et aliis afflictionibus mortificare : et per hoc concupiscentias eorum refrenat, ne valeant eis prævalere. Sequitur : *Et eduxit eos in nube diei.* Scilicet postquam mare filii Israel transierunt, e mari egressos duxit per desertum in nube per diem, id est sub nube quæ eis esset refrigerium ab æstu diei (*Exod.* XIII, 21). *Et tota nocte* duxit *in illuminatione ignis*, scilicet ne in noctis obscuritate offendicula paterentur, eis illuminationem igneæ columnæ præcedentis dedit. Similiter quoque suos Deus per hanc vitam, quæ ad comparationem vitæ æternæ desertum dicitur, incedentes nube a die refrigerat, id est protectione humanitatis suæ quæ salutis nostræ causa est a vitiorum æstu et a prosperitatis fervida elatione refrigerat. Interpellat enim jugiter pro fidelibus apud Patrem Christi humanitas, ne aliquo æstu nocivo exæstuent. Juxta illud Apostoli : « Christus Jesus qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* II, 34). » Congrue nimirum Christi humanitas nubes dicitur, quia suos a vitiorum æstu refrigerat, sicut nube obumbratur diei claritas. *Et tota nocte* duxit eos *in illuminatione ignis*, scilicet tota vita ista, quæ obscura est, ut nox et perfecta Dei cognitione carens, ducit eos de bono in melius, in illuminatione gratiæ Spiritus sancti, qui dicitur ignis eo quod bonos igne charitatis accendat. Sequitur : *Interrupit.* Quod sic ad litteram jungitur. Non solum autem filios Israel *duxit in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis ;* sed etiam pro eis *interrupit petram in eremo* per Moysen : ut inde aquas educeret ; unde legitur : « Percussit virga bis silicem ; et egressæ sunt aquæ largissimæ (*Num.* XX, 11), » Et postquam petram interrupit *adaquavit eos* filios Israel plenarie, *velut in multa abysso*, id est in profundissima aqua potest aliquis pleniter adaquari. Quia vero dixerat eos adaquatos esse, et nondum posuerat aquas de petra emanasse, addit : Dico *interrupit petram*, et *de petra eduxit aquam.* Et ne putaremus quod talem aquam inde eduxisset, quæ in uno solo loco demoraretur, addit : *Et eduxit* aquas *de* ipsa *petra tanquam flumina* fluentes : et eos cum castra moverent per desertum sequentes, Apostolo testante cum dicit : « Consequente eos petra (*I Cor.* X, 4). Quod est dicere : Consequenti eos aqua procedente ex petra. Per petram siquidem a bina virgæ percussione interruptam, unde aqua largissima per desertum eos comitans emanavit, unde saturati sunt, Christus, qui petra firma est et solida, signabatur. De quo clamat Apostolus : « Petra autem erat Christus (*ibid.*). » Per binam virgæ percussio-

www.libtool.com.cn

.uo crucis ligna præfigurabantur, unum qui- A
ı longum positum, alterum autem in obliquum
In qua cruce Dominicum corpus, quod fir-
petram esse diximus, clavis est perforatum,
.s ejus ictu lanceæ interruptum. De qua in-
ıtione nobis gratia remissionis emanavit, quæ
ır totam hujus vitæ eremum incedentes jugi-
mitando, spiritualiter satiat, et usque ad mun-
ım indesinenter. Qua de re convenienter hæc
per aquam præsignata est, quæ de petra in-
ıta processit, et per eremum filios Israel se-
corporaliter eos et assidue satiavit.
uitur. *Et apposuerunt.* Quod sic ad litteram
ıuatur. Dico quod Deus pro eis *interrupit petram*
ıera beneficia contulit. Et ipsi filii Israel
ınte hæc beneficia peccassent, cum beneficio- B
ontuitu debuissent a peccato cessare, *apposue-*
dhuc peccare ei. Et adeo peccaverunt, quod *con-*
unt eum in iram, id est in vindictam : *in aquoso*
in deserto. Ostendit autem quomodo pecca-
t cum addit : Vere Dominum *in iram* conci-
ınt, *quoniam* et *tentaverunt Deum in cordibus*
d est hæsitaverunt in cogitationibus de om-
entia Domini, sic *ut* tentando *peterent escas*
ıbus suis, id est vitæ suæ necessarias. *Et male*
sunt de Deo. Dixerunt enim : *Nunquid poterit*
parare mensam, id est plenariam refectionem
, *in deserto* isto, in quo non est aliquis cultus ho-
m? Vere non poterit. Quod est dicere : Ideo
ı in iram concitaverunt, quoniam eum impo- C
m esse cogitaverunt, et de eo *male locuti sunt*
icentes hæsitando : Poteritne hic nobis dare
ı cum in deserto loco simus? Vere non poterit.
ratio eorum aliquando econtrario dicebat eis :
Deus poterit dare mensam, *quoniam* ipse *per-*
petram et fluxerunt aquæ, ipsi econtrario dice-
: *Quoniam* ipse *percussit petram et fluxerunt*
, et non parvæ aquæ, sed *et torrentes* inde *inun-*
unt, *nunquid et*, id est etiam *poterit*, idcirco *da-*
nem populo suo, nobis scilicet? aut si parum pa-
ederit, *poterit parare mensam* nobis populo suo ?
aquam. Quod est dicere : Licet petram per-
ns, aquas inde fluere fecerit, non tamen ideo
ı panem ad plenum dare poterit. Et ideo quia
ıæc dicentes, *non crediderunt in Deo*, ut potens D
eis dare panem : *nec speraverunt in salutari*
d est nec spem cibi habuerunt in consideratio-
ılvationis ejus Dei, scilicet non speraverunt
sicut ex Ægypto salvaverat, ita quoque cibum
ıre poterat. *Audivit Deus*, id est animadvertit eo-
incredulitatem, *et distulit* vindictam quod sta-
non punivit. *Et* quantomagis *distulit*, tanto ma-
gnis accensus est in Jacob, id est vindicta aug-
tata est in filiis Israel, quam si eis peccanti-
ı mox puniret. Et non parum *accensa* est *ira*, sed
ıdit, id est valde excrevit ira, vindicta scilicet *in*
l, id est in Judaico populo. Quod est dicere : Ideo
sic increduli fuerunt, Deus animadvertit eo-
incredulitatem ; et differendo pœnam tanto

magis vindictam suam augmentavit. Et licet eum tentassent, et de eo male locuti fuissent, tamen ut omnipotentiam suam ostenderet, *mandavit desuper nubibus* existentibus, scilicet nubibus cœli ut pluerent eis manna. *Et aperuit januas cœli*, id est fecit cataractas cereas, per quas manna descenderet. *Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis*, id est cibum qui sine labore hominum in cœlo, id est in aere creatus est, manna scilicet. Et *homo manducavit panem angelorum*, id est Judaicus populus homo simpliciter non spiritualis, manducavit illud manna, quod significabat panem angelorum Christum videlicet, quo spiritualiter angeli reficiuntur. Dico quod panem cœli dedit eis et non parce : sed *in abundantia misit eis cibaria*, scilicet panem cœli qui cibus eis esset. In alia translatione habetur *panem fortium* ; anheli namque fortes dicuntur congrue ad comparationem nostri, qui debiles sumus. Ipsi namque fortiter Christo vero pane reficiuntur, in ea natura qua Dei verbum est. Cæterum, quia debilitas nostra tanto pane in natura divina et nobis
303 invisibili vesci non poterat : « Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), » et per carnis suæ comestionem «habitavit in nobis (*ibid.*).» His igitur versibus juxta litteram adaptatis, allegoriam attingamus.

Dixi quod Deus Pater *interrupit* per passionem *petram in eremo.* In hac vita videlicet Christum, qui solida petra est, et de cujus interruptione processit remissionis gratia. Et tamen hæretici multi, gratia hac per baptismum suscepta, apponunt peccatis ante baptismum, *adhuc peccare ei* Deo post baptismum. Et adeo peccant quod eum *in iram*, id est in vindictam contra seipsos concitant. Et hoc *in inaquoso*, id est in ariditate cordis ; scilicet quia gratia illa nolunt adaquari, Deum sibi iratum faciunt. Et hoc quidem modo post baptismum *peccare* apponunt. Nam et tentant *Deum in cordibus suis*, id est de Dei omnipotentia dubitant, utrum scilicet sub panis specie corpus suum dare possit ad comedendum. Et sic tentant, *ut* tamen petant *escas animabus suis* utiles, scilicet petant quotidie corpus et sanguinem Domini sola voce non corde cum dicunt : « Panem nostrum quotidianum d nobis hodie (*Luc.* XI, 3), » id est corpus et sanguinem tuum. Quod corpus videlicet et sanguis una esca est indivisibilis et incorruptibilis, licet sub specie panis videatur frangi, et a dentibus fidelium conteri. Quod quidem mysterium insolubile est, videlicet quare frangi et conteri videatur, cum indivisibile permaneat : firma tamen fide credendum est. *Escas* autem pluraliter, illud quod unum est, vocat secundum plurium participationem, Dico quod tentant cogitando. Et tentant quidem, et *male de Deo* loquuntur ore ; dicunt enim : *Nunquid* Deus potest *in deserto*, id est in hac vita quam corporaliter deseruit cum cœlum ascendit, *parare mensam*, id est facere panis creaturam mensam, id est corporis sui refectionem Nequaquam. Quod est dicere : Cum hanc terram

www.libtool.com.cn

deseruerit, et corporaliter et localiter in cœlo sit, quomodo panis creaturam quæ modo est, potest adhuc parare, ut caro sua efficiatur, quæ ante mille annos est? Nullomodo. Cum autem eis a catholicis objicitur: Vere Deus hoc potest facere, cum ipse aliud quod est magis mirabile fecerit, scilicet se petram percuti permisit, unde aqua gratiæ spiritualis fluxit. Ipsi econtrario ore nequissimo proferunt: *Quoniam percussit*, id est percuti permisit petram in passione, seipsum scilicet, et inde *fluxerunt aquæ* gratiæ spiritualis, et non parvæ aquæ, sed torrentes, id est aquæ copiosæ *inundaverunt*. *Nunquid* etc., id est etiam consequitur Deo, quod et panem qui sit corpus suum possit dare populo suo, id est populo fidelium. Aut ita planius dicere possumus: *Poterit* ideo panem *parare mensam*, id est facere corporis sui refectionem populo fidelium? Minime. Ac si dicat: Et si per passionem suam remissionis gratiam contulit, non tamen ideo consequitur ut ex pane corpus suum efficiat, quo fidelium populum satiet. Et *ideo* qui adhuc dicendo *non crediderunt in Deo* Patre, *nec speraverunt in salutari ejus*, id est in Christo salvatore a Deo Patre misso, scilicet quia non crediderunt quatenus cooperatione Patris et Filii et Spiritus sancti posset panis Christi corpus confici, *Audivit* hoc *Dominus*, id est animadvertit eorum incredulitatem, *et* tamen *distulit* pœnam corporalem usque in futurum. *Et* in anima *accensus est ignis*, id est fervor vindictæ suæ *in Jacob*, id est in ipsis hæreticis, qui debuissent esse Jacob, scilicet strenui luctatores, et defecerunt. Et non parum accensa est vindicta, sed *ira*, id est vindicta, *ascendit* in anima, id est valde crevit *in Israel*, id est in hæreticis qui Israel esse deberent: Deum scilicet videntes, et cæci per superbiam facti sunt. Quod est dicere: Quia noluerunt credere, et si nondum eos in corpore Deus punivit, in anima tamen eos excæcando damnavit. Et inde quia nolunt credere, inexcusabiles sunt. Nam Deus et *mandavit nubibus desuper* existentibus, scilicet apostolis, qui sunt sublimiores aliis fidelibus, quibus ipsi credere deberent, mandavit, id est præcepit hoc mysterium panis, qui corpus suum efficitur, prædicare, et per nubes *aperuit* 304 *januas cœli*, id est apertas fecit scripturas prius occultas, quæ januæ sunt cœli, id est introitus occultorum Dei mysteriorum, quæ cœlum dicuntur, eo quod alta sunt ut cœlum, et a pluribus cælantur. Quod est dicere: Per prædicatores Scripturas apertas fecit, in quibus hujusce sacramenti mysterium et cætera mysteria continentur. Non solum autem *mandavit nubibus* hæc pluere, id est hæc in Ecclesia divulgare, sed et per nubes *pluit illis manna*, id est corpus suum *ad manducandum*, scilicet dedit per prædicatores illis hæreticis doctrinam corpus suum manducandi. Manna quidem derivatum est ab Hebraico, quod est manha: Judæi quippe mane in quo primum cecidit surgentes, et illud cadere videntes, admirantes dixerunt: *Manhu* (*Exod.* XVI, 15). Quod est dicere: *Quid est hoc*? Unde quidem congrue corpus Christi manna dicitur, Nam cum prius discipulis dixisset: «Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54), » quidam hæsitantes dixerunt: Quid est hoc? «Quomodo dare poterit nobis carnem suam ad manducandum? » (*Ibid.* 53.) Et non solummodo pluit doctrinam illum panem manducandi, sed et *panem cœli dedit eis* ad manducandum, se scilicet qui panis verus est, quo cœlestes spiritus assidue reficiuntur. Juxta quod idem in Evangelio (*Ibid.*, 41) testatur: « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. » Et hunc panem angelorum, scilicet quo angeli satiantur, manducat homo cujusque modi, et fidelis, scilicet et infidelis. Dico quod panem cœli dedit, et hoc non parce sed *cibaria* corporis sui et sanguinis *mittit eis in abundantia*, scilicet abundanter quandiu mundus durat. In alia translatione habetur *frumentationem misit eis*. Congrue nimirum corpus Dominicum frumentum dicitur, eo quod omni pabulo pretiosius existat, sicut frumentum omni messe pretiosius est. Si vero ad litteram legatur, bene manna dicitur frumentum eo quod ad modum frumenti dulce fuerit et saporum

Sequitur: *Transtulit*, quod sic ad litteram jungitur: Non solummodo filiis Jsrael manna dedit; sed cum ipsi murmurarent, quia carnem non haberent et in Ægyptum ad ollas carnium reverti cuperent, licet manna carnium et omnium ciborum quos optabant haberet saporem, *transtulit austrum de cœlo*, id est, abstulit austrum ventum illum de altiori aere, in quo flabat, qui cœlum dicitur, *et africum*, scilicet austrum, qui africus dicitur, eo quod ex Africa veniat, *induxit in* aerem proximum terræ. Quod est dicere: Quia dum in alto flaret, idoneus non erat ad deferendas coturnices, quæ in terra manent, et in aere proximo terræ volant. Africum de altiori aere sublatum prope terram flare fecit, ut impetu suo coturnices de terra illa in qua abundant, afferret. Vel si dicamus austrum et africum duos ventos esse, sic legetur: *Transtulit austrum de cœlo*, id est abstulit penitus austrum de aere, qui ad hoc officium inutilis erat: et *induxit africum* ventum illum, qui ad hoc erat idoneus. Et hoc fecit *in virtute*, id est in potestate *sua*. Omnipotens enim est. Hoc autem dicit ad exprobrationem eorum qui non eum omnipotentem esse judicant. In alia translatione habetur: *Transtulit eurum de cœlo*, qui ad negotium hoc ineptus erat, cæteraque hujus versus non mutantur; et per negotium africi *pluit super eos* carnes abundanter *sicut pulverem*, id est ad similitudinem pluviæ, super eos carnes fecit cadere large ut pulverem. Exponit autem quas carnes, cum subdit: et pro scilicet *volatilia pennata*, coturnices videlicet pluit super eos abundanter sicut arenam maris. Non dicit *pennata* quod volatile sit aliquod non pennatum, sed per hoc Dei potentiam commendat, cum *volatilia pennata* ita cadere faciebat, ac si pennis essent carentia Et ut majus esset Dei beneficium non oportuit illa volatilia cadentia quærere longe a castris

www.libtool.com.cn

Nam *ceciderunt in medio castrorum eorum, et circa tabernacula*, id est circa castra *eorum*, scilicet et in medio ceciderunt, et foris juxta castra. Hic tribus versibus ad litteram adaptatis, ad allegoriam fiat accessus. Dixi quod 305 Deus per prædicatores pluit doctrinam comedendi corpus suum. Et ut etiam eis alia præcepta plueret per eosdem, *transtulit de cœlo austrum*, id est abstulit de mysterio sublimis contemplationis prædicatores qui sunt ferventes igne charitatis et fidei : ad similitudinem austri, qui calidus est ventus, et a calida regione veniens. *Et induxit* in terram *africum*, illos eosdem, scilicet induxit in terrenos, ut eis prædicarent. Auster et africus eosdem notant, uterque namque a calida regione venit. Vel si dicamus : *Eurum transtulit de cœlo*, erit ac si diceret : Prædicatores qui sunt lucidi in sublimi Dei cognitione, qui designantur per eurum qui a lucida mundi plaga venit, ab oriente scilicet, abstulit de contemplationis studio ut prædicationi vacarent. Et eos existentes africum, id est in charitate fervidos allegavit in curam prædicationis. Et hoc fecit *in virtute sua*, id est in potentia sua. Et postquam induxit eos in curam prædicationis, per ipsos prædicatores, *pluit super eos*, id est hæreticos et fideles etiam carnes. Et ponit pluralem pro singulari, *carnes* videlicet pro carnem. Cum dicit *super eos*, innuit quod de sursum venit doctrina illa, ac si diceret : *Pluit super eos* carnem, id est doctrinam incarnationis Verbi Dei. Carnem dico existentem sicut pulverem, id est levem in omni virtute et opere bono, et immunem ab omni humore peccati, sicut pulvis est levis et sine humore, et non solum carnem pluit, sed et *volatilia pennata*, id est omnia præcepta salubria quæ sublimant fideles ad cœlestia, sicut pennæ volatilia. Et ipsa præcepta *ceciderunt*, id est desuper venerunt in *medio castrorum eorum*, id est in aperto, in medio, scilicet civitatum eorum quæ castra dicuntur, eo quod ad similitudinem castrorum transitoriæ sunt : et aliquando ceciderunt *circa tabernacula eorum*, id est circa domos in quibus breviter habitant, et ad horam ut in tabernaculis. Quod est dicere : Aliquando prædicaverunt præcepta salubria private in domibus ut auditores attraherent, aliquando cum idoneum esset prædicaverunt in manifesto in medio civitatum.

Sequitur ; Dico quod Deus *pluit* filiis Israel manna et volatilia, et ipsi *manducaverunt ea*, et non ad mediocritatem, sed *saturati sunt nimis*, id est comederunt ad ingluviem : et licet ad ingluviem comederent, tamen *desiderium eorum attulit eis*, et non in parte, sed adeo quod non sunt fraudati, id est diminuti a desiderio suo. Quod est dicere : Quidquid desiderabant eis contulit. Et quia escam a Deo cum tentatione petierant, et cum ingluvie comedebant, *adhuc erant in ore eorum escæ*, id est adhuc comedebant manna et volatilia, *et ira Dei venit super eos*, id est indilate vindicta Dei descendit, ut juste opprimeret eos. Exponit quomodo, cum subdit : Et ipsa ira *occidit pingues eorum*, id est superbos qui ex pinguedine prosperitatis arrogantes erant. *Et* A tot ex ipsis *occidit* quot *electos* ex *Israel* Moysen, scilicet et cæteros prælatos et sanctos impedivit quod non possent iter agere, disturbati eorum funere : vel *impedivit orationem electorum*, id est inefficacem fecit ad modum rei impeditæ, ut cum scilicet pro eis orarent. non impetrarent : et cum cæteri qui superstites fuerunt, castigati esse debuissent, ne peccarent in consideratione supradictorum mirabilium, et hujusce vindictæ, tamen *in omnibus his consideratis*, id est in considerando hæc omnia peccaverunt *adhuc, et non crediderunt* Deum futurum ultorem *in mirabilibus ejus*, id est in consideratione mirabilium ejus. Quod est dicere : Cum in consideratione supradictorum mirabilium credere debuissent, Deum ultorem futurum, tamen credere noluerunt ut cessarent. Et ideo *dies eorum in unitate* B existentium *defecerunt*. Quod est dicere : Via eorum defecit ut morerentur, quia vani erant. Vel sic : *Defecerunt* in morem aliquorum *in vanitate* natorum. Quod est dicere : Ita mortui sunt, ut in vanum et sine qualibet utilitate viderentur esse nati, et non tarde defecerunt 306, sed *anni eorum* defecerunt *cum festinatione*, id est indilate, dies et anni, idem hic sunt. *Cum* autem Deus *occideret eos*, illi qui superstites erant, timore coacti, *quærebant eum* precibus, *et revertebantur* pœnitendo de peccatis, *et veniebant ad eum* promissione obedientiæ. Et hoc *diluculo*, id est studiose, a similitudine clientium, qui circa negotium Domini studiosi diluculo surgunt. Et tunc *rememorati sunt*, quod obliti erant in prosperitate, scilicet *quod Deus adjutor est eorum*, con- C tra instantia pericula, *et Deus excelsus*, id est omnipotens *redemptor eorum est*, qui eos scilicet de manu Pharaonis et de mari Rubro redemit. *Et* tunc *dilexerunt eum in ore suo*, id est more simulatoris. Quod est dicere : Pratulerunt verba simulatoria, quæ ad dilectionem pertinere videbantur. *Et* ore diligendo, *mentiti sunt ei* in *lingua sua*, id est simulatoria, promittendo se eum diligere. Hoc autem exponit quomodo *mentiti sunt*, cum addit : Dico quod *in ore dilexerunt ; Cor autem eorum non erat rectum* : scilicet non erat cum eo Deo concors, ut illud vellet quod Deus. Rectum autem esset, si cum eo esset. *Nec fideles habiti sunt* bene operando, *in te-* D *stamento ejus*, id est in promissione quam ei fecerunt. Quod est dicere : Bene operati non sunt, ut in promissione sua fideles essent. *Ipse autem Deus* cum juste posset de eis ulcisci, *misericors est* in sui natura. *Et propitius fiet peccatis eorum*, quantum ad reliquias eorum in fine mundi, scilicet *propitius fiet* in fine mundi peccatis nasciturorum adhuc, *et non disperdet eos*, id est non destruet posteros, sicut disperdidit patres incredulos. Hic per lyptoten intelligitur, *quod salvabit eos*, et quoniam si omnes patres interfecisset, filii non nascerentur quibus propitiaretur. Adeo *abundavit misericordia, ut averteret iram*, id est vindictam suam a patribus, et non sic averteret quod nullum interficeret, sed ita quod *non accendit omnem iram suam*, ut omnes perderet.

www.libtool.com.cn

Ac si dicat: Partem occidit, partem autem ad creandum filios quibus misereretur in futuro dimisit, et ut misericordia abundaret, *recordatus est quod caro sunt*, id est carnalis materiei sunt et fragilis, et pronæ ad peccandum: et ideo fragiles quod *spiritus*, id est ratio eorum est *vadens*, id est a Deo recedens per peccatum, *et non rediens* per se. Quod est dicere: *Recordatus est* quod ratio eorum potest a Deo per se recedere, sed minime, nisi Dei gratia reducente, redire. Non dicit *recordatus*, quod unquam fuisset oblitus, sed quoniam occidendo eos in parte videbatur oblitus.

Horum duodecim versuum littera pertractata, allegoria attingatur. Dico quod *panem angelorum manducat homo* quisque, et fidelis et infidelis. Et manducant, inquam, fideles et infideles, et saturantur fideles ex eo, infideles vero minime, scilicet replentur per illum panem angelorum re sacramenti, scilicet unione Ecclesiæ et perfectione virtutum: et quia hic re sacramenti satiantur, afferet eis desiderium eorum, scilicet vitam æternam in futuro, quam per sacramentum adipisci desiderant: et non parce afferet desiderium eorum, sed adeo plene, quod non fraudabuntur, id est non diminuentur *a desiderio suo*, sed plenius obtinebunt quam desiderent. Dico quod manducantibus qui saturantur afferet desiderium eorum. Hos autem qui saturari nolunt punit hic indilate. Nam cum *adhuc escæ* sint *in ore ipsorum, ascendit ira Dei super eos*. Quod est dicere: In ipsa etiam comestione, multiplicatur ira Dei in oppressione eorum ipsos interius excæcando, quia irreverenter comedunt et indigne. Non solum autem *ira Dei ascendit super eos*, puniendo interius, sed et corporaliter *occidit pingues eorum* superbos, scilicet qui superbe et sine reverentia ad hujus sacramenti comestionem accedunt. Unde dicit Apostolus: «Ideo multi inter vos infirmi et imbecilles, et dormiunt multi (*I Cor.* II, 3)» dormitione mortis. Et pro corum occisione impedit *electos* Israel, scilicet Ecclesiæ prælatos, facit impeditos 307 compassione illorum quos occidit, cum nequeant eis orationibus subvenire. Vel sic: Non solum subditos si pingues sint punit, sed et electos Ecclesiæ si pinguescant impedit, vel morte corporea vel diminutione virtutum, cum eos ideo exercet. Hoc autem ponit ad correctionem et subditorum et prælatorum. Cum autem illi qui non occiduntur castigari deberent, consideratione vindictæ talibus malis exhibitæ et respectu mirabilium quæ Deus in eis operatus est, ut superius ostendimus, tamen adhuc peccant in omnibus his consideratis, id est cum hæc omnia considerent, et non credunt Deum ultorem futurum, *in mirabilibus ejus* consideratis, scilicet cum talia, ut ostendimus, sciant eum mirabilia operatum fuisse, non tamen firmiter credere videntur eum potentem ad ulciscendum esse.

Et ideo sicut cæteri dies cæterorum de quibus hic proxime egimus *defecerunt*, *dies* quoque *eorum* superstitum *in vanitate* existentium deficiunt, id est mortuntur, quia vani sunt. Vel sic: Deficiunt *dies eorum* ut *in vanitate* nati esse videantur, et sine utilitate, cum sic moriantur, et non defecit eorum vita tarde, sed *anni eorum*, id est vita eorum deficit cum festinatione, id est cito moriuntur. Et cum Deus occidit eos, superstites quærunt eum orando ut parcat, et revertuntur ad eum, promittentes obedientiam si pepercerit: et diluculo, id est studiose veniunt ad eum per pœnitentiam: et quod per superbiam obliti erant rememorantur. Scilicet rememorantur, *quia Deus adjutor est eorum ad* bene cooperandum, *et Deus excelsus Redemptor eorum est* per mortem crucis, et tunc diligunt *eum in ore suo*, id est in ore fallaci: scilicet dicunt se diligere Deum, *et lingua sua mentiti sunt ei*, id est mentiuntur ei lingua fallaci, quæ eorum est non Dei. *Cor autem eorum non* est *rectum*, id est iniquum est, scilicet non est cum eo Deo in bona voluntate particeps. Nec habentur *fideles*, id est veraces *in testamento ejus*, scilicet non operantur bene, ut fideles sint in promissione quam ipsi baptismo fecerunt, sub patrinorum testimonio. Dico quod ipsi sunt infideles: *Ipse autem* Deus cum pro eorum falsitate juste posset eos omnes perdere, *misericors est* naturaliter ut non irascatur, *et propitius fiet peccatis eorum*, in futuro ea indulgendo, *et non disperdet eas* in futuro, ceu promerentur; sed clementer eos salvabit, et ne in futuro eos æterna perdat morte, abundat hic misericordia, ut avertat hic *iram*. id est vindictam suam, ne eos corporaliter interficiat, sed eis parcendo locum pœnitentiæ tribuat. Ne vero sic videretur iram avertere, ut nec flagellis transitoriis eos afficeret, determinat hoc cum addit: Et sic dico avertet *iram*, ut *non* accendat *omnem iram suam*, id est non ostendat omnem vindictam quam jure posset ostendere. Ac si dicat: In parte se de eis vindicat, castigando eos flagellis transitoriis pietate paterna; in parte vero parcens est, ne interficiat. Et ut erga eos abundet misericordia, recordatur *quia caro sunt*, id est carnales et fragiles, et quia *spiritus*, id est ratio eorum est per se *vadens*, id est a Deo recedens peccando, *et non rediens* per se pœnitendo, nisi hoc ipsum Dei gratia conferat ut pœniteat. Et quoniam sic eos considerat esse fragiles, avertit ab eis iram et clementer parcit. Non dicit recordatur ideo quod unquam Deus obliviscatur, sed cum quosdam vindicando interficit videtur oblivisci; cum vero aliis parcit, videtur recordari. Per hoc autem quod dicit, Domini iram avertere, et recordari fragilitatis humanæ, Dei misericordiam commendat, et auditores humiliat, cum eos adeo esse fragiles ostendat.

Sequitur: *Quoties*, etc., usque ad *Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum*. Quod sic ad litteram adaptatur; Dixi quod peccaverunt tentando Deum in cordibus filii Israel 308 *ut peterent escas animabus suis*; et Deus attulit eis desiderium suum, et vindicavit se postea de eis: et ipsi timore conversi, iterum peccaverunt, et ipse iterum misertus est. Et ipsi tamen se non castigaverunt, ut postea

www.libtool.com.cn

cessarent. Sed *quoties* peccando *exacerbaverunt eum in deserto*, scilicet in deserto post mare Rubrum multoties peccando, Deum qui naturaliter dulcis est, sibi acerbum fecerunt; et non parum *exacerbaverunt*, sed adeo quod *in iram*, id est in vindictam *concitaverunt* eum, quod quasi quadam vi coegerunt *in inaquoso* peccantes, id est *in deserto*, ubi multum esset locus timoris, cum ibi eos manna pasceret, et aqua de petra vi potentiæ ejus elicita potaret. Et hoc modo eum in iram concitaverunt, quia *aversi sunt* de Deo ad peccatum, *et tentaverunt Deum*, id est diffiderunt de potentia ejus, hæsitantes an posset eos liberare de manu imminentium inimicorum Madianitarum, scilicet et cæterorum, *et sanctum* Deum *Israel*, id est Judaici populi *exacerbaverunt*, male operando, vitulum conflatilem faciendo, et ei caput inclinando, et cætera opera mala agendo. Quod quidem minime deceret, ut eum operibus malis exacerbarent, qui sanctus est, et obedientes sibi sanctificare potest. Cum autem non debuissent Deum tentare, hæsitando de potentia ejus, et recordando qualiter eos redemit de manu tribulantis eos Pharaonis, et quas plagas dedit in Ægypto pro eis.

Non sunt recordati manus, id est potentiæ et auxilii *ejus*, manus dico in eis exhibitæ in *die qua redemit eos de manu tribulantis*, id est de potestale Pharaonis, qui eos diversis tribulationis affligebat et *non sunt recordati* signorum quæ posuit in Ægypto, *sicut posuit in Ægypto signa sua*. Ac si diceret: Sciebant quidem Deum signa illa fecisse, sed non sic certe recordabantur, ut ipse gloriose posuit; scilicet non sic recordabantur, ut eorum contuitu de potentia ejus ulterius non diffiderent. Dico quod *signa sua in Ægypto posuit*, *et* non parva signa, sed *prodigia*, id est magna mirabilia *sua*, id est sibi congrua cum ipse magnus esset et potens posuit *in campo Thaneos* [*Taphneos*] in Ægypto, scilicet a parte quidem totum designat. Cæterum Taphnis vel Taphnæ, ut jam diximus, civitas est ubi pro eis multa prodigia operatus est (*Ezech.* xxx, 18). Et ecce prodigia scilicet et flumina currentia eorum Ægyptiorum, *et imbres*, id est aquas de cisternis, quas de pluviis collegerant ad usum bibendi propter inopiam fontium, *convertit in sanguinem*, id est fecit sanguineas, *ne biberent* eas ad refectionem. Ubi habemus imbres, beatus Ambrosius ponit pluviales aquas, et post hoc prodigium, *misit in eos cœnomiyam*, id est misit contra eos, ut eos affligeret, maximam multitudinem muscarum, *et comedit eos*, id est frequenter momordit. In Hebræo habetur *omne genus muscarum*; sed cum ponit cœnomyiam, a parte totum denotat, et post hanc plagam *misit in eos*, scilicet, Ægyptos, *ranam*, id est ranarum copiam, *et disperdidit eos*, id est dispersos fecit. Non enim cohabitare poterant propter nimiam ranarum affluentiam, quæ eos sordidabat. Et post hac *dedit fructus eorum ærugini* ad consumendum, Æruginem quidem vult beatus Hieronymus esse quoddam genus vermium, quod latenter per arborum serpens, fructus cum foliis omnino consumit, quos vulgo *canillas* dicimus. Cæterum Augustinus dicit æruginem necentem nebulam esse, quæ fructus perdit. Volunt quidam æruginem esse brucum, et post hæc *dedit labores eorum locustæ*, scilicet messes quas laborando paraverant, dedit locustarum multitudini ad devorandum, *et occidit vineas eorum in grandine*, id est destruxit fructum vinearum in percussione grandinis, *et moros eorum in pruina*. Per moros quidem omnes alias arbores designat. Quod est dicere: Fructum mororum et cæterarum arborum perdidit, 309 per nimiam pluviam, et post *tradidit jumenta eorum grandini*, ad percutiendum, *et possessionem eorum*, id est domos et cætera eorum igni ad comburendum. Hanc quidem plagam de igne, Moyses in Exodo cum cæteris plagis non posuit. Sed cum multa alia prætermisisse eum palam sit, creditur et hanc prætermisisse, quam propheta non minoris auctoritatis existens quam Moyses, apposuit, Spiritu sancto revelante.

Et ut universaliter dicam: *Misit in eos iram*, id est maximam vindictam *indignationis suæ*, id est, parvæ vindictæ suæ subsecutivam. Et ne videretur hoc esse dictum intransive, scilicet ut idem esset ira indignatio, exponit cum adjungit, *indignationem* scilicet *misit in eos*, id est parvam vindictam, destruendo minores res eorum, et post, *iram*, id est majorem vindictam destruendo chariores res ipsorum, et post tribulationem, id est, multo majorem vindictam occidendo ipsorum partem, et omnem hanc *immissionem*, indignationis, iræ, et tribulationis *operatus est per angelos malos*, id est per officium diabolorum. Hæc aut de malis angelis ponit, ut Ægyptiorum miseriam augmentet, cum ab eisdem dicat eos afflictos, quorum obeditores erant, et per hoc quoque auditores a subjectione revocat diabolorum. Ostendit quoque ordinem vindictæ suæ sic: Dico quod hanc immissionem fecit *per angelos malos*, per quorum, scilicet officium *fecit viam*, id est amplitudinem *iræ suæ* semitæ prius existenti. Ac si dicat: Cum prius vindicta sua stricta esset ad modum semitæ, fecit eam amplam ad modum viæ. Per hoc quidem ostendit quod prius parva fuit ira, postea vero magna, et per hoc nos instruit ne parvam ejus vindictam negligamus, ne forte majorem incurramus. Ostendit ergo per partes majorem vindictam, cum ponit sic: Scilicet *non pepercit esi a morte animarum* eos auferendo. Quod est dicere: Interfecit eos interius in animabus, excæcando eos et indurando, ne filios Israel vellent dimittere. Unde legitur: « Induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum Domini (*Exod.* VII, 9). » Et quia in animabus interfecti populum nolebant dimittere, *jumenta eorum in morte conclusit*, id est in morte finivit verberatione grandinis. Hoc autem et si superius dictum sit, ubi *posuit*, *tradidit grandini jumenta*, tamen hic aliud ponit, nec tamen superius plane intelligi potuit, quod jumenta interfecisset

www.libtool.com.cn

quod hic quidem plane ponit. Ostendit autem malorum vindictam per partes, cum adjungit: *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti*, scilicet nocte illa in qua filios Israel eduxit de terra Ægypti: occidit omnia majora natu, tam de hominibus quam de bestiis. Et prius percussit *in tabernaculis Cham*, id est in Ægypto ubi manserunt in tabernaculis filii Cham, *primitias omnis laboris eorum*, id est omnes primas et præcipuas fruges quas cum labore paraverant: vel *primitias laboris*, id est messes quæ magis paratæ erant ad maturandum, unde magis afflicti fuerunt, quam si viliores aut tardiores percuterentur.

Dico quod Ægyptios tot et tot modis afflixit, *et populum suum* filios Israel videlicet *abstulit* a potestate Ægyptiorum, *sicut oves*, id est utpote oves suas scilicet quibus curam insumebat, sicut pastor curam ovium habet: et eos filios Israel in deserto existentes, quod est inter mare Rubrum et Ægyptum, *per desertum* illud *duxit*, *tanquam*, id est utpote *gregem* suum. Repetit autem quod dixit, perduxit, ut addat: *Et deduxit eos*, inquam, per desertum: et hoc *in spe* evadendi et ita quod *non timuerunt* inimicos: *Et inimicos eorum* Ægyptios *operuit mare* et interfecit; et eos filios Israel de mari liberatos *induxit in monte sanctificationis suæ*, id est Hierusalem que in monte sita est: quam ipse sanctificavit: *montem*, inquam, *quem acquisivit dextera*, id est potentia *ejus* ad opus filiorum Israel. Et quia ipsi aliter in monte illo non possent libere habitare, *ejecit a facie*, id est a præsentia, et per instantiam *eorum* expulit *gentes*, quæ in monte illo habitabant, Jebuseos, scilicet et cæteros, *et*, gentibus ejectis, *divisit eis* filiis Israel 310 *terram promissionis* sorte per tribus, et *in funiculo distributionis* per familias. Dico quod gentes ejecit, *et in tabernaculis eorum*, id est in dominibus ipsarum gentium, *fecit inhabitare*, id est diu manere tribus Israel.

Et horum itaque versuum septemdecim serie ad litteram exposita, allegoria ostendatur. Dico quod Deus ab infidelibus et ab hæreticis *avertit iram*, *suam*, recordando quod *caro sunt* et *spiritus vadens et non rediens*. Et tamen cum cesssare deberent, contuitu misericordiæ Dei, quoties exacerbant eum *in deserto*, id est in ariditate cordis, scilicet quia deserti more steriles se faciunt a bono, et aridos a gratia spirituali. Et non parum exacerbant, sed adeo quod *in iram* concitant *eum*, id est in vindictam cogunt eum contra seipsos *in inaquoso*, id est in ariditate cordis. Desertum et inaquosum idem sunt, et vere concitant eum in iram per ariditatem suam. Nam et conversi sunt a bono ad malum *et tentaverunt*, id est tentant Deum diversis hæresibus, hæsitando de eo, et exacerbant male operando *Sanctum Israel*, Deum scilicet qui Sanctus sanctorum est, et qui sanctificat omnes qui non negligunt esse Israel. Et cum deberent recordari auxilii quod eis impendit in baptismo, et per hoc a malo cessare, non recordantur, sic ut cessent manus, id est auxilia ejus, manus dico ejus auxilia in die qua redemit eos in baptismate, de manu tribulantis, id est de potestate diaboli, qui eos trubulabat ducendo per illicita. Et non recordantur eum posuisse *signa in Ægypto*, sic ut *posuit signa sua*, id est mirabilia in humano genere: quod erat Ægyptus, id est afflictum per originale peccatum. Ac si dicat: Non nego quidem quin aliquo modo recordentur; sed non recordantur sic ad plenum et gloriose. Dico quod *signa sua posuit*, et non parva signa, sed *prodigia*, id est maxima et mirabilia signa. Et hæc *signa posuit in campo Thaneos*, id est per planam et humilem doctrinam apostolorum. Magnum enim fuit et prodigiosum, quod per apostolorum doctrinam quosdam ex massa perditorum elegit, et cætera plurima prodigia fecit. Quod si bene ad memoriam reducerent, non Deum qui clementer eos elegit exacerbarent. Et ut peccando ad Ægyptum reverti metuerent; non recordantur quam vindictam Deus accipiat de his qui in Ægypto remanent, scilicet quid *et convertit flumina* quorumdam eorum, id est scripta philosophorum, quæ dicuntur flumina, eo quod ad modum fluminum fluant in posteros, *in sanguinem*, id est in mortem, *et imbres*, id est verba ea, quæ dicuntur imbres, eo quod cito transeunt ad similitudinem imbrium, qui cadentes cito absorbentur et deficiunt, *in sanguinem*, id est in mortem, ne bibant ipsa flumina et imbres, id est ne reficiantur eis ad utilitatem, ut quilibet potu reficitur ad utilitatem. Per sanguinem mors accipitur, eo quod sæpius in morte sanguis effunditur. Quasi dicat: Philosophi adhuc existentes in Ægypto, de diversis erroribus suis, scripta et verba faciunt, quæ sibi ad salutis refectionem esse credunt, per quæ cæteros interficiunt; sed Deus convertit eis in mortem ipsa scripta, et verba eorum, scilicet ut non bibant ea. Non dico quidem quod non bibant ad mortem; sed non bibant, id est non sint eis refectio salutaris, quod opinantur, sicut potus refectio salutaris est bibenti.

Et in quosdam qui sunt in Ægypto, mittit Deus cœnomyiam et comedit eos, scilicet subtrahendo auxilium gratiæ suæ, permittit eis dominari omne genus terrenorum desideriorum; quæ eos interius mordent multis sollicitudinibus, sicut cœnomyia mordet exterius. Unde quia mordent, congruee pr cœnomyiam accipiuntur. Et in quosdam, scilicet in poetas et sophistas, permittit venire *ranam* quæ disperdet eos scilicet inutilem garrulitatem, quæ per ranam recte designatur, quæ garrula est; *quæ* garrulitas *disperdit eos*, id est dispersos facit et diversos, scilicet ut poetæ quidem in fabulis, sophistæ vero in argumentationibus sint valde contrarii. Et si fructus aliqui bonorum operum sunt in quibusdam manentibus in Ægypto, cum sine bonis 311 operibus difficillime vita cujuslibet pessimi inveniatur, *fructus* illos dat Deus *ærugini*, id est consumi, et ad interitum duci permittit ab ærugine, scilicet ut quia ærugo eis dominatur, omne bonum opus in eis annihiletur. Si secundum Hieronymum

æruginem pro canillis accipiamus: per æruginem quæ latenter serpens paulatim, comedendo fructus omnino consumit, luxuria intelligitur, quæ quasi furtim subintrans, et paulatim miserum corpus occupans, si quod bonum opus in eo sit, illud ex toto destruit. Sine castitate enim, nemo Deo placebit. Sive si æruginem brucos dicamus, intelligimus eodem modo luxuriam, eo quod brucus fructus consumat. Si vero, juxta Augustinum, ærugo nocens nebula et occulta dicatur, quæ fructus occat et absumit, per æruginem superba in mente gloriatio de bonitate accipitur, quæ virtutes et bonum opus omne suffocat. *Et labores eorum dedit locustæ*, id est bona opera quorundam in Ægypto infidelitatis existentium; in quibus laboraverunt permittit ad nihilum redigi, per temeritatem eis dominantem quæ per locustas intelligitur, eo quod temere incedunt, non habentes ducem ut examen apum. Et percussit *in grandine vineas eorum*, intransitive dictum est. Ac si ponat: Quosdam in Ægypto manentes, qui vineæ esse deberent, fructiferi scilicet in operibus bonis, sicut vineæ, in uvis permittit percuti a grandine, et eorum fructus destrui, videlicet a desperatione æternorum bonorum, quæ per grandinem convenienter accipitur. Grando nimirum est aqua quæ in nubibus cœli congelatur. Unde sane desperatio dicitur grando. Nihil enim aliud est desperatio quam bonorum cœlestium spei congelatio. Qui ver desperat, inutiliter aliquid boni operatur. *Et moros eorum* permittit percuti *in pruina*, id est quosdam qui fructiferi esse deberent in bonis operibus, ad similitudinem mororum quæ fructiferæ sunt permittit uri, et eorum bona opera consumi, si qua sunt ab odio contra proximum, quod aufert charitatis ardorem, sicut pruina mane quam vulgo *frimam* dicimus, aufert solis fervorem. Ideoque odium recte pruina dicitur. Unde Joannes dicit: « Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scimus quoniam omnis homicida non habet vitam in se manentem (*I Joan.* III, 25.) »

Et tradidit jumenta eorum grandini, id est destructioni, quæ per grandinem accipitur, eo quod grando messes et fructus quassando destruit. Et hoc est intransitive positum, ac si diceret: Quosdam de his qui in Ægypto sunt, ex toto destruit, qui irrationabiliter se habent, et nimis voluptuose, ut jumenta. *Et possessionem* quorundam, *eorum*, scilicet opera bona quæ ipsi possident, *tradit igni* ad destruendum, id est permittit annihilari per nimium iræ fervorem, quæ eis assidue dominatur. Dico quod de quibusdam hanc vindictam accipit, ut eis ira dominetur, et in quosdam emittit æruginem, et cæteros aliis modis, ut ostendimus, punit. Et ut universaliter dicam; In eos omnes qui Ægyptum relinquere nolunt, *mittit* Deus *iram*. id est magnam vindictam *indignationis suæ*, parvæ vindictæ suæ subsecutivam. Hoc autem ne videatur intransitive dictum, exponit cum addit, scilicet *indignationem mittit in eos*, id est parvam vindictam, *et iram*, id est majorem, *et tribulationem*, id est multo majorem, *et immissionem* hanc vindictæ *per angelos malos*, id est per officium diabolorum operatur. Exponit autem per similitudinem ordinem vindictæ, cum adjungit: Per quorum angelorum officium, *viam*, id est amplitudinem *fecit semitæ iræ suæ*, id est parvitati vindictæ suæ. Quod est dicere: Cum prius vindicta ad modum semitæ parva sit et stricta, ipsa per angelorum malorum officium magnam et amplam eam facit. Et ostendit quomodo prius semita sit, cum addit: Vere prius semita est; nam prius *non parcit* eis, *a morte animarum earum*, liberando eos. Hic per lyptoten intelligitur quod prius interficit eos interius in animabus excæcando. Ostendit 312 etiam quomodo vindictam amplam faciat ut viam, cum addit: *Et* postquam in animabus interfecti sunt, *concludit*, id est finit *in morte* corporali *jumenta* eorum, id est ipsos Ægyptios jumenta existentes irrationabiles scilicet ut jumenta. Vel sic: Dico quod *viam fecit semitæ iræ suæ*, et hoc modo quidem facit iram amplam ut viam, quæ prius stricta est ut semita. Nam non parcit eis, ut a morte animarum eos liberet, sed interficit eos in anima excæcando, et finit *in morte*, id est interficit *jumenta eorum*, scilicet mansuetudinem et cæteras virtutes, si quæ in eis sunt, per superabundantiam vitiorum: quæ virtutes per jumenta designantur, eo quod mansueta animalia sunt, et quæ sustentacula sunt hominum, ut jumenta. Et non solum modo ignobiles interficit, sed et *percutit* morte *omne primogenitum in terra Ægypti*, id est omnes illos qui sunt digniores et præcipui in terrena Ægypto. Primogenitum pro digniori ponit, eo quod primogenita esse soleant digniora.

Et antea quam digniores morte corporis percutiat, ne aliquid boni sit in eis, quod salutis esse causa possit, destruit *primitias omnis laboris eorum*, id est permittit annihilari per superabundantiam malorum, omnia præcipua et bona opera in quibus laboraverunt, *in tabernaculis Cham*, id est in primogenitis *in terra Ægypti* qui sunt tabernacula Cham, id est habitacula callidi hostis diaboli, qui emphatice Cham dicitur, id est calliditas. *Et* ab omnibus his vindictis, *aufert Deus populum suum* qui reliquit Ægyptum, *sicut oves* suas, id est utpote illos de quibus habet curam sicut pastor de ovibus Et quosdam de populo suo, quilicet egressi de Ægypto infidelitatis, nondum tamen pervenerunt ad mare Rubrum, id est ad gratiam baptismi, sed adhuc sunt in deserto quod est inter Ægyptum et mare Rubrum, id est cum tantummodo, ut catechumeni notitiam habeant fidei, et adhuc sint in sterilitate bonorum operum, quorum nullus potest aliquid nisi post baptismum adipisci, ducit per desertum ad mare Rubrum, ne redeant ad Egyptum, *tanquam gregem* suum, id est utpote illos qui jam grex ejus per fidem existunt. Et adducit eos de deserto sterilitatis ad baptismum, *in spe* salvationis positos. Et postea non timent Pharaonem, id est diabolum, et inimicos eorum, id est peccatum originale, et actualia quæ egerunt, operit *mare*.

www.libtool.com.cn

id est destruit baptismum. *Et* post baptismum *inducit eos in montem sanctificationis suæ*, id est in Ecclesiam, ut sint ejus filii, quam ipse sanctificando excelsam in virtutibus fecit ad modum montis. *Montem*, inquam *quem acquisivit* morte sua, *dextera ejus*, id est Filius ejus. Per hoc autem nos obnoxios Deo reddit, quandoquidem morte sua nos acquisivit. Vel *quem acquisivit dextera*, id est potentia dexteræ ejus. Et ut secure in monte habitent, et sine perturbatione, *ejecit a facie eorum gentes*, id est propellit vitia ab eorum præsentia, ne possint eis dominari : quæ dicuntur gentes propterea, quia maxima est eorum multitudo; gentem quippe dicimus, maximam hominum multitudinem. *Et dividit eis terram promissionis*, scilicet dona Spiritus sancti, et hoc *sorte*, id est gratis. Sorte sane pro gratis ponitur, eo quod illud quod datur sorte, datur gratis. Dona nimirum sancti Spiritus per terram promissionis designantur, eo quod gratis a Deo donentur, sicut terra promissionis gratis filiis Israel data est. Dico quod dividit eis gratis dona Spiritus sancti, et hoc inæqualiter, sed *in funiculo*, id est in mensura *distributionis*, ut uni quidem magis, alii vero minus, prout vult, distribuat. Unde Apostolus dicit : « Unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV, 7). » Funiculus quidem pro mensura ponitur, eo quos funiculo terra soleat mensurari.

Et ejectis vitiis *facit habitare*, id est damnari *in tabernaculis*, id est in habitaculis eorum vitiorum, *tribus Israel*, id est congregationis fidelium qui sunt videntes Deum in contemplatione, quod est dicere : Facit ipsos factos Israel esse inhabitatores, id est dominatores, id est rectores 313 sui ipsius, qui prius erant habitacula vitiorum, id est sub jugo vitiorum. Sequitur. *Et tentaverunt*, et cætera usque ad finem psalmi. Quod sic ad litteram jungitur : Ostendi quod Deus filios Israel *deduxit* per desertum, et *induxit in montem sanctificationis*, et cætera multa beneficia contulit. *Et* ipsi tamen adhuc *tentaverunt*, hæsitando an posset eos ab inimicis qui in circuitu erant circumquaque liberare, *et exacerbaverunt Deum excelsum* contra seipsos. Et hoc modo quidem *exacerbaverunt* : *Et*, id est scilicet *non custodierunt testimonia*, id est præcepta *ejus*, quæ sub testimonio Moysi eis dederat. Et contemnendo ejus præcepta, *averterunt se* a Deo, Et *non servaverunt pactum*, quod cum eo pepigerant, cum promiserunt, quod omni tempore ipsi obedirent, si gentes a facie eorum ejiceret : *Et quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum*, id est ad similitudinem infidelium patrum suorum, qui Deum offenderunt assidue, postquam eis beneficia multa contulerat, *conversi sunt* in similitudine pravi, id est inertis arcus, Nam sicut arcus pravus cum prius intenditur, aliquantulum ejicit; postea vera paulatim remittendo, ex toto deficit ; sic et ipsi prius in præceptis Dei valde promissionibus imensi, et aliquantulum operati, paulatim remittendo ex toto defecerunt. Quod dicit : *non custodierunt testimonia ejus; et averterunt se*, idem est ; sed ad cumulum miseriæ eorum inculcat. Sed cum dicit : *Non servaverunt pactum*, ostendit eos hoc promisisse ; et in hoc gravius notat quam si non promisissent. Et cum dicit conversos esse *in arcum pravum*, ad similitudinem patrum innuit eos incepisse, et ad similitudinem patrum defecisse. Quod gravius est quam non incipere. Et *concitaverunt eum in iram*, id est coegerunt ad vindictam *in collibus* sacrificando ritu gentium ; collibus dico *suis*, id est a se inventis, non a Deo præceptis. Præceptum enim erat in lege, ne quis *in collibus* propter locorum immunditiam Deo sacrificaret : sed solum in templo, aut in tabernaculo, aut in loco aliquo ad hoc opus consecrato. Ipsi vero *in collibus* ritu gentium immolabant, et quod pejus erat, non Deo, sed *sculptilibus suis*, id est idolis a se factis. Et *in sculptilibus suis*, id est in sacrificiis idolorum suorum *provocaverant*, id est vi coegerunt eum *ad æmulationem*, id est ad nimiam iram.

Audivit enim *Deus*, id est animadvertit Deus eos *sculptilibus* sacrificasse : quod ipsi non putabant. *Et* ideo *sprevit* eos, *et redigit Israel valde ad nihilum*, id est filios Israel permisit redigi ad nimiam destructionem, per instantiam Philistæorum, et cæterorum circunstantium inimicorum, Et hoc modo quidem permisit eos redigi ad nihilum, quia *repulit tabernaculum Silo*, id est contempsit tabernaculum, inquam, *suum*, quod erat in Silo civitate ; in quo tabernaculo arca erat, et ubi sibi a populo sacrificabatur : *tabernaculum*, inquam, *suum*, id est sibi consecratum, non idolis, ubi ipse habitavit, Et ne videretur in tabernaculo localiter habitasse, determinat cum addit : *In hominibus*, scilicet habitavit in tabernaculo in sacrificantibus ibi Judæis non localiter, sed secundum inhabitantem gratiam inhabitavit, quandiu homines fuerunt, rationabiliter se habentes ut homines ; ac si dicat : Quia se inhoneste habuerunt, et eos et eorum sacrificia sprevit, et etiam tabernaculum in quo sacrificabant licet sibi dedicatum esset. Per hoc autem quod pro eis tabernaculum sprevisse dicit, eos valde odibiles fuisse innuit. Et illis spretis, *tradidit in captivitatem virtutem eorum*, id est arcam quæ in tabernaculo erat, cujus præsidio in bellis fortes erant, ideoque virtus eorum dicebatur, capi permisit ab Allophylisin maxima *Silo* civitate in qua erat eam capientibus (*I Reg.* IV, 11), ne arca postea Judæis esset causa virtutis. *Et pulchritudinem eorum* tradidit *in manus inimici*, Philisthiim scilicet. *Pulchritudinem* arcam dicit, quam et *virtutem* vocavit : sed aliud denotat, scilicet eam fuisse causam, 314 quare pulchri interius in virtutibus adeo fierent, cum ei cultum ad honorem persolverent. Ne igitur ejus causa pulchri ulterius essent eam per Philistæorum instantiam eis abstulit. Et ablata arca, *conclusit populum* Judaicum prius *suum in gladio*, id est permisit finiri morte in percussione gladii Philisthæorum

www.libtool.com.cn

(*I Reg.* IV, 10). Dico populum, *et* ut vehementius dicam, *hæreditatem suam*, id est illos quos prius excoluerat ut hæreditatem *sprevit*, et occidi permisit. In hoc autem gravius eos notat, cum prius dicat charissimos fuisse, postea vero malo merito suo villissimos exsitisse. Et ostendit a partibus quomodo populum occidi permisit, cum addit : Vere *sprevit*. Nam *juvenes eorum* filiorum Israel, qui fortiores erant ad prœliandum ignis, *comedit*, id est comedi permisit id est fervor iræ Dei. Quod est dicere : Quoniam eis erat nimis iratus, *eorum juvenes* ab inimicis permisit occidi. *Et virgines eorum* partim occisæ, partim vero stuprum passæ, *non sunt ab* aliis *lamentatæ* : ac si dicat : Tanta ergo fuit persecutio, quod non fuit otium flendi virginum mortem et raptum. *Sacerdotes eorum ceciderunt*, id est mortui sunt, *in gladio*, id est in persecutione gladii, et non sunt lamentati, Ophni videlicet et Phinees filii Heli sacerdotis (*I Reg.* IV, 11), eo quod per ingluviem meliora sacrificii frusta subripuissent. *Et viduæ eorum* partim occisæ, partim incestum passæ *non plorabantur*.

Et post tantam persecutionem tandem *excitatus est*, id est *excitatus* visus est *Dominus*, miserendo eis, prius existens, *tanquam dormiens*, id est similis dormienti, dum eos affligi permitteret. *Et* non similis leniter dormienti, sed *tanquam potens crapulatus a vino*, id est similis cuilibet potenti, qui *a vino crapulatus*, et nimio somno oppressus, non providet domui, etsi fiat in ea tumultuosus hostium assultus. Et excitatus *percussit inimicos suos* Philisthæos, qui non ad ejus vindictam, sed potius ad contumeliam filios Israel persecuti fuerant, *in posteriora*, id est in podicibus eos morbo gravissimo percussit, ut putrescere faceret. Et per hanc percussionem, dedit eis sempiternum opprobrium. Hæc enim percussio eis a Judæis frequenter ad maximum opprobrium improperata est. Et postquam adepta misericordia, filii Israel regem sibi dari a Deo poposcerunt, ex aliqua duodecim tribuum, *repulit Dominus tabernaculum Joseph*, id est maximam multitudinem tribus Joseph, quæ potior videbatur, contempsit, ne de ea regem eligeret. Tabernaculum pro multitudine ponit, eo quod ibi exercitus multitudo soleat demorari. Ostendit ergo a digniori parte, Deum tribum Joseph contempsisse. Vere tribum *Joseph repulit*, ne de ea regem eligeret. Nam *et*, id est etiam *tribum Ephraim* filii Joseph *non eligit*, ut de ea regem acciperet, quæ dignior pars erat tribus Joseph ; *sed elegit tribum Juda*, ut de ea regem acciperet. Et non elegit aliquem locum in quo habitaret de aliqua aliarum tribuum, ut locus ille esset caput regni ; sed *montem Sion* elegit *quem dilexit* : Hierusalem scilicet elegit ut esset caput regni ; quæ designatur a parte scilicet per *montem* in quo sita erat turris Sion. *Et* post *ædificavit*, id est ædificari fecit *sanctificium suum*, id est tabernaculum sanctum, quod fuit ante templum a David rege factum *in terra quam fundavit*, id est quam firmam et stabilem fecit *in* A *sæcula*, id est in æternum, in Hierusalem scilicet. Hoc autem de significanti Hierusalem dici non potest, ut sit *fundata in sæcula*, cum postea fuerit destructa ; sed de Ecclesia significata per Hierusalum dictum est, etsi cætera verba videantur juxta historiam esse posita. Cum autem ponit hoc quod ad historiam legi non potest, innuit psalmum istum non ad historiam legendum esse simpliciter. Dico quod *sanctificium ædificavit* : *Sanctificium* dico *sicut unicornium*, id est ut pote *unicornium*. Quod est dicere : Tale sanctificium, in quo sibi unicornes sacrificabant : fideles scilicet Judæi qui unicornes dicti sunt, eo quod unum cornu habebant, id est fidem unius Dei firmam, et in altum tendentem, ad modum cornu quæ res firma est, et in altum excrescens. Dico quoniam elegit B 315 *tribum Juda*, ut inde regem acciperet, *et* ex ipsa tribu *elegit David servum suum*, id est David per omnia sibi obedientem ut servum. *Et sustulit*, id est sublimavit *eum de gregibus ovium* acceptum. Ne vero videretur de illud causative esse positum ut sæpius habetur, addendo determinat sic : Scilicet accepit eum *de* hoc quod erat *post fetantes*, id est post oves patris sui Jesse pascens eas (*I Reg.* X, 19) : *pascere*, id est ad pascendum *Jacob servum suum*. Quod est dicere : Ad hoc eum de pastore *elegit*, ut rex factus pasceret *Jacob servum suum*, id est recte gubernaret pastorio jure Judaicum populum Domini *servum*. Et quia dixerat *servum*, ne videatur eum depressisse, addit, *et Israel*, inquam, id est Judaicum populum *hæreditatem suam* existentem, id est quem Dominus C procurat utpote suam hæreditatem. Dico quod Dominus ad hoc cum *elegit* ut pasceret, et ipse bene *pavit eos in innocentia*, id est in exemplo innocentiæ *cordis sui*, dando scilicet eis in se exemplum innocentiæ. *Et deduxit eos* de bono in melius, *in intellectibus manuum suarum*, id est in rationibus operum suorum. Quod est dicere : Dedit eis exemplum bene operandi per opera sua quæ non temere operatus est, sed per rationabiles intellectus.

Horum igitur 14 versuum litteratura exposita, allegoriam eorumdem attingamus. Dixi quod Deus aufert fideles suos qui sunt populus suus a damnationibus quas ipsi patiuntur, qui in Ægypto remanent : et quoniam inducit eos in montem sanctificationis, et cætera beneficia eis confert. Et ipsi tamen, D cum a Dei tentatione et exacerbatione contuitu tanti beneficii cessare deberent ulterius, secundum quosdam tentant adhuc Deum per varias hæreses : et exacerbant Deum excelsum operibus suis. Et hoc modo scilicet exacerbant, quia non custodiunt testimonia, id est firma præcepta ejus testimonio apostolorum data scilicet non custodiunt, ut eorum jussu a malis operibus desistant. Et negligendo præcepta ejus, avertunt se ab eo eundo post diabolum. Et cum promiserint in baptismo se nunquam Deum deserturos, per hoc quod se avertunt, in eo non servant pactum ejus, quod secum pepigerunt, se illi semper obedituros, si eis peccata originalia et actualia remitteret : sed, quemadmodum patres eorum,

www.libtool.com.cn

convertuntur *in arcum pravum*, id est ad similitudinem antecessorum infidelium, quorum filii dicuntur: non secundum generationem, sed secundum erroris imitationem, convertuntur in similitudinem pravi, id est inertis arcus, qui cum prius intenditur aliquantulum trajicit, et paulatim ad defectum venit. Sic et ipsi prius circa baptisma parum operantes, post ex toto deficiunt.

Exposito hoc qualiter eum *exacerbant*, exponit quoque qualiter tentant, cum adjungit: Dico quod tentant. Et hoc modo tentant, quod in iram quidam concitant eum, qui in collibus suis, id est in hæresibus suis quæ a sublimi superbia procedunt dum novi et subtiles videri quærunt. Ideoque per colles designantur qui sublimes sunt: et quidam provocant eum ad æmulationem, id est ad nimiam iram *in sculptilibus suis*, id est in sacrificatione sculptilium suorum. Quod est dicere: Vere Deum tentant. Nam dum post baptisma quidam se hæresibus implicant, quidam autem idolis iterum sacrificant, Deum esse impotentem ad ulciscendum reputant. Sed tamen Deus hæc audit, id est animadvertit, et spernit eos, quos prius charos habuit, et adeo spernit quod valde redigit, id est redigi permittit ipsos qui prius erant Israel, *ad nihilum* sanctitatis quam prius habebant. Vel *ad nihilum*, id est ad massam peccatorum, per quam veniunt *ad nihilum* sanctitatis. Et exponit quomodo spernit, sic: Dico quod redigi permittit ad nihilum, propter mala merita eorum: et per hoc redigi permittit ad nihilum, quod repellit a gratia sui, *tabernaculum Silo*, id est abruptionis. Silo enim interpretatur *abruptio* scilicet eos qui prius erant *tabernaculum*, in quo ipse spiritaliter manebat: repellit a gratia sui, quia se ab eo abrumpunt per hæresim et idololatriam et malam operationem. Et quia dixerat *tabernaculum*, et non addiderat *suum*, repetit ut addat sic: 316 *Tabernaculum*, inquam, *suum, ubi habitavit* secundum inoperantem gratiam, *in hominibus* scilicet *habitabit*, id est tandiu fuerunt ejus *tabernaculum*; et in eis *habitavit*, quandiu homines fuerunt, id est rationabiliter se habentes. Et postquam eos repellit, tradit, id est tradi permittit *virtutem eorum in captivitatem*, scilicet liberum arbitrium eorum quod prius erat firmum, et, ut ita dicam, virtuosum, permisit captivari, id est infirmum et impotens ad bene agendum fieri, ad similitudinem captivi qui virtute sua nequit uti.

Et *pulchritudinem* interiorem innocentiæ et cæterarum virtutum *eorum* permittit esse *in manus inimici*, id est in potestate diaboli. Quod est dicere: Pro malis meritis eorum, permittit Deus per impetum diaboli annihilari in eis innocentiæ *pulchritudinem*, et liberi arbitrii *virtutem*, ut nequeant illo uti sicut prius. Repetit autem æquipollentibus vocibus, quod dixit: *repulit tabernaculum Silo*, ut per partes ostendat, sic: Dico quod tradit *in captivitatem virtutem eorum*, *et* hoc modo, *conclusit populum suum in gladio*, id est concludit in vindicta sua illos, qui prius erant populus suus. Quod est dicere: Comprehendit eos in vindicta sua, a similitudine illius qui in carcere concluditur. Quia *gladio* fit vindicta, Gladius pro vindicta ponitur. Dico *populum*, et, ut majus quid dicam, *hæreditatem suam* spernit, id est illos qui prius erant sua hæreditas spernit; concludendo eos *in gladio*. Quanto vero eos ostendit fuisse chariores tanto eos innuit cum spreti sint, esse miseriores. Ostendit ergo per partes vindictam quam de eis sumit, sic: Vere concludit eos in vindictam: Nam *juvenes eorem comedit ignis*, id est eos qui prius erant juvenum more fortes scilicet in virtutibus, permittit consumi, et eorum virtutem annihilari per ignem concupiscentiæ qui dominatur eis. Et *virgines eorum*, id est illi qui prius erant more virginum in fide et innocentia incorrupti, cum consumuntur a vitiis, non lamentantur ab Ecclesiæ prælatis. Quod est dicere: Adeo in reprobum sensum et in profunditatem vitiorum adducuntur, quod nulla cura est de eis, Ecclesiæ pastoribus, neque de eorum pernicie, quam divino judicio vident contingere lamentantur. Et etiam sacerdotes eorum, qui præcipui esse deberent, et alios exemplo suo ad vitam adducere, malis operibus suis exigentibus cadunt a sanctitate quam prius habebant, *in gladio*, id est in vindicta excæcationis Dei. *Et viduæ eorum non* plorantur scilicet multi inter ipsos, qui prius fuerunt similes viduis, mortuo in eis mundo, cui adhæserant ut mulier marito, apostatantes facti a sanctitate et perfectione illa malis meritis suis cadunt, et ad hoc vitiorum deveniunt, quod de eorum damnatione a fidelibus non ploratur.

Notandum de perfectorum damnatione ideo agi, ut per hoc illos qui minus perfecti sunt, a peccatis exterreat: quandoquidem illi qui adeo perfecti sunt ut sacerdotes sint, vel juvenes, vel virgines, vel viduæ dicantur, sic malis meritis suis adeo excæcantur. Ostensa igitur quorundam qui post baptismum ad vitia revertuntur justa damnatione, ne videretur aliquis in peccata post baptisma recidentium salvari non posse, et sic auferretur locus pœnitentiæ, quorundam recidentium salvationem ostendit, cum adjungit sic: Dico quod Deus repellit, et *in gladio populum suum* concludit, qui post baptismum eum tentat et exacerbat. Et tamen secundum quosdam eorum salvandos excitatur Dominus, reducendo eos ad se: Dominus dico existens *tanquam dormiens*, id est similis dormienti, secundum maximam eorum partem quam concludit *in gladio*, ut superius ostendi. Et non similis leviter dormienti, sed existens *tanquam potens*, id est *tanquam* princeps aliquis *crapulatus a vino*, id est valde ebrius, qui graviter *dormiens* domui suæ nullam curam impendit. Dico excitatur, et hoc modo scilicet in quibusdam excitatur Percutit stimulis pœnitentiæ eos, inimicos suos existentes male vivendo. Dico percutit eos, et percussione scilicet tendente *in posteriora* sæcula, id est tali percussione quæ postea durat per omnem ætatem 317 eorum. Et quia hoc obscure dixerat, exponit, cum addit: Dico quod eos percutit *in posteriora*;

www.libtool.com.br

quod est dicere: Opprobrium sempiternum dat eis, ut quandiu vivunt, opprobrium de peccatis suis habeant et pœniteant. Quoniam igitur de quorundam Deum tentantium et exacerbantium damnatione, et de quorundam egerat salvatione, et hoc non determinaverat qui sint qui perdantur, qui vero salventur, determinat hoc cum subjungit: Dico quod quosdam percutit stimulis pœnitentiæ. Et idem repellit a sui gratia *tabernaculum Joseph*, id est illos qui cum prius ejus *tabernaculum* essent, in quibus habitavit; efficiuntur *Joseph*, id est similes *Joseph*: ut sicut ille venditus in Ægyptum fuit, ita ipsi per carnalium voluptatum pretium, quas amplectuntur, sese in Ægyptum vendant, id est in afflictionem perditionis æternæ. Quod est dicere: Illos qui perseveranter voluptatibus acquiescunt a se repellit: juxta quod legitur: « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* xv, 50). » Et quia multi sunt qui tametsi voluptatibus non vacant, tamen juste a Deo aliis malis meritis suis repelluntur, addit: Et non eligit ad salvationem *tribum* Ephrem, id est universaliter omnes impios, qui sunt similes tribui Ephrem, relinquentes scilicet Ecclesiam et perseverantes in diaboli subjectione, sicut tribus *Ephrem* legitur Hierusalem reliquisse, et in regno Jeroboam contra Dei voluntatem perstitisse. Et idem eligit *tribum Juda*, id est multitudinem confitentium, id est laudantium Deum perseveranter, et opere, et ore, et corde. Juda quippe *confessio* interpretatur. *Tribum Juda* dico factam per gratiam Dei *montem*, id est in virtutibus sublimem, et *Sion*, id est æterna speculantem. Quem *montem dilexit*, ideo quia mons est et *Sion*. Et ex ipsa tribu *ædificavit sanctificium suum*, id est sanctum templum suum in quo habitet, scilicet Ecclesiam ex eis constituit. Sanctificium dico fundatum in terra, id est in similitudinem terræ quam fundavit firmam et immobilem, usque in omnia sæcula ista duraturam. Scilicet firmam facit eam et immobilem, ad similitudinem terræ, quod firmum elementum est, id est immobile et diu mansurum.

Dico quod sanctificium suum ædificat fundando illud in Ecclesia: Sicut, id est utpote sanctificium unicornium, id est tale sanctificium quod ex unicornibus constat, et ex sanctis viris, scilicet qui ideo dicuntur unicornes, eo quod unam bonæ voluntatis et charitatis concordiam firmam, et ad cœlestia tendentem habeant, ad similitudinem cornu quod firma res est, et ad superiora tendens. Et quia ad hoc sanctificium ædificandum nullus prophetarum et cæterorum fidelium idoneus fuit, elegit ad hoc opus ex massa fidelium David servum suum, scilicet Christum verum manu fortem, servum suum secundum humanitatem, scilicet sibi fideliter obedientem, et in nullo resultantem. *Et sustulit*, id est sublimavit eum, *de gregibus ovium*, id est de multitudine quorundam fidelium Judæorum apostolorum scilicet et cæterorum, qui tantummodo ejus notitiam habebant. Quod est dicere: De notitia paucorum Judæorum fidelium sublimavit eum, adducens in notitiam gentium. Quoniam autem dixerat, *sustulit*, et verbum istud significat ablationem, ne videretur eum a notitia apostolorum abstulisse, cum innocentiam gentium adduxit ut determinet, addit: Dico abstulit eum *de gregibus ovium*, scilicet accepit eum de hoc quod erat post fetantes, id est regens doctrina sua apostolos a similitudine pastoris qui regit oves post eas incedens. Dicuntur quidem apostoli congrue fetantes, eo quod fetus Deo faciunt, dum fideles filios Deo per doctrinam pariunt. Quod est dicere: Cum ipse in notitia esset paucorum fidelium, inde eum accepit, id est in cognitionem gentium et dominationem protelavit. Cum vocat illos quos prius regebat fetantes, innuit quoniam eos non deseruit. Injustum enim esset, cum fetantes essent, eum eos deserere. Dico quod *David elegit pascere*, scilicet, id est ad pascendum doctrina ex exemplo, *Jacob servum suum*, id est gentilem populum fortem contra vitia luctatorem, 318 et in omnibus ei obedientem. Per Jacob quidem illi designantur, qui adhuc in activa sunt vita viriliter luctantes. *Et pascere Israel hæreditatem* scilicet suam usquequaque, id est perfectos contemplationi vacantes: quia jam sunt hæreditaria possessio Domini. Dico quod *elegit eum* ut Jacob et Israel pasceret. Et ipse *pavit eos in innocentia*, id est in exemplo innocentiæ cordis sui et deduxit eos de bono in melius in intellectibus manuum suarum, id est in exemplo operum suorum: quæ non temere fecit, sed rationabilibus intellectibus. Quod est dicere: Fecit eos sibi conformes in innocentia, et intellectibus rationabilibus, unde procederent bona opera, quæ per manus designantur, eo quod manibus operemur.

IN PSALMUM LXXVIII.

Titulus septuagesimi octavi. *Psalmus Asaph*. Quod sic exponitur: *Psalmus* iste est *Asaph*, id est fidelis congregationis martyrum, videntium persecutionem Ecclesiæ maximam compassive dolentium, quædam Ecclesiæ membra debilia per timorem tribulationum ab impiis incorporari; quædam vero fortissima quia cedere nolunt infidelibus interfici, et eorum sanguinem viliter ut aquam effundi, et morticina eorum inhumane bestiis et volatilibus tradi. Unde fideles opprobrium sunt vicinis, et illusio inimicis. Orat etiam fidelium collectio ne Deus eos permittat causa peccatorum suorum in tribulationibus deficere, ut aliis det exemplum orandi, ne deficiant in tribulatione. Concessive etiam agit de quorumdam adversariorum suorum damnatione perdendorum, et de salute quorumdam orat salvandorum. Hoc autem quod Ecclesiæ tribulationem ostendit, ea utilitate facit, ut posteros instruat, si eis tribulationes pro Christo inferantur, non, debere graviter ferre, cum hoc idem audiant fideles primitivos pertulisse.

Deus, venerunt gentes, id est gentiliter viventes sive Judæi sive Gentiles, scilicet nationes impiæ et crudelissimæ venerunt impetu barbarico *in hæredi-*

www.libtool.com.cn

tatem tuam in Ecclesiam scilicet. Et quia non determinaverat ad quid in Ecclesiam venissent, ne putaretur ad bonum eos in eam venisse, ostendit quid in ea venientes effecerunt cum addit : Dico *venerunt*, et venientes *polluerunt* conformando sibi quosdam, qui erant prius *sanctum templum tuum*. Et interficiendo fortiores, *posuerunt Hierusalem*, id est Ecclesiam *in custodiam*, id est in similitudinem custodiæ *pomorum*, scilicet in similitudinem cujuslibet vilissimi tugurii siti in pomeriis, in quo solent manere custodes, qui poma custodiunt antequam colligantur; quibus collectis, tugurium illud deseritur. Sic et Ecclesia collectis multis fidelibus per mortem deserta fit et vilis. Non solum autem Hierusalem desertam fecerunt per mortem fortissimorum fidelium ; sed etiam quod valde inhumanum est, *posuerunt morticina*, id est mortua corpora *servorum tuorum*, quæ crudeliter interfecerunt, *escas volatilibus cœli, et carnes sanctorum tuorum* pro te occisorum, escas *bestiis terræ*. Quod est dicere : Non solummodo crudeliter eos occiderunt, sed quod crudelius est, eos occisos in corpore, volatilibus et bestiis ad comedendum posuerunt. Non dicit *volatilibus cœli et bestiis terræ* ad differentiam; sed cum addit *cœli et terræ*, notat eorum intentionem sævissimam scilicet quod ad hoc eis morticina exponebant, non solummodo ut inde reficerentur; sed ut ea frustratim per terram et aerem dispergerent, ne a Christianis colligerentur. Et nullum respectum damni aut misericordiæ in eorum morte reputaverunt ; sed *effuderunt sanguinem eorum* viriliter, et sine respectu damni alicujus, *tanquam aquam* in cujus effusione neque misericordia aliquis movetur, neque damnum aliquod reputatur. Et non in 319 uno solo loco eorum *sanguinem effuderunt*, sed *et in circuitu Hierusalem*, id est circuitu totius mundi, ubicunque est *Hierusalem* id est Ecclesia. Quod est dicere : Ubique terrarum effuderunt, quia ubique terrarum dilatata est Ecclesia. *Et non* paucos occiderunt, sed tot quot *non erat* fidelium conventus superstes *qui sepeliret*, id est non supererant tot fidelium, qui sufficere possent ad sepeliendum corpora occisorum.

Et sic viliter et sine ultione manifesta, tuos permittis interfici ; nos residui et superstites, *facti sumus opprobrium*, id est causa opprobrii *vicinis nostris*, id est illis qui jamjam ad fidem exemplo nostri accedere volebant, scilicet eis opprobrium est quod unquam nobis conformari voluerunt. *Et his qui sunt in circuitu nostro* id est qui sunt in elongatione, infideles usquequaque et ad fidem nullatenus accedere volentes, facti sumus *subsannatio* per gestum nasi, ut corrugent nares ad derisionem nostri; *et illusio* per verba, ut contumeliosa verba in nos evomant. Quod est dicere : Derident nos et gestu et verbis. Subsannare, est nasum ex alicujus despectu corrugare.

Ut vero postea solvat ; ex nimia compassione, sic quæstionem facit : Dico quod sic viliter nos permittis affligi, et in hoc videris iratus. Et *usquequo, Domine, irasceris*, id est usque ad quem modum erit hæc ira tua in nobis? Quod est dicere : Ad quid deveniet in nobis hæc ira? Irascerisne *in finem*, id est ex toto, ut penitus nos perdas? Sequitur solutio sic : Vere non irasceris in finem, sed *zelus tuus*, id est hæc persecutio, quæ non est zelus, scilicet videtur zelus, cum tamen sit summa misericordia, *accendetur* in nobis *velut ignis*, id est ad similitudinem ignis, scilicet sicut ignis auro adhibitus, sordes si quæ in eo sunt expiat, et ei nitorem subministrat ; sic et ignis tribulationum in nobis non ad incommodum nostrum accensus, sordes peccaminum delebit, et gloriæ nitorem præcipuum donabit. Agit autem concessive de quorundam infidelium damnatione, cum addit: Dico quod *morticina servorum tuorum* exposuerunt *bestiis et volatilibus*, et *sanguinem eorum effuderunt tanquam aquam*. Et quia hæc fecerunt : *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*; ac si diceret : Vindictam tuam jam interius in eos fudisti, excæcando in anima; concedo quoque ut eam effundas, id est exterius fundas in corpora in futuro, mittendo corpus et animam in gehennam ignis. Et ideo *effunde, quia te non noverunt*, id est prædicatione nostra ad tui notitiam venire neglexerunt. *Et in regna* gentium *effunde iram, quæ nomen tuum non invocaverunt*. Regna et gentes pro eodem hic habet, sed aliam causam addit, quare super eos ira effundatur, scilicet quia *non invocaverunt*, id est quia nomen Dei, quod est Dominus, invocare neglexerunt.

Et ideo adhuc *effunde, quia comederunt Jacob*, id est devoraverunt fideles qui erant luctatores tui, partem, ut diximus, sui conformitate polluendo, reliquos autem occidendo. *Et* comedendo Jacob, *locum ejus desolaverunt*, id est illos qui voluerunt in loco ejus ad fidem succedere *desolaverunt*, perterrendo eos morte ipsius Jacob. Vel *locum ejus desolaverunt*, Ecclesiam scilicet in qua secundum unitatem fidei et charitatis concorditer manebant, ejus morte desolatam fecerunt. Pro seipsis autem, orant sic : De gentibus concedimus ut ira tua in eas effundatur. Pro nobis vero rogamus, ut nos pro iniquitatibus nostris antiquis deficere non patiaris. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, quia in baptimate remissæ sunt, scilicet quia postea in eas partem recidimus, non ipsas a nobis usque ad novissimum quadrantem exigas (*Matth.* v, 26), et pro his deficere permittas. Vel *iniquitatum antiquarum* quas patres nostri commiserunt, quæ tamen nostræ sunt cum earum participes fiamus. Aliter enim non oporteret de eis timere, nisi conscii essemus nos easdem participare. Filius enim non portabit iniquitatem patris, si eidem iniquitati assensum non adhibuerit. Vel *iniquitatum antiquarum*, id est jam longo tempore præteritarum, post baptisma tamen factarum. Dico *ne memineris iniquitatum*; sed 320 *cito anticipent nos misericordiæ*, id est miserationes *tuæ*, scilicet beneficia misericordiæ tuæ. Quod est dicere : Antequam ad defectum ex debilitate veniamus, citissime subveniant nobis auxilia misericordiæ tuæ. Et necesse

www.libtool.com.cn

est ut anticipent, *quia per* peccatum Adæ *facti sumus nimis pauperes*, scilicet cum prius pauperes essemus, id est insufficientes per nos, *nimis pauperes facti sumus*, id est nimis insufficientes et debiles. Ergo quia sumus *nimis pauperes*, o *Deus salutaris*, id est Salvator noster per mortem crucis, *adjuva nos* ad inimicos devincendes et incorporandos : *et libera nos*, ne vincamur. *Et* hoc non propter merita nostra : sed *propter gloriam nominis tui*, scilicet, ut nomen tuum inde glorificetur. *Et* ne a præsentibus peccatis impediamur, *propitius esto peccatis nostris*, præsentibus indulgendo : *propter nomen tuum*, ut hac occasione magnificetur nomen tuum. Et ideo *libera* ne cedamus, *ne forte dicant in gentibus*, id est ne gentes dicant hoc quod stultum et fortuitum esset, scilicet ne dicant : *Ubi est Deus eorum ?* ac si dicat : Ipsi Christiani jactabant se Deum habere, qui eos firmos et constantes faceret, ne cederent. Et ubi est modo ? vel nusquam est ; vel si usquam est, impotens est. Orat quoque pro parte salvandorum, sic : Oramus ut liberes.

Et hoc etiam oramus ut *ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est*. Ultio dico facienda a te *in nationibus* gentium *innotescat*, id est aperta fiat existens *coram oculis nostris*, id est manifestam in eis ultionem exerce, quam oculis videamus. Et ut hæc ultio *coram oculis nostris innotescat*, *introeat* ad hoc ut sit in *conspectu tuo*, id est in beneplacentia tua *gemitus compeditorum*, scilicet orationes quas cum gemitibus pro hac ultione fundimus, qui sumus compediti tui, scilicet vincti compede præceptorum tuorum, vel vincti pro te compede tribulationum. Exponit autem ipsam ultionem, cum addit : Dico ultio *innotescat* ; quæ ultio quidem sit hæc. Ipsas gentes factas *filios* spiritales *mortificatorum posside* : ac si dicat : Fac ut ipsæ filii nostri fiant : per nostram prædicationem acquisitæ, qui pro te mortificamur in carne, jugi tribulatione. Et post eas *posside*, id est tibi subde et rege. Et hoc fac *secundum magnitudinem brachii tui*, id est secundum magnitudinem magnæ fortitudinis tuæ, scilicet quod fortis et potens es ad hoc agendum. Hoc autem quod Deus eos possidebit vocat ultionem, cum utile sit eis, et ultio non soleat accipi nisi in malum ; sed per similitudinem dicitur ultio. Sicut enim victor de hoste superato a se, hanc ultionem, sæpius accipit, quod ducit eum post se ad libitum suum, et vinculis nectit ; sic et Deus illos qui sibi prius male agendo repugnant, per prædicatores devictos sui sequaces efficit, et vinculo præceptorum suorum nectit.

Dico *posside*, *et* quia ipse nobis opprobria inferendo tibi improperant, illis factis *vicinis nostris* accedendo ad fidem, *redde in sinu*, id est in corde *eorum septuplum improperiorum ipsorum* : quod, id est eo *quod exprobraverunt tibi*, *Domine*, nobis opprobrium inferendo. Quod est dicere : Quia nobis improperando tibi quoque *exprobraverunt*, fac eas nobis per fidem vicinas, et pro improperio eorum nobis et tibi facto, *redde* eis hic præmium, scilicet

A septies majus improperium in corde eorum quam nobis improperaverint. Et hoc est ac si dicat : Fac ut septies tantum sibi improperent quantum nobis improperaverint, quod de hoc nobis improperaverunt in corde gementes. Per septenarium quippe numerum, multiplicitatem improperationis, quam sibi facere debent, ostendit. Sive per septenarium septiformis accipitur gratia, qua imbuti sibi quod male egerunt multipliciter improperabunt. Dicitur autem cor sinus, eo quod ad modum sinus secretum sit et latens. Dico *redde* eis *improperium ipsorum*. *Nos autem* si hoc feceris existentes *populus tuus*, *et*, ut magis dicam, existentes *oves pascuæ tuæ*, quas, scilicet doctrina pascis et sapientia interiori, *confitebimur tibi in sæculum*, id est laudabimus te et ore,
B et corde, et 321 opere, quandiu sæculum hoc erit. Et etiam *annuntiabimus laudem tuam*, et *in generatione* hujus mundi : et eundo usque *in generationem* futuram, quando corpora nostra regenerabuntur. Quod est dicere : Et hic laudabimus te, et in futuro *annuntiabimus laudem tuam*, id est annuntiabimus infidelibus qui hic te negligunt, te laudabilem esse, per magnitudinem glorificationis nostræ.

IN PSALMUM LXXIX.

Titulus septugesimi noni. *In finem pro his qui commutantur testimonium Asaph*, *Psalmus pro Assyriis*. Quod sic exponitur : Iste *psalmus* est agens *pro his qui immutantur in finem*, id est et Judæorum et gentium utilitate, qui scilicet Judæi et gentes
C immutabuntur de vetustate in novitatem. Et hoc *in finem*, id est in perfectionem : hic scilicet commutabuntur ex parte, secundum virtutum honestatem ; et in futuro secundum gloriæ perfectam accumulationem. Vel *in finem*, id est in Christum commutabuntur scilicet in conformitatem ejus redacti, qui finis est prophetiæ et legis. Et est etiam iste *psalmus* agens *pro Assyriis*, id est pro utilitate Assyriorum, Judæorum scilicet qui dicunt se Assyrios esse cum non sint, scilicet dicunt se dirigentes esse in lege, cum potius ibi sint distorquentes. Et est psalmus iste *testimonium Asaph* et fidelis et infidelis. Fidelis quidem Asaph est testimonium credulitatis ejus, scilicet quia bene credit salutem esse per Christum, cum dicit ; Ostende faciem tuam et
D salvi erimus. Infidelis quidem Asaph hoc modo est testimonium, ut eam convincat errare de hoc quod Christum, negat esse salvatorem, cum aperte ostendat destructionem Judaici populi Christi contemporanei, quæ eis contingit, eo quod ipsum Christum, Salvatorem esse negaverunt. Hanc igitur destructionem ostendit, ubi dicit : *Destruxisti maceriam ejus*, etc. Et bene dicitur agere pro his qui immutabuntur, et *pro Assyriis*. Collectio namque fidelium longe ante Christi tempus existens ; vel illa quæ circa tempus ejus existens, eum videre meruit, ut Simeon justus et Nathanael, et cæteri plures introducitur in hoc psalmo, ex nimia affectione adventus Christi qui nimium ipsi differtur suspirans et orans ut Deus Pater mittens eum quem missurus

www.libtool.com.cn

est, per ipsius adventum convertat et salvet omnes in tempore gratia salvandos, tam gentes quam Judæos. Orat quoque pro parte Judæorum in fine salvandorum, et ostendit destructionem Hierusalem, quia visitationis suæ tempus non cognovit. Hoc autem ideo facit, ut ostendendo quantum habuerit Christi adventus desiderium, et etiam ostendendo perditionem eorum, qui eum venerari neglexerunt, ad ipsius venerationem nos proniores reddat.

Qui regis Israel intende. Quod est dicere: O Deus Pater *qui regis Israel* scilicet fideles de Judæis deducendo de virtute in virtutem, oramus *intende*, id est intentum te fac in ipsius Israel regimine. Et tu *qui deducis Joseph*, id est deduces populum gentilem convertendum de bono in melius, qui erit *Joseph*, id est augmentatus, *intende*, id est intentum te fac ad Joseph deducendum, ac si dicat: Quia te potentem esse cognoscimus, ad Israel regendum et Joseph augmentandum, et hoc spiritu prophetico prævidemus, quod hoc utrumque facies, oramus ut festines ad intense regendum et deducendum. Dico quod *Joseph* deduces. Joseph dico, *ut ovem*, id est utpote ovem quem scilicet ex cane mansuetum facis ut ovem dico, *intende*, et hoc modo videlicet: Tu *qui sedes super Cherubim*, id est qui perseveranter habitas et dominaris in cœlestibus spiritus, qui sunt Cherubim, id est pleni scientia tuæ cognitionis, *manifestare*, id est manifestum te fac per fidem, *coram Ephraim, Benjamin et Manasse*, id est coram fidelibus utriusque populi, qui cum modo sint filii adoptivi perditionis et iræ, fient à te *Benjamin*, id est filii dexteræ, scilicet filii adoptivi per fidem, qui ad dexteram majestatis tuæ collocabuntur in futuro; et cum sint steriles in operibus bonis, facies eos *Ephraim*, id est *in bono fructificantes*; et cum sint in terrenis se delectantes, facies eos, *Manasse*, id est terrena obliviscentes. Benjamin quippe *filii dexteræ*. Ephraim autem 322 *fructificatio*. Manasses vero *oblivio* interpretatur; Cherubim autem *plenitudo scientiæ* dicitur. Et hoc est ac si dicat: Tu qui jam es in notitia angelorum, in quibus incessanter habitas, manifesta etiam te in notitia fidelium utriusque populi. Per Cherubim autem qui pars sunt cœlestium spirituum, omnis angelorum multitudo accipitur. Dico hoc modo *intende*, ut manifesteris coram fidelibus, et hoc modo etiam *intende*.

Excita potentiam tuam, id est beneficia significata pridem per miracula potentiæ tuæ, ac si dicat: Illa miracula quæ in priori populo potenter operatus es, eripiendo eos de Ægypto, et interrumpendo mare et petram, et cætera agendo, quæ cum præterita sint, videntur esse mortua, *excita*, id est resuscita, scilicet ad memoriam reduc operando in Ecclesia beneficia abs te eis operata. Vel *excita potentiam*, id est beneficia significantia potentiam tuam pridem operatam. *Et* hoc modo quidem *excita*: *Veni* secundum auxilium ad nos. Et exponit quomodo veniat, ne locale venire intelligeremus, sic: Dico *veni*, ita scilicet dico *veni*, *ut salvos facias nos*; et hic a peccatis et in futuro perfecta salvatione; sicut ad priorem populum venisti, secundum auxilium gratiæ, ut ab Ægyptiorum servitute eos salvares. Dico *salvos facias nos*: et *nos*, scilicet ante tempus Christi existentes, qui eum non videbimus, id est eripiendo a tenebris, in quibus post mortem detinebimur pro originali peccato; et fideles nostri conformes, qui in tempore ejus erunt, eripiendo a peccatis: utrosque autem et *nos*, scilicet et eos, salva perfecta salvatione in futuro. Quoniam autem indeterminate dixerat salva *nos*, ipsam salvationem exponit, sic: Dico, salva. Et hoc modo quidem: O Deus *ostende faciem tuam*, id est Filium qui facies tua congrue dicitur, eo quod per eum cognosceris, sicut totus per faciem homo cognoscitur, ac si dicat: Filium tuum qui secundum quod Deus est invisibilis, fac incarnari; et sic eum hominem factum visibilem ostende. Et per faciem ostensam *converte nos*, scilicet nos jam tunc mortuos per eum *converte* a tenebris ad lucem; et nobis conformes futuros qui vivi erunt, *converte* a vitiis ad virtutes, et ab ignorantia ad tui perfectam cognitionem. *Et* hoc modo *salvi erimus* omnes in futuro, perfecta salvatione.

Ingemit autem fidelium collectio quæ hic agit, de dilatione exspectationis suæ agendo sic: Dico *ostende faciem tuam*. Et cum ipsius faciei ostensionem differas: *o Domine Deus*, id est creator *virtutum* cœlestium, *quousque irasceris*, id est usque ad quantum temporis videberis iratus nobis non respiciendo de summa dispositione tua *super orationem servi tui*, scilicet non complendo quod oramus ut faciem ostendas, qui sumus populus tibi serviens in omnibus prout possumus: ac si dicat: Quia tantum differs, nobis esse iratus appares. Et cum potens sis ad hoc agendum, Dominus enim es, et Deus cœlestium virtutum, inquantum hoc differendo nobis videberis iratus. Oramus ut faciem ostendas. Verum tamen certi sumus quare nobis non conferes per eum copiam terrenarum deliciarum; sed potius postquam venerit; *nos* qui vivemus et ei adhærebimus, *cibabis pane lacrymarum*. Quod est dicere: Pro eo lacrymas multas patiemur, quibus cibabis nos, id est confirmabis ut pane, quatenus constantiores efficiamur; sicut pane cibatus confirmatur. Juxta quod alibi habetur: «Panis cor hominis confirmat (*Psal* CIII, 14). » Et *dabis nobis potum*, id est gaudium *in lacrymis*, scilicet ut lacrymæ nobis sint causa gaudii, quia per eas certi erimus præmii; sicut potus vini lætitiæ causa est bibenti. Juxta quod alibi legitur: « Vinum lætificat cor hominis (*Ibid.*, 15). » Dico quod gaudium *dabis in lacrymis nobis*. *In lacrymis* dico dandis *in mensura*, scilicet quas non dabis ultra modum, sed cum mensura, ut potati possimus ne deficiamus, juxta illud Apostoli: « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis (*I Cor.* x, 13). » Quia dixerat *lacrymarum*, innuit tribulationes eos esse passuros, partem quarum ostendit, addendo sic: Dico quod *cibabis*

www.libtool.com.cn

nos pane lacrymarum : et vere lacrymabimur ; nam *posuisti* 323 *nos*, id est pones *in contradictionem vicinis nostris*, id est contribulibus nostris, scilicet permittes ut Judæi qui vicini nostri sunt, de eadem gente, contradicant nobis, qui tunc residui erimus, eo quod ipsi adhærebimus ; *et* iidem vicini *inimici nostri* facti, *subsannaverunt*, id est deriserunt *nos* pro eo. Et quamvis hæc omnia sciamus pro eo nos esse passuros, tamen, tali pacto ut ipse veniat, pati non formidamus ista ; sed oramus, o *Deus virtutum, converte nos, ostende faciem tuam et salvi erimus*. Per hoc autem quod se pro eo pati non formidare dicunt, ut pro eo pati non fugiamus non instruunt.

Facta oratione, et ostensa nimia affectione sua de adventu Christi, ostendere tendit quod detrimentum perpessi sunt Judæi infideles, qui ipsius adventum neglexerunt. Et ut ostendat dignam hanc eorum perditionem esse, præmittit beneficia eis a Deo collata, quorum occasione debuissent adventum filii Dei non negligere. Seu etiam hac occasione beneficia ista præmittit, ut sic postea de Judæorum perditione conquerendo agat, dicens videri mirum quia Deus hos, quos adeo diligenter prius, utpote vineam suam, excoluit, sic postea vehementer affligi permiserit, et per hoc auditores ab offensione Dei deterreat; cum Judæos, quos prius in tantum dilexit, usque adeo, quia eum offenderunt, punitos ostendat. Hoc autem sic dicit: Ostendi faciem tuam, et per eam converti, oramus et optamus. Et ut ostendatur et per eam fiat conversio, vehementer orandum est. Nam Judæi, qui prius vinea tua, o Deus, in bonis operibus fertiles exstiterunt, postea vero male vivendo steriles facti sunt, quia faciem illam sibi ostendi per fidem negligent et per eam converti, graviter punientur. Et tamen *vineam illam de Ægypto transtulisti*, auxilio gratiæ tuæ in terram promissionis; et ut ibi secure maneret, *ejecisti gentes* ab eadem terra, ut in psalmo LXXVII dictum est, *et* in loco gentium ejectarum *plantasti eam*, id est firmiter eam statuisti, ut impetu vicinarum nationum dimoveri non posset. Vinea sane Dei Judaicus populus prius dictus est, eo quod ad modum vineæ fertilis in bono fuit, et quia Deus eum per prophetarum doctrinam excoluit Dico quod *vineam transtulisti de Ægypto*, et in ipsa translatione *dux itineris* ejus *fuisti*: et hoc non in abscondito, sed *in conspectu ejus*. Quod est dicere : Adeo aperto ducatu eam duxisti, ut hoc oculis aspiceret, dum nubes eis appareret in die, et columna in nocte (*Exod.* XIII, 21). Repetit autem quod dixit *plantasti eam*, ut addat: Dico quod *dux fuisti in conspectu ejus*, et *plantasti radices ejus*, id est *plantasti eam* firmiter in terra promissionis; a similitudine arboris, cujus plantatio firmior est, si cum radicibus plantetur, quam si sine radicibus. *Et* plantata *implevit*, id est occupavit ex toto *terram* promissionis. Vel *radices* dicit principes, eo quod cura sua plebem sustineant, sicut radix arborem ; qui firmiter in ea sunt plantati, ne vicinarum gentium principes eis prævalendo inde ipsos expellere possent : quorum plebs sustentata regimine terram implevit. Sive patres antiquos *radices* dicit, ex quorum semine filii processerunt, et terram impleverunt, sicut de radice pullulant rami.

Et adeo *terram implevit*, quod etiam *operuit montes umbra ejus*, id est copia ejus non solum occupavit planam terram, sed et montana Judææ, quæ erant ardua loca et inculta, a similitudine vineæ densissimæ, et adeo in altum exscrescentis, quod etiam *montes umbra ejus operuit* ; *et arbusta ejus* operuerunt, id est occupaverunt, *cedros Dei*, cura regiminis sui ; id est humiles de ea vinea suffulti fuerunt a plantis, a regibus scilicet et judicibus, et prophetis, qui fuerunt cedri Dei ; sublimes scilicet adeo facti ut cedri, in sanctitate et sapientia et virtute, a similitudine vitium, quæ et arbusta dicuntur ; quæ 324, ut fertiliores sint, a sublimibus arboribus sustentantur, quas operiunt. Non enim, pro sui debilitate, in altum excrescendo se sustinere possent. Ostendit quoque magnitudinem extensionis ipsius vineæ, cum addit: Et ipsa vinea, a cedris sustentata, *extendit usque ad mare* occidentale *palmites suos*, id est generationes filiorum suorum, quæ palmites dicuntur, eo quod ex ipsa Judaica plebe prodierint, sicut ex arbustis vineæ palmites prodeunt : *et usque ad flumen* Euphraten extendit *propagines ejus*. Propagines autem et palmites pro eodem habet. Juxta quod legitur : « A flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri (*Deut.* XI, 24). »

Quia igitur hanc vineam adeo diligenter plantasti, et in tantum dilatasti, et sic cum ea misericorditer egisti : ut quid *destruxisti*, id est destrues, *maceriam ejus*, id est protectionem tuam ab ea abstulisti, qua muniebatur, sicut a circumposita maceria vinea munitur ? Ac si dicat : Cum eam adeo in tempore patrum quos plantasti dilexeris, mirum et conquerendum esse videtur, et non sine causa præcipua futurum, quod sic eam spernes ut protectionem tuam penitus ab ea auferas. Et quia maceriam ejus destrues, *vindemiant*, id est consument eam non solum Christi cultores, sed etiam, quod ei gravius est, *omnes qui prætergrediuntur viam*, id est infideles gentiles, scilicet qui transeunt Christum, nolentes ad eum accedere per doctrinam prædicatorum, qui Christus via est ad vitam. Ostendit autem partem vindemiantium, cum subdit: Dico quod vindemiabunt eam prætergredientes viam ; et vere vindemiabunt : nam *exterminavit eam*, id est destruet eam *aper de silva* procedens, Vespasianus scilicet, qui ferus erit et immundus sordibus vitiorum, sicut aper ferum animal est et sordidum. Vespasianus, scilicet, procedens de Roma, quæ bene dicta est silva, eo quod inculta fuit doctrina et bestiali feritate plena, ad similitudinem silvæ, quæ incultas habet arbores, et ferarum est habitatio. *Et ferus singularis depastus est eam*: Titus scilicet qui eadem similitudine dicitur *singularis*, qua et Vespasianus

www.libros1.com.ar

pater ejus, depascetur, id est consumet eam : a similitudine herbæ quæ depascendo consumitur. Vespasianus siquidem totam Judæam devastavit, et multos Judæorum interfecit, et plures captivos duxit. Titus autem obsidione Hierusalem cœpit et destruxit; et Judæorum multitudinem maximam interfecit, et reliquos captivitate dispersit. Vel sic versus iste legitur : Non solum autem gentiles eam consument *qui prætergrediuntur viam*, sed etiam exterminabit, id est destruet eam hic in virtutibus, *aper*, id est diabolus ferus et sordibus recedens de silva, scilicet de gentibus, quæ venient ad fidem, quæ ab eo nunc occupatæ, incultæ sunt ut silva, et in futuro *ferus singularis*, diabolus depascetur, id est consumet eam morte æterna; non sic ut ex toto consumatur, ut non sit, sed ut semper consumendo in tormentis maneat; a similitudine herbæ quæ depascitur et semper manet.

Orat autem pro parte hujus vineæ in fine mundi convertendæ, sic : Conquerimur de hoc quod sic vineam de Ægypto translatam permittes vindemiari et exterminari, et licet sic eam permittas malis meritis suis in parte consumi, oramus tamen, o *Deus virtutum* cœlestium, qui potes complere quod oramus, *convertere* de ira ad misericordiam, et hoc modo *convertere* : *Respice* scilicet *de cœlo* cœlorum Christo ; *et* hoc modo de eo *respice*, scilicet *vide*, id est videre fac per fidem ; *et visita*, id est sana a peccatis *vineam istam*, secundum partem fide et merito passionis Domini : a similitudine piissimi medici, qui infirmum visitat et sanat. Vel, *respice de cœlo*, id est de altitudine dispositionis tuæ; et postquam visitaveris *perfice*, id est perfectam fac in virtutibus *eam* vineam in parte, *quam plantavit*, ut dictum est, *dextera tua*, id est potentia misericordiæ tuæ in terra promissionis ; *et* hoc modo *perfice*, scilicet fundando eam *super Filium*, id est super fidem et protectionem Christi Filii tui : *quem* 325 *confirmasti*, id est innocentia firmum facies; et hoc *tibi*, id est ad honorem tui. « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus (*I Cor.* III, 11), » super quem quisquis fundatur, firmus est. Dico perfice; et vere perficies : nam *ab increpatione vultus* tui, id est per occultam et interiorem increpationem Filii tui, qui vultus tuus est, ut jam satis dictum est, *peribunt incensa igni et suffossa*, scilicet per hoc quod Filius increpabit eos interius, audiendo doctrinam prædicatorum peribunt in eis quæcunque erunt *incensa*, id est corrupta igne concupiscentiarum : et *suffossa*, id est latenter commissa per timorem. Scilicet in eis *peribunt* omnia quæ per incendium pravæ concupiscentiæ et per latibulum timoris commiserunt. His namque duobus modis peccatur : aut voluntate scilicet, aut timore. Per suffossa quidem, peccata quæ per timorem fiunt convenienter designantur, eo quod latenter committantur. Res quippe suffossa latet. Hoc versu interposito, ad annuntiationem salutis reliquiarum illius vineæ, ad orationem revertitur sic : Dico quod *incensa et suffossa peribunt*, per increpationem Filii ; et ut hoc sit, o Deus Pater, *fiat*, id est veniat *manus*, id est potentia *tua super virum dexteræ tuæ*, scilicet super Christum, qui erit vir *dexteræ*, id est pietatis, *tuæ*, per cujus obedientiam mundo propitiaberis. Quod est dicere : De superna dispositione tua da ei potentiam debellandi diabolum. Quoniam autem per dexteram sæpe prosperitas accipitur, congrue per dexteram pietas Dei designatur. Quæ enim prosperitas major quam divinæ pietatis exhibitio ? Exponit autem quis sit ille vir dexteræ, cum addit : Et, id est *fiat manus tua super filium hominis*, Christum scilicet, *quem confirmasti tibi*, ut jam dictum est. Cum dicit, non hominum, sed *hominis*, id est Virginis, Judæorum partem deprimit, qui eum hominem solum ex homine genitum asseruerunt ; et si eum confirmaveris, *non discedimus a te*, id est nostri conformes qui ejus temporis erunt, tibi per fidem ejus firmiter adhærentes, non discedent a te postea, neque metu neque occasione aliqua. Et hanc firmitatem a libero arbitrio non habebunt ; sed ideo quia *invocabimus*, id est interius in conscientia sua vocabunt *nomen tuum*, quod est Dominus; scilicet per hoc firmitatem eis conferes, quia non solum ore te Dominum vocabunt, sed et cordis credulitate. Et quia invocabunt, *vivificabis nos*, id est vivificabis in anima nostri conformes Vel *vivificabis nos* in futuro, et in corpore et in anima, vivificatione æterna. Et ut hoc sit, *Domine Deus virtutum, converte nos, ostende faciem tuam, et salvi erimus*. Hic versus ut superius exponitur; qui idcirco ter ponitur, ut personarum Trinitas innuatur. Ac si dicat : Tu, Deus Pater, *ostende factem*, et tu, Deus Verbum, *ostende faciem*, scilicet Dominicum hominem : et tu, Deus Spiritus, *ostende faciem*. Quia autem dicit *Deus virtutum*, pondus habet ac si dicat : Cum sis Deus virtutum, quis faciem tuam videre non optaret ?

IN PSALMUM LXXX.

Psalmi octogesimi titulus : *In finem pro torcularibus, quinta Sabbati, psalmus Asaph*. Torcularibus quidem pluraliter ponit pro duabus Ecclesiis, Judæorum scilicet et gentium ; quas in hoc psalmo alloquitur ad exsultandum in vivificatione spiritus, et in mortificatione carnis, et ad prædicandum aliis aperte utramque admonens. Denotat autem Ecclesiam de Judæis, ubi ponit quod *præceptum in Israel est* ; Ecclesiam vero de gentibus, ubi ponit, *testimonium in Joseph*. Utraque igitur Ecclesia torcular dicitur, ea similitudine quia, sicut in torculari vinum et acinum, ita in Ecclesia utraque boni et mali continentur. Boni quidem, et secundum sacramentorum participationem, et secundum virtutes et bonam operationem, Ecclesiæ pars sunt; mali vero tantummodo secundum sacramentorum participationem, quia videlicet baptizantur et corpore Dominico communicantur. Bonos ergo utriusque Ecclesiæ in hujus psalmi principio fidelis Asaph post adventum Christi ad exsultandum in psalmo et cithara et buccina ad-

www.libtool.com.cn

ur, in propria persona ad eos agens. Cæterum A
postea, ut terribilior et auctorizabilior sit ad-
io, ad malos agentem Deum introduxit, ipsos
ad obediendum sibi adhortantem, et beneficia
m eis contulit prætendentem, quorum occa-
sibi eos obedire decet: ostendentem quoque
continget sibi non obedientibus, quid vero
entibus. Unde bene in titulo ponitur *pro tor-*
bus, id est pro utilitate Ecclesiarum, quas
loquitur. Verba vero hujus tituli sic adaptan-
psalmus iste est *Asaph*, id est Synagogæ fidelis
rcularibus agens iste psalmus : torcularibus
ignificatis per negotium quod contingit in
a Sabbati. Quinta namque die creavit Deus ex
volatilia (*Gen.* I, 20), ad Ecclesiæ figuram.
mque filios Ecclesiæ ex aqua baptismi recreat, B
omnes sublimes in innocentia in baptismate
ad modum volatilium, licet ipsi postea se per
ejiciant. Idcirco itaque addit *quinta Sabbati*, ut
ninet quæ torcularia hic accipiat, illa scilicet
designata sunt per negotium quod contigit
a Sabbati, id est utramque Ecclesiam. Dico
psalmus iste est Asaph. Asaph dico adhortan-
sa torcularia *in finem*, id est in perfectionem
atis, partim quidem in sui persona adhortantis,
m autem in persona Dei ; vel adhortantis *in*
, id est in conformitatem Christi finis prophe-
t legis, scilicet ut exemplo ejus exsultent in
no, et cithara, et buccina.

sultate Deo adjutori nostri. Ac si dicat : Vos
Ecclesiæ utriusque filii, nolite in terrenis ex- C
re, sed potius ad honorem Dei exultate, in his
icet quæ ad Deum pertinent. Et nolite timere,
sitis per vos insufficientes ad exsultandum ;
ipse est adjutor noster, qui vos ad exsultandum
rabit. Et non parum exsultetis; sed jubilate,
intentione interioris lætitiæ, quæ verbis non
t explicari, *jubilate Deo Jacob*, scilicet Deo cui
ndum est, qui Deus est non segnium, sed *Jacob*,
viriliter luctantium, scilicet quem Jacob Deum
tat, quicunque neget, et qui Deus vester erit,
cob fueritis. Et ecce in quibus hortor vos ex-
re ; scilicet exsultanter *sumite* a Deo *psalmum*,
n per vos habere non potestis, scilicet spiritus
cationem in innocentia et virtutibus quæ a su- D
ri Dei clementia dantur, ideoque per psalmum
iuntur. Psalmus enim est melos quod fit in psal-
, ex superiori resonans. *Et* ut psalmum su-
mercamini, *date* Deo *tympanum*, id est carnis
ificationem, quæ per tympanum merito acci-
quod corio mortui animalis supervestitur.
l est dicere : Ad honorem Dei mortificate car-
jejuniis et vigiliis; nam *psalterium*, id est
tus vivificatus, est *jucundum* Deo, id est valde
ctabile, *cum cithara*, id est cum mortificatione
is, quæ per citharam intelligitur, quæ ex in-
ri sonat. Ac si diceret : Jucundum est Deo ut
tificando carnem spiritus vester vivificetur ;
que in hoc decet vos exsultare; et exsultanter

quoque *buccinate* tuba, id est resonate aperta prædicatione, quæ per tubam designatur, eo quod tubæ sonitus sit manifestus. Vos dico existentes *in neomenia*, id est in renovatione lunæ, scilicet in renovatione humanitatis vestræ per baptismum; quæ bene luna dicitur, eo quod multis an xietatibus sæpius ad modum lunæ deficiat. Quod est dicere : Cum jam per baptismum humanitas vestra renovata sit, quæ per Adam in vetustatem deciderat, hanc renovationem non renovatis aperte prædicate, ut ad hanc accedant. Quod præsignatum est priori populo, qui in renovatione lunæ septimi mensis tuba clangere præcipiebatur. Neomenia quippe, *lunæ renovatio*, interpretatur. Dico quod jam estis *in neomenia scilicet in insigni die*, id est in nobilissima claritate *solemnitatis*, id est feriationis *vestræ*. Quod est dicere : Quæ neomenia vestra nihil aliud est, quam nobilissima et præcipua claritas fidei et intelligentiæ, per quam ab omni opere malo feriatis. Quod per Judæos præfiguratum est, qui in insigni et solemni die neomeniæ feriabant ab omni servili opere. Dico exsultate, psalmum sumendo, et tympanum dando et buccinando.

327 Et hoc complere decet vos, *quia præceptum in Israel est*, id est in Ecclesia de Judæis, quæ jure dicitur Israel, eo quod sublimior in contemplatione Dei sit, quam Ecclesia ex gentibus; et hoc præceptum est *judicium*, id est justum. Judicium quippe dicitur, quasi *jure dictum*. Unde quoties alicubi judicium ponitur, neque falsum vel aliquid tale additur : idem est ac si justum poneretur. Et hoc præceptum justum *Deo Jacob*, id est strenue luctantium, est ascribendum. Ac si diceret : Si ab apostolis vel a cæteris prælatis esset præceptum, esset utique faciendum. Quanto magis ergo cum a Deo Jacob præcipiatur? Non solum autem *est in Israel præceptum*, sed et illud *testimonium*, id est illud præceptum quod testatur obedientibus salutem, et non obedientibus mortem *posuit* Deus *in Joseph*, id est firmiter statuit in Ecclesia gentilis populi, qui Joseph dicitur, eo quod sit ad augmentum additus. Joseph quippe *augmentum* interpretatur. Et tunc quidem *cum* per fidem et baptismatis ablutionem *exiret de terra Ægypti*, id est de terrenitate afflictionis et tenebrarum ignorantiæ, *audivit* ab inspiranti interius sapientia, hanc *linguam quam non noverat*, scilicet hoc præceptum quod non ulterius audiverat. Quia lingua præcipitur, lingua pro præcepto ponitur. Ac si dicat : Dum in Ægypto afflictionis et ignorantiæ fuit, nunquam ut exsultaret in psalmo et tympano et tuba ei præceptum fuit, sed postquam Ægyptum exiit, hoc a Domino præceptum accepit. Quod equidem per Judaicum populum præostensum est, qui, dum in Ægypto fuit, nunquam a Domino legem accepit. Ast ubi, Ægyptum exiens, Rubrum mare transit, lex ei a Domino data est. Ægyptus sane, *afflictio* vel *tenebræ* dicitur. Per hoc igitur instruimur, nulli præceptum hoc esse prædicandum, donec, Ægyptum relinquendo, baptismatis unda sit renatus. Dico *dum exiret de terra Ægypti*, et necesse erat ut inde eum

www.libtool.com.cn

exire faceret, nam per hunc exitum *divertit dorsum*, id est conscientiam *ejus ab oneribus* peccatorum: scilicet cum, in Ægypto infidelitatis existens, peccatorum, sarcinis premeretur ejus conscientia, ad similitudinem dorsi quod gravatur mole nimia. Ægyptum exiens, ab oneribus illis per baptismi regenerationem liberatus est. Quod per populum Israel præmonstratum est, qui, Ægyptum exiens, et mare Rubrum transiens, et pondere servitutis Ægyptiorum ereptus est. Oportuit autem ut ab oneribus dorsum ejus divertere; nam dum in Ægypto fuit gentilis populus, *manus*, id est opera *ejus servierunt* diabolo *in cophino*, id est in impletione cophini, scilicet in hoc quod seipsos, qui cophinus erant diaboli, paleis et luto implebant, id est malis operibus; quæ bene dicuntur paleæ et lutum, eo quod sordida sunt ad modum luti, et habilia ad comburendum æterno igne more palearum; ex quibus paleis et luto, semetipsos diaboli civitatem ædificarent. Hoc autem in Israelitico populo contigit ad figuram, qui, in Ægypto manens, in cophino Pharaoni servivit, implendo videlicet cophinos paleis et luto, et dorso deferens, ut, lateribus ex his factis, inde Pharaoni civitatem construeret.

Exhortatione itaque ad malos facta, malos etiam adhortantem Deum sic introducit: Dico quod *Deus posuit illud testimonium in Joseph*, Deus, dico sic, adhortans vos, o perversi utriusque Ecclesiæ filii. *Audi, populus meus*, id est tu perversorum collectio, quæ populus meus esse deberes, cum in baptismate obedientiam mihi promiseris, *audi* quod præcipio, sic scilicet *audi* ut assentias. Et sic me quidem audire debes, cum hæc beneficia tibi contulerim: scilicet *invocasti*, id est orasti *me* jam ad fidem conversa *in die*, id est in tempore *tribulationis* ante baptisma, scilicet cum jam notitiam haberes fidei, et tamen pro peccatorum conscientia interius tribulationem nimiam patereris, ut ex hac tribulatione te liberarem; *et liberavi* te ab ea. Et postea *exaudivi te* orantem in *abscondito tempestatis*, id est in tempore absconditæ tribulationis; scilicet, cum post baptismum occulta suggestio suboriens ex prava consuetudine præteritorum vitiorum, interius et invisibiliter, ad modum sævissimæ 328 tempestatis inquietaret, et ad eadem vitia reflectere conaretur, ut inde te eriperem orasti, ne tibi prævaleret, et a me exauditus es. Quia vero non determinaverat quomodo eum a priori tribulatione, scilicet a peccatorum conscientia liberaverit, determinat hoc, cum addit: Antea quam de abscondito tempestatis te liberarem, *probavi te apud aquam Contradictionis*, id est te probum et mundum a peccatis feci in aqua Contradictionis, scilicet in aqua baptismatis, cui male vivendo contradicis, non agens quod in ea mihi promisisti, et faciens irritam peccando iterum gratiam remissionis quam in ea percepisti. Ergo quia hæc beneficia tibi contuli, *audi* me secundum assensum, tu qui debes esse *populus meus, et contestabor te*, id est certum te faciam testimonio auxilii mei, o Israel, tu popule, qui Israel esse debes. Vel *contestabor te*, id est testimonio Scriptularum comprobabo tibi quatenus, *si audieris* me sic ut assentias, *non erit in te Deus recens, neque adorabis*, id est veneraberis *Deum alienum*, scilicet non habebis in te vitium aliquod, quod adorando, id est obediendo et ipsi satisfaciendo, Deum tibi facias; quod recens quidem est, et a ratione tua alienum. Quod est ac si dicat: Si mihi assensum adhibueris, adjuvabo te, ne vitium aliquod tibi dominetur, quod ut Deum adores et excolas. Et vere alienum est ut alium colas et adores præter me.

Ego enim solus, qui tibi loquor, *sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, scilicet de tenebrositate afflictionis et tenebrarum, in quam per Adam deveneras. Ergo quia tantum beneficium tibi impendi, *dilata os tuum*, id est amplifica bene desiderando cor tuum, *et implebo illud* virtutibus, a similitudine pulli esurientis, qui dilatat os ut a a parente cibo repleatur. Cibus quippe animæ, virtutes sunt. Quasi dicat: Non solummodo vitia fugias, sed etiam nimis virtutes desidera, quibus a me repleberis. Exhortatione ad malos facta, quoniam videt eos eam non suscepturos, apostropham ad auditores facit, ostendens quid inde malis eveniet, quoniam inobedientes sunt, et quid etiam assecuti fuissent, si obedientes exstitissent. Et hoc ideo facit, ut ipsos auditores et inobedientium damnationum ostendendo ab obedientia retrahat et eorumdem utilitatem narrando, quam habuissent si obedientes exstitissent, ad obedientiam attrahat. Dixi, o auditores, quod si *populus meus* audierit *me, non erit in eo Deus recens. Et populus meus non audivit* assentiendo *vocem meam*, quam ipsi feci, non verbis, sed occulta inspiratione, dans ei rationem per quam a se vitia remota non coleret. Quæ quidem colit et adorat, quod alienum est. Et dixi ut dilataret bene desiderando os cordis, ut virtutibus illud adimplerem, *et Israel non intendit*, id est non fecit intentionem *mihi*, ut os intense dilataret sicut præcepi; et ideo *dimisi eos* qui Israel esse deberent, et voluerint *secundum desideria cordis eorum* ire. Ac si dicat: Prius eos coercui piis verberibus, ne per illicita desideria diffluerent. Sed quia vidi hanc castigationem infructuosam esse, *dimisi eos* ire secundum quod pravum cor eorum desiderabat. Et quia *dimisi*, non ulterius eos coercens, *ibunt* de malo in pejus, persistentes *in adinventionibus suis*, id est in malis operibus quæ ipsi adinvenerunt, non ex Deo habuerunt.

Cæterum *si* ille qui *populus meus* esse deberet, *audisset me* per assensum, ut Deum alienum non adorasset, scilicet vitio nulli deservisset, et qui *Israel* esse deberet, *si in viis*, id est in præceptis *meis ambulasset*, non motu corporis, sed desiderio animi scilicet ut os cordis dilatasset, et virtutes a me sibi dari desiderasset, *pro nihilo*, id est leviter, sine labore, quod mihi quidem esset pro nihilo, *inimicos eorum* interiores *humiliassem*, scilicet, vitiorum eis dominantium potestatem depressissem et evacuassem, ne non eis insultarent. Dico humiliassem, et hoc forsitan, non quidem forsitan quantum ad me qui omnipotens sum sed quantum ad eorum dubitationem; dubitant enim

www.libtool.com.cn

an hoc possem facere. *Et misissem super* 329 A *tribulantes eos*, scilicet super vitia, *manum meam*, scilicet potentiam depressionis meæ. Idem autem est, *inimicos eorum humiliassem*, et *super tribulantes misissem manum meam*. Sed dum dicit tribulantes, notat aliud ad exsecrationem vitiorum, scilicet quod non solummodo inimicantur, sed et tribulant; unde fugienda sunt.

Notandum quod cum Christum introducit ad malos agentem, quos tamen scit castigationem suam non suscepturos, et eis compatientem, instruit quod malis compati debemus; et licet adhortationem spernant, tamen eos admonere debemus, ut animas nostras salvemus, cum Dominus per prophetam testetur : « Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua B requiram (*Ezech.* III, 18). » Postquam Deum ad malos agentem introduxit fidelis Asaph, apostropham ad auditores faciens, ut a conformitate malorum retrahat, ostendit quod jure mali damnantur, quia mendaces in promissione sua sunt. Ostendi, o auditores, quod Dominus malos adhortatus est, dicens : *Audi populus*, etc.; et *inimici Domini*, qui populus ejus esse deberent, econtrario *mentiti sunt*, non complentes quod in baptismate promiserunt, scilicet quod, vitiis abjectis, Deo obedirent. Dico quoniam *mentiti sunt*, et hoc *ei*, id est ita quod ipse mendacium eorum non ignorat, sed ei apertum est. *Et* ideo *tempus* ultionis eorum *erit in sæcula* æterna, post hoc sæculum ventura; vel *tempus*, id est defectus eorum in tormentis, *erit* usque in sæcula æterna. Tempus pro defectu ponitur, quia tempus defectorium est et cito transitorium. Et merito deficient in sæcula; nam illi nolunt obedire, cum hæc eis beneficia contulerit scilicet. Et *cibavit eos ex adipe frumenti*, id est ex frumento animas impinguante, scilicet ex sacramento corporis sui, quod animas impinguat, ut frumentum corpora, *et saturavit illos melle* procedente *de petra*, scilicet, de dulcedine sapientiæ, de Christo videlicet, qui petra firmissima est, prodeunte

IN PSALMUM LXXXI.

Titulus octogesimi primi : *Psalmus Asaph*. Non quod hic Asaph loquatur, sed quia Propheta increpative agens ad infidelem Asaph, id est collectionem quæ non cognovit tempus visitationis suæ, D Christum, quem hominem purum mentita est, Deum esse confirmat. Adhortatur quoque majores ad bene de eo judicandum, et minores ad eum eripiendum; et per hoc nos instruit, etiam non salvandos pietatis studio corrigere; cum illos quos prævidet a peccato non esse revocandos, ex nimia tamen affectione conatur a peccato, castigando, retrahere. Agit quoque de justa infidelis Asaph perditione, et de gentium ad fidem conversione.

Deus stetit in Synagoga deorum. Quasi dicat : Vos increduli Judæi, Christum purum hominem esse dicetis, sed ipse stabit *Deus in Synagoga deorum*, id est constabit Synagogæ fidelium, quos ipse deos faciet per gratiam, cum Deum esse, non hominem purum. Et non erit Deus per gratiam, sicut cæteri homines fideles, licet homo sit. *In medio autem*, id est sed ipse stans in medio, id est in aperto, scilicet existens homo visibilis, *dijudicat deos*, id est discernet fideles per eum deificatos, secundum diversa dona spiritus quæ eis distribuet, et secundum diversa, ut alios quidem evangelistas, alios alterius modi prælatos faciat. Et per hoc innuit quod Deus erit naturaliter. Non enim Deos discernere posset, nisi in natura Deus existeret. Ergo quia Deus erit, et adeo potens quod deos judicabit, o principes Judæorum, *usquequo judicatis*, id est judicabitis, *iniquitatem ?* ac si dicat : Judicavistis iniquitatem in interfectione prophetarum, et *usquequo*, id est usque ad quem modum judicabitis iniquitatem ? ju- B dicabitis adeo iniquitatem, ut eum qui fidelium Deus est dignum morte judicetis? *Et* vos, minores, usquequo *sumitis facies peccatorum*, id est usque ad quem modum sumetis conformitatem principum, antonomastice peccatorum ? Ac si dicat : Conformes affecti fuistis principum 330 in consentiendo eorum judicio de nece prophetarum, eritis etiam conformes in consentiendo eis de morte Christi ? Nolite, vos principes, iniquitatem judicare, sed *judicate egeno et pupillo*, id est judicium justum facite ad honorem Christi, qui pro vobis erit egenus (cum sit tamen Deus excelsus), et pupillus, id est humilis et sine adjutorio, ut pupillus. Exponit autem quomodo ei judicent, cum subjungit : Dico *judicate*, et hoc modo quidem *judicate* : scilicet *justi- C ficate humilem et pauperem*, id est non peccatorem; sed justum eum reputate, qui pro vobis pauper et humilis esse non negligat. Humilis hic idem est quod et pupillus, et pauper idem quod egenus. Quia si principes, nolentes eum justificare, maluerint in mortem condemnare, vos saltem, plebs, *eripite* vi quadam ipsum pro vobis *pauperem*; et si vi non facitis hoc, *liberate* vel pretio vel aliquo alio modo illum *egenum de manu peccatoris*, scilicet potestate collectionis principum, qui peccatores sunt antonomastice, ne facultatem habeant dandi eum in mortem.

Ostendit autem ad auditorum correctionem eorum incredulitatis obstinationem, sic : Ego dico quod ipse Deus stabit, et deos judicabit. Hoc autem *nescie- D runt*, id est nescient minores, incredulitate sua excæcandi : *neque intellexerunt*, id est neque intelligent hoc principes, qui hujusce rei intellectum habere deberent, investigatione et testimonio Scripturarum et ideo *in tenebris ambulant*, scilicet in tenebris ignorantiæ suæ Deus eos permittet perseverare, ut de malo ambulent in pejus. In loco vero eorum *movebuntur* ad fidem *omnia fundamenta terræ*, id est omnismodi principes terrenorum, qui eos cura sua sustinent, ideoque fundamenta dicuntur. Vel *movebuntur* ad fidem omnismodi fundamenta terræ, id est fundantes spem et desiderium suum in terrenis. Revertitur autem ad exhortationem suam, cum sic addit : Dico justificate humilem et pauperem, et utile quidem est hoc facere. Et ipsi nescient neque

www.libtool.com.cn

intelligent *ego* tamen qui Propheta sum, cui credendum est *dixi*, et dico illis ? *Dii estis*. id est dii eritis vos, minores; deificati scilicet, ut immortales sitis et impassibiles si hoc feceritis. *Vos autem* minores, qui facere negligetis, *moriemini* morte animæ hic, et morte corporis in futuro, decepti a majoribus quibus ignoranter consentietis : *sicut homines* primi mortui sunt, decepti a diabolo, Adam videlicet et Eva, qui noluerunt per obedientiam deificari, a qua tamen morte post longum tempus liberandi sunt per Christum, quia pœnituerunt. Et vos, majores, quia iniquitatem judicabitis, cadetis in damnationem non decepti sed scienter peccantes, *sicut* diabolus, prius existens *unus de principibus* spiritibus cœli, cecidit in damnationem, non deceptus sed scienter peccans.

Et ut hoc sit, quod isti moriantur et cadant et fundamenta terræ moveantur ad fidem. *Surge, Deus*, Christe, a morte, qui resurrecturus es secundum quod homo, et *judica*, id est juste damna *terram*, terrenos scilicet, id est Judæos qui te in mortem dabunt timore terræ amittendæ; et ideo *surge, quoniam*, postquam surrexeris, *tu hæreditabis in omnibus gentibus*, id est omnismodi gentes ad fidem conversæ hæreditas tua erunt, Judæis repulsis. Unde testatur Apostolus : « Contigit cæcitas in Israel ex parte, ut plenitudo gentium intraret (*Rom.* II, 25). » Totus igitur iste psalmus, in persona Prophetæ expositus, potest etiam hoc modo legi, si in primo et in ultimo versu tamen Propheta in sui persona agens, per cæteros sex medios Christum Judæos increpantem inducit, ita tamen ut non multum sententia mutetur. Et hoc sic dicitur : Dico quod Deus Christus stabit in Synagoga deorum, et in medio stans deos dijudicabit, dicens ipse Christus: *Usquequo* vos, majores, *judicatis iniquitatem?* Judicatis usque in tantum, ut me dignum morte dicatis? Et vos, minores, *usquequo facies*, id est conformitates, *peccatorum* majorum scilicet, *sumitis ? Sumitis* usque in tantum, ut eis de morte mea consentiatis, qui jam in morte prophetarum consensistis? 331 nolite vos, majores, judicare iniquitatem; sed *judicate* illud quod mihi *egeno et pupillo* pro vobis sit ad honorem, scilicet *justificate*, id est justum reputate me *humilem et pauperem*. Quod si facere noluerint majores, vos, minores, *eripite* vi me *pauperem* ; etsi non vi, *liberate* vel pretio vel quolibet modo me *egenum de manu peccatoris* populi principum. Facit apostropham ad auditores, ut eorum majorum et minorum duritiam ostendat, sic : Dixi minoribus : *usquequo sumitis facies* ? et *eripite* me *de manu peccatoris*; et ipsi *nescierunt*, quod eis dixi scilicet, sed male fecerunt. Et dixi majoribus, *usquequo judicatis iniquitatem? neque* ipsi *intellexerunt* se judicare iniquitatem, cum hoc investigatione Scripturarum intelligere deberent. Ideoque *in tenebris* ignorantiæ *ambulant*, id est perseverant, ut magis et magis excæcentur; et in loco eorum *movebuntur* ad fidem *omnia fundamenta terræ*. Hoc, ut superius, dupliciter exponitur : Et quia *fundamenta* ad fidem

A *movebuntur, ego*, qui Deus et omnipotens sum, cujus velle est facere, *dixi*, id est cum Patre disposui, *ea* fundamenta, quia ad fidem movebimini; *estis dii*, id est eritis immortales et impassibiles, ut dii, et eritis omnes per me adoptivi *filii Excelsi*, id est Patris omnipotentis. *Vos autem*, minores de Judæis, quia nescientes estis, *moriemini* in æternum, existentes scilicet *sicut homines*, id est Adam et Eva, videlicet a majoribus decepti, sicut Adam et Eva decepti sunt a diabolo; *et* vos, majores, a nullo decepti *cadetis* de hac prosperitate in qua floretis, quia per superbiam noluistis intelligere; *sicut* diabolus, *unus* prius de *principibus* cœlestibus spiritibus, non deceptus ab aliquo, cecidit cum angelis suis de sublimitate cœlestis gloriæ per extollentiam arrogantiæ suæ. Post-

B quam Christum loquentem introduxit, in sua persona Propheta agit, apostropham ad eum faciens, sic : Dicis quod fundamenta ad finem mota dii erunt et filii Excelsi, et infideles Judæi morientur et cadent, et ut hoc sit, *surge, Deus* Christe, a morte, quem secundum humanitatem in mortem dabunt, et surgens *judica terram*, id est juste damna terrenos Judæos. Scilicet posset objici : Si Judæos damnaverit, qui ejus notitiam habent, in quibus postea regnabit? Ad quam objectionem sic respondet : Non ideo dimittas eos judicare, ut carere putes talibus qui sint hæreditarium regnum tuum; *quoniam* his judicatis, tu, qui hæreditas in Judæis, *hæreditabis in omnibus*, id est in omnismodi *gentibus* ad fidem conversis. Hoc autem prædicit ad instructionem fidei gen-

C tium, non ad hoc ut instruat Christum in quibus sit hæreditaturus post dejectionem Judæorum.

IN PSALMUM LXXXII.

Titulus octogesimi secundi : *Canticum psalmi Asaph*. Quod sic exponitur : Istud *canticum psalmi*, id est iste tractatus, qui dicitur *canticum psalmi*, est *Asaph*, id est fidelium congregationi quæ fuit ante adventum Christi; quæ prævidens per Spiritum sanctum tribulationes in ecclesia futuras, et a falsis Christianis et hæreticis et infidelibus inferendas, eas ad utilitatem fidelium passurorum prædicit, et a quibus inferentur ostendit. Minus enim lædunt jacula quæ, prævidentur quam quæ subito feriunt. Ideoque ut constantiores in ipsis tribulationibus exis-

D tant, eas prædicit. Orat quoque de remuneratione illorum qui eas patientur, et concessive etiam agit de dejectione adversariorum et hic et in futuro. Et orat pro parte quorumdam ex ipsis adversariis qui salvandi sunt; et per hoc nos instruit orare pro inimicis. Juxta quod Dominus in Evangelio dicit : « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Luc.* VI, 28). » Dicitur autem psalmus iste *canticum psalmi*, eo quod hic, licet breviter, agitur de cantico psalmi, id est de jucunda remuneratione bonæ operationis fidelium, pro qua fidelis Asaph orat, ubi dicit : *Ne taceas, Deus*, a remuneratione eorum in futuro. De bona operatione non ita plane igitur, 332 nisi quod ubi dicit, *adversus sanctos tuos*, eos innuit esse bene operaturos. Non enim sancti recte

www.libtool.com.cn

dicerentur, nisi bene operarentur. Tribulationes tamen ipsorum, quas enarrat, possunt congrue dici bonæ operationes. Quis enim dicendus est rectius bene operari, quam qui non fugit pro Christo tribulari.

Deus, quis similis erit tibi? nullus Per hanc interrogationem innuit tristitiam quam habet de quibusdam qui se Christo præferent, tribulando servos ejus; de quorum perditione agit statim concessive, ac si ponat: Sunt multi qui se tibi præferent tormentando tuos, et se tibi æquiparabunt, ut reputent se non pendere ex te, sicut tu ex eis non pendes, sed tamen nullus eorum erit similis tibi. Vel hanc interrogationem quasi admirative ponit, ut innuat magnam esse potentiam. Ac si dicat: *Deus*, Christe, quem impotentem adversarii tui reputabunt, eo quod non statim tuos remuneras, nec adversarios punis: *quis* tamen *erit similis tibi*, id est adeo omnipotens ut tu? nullus. Ergo, quoniam adeo potens es quod tibi nemo potest assimilari, tu qui modo taces a remuneratione tuorum, scilicet non remunerando eos in præsenti, prout merentur, *ne taceas* in futuro, sed remunera. *Ne quoque compescaris, Deus*, in futuro ab adversariorum vindicta, qui hic compescerisola clementia. Posset quæri quare hoc dicat, cum nondum sit aliquis qui ipsi adversetur? Ad quod respondet sic: Ideo dico *neque compescaris, quoniam ecce* in præsenti non diu morabitur, *quod inimici tui sonuerunt*, id est sonabunt, scilicet illi qui tibi inimicabuntur, in persecutione tuorum sonabunt, id est irrationabiliter frement adversus tuos contradicendo eis, a similitudine inanimatorum, ex quorum collisione fit sonitus. Et non solum sonabunt contradicendo; sed *et qui oderunt te*, id est inimici qui te odio habebunt, *extulerunt caput*, id est extollent contra te mentem. Et exponit quomodo extollent: hoc modo scilicet extollent caput, *quoniam malignaverunt consilium super populum tuum*, scilicet malignum consilium inierunt, id est inient verbis ut opprimant populum tuum, et non qualemcunque populum; sed *et cogitaverunt adversus sanctos tuos*, id est cogitabunt tale quid quod noceat servis tuis corporaliter. *Dixerunt enim*, id est dicent, scilicet, sic secum disponent, dicendo unus ad alterum:

Venite et disperdamus eos de gente. Ac si dicat: Ipsi fideles sunt gentes, id est maxima multitudo, sed promoveamur in eos, et disperdamus de gente auferendo, id est diminuamus eos *ut non* sint gentes, id est multitudo, et usque adeo disperdamus, quod non *memoretur nomen Israel ultra*, id est adeo eos destruamus, quod nec etiam ulterius mentio fiat nominis eorum, qui se Israel esse dicunt. Diceret aliquis: Unde erit tanta fiducia nomen Israel exstinguendi? Ad quod respondet: Inde est eis fiducia nomen Israel exstinguendi, *quoniam* hoc *cogitaverunt unanimiter*, id est cogitabunt una mala voluntate; et non solum cogitabunt, sed *simul*, id est in uno animo *adversum* te existentes, scilicet tibi contrarii *disposuerunt*, id est disponent inter se *testamentum* hoc, id est hoc firmissimum pactum, ut tuos disperdant, *tabernacula*, id est transitoriæ et pronæ ad casum multitudines *Idumæorum*, id est terrenorum et sanguineorum, scilicet multitudines falsorum Christianorum, id est qui, licet sint ecclesiasticis initiati sacramentis, tamen terreni sunt, id est omni modo terrenis inhiantes, et crudeles contra bonos, sicut ille crudelis est qui proximi sanguinem effundit; *et Ismaelitæ* disponent *adversum te*, id est illi iidem Christiani, qui, cum Deo promiserint obedientiam, Ismaelitæ tamen sunt, id est sibi obedientes in omnibus obscenis voluntatibus suis. Idumæi quidem 333 *sanguinei* vel *terreni*, Ismaelitæ vero *sibi obedientes* interpretantur, Ismaelita tamen obediens Deo dicitur; Ismaelitæ, dico, qui erunt *Moab*, id est non tantummodo sibi obedientes; sed etiam sunt populus exlex, id est sine lege præceptorum Dei; vel ex patre diabolo per infidelitatem geniti; vel a *Patre* Deo separati, scilicet recedentes ab eo per infidelitatem, qui filii noluerunt esse per fidem; Moab quippe *exlex*, vel *ex Patre* interpretatur.

Et *Agareni* disponent *adversum te*; hæretici scilicet, qui, licet per baptisma regenerati, se tamen per hæreses a fide faciunt alienos. Agareni quidem interpretantur *proselyti*; proselyti vero, idem quod est alieni. *Et Gebal* disponet adversum te scilicet populus hypocritarum, « qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 15). » Gebal *vallis vana* dicitur. Unde per Gebal hypocritæ denotantur; qui, cum vani sint et superbi, se faciunt valles, id est humiles. Et *Ammon* disponet *adversum te*, id est *populus turbidus*, scilicet principes hæreticorum qui sunt turbidi, et turbidam doctrinam et obscenam propinantes. Et *Amalech* disponet, id est populus lambens, scilicet Simoniaci, qui lambentes sunt, id est per pecuniam et ambitionem Ecclesiastica dogmata, quasi cum ingluvie amplectentes. Amalech quidem interpretatur *lingens* vel *lambens*. *Et alienigenæ* disponent, Philisthæi quidem; quia semper exstitere Judæis adversarii, hoc appellativum nomen, quod est alienigenæ, quasi proprium sunt sortiti. Oeum igitur *alienigenæ* ponit, idem est ac si poneret *Philesthæi*. Per Philisthæos autem, qui *potione cadentes* interpretantur, illi falsi Christiani bonorum adversarii accipiuntur, qui obscena potione luxuriæ nimis imbuti, a bonorum consortio cadunt, et eis omnimode adversantur. Dico quod omnes isti, licet sacramentis Ecclesiasticis initiati, scilicet falsi Christiani, et hypocritæ, et hæretici disponent *testamentum adversum te*: ipsi dico concordes in hoc *cum habitantibus Tyrum*, id est cum habitantibus in Tyro, id est in angustia, scilicet cum infidelibus qui in hoc perseverant ut omnino bonos angustient. Tyrus autem alio vocabulo dicitur *sor*. Sor quippe *angustia* dicitur. Unde cum Tyrum ponat, idem est ac si diceret *Sor*. Dico quod et infideles et falsi Christiani, et hypocritæ et hæretici, dispo-

www.libtool.com.cn

nent *testamentum adversum te*: Et vere disponent.

Etenim Assur, id est diabolus, *venit*, id est veniet cum illis omnibus, per pravas suggestiones, ut eos hoc disponere faciat. Diabolus quidem bene dicitur Assur, id est *diligens* vel *deprimens*, vel *elatus*; illos enim quos decipit, ad mortem dirigit, id est recta via per peccata ducit, et bonos per instantiam malorum operum deprimit, et se semper contra Deum arroganter extollit. Qui diabolus per Nabuchodonosor præfiguratus est, qui ad historiam multitudinem gentium ad opprimandum Hierusalem adduxit; qui etiam Nabuchodonosor Assur genere fuisse dicitur. Et illi omnes *facti sunt*, id est fient *in adjutorium filiis* Lot, id est filiis declinationis; Lot enim *declinatio* dicitur. Unde per filios Lot, maligni spiritus intelliguntur, qui, cum primum speciales filii fuissent, a Deo per arrogantiam declinaverunt; qui, quoniam per se bonos persequi nequeunt, iniquos omnes sibi in adjutorium adjungunt, quorum officio multimode illos afflígunt. Concessive autem agit de perditione illorum adversariorum qui erunt ecclesiasticis initiati sacramentis, sic: Ergo quia Moab et cæteri disponent *adversum te*, *fac illis sicut Madian*, id est utpote illis qui sunt Madian, id est *declinantes judicium*, scilicet falsi Christiani et hæretici, qui reputatione sua declinant judicium futurum, scilicet non timent ut tu justo judicio 334 damnes eos in futuro, *et Sisaræ*, id est utpote illis qui sunt Sisara, id est *equi visio* vel *exclusio gaudii*, scilicet videntes in cognitione sua semper equum, id est luxuriam vel bellum contradictionis contra bonos, quod utrumque per equum intelligitur, qui luxuriosum animal est et bello aptum, et qui male vivendo excludunt a se gaudium æternum. Et *fac illis Jabin*, id est damna, utpote illos qui sunt *Jabin*, id est *intellectus* vel *sapiens*: scilicet qui se reputant subtiliter intelligentes, cum erronei sint et sapientes solummodo carnalia. Hoc quidem hæreticis convenit. *Sicut Madian et Sisaræ, et Jabin* dico, existentibus *in torrente*, id est nimia abundantia Cisson, id est *duritiæ*, scilicet qui abundanter sunt in perfidia indurati. Torrens vero pro abundantia ponitur, eo quod aquis nimium exuberet. Dico quod initiatis sacramentis concedo ut facias sicut faciendum est, de quorum damnatione non est omnino constans, eo quod fideles esse videantur; de damnatione vero infidelium non oportet me concessive agere, cum jam in manifesto sit. Ipsi namque *in Endor* existentes, *disperierunt*, scilicet existentes solummodo *in fonte generationis* et nolentes esse in fonte generationis, id est in carnalitate sua scilicet, in qua generati sunt, ideoque dicitur fons, id est origo generationis, et nolentes pervenire ad baptisma, quod fons est salutiferæ regenerationis, disperibunt, id est omnino peribunt. Et quamvis omnino pareant, non tamen videri debent inutiliter esse nascituri. Nam *facti sunt ut stercus terræ*, id est comparabiles stercori, fimo scilicet super terram disperso: qui, licet in se fetidus sit, tamen humum impinguat et fertilem facit. Sic et infideles in se fetentes et sordidi, bonos tamen, quos affligunt, per tribulationes in bonis operibus fertiles faciunt, et divina gratia impinguatos.

Interposita divisione damnationis et salutis, revertitur ad concessionem damnationis eorum qui sacris Christianis sunt initiati, sic: Dico *fac* falsis Christianis *sicut Madian et Sisaræ*. *Principes* autem *eorum pone sicut Oreb, et Zeb et Zebee, et Salmana*, id est illos qui eos excitant ad errorem et ad bonorum oppressionem, *pone* in damnationem *sicut Oreb*, id est utpote illos qui sunt Oreb, id est *siccitas* velut *corvus* vel *foramen*, scilicet qui sunt sicci a gratiæ spiritalis rore; et aliorum bona nituntur exsiccare, et nigri in peccatis in modum corvi; et foramen serpentis, id est caverna serpentis, scilicet in quibus habitat diabolus qui antonomastice serpens venenifer dicitur. Ac per quos etiam sibilat et pungit, dum eorum linguæ officio perfidiæ et erroris venenum aliis ingerit, a similitudine serpentis, qui in foraminibus et cavernis habitans, inde sibilat, et accedentes ad se pungit, et eis venenum ingerit. Hoc autem hæreticis convenit. Et *sicut Zeb*, id est, utpote illos qui sunt Zeb, id est *lupus*; devorantes alios tribulando, ad modum lupi. Et hoc infidelibus convenit, et qui sunt *Zebee*, id est *victima lupi*, scilicet, qui per opera mala diabolo sacrificant, et alios sacrificare cupiunt, qui lupus rapax antonomastice dicitur. Hoc vero congruit falsis Christianis, et qui sunt *Salmana*, id est *umbra commotionis* vel *consummati*, scilicet qui sunt faciles ad hoc ut ad omne malum commoveantur, ut umbra quæ ad modum solis movetur, et qui sunt umbra, id est obumbrati cæcitate, et in malitia consummati, id est perfecti. Adjungit etiam causam quare de eorum dejectione sic concessive agat. Dico *pone* in damnationem principes, *omnes principes eorum*, inquam, *qui dixerunt*, id est qui dicent scilicet voce, quidam autem mala affectione, quidam vero dixerunt ipsa persecutione: *hærebitate*, id est hæreditario modo, *possideamus* in dominio nostro *sanctuarium Dei*, id est sanctum populum Dei, scilicet ita possideamus et ad libitum nostrum excolamus populum Dei, ceu quilibet 335 hæreditatem suam ad libitum suum possidet et excolit. Ac si dicat: Ideo eos *pone*, quia dicent; *possideamus sanctuarium Dei hæreditate*.

Ostendit quidem quomodo concedat eos poni, cum sic addit: Dico *pone principes*, scilicet hoc modo *pone*, o Deus meus, *pone illos* hic *ut rotam*, id est similes rotæ, ut eleventur in posterioribus, id est in terrenis, quæ post tergum semper relinquuntur, dum transeunt, et dejiciantur in anterioribus, scilicet in bonis cœlestibus, ne ea adipiscantur, ut præsumunt, quæ anteriora sunt, id est adhuc ventura; ad similitudinem rotæ, quæ in posterioribus elevatur et in anterioribus dejicitur. Quod est dicere: Permitte eos in sæcularibus prosperari, ut in cœlestibus dejiciantur, et *pone illos sicut stipu*

www.libtool.com.cn

lam, ante faciem, id est ante impetum *venti*, scilicet, ut sic instabiles sint et inconstantes resistere suggestionibus diaboli, sicut stipula eradicata inconstans est ante impetum venti; et in futuro *persequeris illos in tempestate tua*, id est in judicio tuo, quod dicitur tempestas, eo quod bonos a malis separabit, ut tempestas grana separat a paleis, paleas rapiens, et grana dimittens. Seu etiam tempestas dicitur, eo quod ipsum angelorum multitudo comitabitur, quod bonos a malis separabit, ad similitudinem tempestatis, juxta quod alibi legitur: « In circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX, 2); » *et* post tempestatem *in ira*, id est in vindicta *tua turbabis eos*, cum in gehennam ignis æterna mittentur. Dico *persequeris*, *ita* scilicet persequeris *sicut ignis* persequitur *silvam*, *qui comburit eam*; et non qualemcunque silvam, sed *sicut flamma*, id est ignis flamma, *comburens montes*, id est silvas montium, persequitur ipsas montanas silvas. Quod est dicere: Sicut ignis in silvis montium ubi violentior est, pro nimio impetu ventorum, adeo ipsas silvas persequitur ut ex toto destruat, sic et tu, Deus, in futuro justo judicio *persequeris eos*, ut omnino perdas. Orat autem de salute quorumdam principum salvandorum: Dico *pone principes ut rotam*, illos scilicet qui damnandi sunt, *facies autem eorum*, id est conscientias quorumdam eorum salvandorum *imple* hic *ignominia*, id est verecundia, scilicet ut se cognoscant ignominiosos quia peccaverant, et sic verecundentur. *Et* per hoc, o Domine, *quærent* bene vivendo *nomen tuum*, id est honorem nominis tui; conscientia quidem ideo facies dicitur, quia sicut in facie rubor, qui verecundiæ signum est, apparet, ita in conscientia ipsa verecundia manet.

Revertitur autem ad concessionem damnandorum sic: Dico ut facies salvandorum impleantur ignominia, damnandi autem in futuro *erubescant* ad damnum, qui hic erubescere nolunt ad commodum, *et conturbentur in sæculum sæculi*, id est doleant in æternum; repetit ut addat, *et confundentur*, inquam, id est conturbentur, *et pereant* æterna morte, et tunc *cognoscant* quod hic cognoscere nolent, scilicet *quod tibi* est *nomen Deus*, id est quod *tu solus* juste Deus vocaris, id est Creator, et alius non est præter te, et quod tu solus *es Altissimus*, id est Omnipotens dominans *super omnem terram*; Ac si dicat: dum hic suas voluntates facient et tuas spernent, se tibi assimilabunt, et te solum Altissimum esse non putabunt; quod tandem in futuro cognoscent cum juste peribunt.

IN PSALMUM LXXXIII

Psalmi octogesimi tertii titulus: *In finem pro torcularibus, filiis Chore psalmus.* Quod sic exponitur: *Psalmus* iste est attribuendus adoptivis *filiis Chore*, id est, perfectis imitatoribus passionis Christi, agentibus pro torcularibus valentibus *in finem*, id est, agentibus pro pressuris tribulationem, quæ ad hoc valent ut parientes se ducant in finem, id est perfectionem æternæ beatitudinis. Vel *filiis Chore in finem* respicientibus, id est in Christum, per quem se ad beatitudinem venire confidunt, et agentibus *pro torcularibus*, id est ad laudem torcularium, quæ quibusdam inutilia esse videntur. Torcularia quidem pressuræ tribulationum dicuntur, eo quod 336, sicut torcularia uvas exprimunt, et mustum ab acinis separant, et in apothecas Domini ipsum mustum fluere faciunt, acina remanent, sic et tribulationum pressuræ bonos deprimentes; ipsos corporali morte a malis separant, dum eorum animæ a corporibus separatæ in cœlum ascendunt; mali vero, tribulationibus deficientes, illuc pervenire nequeunt. Introducuntur autem filii Chore, hic agentes et ipsas tribulationes laudantes, per quas venitur ad atria vitæ cœlestis ab hac valle lacrymarum. Et hoc ideo faciunt, ut incitent auditores ad patiendas ipsas tribulationes; quæ eis erunt utiles, ut per eas perveniant ad beatitudinem. Ne vero solo merito patientiæ tribulationum ad hoc se posse venire præsumat aliquis, ostendunt quod nullus ad hoc perveniet, nisi fundet opera sua in spe et fide et dilectione, et nisi etiam Deus eum adjuvet per gratiam suam ad ascensum beatitudinis; unde etiam orant ut Deus eos ad hoc adjuvet, per meritum bonitatis Christi, melius esse dicentes in æterna Hierusalem esse civem minimum, quam hic in Babylonia civitate peccatorum summum et præcipuum.

Quam dilecta tabernacula tua, id est militiæ tuæ per tribulationes quæ transitoriæ sunt, ad modum tabernaculorum, *Domine* Deus *virtutum* supernarum! Ac si dicat: Cum viris sæcularibus dilectum sit et charum, pro sæcularibus dominis sub multo tribulationem pondere militare, cum tu quidem adeo potens sis quod et virtutibus cœlestibus dominaris, *quam dilecta* sunt nobis *tabernacula tua*, id est valde nobis dilectæ sunt militiæ tuæ, in gravissimo pondere tribulationum! Et per ipsa tabernacula, *concupiscit anima mea* pervenire *in patria Domini*, id est in amplitudinem Hierusalem cœlestis, quæ civitas est Domini: Et non solum *concupiscit*, sed *et deficit* per tribulationes ab hac vita scilicet, dum a corpore per tormenta separatur, ut perveniat *in* ipsa *atria Domini*, a similitudine uvæ, quæ deficit in torculari, ut mustum expressum defluat in cellaria Domini. Quia vero dixerat quod *anima concupiscit*, et constat duas esse vires animæ, sensualitatem scilicet (quam hic carnem vocat, eo quod carnem vegetat, et ea quæ carnis sunt sapit), et spiritualitatem, quæ etiam rationalitas dicitur (quam hic *cor* vocat, eo quod regit et disponit sensualitatem et ipsum corpus), ostendit hic utramque vim exsultanter cupere ad æternam beatitudinem, scilicet ad conformitatem vivi Dei pertingere; cum tamen sensualitas, nisi multis jejuniis et afflictionibus aliis dometur, soleat sæpe spiritualitati repugnare, juxta illud Apostoli: « Caro, id est sensualitas, concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem (*Gal.* 5, 17). » Cum igitur carnem, id

www.libtool.com.cn

est sensualitatem dicat in tribulationibus exsultare, ut per hoc possit ad Deum vivum pervenire, innuit eam, per afflictiones plurimas domitam, spiritualitati consentire; et nos in hoc instruit carnalitatem nostram, ut spiritui non repugnet, similiter edomare. Et hoc sic dicit : Dico quod *anima mea concupiscit* per pressuras *ad atria Domini* pervenire; et non concupiscit hoc secundum unam vim tantum, sed *cor meum*, id est spiritualitas, *et caro mea*, id est sensualitas, *exsultaverunt*, id exsultanter concupiverunt *in Deum vivum* pervenire, per torcularia tribulationum, id est in conformitatem Dei vivi, in quantum ei possum conformari, scilicet ut in æternum vivam; et non superflue addit vivum: ac si dicat: Cum vivus ipse sit et immortalis, quis non concupiscat ad eum pervenire ut vivat? Ostendit autem qua fiducia se putat ad hoc pertingere, cum sic addit: Dico quod *anima mea concupiscit* pervenire *in atria Domini*, et confido quod perveniam.

Etenim passer invenit sibi domum et nidum, *et turtur* domum et *nidum*, *ubi ponat* et foveat *pullos suos*. *Domum* et *nidum* ad utrumque referri debet, sed propter brevitatem, *domum* ad *passer* adjunxit, et *nidum* ad *turtur*. Passer quidem 337 jure spiritualitas dicitur, eo quod ad alta semper tendit, et more passeris, quæ nunquam nisi in altis locis nidificabit. Turtur vero sensualitas dicitur, eo quod sub multis tribulationibus gemit, et per domationem tribulationum casta efficitur, ut non luxuriet neque spiritui repugnet, more turturis, quæ assidue gemit et casta est. Pullos vero bona opera dicit, eo quod a fidelibus procedunt, et ab eis semper augmentantur, sicut pulli ab avibus procedentes, ab eisdem avibus nutriuntur et foventur. Charitatem vero vocat domum, eo quod non cito transitoria sit, sicut nec domus; spem vero et fidem nidum, eo quod ad similitudinem nidi ad tempus erunt, juxta illud Apostoli : « Charitas nunquam excidit (*I. Cor.* XIII, 8); » et iterum : « Major autem horum est charitas. (*Ibid.* 13). » Per hoc innuit quod fides et spes in futuro excident. In hac ergo domo et in hoc nido pulli ponuntur et foventur, id est bona opera fundantur et augmentantur, quæ aliter perirent more pullorum, qui in nido positi foventur, ne pereant. Verba vero versus istius sic adaptantur : Vere confido me pervenire in Deum vivum; etenim *passer*, id est spiritualitas, per gratiam Dei *invenit sibi*, id est ad utilitatem suam, *domum*, id est charitatem, et *nidum*, id est, spem et fidem, et *turtur*, id est sensualitas, *invenit domum* et *nidum*, *ubi* utraque *ponat pullos suos*, id est, fundet et augmentet bona opera sua; utraque namque avis sic bene operatur : ideoque utraque congrue dicitur opera ponere in *domum* et *nidum*. Dico quod *passer invenit domum*, et *turtur nidum*; quæ domus et nidus sunt *altaria tua*. Et vere *altaria* : quia sicut super altare offeruntur sacrificia, ita super spem, fidem et charitatem debent Deo offeri omnia bona opera. Ostendit autem quare concupiscit venire in atria Domini : Et hoc ideo, o *Domine*, Deus *virtutum* supernarum existens, *rex meus* et *Deus meus*, quoniam *beati qui habitant in domo tua*, Hierusalem cœlesti. Ac si dicat: Quis non concupisceret venire in atria tua, cum sis *Deus*, id est Creator, et *Dominus virtutum*, et *rex*, et cum omnes *beati* sint *qui in domo tua habitant*? Atria et domus, pro eodem hic habet. Cum dicit *beati*, innuit eos tantam habere beatitudinem, quanta intelligi potest; et inde constat eos esse beatos: quia *laudabunt te* devotionis amore *in sæcula sæculorum*, id est in æternum. Non enim in æternum laudarent, nisi in æternum beati essent. Ad hanc autem beatitudinem per se nemo potest pertingere, licet habeat spem, fidem et dilectionem; sed *beatus* est *vir* ille, id est, ille solummodo vir ab hanc beatitudinem pervenit, *cujus est auxilium abs te* ad *ascensiones* beatitudinis quas *disposuit in corde suo*. Quod est dicere : Ille solus dicendus est ad beatitudinem perventurus, qui, cum disponat in corde ad hanc beatitudinem ascendere, per multas ascensiones virtutum et bonorum operum a gratia tua suscipit auxilium. Per se namque nullius est ascendere, Domino sic attestante : « Nemo ascendit in cœlum, » per se scilicet, « nisi Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III, 13). »

Dico quod *ascensiones disposuit* utpote existens *in valle lacrymarum*, id est in hac vita, quæ humilis est et plena lacrymis tribulationum, ad comparationem alterius vitæ, quæ comparata huic mons dicenda est, et gaudio plena. Ac si dicat: Dignum est ut ascensiones disponat; quis enim nollet, nisi demens, a valle lacrymarum in lætitiæ montem ascendere? Et ne immeritus videretur quilibet *in valle lacrymarum* esse, addit : *In valle lacrymarum* dico, *in loco* scilicet *quem* ipse homo *posuit* sibi peccando; ac si dicat: quem non habet homo qui libet culpa auctoris, sed culpa sui. Vel sic : Ne aliquis impatienter ferret *in* hac *valle lacrymarum* esse, addit: *in loco* scilicet *quem posuit* Deus humano generi, id est in quo constituit nos affligi propter crimen protoplasti. Quoniam autem dixerat : *beatus vir cujus est auxilium abs te*, posset aliquis quærere : Auxiliatur ne Deus ad hoc? Ad quod sic respondet: vere *auxilium est* beatis a Deo. *Etenim legislator*, Christus scilicet qui nobis legem dedit, dat *et dabit* perseveranter *benedictiones*, id est multiplicia dona gratiæ, per quæ suos benedicet, id est exaltabit 338 beatitudinem, et per ipsas *benedictiones*, *Ibunt de virtute in virtutem* ascendendo. Et in futuro in Sion cœlesti *videbitur* Christus *Deus deorum*, scilicet qui, cum Deus sit, deificabit quoque suos; vel in ipsis *Sion* existentibus *videbitur* spiritualiter *Deus deorum*, Trinitas scilicet Deus. Quod est dicere : « Ratione videbunt in se Deum, quem hic videre nequeunt, erit enim Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV, 28); » vel sic : Adeo ascendent, quod in hac vita

www.libtool.com.cn

videbitur Deus deorum, et non corporaliter, sed *in Sion*, id est in specula contemplationis. Ac si dicat: adeo suos beatificabit, et ascendere faciet *de virtute in virtutem*, quod etiam eos se faciet contemplari.

Orat autem pro ipsa visione Dei et beatitudine, sic: Dico quod *Deus deorum videbitur*. Et ut te videam et beatus fiam. *Domine*, qui potens es, quia *Deus virtutum* supernarum es, *exaudi orationem meam*, quia oro ut te videam. *Auribus*, inquam, *percipe*, id est, in potentia misericordiæ tuæ per quam clementer exaudis, *percipe* ipsam orationem, *Deus Jacob*. Ac si dicat: Ora, ut quia *Deus* es meus *Jacob*, sic etiam Deus meus Israel, ut scilicet, qui jam facis me strenue luctantem, facias quoque te contemplantem. *Exaudi orationem*, et *percipe auribus* et *aspice*, *Deus*; idem est ex affectione nimia toties repetitum; et tu, *Deus protector noster*, ne in tribulationibus hujus vitæ deficiam, *aspice* nos aspectu misericordiæ, id est nobis misericorditer tribue ut tui contemplatores simus, qui hoc nobis impendis ut *protector noster* sis in tribulationibus. Et quod non hoc exigunt nostra merita ut nos aspicias, *respice in faciem*, id est in pulchritudinem virtutum et bonorum operum *Christi* Filii *tui*, capitis nostri, scilicet considera quod hoc pulchritudo Filii tui Christi exigit, ut nobis per eum miserearis. Faciem pro pulchritudine ponit, eo quod in facie hominum soleat eorum pulchritudo notari. Et ideo tantopere postulo te videre et ad vitæ æternæ beatitudinem pertingere, quia illa *una dies* et indeficiens, quæ est *in atriis tuis*, id est cœlesti Hierusalem, *melior est super millia* dierum hujus vitæ, infinite. Quod est dicere. Ideo desidero ad te pervenire, et ad vitam æternam pertingere, quia illa una dies vitæ æternæ, quæ indeficiens est, dignior est et præstantior infinitis millibus dierum hujus vitæ, qui deficient. Per hoc autem quod sic vitam æternam commendat, auditores ad eam perquirendam instigat.

Et quia talis est illa dies una, *elegi abjectus*, id est minimus civis *esse in domo Dei*, Hierusalem cœlesti, *magis quam habitare*, id est diu manere præcipuus et honoratus *in tabernaculis peccatorum*, id est in transitoria conversatione peccatorum sæcularium virorum. Abjectus quidem pro minimus ponit, non quod ibi aliquis abjectus futurus sit, sed quoniam minimos dicere consuevimus abjectos; et quidam erunt ibi minimi, quidam vero summi, juxta illud Apostoli: « Sicut stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum (*1 Cor.* xxv, 42). » Dico quod *elegi abjectus esse in domo Dei*, ad quam domum non credo me meritis meis pertingere, o auditores, sed per misericordiam et veritatem Dei, *quia misericordiam et veritatem diligit Deus*, id est quia Deus misericors est et verus, qui promisit se nos perducturum ad illam domum, Et quia misericors est et verus, *Dominus dabit gratiam et gloriam*, id est gratuitam gloriam in futuro, scilicet vitam æternam. Exponit autem quibus dabit, et ostendit quod in perpetuum dabit, quod amplius, postquam dederit, *non privabit bonis* illius gloriæ *eos qui in innocentia* existentes *ambulant*, id est promoventur de bono opere ad bonum opus. Quod est dicere: innocentibus qui bene operabuntur, dabit ea bona: et postquam dederit non privabit, et hæc bona nullus habebit, si de eis desperaverit; sed, *o Domine virtutum* supernarum, *beatus* erit *vir* ille, id est his bonis beatificabitur vir ille, *qui sperat* ea quæ sunt *in te*, scilicet bona ista. Ac si dicat: Cum Deus virtutum sis, quis beatior quam *qui sperat in te?* vel *beatus* erit hic *qui sperat in te*, non in se, scilicet qui non confidet se per merita sua ad hoc attingere, sed per te. Qui vero in se solo confidit, nunquam perveniet.

339 IN PSALMUM LXXXIV.

Psalmi octogesimi quarti, titulus: *In finem filiis Core psalmus*. Quod sic exponitur: psalmus iste est respiciens in finem, id est in Christum, cujus beneficia narrat quæ humano generi contulit; et hoc filiis Core, id est ad utilitatem illorum qui futuri sunt filii Core, id est imitatores Christi crucifixi. Per hujus psalmi narrationem non dicit *filiis Core*, quod hic loquantur filii Core, vel quod hic ad eos agatur; sed quod hic Propheta, ostendens beneficia per Christum humano generi data, auditores ipsa narratione incitat ut ejus imitatores efficiantur, a quo eis tot beneficia collata sunt: istud enim eis utile nimium est. Ista vero beneficia, adhuc in tempore suo futura, quasi jam præterita more præterito enuntiat, et pro eis orat.

Benedixisti, id est benedices, *Domine* Pater, *terram tuam* futuram per benedictionem, prius per Adam maledictam. Ac si dicat: humanum genus, quod terra dicendum est secundum sensualitatem quæ terrenis est intenta, maledictum fuit per Adam, id est humiliatum ad vitia et mala opera. Quod præsignatum est per hoc quod dixit Dominus ad Adam: « Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* v, 17): » Sed tu, Domine Pater, benedices illud genus humanum, id est exaltabis in virtutibus et operibus: et per hoc facies illud *terram tuam*, ut tibi scilicet proferat fructum bonorum operum: Et priusquam benedicas, *avertisti*, id est avertes *captivitatem* a *Jacob*, scilicet maxima generis humani parte, quam facies *Jacob*, id est viriliter luctantem contra diabolum, et vitia avertes ne sint in *captivitatem*, scilicet ne in subjectione diaboli teneantur captivi. Et postquam avertes *captivitatem*, *remisisti iniquitatem plebis tuæ*, id est remittes in plebe tua *iniquitatem*, scilicet comprimes in ea fomitem peccati, id est pravam concupiscentiam, ne ei prævaleat, et ad pravam actionem pertrahat. Et priusquam iniquitatem remittas, *operuisti*, id est operies, scilicet demerges et delebis in baptismate, *omnia peccata eorum* tam originalia quam actualia. Quod præfiguratum est in filiis Israel mare Rubrum olim transeuntibus; inimici quorum a tergo sequentes operti sunt in mari, et demersi et mortui.

www.libtool.com.cn

Notandum quod hæc beneficia non narrat ordine; prius enim fuit a captivitate per fidem averti, postea vero peccata operiri, et sic post iniquitatem remitti; et ad ultimum in bonis operibus et virtutibus benedici. Ne vero videretur quod nullum aliud beneficium esset collaturus, innuit quod multo perfectius dabit in futuro, cum addit *mitigasti*. Quod sic continuatur: Dico quod benedices, *captivitatem* avertes, *iniquitatem* remittes, *peccata* operies; et hoc modo *mitigasti*, id est mitigabis *omnem iram tuam*, id est omnismodi vindictam tuam; ac si dicat: vindictam tuam multimode in humano genere exerces, propter peccatum Adæ, cum illud diabolo per mala opera subjici permittis, et captivari, et iniquitatem ejus intendi, et mortale et passibile esse. Hanc autem vindictam non hic ex toto auferes, sed aliquantulum mitigabis hic omnis modi vindictam, cum benedices et captivitatem avertes. In futuro vero *avertisti*, id est avertes te *ab ira indignationis tuæ*. Indignatio solet aliquando poni pro leviori ira; sed in alia translatione habetur *ab ira furoris tui*. Unde colligimus, indignationem hic pro nimia ira poni. Et est additum ad determinationem, ut sit dictio intransitiva, sic: in futuro avertes te *ab ira indignationis tuæ*, id est ab illa ira quæ indignatio dicenda est eo quod magna sit, scilicet avertes te a magna vindicta tua. Quasi poneret: Hic remittes eis parvam vindictam, quam pro peccato Adæ in eis exerces, intentionem scilicet iniquitatis, et cætera hujusmodi quæ minora dicuntur, eo quod non sic gravare malos videntur, cum potius in eis delectentur; in futuro vero avertes ab eis majorem vindictam, quæ præ nimia magnitudine sua furor dicitur, scilicet mortalitatem et passibilitatem, quæ ipsos etiam 340 malos valde gravant, ideoque major vindicta dicuntur et furor.

Orat autem quod enuntiavit, sic: Dico quod benedices, et *captivitatem* avertes, etc. Et sic fiat, o *Deus salutaris*, id est salvator *noster*, *converte nos* a maledictione ad benedictionem, a captivitate in libertatem, ab intentione iniquitatis ad remissionem: a peccatorum instantia ad eorum opertionem et dimersionem.

Et dixi quod in futuro avertes iram indignationis; et ita sit: *Averte* ex toto *a nobis* in futuro *iram*, id est magnam vindictam *tuam*. Et ideo hoc oro, quia *nunquid* est credendum quod quidam falso asserunt, scilicet quod *in æternum irasceris nobis*, nos non resuscitando, et immortalitatem non reducendo? Esses enim in æternum iratus nobis, si non resuscitaremur, et ad immortalitatem non restitueremur. An si resuscitaveris, et immortales feceris, *extendes iram*, id est vindictam tuam *a generatione* hac terrena, usque *in generationem* futuram cum resuscitabimur? scilicet, cum hanc vindictam in nobis hic exerceas, ut simus passibiles, extendes eamdem hanc vindictam usque in generationem futuram, ut et tunc passibiles simus, sicut quidam opinantur? Hoc autem sensisse videntur illi qui Dominum interrogasse in Evangelio leguntur, cujus esset in resurrectione futura mulier quæ septem fratribus nupserat; quibus Dominus respondit: « In regeneratione neque dubent neque nubentur (*Luc.* xx. 33, 35). » Hanc autem quæstionem per singula solvit, cum adjungit: Vere non *irasceris in æternum*: sed *tu* Deus in futuro *conversus* ab ira ad misericordiam *vivificabis nos*, resuscitando et immortales faciendo. Et non *extendes iram tuam*, *a generatione in generationem*; quia *plebs tua*, nos scilicet et nostri conformes, *lætabitur in te*, id est participatione impassibilitatis tuæ. Ac si dicat: nulla sollicitudine passionis anxiabimur: sed de participatione gloriosæ impassibilitatis tuæ lætabimur.

Orat etiam de hoc, ut contingat, sic: Dico *vivificabis non* in futuro, *et lætabimur in te*; et ita sic, Domine, *ostende nobis* in futuro hanc *misericordiam tuam*, scilicet, vivificationem et lætitiam misericorditer dandam. Et non sic ostendas ut non des (sicut perdendi, ad accumulationem miseriæ suæ, bonorum gloriam videbunt, quam non habebunt), sed *ostende* et da *nobis salutare tuum*, id est salvationem illam vivificationis et lætitiæ; *Misericordiam* et *salutare* pro eodem habet.

Vel potest esse oratio de adventu Filii, per quem hæc beneficia erant conferenda sic: Dico quod vivificabimur et lætabimur; et, quia hæc contingere nequeunt, nisi Filius tuus incarnetur et visibilis appareat, ostende nobis, Domine Pater, misericordiam tuam, id est visibilem fac apparere filiis nostris, qui tunc erunt, Filium tuum incarnatum, per cujus obedientiam mundo misereberis, ideoque tua misericordia dicitur. Et quia non omnibus salvandis visibilis ostendetur, saltem *da nobis* omnibus salvandis, tam præsentibus quam futuris, eum, *salutare*, id est salvatorem, *tuum*, scilicet da ut sit omnium credentium salvator, tam videntium quam non videntium. Quoniam autem Propheta beneficia hæc annuntiaverat, ut autorizabilia sint sua verba, ostendit non a se, sed a Spiritu sancto hoc habere, sic: Dico quod *Deus vivificabit nos*, et quod in eo lætabimur.

Hoc autem ex me non dico, sed frequenter audio, quod hæc et hujusmodi alia loquitur in me, non verbis sed occulta inspiratione, Dominus Deus spiritus. Et non solum hoc audio, sed et incessanter *audiam quid loquatur in me*, id est in interiori meo. *Dominus Deus*. Ac si dicat: Nulla sollicitudo terrenorum me ab hoc auditu poterit revocare. Et dignum est ut hoc semper audiam; quoniam non vile erit quod loquitur, sed *loquetur pacem* venturam *in plebem suam*. Judaicam, scilicet; pacem æternam, quando nulla passione inquietabimur, sed jugiter in Deo lætabimur. Per hoc autem quod se dicit frequenter auditurum, auditores instruit, 341 quod ad hanc pacem semper esse debeant intenti. Et bene plebs Judaica sua dicitur antonomastice, eo quod ejus notitiam semper habuerit. Ne vero putaretur super omnem Judaicam plebem, ventura determinat, cum addit: Dico quod

www.libtool.com.cn

pax *in plebem suam* veniet; *et*, id est scilicet *super sanctos suos* veniet, id est sanctis qui erunt in plebe Judaica; et de superiori dispositione Dei dabitur illa pax. Et non solum in sanctos ex Judæis veniet illa pax, *sed et in eos* ex gentibus *qui convertuntur*, id est qui convertentur ab errore irrationabilis infidelitatis, *ad cor*, id est ad rationem cordis, ut Auctorem suum cognoscant et adorent. Bene quidem dicit gentes esse convertendas *ad cor*. Fuerunt enim extra cor, cum cultum, Deo debitum, creaturis impenderent, cum idola scilicet adorarent. Dico quod in sanctis erit pax, *verumtamen prope timentes eum erit salutare ipsius*, non prope illos sanctos qui ex sanctitate superbientes deficient. Ac si dicat : Quamvis dixerim indeterminate sanctos, multi tamen sancti erunt quia sanctitate deficient, a quibus salvatio æternæ pacis elongabitur ; sed et salvatio *prope timentes* erit, id est: illis qui hic eum semper timebunt, ut non superbiant, erit propinqua illa salvatio per Christum, dum in hoc mundo erunt. Dico quod hic erit salvatio prope sanctos, *et* novissime *prope timentes*, ut tandem in futuro habitet, *in terra nostra*, id est in terrena modo carne nostra, scilicet ut non solum gloriosi simus in animabus, sed et in corporibus, juxta illud Apostoli : « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem (*I Cor.* xv, 53). » Vel sic potest legi, ut determinet inter quos conversabitur, ad instructionem fidei nostræ; et ad hoc, ut Judæos, inter quos dicit eum conversaturum, magis obnoxios sibi reddat, vel ut etiam ad utilitatem fidei gentium determinet : Quia non illos suos inter quos conversabitur, glorificabit, sed omnes qui eum adorabunt et credent, dico quod pax ejus veniet et in sanctos ex Judæis, et *in eos qui convertentur ad cor*.

Verumtamen, quamvis et Judæis sanctis et gentibus convertendis ad cor sit pacem daturus, *salutare*, id est Salvator ejus Filius, scilicet per quem mundum salvabit, conversabitur corporali præsentia non apud gentes, sed *prope*, id est apud *timentes eum*, scilicet apud Judæos, qui jam a tempore Abrahæ notitiam ejus habent et timorem ; et sic tamen ut non illos solos gloriosos faciat inter quos conversabitur, sed ita ut per ejus gratiam inhabitet in futuro gloria immortalitatis et impassibilitatis, non solum in anima nostra, sed et in terra nostra, id est in carne nostra, quæ modo terrena est. Vel potest superius jungi, ubi dixit : *Loquetur pacem* venturam *in plebem suam*, quia illi duo versus interpositi fuerunt. Dico quod pax erit in plebe ejus, et non sola pax, sed sic erit in nobis, qui plebs ejus, sumus, pax, *ut* cum pace *inhabitet gloria in terra nostra*. Expositio non mutatur. Et ad hanc pacem non per nostra merita attingemus, sed per misericordiam Dei et per veritatem ejus, quoniam verax est, et cum hoc promiserit, non potest non complere, et misericors in natura, vere per misericordiam et veritatem Dei ad hoc attingemus ; ideo namque *misericordia et veritas obviaverunt sibi*, id est concordabunt inter se hæc duo ad hoc efficiendum ut pacem et gloriam habeamus, a similitudine aliquorum, qui sibi obviam veniunt ad hoc ut aliquid concordanter efficiant. Ac si dicat : Nunc concorditer misericordia et veritas Dei cooperabuntur, ut pacem et gloriam adipiscamur, et per hoc etiam ad hæc deveniemus, quia per misericordiam Dei in hominibus *justitia*, id est remissio peccatorum, *et pax*, id est dilectio Dei et proximi *osculatæ sunt*, id est concordabuntur valde, a similitudine concordantium, qui sese mutuo osculantur. Quod est dicere : Per hoc ad pacem æternam et gloriam homines devenient, quia *misericordia et veritas* Dei, et *justitia et pax* per misericordiam Dei hominibus 342 datæ, hoc cooperabuntur. Posset quæri : Quomodo eis dabitur justitia, id est remissio peccatorum?

Quod sic ostendit : Vere justitia erit in hominibus; nam *de terra*, id est ipsis hominibus qui modo terreni sunt non spirituales, *orta est*, id est orietur *veritas*, id est vera confessio peccatorum, et per veram confessionem *prospexit*, id est prospiciet, scilicet veniet ad eos *justitia*, id est peccatorum remissio, data *de cœlo* cœlorum, Christe, a similitudine illius qui, aliquem graviter oppressum clementer prospiciens, ad ei auxiliandum venit. Hanc autem confessionem ex se homines non habent ; etenim *Dominus dabit benignitatem*, id est benignam illustrationem gratiæ suæ interius, unde vera illa confessio procedet, et per hoc confitendo et ad justitiam remissionis attingendo non solum anima *dabit fructum* bonarum cogitationum, sed et *terra nostra*, id est terrena sensualitas nobis conformium, qui tunc temporis erunt, *dabit* Deo *fructum*, *fructum* scilicet bonorum operum. Cum dicit *nostra*, conformat se fidelibus Ecclesiæ futuris, quia secundum fidem jam Ecclesiæ membrum erat. Dico quod justitia et pax erunt in hominibus per veritatem, et postquam justi efficientur, *justitia ambulabit*, id est, ipsi promovebuntur de bono ad melius, et non ad favorem hominum, sed *ante eum* (Dominum) *ambulabit*, id est ad hoc ut ei bene placeat. Qualitatem ponit pro quali, justitiam scilicet pro justis. Et per hoc *ambulabit ante eum*, quia ipsa justitia *ponet gressus suos*, id est opera sua quibus ad vitam gradietur *in via*, id est in Christo qui est « via, veritas, et vita (*Joan.* xiv, 6), » scilicet quia conformes efficientur Christo in operibus ; per se enim non sufficerent ad ambulandum de bono in melius. Vel sic: Dico quod *ambulabit*, et hoc non per se, sed per hoc quod Dominus *ponet gressus suos*, id est gressus adjutricis gratiæ in via, id est in ipsis justis, qui via Dei dicentur, eo quod in eis spiritualiter ambulabit secundum inoperantem gratiam, non secundum motum localem, juxta quod idem dicit per Prophetam. « Inambulabo in illis, et ero illorum Deus (*Levit.* vi, 12). » Vel via dicuntur, eo quod ad modum viæ directi erunt e Domino ad vitam.

www.libtool.com.cn

IN PSALMUM LXXXV.

Titulus octogesimi quinti : *Oratio ipsi David*, scilicet Christo, ascribenda. Et si quædam in hoc psalmo enuntiative dicuntur, quia tamen principaliter ad oratonem, spectat, oratio dicitur. Dominus enim Jesus circa tempus passionis orans, et de constantia ne cedat, et de resurrectione, et de gentium et Judæorum convertendorum salute in hoc psalmo introducitur, ut nobis orandi exemplum et pro nobis et pro inimicis tribuat. Quod autem se pauperem dicit secundum humanam naturam, qui tamen secundum aliam naturam Deus et omnipotens erat, ad nostram instructionem facit, ut, qui simpliciter homines sumus et peccatores et fragilissimi, nos pauperes et inopes penitus esse reputantes, a divina gratia oremus clementer adjuvari.

Inclina, Domine Pater, *aurem tuam*, dictum est a similitudine medici, inclinatis aurem infirmo, qui præ nimia ægritudine non potest loqui, ut inclinando aurem percipiat quanta sit infirmitas, ejus, et misereatur ei. Auris vero potentia divinæ misericordiæ dicitur, eo quod sicut audita percipimus aure, sic et ipse quod oramus percipit, et complet potentia misericordiæ. Et est hoc ac si diceret : *Inclina aurem tuam*, id est condescendere fac potentiam misericordiæ tuæ mihi infirmo secundum humanitatem. Quod est dicere : Tu qui me infirmum semper consideras, oro etiam ut attente consideres infirmitatem humanitatis meæ, *et exaudi me*. Et necesse est ut mihi condescendendo 343 me exaudias, *quoniam ego*, qui Dei *sum* et omnipotens secundum deitatem, sum secundum humanitatem *inops*, id est insufficiens alterius ope liberari, nisi tua ; *et pauper*, id est insufficiens ope mea adjuvari. Et in hoc exaudi, scilicet *custodi animam meam*, ne deficiat a sanctitate, timore mortis, *quoniam* revera *sanctus sum* et in cogitatione et in opere ; et resuscitando *salvum* me *fac* ab hac infirmitate humanitatis meæ, *servum tuum, Deus meus* ; specialiter quadam singulari obedientia me *servum* dico, *sperantem in te*, non in aliquo alio adjutore. Ac si dicat : Cum servus tuus sim, in nullo resultans et in omnibus tibi obediens, et cum in te solo non in quolibet alio sperem, et sis Deus, specialiter præ cæteris obedio, dignum est ut animam meam custodias, et me salvum facias.

Et ideo adhuc *miserere mei*, resuscitande et custodiendo ; *quoniam tota die*, id est omni vita mea, quæ clare fuit et splendida in bono ut dies, *clamavi*, id est clamore intensæ devotionis egi, *ad te* adipiscendum. Et, ero etiam, *lætifica animam* meam in resurrectione, quæ modo tristis est in passione. *Lætifica animam*, fere idem est in sententia, quod et *salvum fac servum tuum* ; nisi quod, dum dicit *lætifica*, ostendit ad evidentiam fragilitatis suæ se contristatem fuisse. Oro, *lætifica*. Et dignum est ; quia non depressi *animam meam* vacando vitiis et malis operibus : sed *levavi*, id est sublimavi in virtutibus et bonis operibus *ad te* promerendum. Et non solum

A hæ occasiones valeant ad hoc ut me exaudias : sed, *quoniam tu, Domine, suavis* es, id est amabilis et jocundus cibus sanctis hominibus, qui tamen sunt utcunque peccatores, et longe me inferiores ; *et mitis* es peccatoribus nondum pœnitentibus, quos non statim juste damnas, sed patienter exspectas ; *et multæ*, id est infinitæ *misericordiæ* es, remittendo peccata *omnibus invocantibus te*, id est affectuose orantibus de remissione : *Percipe orationem meam auribus*, id est potentia misericordiæ tuæ : et percipiendo *intende voci deprecationis meæ*, id est, intensum te fac voci meæ deprecanti te. Quod est dicere : Cum illis qui simplices homines sunt, et in aliquo te offendentes, hæc beneficia concedas, ut eis suavis sis et mitis, et multæ miseri-
B cordiæ, mihi potius Deo et homini, et a peccato immuni, intense tribue quod oro. Et ideo exaudi quia *clamavi*, id est clamore intenso egi, ad te promerendum *in die tribulationis meæ*, id est in toto tempore vitæ meæ, quæ nihil aliud est quam tribulatio. Et hoc fere idem est quod superius dixit, *ad te clamavi tota die*, nisi quia aliud notat, cum dicit *tribulationis* : ac si poneret : Quamvis assidue in tribulatione fuerim, nunquam tamen a clamore cessavi, ideoque dignus sum exaudiri.

Ostendit autem quæ utilitas sequetur de exauditione sua, sic : Dico *Auribus percipe orationem meam* ; et ita facies. Et *quia exaudisti*, id est exaudies *me*, custodiendo et resuscitando *omnes*, id est omnismodi *gentes quascunque fecisti*, per meam resurre-
C ctionem *venient ad te* fide, quæ longinquæ sunt incredulitate. Non vacat a pondere, quod ponit, *fecisti*. Ac si dicat : Dignum est ut ad te veniant, cum eas creaveris. Quid enim competentius quam ut Creatori creatura subjiciatur ? Et postquam venerint, *coram te* existentes, id est in beneplacentia tua *adorabunt te*, id est venerabuntur te devotione et humili oratione *Et* etiam *glorificabunt* aliis *nomen tuum*, id est prædicabunt successoribus gloriosum esse nomen tuum. Versus autem qui hunc præcedit, scilicet. *Non est similis tui in diis*, etc., per pharenthesim interpositus, sic post hunc versum qui est *Omnes gentes*, etc., legendus est. Dico quod *omnes gentes ad te venient*, relictis idolis. Et merito : *Non*
D enim *est similis tui* in natura aliquis *in diis*, id est in idolis eorum, quæ falso dii erunt ; et *non est* aliquis agens *secundum opera tua*, id est, operans mirabiliter, ad modum mirabilium operum tuorum. Singula igitur singulis reddit, cum addit : Vere nullus *in diis* operatur *secundum opera tua* ; *quoniam tu* solus *magnus es*, id est potens *et faciens mirabilia* opera. Ipsi vero neque magni, neque mirabilia operantes : et nullus 344 similis tui in natura ; quia tu solus Deus es, et nullus eorum Deus. Orat autem aut pro gentibus convertendis, sic : Dico quod *gentes ad te venient*, et pro eis, Domine Pater, scilicet *deduc* de virtute in virtutem me, id est ipsa *gentes* meas futuras *in via tua* positas, id est in fide et cognitione tui, per quam *ad te venient* ; *et ingrediar*, id est ingredian-

www.libtool.com.cn

tur mei ad vitam positi *in veritate tua*, id est in veris præceptis tuis; vel ingrediantur, id est promoveantur in veris præceptis tuis. Et in hac deductione et ingressione *lætetur cor meum*, id est cor meorum, scilicet non contristentur in completione præceptorum tuorum, sed lætentur; non sic tamen ut inde superbiant, sed sic *ut timeat*, id est mei tamen meant *nomen tuum*, quod est Dominus, scilicet timeant hoc quod designatur in te per hoc nomen quod est Dominus. Scilicet te omnipotentem esse et ultorem, qui eos punies si superbierint. Unde Dominus per Prophetam dicit: « Si Pater vester sum, ubi amor meus? si Deus, ubi honor? si Dominus, ubi timor? (*Mat.*, I. 6.) »

Enuntiat autem futurum quod oravit, cum adjungit: Oro ut mei deducantur et timeant te, et ita erit: scilicet *Confitebor tibi, Domine Deus meus*, id est cum sis Dominus et Deus meorum, mei laudabunt te *in toto corde meo*, id est in tota affectione cordis sui: scilicet ut non in parte tibi vacent, et in parte mundanis; sed ex toto te laudabunt tota affectione. *Et glorificabo*, id est gloriosum prædicabunt aliis *nomen tuum*, et hoc *in æternum*. Hoc autem ideo repetit, ut addat: Merito glorificabunt nomen tuum, et confitebuntur tibi in toto corde; *quia misericordia tua magna est super me*, id est meos; scilicet quia ipsis meis conferes per misericordiam tuam magna beneficia, illustrando eos virtutibus et bonis operibus. Et prius *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id est erues animam meorum ex corruptione cæcitatis, quæ inferior infernus, id est imitas congrue dicitur, quantum ad corruptionem corporis, scilicet quantum ad passibilitatem et mortalitatem. Cum enim corruptio corporis, quod indignius est in homine, jure infernus dicatur, id est imitas et dejectio, convenienter animæ corruptio per cæcitatem dicitur inferior infernus, id est inferior dejectio. Quanto enim res dignior et altior, tanto ejus dejectio inferior et gravior. Hic igitur Deus fideles suos de *inferno inferiori* liberat, id est eorum animam, prius per cæcitatem corruptam, spiritali gratia illustrat. In futuro vero de inferno corporis eos eripiet cum immortales et impassibiles faciet. Vel sic iste versus legitur competentius, ut ad Christum referatur: Dico confitebuntur tibi, *et glorificabunt nomen tuum*. Et hoc inde continget quia *magna est*, id est erit, *misericordia tua super me*, ut mihi constantiam des in passione, et post omnem mundum ditioni meæ subjicias, et dones mihi nomen quod est super omne nomen. *Et eruisti*, id est erues *animam meam ex inferno inferiori*, ad quem descendet, ut inde fideles in tenebris existentes extrahat. Infernus inferior congrue dicitur infernus ille localis ad comparationem hujus mundi qui superior est et tamen infernus dicitur, id est imus et dejectus ad comparationem patriæ cœlestis, quæ dicenda est mons lætitiæ.

Post orationem de gentibus, etiam de insurgentibus in eum Judæis orare intendit. Sed ut sua oratione egere intendat, prius eos culpabiles esse monstrat, sic: Oravi te, Domine Pater, pro gentibus salvandis; volo etiam te orare pro iniquis Judæis. Et utile quidem eis est ut pro ipsis orem, o Deus. *Nam iniqui*, id est minores in populo Judæorum, non ex merito meo sed ex iniquitate sua *insurrexerunt in me*, inclamantes Crucifige (*Joan.* XIX, 6), et cætera talia; *et Synagoga potentium*, id est congregatio pontificum et cæterorum principum, *quæsierunt animam meam* auferre, *et non proposuerunt te* ultorem futurum *ante conspectum suum*, scilicet non proposuerunt ante conspectum mentis suæ te sic debere ulcisci, quia ex iniquitate in me insurrexerunt, quod utique proponere deberent. *Et tu, Domine*, non inde juste punias, sed ut pars eorum salvetur, tu, Domine *Deus misericors* 345 in natura; *et miserator*, secundum exhibitionem misericordiæ: et *patiens*, exspectando peccatores, non statim puniens; *et multæ misericordiæ*, condonando peccata conversis; *et verax*, complendo omnia quæ promittis: quia scilicet *verax* es, et me salvandum et glorificandnm promiseris, *respice in me*, tibi usque ad mortem obedientem, *et* sic *da imperium* totius mundi, mihi *puero*, id est servo *tuo*, in nullo tibi resultanti, *et* antea quam des imperium, post tres dies *salvum fac* a morte *filium ancillæ tuæ* Mariæ. Ac si dicat: Non solum hoc promeretur obedientia mea ut me salves, sed et obedientia matris meæ; cui cum per Gabrielem mandasses quod me conciperet, non incredula neque rebellis, sed obediens facta et fidelis: *ecce*, inquit, id est parata sum, *ancilla* namque *Domini* sum (*Luc.* I, 38). etc. Et non sic me salves a morte, ut hoc lateat; inutilis enim mundo esset resurrectio mea. Sed quia *misericors* es et *miserator* et *patiens et multæ misericordiæ*, *fac mecum signum* resurrectionis *in bono*. Et bene ponit *mecum*, ut se innuat esse Deum, Quasi diceret: Ego, secundum quod Deus sum, faciam signum resurrectionis, id est mirabilem et manifestam resurrectionem Signum quippe pro miraculo sæpissime ponitur. Dico quod faciam signum resurrectionis, et hoc *signum* erit *in bono*, id est in utilitate Judæorum et gentium convertendorum. Vel: ego faciam, id est complebo signum Jonæ, scilicet ut sicut Jonas die tertia de ventre ceti egressus est, ita ego die tertia carnem meam de sepulcro resuscitatam egredi faciam (*Matth.* XII, 40), « Potestatem enim habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi (*Joan.* X, 18). » Dico quod ego faciam signum in bono; *et tu* Pater *fac mecum*, id est cooperare cum sancto Spiritu hoc *signum in bono*, *ut videant* fide, secundum partem salvandorum dico. Judæi, *qui me oderunt*, *quoniam tu*, *Domine*, *adjuvisti me*, *et* hoc modo adjuvisti quod *consolatus es me* in resurrectione, qui modo tristis sponte sum in passione. Et hoc videndo confundantur bona confusione qui oderunt me, et sic convertantur.

IN PSALMUM LXXXVI.

Titulus octogesimi sexi: *Filis Core. Psalmus cantici*, Quod sic exponitur: Iste psalmus cantici, id est

www.libtool.com.cn

lætitiæ, (non quod in eo agat Propheta de lætitia remanerationis æternæ, sed quia valde lætatus hic Propheta, agens laudem Sion, id est Ecclesiæ primitivæ de Judæis), proponitur *filiis Core*, id est adoptivis filiis Crucifixi, quorum utilitati in hoc psalmo Propheta intendit. Laudat enim in hoc psalmo Propheta Ecclesiam primitivam, de fundatione et gloria portarum suarum, et, ut auctorizabilior laus tua sit, Spiritum sanctum eam laudantem introducit. Cui Ecclesiæ primitivæ, ad cumulum ejus laudis, dicit Ecclesiam de gentibus adjungendam esse, et Christum Deum et hominem, et ipsius Ecclesiæ (quæ Dei civitas est) Dominum in ea nasciturum esse. Et hanc laudem ad utilitatem filiorum Core facit, scilicet ut, qui, jam per baptismum filii Core facti, ejus civitatis cives sunt, hac laude instigati nunquam ab ejus participatione discedant; qui vero nondum ejus cives existunt, tali laude ad eam attrahantur. Et bene quidem Christus Core dicitur, id est calvus, eo quod a Judæis, qui stulti fuerunt ut pueri, derisus sit, a similitudine reorum, qui pro sceleribus decalvati, id est capillis truncati, deridentur. Quod in Elisæo calvo præmonstratum est; qui cum discedens a Jericho montem Bethel ascenderet, pueri eum ascendentem considerantes deridebant, dicentes: « Ascende, calve ascende, calve (*IV Reg.* II, 23). » Qui mox, divina ultione permittente, a duobus ursis silva egredientibus devorati sunt (*Ibid.*, 24). Sic et Judæi, quia Christum ab Jericho transeuntem, id est ab hac vita, et Bethel, id est cœlum, per exitum mortis ascendere parantem, dum crucem ascendit, deriserunt, dicendo: « Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII, 40), » mox post 42 annos a duobus imperatoribus. Tito scilicet et Vespasiano. Roma exeuntibus destructi sunt. Et bene mundi hujus vita Jericho dicitur, eo quod ad modum lunæ aliquando per prospera augmentari, aliquando vero per adversa deficere videatur. Jericho quippe *luna* interpretatur. Congrue quoque per montem Bethel, cœlum designatur, quod excelsa domus est, videlicet habitatio ejus summa, non localis sed spiritalis. Bethel sane *domus Dei* interpretatur.

346 *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Cum ita laudem Ecclesiæ primitivæ, quæ Dei civitas est, videatur agere, quasi de ea aliquid jam dixisset (ponit enim in principio hanc relativam vocem, quæ est *ejus*), innuit nobis quod de ea jam multum et frequenter in mente cogitando egerit. Et per hoc eam valde commendat, cum ipse, vir gravissimæ auctoritatis, de ipsa Ecclesia se frequenter cogitasse innuat. Et est ac si dicat: *Sion*, id est Ecclesia primitiva, quæ speculabitur æterna, non attendendo præsentia. valde laudabilis erit. *Fundamento* enim *ejus* erunt *in montibus sanctis*, apostolis scilicet et prophetis, qui montes erunt dicendi, scilicet in perfectione virtutum et operum Excelsi, Quod est dicere; Sion fundabitur in doctrina prophetarum et apostolorum, ut, firma facta, ad hostium visibilium et invisibilium impulsum non corruat, Qui prophetæ et apostoli montes dicuntur excelsi, ad differentiam hæreticorum et pseudo prædicatorum, qui, tametsi montes sint, id est in sæculari sapientia provecti, non tamen sancti sunt sed tenebrosi. Unde à Domino nobis per Scripturam præcipitur ut in montibus tenebrosis pedem offendere caveamus. Dicuntur autem prophetæ et apostoli Ecclesiæ fundamenta, eo quod per ipsorum doctrinas super unum et immobile fundamentum, quod est Christus, in fide fundata sit, Juxta illud Apostoli: « Ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II, 20). » Sed *diligit Dominus*, etc. Quod sic conjungitur: Dico quod Sion inde laudabilis sit quia fundata est *in montibus sanctis*. Laudabilis etiam est de pulchritudine et perfectione portarum suarum, apostolorum scilicet, qui non solum fundamenta, sed etiam Ecclesiæ portæ dicuntur, eo quod eorum doctrinis ad ejusdem Ecclesiæ consortium infideles introeunt. Et per hoc portas ejus speciosas in virtutibus et operibus esse convincitur, quia *Dominus*, qui eas non diligeret nisi pulchræ essent, *diligit portas Sion*, id est diliget *super omnia tabernacula Jacob*, scilicet apostolos diliget ei militantes plusquam omnes in priori populo Judaico, qui fuit de genere Jacob; qui ideo tabernacula dicuntur, quia Deo in tabernaculis militaverunt, id est in militia carnalium observantiarum, quæ ad similitudinem tabernaculorum transitoriæ fuerunt, postquam significata advenerunt, Quasi dicat: Ideo magis diliget Dominus apostolos, quia ipsi in moralibus præceptis sibi militaverunt. Fideles vero in priori populo in carnalibus observantiis, quæ umbræ sunt moralium, Deo militaverunt. Pauci vero, jam fide Ecclesiæ membra existentes, etsi fuerint in moralibus militantes, non tamen ideo perfecte ut apostoli, ideoque digne minus dilecti Sive si hanc laudem de omni Ecclesia velimus accipere, pars cujus jam in cœlis cum angelis lætatur, pars autem in hac vita degens adhuc sub angustiarum pondere Deo militat, *portas Sion* accipiamus virtutes quæ portæ ejus sunt, per quas ingreditur ad vitam; quas Dominus *diligit* magis quam *tabernacula Jacob*, id est transitoriam militiam carnalium observantiarum prioris populi. Sequitur: *Gloriosa*, etc. Quod sic continuatur: Laudo te, Sion, de fundamentis tuis et portis, et hoc non adinvenio ex me; sed hæc *gloriosa*, scilicet quod talis eris in fundamentis et portis, *dicta sunt* mihi *de te* a Spiritu sancto, non sermone, sed occulta inspiratione, o *civitas Dei*, munita in virtutibus et bonis operibus. Introducit igitur verba Spiritus sancti sibi interius loquentis, cum addit *memor ero*, etc. Quod sic adaptatur: Dico quod hæc *gloria dicta sunt* mihi *de te* a Spiritu, qui mihi talia adhuc ad tui laudem prædicit. Ego qui visus sum oblivioni dedisse Raab et Babylonem, non illuminando fide, *memor ero* illius *Raab*, *et Babylonis*, ut ad fidem eam adducam, et hoc *scientibus me*, id est per prædicatores Ecclesiæ primitivæ, qui me scient, id est qui me

www.libtool.com.cn

347 fide cognoscent. Raab quidem et Babylon hic videntur idem denotare: scilicet gentium multitudinem. Raab enim *superbia* vel *latitudo*; Babylon vero *confusio* interpretatur. Unde congrue gentium populus Raab et Babylon dicitur, eo quod per voluptatem et vitia late incesserit, et Deo cultum debitum denegando contra eum superbierit; qua de re dignum se confusione fecit. Dicitur quoque idem populus Raab per historiæ figuram. Sicut enim Raab meretrix in Jericho, dicitur olim exploratores filiorum Israel suscepisse, et per hoc meritum domus suæ familiam in destructione Jericho sub signo funiculi rubei a perditione salvasse (*Jos.* II); sic et pars gentium quæ apostolos suscepit, et eis credidit qui Dei exploratores in gentibus fuerunt, per signum purpuræ passionis Christi, et in die judicii cum omnibus imitatoribus suis salvabitur, cum Jericho, id est deficiens malorum civitas destruetur. Quæ Jericho dicitur, eo quod hic in prosperitate crescat, in futuro vero in tormentis sit defectum passura, ad similitudinem lunæ crescentis et decrescentis.

Ecce alienigenæ, etc. Quod sic adaptatur: Dico quod *memor ero Raab et Babylonis*, et ita erit. *Ecce enim* jam certum est quasi præsens sit, quod *alienigenæ*, id est gentes quæ alienæ sunt a fide, et alterius generationis quam Judæi, scilicet illi alienigenæ dico, qui sunt *et Tyrus et populus Æthiopum*, id est pars quorum est Tyrus, id est angustia, scilicet angustians fideles meos multimode, et pars est populus Æthiopum, et si non sint Tyrus, id est nigri in peccatis ad modum populi Æthiopum, qui niger est in corpore. Hi omnes, scilicet et Tyrus et populus Æthiopum qui sunt pars alienigenarum, *fuerunt illic*, id est adjungentur in consortium illius Sion primitivæ per scientes me. Si enim, *Nunquid*, etc. Quod sic conjungitur, et præposterate legitur. Dico, o auditores, quod hoc dicit mihi Spiritus sanctus, *memor ero* et *ecce alienigenæ*. Et ad cumulum laudis ejus hoc de ea mihi testatur, scilicet quod et quidam *natus est*, id est nascetur in ea *homo*, id est secundum quod homo, et ipse qui in ea nascetur, *fundavit eum*, id est creabit eam, et in fide et in virtutibus fundabit *Altissimus*, id est secundum illam naturam qua Deus erit omnipotens. Quod est dicere: Christus secundum humanitatem in populo Judaico nascetur, qui tamen secundum divinitatem eum creavit, et in fide fundabit secundum partem. Et hoc quod de te obscure dico, o Sion. *Nunquid dicet homo*, id est nunquid solvet aliquis qui sit simpliciter homo, id est animalis et non spiritalis? Vere non dicet, id est solvere non poterit qualiter hoc continget, quod homo nascetur in te, et ipse fundabit te. « Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei sunt (*I Cor.* II, 14). » Per hoc autem innuit, hoc ineffabili mysterio et sacratissimo contigisse, quod homini dicit esse insolubile: vel sic. Dico quod homo nascetur in te; et ipse fundabit te. Et hoc, o *Sion nunquid dicet homo*, id est nunquid audebit dicere quilibet qui simplex homo sit, id est animalis non etiam spiritalis, nequaquam. Non enim debiles hoc testari ausi sunt quod Christus Deus et homo fuisset. Unde Manichæi mentiti sunt eum non verum hominem fuisse, sed corpus phantasticum suscepisse. Judæis enim hoc erat scandalum, gentibus autem stultitia (*I Cor.* I, 23), ut quilibet Deus et homo diceretur. Hoc autem ad laudem prædicatorum prædicit, quod scilicet eos innuit esse constanter prædicaturos, quod debiles confiteri non audebunt. Si *Dominus narrabit*. Quod sic sic jungitur. Quia dixerat: *Nunquid dicet homo*, ne quilibet intelligeret hoc adeo grave esse, quod nullus ex toto dicere posset vel auderet, addit: Quamvis hoc non *dicet homo*, tamen non ex toto tacebitur. *Dominus* enim Deus *narravit* hoc. id est narrabit *in scripturis populorum*, id est in Scripturis quæ populis Christianis proponentur ad intelligendum. Ac si dicat: Non erunt illæ Scripturæ inintelligibiles et nimis obscuræ ut scripturæ philosophorum, quæ nimis obscuræ sunt, et a paucis 348 intelliguntur, cum fere nihil veri loquentur; sed cum vera et manifesta prædicent, a multis populis intelligentur. In hoc autem ipsas Scripturas valde commendat. Ostendit etiam ad laudis earum exaggerationem ipsarum auctores, cum adjungit: Dico quod *in scripturis populorum* narrabit, et id est scilicet *in scripturis principum horum populorum* narrabit hoc *qui fuerunt*, id est qui erunt *in ea* Sion. Quod est dicere: Non in qualibuscunque scripturis populorum hoc narrabit, sed in Scripturis apostolorum, qui erunt principes in doctrina illorum populorum qui erunt in ea Sion. Sequitur: *Sicut lætantium*. Quod sic continuatur: Facit apostropham ad eam ex jocunditate nimia, sic. Dico, o Sion, quod hoc dicit mihi Spiritus sanctus de te, quoniam homo nascetur in te, et ipse fundabit te. Et hoc insuper dicit mihi de te, quatenus habitatio *omnium habitantium in te* erit sicut *habitatio* lætantium. Quod est dicere: Omnes qui in te fide habitabunt, erunt sicut lætantes in puritate conscientiæ suæ. Juxta quod Apostolus dicit: « Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12). » Et bene ponit non lætantium, sed *sicut lætantium*, quia licet hic valde fideles de puritate conscientiæ suæ lætentur revera et ample, ad comparationem tamen æternæ lætitiæ futuræ hæc præsens non dicitur lætitia; sed sicut lætitia, id est umbra lætitiæ futuræ. Per hoc autem attrahit ad consortium Ecclesiæ illos qui extra Ecclesiam sunt, cum ipsius habitatores dicat esse lætantes.

IN PSALMUM LXXXVII.

Titulus octogesimi septimi. *Canticum psalmi filiis Core, in finem pro Melech* [al., *Maeleth*] *ad respondendum, intellectus Eman Israelitæ* [al., *Ezrahitæ*]. Non dicit *canticum* quod hic agat de jocunditate remunerationis æternæ, sed quia Christus hic de passione sua agens, et orans ut Deus eum constantem faciat et resuscitet, instruit omnes qui sunt filii sui

www.libtool.com.cn

adoptivi, ut sicut ipse non invitus, sed cum lætitia pro nobis crucem sustinuit, licet secundum carnis debilitatem tristis appareret, ita et filii ejus pro eo si necesse fuerit, cum lætitia debeant adversa sustinere, et in ipsis adversis orare. Et hoc in titulo innuitur cum dicit: *Canticum psalmi filiis Core, in finem, pro Melech ad respondendum.* Qui sic adaptatur. *Canticum hujus psalmi.* id est jocundum negotium hujus tractatus, scilicet negotium passionis Christi, in quo ipse pro salute mundi passus præcinuit. Ideoque dicitur *canticum* quod in hoc psalmo continetur, proponitur *filiis Core*, id est filiis Christi, qui filii ejus adoptivi facti sunt per passionem. Et proponitur ipsis *ad respondendum*, id est ad hoc ut ei respondeant, non verbis sed factis, scilicet ut sicut ipse præcinuit pro eis patiendo, ita et ipsi si oportuerit succinant et respondeant, pro eo mortem pati non fugiendo. Et non inviti respondeant, aut quasi ex necessitate; sed *pro Melech*, id est secundum concordiam charitatis et dilectionis, scilicet ut sicut ipse cum charitate dilectionis sustinuit; sic et ipsi cum charitate sustineant, et in hoc secum concordent. Nam si tradiderint corpus suum ut ardeant, charitatem autem non habeant, nihil eis proderit (*I Cor.* XIII, 3). Et hanc responsionem non ad horam facere debent, sed usque *in finem* vitæ. « Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Melech quidem *chorus* interpretatur. Etenim quia in choro solet esse concordia cantus, Melech pro concordia competenter accipitur. Et hoc est *intellectus Eman Israelitæ*, id est hoc intellexit Christus, esse scilicet cantandum, id est jocundum in anima in tribulatione, licet tristitia sit exterius ex carne; Eman quippe *frater*, Israelita vero *videns Deum* interpretatur. Unde congrue Christus Eman Israelita dicitur: qui frater noster est, et secundum humanitatem nostram quam participavit, et secundum divinitatem suam, cujus nobis participationem donavit. Unde idem dicit: « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater est (*Marc.* III, 5). » Et alibi: « Ite, dicite fratribus meis (*Matth.* XXVIII, 10). » Israelita vero digne dicitur. Quis enim ei potest æquiparari
349 in Dei visione, cujus humanitatem Verbo Dei conjunctam esse non est dubium, in ejusdem personæ inenarrabili unione? Per hoc igitur filios Core vehementer attrahit ad cantandum in tribulatione, cum perhibeat Christum hoc intellexisse. Non enim hoc intellexisset, si non utique ad passionis obedientiam voluntarie cucurrisset.

Domine Pater *Deus* opifex *salutis meæ in die*, id est in prosperitate, *et nocte*, id est in adversitate, *clamavi*, id est clamore intenso egi bonæ devotionis. Et hoc est *coram te*, id est hoc vides tu, quicunque hoc ignoret. Ergo *oratio mea* facta *in conspectu tuo*, id est facta de tali re quæ est in conspectu tuo, scilicet facta de perfectione constantiæ, et de resurrectione, quæ tibi bene placent, ut de eis orem: et quæ dono digna sunt, *intret*, id est admittatur ad hoc ut compleatur a similitudine honestorum legatorum, qui thalamum Domini intrare permittuntur Quod dicit *in die clamavi et nocte coram te*, interpositum est, et est ac si sic diceret: Cum tu Dominus sis omnium et Deus, et per hoc te manifestum est omnipotentem esse: et jam opifex meæ salutis exstiteris, et talia etiam orem quæ in conspectu tuo sunt, oro ut oratio mea intret, id est admittatur. Et quia dixerat *salutis*, ipsam salutem ostendit cum interponit: Hujus scilicet salutis fuisti opifex, quod me adeo perfectum fecisti, quod non remissus fui: sed *clamavi*, id est clamore intensæ devotionis egi, et *in die* et in *nocte*, non factus in die superbus, nec in nocte timore confractus: quod æque summa salus est ne quis in die vel in nocte a tali clamore desistat. Dico *intret oratio mea*, et ut non excludatur: *inclina aurem tuam*, id est condescendere fac potentiam misericordiæ tuæ humili preci meæ. A similitudine medici, qui aurem ægroto inclinat, seu jam sæpius ostensum est. Et necesse est ut aurem *ad precem meam* inclines, *quia anima mea repleta est malis*, id est replebitur tribulationibus. Mala nimirum pro tribulationibus sæpissime ponuntur; verbi gratia in Job: « Si bona suscepimus de manu Domini: mala autem quare non suscipiamus (*Job.* II, 10). » Et adeo replebitur anima mea malis, quoniam *vita mea*, id est ipsa anima, quæ causa est vitæ meæ, *appropinquavit*, id est appropinquabit, *inferno*, scilicet per nimium tribulationum pondus a corpore separanda, in infernum descendet: et partem salvandorum inde extrahet. Dico quod anima mea replebitur tribulationibus. Et ad cumulum persecutionum mearum, *æstimatus sum*, id est æstimabor a persecutoribus meis Judæis, *cum descendentibus in lacum*, id est cum latronibus descendentibus in profunditatem vitiorum, deputatus sum dignus tradi t rpiter i n mortem. Unde propheta testatur: » Et cum iniquis deputatus est (*Isa.* LIII, 12; *Luc.* XXII, 27). » *Et factus sum*, id est fiam pro reputatione eorum vilis et abjectus, sicut *homo sine adjutorio*, scilicet putabunt me nullatenus adjuvandum esse: cum ego tamen futurus sim *liber* a jure mortis, existendo *inter mortuos*. Scilicet cum ero in numero mortuorum in corpore mortuus; non ero tamen in potestate mortis, ut me retinere valeat; sed liber ero, ut quando mihi placuerit, resurgendi habeam facultatem. Per hoc quod se liberum dicit, quoniam voluntarie patietur, innuit, unde nos ad affectum patiendi instruit. Et *existimabor* adhuc ab eisdem persecutoribus esse peccator, sicut sunt multi vulnerati prius a prava suggestione per consensum, et jam dormientes *in sepulcris*, id est sopiti et mortui in corporibus suis per operationem nimiæ voluptatis. Scilicet me similem reputabunt peccatoribus, qui prius a suggestione sua in consensu vulnerati, jam ad consuetudinem operandi voluptatem devenerunt, et adeo quod animæ eorum sunt *dormientes* in sepulcris, id est sopitæ et mortuæ in voluptatibus corporum, quæ recte sepulcra per similitudinem dicuntur. Sicut

www.libtool.com.cn

enim corpora in sepulcris jacentia deficiunt et fe- A
tent; ita et animæ voluptatibus corporum assentiendo 350 immorantes in vitiis, exterius malæ famæ fetorem emittunt. *Quorum* dormientium *non es amplius memor*, id est qui adeo dormiunt, quod amplius eorum non existis memor, ut eos exsuscites. Dico quod existimabunt me similem dormientibus : *et ipsi* tamen *sunt repulsi de manu tua*, id est de protectione tua malis meritis suis, ut eorum non sis memor; ad si dicat : Si ipsi qui me talem reputant, justi essent, non tam mirabile videretur. Sed cum ipsi adeo peccatores sint, ut jam malis meritis suis exigentibus, de manu tua repulsi sint, me qui justus sum talem existimare, mirum videtur et penitus indignum. Et per hoc filios Core instruit contumelias peccatorum, licet justi sint, voluntarie pati, B
cum ipse singulariter justus et a peccatis liber, tot contumelias sustinuerit.

Et posuerunt, id est ponent *me* pro reputatione sua *in lacu inferiori*, id est profunditate peccatorum, scilicet reputaverunt quod jam devenissem in infimam profunditatem peccatorum. Et posuerunt me reputatione sua *in tenebrosis*, id est in numero tenebrosorum. Scilicet reputaverunt me esse in tenebris ignorantiæ Dei, et non in qualicunque ignorantia; sed *in umbra* causa *mortis*, id est in illa obscuritate ignorantiæ quæ causa est mortis æternæ. De qua legitur : « Ignorans ignorabitur (*I Cor.* XIV, 38). » Ille videlicet ignorans, qui Dei præceptorum notitia penitus caret. Sunt enim quædam C
ignorantiæ quæ ad mortem minime ducunt : ut si divinæ Trinitatis et unitatis habitudinem, et cætera talia ineffabilia Dei mysteria ignoramus. Et hoc quoque reputabunt, quod *furor tuus confirmatus est super me*, id est nimia ira tua firma et immobilis contigerit super me, id est contigerit in me ad hoc ut opprimat me, ad modum ponderosorum desuper cadentium. Quod est dicere : Hoc ipsi reputabunt quod hic mihi valde sis iratus et malevolus, et in futuro prout ipsi reputabunt : *induxisti super me*, id est induces ad oppressionem et destructionem mei *omtes fluctus tuos*, id est omnes vindictas per tormenta, quæ congrue quidem fluctus dicuntur. Sicut enim fluctus supervenientes naufragum mergunt, ut non possit exsurgere; sic et vindictæ Dei damnandos in tormenta demergent, ne valeant ulterius evadere Non solum vero hoc mihi continget, ut talis a persecutoribus existimer. sed etiam ad miseriarum mearum accumulationem, *longe fecisti*, id est permittes longe fieri *a me notos meos*. Scilicet tanta erit persecutio mea, quod discipuli qui sunt noti mei fugientes elongabuntur a me. Et non solum elongabuntur, sed et *posuerunt me abominationem*, id est causam abominationis *sibi*, scilicet quibusdam eorum de resurrectione mea desperantibus, videbitur abominabile, mihi adhæsisse. Et etiam *traditus sum*, id est tradar Judæis a quodam discipulo meo Juda Iscariote. *Et* cum tradar *non egrediebar*, id est non egrediar de obscuritate potentiæ ; a similitudine illius qui in obscuritate loci cujuslibet existens, non vult egredi ne appareat. Ac si dicat : Possem quidem exercere potentiæ meæ vindictam super eos, cum ejus traditus fuero ; sed ego non manifestabo eis potentiæ meæ magnitudinem, quæ eis obscura est et ignota. Cæterum patienter omnia sufferam, ut meis exemplum tribuam patienter sine rebellione patiendi, ubi etiam locum habebunt ulciscendi. Et quia non egrediar ; *oculi mei languerunt*, id est apostoli languebunt, scilicet deficiens a spe resurrectionis meæ, præ inopia lucis interioris, scilicet quia non erunt interius fide plenariæ illuminati, deficient a spe resurrectionis. Unde quidam desperando dixisse leguntur : « Nos sperabimus quod hic redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21). » Oculi quidem in Ecclesia convenienter apostoli dicuntur, eo quod minoribus pastorali cura prævideant; ad similitudinem oculorum, toti corpori prævidentium. Dico quod *anima mea* replebitur *malis*, et *æstimatus* ero *cum descendentibus in lacum*, et traditus ero, et *oculi mei* languebunt. Ego tamen non hac occasione remissus fui ; sed *clamavi ad te Domine* 351 Pater, id est clamore intensæ devotionis egi ad te, ut me constantem faceres, et resuscitares; *et tota die*, id est jugiter, *expandi manus meas*, id est dilatavi manus cordis, affectiones bonas scilicet, ad te promerendum ; id est ad hoc ut gratiam tuam promererer, et sic constans fierem, et resuscitarer. Dico quod *clamavi* dicens : o Domine, noli me pati remanere in sepulcro. Non sic dico ut non ponar in eo; sed ita ut non remaneam in perditione, id est ut non putrescam.

Nunquid enim *facies mirabilia* in *mortuis* in anima, scilicet facies hæc mirabilia in hominibus, qui mortui sunt per peccatum originale : ut eos ad vitam reducas per fidem, sicut promisisti, me remanente in sepulcro et in perditione ? Minime. *Aut* apostoli qui erunt *medici* tui, erogando medicinam doctrinæ infirmis in anima mortuis, *suscitabunt* per doctrinam ad vitam fidei ipsos mortuos, omne humanum genus scilicet, *et* ipsi suscitati, *confitebuntur tibi*, id est laudabunt te et ore, et corde, et opere, me remanentem in sepulcro : *Nunquid* etiam *narrabit aliquis* salvatus *misericordiam tuam*, id est repa-
D
rationem humani generis factam per misericordiam tuam, *in sepulcro*, id est in consideratione sepulcri mei, scilicet si me consideraverit in sepulcro remanere et non resurgere ? *Et* nunquid narrabit aliquis *veritatem tuam*, id est te veracem esse in completione resurrectionis meæ, quam per prophetas promisisti, *in perditione*, id est in consideratione perditionis meæ, scilicet si permiseris me ad perditionem devenire, ut non resurgam ? Et *nunquid cognoscentur in tenebris*, id est in tenebrosis, scilicet gentes quæ sunt in tenebris ignorantiæ, cognoscent per narrationem apostolorum *mirabilia tua*, quæ per me operaberis, scilicet expugnationem diaboli, et salutem mundi, et cætera mirabilia quæ multa sunt, me remanente in sepulcro et in perditione ? *Et* nunquid

www.libtool.com.cn

cognoscetur *in terra oblivionis*, id est in gentibus quæ terra maledicta sunt per Adam, et quandiu videris oblivioni tradidisse, *justitia tua*, id est nunquid cognoscent ipsæ gentes omnem justitiam esse a te non a se, si remansero in sepulcro et *in perditione ?* Minime.

Hoc autem quod sub interrogatione sic ponit oratio est cum majori pondere affectionis facta, quam si sine interrogatione fieret. Et est ac si dicat: Resuscita me; nam si in sepulcro remansero et *in perditione*, hæc inconvenientia contingent: scilicet non facies mirabilia in mortuis, neque *medici suscitabunt* ipsos mortuos prædicatione sua: neque mortui resuscitati *tibi confitebuntur*, neque *narrabit aliquis* prædicatorum *misericordiam et veritatem tuam*, neque gentes quæ tenebrosæ sunt, et terra oblivionis cognoscent *mirabilia tua*, et omnem justitiam a te esse. Cum igitur hæc inconvenientia ostendit, ad præstandum quod orat Dei clementiam magis compellit. Repetit autem quod dixit, *clamavi*, ut addat. Dico quod hæc inconvenientia contingent, nisi resuscitatus fuero : et ideo ut resuscitari mererer : *clamavi ad te, Domine* Pater, *ego* qui dignus sum exaudiri. Et a clamore non deficiam : sed *oratio mea* cum clamore facta, in *mane*, non in tenebris, id est in claritate bonæ conscientiæ et devotionis meæ, *præveniet te*, id est *præveniet* remunerationem tuam, scilicet promerebitur remunerationem, a similitudine strenui militis, qui præcedit donativum obsequio, ut post digne ipsum donativum suscipiat. Quod est dicere : Ut dignus sim resuscitatione, promerebor hoc prius irremissa oratione et clamore. Nam prius in vinea est laborandum, postea vero denarius accipiendus. Facit autem quæstionem, ut postea solvat: videlicet quare Deus eam noluerit exaudire orantem ut posset tribulationem passionis evitare. cum adjungit : *Ut quid*, etc, Quod sic jungitur : Dico quod clamavi orando de resurrectione, Oravi etiam ut, si possibile est, transeat a me calix passionis. Et *ut quid, Domine, repellis* hanc *orationem meam*, permittendo me pati, et hoc modo *avertis*, id est videris avertere *a me faciem*, id est benevolentiam *tuam* : a 352 similitudine iratorum, qui ab his quibus irati sunt, faciem avertunt ? *Faciem* pro benevolentia ponit, eo quod in faciei serenitate soleat benevolentia denotari.

Quamvis autem *orationem meam* repellas, ego tamen, qui affligi permittor, *pauper sum*, id est humilis erga te, sicut pauper erga divitem, *et in laboribus* prædicationis, *a juventute mea*, id est a principio juventutis, scilicet a trigesimo ætatis meæ anno, a quo tempore licitum est prædicationem exercere. Et ego *exaltatus*, id est valde promotus in humilitate, et laboratione prædicationis, quod æque magna exaltatio est. *Humiliatus sum*, id est dejectus in tribulationibus, *et conturbatus* metu ipsarum tribulationum; ac si diceret : Si superbus et otiosus existerem, non esset mirum meam orationem repelli. Sed cum sim humilis ad modum pauperis, et laborans in obedientia prædicationis, et in his valde sublimatus, admirabile est cur me tam severiter in tribulationibus permittas humiliari et conturbari : Quæstio est facta, ad solvendum accedit, cum dicit : *In me transierunt*, etc. Quod sic continuatur : Dico hic quod posset quæri, scilicet quare *repellis orationem meam*, et quare me permittis humiliari et conturbari ? Et ecce quare hoc sit : ideo, scilicet humilior, quia *iræ tuæ*, id est vindictæ tuæ, quas in humanum genus exerces propter peccatum Adæ, *in me* conjectæ *transierunt*, id est transibunt ab humano genere; quod est dicere : Passiones in me conjectæ causæ erunt quare mortalitas et passibilitas, et cæteræ vindictæ quas tu Deus exerces in humanum genus, destruentur, *et* ideo *terrores tui*, id est terribiles passiones a te dispositæ, *conturbaverunt me*, id est conturbabunt secundum fragilitatem carnis; vel terrores passionum multarum, quas scio me passurum per tuam dispositionem conturbabunt me, non ex necessitate, sed spontanea conturbatione, unde legitur : « Cœpit Jesus pavere et tædere (*Marc.* XIV, 33). » *Et* vere me conturbabunt terrores. Nam *circumdederunt me sicut aqua*, id est circumdabunt me *tota die* passiones meæ; sicut aqua, id est ad modum aquæ, scilicet ut me opprimant, a similitudine aquæ quæ aliquem circumdat ut demergat et opprimat. *Circumdederunt*, id est circumdabunt, inquam *me*, et hoc *simul*, id est ita quod nullus excipiatur; ac si dicat : Non ita me circumdabunt, ut partim in uno tempore, et partim in alio, sed omnes me simul circumdabunt, ad exaggerationem calamitatum mearum, ideo quod circumdabor. Ad cumulum autem ærumnarum mearum *elongasti a me amicum et proximum*, scilicet tanta erit conturbatio passionum mearum, quod facies a me fugiendo elongari amicos, apostolos scilicet, qui amici mei sunt, id est valde familiares. « Percuties enim pastorem et dispergentur oves (*Marc.* XIV, 27). » Et proximi mei, id est contribules mei, a me elongabuntur, *et notos meos*, id est occultiores discipulos, sicut Nicodemum et Gamalielem et cæteros, a me elongari permittes. Et hoc quod elongabuntur continget *a miseria* mea, scilicet quia miseriam meam multiplicem considerabunt, relinquent me et fugient. Per hoc quod amicos et proximos *et notos* a se dicit elongandos, multiplicem esse miseriam suam innuit, et per hoc nos ad patiendum pro eo magis instruit.

IN PSALMUM LXXXVIII.

Psalmi octogesimi octavi titulus : *Intellectus Ethan Israelitæ*. Quod sic exponitur : Hic habetur *intellectus Ethan* Israelitæ, non ut *Ethan Israelita* hunc intellectum habeat; sed quia Propheta hoc in psalmo agens, hunc tropicum habet intellectum, de *Ethan Israelita*, id est de Christo qui est *Ethan*, id est robustus, devincendo fortem armatum diabolum, et *Israelita* est, ut in præcedenti psalmo ostensum est. Propheta quippe, quia in præcedenti psalmo Christum humiliter agentem de passione sua introduxerat, in hoc psalmo intendit eum magnum et

www.libtool.com.cn

potentem et incomparabilem ostendere, enarrando beneficia misericordiæ Dei, per eum humano generi conferenda. Et hoc etiam auctoritate paterna corroborat, quem loquentem inducit, et beneficia quæ sit in Christo et per Christum in ecclesia operaturus, promittentem. Ostendit 353 etiam hic Propheta non intelligendum esse passiones, quæ in Christo et in Ecclesia erunt, futuras ad consumptionem, sed ad eorumdem fidelium expurgationem. Orat etiam et pro ipso capite et pro membris, ut bonam affectionem suam quam erga eum habet ostendat, et exemplo suo bonam in bonis affectionem pariat.

Misericordias Domini, id est beneficia misericordiæ *Domini* Patris, quæ humano generi conferet, *in æternum* duratura, *cantabo*, id est cum jocunditate tractabo. Quia vero posset intelligi, quod in sola mente cantaret, determinat, apostropham ad ipsam faciendo, cum adjungit, scilicet *annuntiabo* scriptis, *et* in *generatione* hac præsenti, et usque *in generationem* ultimam, id est semper quandiu mundus durabit, *veritatem tuam*, id est beneficia misericordiæ, quæ ideo complebis ut verus appareas in promissione. *Veritatem* dico *in ore meo* paratum, id est quæ non solum mente cogito vel scriptis annuntio, sed ex affectione nimia ore profero. Innuendo igitur sic Propheta affectionem suam, auditores attentos reddit. Vel sic *Annuntiabo in ore meo*, id est in officio oris mei : *veritatem tuam* duraturam *in generatione et generationem*, id est *in æternum*. *Misericordias* et *veritatem* pro eodem habet. Posset quæri : Ubi sunt misericordiæ, quas annuntiabis, nusquam apparent? Ad quod sic respondet, hoc auctoritate ipsius Patris confirmando, sic. Dico quod *misericordias cantabo*, quod a me quidem non habeo, sed a te, Domine Pater, *quoniam dixisti* mihi interius inspiratione tua, quod *misericordia*, id est beneficium misericordiæ *in æternum* duraturum, *ædificabitur in cœlis*, id est fiet in apostolis, scilicet quos fide et tui cognitione illuminabis in virtutibus, et operibus bonis sublimabis, et tandem beatificabis. Et *in eis* cœlis, id est per eos cœlos *præparabitur* in aliis *veritas tua*, et, id est beneficium misericordiæ, quod veritas tua complebit. Inducit autem verba ipsius Patris, sic: Dico quod *dixisti*, et ecce dicta tua *disposui* ab æterno, *testamentum* meum, id est firmissimam novam legem meam me daturum *electis meis*, scilicet fidelibus meis in tempore plenitudinis futuris, quos de massa perditorum eligam, et *juravi*, id est firmiter et quasi cum juramento promisi, *David servo meo*, id est Christo significato per David ; qui servus meus erit secundum quod homo in omnibus obediens. Hoc scilicet promisi tibi, o David, quod *præparabo* per prædicatores in fide *semen tuum*, id est filios tuos adoptivos, qui tui sequaces erunt prout poterunt. Dico *semen præparabo*, *semen*, dico *usque in æternum* permansurum. Qui enim credet in te, non morietur in æternum (*Joan.* XI, 26), *et ædificabo* in virtutibus et bonis operibus *sedem tuam in generatione et generationem*, id est in æternum permansuram. Eosdem, scilicet fideles quos *semen tuum* esse dixi, *ædificabo* ut digni sint in quibus sedeas, et quos semper regas. Anima enim justi sedes est Dei.

Postquam verba Patris breviter induxit, Propheta in persona sua agens, apostropham ad filium facit ex affectione nimia sic. O Domine fili, quandoquidem per te misericordia ædificabitur in cœlis: ipsi *cœli confitebuntur mirabilia tua*, id est cum laude pronuntiabunt mira beneficia tua, humano generi collata : et exponit, in parte ; vere *confitebuntur*. *Etenim in Ecclesia sanctorum*, id est congregatione fidelium, *confitebuntur veritatem tuam*, id est beneficia quæ complebit veritas tua, vel sic : *Confitebuntur veritatem tuam in ecclesia sanctorum* complendam ; et merito *confitebuntur*, cum sit eis dignior et sublimior. *Quoniam quis in nubibus*, id est inter ipsos cœlos (qui nubes dicentur, eo quod alios compluent doctrina) *æquabitur Domino* Christo ? Nullus. *Et quis in filiis Dei*, id est quis inter ipsas nubes, quæ filii Dei erunt *similis erit Domino* Filio in filiatione ? Nullus. Ipse namque filius per naturam, illi vero per adoptionis gratiam, quod est dicere : Vere debent ei confiteri, cum sint ei in dignitate dissimiles et inæquales. Inæqualitas sane dicitur de re quam unus habet minus, et alius magis : ut 354 si quilibet longior si aliquo longo. Dissimilitudo vero de re quam unus habet, et alter caret : ut si quis albus sit, alius vero minime. Ostendit vero esse dissimiles, cum dicit : Vere non est aliquis *similis*. Nam erit *Deus* et talis Deus, *qui glorificatur in consilio sanctorum*, id est glorificabitur, et ipsi non tales dii, qui glorificentur *in consilio sanctorum*. Et bene dicit non simpliciter in sanctis, sed *in consilio sanctorum*, ac si dicat : Quem sancti et devotione, et opere, et ore glorificabunt : et hoc non inconsulte, sed consilio rationabili : quod equidem dignius est quam si sine consilio hoc ageretur. Ostendit quoque eos inæquales esse, cum addit : Vere nullus *æquabitur Domino* Filio. Nam ipse erit *magnus* in potentia miraculorum, *et terribilis* in vindicta, *super omnes* prædicatores *qui sunt*, id est qui erunt *in circuitu ejus*, id est famulatu ejus. A similitudine dictum est famulorum, qui Dominum circumdant, ut ei famulentur, ac si dicat: Cum ipsi magni sint in potentia miraculorum, et terribiles in patentia puniendi malos, meritis orationum suarum ; tamen est eis major et terribilior. Facit autem apostropham ad eum cum repetitione, ut addat : Dico, o Deus Fili, *quis in nubibus erit similis* Domino ? et bene dico : Quoniam, o *Domine Deus virtutum*, ex ipsis nubibus *quis* erit *similis tibi* ? Nullus, Cum enim sis Dominus virtutum supernarum, et Deus, id est creator earum et ipsi minime, dissimiles tibi sunt. Et in hoc etiam sunt dissimiles tibi, quia *potens es*, id est eris de tali potentia qua penitus ipsi carent, et in hoc quoque sunt dissimiles, quia *veritas tua* erit *in circuitu tuo*, et in circuitu eorum non, id est ipsi qui per emphasin veritas tua dicentur, eo quod per veritatem san-

www.libtool.com.cn

cti efficientur, erunt in famulatu tuo. Quia vero dixerat : *potens es*, Deus, potentiam istam ostendit, addendo sic.

Dico quod *potens* eris, et ecce potentiam, scilicet, *tu dominaris*, id est dominaberis *potestati maris*, et ipsi non ; scilicet habebis in dominio potestatem ipsorum infidelium amaricantium te mala vita sua, scilicet ipsa potestas quam habebunt tuos persequendo, in dominio tuo erit, ut non liceat eis sævire et persequi, nisi quantum eis permittes : et non solum habebis in dominio ipsam potestatem ut possis eam compescere : *Motum autem fluctuum ejus tu mitigas*, id est sed *tu* mitigabis *motum fluctuum ejus*, ipsi non; id est aliquando cessare facies motum fluctuum ejus maris, id est iram infidelium, quæ movebit fluctus adversus sanctos, persecutiones, scilicet, quæ eos ad modum fluctuum opprimant. Quod est dicere: Mitigabis quorumdam infidelium iram, ut conversi, fideles tuos persequi desistant. Notandum quod *tu* toties repetitum, ad differentiam ponitur, ac si diceret : Tu hoc facies, et ipsi non, et per hoc tibi dissimiles esse comprobantur. Dico quod *tu dominaris potestati maris*, etc., et tu etiam sic potens es, quod *tu humiliasti*, id est humiliabis *superbum* antonomastice *sic vulneratum*, id est utpote prius vulneratum, et ipsi non; quod est dicere : Prius eum *vulnerabis* morte tua, auferendo ei jus quod habet in humano genere, et postea ex toto eum humiliabis de regno suo, quando gentes per prædicatores ei auferes : a similitudine hostis, qui prius vulneratur, et postea dejicitur, vel *sicut vulneratum* bene ponit, id est similem vulnerato. Non enim fuit revera et proprie vulneratio, sed quasi vulneratio, et *tu dispersisti*, id est *disperges inimicos tuos* Judæos per totum mundum *in brachio virtutis tuæ*, id est *in brachio* tuo virtuoso, ut ita dicam, scilicet in forti potentia *virtutis tuæ*, vel *disperges*, id est separabis *inimicos tuos*, omnes scilicet in humano genere, inimicantes tibi mala vita sua, ut alios ad vitam assumas, alios autem ad mortem relinquas : et hoc facies *in brachio*, id est in potentia *virtutis tuæ*. Brachium pro potentia ponit, eo quod potentius membrum corporis sit in virtute, et adeo potens es, quod *tui sunt cœli*, *et tua est terra*, et ipsorum cœlorum non : et in hoc sunt tibi dissimiles, scilicet prædicatores, qui sunt
355 cœli, id est doctrina compluentes, *tui* erunt, id est per te cœli erunt, *et terra tua est*, id est Ecclesia a prædicatoribus compluta, quæ prius mare existens terra fructifera in bonis operibus erit, ex tua gratia habebit quod terra erit. Exponit autem quomodo terram dicat esse ipsius, cum addit: Vere tua erit terra; nam, *tu fundasti*, id est firmiter constitues *orbem* ipsius *terræ*, id est perfectionem ejus in virtutibus et bonis operibus, *et fundasti*, id est creabis prima creatione *plenitudinem ejus* terræ, scilicet facies nasci multas gentes, ex quibus Ecclesiam constitues. Orbem pro perfectione congrue penit, eo quod in circulis (quos orbes dicimus) perfectior æqualitas sit, quam in aliis figuris. Distant enim æqualiter omnes circuli partes a puncto quod in medio est, quod in aliis figurts minime potest inveniri. Ex cujus rei similitudine, philosophi leguntur virtutum sic diffinivisse : « Virtus est æqualitas vitæ, rationi undique convenientis. » Debet enim ratio esse, quasi medium ad cujus dispositionem omnes vitæ partes æqualiter et mensurate deducantur, sicut punctum medium est, ad cujus mensuram omnes partes circuli æqualiter diriguntur, vel sic: Et hæc veritas tua, scilicet quod potens es, in circuitu tuo est, id est in eis qui sunt in famulatu tuo, quod est dicere. Hoc veraciter sciunt obeditores tui, quia potens es, quicunque ignorent. Non solum autem *fundasti orbem terræ et plenitudinem ejus*, *sed et tu creasti aquilonem*, *et mare*, id est tu creasti diabolum, qui frigidos facit infideles ab ardore charitatis, ad similitudinem aquilonis frigidissimi venti, *et mare creasti*, id est ipsos infideles amaricantes te, quod est dicere. Non solummodo bonos, sed et malos, et diabolum caput eorum creasti, non secundum quod mali sunt, sed cum ipsos bonos creaveris in Adam, mali facti sunt per ipsius Adæ peccatum, et cum diabolum bonum et lucidum creaveris, per superbiam malum se fecit. Vel sic : *Tu creasti*, id est creabis *aquilonem et mare*, id est tu dispones et ordinabis diabolum et membra ejus. Juxta illud Isaiæ : « Formans pacem et creans malum (*Isa.* XLV, 7), » non quod ipse sic auctor malitiæ, a quo nefas est dicere, aliquid mali procedere : sed ipse malum creat, id est ordinat, ut cum videlicet ipsa malitia a diabolo et ab impiis procedat, ordinet sic, ut ad aliquam utilitatem suorum cedat.

Quoniam igitur dixerat : *Cœli confitebuntur mirabilia tua*, vult exponere qui cœli cum addit: Dico quod *tui* erunt *cœli*, et quod tui erunt ipsi existentes *Thabor et Hermon*, id est illuminati et anathematizantes diabolum, *exsultabunt*, id est exsultanter annuntiabunt, *in nomine tuo*, id est in honore nominis tui, *tuum brachium*, id est tuam fortitudinem, *cum potentia*, id est cum efficacia, scilicet annuntiabunt quod potens es, et efficax in superando diabolum. Thabor quidem et Hermon duo loci sunt in Judæa; et Thabor *veniens lumen* interpretatur ; Hermon autem *anathema*. Unde per Thabor et Hermon prædicatores ex Judæis congrue denotantur, ad quos verum lumen Christus adveniens, eos diabolum et peccata sua anathematizantes effecit, et per hoc fecit eos fortitudinis et potentiæ suæ annuntiatores. In quo etiam ei comprobantur esse dissimiles, cum ipse non fuerit eorum potentiæ et fortitudinis annuntiator. Orat etiam pro eis sic : Dico quod ipsi exsultanter pronuntiabunt *brachium tuum cum potentia*, et ne ad hoc deficiant, *firmetur in eis manus*, id est firmiter et assidue operare in eis, quod operaturus es, scilicet omnem virtutum perfectionem. *Et exaltatur* in eis *dextera tua*, id est crescat, et multiplicetur in eis gratia benignitatis tuæ, scilicet ut major in eis sit vis gratiæ tuæ, quæ operetur firmiter in ipsis perfectionem virtutum. Per

www.libtool.com.cn

dexteram quidem, cum soleat prosperitas designari, convenienter Dei benignitas per eam hic accipitur. Nam quæ major est prosperitas, quam divinæ benignitatis adipisci favorem? In hoc autem quod orando pro eis, Dei benignitate et operatione egere 356 innuit, dissimiles ipsos ostendit, cum ipse eorum benignitate et operatione non egeat.

Ut igitur quod orat perficiatur, ostendit quod commodum contigerit, si manum suam in eis firmaverit, et dexteram exaltaverit. Dico *firmetur* in eis *manus tua, et exaltetur dextera tua*; quod si fuerit, *justitia et judicium* ipsorum Thabor et Hermon erunt *præparatio*, id est erunt causa præparationis *sedis tuæ*, quod est dicere: Per hoc quod in eis manum tuam firmabis et dexteram exaltabis, erit in eis *judicium*, id est judicabunt se creaturam, et te Creatorem, et se a te habere quidquid boni habebunt, et per judicium erit in eis *justitia*, id est justificatio operum bonorum; et hoc *judicium* scilicet *et justitia* causa erunt quare digni habeantur tibi sedem in aliis præparare, id est tales tibi prædicatione sua et exemplo acquirent, in quibus sedeas et regnes. Aliter enim tibi sedem præparare non essent digni. Per hoc etiam eos dissimiles ostendit, quia ei sedem præparabunt, ut famuli, ipse autem eis non. Ostendit ergo quomodo sedem ei præparabunt, cum addit: Dico quod judicium et justitia *Thabor et Hermon*, erunt causa quare sedes tibi præparetur, quæ sedes hoc modo præparabitur, scilicet per hoc, quod *misericordia et veritas præcedent faciem*, id est cognitionem *tui*. Quod est dicere: Priusquam ab eis cognoscaris, qui sedes tua efficientur *Thabor et Hermon*, qui per emphasim *misericordia et veritas* tua dicuntur, eo quod per misericordiam et veritatem tuam cœli efficientur: ipsam tui cognitionem prædicatione *præcedent*, ut eis scilicet in primis prædicent, et sic ad cognitionem tui adducendos eos sedem tuam efficiant, a similitudine strenuorum famulorum, qui faciem Domini venientis præcedunt, ut ei præparent hospitium. Et in hoc quod ejus *faciem præcedent*, erunt ei dissimiles, qui eorum faciem non præcedet. Misericordia quidem Domini dicitur esse in prædicatoribus, secundum hoc quod eis peccata remittit, et in eis innocentiam restituit, veritas autem cum ipsos justos magis justificat sicut promisit, vel sic: *Justitia et judicium* erit *præparatio sedis tuæ* in ipsis cœlis, scilicet per justitiam et judicium seipsos tibi sedem præparabunt, et eidem cœli existentes *misericordia et veritas* per emphasim, *præcedent faciem tuam* in aliis, ut illos sedem tuam faciant. Dico quod tot modis erunt tibi dissimiles cœli, Christe, id est *beatus* erit *populus qui scit*, id est qui sciet *jubilationem* hujus dissimilitudinis, scilicet qui sciet jubilare, et jubilabit interiori jubilo, de hoc quod tantus eris quod nullus tibi poterit assimilari. Hoc autem bene pertinet ad principalem intentionem, scilicet ad Dei laudem. In hoc enim eum valde commendat, quod populum qui de ejus incomparabili sublimitate jubilaverit, beatum esse confirmat. Vel sic adaptatur: *Beatus populus*, etc. Dico quod *justitia et judicium* erunt *præparatio sedis tuæ*, et populus ille qui factus sedes per eos, sciet *jubilationem*, id est sciet Deo jubilare; sic ut jubilet intentione puræ devotionis beatus erit, et hic et in futuro. Et ecce beatitudo, quam hic habebit, scilicet *o Domine, in lumine vultus tui* existentes illi, qui de illo populo erunt, scilicet illuminatione cognitionis tuæ eos interius illuminantis, *ambulabunt*, id est magis et magis promovebuntur in illo lumine, scilicet ut jam illuminati plus illuminentur *et exsultabunt* de innocentia sua *tota die*, et hoc in *nomine suo*, id est in honore tuo, ut hoc videlicet tibi ascribant, quod innocentes erunt non sibi; *et exaltabuntur in justitia tua*, id est a te data, scilicet crescent in justis operibus per te, quod est dicere: Hanc trinam beatitudinem habebunt, quod illuminati plus illuminabuntur, ac de innocentia sua gaudebunt, et in bonis operibus promovebuntur, Dico *in justitia tua*, et bene dico *tua*, refundendo in te quidquid virtutis in eis erit, *quoniam gloria virtutis eorum tu es*, et ipsi non, et in hoc sunt illi dissimiles, scilicet tu eris ille in quo gloriari debebunt ipsi de omni virtute quam habebunt, et de illuminatione 357 videlicet et de innocentia, et de justitia, et ideo bene dico *tua*. Ostendit igitur quare ipse erit *gloria virtutis* ipsorum, adjungendo se numero eorum, eo quod sit jam fide vir novi testamenti. Dico quod *tu* eris *gloria virtutis, et* hoc ideo, quia non in libero arbitrio nostro, sed *in beneplacito tuo*, id est per beneplacitum gratiæ tuæ *exaltabitur cornu nostrum*, id est sublimabitur et augmentabitur virtus nostra, *quæ cornu* dicitur, eo quod ad modum cornu sit firma, et in altum excrescens.

Ostensa benedictione, quam habebit populus jubilans in præsenti, illam quoque de futuro sic ostendit. Dico quod *beatus* erit in futuro *populus qui scit jubilationem*, et vere beati erimus, et nos scilicet tanto ante tempore existentes, jam tamen fide populo illi conformes, et idem populus futurus, *quia assumptio nostra est*, id est erit *Domini*; quod est dicere: Quia Dominus assumet nos de mortalitate et passibilitate in salutem, *et sancti Israel regis nostri*, id est illius Domini erit assumptio nostra, qui sanctus erit, id est antonomastice sanctus inter illos qui erunt Israel, et sanctificaturus eos qui erunt Israel, et qui rex noster erit, ac si dicat: Potens erit nos assumere, quia sanctus Israel erit et rex noster.

Postquam Propheta ex paterna auctoritate sibi interius agente, beneficia per Christum humano generi conferenda breviter ostendit, et ea occasione eadem beneficia in sua persona agendo, prolixius pertractavit, ne fictitium judicaretur quod hæc Patrem sibi interius loqui testatus est, aliorum hoc auctoritate corroborat, dicens Patrem hoc ipsum quod sibi dixit, aliis etiam sanctis in visione dixisse, et hoc etiam in suo tempore ut magis auctorizet, ne

www.libtool.com.cn

cæteri prophetæ qui post eum fuerunt, viderentur istud ab ipso accepsise, et non ab eo habuisse. Plures enim prophetæ leguntur in tempore David fuisse sicut Nathan et Samuel et cæteri. Introducit etiam ipsum Patrem ipsis sanctis loquentem et eadem beneficia quæ sibi dixit, eis largius expromentem. Hoc vero sic adaptatur. Dico, o Deus Pater, quoniam *dixisti* mihi interius, quod *misericordia ædificabuntur in cœlis*, etc. Et *tunc* quando mihi dixisti hoc *locutus es* etiam *sanctis tuis* prophetis, scilicet contemporaneis meis *in visione* interiori, id est in certa cognitione inspirationis tuæ ; cum dicit *in visione* eorum partem deprimit, qui prophetas mentiuntur ignorare, quæ per Spiritum loquuntur sicut dæmoniaci, qui quod dicunt nesciunt. Dico quod *locutus es sanctis tuis*, et hoc scilicet *dixisti*, *posui adjutorium in potente*, ac si diceret : Ego humanum genus insufficiens per se a damnatione liberari, adjuvabo liberando illud, et hoc *adjutorium posui*, id est ponam in filio meo, antonomastice potente, scilicet per obedientiam passionis ejus, illud adjuvabo. *Et* ut potens sit ad hoc adjutorium perficiendum *exaltavi*, id est sublimabo in omni virtutum perfectione, illum *electum de plebe mea*, id est illum quem ad hoc eligam de omni multitudine sanctorum meorum. Nullus enim dignus ad hoc exsequendum invenietur, præter ipsum. « Speciosus enim forma præ filiis hominum. (*Psal.* XLIV, 3). » Unde in canticis de eo sponsa sic dicit : « Dilectus meus candidus et rubicuudus, ex millibus electus (*Cant.* V, 10). » Adjungit autem causas, cur eum exaltabit, sic : Dico quod exaltabo *electum*, Christum scilicet verum David. Et ideo exaltabo, quia *inveni*, id est inveniam ipsa rei experientia *David* esse *servum meum*, id est experiar eum esse servum meum in omnibus obedientem, et in nullo resultantem. Et quia illum experiar esse servum meum, *unxi*, id est ungam *eum* in regem et sacerdotem *oleo sancto meo*, id est immunitate peccati, quod est dicere : Dabo ei immunitatem a peccato, ut per hoc dignus sit fieri rex et summus sacerdos, a similitudine illius qui ab hoc oleo inungitur, ut sacerdos vel rex efficiatur.

Ostendit autem per quid erit potens, sic : Dico ponam *adjutorium in potente* David, et vere potens erit : *Manus enim mea*, id est verbum meum ipsi secundum quod homo personaliter uniendum *auxiliabitur ei*, ad inimicos devincendos, *et brachium meum*, id est 358 idem verbum *confirmabit eum*, id est constantem faciet, ne inimicis cedat. Manus et brachium verbum Dei congrue dicitur, eo quod per ipsum Deus Pater omnia disponat et operetur, sicut nos manu et brachio operamur, Unde Psalmista alibi : « Verbo Domini cœli firmati sunt (*Psal.* XXXII, 6). » Exponit igitur quomodo confirmabit, sic : Dico quod confirmabit, et hoc modo quidem confirmabit, quod *inimicus* antiquus diabolus *nihil proficiet in eo*, suggestionibus suis, neque criminaliter, neque venialiter, *et* Judaicus populus, *filius* existens *iniquitatis*, id est filius diaboli per obedientiam, qui dicitur iniquitas per antonomasiam, eo quod origo sit totius iniquitatis, *non apponet nocere ei* ; ac si dicat : Voluntatem quidem habebit nocendi ei sibi conformando, sed voluntati non apponet actu nocere ei. Exponit quoque quomodo *ei auxiliabitur*, cum addit : Dico quod *manus mea auxiliabitur ei*, et hoc modo quidem ei per manum meam auxiliabor, quod *concidam*, id est in bono destruam *inimicos ejus* Judæos, partem scilicet, persecutorum ejus de malitia destruam, et ad eum converti faciam, et hæc concisio inimicorum continget *a facie* id est a cognitione ejus, scilicet per ejus cognitionem, de malitia sua destruentur, et in bono ædificabuntur. *Et* non solum persecutores concidam, sed *odientes eum*, id est partem eorum qui eum non persequentur actu, sed solummodo eum odio habebunt, *convertam in fugam* odii, scilicet, faciam ut ab odio fugiant, et ad ejus dilectionem accedant.

Et postquam inimicos devicerit, non dimittam eum, sed *veritas mea*, *et misericordia mea cum ipso* erit ; quod est dicere : Semper cum ipso ero secundum auxilium et confirmationem, et propter misericordiam meam, et propter veritatem meam, quia scilicet hoc promisi, et non possum non complere, quia verus sum in natura. Et quia cum ipso ero, *exaltabitur cornu ejus*, id est sublimabitur potentia virtutis ejus, sic ut totus mundus ei subjiciatur, et hæc exaltatio erit *in nomine meo*, id est in honore meo, ut inde scilicet glorificer ab hominibus. Cornu quidem quia forte est, et in eo fit potentia bellandi, pro potentia ponitur. Vel sic : Dico quod *concidam inimicos*, et per hoc *concidam*, quod *veritas mea et misericordia mea* erit *cum ipso*, id est ego cum ipso ero propter misericordiam et veritatem meam et quia *cum ipso* ero, *exaltabitur cornu*, id est sublimitas ejus *in nomine meo*, id est in magnificatione nominis mei, quod est dicere : Cum ipse sublimis futurus sit in justitia et innocentia, magis magisque ideo exaltabitur, quia nomen meum exaltare studebit. Non solum autem *concidam inimicos ejus* Judæos, et *odientes eum* Judæos *in fugam convertam*, sed *et ponam manum ejus*, id est operationem ejus *in mari*, id est in populo gentium amaricanti, quod est dicere : Faciam ut partem gentium ad fidem convertat operatione prædicationis discipulorum suorum. Non solum autem in pauperibus et subjectis de mari, *ponam manum ejus*, sed *et in fluminibus*. id est in principibus, quorum cura decurrit in subditam plebem ad modum fluminum in mare decurrentium. Ponam *dexteram*, id est operationem *ejus*, scilicet faciam, ut quosdam ex principibus convertat operatione prædicatorum, quæ bene per dexteram intelligitur eo quod dextera operamur.

Et hoc quidem merito ei faciam. *Ipse* enim *invocavit*, id est orabit me, ut ponam illum primogenitum et excelsum, et ut servem illi misericordiam meam dicens : *Deus*, id est creator *meus es tu*, secundum quod homo sum, *et Pater meus* secundum quod Deus, *et susceptor*, id est medicus et patronus

www.libtool.com.cn

secundum quod homo operator salutis meæ, id est constantiæ et resurrectionis meæ, vel *susceptor salutis meæ*, id est defensor et conservator salvationis meæ ne deficiat. Notandum quod cum ponit hæc blanda verba, quæ Christus legitur in orationibus posuisse, scilicet *Pater* et *Deus* et *susceptor*, ipsum quod orabit non ponit, sed ex sequentibus datur intelligi, cum ponit hoc promittendo quod dabit cum addit: 359 Dico quod *ipse invocabit me, et ego* quem *ipse invocabit, et* qui potens sum dare quod orabit; *ponam*, id est faciam *illum primogenitum* mortuorum, id est faciam ut primus generetur in immortalitatem et impassibilitatem, et sic per eum cuncti mortui salvandi generentur in futuro. Unde Joannes in Apocalypsi: « Primogenitus mortuorum (*Apoc.* I, 5): » Et Apostolus: « Primogenitus inter multos fratres (*Rom.* VIII, 29): » Et non solum *primogenitum ponam illum*, sed et *excelsum* in glorificatione, *præ regibus terræ*, id est præ omnibus fidelibus regentibus bene in se terrenitatem, scilicet sensualitatem, ne repugnet nimis spiritualitati; quod est dicere: Cum fideles futuri sint excelsi et gloriosi, ipse tamen excelsus erit præ omnibus illis. Vel sic ad litteram: *ponam illum excelsum præ regibus terræ*, scilicet ut multi reges terræ ei se subjiciant, et eum *excelsum* esse cognoscant, et *in æternum servabo misericordiam illi*, et ad opus ejus, et ad opus membrorum illius; quod est dicere: In æternum miserebor et ejus, et membrorum ejus, ut semper eos constantes faciam.

Et sic testamentum, id est pactum *meum* factum *ipsi*, erit *fidele*, id est verax; quod est dicere: Et quia *servabo illi misericordiam*, verum erit pactum quod feci, id est faciam promittendo quod *illi servabo misericordiam*, si mihi fuerit obediens, *et ponam in sæculum sæculi semen ejus*, id est ponam sequaces ejus in æternum, scilicet faciam eos in æternum vivere, *et* ponam *thronum ejus*, id est ipsos sequaces qui erunt sedes ejus, faciam claros in perfectione illum nationis interioris; *sicut dies cœli*, scilicet splendida erit eorum claritas, sicut splendida est claritis cœlestium spirituum. Qui autem tantam promissionem membrorum fecerat, dicendo *semen ejus ponam in sæculum sæculi*, etc., ne viderentur ipsi sequaces non ulterius peccaturi, vel si peccarent non recuperaturi, innuit eos peccaturos, et esse corrigendos, et Dei misericordiam non amissuros, sic: Dico quod *ponam semen ejus in sæculum sæculi*, etc. *Si autem* id est sed si *filii ejus*, id est sequaces ejus, prælati scilicet, *dereliquerint legem meam*, id est disciplinam quæ in lege mea præcipitur, scilicet si non correxerit subditos secundum disciplinam in lege mea constitutam, sed vel nimis intense ad libitum suum corriget, modum excedendo per iram, vel nimis remisse parum faciendo propter alicujus gratiam: *Et* si filii ejus prælati *non ambulaverint in judiciis meis*, id est non perseveraverint *in judiciis* a me constitutis, scilicet si, pro amore alicujus aut odio falso judicantes, non habuerint recta judicia erga subditos, sicut ego constitui. *Et* si filii ejus subditi *profanaverint justitias meas*, id est profana et injusta esse reputaverint justa præcepta mea; ceu multi sacerdotes quibus injustum et detestabile videtur quod in canonibus constitutum est non licere presbyteris uxores habere, ecclesiastica emere, et cætera talia facere; et, ut universaliter dicam, *si mandata mea non custodierint* filii ejus et prælati et subditi (quod tamen tolerabilius est scilicet tantummodo non custodire, quam non custodiendo profanare); *visitabo in virga*, id est corrigam in minori verbere *iniquitates*, id est minores offensas eorum qui mandata mea non custodierint: A similitudine puerorum minus offendentium, qui virgæ percussione corriguntur. *Et* visitabo, id est corrigam *in verberibus*, id est in magnis correctionibus et asperis *peccata*, id est majores culpas *eorum* qui profanaverint justitias meas; a similitudine juvenum magis offendentium, qui baculorum verberibus corripiuntur; ac si dicat: Si filii ejus offenderint, castigabo eos per infirmitates, et per alias quas eis inferam anxietates: quæ omnia erunt eis piissima et saluberrima visitatio.

Et notandum quod hanc promissionem correctionis et misericordiæ facit de illis filiis tantum qui salvandi sunt. Legem autem, id est disciplinam ponit, eo quod validius dicuntur leges, instituta illa ubi de vindicta reorum agitur, quam ubi regula vivendi 360 disponitur. Dico quoniam *visitabo* eos *in virga et in verberibus. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, id est sed beneficia misericordiæ meæ non ex toto auferam a filiis ejus salvandis, quos *visitabo*, scilicet non eis auferam fidem et mei cognitionem, et cætera beneficia quæ per misericordiam meam eis conferam: *neque nocebo* eis in futuro ut eos damnem: et hoc est certum et firmum, *in veritate mea*, ac si dicat: Cum verus sim ut fallere nequeam, ipsa mea veritas habet ut quod promisi compleam: scilicet ne *misericordiam dispergam*, neque noceam, *neque profanabo testamentum meum*, scilicet non faciam profanum, id est mendax pactum meum, quod firmabo cum David filio meo promittendo quod non nocebo filiis ejus; *et non faciam irrita*, id est vana et nulla utilitate prædita, ea *quæ procedunt de labiis meis*, id est ea beneficia quæ de filiis ejus prædicunt prophetæ mei dicti labia mea, eo quod per eos futura præloquar; ac si dicat: Si *misericordiam meam ab eis* dispergerem, *mendax* esset pactum meum, quod cum David faciam, loquendo ipsi interius, quod *profanum* quidem est et impossibile ut mentiar, cum sim Deus, et ea quæ prophetæ annuntiant de salute æterna filiorum irrita essent, et sine utilitate dicta; quod utrumque ne sequatur, non *dispergam misericordiam neque nocebo*, et vere non dispergam: nam *semel juravi*, id est immutabiliter et firmiter disposui, a similitudine illorum qui aliquid firmiter et cum jurejurando disponunt, et hoc *semel*, id est sic inviolabiliter ut non sit opus repetere ipsum jusjurandum. Dico

www.libtool.com.cn

quod *juravi semel*, et hoc *in sancto meo*, id est in sancta dispositione mea; ac si dicat: Cum dispositio mea sancta sit, impossibile est quod dispono non contingere. Dico *juravi*, et hoc scilicet juravi, quod semen ejus in æternum manebit, id est sequaces ejus æterni erunt. Et *si ego David mentiar*, scilicet filio meo non complens quod cum eo paciscar, tunc non sum Deus, vel David propheta, cui hoc prædixi.

Et non solummodo *semen ejus in æternum erit*, sed *et thronus ejus*, id est ipsum semen, quod erit sedes ejus, non localis sed spiritalis in futuro existens *in conspectu meo*, id est in aperta contemplatione mei, qui hic per speculum videbunt, erit lucidus in anima *sicut sol*, id est ad modum solis. Juxta illud Jesu: «Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris mei (*Matth.* XII, 43).» et idem thronus erit in corpore splendidus in æternum, *sicut luna perfecta* splendida est. Notandum enim quod clariores erunt in animabus quam in corporibus, cum dignior sit anima corpore. Notandum quoque quod licet omnes Dei sequaces possint *thronus ejus* dici, digniores tamen et sanctiores quadam præcipuitate thronum dici ejus, sicut quidam ordo spirituum præ dignitate sua *thronus* vocatur. *Et* hujus promissionis filiorum erit *testis in cœlo*, scilicet Jesus caput eorum, qui in cœlos assumptus splendidus erit, testis erit et pignus quod membra splendida erunt, et talis *testis* qui erit *fidelis*, id est talis cui fides adhibenda erit cum Deus et homo sit, vel *fidelis* qui fidem faciet. Promissione paternæ auctoritatis apposita. Propheta in sua persona agens, opponit illud quod a multis opponi posset, ut solvat: videlicet quare, cum Deus Pater tanta beneficia Christo et membris promiserit, tot eos permittat anxietatibus affligi. Et hoc sic dicit: O Deus Pater promisisti Christo quod in æternum servabis illi misericordiam, et quod thronus ejus erit sicut sol, et cætera talia. *Tu vero* ex proposito *repulisti*, id est videberis repellere ab omni gloria Christum tuum, quem turpiter permittes tractari; *et despexisti*, id est videberis despicere scilicet quod sic affligetur, cum tu eum gloriosum esse futurum per prophetas prædixeris: videbitur nondum venisse, sed adhuc differri. Unde Judæi infideles, Messiam adhuc venturum opinantur.

Et non solum modo ipsum caput videberis repellere et despicere, sed *evertisti*, id est videberis destruere *testamentum servi tui*, id est pactum quod facies Christo servo tuo, promittendo *quod thronus ejus* 361 erit sicut sol, etc., videberis evertere, quia *profanasti*, id est permittes a persecutoribus profanari, id est profanum reputari *sanctuarium ejus* quod est *in terra*, scilicet permittes ut ipsi persecutores martyres suos abigant, et persequantur ut profanos, qui tamen sunt *sanctuarium*, id est sanctum templum tuum in terra manens. *In terra* ponit ad differentiam civium supernorum, qui cum Dei sanctuarium sint, ab impiis nequeunt profanari, vel sic: Profanari permittes *in terra sanctuarium tuum*, A id est permittes impios persequi fideles more profanorum, quandiu erunt *in terra*, qui tamen sunt *sanctuarium* tuum, id est sanctum templum *ejus*. Postquam autem de hac vita recedent, eos persequendi non habebunt facultatem. Et hoc modo permittes profanari *sanctuarium*, scilicet *destruxisti omnes sepes ejus* sanctuarii, id est permittes destrui corporea interfectione prælatos Ecclesiæ, munientes ipsam Ecclesiam doctrina et exemplo suo, ad modum sepium vineam circummunientium, et destrui permittendo *posuisti*, id est pones *firmamentum ejus* sanctuarii *formidinem*, id est causas formidinis, scilicet per destructionem sepium, facies ut *sepes* illæ, quæ vivendo erunt eis *firmamentum* et munimentum, corporaliter destructæ, sint eis causa quare formi-
B dent ipsi minores destrui: et *diripuerunt eum* David in membris, id est dilaniabunt maximam partem membrorum ejus interficiendo, vel diripient sibi quædam debilia membra ejus incorporando sibi. *Omnes* deserentes viam recte vivendi tam gentiles quam Judæi et hæretici, vel *transeuntes viam*, id est negligentes Christum, qui *via* est *veritas et vita*, quod est dicere: Formidine destructionis prælatorum, quidam debiles ex subjectis infidelibus conformabuntur. Et quia diripient *factus est*, id est fiet ipse David secundum remanentia membra, *opprobrium vicinis suis*, quod est dicere: Illi qui non diripientur erunt *opprobrium vicinis suis*, id est erunt causa opprobrii illis, qui jam vicini erunt, volentes ad fidem Ecclesiæ exemplo eorum converti, scilicet ipsi vicini ve-
C recundabuntur se unquam voluisse his credere.

Ostensa fidelium depressione, deprimentium exaltationem ostendit, sic: Dico quod membra ejus David permittes sic deprimi, ut sepes destruantur, et quidam ex ipsis diripiantur. Et ex opposito *exaltasti dexteram depaimentium eum*, David in membris, id est permittes exaltari et augmentari fortitudinem persecutorum, qui membra ejus deprimere laborabunt. Quod est dicere: Dabis eis amplam potestatem fideles deprimendi. Et per hoc *lætificasti*, id est permittes lætos fieri *omnes inimicos ejus*, David, depressores scilicet membrorum ipsius: ac si dicat: Adeo eorum fortitudinem exaltari permittes, ut inde valde lætificentur. Unde quidam persecutores in loco
D interfectionis martyrum, dicuntur convivia parari fecisse, et ludos instituisse. Dico quod persecutores exaltabis. Et econtrario *avertisti*, id est avertas *adjutorium gladii* rationis *ejus*, David, id est quorumdam membrorum ejus, scilicet cum ipsi habuerint rationem qua se more gladii defendant, ostendendo se recte credere, neque se dignos esse persecutione, avertes ab eis auxilium rationis, quæ gladius eorum erit, videlicet facies ut eorum ratio nequeat eos a persecutione et morte defendere: a similitudine militis, qui non potest gladii adjutorio ab hoste defendi. *Et non est auxiliatus ei*, scilicet non auxiliabitur quibusdam membris ejus ille gladius rationis *in bello*, quod cum infidelibus exercebunt. Quod est dicere: Cum adversus impios quidam rationabilibus senten-

www.libtool.com.cn

tiis bellabunt, non poterunt eos convertere : a similitudine militis cujus gladius inefficax est hostem superare. Et *destruxisti eum*, id est permittes destrui morte, quædam ejus membra : quæ destructio continget *ab emundatione* ipsorum membrorum, scilicet ideo destruentur, quia mundi et sancti 362 erunt in fide et operibus, et impii eorum munditiam pati nequibunt, quod mirabilius quidem erit, quam si per immunditiam destruerentur. Vel eorum destructio continget *ab emundatione*, id est propter emundationem. Quod est dicere : Ideo ab impiis destruentur, quia profani reputabuntur, et per eorum destructiones, civitates unde auferentur, emundari videbuntur per mortem eorum. Ne vero putarentur et in corpore et in anima esse destruendi, determinat sic :

Dico quod destrui permittes ejus membra : et hæc destructio non erit et in corpore et in anima : sed *in terram*, id est in corpore, quod terrenum est, *collisisti*, id est permittes collidi *sedem ejus*, David membra ejus scilicet in quibus sedebit. Quod est dicere: Permittes eos destrui in corpore, non in anima. Unde Dominus in Evangelio : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* x, 28). » Et *minorasti*, id est minorabis *dies temporis ejus*, id est membrorum quorumdam ejus, David scilicet cum quædam membra habebit, vel prælatos scilicet, vel ad fidem noviter accedentes : de quibus alii optabunt ut diu vivant, tu minorabis *dies temporis* eorum, id est minus eos vivere permittes quam optent. Et *eum*, id est multa membra ejus existentia in *confusione*, id est multis anxietatibus quæ causa confusionis erunt *perfudisti*, id est perfundi et circumvallari permittes ipsa *confusione*, id est anxietatibus, quæ causa confusionis erunt. Dictum est hoc per emphasim a similitudine illorum, qui in aqua existentes, ab ipsa circumvallantur. Et cum sic permittes persequi David et membra ejus, *usquequo*, id est usque ad quem modum, *o Domine* Pater, *avertes*, id est videberis avertere misericordiam tuam ab ipso David et membris ejus? Avertes *in finem*, id est ex toto. Vel in finem, id est in destructionem sic, scilicet ut eos destruas ex toto? Nequaquam. Sed *ira*, id est vindicta *tua exardescet*, id est exasperabitur in eis *velut ignis*, id est ad comparationem ignis. Sicut enim ignis vehementer accensus aurum purgat, ligna vero consumit et incinerat, sic et persecutio Christi et membrorum ejus, ipsis membris erit expiatio, et infidelibus eos persequentibus consumptio. Cum igitur ponit *exardescet sicut ignis ira tua*, breviter solvit quidquid de persecutionibus et dejectionibus Christi et membrorum ejus opposuerat, ab illo loco ubi dixerat : *Tu vero*, etc. Cum vero dicit, *memorare*, etc., pro salute membrorum orat, videlicet ut Deus Pater memorando, quantæ futurum sit dignitatis Christi meritum per eum ipsis membris misereatur. Hoc autem sic adaptatur. Dico quatenus ira tua non *in finem exardescet*, *sed sicut ignis*. Et ut non in finem exardescat : *Memorare*, Deus Pater, *quæ*, id est quam digna erit *mea substantia*, scilicet humana natura, quam verbum tuum de semine meo assumet, ut per ipsius dignitatis meritum hominibus misereris. Et necesse est ut memoreris. *Nunquid enim* vane, id est sine utilitate *constituisti*, id est creasti omner *filios hominum*, id est omnes homines ? Absit. Quasi diceret : Ideo memorare dignitatis Christi, ut per eam hominibus misereris, quia si ejus non memorareris, et hominibus non misereris, sine utilitate eos creasse videreris, cum ad hoc esse creati videantur, ut ex eis decimus ordo, qui periit, suppleatur. Et bene dico *memorare quæ mea substantia*. Nam *quis est homo*, id est quantus et quam gloriosus erit homo ille ex semine meo nasciturus? Et vere magnus. Nam talis erit *qui vivet*, *et* sic quod *non videbit mortem*. Ne vero putaretur nunquam esse moriturus, hoc sic determinat. Et postea, scilicet non videbit mortem, postquam *eruet animam suam de manu*, id est de potestate *inferni*. « Christus enim resurgens a mortuis jam non moritur (*Rom.* vi, 9). » Et vere magnus homo ille. *Ubi sunt*, id est in quo erunt; *o Domine* Pater, *misericordiæ tuæ antiquæ*, id est beneficia misericordiæ tuæ ab antiquo disposita, id est ab æterno. Quod est dicere. Per cujus obedientiam humano generi conferentur beneficia *misericordiæ tuæ*, ab æterno disposita, 363 *sicut jurasti David*, id est sicut firmiter promittes in interiori ipsi homini, qui revera erit David. Et hoc *in veritate tua*, id est in verissima promissione tua. Dico memorare quæ mea substantia. Oro etiam *memor esto opprobrii servorum tuorum*, membrorum ipsius David, ut ipsis remunerationem inde tribuas. *Opprobrii* dico *multarum gentium*, id est quod a multis gentibus inferetur; et ideo gravius erit quam si a paucis. *Quod* opprobrium non detestatus sum ; nec despexi sed *continui*, id est cum dilectione amplexatus sum *in sinu meo*, id est in interiori conscientia mea, quæ per sinum designatur congrue, eo quod sinus latens res est et secreta. In hoc quod dicit se diligere opprobrium illud, quod salutis erit occasio patientibus, ipsos patientes ad hoc patiendum corroborat. *Quod exprobraverunt*, id est quod opprobrium exprobrando inferent servis tuis, *inimici tui* infideles, *o Domine* Pater. Repetit autem, ut ipsum opprobrium quod sit, ostendat. *Quod exprobaverunt*, inquam, id est exprobando dicent scilicet *commutationem Christi* filii *tui* eis improperabunt, id est hoc quod Christus commutabitur de vita ad mortem, dicentes eos insanos esse, quia credent in hominem mortuum. Et tamen quamvis Christus sic sit commutandus, per hanc commutationem apparebit *Dominus* omnium *benedictus*, id est exaltatus *in æternum* in perenni gloria. Unde Apostolus : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* ii, 9). » Et in Evangelio : « Oportebat pati Christum et resurgere, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* xxiv, 46). » Dico quod Dominus erit benedictus, et hoc *fiat*, ut sit benedictus in Ecclesia de Judæis ; et *fiat* benedictus in Ecclesia de gentibus. Per hoc autem quod

www.libtool.com.cn

ejus benedictionem sic optat, ad eum benedicendum nos invitat.

IN PSALMUM LXXXIX.

Titulus octogesimi noni. *Oratio Moysi hominis Dei.* Quod sic exponitur. In hoc psalmo introducit orare Moyses Deum Filium, qui homo futurus est, ut hominem non avertat a misericordia sua, qui dejectus est in humilitatem per Adam, quam etiam dejectionem ostendit et annuntiat, quod ex ea tandem liberati lætabimur. Et non qualiscunque Moyses hic introducitur orare, sed Moyses homo Dei. Et melius ponit *homo Dei,* quam si poneret servus Dei, ut ostendat eum libere et amore casto, Deo obedivisse, sicut ille qui homo liber est, Domino suo servit, non tam timore quam et amore. Servus autem magis ex timore servit. De quo Moyse, idem Dominus testatur : « Moyses servus meus, in omni domo mea fidelissimus (*Num.* XII, 7 ; *Hebr.* III, 2). » Ideo autem a Propheta inducitur orare Christum Moyses, legis veteris minister, qui auctorizabilior prophetis omnibus apud Judæos habetur, ut ipsius auctoritate Christum orantis, et eumdem Deum ab æterno et hominem futurum in tempore, et mundi reparatorem ostendentis, infideles Judæi convincantur, qui Deum et mundi reparatorem Christum esse denegant, qui de eodem Moyse ad infidelissimos Judæos dixit : « Si crederetis Moysi, crederetis utique mihi (*Johan.* V, 46). » De me enim ille scripsit [forsitan]. Fecit autem in ipsius persona Propheta hunc psalmum, vel ideo quod in scriptis illius vidit aliquid simile verbis hujus psalmi dictum fuisse, vel quia Spiritu sancto revelante, cognovit eum sic egisse. Esdras quoque titulorum impositor, per ejusdem spiritus revelationem agnoscens David prophetam sic voluisse psalmum hunc, in persona Moysi inscripsit.

Domine refugium, verbum salutis humano generi existens *in generatione* veteris testamenti, *et in generatione* novi. Vel a generatione veteris incipiens esse refugium, et durando in generatione nova. Vel sic : A generatione veteri incipiens, et eundo usque in generationem novam; *tu factus es,* id est tu qui refugium es, creatura fies, scilicet humanam naturam personaliter assumes; et hoc 364 nobis, id est ad utilitatem nostram, ut mundum repares. Unde Apostolus : « Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret (*Galat.* IV, 4). » Quia vero dixerat factus, ne omni modo videretur initium habuisse, et simplex homo esse, addit: Et quamvis te dicam factum ; tamen *priusquam montes fierent,* id est priusquam cœlestes spiritus crearentur qui dicuntur montes, eo quod sint in naturæ suæ dignitate sublimes; *aut* priusquam ex quatuor elementis *formaretur terra,* id est homo terrenus, qui inferior angelis est, et ut universaliter dicam: Priusquam formaretur orbis mundus, scilicet totus; et quidquid in eo est, et ut majus quid dicam, *a sæculo,* id est ab æterno, *et usque in sæculum,* id est usque in æternum, scilicet sine principio et sine fine *tu es.* Et vere in æternum es, nam *Deus* es. Cum dicit, *es,* et non fuisti, vel eris, æternitatem ostendit. Sæculum quidem aliquando ponitur pro æterno; aliquando vero æternum pro sæculo. Et bene dicit *montes,* id est angelos non formatos, sed factos, et terram formatam. Illud enim dicitur formatum, quod est ex aliqua informi materia factum. *Terra* vero, id est, homo ex quatuor elementis formatis est, cœlestes vero spiritus ex nihilo creati. Et quia potens es, utpote Deus; et pro salute hominum creatura fies, *ne avertas* a misericordia tua *hominem in humilitate* dejectum, id est homines qui per Adam in maximam defectionem devenerunt. Quod est dicere : Repara genus humanum, pro cujus reparatione creatura fies. *Et* hac fiducia hoc oro, quia *dixisti* fidelibus tuis interiori dicere, sine strepitu verborum : *O filii hominum,* Adæ videlicet et Evæ, qui simpliciter fuerunt homines, non spirituales Filii dico, non solummodo secundum originem, sed etiam secundum peccandi imitationem : *convertimini* a filiatione hominum, ad mei filiationem per obedientiam, et ego convertar ad vos secundum paternitatem. Ac si dicat : Non monerem eos de reversione, nisi providissem eos reparandos esse. Hac igitur fiducia, oro de eorum reparatione. Ostendit itaque in quam humilitatem homo dejectus sit, cum sic addit : Dico, *ne avertas hominem in humilitatem* dejectum. Et vere in humilitatem dejectus est, *quoniam* cum prius non moriturus creatus esset, modo adeo defectibilis factus est, quod si mille annis viveret (quod in nullo tamen unquam homine contigit) illi *mille anni* sunt *tanquam dies hesterna,* id est comparabiles sunt diei hesternæ. Ostendit ergo secundum quid sunt ei comparandi, cum addit : *Quæ* dies hesterna *præteriit* jam, et nunc non manet; ac si diceret : Licet durare aliquantulum videantur, non tamen magis appretiandi sunt, quam hesterna dies quæ jam præteriit. Ipsi enim similiter præteribunt, et in hoc jure diei hesternæ comparantur. Et hoc *ante oculos tuos,* id est hoc tu consideras non plus eos appretiandos esse, quam diem hesternam, licet homines hoc non considerent. Vel sic: Mille anni sunt sicut dies hesterna parum appretiandi ante oculos tuos, id est ad respectum vitæ æternæ, quæ est ante oculos tuos, id est quam tu consideras. Et ut minus dicam, Mille anni sunt reputandi parvum quid, *sicut custodia in nocte, quæ* jam *præteriit,* id est sicut una vigilia quæ brevior fuit, cum tribus horis solummodo duraverit. Et tu rectius dicam, *anni* mille erunt *eorum,* id est juste reputabuntur in numero earum rerum quæ *pro nihilo habentur,* id est quæ adeo viles sunt, quod nihil esse reputantur.

Ostensa hominum dejectione nimia; quia dixerat, *ne avertas hominem,* ne videretur velle hominem nullatenus esse in hac dejectione, et sic contrairet dispositioni divinæ, concedit ejus dejectionem, cum sic adjungit: Oro *ne avertas hominem in humilitatem* dejectum, quin eum repares. Concedo tamen quod ipso

www.libtool.com.cn

homo existens sicut herba in *mane*, id est florens et conspicuus *sicut herba* quæ pulchrior est in mane, quam in 365 qualibet alia diei parte, *transeat* de illa pulchritudine in mortem. Determinat autem quomodo *transeat*, cum addit : Scilicet prius *floreat* in *mane*, id est conspicuus sit ad modum herbæ floridæ in juventute, quæ per mane designatur, eo quod sit principium vitæ, et pollens, ad similitudinem mane, quod clarum est et diei principium. Et de flore juventutis *transeat* in vesperum, id est in senectutem quæ vesper dicitur, eo quod in senectute homo veniat ad defectum sicut in vespere dies vergit ad occasum. Et in *vespere* senectutis *decidat* in mortem, et induret ut fiat cadaver rigidum et durum et inflexibile, *et* post *arescat*, et pulvis aridus efficiatur. Cum autem hanc concessionem facit, dejectionem nostram patienter tolerare nos instruit. Reddit quoque causam, quare ad hanc humilitatem devenimus, ne sine causa dejecti esse videamur, cum sic addit : Dico *ne avertas hominem in humilitatem* dejectum. Et vere in magnam dejectionem nos omnes homines devenimus, et jure, *quia defecimus*, id est defectibiles facti sumus, qui prius in Adam antequam peccaret eramus non defecturi, et hoc *in ira tua*, id est in justa vindicta tua ad hunc defectum pervenimus. Hoc autem in sequentibus repetet et exponet. Et non solum *defecimus*, sed *et in furore tuo*, id est nimia vindicta tua, *turbati sumus*, id est turbabiles facti sumus : scilicet tales effecti, qui per mortem, et cunctas anxietates possumus conturbari: quod gravius quidem est quam defectibiles esse, et ideo recte positum est *in furore*. Furor enim major ira videtur. Et vere per iram *defecimus*, et per furorem tuum *turbati sumus*. Nam non dissimulasti ab iniquitatibus nostris : sed *posuisti in conspectu tuo iniquitates nostras*, per Adam commissas, id est consideras ut punias originale peccatum, cujus participes sumus. Et posuisti *sæculum nostrum in illuminatione vultus tui*, id est in claritate cognitionis tuæ, scilicet non potest te fallere, sed illud conspicis aperte. In alia translatione habetur : *Negligentias nostras in luce vultus tui;* unde congrue sæculum pro negligentiis esse positum intelligimus. Habet enim usus noster ut de aliquo male vivente dicamus : Homo iste malum sæculum deducit. Et est ac si diceret : Peccata originalia per Adam commissa, quorum participes effecti sumus, quæ non solummodo sunt iniquitates, sed etiam tales iniquitates quæ sunt negligentiæ, id est negligenter, non aliquo coactione ab Adam commissæ. Ideoque digniores sunt ultione, non postposuisti, sed eas in conspectu tuo posuisti, ut ulciscereris.

Repetit autem quod superius posuit, quia *defecimus*, ut post exponat : Dixi hominem esse in humilitatem dejectum. Et vere *dejecti sumus*, *quoniam omnes dies nostri defecerunt*, id est defectibiles facti sunt, cum prius nobis in Adam antequam peccasset, vita perpetua data esset. Et bene ponit *omnes dies*, innuens quia et æterni defecerunt, et hi quos habemus defectibiles sunt, ut in sequenti versu exponitur. *Et* nos *in ira*, id est in vindicta tua, *defecimus*, id est defectibiles facti sumus, scilicet defectibilibus operibus vacantes. Et vere defectibiles sumus, id est operibus defectibilibus vacantes, quoniam *anni nostri sicut aranea meditabuntur*, id est nos in omnibus annis nostris meditabimur : *sicut aranea*, id est cum meditatione operabimur talia, quæ cito transitoria sunt, et facilime dissolvenda, sicut opus araneæ, quod fragilissimum est. Cum dicit *meditabimur*, per futurum innuit perseverantiam, et gravius quid notat, quam si poneret simpliciter operabimur. Pejus enim est meditando operari male quam temerarie. Exponit etiam quomodo dies defecerunt, cum addit : Vere dies nostri defectibiles facti sunt. Nam *dies annorum nostrorum* clauduntur in *septuaginta annis*, id est *in ipsis* septuaginta. Cum dicit *ipsis*, innuit quod in numero isto vita nostra finitur. Et est ac si dicat : Adeo dies vitæ nostræ defectibiles facti sunt, quod solummodo annis septuaginta 366 vivimus.

Si autem aliqui nostri vivunt *in potentatibus*, id est in potentativis et plenariis muneribus sanitatis, *octoginta anni* sunt in vita nostra. Quod est dicere : Si aliqui nostrum et pauci bene sanam vitam degunt ; octoginta annorum est spatium vitæ eorum, et *amplius eorum* octoginta annorum, est *labor et dolor*. Quia dicit eorum more Græcorum facit, qui ablativo carentes, genitivum pro ablativo ponunt. Et est ac si dicat : Si vivant aliqui *amplius* his annis, scilicet amplius octoginta, vita illa erit *labor et dolor*, id est in labore et dolore, quæ nec etiam vita dicenda est ; sed per emphasim dicenda est labor et dolor. Per annos quoque septuaginta, eo quod septuagenarius numerus per septenarium multiplicatur, præsens vita accipitur, quæ per dies septem volvitur. Per octoginta autem annos, futura dies judicii, octava intelligitur, eo quod octogenarius numerus per octonarium multiplicatur. Secundum quam sententiam littera sic adaptatur. Dico quod meditabimur in omnibus annis solubia et fragilia opera, sicut aranea. Et exponit quomodo, cum addit : Vere omni vita nostra talia opera meditando operabimur, qualia aranea operatur. Nam dies annorum nostrorum erunt meditantes in ipsis septuaginta annis, id est in omnibus diebus annorum nostrorum meditabimur ea quæ necessaria erunt ad ipsos septuaginta annos, quibus nunc sumus, scilicet quæ pertinent ad præsentem vitam, in qua adhuc detinemur. Dico quod in omnibus diebus nostris meditabimur ea quæ ad septuaginta annos pertinent. *Si autem*, id est sed si, *in potentatibus* sunt pauci ex nobis, id est in virtutibus et operibus bonis, quæ dicuntur potentatus, eo quod nos ad vitam ducere possunt, *octoginta anni* per ipsos potentatus appetentur, id est requies octavæ diei, quod est dicere : Aliqui ex nobis existentes in potentatibus non operabuntur *sicut aranea*, scilicet non operabuntur illa quæ ad vitam præsentem spectent,

www.libtool.com.cn

sed quæ ad futuram. Et *amplius eorum* octoginta annorum appetere est *labor et dolor*, id est causæ laboris et doloris. Quia dixerat *in potentatibus*, posset quæri unde habent hoc quidam, ut sint in potentatibus; ad quod sic respondet : Inde hoc pauci habemus, *quoniam supervenit*, id est ex superiori Patris sede veniet nobis *mansuetudo*, id est Filius Dei, cujus fide venturi jam sumus in potentatibus : Qui per emphasim dicitur mansuetudo Patris, eo quod per eum nobis ira Dei mansuefacta est. Ne vero intelligeretur quod ita esset mansuetudo nostra, ut postquam advenisset nullatenus ulterius corriperemur, addit, *et* tamen *corripiemur*, id est castigabimur mortalitate et passibilitate, postquam mansuetudo superveniet. Si vero hæc sententia legatur, hoc quod in principio psalmi dicitur, *Domine* Verbum existens *refugium* tu *factus es*, id est creatura fies de Patre sic exponetur : Domine Pater, tu factus es nobis *refugium*, id est securitas evadendi dejectionem, in quam devenimus per Adam. Cætera vero non est mutari necesse. Secundum vero priorem sententiam in qua exposuimus dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis ad litteram, versus qui sequitur, scilicet *quoniam supervenit*, etc., sic exponitur : Dico quod defectibiles facti sumus, adeo quod amplius octoginta annis non vivimus, nisi in labore et dolore. Et hoc ideo, quoniam ne simus nimis feroces et effrenes contra Deum, supervenit nobis mansuetudo, id est ex superiori Dei dispositione venit in nos domatio, quæ facit nos mansuetos erga Deum et humiles, mortalitas scilicet et passibilitas. *Et* per eam domationem mansuetudinis *corripiemur*, quandiu in hac vita erimus, ne nimis adversus Deum insolescamus. A similitudine effrenis equi, qui flagellis corripitur, ut mansuetus efficiatur.

Dico quod *supervenit* nobis *mansuetudo* per quam corripiamur, *et corripiemur*. Et licet frequenter a te corripiamur, tamen *quis* hominum *novit potestatem iræ tuæ*, id est potentem 367 efficaciam vindictæ tuæ quam in nobis exerces? *et* quis novit *dinumerare iram tuam*, id est multiplicitatem vindictæ tuæ, *præ*, id est pro, *timore tuo*, scilicet ut te timeant respectu potentiæ et multiplicitatis illius vindictæ? Pauci. Ac si dicat : Tametsi potenti et multiplici vindicta tua assidue puniamur, pauci tamen ex nobis potentiam et multiplicitatem vindictæ tuæ considerantes, illius respectu timent te, quod quidem oporteret. Hoc itaque ponit ad correctionem non timentium, ut timere discant.

Orat etiam pro timentibus, sic : Dico quod pauci sumus qui timemus. Ergo *sic*, merito ipsius timoris quem habemus, *fac* nobis *notam* in futuro pro rei experientia *dexteram tuam*, id est misericordiam salvationis tuæ. Quod est dicere : Quia hic te metuimus, da nobis in futuro salvationem, per misericordiam tuam. Et quia aliter ad hanc misericordiam pervenire non possemus, hic interim fac nos *eruditos corde*, id est intellectu cordis scilicet; da nobis facultatem intelligendi recte. Et quia non sufficit recte intelligere sine bona operatione, fac etiam nos *eruditos in sapientia*, id est in virtutibus et bonis operibus, quæ sapientia dicuntur, eo quod ex sapientia procedunt. Quod est dicere : Da nobis scientiam bene operandi, et virtutes amplexandi. Vel hoc admirative legi potest, sic : Dico quod *corripiemur*, et corripimur per vindictam tuam. Et *quis* est, id est quantus et quam felix est ille qui *novit potestatem iræ tuæ*, et qui *novit iram tuam dinumerare, præ timore tuo*, id est ad hoc ut te timeat? Expositio non mutatur. Orat etiam sic : Dico *quis novit*, et hoc quidem pauci noscunt; et quia paucorum est noscere, et felices sunt qui noscunt, oro, Domine, *fac* nobis *notam* in futuro *dexteram*, id est misericordiam tuam, sic ut prius noscamus *potestatem iræ tuæ, et dinumerare iram tuam præ timore tuo*. Nisi enim timeremus hic prius, non utique nobis in futuro misericordia notificaretur. Et ut *iram* sciamus *dinumerare præ timore*, *fac* nos *eruditos corde*, id est intellectu. Et quia bene intelligere non sufficeret, *fac* nos *eruditos in sapientia*, id est in virtutibus et bonis operibus. Dico, *notam fac dexteram*, et ut nota fiat *convertere*, *Domine*, ab ira ad misericordiam *usquequo*, id est usque in quantum tibi placet. Exponit igitur ipsum *usquequo*, cum adjungit : *et*, id est scilicet *esto deprecabilis*, id est exorabilis *super servos tuos*, id est in servis tuis. Quod est dicere : Et si non vis converti ad misericordiam, quantum ad perdendos; convertere tamen quantum ad eos qui tibi serviunt ut eis misereris quia tibi serviunt. Cum dicit *super servos*, idem est ac si diceret : Ut ex superiori dispositione hoc contingat, ut servis misereatur. Deprecabilis proprie dicitur, qui illud dat, quod ab eo oratione postulatur.

Enuntiat ergo misericordiam futuram quam oravit, ad consolationem fidelium, sic : Oravi ut *notam* facias *dexteram*, id est misericordiam tuam. Et vere nobis ipsa rei experientia notificabitur. Nam *repleti sumus*, id est replebimur *misericordia tua* quæ *mane* continget in te, Christe, id est resurrectionis beneficio per misericordiam tuam nobis donando; quod prius in te continget in mane tertiæ diei. Quod est dicere : Facies nos misericorditer resurgere die octava sicut prius mane primus resurges, die a passione tertia. Et *repleti exsultavimus*, id est exsultabimus in corporis splendore; *et delectati sumus*, id est delectabimur in animæ benedictione. Et non horarie, sed in *omnibus diebus nostris* æternis, qui plures dicuntur propter diu turnitatem cum unus et contiguus sint. Et bene dicuntur *nostri*, id est nobis utiles et necessarii. Repetit autem æqui pollenti voce una, quod dixit, *exsultabimus et delectabimur*, ut addat sic : *Lætati sumus*, inquam, id est lætabimur in anima et in corpore, et hoc *pro diebus*, id est in loco dierum præsentium, in *quibus non humiliasti*, id est humiliari promisisti, in anxietatibus plurimarum passionum. Quia vero posuerat, *diebus*, ne parum quid dixisse videretur, addit. Pro *annis*,

www.libtool.com.cn

scilicet lætabimur, in *quibus videmus* rei experientia *mala*, 368 id est congruentes tribulationes. Quod est dicere : Quia hic pro Deo persecutionem patimur, in futuro lætabimur. Juxta illud Dominicum : « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* VI, 21). »

Quod autem superius breviter oravit, ubi dixit, *eruditos corde in sapientia*, hic orando repetit, ut amplius dicat, sic : Dico quod in futuro lætabimur. Et ut ad hanc lætitiam pervenire possimus : *Respice* misericordiæ respectu *in servos tuos*, id est in illos qui tibi serviunt, alios sibi incorporando, *et in opera tua*, scilicet in eos qui, quod boni sunt, per operationem misericordiæ tuæ sunt. Cum dicit *servos*, meritum eorum innuit, cum vero *opera* Dei misericordiam : Ac si diceret : Et ideo in eos *respice*, quia tibi serviunt, alios instruendo. Et adhuc ideo quod enim sunt, operatione tua sunt. *Et* etiam *dirige* ad bene operandum *filios*, id est sequaces *eorum*. Exponit itaque quomodo Deum oret respicere. Dico *respice*, *et* hoc modo *respice*, ut *sit splendor* virtutum et innocentiæ *Domini nostri* Jesu Christi *super nos*, id est in superiori et digniori parte nostri, in anima scilicet. Quod est dicere : Fiat anima nostra particeps splendoris ejus, inquantum est possibile. *Et dirige super nos*, id est ad respectum æternæ vitæ, quæ est *super nos*, *opera manuum nostrarum*, id est bona opera quæ contingunt ex bonis affectionibus nostris, quæ sunt manus per quas animus cogitando operatur. Quod est dicere : Fac nos facere opera bona respectu bonorum supernorum, non respectu favoris hominum. Et *dirige* in perseverantiam, id est perseverare fac *opus manuum nostrarum*, id est bona opera affectionum nostrarum, quæ singulariter opus dicuntur eo quod, cum charitate facta, non discordia sunt, sed una massa.

IN PSALMUM XC.

Titulus nonagesimi. *Laus cantici David.* Quod sic exponitur : *Psalmus* iste est *laus*, id est ad laudem Dei compositus; et est *laus cantici*, id est laus jocunditatis, id est laus jocunda : et est laus ista *David*, id est cujusque fidelis, qui in hoc psalmo a Propheta inducitur. Propheta enim in primo versu psalmi, in persona sua agens, ostendere intendit quis sit dicendus esse habitans *in adjutorio Altissimi, et in protectione Dei cœli*. Quem inhabitantem per reliquos versus psalmi inducit agentem, et ad laudem Dei beneficia a Deo donanda, non sibi sed Domino ascribentem; et etiam ipsa beneficia ad exhortationem suam enarrantem. Et per hoc alios instruit, quidquid boni habent in Dominum refundendum esse, ut et eadem ipsi beneficia consequantur.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, id est ille qui non est horarius, sed habitans, id est perfecte commorans *in adjutorio* Dei; in cujus adjutorio bonum est immorari, cum ipse sit Altissimus, id est Omnipotens; et ille qui *immorabitur*, id est perseveranter habitabit *in protectione Dei cœli*, id est Dei cœlestium spirituum; in cujus protectione tutum est immorari, cum adeo potens sit quod Deus est civium supernorum. *Dicet* et verbis et cogitationibus *Domino, susceptor meus*, etc. Quod est dicere : Nullum alium perseveranter adjuvat Deus ad bene agendum, neque protegit in virtutibus, ne deficiat, nisi illum qui omnia bona quæ habet, non sibi sed Domino ascribens, *dicet Domino* cum gratiarum actione : O Domine, tu es *susceptor*, id est patronus *meus*, qui me protegis ne deficiam; et talis *susceptor* qui es *refugium meum*, id est securitas mea, ut videlicet non timeam tuo confisus patrocinio, et tu es *Deus* meus, id est recreator, qui me creas in bona operatione, scilicet qui me adjuvas ad bene operandum. Et quia non sufficit hoc dicere Domino, nisi etiam satagat de proximi instructione, dicet etiam proximis ad instructionem. *Sperabo in eo*, id est ego nullam in me spem habeo, o auditores, sed in Domino eo spero et *sperabo*, id est spem ponam, vel sperabo, me relinquens et in eum tendens, ut in eo spem ponam. Sententia eadem est, cum dicimus *in eo*, et *in eum*. Dico quod *in eo sperabo* : 369 et hoc, scilicet sperabo. *Quoniam ipse* qui potens est ad me liberandum, *liberabit me de laqueo venantium*, ne in eo capiar. Venatores per similitudinem malignos spiritus vocat : quia sicut feris incautis venatores laqueos tendunt, quibus, eas decipiunt; ita ipsi fidelibus laqueos, quibus eos illaqueent præparant. Laqueus igitur eorum est aurum et argentum, etc., quæ possunt esse materia peccandi, et insuper vitia. *Et* liberabit me *a verbo aspero*, ne mihi prævaleat, id est ab occulta suggestione quæ verbum asperum dicitur, eo quod inquietat animum, a similitudine asperi verbi, vel *a verbo aspero* hæreticorum et infidelium, ne pró eorum conviciis asperrimis, a recto proposito fidei meæ deficiam. Dico quod *dicet Domino : Susceptor meus*, etc., et dicet proximis : *Sperabo in* eo, etc., et hæc etiam quæ sequuntur, dicet sibi ipsi ad exaltationem, et ad agendum Deo gratiarum actionem. O tu anima mea, spem firmam habe in Domino. Nam tibi jam delatæ ad caulas fidei, *scapulis suis*, id est per doctrinam prædicatorum, qui Dei scapulæ dicuntur, eo quod eorum doctrina oves perditas, scilicet homines Deus ad fidei viam, et ad paradisi ovile reportat, quo per se redire nequeunt : sicut pastor ovem quam perdiderat inventam, quæ præ sui debilitate ire non potest, ad caulas ovilis piis humeris reportat (*Luc.* XV, 5), *obumbrabit*, id est obumbrationem refrigerii suæ protectionis dabit. Quod est dicere : Refrigerabit te protectione sua ab incentivis vitiorum, ne nimio æstu eorum deficias. Quod præsignatum est per filios Israel, qui per desertum incedentes, nube obumbrabantur ne ab æstu nimio læderentur. Et est dictum a similitudine strenui ducis, qui militibus suis prælianibus umbram providet, ne propter æstum deficiant.

Dico quod tibi obumbrationem faciet et tu posita *sub pennis ejus*, id est sub refrigerio protectionis ejus *sperabis*. Pennæ per similitudinem pro protectione ponuntur, eo quod volueris pullos suos pennis

www.libtool.com.cn

a rapacibus avibus protegit, et ab æstu refrigerat. Dico quod *sperabis*, et ecce quid sperabis: Hoc scilicet *sperabis* quod *scuto circumdabit*, id est circumquaque muniet *te veritas*, id est vera fides *ejus*. Ac si dicat: Cum hæretici nitentur te ad errorem suum flectere suis falsis argumentationibus, veritas fidei ejus immobilis existens in te, circummuniet, id est contra omnes hæreses muniet te scuto, id est protectione invincibili, quæ erit tibi ut scutum, id est rejiciens tibi omnia tela pravarum cogitationum, quæ a diabolo immittuntur. Et quia *circumdabit te veritas ejus, non timebis*, id est non oportebit te timorem habere qui contingat *a nocturno timore*, id est a fraude hæreticorum, quæ timor dicitur emphatice, eo quod timorem incutit, et nocturnum, eo quod obscura est. A similitudine noctis, et latens et deceptoria, cum quædam vera suis falsis argumentationibus admisceant, ut citius fallant. Quod est dicere: Non oportebit te timorem habere, ut a latenti fraude hæreticorum decipiaris. Et *non timebis a sagitta volante in die*, id est ab eadem fraude hæreticorum, quæ recte sagitta dicitur, eo quod latenter vulneret ad modum sagittæ, et quæ volat *in die*, id est sublimabitur in sapientia humana, quæ videtur dies, id est clara et splendida, ad modum diei. Et quia dixerat eam volare *in die*, quia dies in bona significatione accipi solet, addit: *et non timebis a negotio perambulante in tenebris*, id est ab eadem fraude hæreticorum, quæ recte dicitur negotium. Negotium enim actus aliquis dicitur, qui cum summo studio et labore perficitur: unde dicitur negotium quasi negans otium. Dicitur ergo hæreticorum fraudulenta sententia negotium, eo quod in hac valde studeant et laborent. Quod negotium quamvis videatur esse in die, tamen existit in tenebris stultitiæ: « Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Dominum (*I Cor.* III, 19), » et in ipsas *tenebras perambulabit*, id est omnino promovebitur, ut magis 370 et magis ad stultitiam devolvatur. Et *non timebis ab incursu* ipsorum hæreticorum, id est a nimio impetu facundiæ ipsorum hæreticorum, per quem incurrunt fidelibus. Unde in Canticis sponsus: « Cincinni mei pleni sunt guttis noctium (*Cant.* V, 2). » Et non timebis a *dæmonio meridiano*, id est a collectione hæreticorum, qui in meridiano videntur esse, id est ad modum meridiei ferventes in bona operatione, cum quædam simulatoria bona opera faciant, et clari et splendidi in humanis et subtilibus sententiis suis falsissimis, et tamen dæmonium sunt, id est umbra dæmonii. Unde Apostolus: « Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI, 14). »

Notandum quod cum eadem res, scilicet et hæreticorum fraudulenta sententia, per nocturnum timorem, et per sagittam in die volantem, et per negotium, et per incursum accipiatur; diversa tamen, ut ostensum est, exponenda de eadem re, per has voces denotantur. Non solum autem *sperabis* quod *scuto circumdabit te veritas* ejus, sed etiam sperabis quod *cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis*, quia ponit dextris, unde solet prosperitas designari, innuitur quod debeamus supplere a latere sinistro. Per sinistram enim adversitas frequenter accipitur. Notandum autem quod *a dextris*, id est a prosperitate, dicit venire decem millia tentationum, qui numerus quidem major est quam mille simpliciter, eo quod uberior tentationum copia in prosperitate, quam in adversitate suboriatur. Littera vero sic adaptatur: Hoc etiam *sperabis*, tu o anima, per securitatem divinæ protectionis, quod mille hostes interiores, suborientes *a latere tuo* sinistro, id est mille occultæ tentationes contingentes ab diversitate tua *cadent*, id est devincentur oratione tua. Et quia multi hostes postea cadent, qui prius aliquantulum prævaluerunt addit: Dico *cadent*, et non utcunque *cadent, ad te autem non appropinquabit*, id est sed sic *cadent*, quod nulla illarum mille cogitationum *appropinquabit ad te*, scilicet in consensum, ut aliquo modo tibi prævaleat. *Verumtamen quamvis* ad te nulla sit appropinquatura, *oculis tuis* interioribus *considerabis*, oculis scilicet rationis subtilia considerantis. Ac si dicat: Hoc quod solet aliquis in se non experiri, non adeo solet cognoscere quid sit, quam cum si in eo esset. Verumtamen quamvis in te non sint peccata tentationum, secundum operationem aut consensum, scies tamen ex rationis consideratione judicare, quam fœdum ac vile aliquid sint. *Et videbis* rationis contuitu, *retributionem peccatorum*, id est malarum operationum et illicitorum consensuum, in futuro a Deo reddendam. Hoc autem satis ad intentionem laudis Dei spectare videtur, quod suos intantum illuminat, ut considerent peccatorum vilitatem et fœditatem, et pro eis retributionem in futuro reddendam, et per hoc peccare exhorreant. Dico quod *cadent mille*; et hoc non erit viribus meis.

Sed ideo *quoniam tu es, Domine, spes mea*, id est hoc facies ut cadant ideo, quia tu es spes mea, id est quia totam spem in te pono, et quia tu *posuisti*, id est pones *refugium* meum *altissimum*, id est invincibile. A similitudine turris in altissimo loco sitæ, quæ est munitissima et inexpugnabilis. Quod est dicere: Facies teipsum *refugium*, id est protectionem meam munitissimam. Repetit autem æquipollenter, ut addat sic: Quia dixi *cadent a latere*, etc. Dico, o anima, Dominus est *spes mea* et *refugium* meum. Ideoque *non accedet ad te* per censensum, *malum*, id est occulta tentatio, et in futuro flagellum, id est vindicta hujus mali, *non appropinquabit tabernaculo tuo*, id est tibi militanti hic Deo. Quod est dicere: Nec hic ab occulta tentatione vinceris, nec in futuro occasione hac punieris. Et inde hujus rei securitatem habeo, *quoniam* Deus spes et refugium meum existens *mandavit angelis suis* bonis de te, non verbis, sed occulta potentiæ suæ inspiratione, ut *custodiant te*, ne deficias *in omnibus viis tuis*, id est 371 in virtutibus et bonis operibus, quæ viæ tibi sunt ad vitam. Leguntur, quippe angeli boni viris sanctis a Deo in custodiam et protectionem fuisse dati. Juxta illud Apostoli: « Omnes angeli sunt administra-

www.libtool.com.cn

torii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » Dico *quoniam angelis* mandabit *de te*, qui angeli *in manibus portabunt te*, id est in sublevatione auxilii sui te facient promoveri. Manus pro auxilio ponitur, eo quod manuum sublevatione labentibus auxiliamur : et ideo *portabunt ne forte*, id est ne aliquo modo, *offendas pedem tuum*, id est affectionem tuam *ad lapidem* offensionis Christum. Christus congrue lapis dicitur, eo quod ad modum lapidis sit firmissum fidei nostræ fundamentum. Ad quem lapidem pede cordis offendit, quisquis in mente de eo perverse sentit. Unde per prophetam dicitur : « Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali, et quicumque ceciderit super lapidem istum, confringetur ; super quem vero ceciderit, conteret cum (*Isa.* VIII, 14; *Matth.* XXI; *Rom.* IX, 33 ; *I Petr.*, 8). » Affectio quidem pes mentis dicitur, eo quod per eam ipsa mens cogitando gradiatur. Et auxilio ipsorum angelorum portatus, *super aspidem et basiliscum ambulabis*, id est calcabis et superabis aspidem, id est diabolum qui latenter mordet suggestionibus illicitis : ad modum aspidis serpentis, occulte mordentis; *et calcabis* sub affectionibus tuis *basiliscum*, id est collectionem prave operantium, qui exemplo fetido pravæ operationis suæ; alios ad mortem male operari faciendo trahunt; more serpentis basilisci, qui fetore sui anhelitus homines perimit. *Et conculcabis* sic ut non cedas, *leonem*, id est persecutores manifeste infestantes ad modum leonis aperte instantis, *et* conculcabis *draconem*, id est hæreticos, qui prius falsis rationibus suis incautos ligant, et sibi attrahunt, et postea sibi eos confirmando devorant, velut draco qui prius animal aliquod cauda ligat, et postea ligatum devorat.

Introducit etiam ipsum Dominum loquentem, et hoc facit ad ampliorem gratiarum actionem, et ad majorem auditorum exhortationem, sic : Dico quod Dominus *mandavit angelis*, dicens ipsis angelis : Diligenter eum custodite, *quoniam in me speravit*, id est omnem spem suæ salvationis in me posuit. Ideoque *liberabo eum* ab omni instantia inimicorum et interiorum et exteriorum, ne ipsi prævaleant, *protegam eum* in virtutibus suis et bonis operibus, ne deficiat. Et hoc ideo *quoniam cognovit* illo vero cognoscere *nomen meum*, quod est Dominus. Quod est dicere : Cognovit me esse Dominum, et se servum, sic ut præceptis meis obedire non negligeret. Et *clamavit ad me* intensione vocis et devotionis, *et exaudiam eum*. Hoc modo quod *cum ipso sum in tribulatione*, et ero secundum auxiliatricem gratiam. Quod est dicere : Custodiam eum in tribulatione, ne deficiat. Et tandem in morte carnis *eripiam eum* a tribulatione, et in futuro *glorificabo eum* gloria benedictionis æternæ. Et pro hac vita transitoria, quam contempsit, *longitudine dierum*, id est æterna vita. *replebo eum*. *Replebo* vero, per emphasim dicit. Et quia hic non curavit salutem carnis, tunc *ostendam illi salutare meum*, id est salvationem, meæ salvationi conformem, ut, sicut ego surrexi, et immortalis et impassibilis fui, sic et ipsi resurgant, et immortales et impassibiles existant. Notandum quod ostendam illi *salutare meum*, idem est quod superius posuit, *gloriabo eum*, nisi quia hic determinatur.

Duo versus hujus psalmi, scilicet, *scuto circumdabit te*, etc., et *a sagitta*, etc., aliter quam superius dixerimus, leguntur juxta Augustinum, ut tria genera tentationum denotentur sic : Dico quod *sperabis sub pennis ejus*, et hoc scilicet *sperabis*, quod *veritas*, id est vera promissio *ejus circumdabit*, id est circummuniet *te scuto*, id est protectione, et sic quod non timebis *a nocturno timore*, id est obscura et latenti levi tentatione, quæ dicitur timor, eo quod non adeo gravis est ut magna tentatio ; sicut timor est minor, quam periculum unde timor habetur. Quod est dicere : Adeo te securum faciet, ut non timeas levem obscuram 372 tentationem quæ interdum aliquem incautum ad consensum attrahit. Et etiam *non timebis a sagitta*, id est a levi manifesta tentatione, quæ *sagitta* dicitur, eo quod levius vulneret quam magna tentatio, ad modum sagittæ, quæ levius vulnerat quam lancea, *sagitta* dico *volante* ad te *in die*, id est incurrente tibi in claritate cognitionis. Quod est dicere : *Non timebis* succumbere levi manifestæ tentationi. Et *non timebis a negotio*, id est a maxima et gravi tentatione, quæ dicitur negotium præ magnitudine gravitatis suæ. Negotium enim de parva re dici non potest. *Negotio* dico *perambulante in tenebris*, id est conversante, et promovente in obscuritate. Quod est dicere : *Non timebis* succumbere magnæ et gravi obscuræ tentationi, et *non timebis ab incursu et dæmonio meridiano*, id est ab incurrente meridiano dæmonio. Quod est dicere : *Non timebis* succumbere gravi tentationi, et manifeste a dæmonio illatæ, quæ dicitur incursus, eo quod gravis est et maxima : et dicitur meridiana, eo quod aperta est et manifesta sicut meridies. Cætera psalmi mutari non est necesse.

IN PSALMUM XCI.

Titulus nonagesimi primi. *Psalmus cantici, in die Sabbati.* Quod sic exponitur. In hoc tractatu continetur *psalmus*, id est bona operatio, qui psalmus est occasio *cantici*, id est jucundæ remunerationis, dandæ a Deo *in die Sabbati*, id est in claritate quietis æternæ. Sabbatum quippe *quies* interpretatur. Quod est dicere : Quam remunerationem dabit Deus fidelibus suis in octava die, quæ antonomastice dies dicitur pro sua nimia claritate, et dies Sabbati, id est quietis æternæ. Vel sic : Iste *psalmus cantici*, id est iste tractatus jucunditatis, in quo valde jucundantur fideles, qui hic agunt, est illorum qui jam sunt positi *in die Sabbati*, id est in claritate quietis, scilicet qui tam claram habent conscientiam ut diem, et ab omni prava cogitatione feriantem, quæ ideo jure sabbatum dicitur, id est requies. Et est in hoc psalmo vox cujusque perfecti, agentis ad instructionem minorum, de bona operatione, quia bona est cum cantico facta,

www.libtool.com.cn

et in cithara, et de interitu nolentium bona operari, et de retributione bonæ operationis in futuro.

Bonum est confiteri Domino, id est utile et laudare te Dominum in puritate devotionis, cum Dominus, omnium sis : et bonum est *psallere nomini tuo, Altissime*, id est utile est bene operari, non ad favorem hominum, sed ad honorem nominis tui, cum altissimus sis, id est omnipotens, ideoque remunerare sufficiens confitentes et psallentes tibi. Dico quod *bonum est confiteri et psallere*, eundo scilicet de confessione et psalmo *ad annuntiandum* aliis esse in *mane*, id est in prosperitate *miscricordiam tuam*. Quod est dicere : Postquam in se confitetur et psallit, bonum est ut aliquis annuntiet aliis qui adhuc idiotæ sunt, et qui sibi ob merita sua putant a Deo in prosperitatem dari : hoc quod in prosperite sunt per Dei misericordiam esse, et eundo ad adnuntiandum esse *veritatem tuam per noctem*, id est esse verum et justum judicium tuum per adversitatem. Quod est dicere : Et hoc debet idiotis annuntiari a confitente et psallente, qui se putant injuste adversa pati, quod per totam eorum adversitatem eos justum Dei judicium comitatur, scilicet quod omnis eorum adversitas, justo judicio Dei contingit. Notandum quod cum prius ponit *bonum* esse *confiteri et psallere*, postea vero annuntiare, innuit quod prius unumquemque decet Deo in se confiteri et psallere, postea vero istud idem aliis et exemplo et verbis annuntiare. Ostendit autem in quo aliis et sit Deo psallendum, cum addit : Dico quod *bonum est psallere*, scilicet bonum est psallere *in psalterio decachordo*, id est in anima decem præceptis legis adornata. A similitudine psalterii decachordi, id est 373 decem chordis adornati quibus resonat. Quod est dicere : Bonum est ex affectione animæ decem præceptorum ornatu resonante bene operari, et non invite, sed *cum cantico*, id est cum summa jucunditate, et existendo *in cithara*, id est carnis mortificatione. Decet quippe carnem mortificare, ne legi mentis valeat repugnare. « Qui enim sunt Christi, carnem suam, ut ait Apostolus, crucifigunt (*Galat.* v, 24). »

Ostendit autem ad humilitatis exemplum, per quid ei bonum sit Deo confiteri et psallere, cum addit : Dico quod *bonum est Deo confiteri et psallere*, et hoc ipsum quod mihi bonum est, non est ex me, sed ex te Domine. *Qui delectasti me*, id est me delectari fecisti, *Domine, in factura tua*, id est in confessione et psalmo quod fecisti esse in me, et ab hac delectatione non desistam, sed perseveranter *exsultabo in operibus manuum tuarum*, id est in consideratione confessionis et psalmi, quæ sunt opera manuum tuarum, id est gratiæ tuæ, quæ manus congrue dicitur, eo quod per eam operaris, et merito in his operibus exsultabo. Nam *quam magnificata*, id est valde magnificata, *sunt* in me, hæc *opera tua, Domine*. Quia vero posset ab aliquo quæri, quandoquidem per Dei gratiam bene operaris et psallis, quare etiam qui libet malus ab eadem gratia ad hoc quidem non adjuvatur, ostendit hoc insolubile esse, cum sic addit : Dico quod *bonum est* mihi *confiteri et psallere*, et hæc *opera magnificata sunt* in me, et hæ *cogitationes tuæ nimis sunt profundæ*, id est hæ dispositiones tuæ profundissimæ sunt et investigabiles, quod me scilicet ad confitendum et psallendum adjuvas, et alios reprobas. Quia vero si ignorare innuerat, qua dispositione a Deo adjuvaretur, cum multi reprobarentur, ne similiter ignorare putaretur, ad quid essset malorum prosperitas deventura, interitum eorum ostendit, quem eos ignorare dicit. Et hoc fecit ad auditorum instructionem, ipsi ut sibi caveant ne per ignorantiam, ad eumdem interitum veniant. Hoc itaque sic adaptatur, ut aliquantulum extra librum suppleatur. Dico quod istæ *cogitationes tuæ nimis* sunt *profundæ*, ideoque a me ignorantur. Hoc autem non ignoro quod *insipiens et stultus* interibunt *in sæculum sæculi*, id est in æternum, cum hoc sit quod hic floreant breviter et transitorie, ad modum feni cujus flos cito decidit. Cæterum *vir insipiens*, id est infidelis qui Deum non sapit, *et stultus*, id est falsus Christianus, qui cum Dei notitiam habeat, intelligere posset quod mali justo judicio Dei interibunt. tamen obstinatione malitiæ suæ excæcatus, *non intelliget hæc*, vero et efficaci intellectu, *ut intereant in sæculum sæculi*, id est ut in æternum sint morituri *omnes qui* perseveranter *operantur iniquitatem*. *Cum* hoc sit quod hic *exorti fuerint sicut fenum*, id est cum hic creverint in terrena prosperitate, ad similitudinem feni, quod cito crescit, et cito marcescit, et cum hoc sit quod hic apparuerint aliis in flore prosperitatis suæ famosi et gloriosi : Dico quod ipsi interibunt. *Tu autem, Domine*, Fili, qui, omnipotens visus es, *Altissimus* apparebis, id est omnipotens, in salvatione tuorum, et in justa perditione malorum : Quoniam ergo dixerat, *ut intereant*, posset quæri. Quare dicis *ut intereant?* Ad quod sic respondet : Bene dico *ut intereant, quoniam ecce* jam mihi certum est ut præsens, quod *immici tui* infideles *peribunt* in futuro, *et omnes qui operantur iniquitatem*, scilicet falsi Christiani, *dispergentur*, id est separabuntur a consortio salvandorum. Quia autem repetit *ecce inimici tui*, ad majorem inimicorum perterritionem facit. Dico quod ipsi *peribunt et dispergentur, et* ex opposio *cornu meum*, id est sublimitas virtutum mearum, vel spes mea quæ fortis est, et in altum excrescens ad modum cornu, *exaltabitur*, id est magis et magis in altum promovebitur, *sicut unicornis*, id est utpote cornu meum qui unicornis sum, scilicet unam habens spem, fidem et charitatem, non diversis hæresibus 374 implicitus. *Et* in futuro *senectus mea*, id est vita mihi post mortem, a Deo, donanda, quæ dicitur senectus, eo quod novissima erit, ad similitudinem senectutis, quæ novissima pars est vitæ hominis, erit *in misericordia uberi*, id est copiosa. Quod est dicere : Cum hic Dei sim adeptus misericordiam, per peccatorum remissionem, in futuro copiosam misericordiam in senectute mea adipiscar cum immortalis fiam et impassibilis. Vel sic : Et *senectus mea*, id est morum

www.libtool.com.cn

meorum gravitas, quæ pro senectute accipitur, eo quod in sensibus morum gravitas existat, erit *in misericordia uberi*, id est ubertim remunerabitur. Et hoc contuitu, *despexit*, id est despiciet, *oculus meus* interior, scilicet ratio mea, *inimicos meos* interiores et exteriores, *et insurgentibus in me malignantibus*, id est cum persecutores maligne agentes adversum me persecutionibus insurgent, ad exhortationem mei ne deficiam, *audiet auris mea* interior, scilicet auris rationis audiet a spiritus inspiratione mihi interius loquentem. Et ecce hoc mihi dicet : Noli timore insurgentium a justitia tua deficere. Omnis enim *justus florebit ut palma*, id est ad similitudinem palmæ. Sicut enim palma arbor in inferiori parte prope terram, scilicet hispida est et tuberibus plena, in superiori vero parte speciosa et florida, ita et justus in hac vita infima hispidus est, et tribulationibus plenus. In superiori vero vita æterna, erit beatitudine floridus et conspicuus, *et multiplicabitur* in beatitudine *sicut cedrus Libani*, id est ad similitudinem cedri Libani, quæ altior est aliis cedris. Quod est dicere : In multiplici beatitudine sublimis erit, ad modum cedri Libani. Vel sic : *Multiplicabitur* utpote *cedrus Libani*, id est candidationis, id est utpote sublimes in candidatione virtutum. Libanus quippe, *candidatio* dicitur.

Verbis igitur Spiritus sancti ad majorem sui exhortationem appositis, hæc in sua persona agens exponit sic : Spiritus sanctus dicit, o auditores, quod justi florebunt, et ecce vobis dico quomodo florebunt. *Plantati* hic, scilicet per virtutes et bona opera *in domo Dei*, id est in Ecclesia in futuro *florebunt* in æterna gloria existentes non in Domo Dei, id est in æqualitate angelorum, qui superna domus Dei sunt, sed *in atriis* illius *domus Dei nostri*, id est in affinitate et minoritate angelorum, quæ per atrium designatur : quod cum sit domui vicinum, indignius tamen est quam domus et minus gloriosum. Quod est dicere : Sic *florebunt*, ut cœlicis spiritibus sint aliquatenus affines, non tamen usquequaque similes et æquales. Unde nimirum de Joanne Dominus testatur : « Qui minimus est in regno cœlorum, major est illo (*Luc.* VII, 28). » Quod quidem B. Hieronymus de angelorum minimo dictum esse affirmat.

Quoniam autem justos dixerat florem habituros et multiplicandos, determinat quando hoc erit, ne ad præsens videretur esse futurum, sic : Dico quod *florebunt et multiplicabuntur*. Hoc autem non statim erit, sed *adhuc* post longum tempus futurum est, quod *multiplicabuntur et florebunt*, existentes tunc *in uberi senecta*, id est in vita novissima, scilicet in vita æterna, quæ in omni beatitudine erit copiosa. Vel sic : *Multiplicabuntur* in futuro existentes hic *in uberi senecta*, id est ideo quia hic permanent in morum gravitate copiosa. Et quoniam aliter non essent multiplicandi, hic interim erunt non murmurantes in adversitatibus, sed *bene patientes*, id est cum charitate et patientia sustinentes ; et adeo *bene patientes*, *ut* aliis verbis et exemplis, *annuntient* : *quoniam rectus Dominus* Jesus Christus *Deus noster*, qui hic suos pati disponit, ut per hoc æterna gloria beatificentur. Et non sic rectus ut homines qui ex parte recti sunt, et ex parte iniqui, sed ita perfecte rectus quod *non est iniquitas* aliqua *in* eo. Juxta quod de eo Moyses dicit : « Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus (*Deut.* XXXII, 4). »

IN PSALMUM XCII.

Titulus monagesimi secundi. *Laus cantici David, in die ante Sabbatum, quando fundata est terra*. Quod sic exponitur : 375 Psalmus iste est *laus David*, id est factus a Propheta ad laudem Christi veri *David*, et est *laus cantici*, id est nimiæ jucunditatis, *habita in die ante Sabbatum*, id est in consideratione sextæ diei, quæ est ante Sabbatum, scilicet in consideratione sextæ ætatis, quæ designata fuit per diem ante Sabbatum, in qua Deus hominem creavit. Leguntur quippe sex mundi ætates, sicut sex septimanæ dies præter Sabbatum. *Prima* igitur ætas est ab Adam usque ad Noe ; *secunda* a Noe usque ad Abraham ; *tertia* ab Abraham usque ad Moysen ; *quarta* a Moyse usque ad David ; *quinta* a David usque ad Joannem Baptistam ; *sexta* a Joanne usque ad finem mundi. Quæ sexta ætas est *ante Sabbatum*, id est proxima Sabbato, scilicet æternæ vitæ quæ revera Sabbatum est, id est requies *quando fundata est terra*, id est in qua sexta ætate Deus fundavit in fide et virtutibus terram immobilem, Ecclesiam scilicet. Est igitur in hoc psalmo vox prophetæ ostendentis ad Dei laudem præparationem Ecclesiæ per doctrinam apostolorum et persecutiones a principibus terræ ipsis apostolis illatas, et tandem Dei potentia sedatas.

Dominus regnavit, id est Dominus Jesus, qui dabitur a Judæis in mortem, tandem regnabit, id est regnum mundi totius sibi vindicabit, calcata morte. Et per hoc per totum mundum regnabit, quia *decorem indutus est*, id est induet et conjunget sibi per fidem apostolos, in omni perfectione decoros, quibus ornabitur, ut corpus vestimentis ornatur. *Et indutus est fortitudinem*, id est induet et sibi conjunget eosdem apostolos in constantia fortes, a similitudine probi regis, qui decoros milites habet et fortes. *Et* his fortibus et decoris *præcinxit*, id est præcinget *se*, scilicet ornabit se undique, ad debellandum gentes et sibi subjiciendum ; a similitudine regis, qui gladio præcingitur ad expugnandum hostem. Quod est dicere : Illi decori et fortes quos induet, erunt ejus arma, quibus sibi hostem subjiciet. Ostendit itaque ad quid seipsis præcinget, cum addit : Vere induet decoros et fortes, et eis se præcinget. *Et enim* per eorum prædicationem, *firmavit*, id est firmum faciet *orbem terræ*, id est perfectionem Ecclesiæ. Quod est dicere : Per ipsorum doctrinam faciet Ecclesiam suam in omni perfectione firmam. Qui orbis adeo firmus erit, *quod non commovebitur*, nec in prosperis nec in adversis. *Ex tunc* ergo, id est ex tempore illo quo terra fundata erit, *parata erit*, o Deus, *sedes tua* in ipsa terra, scilicet ex tunc *sedes tua* efficietur, quæ longe ante diaboli sedes exstitit. Ne vero ipse videretur ante sedis suæ parationem non fuisse,

www.libtool.com.cn

addit : Quamvis *ex tunc sedes tua erit parata*, tu tamen *es a sæculo*, id est ab æterno, sine principio.

Per hoc igitur *sedes tibi* parabitur, et orbis terræ firmatibur, quoniam *flumina*, id est apostoli, qui corda in fidelium doctrina irrigabunt, *elevaverunt, Domine vocem suam*, id est elevabunt vocem prædicationis suæ quæ timore depressa fuit in tui passione. *Elevabunt*, inquam, *flumina vocem suam*. Hoc itaque repetit ad confirmationem, et contra vocem horum fluminum alia *flumina*, scilicet terreni principes, qui flumina dicuntur, eo quod eorum cura in subditam plebem decurrat ; a similitudine fluminum, in mare decurrentium. *Elevaverunt fluctus suos*, id est elevabuni persecutiones suas, quibus eos in mortem demergant, ad modum fluctuum. Et hoc continget *a vocibus aquarum multarum*, id est propter voces multarum gentium, quæ ad modum aquæ erunt instabiles. Quod est dicere : Ideo principes eos persequentur, quia gentes plurimæ eos profanos et sacrilegos esse dijudicabunt. Vel sic : Et hoc continget *a vocibus aquarum multarum*, propter voces multorum prædicatorum, scilicet ideo eos persequentur, quia per eos multos alios aquas effici dolebunt, id est quia multos considerabunt ad exemplum eorum, fore adaquatores hominum per doctrinam. Dico quod elevabunt fluctus, et istæ elatæ persecutiones principum Deum amaricantium 376 *mirabiles* erunt præ nimia sui immensitate et asperitate. Cæterum *Dominus* erit magis *mirabilis* in his *altis* et profundis elationibus sedandis : Quod est dicere : Dominus quidem ideo mirabilior erit, quoniam has elationes, qua hora voluerit, sedabit. Et per hoc eas, o Domine, sedabis, quia *testimonia tua*, id est præcepta tua, ab apostolis prædicata, quæ testificantur vitam complentibus ea, *facta sunt*, id est fient ipsi mari *nimis credibilia*, quantumcunque videantur ei in primis abominabilia. Et per hoc ipsum mare factum, *domum tuam* in qua spiritaliter inhabites, *decet sanctitudo* tua, id est decebit *sanctitudo* a te danda. Quod est dicere : Per hoc quod testimonia tua credent, domus tua efficientur, et decenti sanctitate adornabuntur. *Domum tuam* dico, ituram per sanctitatem *in longitudinem dierum*, id est in vitam æternam, quæ per emphasim longitudo dierum dicitur, eo quod nunquam sit finienda. Vel sic : Futuram per ipsam sanctitatem, *in longitudine dierum*. Sententia eadem.

IN PSALMUM XCIII.

Titulus nonagesimi tertii. *Laus cantici David, quarta Sabbati*. Quod sic exponitur : Psalmus iste est *laus cantici*, id est laus jucunditatis. Quod est dicere : In hoc tractatu continetur laus cum nimia jucunditate facta. Quæ laus est *David*, disignati *in quarta Sabbati*, scilicet quæ laus est fidelium perfectorum in scientia, qui præfigurati sunt per negotium illud quod contigit in quarta Sabbati. In quarta namque Sabbati fecit Deus luminaria terram illuminantia, quæ firma sunt, et a proposito officii sui immobilia, per quæ præsignabantur perfecti, Ecclesiam, quæ Dei terra est, doctrina firmiter et exemplo suo illuminaturi. De quibus ipse Dominus dicit : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matt.* v, 16). Vel sic, juxta B. Hieronymum : David designati *quarta Sabbati*, id est per quartam diem septimanæ, quæ apud Latinos dies Mercurii dicitur. Congrue quippe per quartam diem, fideles perfectiores in scientia accipiuntur. Sicut enim dies quarta in medio septimanæ existens, tres dies habet præcedentes, et tres subsequentes, ita et perfecti viri Novi Testamenti, in medio duorum testamentorum, Veteris scilicet præcedentis, et Novi subsequentis existunt, dum utriusque completores esse satagunt. Duo quippe Testamenta, per ternarium numerum competenter intelliguntur, eo quod utroque Testamento, si cum diligentia notentur, fidei sanctæ Trinitatis instructio inveniatur. In Veteri namque Testamento fides Trinitatis insinuatur, ubi de Abraham legitur, « tres vidit, et unum adoravit (*Gen.* XVIII, 3). » Quia vero hæc eadem fides in Novo denotatur, exemplo multiplici manifestari potest. Bene quidem psalmus iste, laus jucunda fidelium dicitur. In hoc enim psalmo fideles in scientia perfecti, agentes contra falsos Christianos impunitatem criminum suorum sibi promittentes, Deum laudant, dum eum asserunt judicaturum ultione justa, quos hic sustinet miti patientia. Concessive quoque agunt, de eorum retributione damnationis, et ne videantur eis imprecari, conqueruntur de eorum iniquitate, quam etiam per partes ostendunt. Adhortantur etiam ipsos malos ad recte vivendum, et intelligendum de Deo, certis rationibus ostendentes quoniam ipse eorum impietates et intelligit et videt, et in futuro puniet, et ostendunt bonorum tribulationes non ad eorum cedere repulsionem, sed ad beatitudinem. Quos etiam bonos admonent ad impiis contradicendum, sic tamen ut non in se, sed in Domino non deficiendi fiduciam habeant. Et hoc totum fit ad instructionem idiotarum, qui cum videant impiorum prosperitatem et bonorum adversitatem, indignantur, ignorantes ad quid hæc a Deo permittantur.

Deus ultionum, operator *Dominus* enim est. *Deus*, inquam, *ultionum* operator futurus, *libere egit*, id est libertatem potentiæ suæ in impios exercebit, quibus impotens videtur, dum cum eis exspectando eos et patiendo misericorditer agit. Ac si diceret : Vos impunitatem scelerum vestrorum 377 vobis, o falsi christiani, promittitis, cæterum Deus ulciscendo se de vobis in futuro, contra vos *libere* aget, cum hoc facere potens sit quia *Deus*, et cum hoc ad eum pertineat, quia *Dominus*. Agunt autem concessive de eorum ultione, sic : Dico, o *Deus*, quod *libere* ages, et sic concedo ut fiat, o Christe, *exaltare*, id est potens appare, *qui*, quamvis videaris impotens, vel negligens terrena, tamen judicas dispositione tua *terram* hanc præsentem, ut nihil in ea sine jussu aut permissione tua fiat. *Et* hoc

www.libtool.com.cn

modo quidem *exaltare, redde*, scilicet in futuro, *retributionem* justæ damnationis *superbis*, id est falsis Christianis, non pœnitentibus, sed in negligentia pœnitentiæ superbe persistentibus.

Ne vero videantur imprecationem fecisse, de eorumdem malitia pie conqueruntur, sic : Quamvis concessive dicamus : *Redde retributionem superbis*, tamen, *o Domine. Usquequo peccatores*, antonomastice falsi Christiani, id est usque, ad quam mensuram, vel quandiu, *usquequo*, inquam, *peccatores gloriabuntur* de iniquitate sua? Notandum, quod cum hoc sub interrogatione ponunt, se pro eis magnum habere delorem innuunt. Et est ac si dicat: Tametsi *retributionem* eis reddi concedimus, tamen de hoc quod multum et diu vivendo de iniquitate *gloriabuntur*, conquerimur. Quanto namque eorum gloriatio major et diuturnior, tanta eorum retributio in futuro erit asperior. Vellemus igitur potius ut eorum vita et gloriatio cito finiretur, ut eorum retributio mitior haberetur. Non solum autem gloriantur de iniquitate sua, sed et hanc *iniquitatem effantur*, id est extra fantur, scilicet publice fantur, *et* loquuntur privatim inter se. Et *usquequo*, id est usque ad quam mensuram, vel quandiu male vivendo *effabuntur* publice et *loquentur* private *iniquitatem*, id est iniqua verba loquentur *omnes qui* perseveranter *operantur injustitiam ?* Ac si diceret : Mallemus eorum vitam finiri, ut amplius non possent iniquitatem loqui et effari, et injustitiam operari, et sic mitius inde punirentur. Exponit igitur ipsam injustitiam per partes, sic : Vere *injustitiam operantur*, et operati sunt. Nam *populum tuum, Domine*, scilicet tibi famulantium, *humiliaverunt* conviciis et verborum opprobriis, *et* eumdem populum existentem *hæreditatem tuam*, quos, scilicet ad modum hæreditatis doctrina prædicatorum excolis, *vexaverunt* nimiis tribulationibus. Et non solum hoc, sed et *viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt.* Quod est dicere : Multos ex fidelibus tuis interfecerunt corporaliter, qui erant viduis, et advenis, et pupillis comparabiles. Viduis quippe, quia destituti erant a temporalium bonorum, jam spretorum, solatio, sicut viduæ destitutæ sunt a maritorum jam mortuorum auxilio. Advenis, quia non hujus patriæ terrenæ cives se faciunt, sed futuram inquirunt, sicut advenæ ad patriam reverti intendunt, a qua remoti sunt. Pupillis, quia sunt sine diabolo, qui prius eorum pater exstitit, et sine infidelitate, quæ eorum mater fuit ; sicut pupilli, quorum pater et mater jam mortui sunt. Vel potest hoc ad litteram congrue legi. Viduæ namque et advenæ, et pupilli, sine cujuslibet auxilio existentes, solius Dei auxilio defenduntur, ideoque populus ejus dicuntur, unde idem, « pater orphanorum et judex viduarum » dicitur (*Psal.* LXVII, 6). Dico quod *populum tuum humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt*, et *viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt.*

Et hæc faciendo, ad cumulum miseriæ suæ *dixerunt* : Secure possumus eos humiliare, vexare, et interficere. Hoc enim, *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, sic ut puniat. Ac si dicat : Multum inconveniens fuit ut illum dicerent hoc non videre, qui Dominus est omnipotens, et illum dicerent non intelligere, qui Deus est Jacob, id est eorumdem fidelium strenue luctantium, quos ipsi *humiliaverunt, vexaverunt, et occiderunt.* Facit igitur apostropham ad eosdem impios, adhortans ad recte de Deo intelligendum, et videndum, sic : Dico quod dicitis o falsi Christiani, quod Deus non intelligit, neque videt, quæ vos male in famulos 378 ejus agitis. Cæterum vos *in populo* Dei existentes, non operatione, sed sacramentorum participatione, *qui estis insipientes*, id est potentes ad hoc ut facile de Deo recte intelligatis, cum jam sitis aliquantulum in ejus notitia promoti, et tamen animadvertere negligitis ; *intelligite*, id est animadvertite, quia Dominus videt et intelligit, quæ vos in servos ejus male operamini. *Et* vos *stulti in populo* Dei, scilicet qui rudes estis et stolidi, et difficiles ad hoc sapiendum, *aliquando* tandem *sapite*, quod hucusque sapere nequistis, scilicet quod Deus audit, id est intelligit et videt quæ vos male agitis, et in futuro hæc arguet. Et ecce unde potest comprobari eum omnia mala vestra et audire et videre, et in futuro ab eo mala ista redarguenda esse. Nam *qui plantavit aurem non audiet ?* vere audiet ; *et qui finxit oculum, non considerat* quæ agitis ? utique considerat. *Et qui corripit* hic *gentes* per Scripturas ue peccent, *non arguet* in futuro, per damnationem, negligentes hic correctionem suam ? vere arguet. Pro nihilo enim hic corriperet, nisi in futuro argueret. Et *qui docet hominem scientiam*, id est ille qui per doctrinam suam facit illum scientem, qui homo est, id est rationabiliter se habens non scit ? utique *Dominus* scit non solum operationes, sed etiam, quod majus est, ipse scit *cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, id est ipse scit quod cogitationes vestræ qui simpliciter homines non spiritales estis, vanæ sunt, et dignæ ultione. Et hoc totum est ac si sic poneret : Inde comprobatur eum audire, quoniam inconveniens esset eum non audire, *qui aurem* omnium hominum *plantavit*, id est de limo terræ formavit : et inde probatur eum videre, quoniam inconveniens esset eum non videre *qui* omnem *oculum finxit*, id est formavit. Et inde probatur quod in futuro *arguet*, quia aliter superflue hic corriperet. Et inde convincitur eum scire, quia inconveniens esset eum non scire, *qui* omnem *hominem docet* quidquid scit.

Facta exhortatione ad falsos Christianos, ostendere intendit quod tribulationes bonorum ad eorum beatitudinem cedunt, sic : Ergo quia tu omnia vides, et scis, et audis, inde comprobatur quod *beatus* erit *homo* omnis *quem tu*, omnia sciens et videns, *erudieris* per tribulationes, id est quem rudem extra ruditatem pones, instruens eum per multas anxietates, hæc præsentia non esse summa bona, nec esse appetenda ; et esse alia bona, spiritalia scilicet, quæ appetenda sunt. Suos nimirum Deus per anxie-

www.libtool.com.cn

tates erudit, quia, dum eos permittit hic affligi et bonis præsentibus spoliari, innuit hæc bona non esse summa bona, quæ sic amittuntur; nec hanc vitam felicem esse, in qua sic affliguntur; sed alia bona summa esse, et aliam vitam æternam et beatam, quæ expetenda sunt. Hoc autem quod dicit *beatus homo quem tu erudieris*, idem est ac si diceret: Eruditio tribulationum, causa erit beatitudinis. Et ne beatus homo futurus, hic in tribulationum eruditione deficiat, *docueris eum de lege tua*, id est docebis eum per doctrinam legis tuæ hanc eruditionem patienter esse ferendam. Unde ipse dicit in Evangelio : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me (*Luc.* IX, 23). » Interponit autem causam quare eum docebit, cum addit : Ideo scilicet docebis eum per legem tuam, *ut mitiges ei* exasperato *a diebus malis*, id est ut des mitigationem patientiæ ei, qui exasperatur a diebus tribulationum, qui dies mali dicuntur, eo quod in eis multarum mala tribulationum insistent. Quod est dicere: Ideo eum docebis, ut sub tribulationum pondere non deficiat, a quibus exasperatur. *A diebus malis* dico, duraturis non in perpetuum, sed tandiu, *donec fodiatur fovea peccatoris*, id est consummetur in futuro damnatio peccatoris fideles persequentis. Dictum est hoc a similitudine illius, cujus fovea foditur, ut post in eam dejiciatur. Et notandum, quod hoc dicit ad bonorum consolationem, et ad malorum perterritionem.

Interposita causa quare docebit, ostendit quid docebit, sic : Hoc scilicet docebit Dominus per legis suæ 379 doctrinam, quod ipse *Dominus non repellet plebem suam*, licet etiam patiatur affligi, id est hoc docebit, quod non idcirco permittit plebem suam affligi, ut eam repellat et negligat. Et hoc docebit, quod cum permittat tribulari eamdem plebem suam, quæ hæreditas ejus est, tamen ipsam *hæreditatem suam non derelinquet*. Cum ponit *non derelinquet*, datur intelligi per lyptoten, quod hæreditatem suam per tribulationes adjuvabit, ut ipsæ tribulationes sint eis causa salvationis. Dico quod *hæreditatem suam non derelinquet*, sed adjuvabit, et tandiu adjuvabit *quoadusque justitia*, id est Christus, qui per emphasim dicitur justitia, eo quod ab eo omnis justitia procedat, *convertatur* a patientia *in judicium*. Quod est dicere : Tandiu eos *non repellet*, sed per tribulationes adjuvabit, donec Christus ad iniquos judicandum veniat, quos hic patienter exspectat. Non ideo sic determinat, quod postea suos repellat, sed quia illud constat quod postea suos non repellet, non removet. Hoc autem quod hic *non repellet*, oportuit ponere, quia hic videntur per tribulationes repelli, et derelinqui. *Et quis* erit *juxta illam* justitiam, id est quis erit hic conformis in virtutibus illi justitiæ, et in futuro regnabit cum ea a dextris Patris? Responsio : *Omnes* illi erunt juxta illam *qui sunt recto corde*, non apparentes per hypocrisim justi solummodo in facie. Unde per prophetam dicitur : « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (*Joel.* II, 13). » Quod dicit justos corde futuros juxta Christum, positum est a similitudine regis, qui chariores et valentiores duces suos, juxta se in palatio suo sedere facit; et hoc quod interrogative ponit, idem est ac si diceret : *Justitia* convertetur *in judicium*, *et juxta illam* erunt *omnes qui sunt corde* recti, non solummodo specie. Ergo quandoquidem erunt solummodo juxta illam omnes qui *recto* sunt *corde*. *Quis* volens esse rectus corde, *mihi* adjunctus per conformitatem *consurget* de corporeo stratu existendo *adversus maligantes*, id est contradicendo adversariis Ecclesiæ, hæreticis scilicet et falsis Christianis? *Aut quis stabit*, id est et quis perseverabit *mecum* præliando per contradictionem, *adversus operantes iniquitatem*? Non enim sufficiet consurgere, nisi sit etiam stare. *Malignantes et operantes iniquitatem*, iidem sunt. Dictum est autem a similitudine civium, qui nocte ab hostibus invasi, de lectulis in quibus dormiebant, consurgunt, et murum civitatis ascendentes, et ibi stantes, eam ab assultu hostium defendunt. Hoc autem quod interrogative ponit, ad majorem exhortationem facit. Et est ac si diceret : Ergo quandoquidem recti corde solummodo stabunt *juxta illam*, vos omnes quicunque vultis esse recti corde, et per hoc juxta illam esse, mihi adhærentes consurgite *adversus malignantes*, et state *mecum adversus operantes iniquitatem*.

Quamvis autem sic adhortor ad consurgendum et ad standum, insufficiens tamen per me sum consurgere et stare. *Nisi* enim ideo remanisset, *quia Dominus adjuvit me*, per adjutricem gratiam, *anima mea habitasset*, id est perseverans fuisset *in inferno*, id est in consensu impiorum, qui jure infernus dicitur, eo quod per eum ad infernum veniatur, et *paulo minus*, id est perparum defuit anima mea ab ejus habitatione. Hoc autem dixit ad exemplum humilitatis, ne confidant idiotæ per se posse stare. Si autem habeatur, habitavit, sic legetur. *Nisi* ideo quia *Dominus adjuvit me habitasset in inferno anima mea*, et paulo minus, id est fere habitavit. Sententia eadem est, et vere me adjuvisti, Domine. Si enim humili confessione *dicebam* : Adjuva me, Domine, quia *motus est pes meus*, id est affectio mea, *misericordia tua*, *Domine*, *adjuvabat me*, ne ex toto deficerem. Quod est dicere : Cum ab aliqua suggestione illicita affectio mea commoveretur et inquietaretur, et ego hoc humiliter tibi confitens auxilium tuum orabam ne deficerem, tu misericordia tua me adjuvabas. Et quia non solummodo hoc dicebam tibi, sed etiam multipliciter dolebam de commotione pedis, pœnitens et orans ut mihi 380 illicita commotio illa remitteretur, *consolationes* remissionis, quam spiritaliter intellexi mihi a te datam esse per pœnitentiam, *lætificaverunt animam meam*.

Consolationes dico datæ multipliciter, secundum multitudinem, id est ad modum multiplicitatis dolorum meorum in corde meo revera existentium, non per hypocrisim in facie apparentium. Quod est di-

www.libtool.com.cn

cere: Quia multipliciter dolui de commotionibus meis, et tu multiplicem remissionem mihi fecisti, et sic animam meam consolatus es. Per hoc igitur instruit auditores, de commissis valde dolere, ut veniam adipiscantur. Dico *secundum multitudinem dolorum in corde meo*, et merito *in corde meo* dolui. Nisi enim doluissem, *sedes iniquitatis* essem, et sic tibi non adhærerem, nec hic, scilicet per conformitatem, nec in futuro per beatitudinis participationem. *Nunquid* enim *sedes iniquitatis*, id est ille in quo sedet iniquitas, *adhæret tibi*, *qui fingis* dolorem vel *laborem in præcepto?* Utique non adhæret. Quasi diceret: Nullus iniquitatis sedes existens adhæret, vel adhærebit tibi, qui das præceptum ut nemo sit sedes iniquitatis, et in præcepto illo fingis, id est disponis laborem, scilicet disponis ut non cum negligentia, sed cum summo labore et cura perficiatur præceptum istud. Vel si habeamus dolorem, sic legetur: Qui das præceptum ut nullus sit sedes iniquitatis, et qui in præcepto dolorem fingis, id est qui in completione hujus præcepti disponis dolorem tribulationum. Quod est dicere: Cum oporteat completores hujus præcepti multiplicem dolorem tribulationum subire, *tu fingis*, id est disponis dolorem ipsum, unicuique distribuas prout potest pati. Juxta illud Apostoli: « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis (*I Cor.* x, 13). » Dico quod *fingis* dolorem, qui dolor talis est: scilicet quia impii euntes malo suo voto, in, id est contra, animam *justi*, captant ipsam *animam*, et adhuc frequenter *captabunt*, id est frequenter desiderabunt eam capere deceptionibus suis, et sibi conformare. *Et* quia non poterunt capere, *condemnabunt* effusione et morte *sanguinem innocentem*, scilicet sanguinem justi. Juxta vero illam lectionem, in qua habetur *qui fingis laborem*, sic continuatur sequens versus, quem jam exposuimus expositione non mutata. Dico quod *non adhæret tibi sedes iniquitatis*, et merito. Nam illi qui sunt *sedes iniquitatis captabunt*, etc. Dico quod impii *condemnabunt sanguinem innocentem*. Ne vero timeamus et deficiamus pro eorum condemnatione: et ille qui *Dominus* est, id est potens *factus est mihi* et meis conformibus *in refugium* id est in securitatem: et ille idem Dominus qui Deus meus est, id est creator, factus est mihi *et* meis conformibus *in adjutorium*, ne deficiamus, refugium et adjutorium, dico existens causa *spei meæ*. Hæc enim arrha mihi sunt et pignus, quod spem habeam in futuro lætificandi. Dico quod mihi et meis conformibus sit Dominus refugium et adjutorium; vel *Deus meus* est *factus* mihi *spei meæ*, id est, rei speratæ a me. Quod est dicere: Per tribulationes me adjuvat, ut ad rem speratam, id est, ad beatitudinem æternam tandem perveniam, *Et* in futuro illis qui animam nostram captant, et sanguinem nostrum condemnant, *reddet iniquitatem ipsorum*, id est retributionem iniquitatis ipsorum: et, id est scilicet *in malitia sua*, id est, propter meritum malitiæ suæ *disperdet*, id est ex toto perdet *illos*. *Disperdet*, in-

A quam, *illos* ille qui *Dominus noster* est. Ideoque de ultione nostra debet satagere, et qui Deus noster est, ideoque illos disperdere potest. Hoc autem ad hoc dicit ut malos a malitia sua deterreat, ne videlicet sibi ideo promittant impunitatem, eo quod tribulationes ab eis illatæ, sint justis ad salutem. Non enim ad hoc Deus respicit, quod per tribulationes suas justis faciunt, sed ad hoc quod male intendunt.

381 IN PSALMUM XCIV.

Titulus nonagesimi quarti. *Laus cantici David.* Quod sic exponitur: Psalmus iste est *laus cantici*, id est laus jucunditatis et hilaritatis, et non est *David*, sed Christi. In hoc quippe psalmo Propheta ex nimia jucunditate laudans Christum venturum, adhortatur Judæos incredulos, in plenitudine tempo-
B ris futuros, ut tandem in sexta ætate ad eum fide veniant, et ei exsultent et jubilent et confiteantur. Adhortaturque ne ad Christi vocem corda obdurent, et per hoc æternam requiem amittant, sicut patres eorum Deum in deserto irritaverunt: ideoque prostrati ad terræ promissionis requiem minime pervenerunt. Notandum autem, quod in hoc psalmo Propheta quædam verba ponit in persona ipsius Domini, videlicet cum dicit *ubi tentaverunt me*, etc., usque in finem. Hoc autem non facit præter usum, cum in historiis et in prophetiis frequenter habeamus, angelos et prophetas agentes, multa in persona Domini dicere.

Venite, fide in tempore plenitudinis, o Judæi, qui diu fuistis a Deo per infidelitatem remoti, et veniendo
C *exultemus Domino* Christo. Ac si dicat: Sicut ego tanto ante tempore existens de ipsius adventu bona affectione exsulto, ita et vos tunc temporis futuri de adventu ejus exsultate. Et exsultare ei debemus, quia Dominus omnipotens est. Et non parum exsultemus, sed *jubilemus* ei *Deo salutari nostro*. Quod est dicere: Sicut ego jam ei jubilo, id est nimia et intensa interiori lætitia exsulto; sic et vos ei jubilate, quia Deus est, id est creator, et salutaris, id est salvator. Non solum autem *jubilemus* corde, sed etiam perseverantes *in confessione*, id est *in* laude oris, *præoccupemus faciem ejus*, id est simus similes servis præoccupantibus faciem Domini sui, ut sibi eum faciant attentum, antequam aliis negotiis occu-
D petur. Quod est dicere: Seduli et perseverantes simus in ejus laudis confessione, a similitudine servorum faciem Domini, ut dixi, præoccupantium. Vel sic: In confessione peccatorum nostrorum seduli præoccupemus faciem ejus, id est anteveniamus secundum adventum ejus. Quod est dicere: Peccata nostra in hac vita confiteamur, ne in secundo adventu cum non confitentibus damnemur. « Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*I Cor.* vi, 2). » Secundus autem adventus recte facies dicitur, eo quod tunc cunctis Christus manifestabitur, sicut per faciem totus homo cognoscitur Dixi ut *jubilemus Deo*. *Et* quia hoc non sufficit, nisi etiam bene operari, *jubilemus ei* interius *in psalmis*, id est in bonis operibus, perseverando exterius.

www.libtool.com.cn

Dignum est autem ut exsultemus ei et jubilemus et A confiteamur, *quoniam* ipse *Deus* existens est *Dominus* in rebus: et non qualiscunque, sed *magnus* in potentia. et *rex magnus* in regimine, existens *super omnes deos*, id est dignior et excellentior omnibus prælatis Ecclesiæ, qui deificati erunt in sanctitate. Juxta quod Dominus de Moyse dixit: « Constitui te deum Pharaonis (*Exod.* VII, 1). » Sunt etiam iidem prælati Domini, cum dominium habeant et potestatem subditorum. Reges quoque eorumdem sunt, utpote quos doctrina et exemplo suo regunt. Reddit ergo singula singulis, addendo sic: Vere rex magnus est, *quia in manu*, id est in regimine operantis gratiæ *ejus sunt, fines terræ*, id est finientes in se terrenitatem. Quod est dicere: Hoc quod fideles sunt in se terrenitatem finientes, per ipsius regimen B est. Et hoc apparet quod *rex magnus* est, et vere *magnus Dominus* est, *quoniam altitudines montium*, id est alti montes, perfecti scilicet possessio *ipsius sunt*. Quod est dicere: Hoc quod perfecti in virtutibus et sanctitate sunt alti, inde contingit quod eos inhabitando possidet, et eis dominatur. Et in hoc apparet eum magnum Dominum esse, quoniam magni Domini est magnam possessionem habere. Et in hoc quoque patet eum magnum Dominum esse, *quoniam ipsius* possessio *est mare*, id est ipse possidet 382 infideles Deum amaricantes, ut non liceat eis in sanctos sævire, nisi quantum ipse permittit.

Et in hoc probatur quod Deus magnus est, quoniam *ipse* qui ejus possessor est, *fecit* etiam *illud* mare, C id est creavit amaricantem populum, non secundum quod mare est, sed secundum quod creatura, *Et* per hoc quoque comprobatur Deus magnus esse, quod *manus ejus formaverunt siccam*, id est operantes gratiæ ejus formosam in virtutibus et bonis operibus fecerunt Ecclesiam, prius in Adam deformatam: quæ Ecclesia sicca est, id est sitiens doctrinam verbi Dei, ad modum terræ siccæ, aqua repleri sitientis. Interposita ejus laude, hujus laudis occasione repetit supradictam exhortationem, ut addat: Dixi quod Christus erit Deus rex, Dominus magnus. Ergo quia talis et talis erit, o Judæi, in ejus adventu futuri *venite* ad eum fide, et veniendo *adoremus* eum, id est sicut ego eum adoro, id est intense et specialiter orando veneror, ita vos etiam D adorare: *et procidamus*, id est humiliemur in anima: quod signatur per hoc quod in corpore ad terram procidimus, *et ploremus* peccata nostra, et non ad aspectum laudis hominum, sed *ante Dominum*, id est ad aspectum Domini, *qui fecit*, id est creavit nos: ideoque eum adorare debemus: et *quia ipse* qui videtur ex tempore natus, tamen *est Deus noster*, non recens Deus, sed Deus æternus, quem nos prophetæ colimus et adoramus. Dico quod *ipse est Deus noster*, et *nos* sumus *populus pascuæ ejus*, id est populus quem ipse pavit in deserto manna in patribus nostris: et quem etiam pascit lege, *et* sumus *oves manus*, id est operationis *ejus*, id est operatus est per gratiam in deserto, ut ovibus similes essemus, non arantes nec seminantes, et omnia necessaria habentes. sicut oves, quibus sine aliquo labore omnia necessaria a pastore providentur.

Facta exhortatione in persona sui, apponit sancti Spiritus comminationem, ut magis eos attrahat, qui eos adhortatur ne ad Domini Christi vocem corda sua obdurent, sic: Adhortatus sum vos, o Judæi, ad exsultandum Domino Christo, et jubilandum et eum adorandum, cum sit Dominus noster, et nos simus oves pascuæ ejus. Adhortatur quoque vos Spiritus sanctus, ut ei obediatis, dicens: *Si audieritis vocem* prædicationis *ejus*, sicut vere *audietis hodie*, id est sexta ætate, quæ vobis erit hodie, id est præsens sicut hodierna dies, quæ cum præsens sit hodie dicitur, *nolite obdurare*, id est contra hanc B vocem indurare *corda vestra*, negligendo eam: sicut fuerunt indurata corda patrum vestrorum in irritatione, id est tunc quando Deus fuit irritatus. Hodie etiam dicitur sexta ætas, quia clara est per doctrinam Christi et splendida ad modum diei. Quoniam vero dixerat *sicut in irritatione*, cum multæ fuerint eorum irritationes adversus Deum, de qua irritatione dicat ostendit, cum addit: Dico: *Nolite obdurare corda vestra sicut in irritatione*, scilicet nolite obdurare, *secundum diem tentationis*, id est ad similitudinem diei tentationis factæ *in deserto*, *ubi*, id est in quo deserto, *tentaverunt me patres vestri*, dubitantes an eis possem dare potum et escam, quorum filii vos estis, non solummodo secundum generationem, sed C etiam secundum incredulitatis conformitatem. *Probaverunt*, inquam, me, id est tentaverunt, *et viderunt* oculis corporis mirabilia *opera mea*, quæ operatus sum in eis, *quadragenta annis* in deserto. Hoc autem totum est ac si sic breviter poneret: Vos increduli Judæi, vocem ipsius Christi audituri, *nolite corda vestra obdurare*, ad modum patrum vestrorum, eum in deserto tentantium et opera ejus, annis quadraginta, videntium, et ad hoc tamen corda obdurantium. Dico quod *me tentaverunt*, ideoque *offensus*, id est iratus *fui generationi illi* pessimæ. Offensus pro irato ponitur, eo quod offensi soleant irasci. Dico quod *fui offensus*, et offensus tamen ad eorum correctionem *dixi semper*, id est frequenter per Moysen, et cæteros eorum doctores; *hi errant corde*, D per infidelitatem. *Et* licet hoc ad ipsorum correctionem 383 dixissem: *isti* tamen *non cognoverunt* sic ut complerent *vias meas*, id est præcepta mea, quæ complentibus viæ sunt ad vitam, non complentibus autem ad mortem. Et quia non cognoverunt *si unquam intrabunt in requiem meam* æternam, ut *juravi*, id est seu firmiter constitui *in ira mea*, id est in justa vindicta mea, quod non intrabunt, tunc non sum ego judex verus et justus. Si hoc autem ad nimiam communicationem et ad audientium correctionem, ne similiter corda obdurent et requiem amittant, suspensive ponit. Et est ac si diceret: Quia *non cognoverunt vias meas*, non intrabunt in requiem meam æternam. *Juravi* enim hoc *in ira mea*. Vel sic secundum aliam translatio-

www.libtool.com.cn

nem. Quibus juravi in ira mea quod *non intrabunt in requiem meam*, in est in terram promissionis, ubi erit requies, quam filiis eorum dabo. Et quandoquidem juravi quod non intrabunt, si ipsi intrabunt in illam requiem meam, tunc ego mendax sum.

IN PSALMUM XCV.

Titulus nonagesimi quinti. *Quando domus ædificabatur post captivitatem, canticum David.* Quod sic exponitur. Istud canticum, id est iste psalmus dictus canticum, ideo quod exhortetur ad cantandum novum canticum, vel quia fuit cum nimia jucunditate et hilaritate factum, est David prophetæ: factum ab ipso Propheta quando domus ædificabatur in consideratione ipsius Prophetæ, post captivitatem Quod est dicere : Tunc composuit hoc canticum, quando per spiritum prophetiæ jam considerabat quod humanum genus, quod per Adam destructum erat, et in captivitatem adductum, tandem post captivitatis tempus per Christum erat in virtutibus ædificandum, ad hoc ut Dei domus esset, in qua ipse spiritaliter habitaret. Bene vero ponit ædificabatur. Jam enim ipsi per considerationem Prophetæ domus ædificabatur, quæ post longum tempus realiter erat ædificanda. Considerans autem Propheta domus hujus ædificationem futuram, omnes illos qui in domo illa futuri sunt, ad cantandum Deo novum canticum exhortatur. Ut vero canticum hoc cantetur, prædicatores hujus domus prælatos, ut Dei mirabilia gentibus annuntient, ipsasque gentes ut eis obediant admonet, affirmans omnes exultaturos esse, qui in ea domo ædificati erunt, cum Deus juste mundum judicabit. Hoc autem ea intentione facit, ut omnes ad participationem hujus domus ædificandæ, et ad cantandum novum canticum attrahat.

Cantate Domino Christo *canticum novum, cantate*, inquam, non solummodo Judæi, sed *omnis terra*, id est omnismodi terreni et Judæi et gentes. *Canticum novum* dicit illa præcepta, quæ non fuerunt data in Veteri Testamento, sed in Novo tantum, in quorum completione Deus velut in cantico delectatur, ut inimicos diligere, terrena spernere, mori pro proximo, et cætera hujusmodi. Unde Dominus in Evangelio dicit : « Mundatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos (*Joan.* XIII, 34). » Et alibi : « Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariscæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* V, 20) » Hoc autem quod dicit, *cantate Domino canticum novum*, idem est ac si diceret : Agite cum delectatione ad honorem Domini novum canticum, scilicet complete præcepta quæ ipse in Novo Testamento dabit : et non invite, vel ad favorem nominum, sed *cantate* id est cum cantico complete, cum jucunditate scilicet, et hoc *Domino*, id est ad honorem Domini. Quia autem ter ponit *cantate*, ad inculcationem facit, ut plus exhortetur, sive ter repetit ad ostensionem Trinitatis. Ac si dicat : *Cantate* Domino Patri, *cantate* Domino Filio, *cantate* Domino Spiritui ; et cantando *benedicite nomini ejus*, id est sublimate et glorificate 384 hoc nomen ejus, quod est Dominus, bene vivendo, et omnia bona opera agendo. Quod est dicere : Bonis operibus insistite, quæ causa sint quare nomen Dei a videntibus benedicatur. Sicut enim per male operantes, « nomen Dei inter gentes blasphematur (*Rom.* II, 24), » ita et per bene agentes exaltatur.

Facit autem apostropham ad prælatos sic : Adhortor omnes qui in domo Dei futuri sunt, tam Judæos quam gentiles, ad cantandum novum canticum, Domino, et benedicendum nomini ejus. Cæterum quia aliter non cantaretur a gentibus hoc canticum, neque nomen Domini benediceretur, vos prædicatores *annuntiate salutare*, id est salvationem *ejus* Domini Christi, quomodo videlicet mundum morte sua salvabit. Dico *annuntiate*, et hoc *de die* eundo *in diem*, id est de claritate Novi Testamenti in claritatem Veteris, et de claritate Veteris in claritatem Novi ; scilicet sic *annuntiate*, ut prædicationem vestram, auctoritate utriusque Testamenti confirmetis, proferendo de thesauro cordis nova et vetera (*Matth.* XIII, 52). Vel eundo *de die in diem*, id est de una clara virtute et operatione in aliam clariorem virtutem et operationem, ne cum aliis prædicaveritis, ipsi reprobi efficiamini. Vel eundo *de die in diem* id est de claritate Patris in claritate Filii, et de claritate Filii in claritatem Patris, ut scilicet per unam, alteram ostendatis. Vel eundo *de die in diem*, ad litteram, scilicet frequenter per singulos dies *annuntiate salutare ejus*. *Annuntiate* etiam *inter gentes*, id est in plenitudine gentium, *gloriam ejus*, scilicet Domini Christi, id est *annuntiate* eum gloriosum esse, scilicet *annuntiate* eum Dominum esse et Deum et omnipotentem, et cætera quæ ad ejus gloriam pertinent, et *in omnibus populis*, id est in plenitudine omnium populorum *annuntiate mirabilia ejus*, quæ in genere humano operabitur. Exponit autem quomodo gloriam ejus annuntient, sic : Dico, *annuntiate gloriam ejus*, scilicet annuntiate, *quoniam* ipse qui parvus et quasi servus apud Judæos videbitur, est *Dominus* ; et non qualiscunque Dominus, sed *magnus*, cui omnia subdentur. *Et* qui despicabilis videbitur, *laudabilis* est, id est laude dignus, et non parum, sed *nimis*, id est ultra quam omnis creatura possed laudare. *Et* qui timere videbitur in passione, *terribilis* erit, id est metuendus ab inimicis, et non parum, sed terribilis *super omnes deos*, id est plusquam omnes perfecti ab eo deificandi, scilicet cum ipsi potentes sint orationum suarum merito inimicos punire : ideoque terribiles, ipse multo magis ad puniendum potens terribilior est. Ne vero videretur dicere de diis gentium, quæ utique laus non esset egregia, remotionem sic facit. Dico eum terribilem *super omnes deos*, non hoc autem dico de diis gentium ; *quoniam omnes dii gentium dæmonia* sunt, ideoque indigna esset hujusmodi comparatio. Dæmonia quippe idola gentium ingredientia, responsa dabant, ideoque a gentibus quasi dii colebantur. Addit autem ad aggerationem laudis, *Dominus autem cælos fecit*, Istud *autem* pro *sed* ponitur, et est ang-

www.libtool.com.cn

mentativum, quod sic adaptatur : Non solummodo terribilior est diis, sed et ipse Dominus omnium existens, fecit ipsos deos cœlos, hoc, scilicet quod cœli sunt, id est in sanctitate sublimes, eo faciente per gratiam sunt.

Et exponit etiam quomodo adhortetur prælatos ad annuntiandum mirabilia ejus in populis, sic : Dico, ut annuntietis *mirabilia ejus in populis*, et ecce mirabilia, quod *in conspectu*, id est in cognitione *ejus*, est *confessio et pulchritudo et magnificentia*, id est confitentes per confessionem, pulchri in innocentia effecti, et sancti in omni virtute, qui magnifici erunt in futuro. Quod est dicere : Hoc annuntiate quod ipsi qui per fidem eum conspicient, confitebuntur peccata sua. Et cum in hoc videantur fœdi, per hoc erunt in innocentia pulchri, et in omni virtute sancti, et tandem in futuro erunt in æterna beatitudine magnifici. Et hæc magnificentia *et sanctimonia* erunt *in sanctificatione ejus*, id est hoc quod hic sancti erunt et in futuro magnifici, erit eo magnificante, non 385 propter merita ipsorum. Facta exportatione ad prælatos, ipsas gentes quibus prædicaturi sunt, adhortatur ad obsequendum sic : Dixi adhortatorie prælatis, ut annuntient vobis, o gentes, gloriam et mirabilia Christi. Adhortor quoque vos, *o patriæ gentium*, id est multa et diversa regna gentium, *afferte Domino* Christo per prædicationem prælatorum *gloriam* fidei, scilicet glorificate eum fide, *et honorem* confessionis oris *afferte Domino*, scilicet ut ore laudem ei confiteamini. « Corde enim (ut Apostolus asserit) creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). » Et *gloriam afferte nomini ejus*, bene vivendo : et si necesse fuerit vos pro eo mori, *tollite*, id est, afferte vos ipsos *hostias* Deo, moriendo pro eo sicut ipse pro vobis. Juxta quod dicit : « Qui vult venire post me, tollat crucem suam et sequatur me (*Matth.* xvi, 24). » Dico tollite hostias, *et* sic *introite in atria ejus*; *introite*, scilicet in conformitatem atriorum ejus, id est in conformitatem apostolorum, quorum doctrina itur ad Deum, sicut per atria in domum introitur, ideoque atria dicuntur. Quod est dicere : Vere debetis vos hostias afferre, si oportuerit; nam sic apostolis conformes eritis, alioquin vero nequaquam. Quia vero multi hypocritæ et hæretici videntur simulatione in conformitatem atriorum, qui penitus ab Ecclesiæ unione discedunt, addit : Et introeundo in atria, *adorate*, id est recte veneramini *Dominum* Jesum Christum, persistendo *in atrio sancto ejus*, id est in vanitate charitatis Ecclesiæ, quæ est atrium sanctum ejus. « Si enim (testante Apostolo) tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* xiii, 3). » Atrium sane præsens Ecclesia dicitur eo quod per eam ad cœlestem Sion intratur, sicut per atrium in domum. Dico ut patriæ gentium Deo afferant gloriam et honorem, et non paucæ patriæ, sed ut universaliter dicam, *commoveatur* ab errore ad fidem *universa terra*, id est universimodi terreni. Vel potest optativo legi : Dixi ut patriæ gentium afferant Deo gloriam fidei, et ita sit : *Commoveatur*, scilicet *universa terra*, quæ commotio contingat *a facie*, id est a cognitione ejus Domini Christi. Et postquam, o gentes, commotæ eritis, ut et posteræ gentes commoveantur, *dicite in gentibus*, id est annuntiate in plenitudine ipsarum gentium, *quia Dominus* Christus *regnavit*, id est regnum totius mundi sibi acquisivit, calcata morte. Vel *dicite in gentibus*, id est in infidelibus. Dico quod hoc debetis dicere, quia *Dominus regnavit*, et inde comprobatur eum regnum sibi acquisivisse.

Etenim correxit orbem terræ, id est perfectionem terræ, scilicet et illos quos ex terra fecit orbem, id est perfectos, cum prius essent distorti in vitiis correxit, id est rectos fecit in virtutibus. *Qui* orbis *non commovebitur* omnino a perfectione sua, et si secundum quædam debilia membra commoveatur. Non solum autem dicatis quod *regnavit*, sed etiam ad hoc ut magis infideles commoveantur dicite, quoniam in fide *judicabit populos* fidelium, et infidelium *in æquitate*; bonos salvando, malos autem juste damnando. Et hac consideratione quia judex erit, *lætentur cœli*, id est prælati qui alios compluunt, ut cœli terram, qui in justo judicio illo remunerabuntur : *et exsultet terra*, tunc etiam remuneranda. Illi, scilicet exsultent, qui compluti sunt et fructificantes, a similitudine terræ, quæ compluta fructificat. Ne vero *mare*, id est populus amaricans et infidelis, in illo justo judicio propter infidelitatem damnetur, *commoveatur* mare ab infidelitatis amaricatione ad dulcedinem fidei, et non solummodo aliqua particula illius maris, sed *et plenitudo*, id est maxima multitudo *ejus* maris. Et hac securitate hic *lætantur* omnes *cœli et terra*, quoniam in futuro *gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt*, id est gaudebunt perfecti ex Judæis de hoc quod hic *campi* erunt, id est culti in fide ad modum camporum, *et omnia quæ in eis sunt laudebunt*, id est omnes 386 virtutes quæ in eis erunt hic, causæ erunt quare in futuro gaudebunt.

Non solum autem fideles ex Judæis *gaudebunt* qui recte *campi* dicuntur; sed et *tunc* quando *campi gaudebunt*, *gaudebunt* quoque *omnia*, id est omnismodi, *lugna silvarum* id est gentiles, qui prius incultibiles existentes et agrestes, ut ligna silvarum, fient cultibiles hic per fidem, et fructum dulcem bonorum operum proferentes. Et hæc exultatio continget *a facie*, id est a cognitione *Domini*, scilicet ideo *gaudebunt*, quia hic Deum per fidem et bonam operationem cognoscent. Et ideo quoque *exsultabunt*, *quia venit*, id est veniet; *veniet*, inquam, *judicare terram*, id est terrenos omnes, tam fideles quam infideles. Exponit autem hoc per partes, sic : Dico quod veniet *Judicare terram*. *Judicabit* enim *orbem terræ*, id est illos qui ex terra fient perfecti *in æquitate*, id est juste retribuendo eis æternam beatitudinem : *et judicabit populos* infideles *in veritate*, id est in vero judicio, damnando eos merito iniquita-

www.libtool.com.cn

tis eorum. Hoc autem ideo dicit, ut per hoc illos, qui iam boni sunt, ad melius promoveat, malos vero deterrendo ad fidem, et ad cantandum novum canticum attrahat. Vel *a facie*, id est a præsentia Domini quem videbunt, *qui venit*, id est veniet manifestus, et de ejus adventu gaudebunt. Unde legitur: « Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate (*Luc* XXI, 27). » Et cum de ipsius adventu simpliciter valde possent gaudere, multo magis de hoc gaudebunt, *quoniam venit judicare*, id est quoniam ad hoc veniet, ut omnes homines judicet.

IN PSALMUM XCVI.

Titulus nonagesimi sexti. *Psalmus David, quando terra ejus restituta est.* Quod sic exponitur. *Psalmus* iste est *David Christi*, completus *quando terra ejus restituta est*, scilicet prophetia hujus psalmi completa fuit in Christo, vero David, *quando terra ejus restituta est*, id est quando humanum genus, quod prius existens *terra ejus*, id est, regnum et possessio ejus ablatum fuit a regimine ejus, per prævaricationem Adæ, restitutum fuit ei, ut iterum cederet in regimen ejus per fidem: quod equidem contingit per obedientiam mortis ejus. Quæ restitutio regni Christi præfigurata est in David propheta, cui Deus regnum ab inimicis ablatum restituit, inimicis ejus omnibus devictis. Dicitur autem psalmus iste esse Christi, non quod hic Christus loquatur, sed quia Propheta in hoc psalmo agens de Christo, ostendit quomodo sibi regnum in gentibus acquisivit per miracula et doctrinam apostolorum. Et hoc ea intentione facit, ut occasione benignitatis ejus quam ostendit, adhortetur eas, ut malum odiant, et bonum diligant, quandoquidem regnum ejus sunt. Et notandum quod more prophetico quod adhuc futurum est, quasi præteritum enuntiat, ex certitudine nimia.

Dominus Christus *regnavit*, id est regnum totius mundi sibi acquiret, calcata morte, et diabolo devicto, ideoque *exsultet terra*, id est homines gaudeant, jam facti terra ejus fructifera. Quia vero dixerat indeterminate *terra*, determinat hoc, cum addit: *Lætentur insulæ multæ*, id est illam terram dico lætari, quæ est multiplex insula. Cum dicit *multæ*, innuit se hoc velle de multis Ecclesiis gentium dicere, quæ multæ sunt, quantum ad diversitates linguarum, una vero quantum ad fidem. Quæ etiam *insulæ* congrue dicuntur, quia a tribulationibus interius et exterius insurgentibus, demergi nequeunt, ad similitudinem insularum, quæ a circumquaque instantibus fluctibus non obruuntur. Dico quod sibi regnum acquiret, et hoc per nubes et caligines. *Nubes* enim *et caligo* sunt *in circuitu*, id est in famulatu ejus, ut sibi regnum hoc præparare-
rent: apostoli scilicet dicti nubes eo quod, 387
alios compluerunt: et caligo per emphasim, id est caligine pleni, eo quod arcanis Dei obscurissimis, quantum ad alios non videntes, repleti fuerunt. Unde postolus: « Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). » Hoc vero quod tali caligine fuere repleti, multum ad regni constitutionem attinuit. Si enim penitus arcanis interius sapientiæ carerent, quid prædicandum esset, et quid non, discernere nescirent. Et illæ *nubes justitia et judicium*, id est justi in vita, et judices illius regni, habentes scilicet officium instruendi subjectos, et *correctio sedis ejus*, id est correctione sua facientes illos, qui per infidelitatem erant distorti, sedem ejus, id est tales in quibus Dominus spiritaliter sedeat. Vel *correctio*, id est correctores, scilicet si in aliquo distorquentur subditos, qui jam sedes Domini sunt. Cum eos nubes et judicium dicit, officium prædicationis habere ostendit; cum vero caliginem et justitiam vocat, ad officium hoc eos idoneos esse comprobat. Cæterum cum eosdem asserit esse correctionem hujus negotii, in eis esse demonstrat operationem. Et hoc quod correctione sua ejus sedem præparabunt, non ex ipsis nubibus erit, sed inde hoc continget, quod *ignis*, id est fervor et illuminatio Spiritus sancti *præcedit*, id est præcedet in gentibus *ante ipsum* ante sessionem ejus Domini Christi. Quod est dicere: Per hoc ejus sedes efficientur, quia sancti Spiritus gratia prius in eis adveniet; *et* ignis ille *inflammabit inimicos ejus*, id est interius accendet flamma fidei ipsas gentes inimicas per infidelitatem, ut faciat amicas per fidem.

Per hoc autem in eas ignis adveniet, quod *alluxerunt fulgura ejus orbi terræ*, id est resplendebunt omnibus gentibus habitantibus orbem terræ miracula ejus, quæ per apostolos operabitur, dicta fulgura, eo quod videntes se attonitos et stupidos faciant, ad similitudinem fulgurum, osulos hominum suo fulgore tangentium. Et illa fulgura *vidit terra et commota est*, id est illa miracula videbunt terreni, et adveniente in eos igne gratiæ specialis commovebuntur a terrenitate ad specialitatem. Vel sic: Dico quod *nubes* erunt *correctio sedis* Domini, *ante ipsum* Dominum tamen, id est ante sessionem ejus antea, scilicet quam in eis sedibus factis sedeat, *ignis præcedet*, id est fervor iræ veniet in ipsas gentes, *et inflammabit*, id est interius accendet inimicos ejus gentiles. Indignabuntur enim de eorum correctione. Et hic ignis non erit in paucis inimicis, sed *in circuitu* ejus, id est in omnibus demorantibus *in circuitu ejus*, id est circumquaque ubique terrarum. Sciendum autem quod *in circuitu ejus* in superiori sententia sicut in hac legitur. Dico quod *ignis inimicos inflammabit*, sed inde non est curandum. Nam *fulgura ejus* allucebunt omnibus inimicis, existentibus in orbe terræ; et videbit *terra*, id est populus inimicorum hæc miracula et commovebitur. Sententia hujus versus ultimi non mutabitur. Non solum vero plebs commovebitur, sed et *montes fluxerunt*, id est divites in possessione sublimes fluent a duritia sua, et efficientur molles, id est ad bene operandum habiles. Et hoc continget *a facie Domini*, id est a cognitione Domini; et non qualiscunque Domini, sed *a facie Domini omnis terræ*, scilicet quia Dominum totius terræ per fidem cognoscent, a duritia sua dif-

fluent, *sicut cera*, id est ad comparationem ceræ, ad conspectum ignis fluentis. Ut igitur montes fluant *a conspectu Domini*, *annuntiaverunt*, id est annuntiabunt *cœli*, id est prædicatores *justitiam ejus* Domini, id est hoc annuntiabunt, quod a Domino erit omnis justitia, id est omnis peccatorum remissio et justificatio : *et* ipsis annuntiantibus *omnes*, id est omnismodi *populi viderunt*, id est videbunt fide *gloriam ejus*, id est eum gloriosum esse, scilicet eum Deum esse credent, et regem et omnipotentem, et cætera quæ ad ejus gloriam pertinent. Et quia omnismodi populi fide videbunt, opto et hortor, ut *confundantur* bona 388 confusione, exemplo populorum credentium *omnes qui adorant*, id est ut Deos venerantur, *sculptilia*, idola; et non solum qui adorant, sed *et qui gloriantur in simulacris suis*, id est in simulacris a se factis, quæ adorant. Ac si dicat : Si homines vel cunctas vivas creaturas adorarent, minus miserum esset. Quanto ergo miserius est, simulacrum hominis adorare, præsertim eum adorare, qui simulacrum illud composuit ?

Facit autem apostropham ad angelos, concedens ut Deum adorent, non ut angeli egeant adhortatione sua, sed ut bonum votum suum ostendat, et, exemplo angelorum auctorizabilii, incredulos ad adorandum Deum attrahat, sic : Dico quod quidam erunt adorantes sculptilia, Deum adorare negligentes. Sed cum hoc homunciones miseri negligant, vos saltem *omnes angeli ejus* qui valde rationabiles estis, *adorate*, id est summo et speciali cultu veneramini Dominum Christum. Dico quod populi videbunt gloriam ejus ; hoc autem *audivit*, id est audiet *Sion*, *et lætata est*, id est lætabitur. Quia vero Sion ponitur, et pro fidelibus Judæis et pro infidelibus, determinat de qua Sion dicat, sic : Dico quod lætabitur Sion, *et*, id est scilicet *exsultaverunt filiæ Judæ*. id est exsultabunt de fide populorum filiæ confessionis, scilicet fideles primitivi de Judæis, confessores nominis Dei in manifesto, non deficientes in tribulationibus ; qui congrue femininæ filiæ dicuntur, eo quod in cultu virtutum sint pulcherrimi. Speciosior enim cultus est filiarum quam filiorum. Dicuntur quoque filiæ, eo quod habiles sint ad alios in fide generandum, sicut filiæ ad filios pariendum. Exsultabunt, inquam, et hoc *propter judicia tua*, *Domine*, quia, scilicet judicabis non solum Judæos, sed et gentes salvare. « Non est enim acceptio personarum apud Deum (*Rom.* II, 11). » Et merito exsultabunt de judiciis tuis, *quoniam tu* qui quasi servus videberis *es Altissimus*, id est Omnipotens dominans *super omnem terram*, tam super Judæos quam super gentes, et *nimis exaltatus es*, id est valde exaltatus eris ab omni gente *super omnes deos* earum. Quod est dicere : Cum adhuc infideles valde deos suos exaltent, multo magis postquam ad fidem venient exaltabunt te, et corde, et, voce, et opere. Vel sic continet : *Propter judicia tua* exsultabunt *filiæ Judæ* ; et ecce judicia : *Quoniam tu es altissimus Dominus super omnem terram*, id est, hoc judicabis ut omnis populus terræ, tam gentilis quam Judaicus, te reputet altissimum Dominum, et exaltet te super omnes Deos. Cum dicit Judæos fideles de salute gentium exsultare, innuit eorum auctoritate, de gentium salute non esse dubitandum. Unde maxima quæstio in primitiva Ecclesia fuit : et per hoc magis ipsas gentes Deo facit obnoxias, cum de earum salute certas eas faciat.

Nunc tandem ad hoc Propheta venit ad quod intendebat, apostropham sic ad gentes faciens, de quibus in hoc psalmo agit. Dico quod Dominus Jesus sic et sic sibi regnum parabit per nubes, et quia Altissimus est. Ergo gentiles regnum ejus efficiendi, *qui diligitis*, id est qui diligetis *Dominum* Christum, veniendo ad fidem, *odite malum* omne, et vitia, scilicet et mala opera. « Nemo namque patest duobus dominis servire (*Luc.* XVI, 13). » Et si in odiendo malum, vobis tribulationes occurrerint, constantes estote. *Dominus* enim Christus *custodit*, id est custodiet *animas servorum suorum*, animas vestras, scilicet ne malis timore conformemini ; et non solum animas, sed etiam *de manu peccatoris* persequentis *liberavit eos* servos, id est liberabit quandoque corpora eorum, et si imprimis aliquantulum affligi sinat. Et si persecutores vitam præsentem abstulerint, non est inde curandum. Nam pro hujus vitæ amissione *lux* æternæ vitæ *orta est*, id est, orietur *justo* cuique, scilicet ei dabitur in æterna vita lux nimia divinæ contemplationis. Et pro tristitia quam hic patientur, orietur eis in futuro lætitia beatitudinis æternæ. Juxta illud Dominicum : « Beati qui nunc fletis, 389 quia ridebitis (*Matth.* V, 5). » Ergo quia *lux* et *lætitia* justis orietur, nolite in tribulationibus cedere et contristari, sed potius *lætamini justi in Domino*, id est non in malis, sed in his quæ sunt Domini, scilicet in virtutibus et bonis operibus. *Et confitemini* laudem *memoriæ sanctificationis ejus*, id est laudate cum corde, voce, et opere, de hoc quod memor erit vos sanctificare, qui diu visus est vestrum in incredulitate positorum, et in peccato originali oblitus fuisse.

IN PSALMUM XCVII.

Titulus nonagesimi septimi. *Psalmus David*, Prophetæ, adhortantis omnes fideles in tempore plenitudinis futuros, ad cantandum Domino Patri novum canticum, respectu mirabilium beneficiorum, quæ per Filium in humano genere facta sunt ; quæ etiam narrat, ut magis auditores ad Dei laudem attrahat. Et hoc etiam, etsi futurum esset, quasi præteritum ennuntiat, more prophetico.

Cantate, id est cum dilectione exhibete *Domino* Patri, o vos omnes fideles, *canticum novum*, id est completionem novorum præceptorum, in qua delectatur sicut in cantico. Vel *cantate* ei *canticum novum*, id est cum jucuntitate laudate Dominum nova laude, scilicet de filii ejus morte, de totius mundi reparatione, quod quidem novum est. Et ideo *novum canticum cantate*, *quia mirabilia fecit* in humano genere. Et ecce unum mirabile quod fecit, scilicet

dextera et brachium sanctum ejus salvabit genus humanum *sibi* per adoptionem associatum. Dextera Filius dicitur, eo quod per eum omnia Deus Pater operatur; brachium quidem eo quod sit fortitudo Patris. Per eum enim fortiter et non remisse agit. Brachium enim fortissimum membrum corporis est. Hoc autem est ac si diceret: Hoc mirabile Dominus Pater fecit, quod per Filii mortem, genus humanum ab originali erimine salvavit, et sibi per adoptionem adjunxit. Notandum quod cum dicit opera Filii esse Patris, in hoc naturæ idenditatem ostendit. Et ecce aliud mirabile ut genus humanum salvaretur: *Notum fecit Dominus salutare suum*, id est salvatorem suum Christum. Quod est dicere: Christum quem obscure prophetæ prophetaverant, notum fecit Judæorum parti salvandæ, et fide et ipsa rei evidentia. Repetit autem æquipollenti voce quod dixit *notum fecit*, ut addat sic: *Revelavit*, inquam, id est notum fecit Judæis *in conspectu* etiam fidei *gentium* eumdem Salvatorem ponendo. Quod est dicere: Sic eum Judæis revelavit ut etiam gentes per fidem eumdem conspicere faceret. Dico quod revelavit Salvatorem et Judæis et gentibus, et sic *recordatus est misericordiæ suæ* quantum ad gentes, *et veritatis*, id est veræ promissionis *suæ domui Israel* factæ, id est familiæ Israel, scilicet Judæis. Quod est dicere: Ideo notificavit Salvatorem, ut per eum gentibus misereretur, quas diu visus est oblivioni dedisse, et ut veram promissionem suam Judæis factam compleret. Promiserat enim per Moysen sic: « Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis Dominus Deus vester (*Deut.* XVIII, 15). » etc. Quia vero posuerat indefinite *revelavit in conspectu gentium*, universaliter hoc sic dicit: Dixi quod *gentibus revelavit*, et non paucis quidem, sed *viderunt* fide *omnes termini terræ*, id est omnismodi gentes, habitantes terminos terræ *salutare*, id est Salvatorem Domini *Dei nostri*. Et bene ponit *nostri*, ad auctoritatem. Ac si dicat: Qui non est recens, sed Filius est *Dei nostri*, id est illius Dei quem nos prophetæ colimus.

Vel potest hoc allegorice legi. Dico quod Judæis et gentibus *revelavit*, et non omnibus revera revelatus est, sed *omnes termini terræ*, id est omnes terminantes in se terrenitatem tam Judæi quam gentes, *viderunt* vera visione fidei *salutare Dei nostri*. Cæterum priori sententiæ 390 ad litteram melius videntur sequentia concordare. Dico quod Christus *dextera Dei salvavit* genus humanum, et revelatus est et Judæis et gentibus: et hac occasione *jubilate Domino*, Christo intensa affectione dilectionis et devotionis *omnis terra*, id est omnes habitatores terræ; *cantate*, id est bene de eo cogitate, quod ipsi canticum erit, *et exsultate* interius bene cogitando de eo, *et psallite*. Et exponit quomodo jubeat psallere, cum addit: *Psallite*, inquam, *Domino* Christo, id est cantate, et hoc *in cithara*, *in cithara*, id est in bona operatione membrorum vestrorum, quæ mortalia sunt inferioris naturæ quam anima, ideoque per citharam accipiuntur, quæ e inferiori sonat, et corio mortuorum animalium supervehitur. Bis autem ponit *in cithara*, ad inculcationem exhortationis: Psallere quidem Deo in officio membrorum, est manum ad eleemosynam extendere, pedem ad aliquod opus bonum movere, et cætera talia, *et psallite* et *in voce psalmi*, id est bonæ operationis, scilicet in voce exteriori concordanti bonæ operationi. Quod est dicere: Bene agendo, voce oris alios ad bene agendum exhortemini. Et *psallite in tubis ductilibus*, id est in officio tubarum ductilium, sic, scilicet ut sitis tubæ manifestæ prædicantes, ad modum tubæ manifeste sonantis. Et non sitis qualescunque tubæ, sed ductiles, id est non contracti ictibus tribulationum, sed extensi magis et magis in amplitudinem dilectionis: ad modum tubæ ductilis, quæ cum fiat ex auro vel argento percutiendo extenditur. Tuba vero ductilis esse Apostolus apparebat, cum diceret: « Quando infirmor, tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XII, 10). » *Et psallite in voce tubæ corneæ*, in voce prædicationis procedenti sic ex vobis, ut sitis tuba, id est manifeste prædicantes, et cornea, id est in carne manendo non secundum carnem militantes, ut pro terreno commodo militetis; sed carnalia superexcedite, et ad cœlestia spectate, et rigidi in constantia estote, ad similitudinem cornu, quod in carne manens, eamdem carnem excedit, et cum rigidum sit, ad altum tendit.

Hoc autem præmonstratum est in priori populo Judæorum, qui in diebus festis clangebat tubis ductilibus et corneis. *Jubilate*, inquam, jubilo devotionis, et hoc *in conspectu regis Domini*, id est ideo quia meruistis esse in conspectu fidei illius qui rex est et Dominus de cujus conspectu valde jubilandum est. Quia vero posset objici, vere non jubilabunt, quia non poterunt, propter moris motionem, addit: Dico *jubilate*, et si mare motum fuerit contra vos, quæ curæ? *moveatur* satis per tribulationes *mare*, id est populus amaricans *et* non parva pars maris, sed *plenitudo*, id est multitudo *ejus* maris. Ne vero intelligeremus mare ad litteram, addit ut determinet, scilicet *orbis terrarum* moveatur. Ne vero ipsum orbem immobilem accipiamus, adhuc determinat. *Et*, id est scilicet illi moveantur infideles *qui habitant in* eo orbe. Hoc autem neque optatio est neque concessio, sed sarcasmos, id est hostilis irrisio. Dico moveantur, quod equidem curandum non est. Licet enim moveantur, *flumina* tamen, id est fideles qui a fonte Christi prodeuntes non deficiunt sicut flumina, a fonte quolibet orta indesinenter fluunt, *plaudent manu*, id est conjungent hic cum lætitia bona opera sua, et hoc *simul*, id est cum concordia. Quod est dicere: concordanter et exsultanter bene operabuntur. Et per hoc innuit quod propter commotionem non cessabunt interius a jubilatione, qui exterius impediri non poterunt ab operatione. Plaudere quidem est ex lætitia cum impetu manus conjungere. Dico quod *flumina plaudent* et ipsa eadem existentia *montes*, id est sublimia in virtutibus, *exsultabunt* in futuro, quæ exsultatio continget *a conspectu Domini*, id est a

www.kirjasto.sci.fi

præsentis visione Christi. Et vere eum conspicient corporaliter, *quia* ipse 391 *venit*, id est veniet corporaliter *judicare terram*, id est omnes homines. Et tunc quidem *judicabit orbem terræ*, id est perfectos, *in justitia*, remunerando eos, *et populos*, infideles, *in æquitate* juste damnando.

IN PSALMUM XCVIII.

Psalmi nonagesimi octavi titulus. *Psalmus David* prophetæ, agentis contra infideles Judæos irascentes de regno Christi, ostendens iram eorum inutilem et injustam. Inutilem quidem, quoniam nihil regno ejus ira eorum nocebit, cum sedeat super Cherubim et regnet jam in Sion, et in populis gentium. Injustam vero, cum adversus eum moveantur qui non est recens Deus, sed quem coluerunt Moyses, et Aaron et Samuel, et cuncti qui apud Judæos habentur auctorizabiles. Hoc autem ea intentione facit, ut eos ad hac ira revocet, tum quia injusta est, tum quia inutilis, et sic ad confitendum Deo Christo invitet. Agit autem more prophetico de futuro, per tempus præteritum.

Dominus Christus *regnavit*, id est regnum sibi obtinuit, calcata morte, et inde *irascantur* quantum velint *populi* Judæorum increduli. Hoc autem non dicit ad optationem, sed ad ipsorum irrisionem. Ac si diceret : Populi quidem irascuntur de ipsius regno, sed quæ cura ? irascantur quantum velint, ipse tamen regnat, et sine fine regnabit. Dominus, inquam, *qui sedet super Cherubim*, id est qui dominatur sublimibus spiritibus Cherubim, manens in eis secundum subtilitatem divinæ contemplationis. *Moveatur* igitur *terra*, id est ipsi populi Judæorum terreni, secundum terrenitatem inquietentur adversus eum ; non tamen ejus regnum, eorum adversatio poterit abolere, cum adeo potens sit, quod sedeat super Cherubim. Ostendit igitur in quibus regnet sic : Dico *terra moveatur*. Ipse tamen *Dominus* Christus *magnus* reputatur *in Sion*, id est fideles ex Judæis, qui jam sunt Sion, magnum regem eum esse cognoscunt, *et excelsus* est, id est omnipotens *super omnes populos*, fideles ex gentibus, id est gentes eum cognoscunt omnipotentem et super eas regnantem. Quia dixerat *irascantur*, ne videretur hoc optative dixisse, addit : Quamvis dixerim *irascantur populi*, tamen potius opto Domine, *confiteantur nomini tuo magno*, quod est Dominus, scilicet desistant ab hac ira, et fidem habentes honorent te laude, quia vocaris eorum Dominus ; et necessarium est, *quoniam* hoc nomen *terribile* est, id est metuendum impiis, et *sanctum*, id est amabile, jucundum bonis. Audiendo enim eum esse Dominum omnium, de nequitia sua metuunt impii damnationem ; justi vero de justitia sua remunerationem exspectant. Sanctum pro amabili ponitur, eo quod illud omne quod sanctum est dignum est amari. Dico *confiteantur*, id est laudent et honorent nomen tuum, et quia *honor* tui, *regis diligit*, id est exigit *judicium*, id est confessionem peccatorum, scilicet ut se ipsos judicent peccatores, et de peccatis pœniteant. Aliter enim non recte Deum honorarent. De hoc vero judicio sunt ipsi inexcusabiles. *Tu* enim, nisi ipsi duritia incredulitatis obstiterint, *parasti*, id est parabis, per gratiam, *directiones*, scilicet tu eos qui per infidelitatem sunt distorti, directos facies.

Exponit ergo quas *directiones* in eis *parabit*, cum addit : Scilicet *tu fecisti* id est facies *in* eis factis *Jacob*, id est luctatoribus per inoperantem gratiam, *judicium*, ut se reos in conscientia judicent, et postea *justitiam*, ut in virtutibus et operibus justificentur. Vel ostensio a simili sic esse potest : Dico quod *honor regis* diliget *judicium*, quod quidem judicium nisi ipsi repugnaverint, in eis per gratiam parabis. Et inde hoc comprobatur, quia *tu* jam in multis aliis factis Sion *parasti directiones* 392 cum distorti essent, scilicet *tu fecisti* in eis *judicium et justitiam*. Facta optatione ad eosdem de quibus optavit. Apostropham exhortationis sic facit. Opto quidem, o Judæi increduli, ut Deum bona confessione exaltetis, et videte ut sic faciatis. *Exaltate*, scilicet fide, et devotione, et opere *Dominum* Christum non recentem *Deum*, sed existentem Deum *nostrum*, qui prophetæ sumus. Quia vero dixerat *Deum*, ne videretur velle ut tantum ejus divinitas exaltaretur, addit : *Et adorate*, id est summo cultu veneramini, *scabellum pedum ejus*, id est corpus ejus, *quoniam sanctum est* in omni perfectione. Sedes quidem divinitatis, anima dicitur ; scabellum vero pedum, ejus corpus, quia cum in utroque deitas spiritualiter inhabitet, superior tamen in dignitate est anima, corpus autem inferius. Sicut sedes alicujus superior est, et scabellum inferius, cum in utroque sessor inhabitet. Et bene *scabellum pedum* dicit, ut innuat ibi divinitatis esse habitationem, a similitudine sedentis qui super scabellum illud existit ubi pedes tenet. Unde Dominus in Evangelio, « Nolite, inquit, jurare per cœlum, quia Dei sedes est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est (*Matth.* v, 35). « Quid ergo per cœlum competentius, quam anima Domini Jesu, omnem supercœlestem creaturam dignitate superexcellens, accipitur ? per terram vero caro ejus terrena recte designatur. Quapropter etiam dum oramus, terram osculamur in signo carnis Christi, quæ de terra creata fuit.

Quoniam autem Dominum Christum Deum asseruerat, hoc auctoritate Moysi et cæterorum confirmat, sic : Adhortor vos ut Deum exaltetis quod utique faciendum est. Dignus enim est exaltatione, cum recens Deus non sit. Nam *Moyses et Aaron* quos auctorizabiles habetis, fuerunt *in sacerdotibus*, id est in numero sacerdotum *ejus*. Cum dicit *in sacerdotibus*, multos cum habuisse sacerdotes innuit. Notandum autem Moysen non fuisse sacerdotem, sed ideo in sacerdotum numero ponitur, quia pro populo sacrificasse legitur et orasse, quod ad sacerdotes quidem attinebat. *Et Samuel*, propheta contemporaneus meus, non parvæ auctoritatis apud vos existens, est *inter eos*, id est in numero eorum, *qui invocant nomen ejus*, quod est Dominus, id est qui

in puritate fidei eum Dominum vocant. Ne vero objiceretur quæ cura, si eum invocaverunt, quia forsitan decepti fuerunt, addit : *Invocabant* Christum, inquam, *Dominum, et ipse*, qui simplex homo videtur vobis et impotens, *exaudiebat eos* Moysen et Aaron, ut impetrarent, et *loquebatur eis in columna nubis*, id est in officio columnæ nubis, vel existens in columna nubis, qui tamen erat ubique, non localiter. Legitur enim Dominus eis ad ostium tabernaculi de columna nubis locutus fuisse (*Exod.* XXXIII, 9), quæ eos ab æstu diei refrigerabat. Utrum autem per angelos, an quolibet alio modo locutus eis fuerit, certum non habetur. Per columnam nubis congrue Christi humanitas præsignabatur, quæ nobis ab incentivis vitiorum refrigerium contulit, per quam nobis divinitas locuta esse creditur, Apostolo dicente sic : « Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis novissime locutus est nobis in filio (*Hebr.* I, 1). »

Convenienter etiam humanitas columna dicitur, eo quod admodum columnæ firmissimum sit fidei nostræ sustentaculum. Dico quod *loquebatur ad eos*. Ipsi vero *custodiebant* credulitate *testimonia ejus*, id est firmas promissiones ejus, post longum tempus futuras, quas eis cum juramento testabatur, et *custodiebant* per completionem *præceptum* omne ejus testimonio quod superius dixit. Dico *Deus exaudiebat eos*, et etiam inde mihi testis es quia verum dico. *Tu* enim, *Domine* Christe *Deus noster*, non recens *exaudiebas eos, et tu propitius fuisti eis*, remittendo peccata. Ne vero objiceretur : Ideo propitius fuit, 393 quia ulcisci non potuit, addit : Et licet in omnibus peccatis remittendis esses propitius, tamen fuisti *ulciscens in omnes adinventiones eorum*, id est omnia peccata eorum quæ non ex te habuerunt, sed ipsi invenerunt, ultus es per hoc quod eos in terram promissionis non permisisti introire. Per hoc autem innuit, omnia peccata vel hic vel in futuro esse punienda. Hic quidem, per compunctionem et carnis multimodam afflictionem ; in futuro vero, per æternam damnationem. Et per hoc incredulos quidem deterret. Auctoritate Moysi et cæterorum apposita, exhortationem repetit sic. O Judæi increduli, dixi quod Moyses et Aaron Dominum Christum coluerunt, ideoque eorum auctoritate convicti, *exaltate* fide, ore, et opere *Dominum* Christum *Deum vestrum*, non recentem. Ne vero videretur humanitatem removere, addit : *Et adorate*, id est supremo cultu veneremini eum *in monte sancto ejus*, id est in adoratione humanitatis, quæ est mons sanctus in omni bonitate. Quod est dicere : Venerando humanitatem, veneremini deitatem. Aliter enim non procederet. Necesse est autem ut montem ejus adoretis, *quoniam sanctus* ille mons est, *Dominus Deus noster*. Quod est dicere : Ideo est humanitas adoranda quoniam deitas et humanitas sunt una eademque persona.

IN PSAMMUM XCIX.

Psalmi nonagesimi noni titulus. *In confessione Psalmus David*. Quod sic exponitur. *Psalmus* iste est *David* prophetæ factus *in confessione*, id est in exhortatione confessionis divinæ laudis. Et bene quidem dicitur *psalmus in confessione*. In hoc enim psalmo Propheta omnes homines ad Domini laudem confitendam invitat quandoquidem, ut in superiori psalmo ostensum est, jam sibi regnum obtinuit.

Jubilate Domino, omnis terra. Quasi dicat : Quandoquidem Dominus Christus regnavit, vos omnes populi terræ, tam Judæi quam gentes, *jubilate* illi *Domino* interiori jubilo intensæ devotionis. Et quia solum jubilare non sufficit, *servite* eidem *Domino* complendo quod præcipit ; et hoc non inviti ut prior populus Judæorum fecit, et sicut adhuc mundanis dominis servitur cum tristitia, sed *in lætitia*. Illi etenim servire, est regnare. Non sic autem dico *in lætitia servite*, ut exterius lætitia simuletur, interius autem tristitia habeatur, sed existentes *in exsultatione*, id est in lætitia, *introite* secretum conscientiæ vestræ. Quod est dicere : Interius lætitiam illam habete. Unde Dominus in Evangelio. « Cum oraveris, intra in cubiculum tuum (*Matth.* VI, 6), » scilicet in conscientiam. In exsultatione dico habita *in conspectu ejus*, id est in beneplacentia ejus. Quod est dicere : Quæ lætitia interior bene placebit Deo, aliter enim non placeret. Et serviendo in lætitia, *scitote quoniam Dominus* Jesus *ipse est Deus*, qui simpliciter homo visus est incredulis. Et inde Deus comprobabitur, *quoniam ipse fecit*, id est creavit *nos, et* sic quod *ipsi non creavimus nos*. Quod dicit, non *ipsi nos*, ad determinationem primæ creationis ponit, in qua nihil operamur. In secunda enim creatione, cum a Dei gratia in sanctitate creamur, nosmetipsos per liberum arbitrium in eadem sanctitate creamus. Et etiam *scitote quoniam* sumus *populus ejus, et oves pascuæ ejus*. Quod est dicere. Hoc quod sumus *populus*, id est rationabiles per eum sumus. Populum enim dicimus, non collectionem irrationabilium animalium, sed rationabilium. Et hoc quod sumus *oves*, id est simplices a malo sicut oves, per eum est, et sumus *oves pascuæ ejus*, quas scilicet ipse pascit et terreno cibo et spirituali.

Et ideo vos omnes homines existentes *in confessione* laudis 394 ejus, *introire portas ejus*, id est conformitatem apostolorum et prophetarum, qui portæ sunt per doctrinam per quas ad eum introimus. Quod est dicere : Laudate eum ore, fide et opere, ad conformitatem prophetarum et apostolorum. Et *introite atria ejus*, id est amplitudinem charitatis, quæ per atria designatur, eo quod ampla sint. Et postquam in atriis fueritis, nolite deficere, sed *confitemini illi in hymnis*, id est laudate illum in gratiarum actionibus, nihil vobis ascribentes, sed quidquid boni in vobis est, ei attribuentes. Vel sic : In confessione peccatorum existentes *introite portas ejus*, id est initia accessus ejus. Quod est dicere : Per peccatorum confessionem accedite ad eum ; a similitudine illius, qui ad domum accedens, prius portas ingreditur. « Initium enim sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10.) Per timorem enim, ve-

www.abbodi.com.ar

nitur ad confessionem. Et postquam *portas* introieritis, facti *atria ejus*, in quibus spiritualiter inhabitet, id est ampli in charitate et omni virtute, ad similitudinem atriorum, *confitemini illi in hymnis*, id est laudate illum in gratiarum actionibus. Et *laudate nomen ejus*, quod est Dominus. Quod est dicere : Non sit vobis odiosum, sed laudabile, quod Dominus vocatur, quoniam, licet sit Dominus, et potestatem habeat opprimendi, tamen *suavis est*. Et in hoc scilicet suavis, *quoniam misericordia ejus*, quam generi humano exhibet indulgendo, duratura est *in æternum, et veritas ejus*, id est vera promissio justitiæ ejus, qua promisit eum qui justus est adhuc esse hic justificandum, et in futuro esse remunerandum, duratura est *usque in generationem* ultimam hujus vitæ, usque ad quam semper justos magis justificabit *et* usque *in generationem*, id est usque in generationem in die judicii futuram, in qua eosdem justos digne remunerabit.

IN PSALMUM C.

Psalmi centesimi titulus. *Psalmus David prophetæ*, ostendentis quam innocenter et juste se habuerit in sua prælatione. Et hoc non dicit intentione jactantiæ, sed ad instructionem prælatorum, ut exemplo ejus, et ipsi se innocenter habeant, et juste in sua prælatione vivant.

Misericordiam et judicium tibi attribuens *cantabo*, id est cum delectatione, hoc aliis annuntiabo, *Domine* Jesu Christe. Ac si dicat : Multi prælati te solummodo misericordem considerantes, non justum judicem, et peccata punientem, non puniendo subditos, eorum peccatis consentiunt, quæ jam ipsimet operantur. At ego sic te reputans misericordem, ut etiam cognoscam esse castum judicem, hoc aliis ad instructionem cantabo, id est cum cantico aliis annuntiabo. Et non solum hoc *cantabo*, sed etiam *psallam*, id est bene operabor. *Et* existens *in via immaculata*, id est in innocentia, quæ via erit ad vitam, per hoc *intelligam, quando venies ad me*, in futuro per remunerationem. Ac si diceret : Non hic remunerari exspectabo, sed in futuro propter bonam operationem. Juxta illud : « Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan* XIV, 23). » Vel sic *psallam*, id est bene operabor, et *in via immaculata*, id est in innocentia existens *intelligam*, id est intellectum rationabilem habebo, quid sit agendum et quid fugiendum, et hoc erit, *quando venies ad me*, non localiter, sed per inoperantem gratiam. Quod est dicere : per hoc *psallam et intelligam*, quod *in me venies*. Ostendit autem se prius innocentiam habuisse sic : Dixi : *Cantabo misericordiam et judicium*, et quando hæc cantare disposui, ego jam existens *in innocentia cordis mei*, id est in innocentia bonæ cogitationis, non solummodo innocentia bonæ 395 operationis *perambulabam*, id est valde promovebar in ipsa innocentia. Innocentia dico ad instructionem proposita, *in medio domus meæ*, id est in manifesto familiæ meæ. Quod est dicere : A Quam innocentiam propalavi ad hoc ut familiæ meæ darem exemplum innocentiæ.

Ostensa innocentia quantum in se, ostendit quoque alterius injustitiæ se non consensisse sic. Non solum *in innocentia perambulam*, sed etiam *non proponebam ante oculos meos* interiores, *rem injustam*, id est injustam operationem alterius. Quod est dicere : non placebat mihi alterius injusta operatio, imo etiam *odivi facientem prævaricationes*, id est injustas operationes. Nam injusta operatio, mandati Dei prævaricatio est, ideoque odio habenda. Non solum vero non consensi pravæ alterius operationi, sed etiam quod majus est *non adhæsit mihi* per consensum *cor pravum*, id est prava voluntas alterius. B Quod est dicere : Si alicujus comperi pravam voluntatem, *non adhæsit mihi*, ut ei consentirem. Et non solum hoc erat de extraneis, sed et si quis mihi familiaris a bona voluntate mea, per malam voluntatem declinaret, non solummodo eum odio habebam, sed et *non cognoscebam*, id est sic me adversus eum habui, aspere redarguendo, quasi eum non cognoscerem. Non tantummodo vero odio habebam magnas *prævaricationes facientes*, sed quod parvum videtur, licet magnum sit, *detrahentem proximo suo*, et non publice, sed *secreto*, quod levius, non solummodo odio habebam, sed quod majus est, *persequebar*, aliquando puniendo, aliquando redarguendo. Et etiam *oculo* existentem *superbo* odiebam, non solum superbo actione, scilicet illum qui etsi superbe non C operaretur, tamen superbus in oculorum respectu notabatur. In oculis enim aliquando superbia cognoscitur. *Et* etiam odio habebam existentem *insatiabili corde*, id est avarum qui nunquam census copia saturatur, vel invidum qui nunquam alterius malis satiatur. Et non solum eum odio habebam, sed et *cum hoc non edebam* corporaliter. Et per hoc innuit quia nullam cum eo habebam conversationem. Unde Dominus in Evangelio : « qui amat patrem suum et matrem plusquam me, non est me dignus (*Matth.* X, 37). »

Dico quod *superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam*. Cæterum, quia non sufficit malos odio habere, nisi etiam boni diligantur, *oculi mei* D interiores, id est respectus beneplacentiæ meæ, sunt *ad fideles terræ*, id est regni mei. Quod est dicere : Fideles et boni regni mei mihi placent, ut non privem eos honore prælationis, sed *ut sedeant*, id est maneant mecum in regno. Quod est dicere : Fideles prælati mihi placent, ut nullatenus honere privati mecum regnent. Dico quod *oculi mei* sunt *ad fideles terræ*, et hoc jamdiu fuit quod *ambulans*, id est perseverans *in via immaculata*, id est in innocentia, *hic mihi ministrabat* in administratione reipublicæ, scilicet illum qui erat innocens, constitui ministrum meum, ut sub me existendo minoribus fideliter præsideret. Dico quod existentem superbo oculo odio habebam, et adhuc odio habebo; ille enim *qui facit superbiam*, id est superbam actionem unquam, *non habitabit in medio domus meæ*, id est non dominabi-

tur familiæ, a similitudine prælatorum, in medio domus existentium. Vel, *non habitabit in medio domus meæ*, id est, non manisfestabitur in communitate familiæ meæ. Quod est dicere : Nullius superbus erit unquam mihi familiaris. Et ille, *qui loquitur iniqua*, id est adulationes, *non direxit* unquam se, id est non fecit adulando se beneplacitum *in conspectu oculorum meorum* interiorum. Quod est dicere : Nullus adulationibus suis considerationi rationis meæ placuit, sicut de more mundanis dominis placent adulatores. Linguæ enim adulantium alligant animas in peccatis. 396 Dixi quod *detrahentem* et existentem *superbo oculo. et insatiabit corde persequebar*, et, ut universaliter dicam, ego existens *in matutino*, id est in claritate innocentiæ et perfectionis omnimodæ *interficiebam*, id est interficere desiderabam *omnes peccatores terræ*, id est regni mei secundum quod peccatores erant. Et hoc ideo, *ut disperderem de civitate*, id est de populo *Domini* cui ego præsidebam, *omnes operantes iniquitatem*. Quod est dicere : Sic eos interficere desiderabam ut nullus eorum in populo Domini manens operaretur iniquitatem, sed omnis iniquitas esset in eis destructa, et bonitas ædificata. Notandum sane, cum dicit : *Persequebar detrahentem, et cum hoc non edebam, et peccatores interficiebam*, convenientius imperfectum quam præteritum posuisse. Per hoc enim innuit se jam diu incœpisse, et nondum finisse, sed adhuc in hoc eodem persistere.

IN PSALMUM CI.

Psalmi centesimi primi Titulus. *Oratio pauperis cum anxius fuerit, et coram Domino effunderit precem suam*. Quod sic exponitur : Psalmus iste est *oratio pauperis*, id est in hoc psalmo orat Christus, pauper pro nobis factus, cum dives esset, ut per ejus paupertatem divites efficeremur (*II Cor.* VIII, 9). Ostendit autem in psalmo paupertatem suam, ubi dicit : *Dies mei sicut umbra*, etc. Dico quod *oratio* hæc est *pauperis* Christi, facta *cum* hoc esset, quod *fuerit anxius*, id est sollicitus de perditione generis humani, *et* cum hoc esset quod *effuderit*, id est quod cognoverit se effusurum hanc *precem suam coram Domino* Patre, id est in beneplacentia Domini Patris. Quod est dicere : Ideo hanc orationem fecit, quia sollicitus erat de defectu et perditione generis humani, et quia cognovit placere Domino Patri, ut hanc precem pro salute hominum effunderet. Notandum quod ibi se innuit anxium de salute hominum esse, cum sic pro eis orat, quasi pro se. Ibi vero hanc orationem Domino placaret innuit, ubi in sequentibus enuntiat futuram esse hominum reparationem, pro qua in principio psalmi orat. Ea vero intentione pro eis orat, et beneficium reparationis hominum enuntiat, ut hac occasione devotos et benevolos eos qui per eum reparati sunt faciat, et per illam devotionem perveniant ad æternam salvationem.

Domine Pater, *exaudi orationem meam* ut impetrem. Quæ oratio non est remissa, sed est clamor intensus recta et intensa devotione factus. *Et* iste *clamor meus ad te veniat*, id est non patiatur repulsam, sed ad effectum perducatur, admissa a te, a similitudine legatorum, qui in thalamum Domini admittuntur. Exponit ergo quid oret, cum addit : *Non avertas*, etc. Quod sic exponitur. Cico *exaudi* clamorem orationis meæ, quæ oratio talis est. Scilicet oro *ne avertas* in futuro *faciem tuam*, id est præsentiam cognitionis tui *a me*, id est a meis, scilicet permitte eos in futuro ad beatitudinem cognitionis tui pervenire. Et ut facies tua in futuro ab eis non avertatur in hoc mundo, *in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam*, id est in quocunque tempore mei interius tribulantur a peccatis suis, *inclina* eis *aurem tuam*, id est fac eis condescendere misericordiam tuam, ut eos de hac tribulatione eripias, a similitudine medici, aurem ægroto inclinantis. Et bene ponit *in quacunque die* propter temporis diversitatem, ac si dicat : Cum in diverso tempore sint tribulandi, in quocunque tempore tribulabuntur, aurem eis pie inclina. Dico *inclina* ad meos aurem. Mei enim te in tribulationibus suis invocabunt, id est orabunt et voce et devotione. Et *in quacunque die invocavero te*, id est in quocunque tempore tribulationis, mei orabunt te, *exaudi me*, id est meos ut impetrent, et hoc *velociter*, id est indilate, in hac vita, scilicet ubi tempus est exauditionis. In futuro enim nullus exaudietur. Hoc autem idem est in sententia quod *inclina aurem*, nisi quia addit *velociter*, 397 et *in quacunque die invocavero te*. Et est ex affectiones nimia repetitum. Oro *ne avertas* ab eis in futuro *faciem*, et ut eis *aurem* inclines, ut de tribulatione eruantur.

Non solum autem hoc oro, sed et oro ut in immortalitem reducantur, *quia defecerunt sicut fumus dies mei*, id est dies vitæ meorum cito defectibiles facti sunt per Adam, ad modum fumi, cito deficientis. *Et* etiam oro ut ossa meorum corroborentur. Nam *ossa mea*, id est intellectualitas et liberum arbitrium quæ sunt ossa, id est fortiores partes animæ, meorum *aruerunt, sicut cremium*, id est vim suam per originale peccatum amiserunt, ad similitudinem cremii, in frixorio positi, et arendo vim pinguedinis suæ amittentis. Et vere defectibiles dies habent, et ossa arentia. Nam *percussus sum ut fenum*, id est mei a te percussi et multati, pœna peccati sunt facti defectibiles ut fenum, quod cito a virore deficit, *et cor meum aruit*, id est ossa cordis meorum aruerunt. Quod est dicere : Per hoc defectibilis est facta vita meorum, et ossa eorum interiora debilitata, quia eos percussisti mortalitate et excæcatione. Et non immerito sunt percussi, sed ideo quia *oblitus sum comedere panem meum*, id est mei obliti sunt comedere panem suum, scilicet obliti fuerunt in Adam refici pane suo ; id est obedientia divini præcepti, quæ eis esset panis salutaris. Quod est dicere : Merito inobedientiæ eorum, sunt a te percussi. Et illa oblivio comedendi panem contigit *a voce gemitus mei*, id est meorum. Dixit enim diabolus deceptorie :

« Si comederitis, eritis sicut dii (*Gen.* III, 5).» Quod est dicere : Ideo panem comedere sunt obliti, quia deceptoria vox diaboli eos decepit, per quam ad defectum devenerunt unde sæpissime gemunt. Notandum quod, cum eos merito negligentiæ suæ dicit esse percussos, ex hoc magis sibi reddit obnoxios, cum pro eis oret tantopere, qui percussi sunt merito suæ inobedientiæ. Cum autem per vocem diabolicæ suggestionis eos peccasse ostendit, locum eis veniæ facit. Si enim sine suggestione aliqua peccassent, indigni veniæ penitus essent, quemadmodum diabolus veniæ locum amisit, quoniam ex sola superbia peccavit. Dico quod oblivio contigit a voce diaboli, per quam vocem quoniam ei obedivire mei, *os meum*, id est rationabilitas meorum, quæ est os animæ, *adhæsit* per consensum *carni meæ*, id est carnalitati meorum. Quod est dicere : Hoc illa vox effecit, ut meorum intellectualitas a sensualitate superata sit. Hoc autem idem est quod superius dixerat, *aruit cor meum*, sed ex nimia, quam pro suis habet, anxietate est repetitum, ut citius hujusce rei salvationem impetret.

Ostensa percussione, et merito percussionis suorum ut veniam eis citius impetret, enuntiat quatenus pro eorum reparatione sit passurus, et resurrecturus, et in cœlum ascensurus, sic. Oro ut orationem pro miseria meorum factam exaudias, quæ quidem exaudienda est, ut ipsi reparentur. Nam ut ipsi reparentur, *similis factus sum pelicano solitudinis*, id est pelicano habitanti in solitudine. Nam sicut pelicanus avis est solitaria, sic et ego solitarius existo, dum solus in immunitate peccati persisto. Vel solitarius sum, solitarie de Virgine natus. Nulli enim alii contigit de virgine nasci. Sive etiam solitarius, solus scilicet per me resurrecturus. Nullus enim alius per se resurrexit, vel resurrecturus est. Unde alibi Psalmista : « Inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 6).» Similis quoque fiam pelicano, in sanguinis effusione, et in filiorum vivificatione. Pelicanus enim pullos suos, eo quod eum in faciem percutiunt, a physiologis dicitur interficere. Deinde autem eorum morte anxius, sanguinem sui lateris super eos effundendo reviviscere facit. Sic et Christus filios suos, scilicet omne genus humanum mortalitate damnavit, eo quod eum in faciem percusserunt, id est per inobedientiam Adæ nimis offenderunt, more eorum qui quoslibet in facie percutiunt. Postea quidem eorum morti compatiens, eos iterum sui sanguinis effusione 398 vivificavit. Non solum autem ero pelicano similis in sanguinis effusione, sed et ero *sicut nycticorax*, id est similis ero nycticoraci in morte. Sicut enim nycticorax avis, quæ vulgo dicitur noctis corvus, nocte volat, ita ego in morte manebo, et hoc quod ero nycticoraci similis continget *in domicilio*, et per domicilium, scilicet per superbiam Judæorum, quæ congrue per domicilium accipitur propter sublimitatem. Domicilium enim vocatur proprie tectum domus, quod superius est in domo. Et dicitur domicilium, quasi domus supercilium.

A Notandum quod, cum per Judæorum superbiam se interficiendum innuit, in hoc magis sibi obnoxios reddit, cum eorum partem ostendat postea per se salvandam, quamvis eum injuste morti dederint. Vel ero *sicut nycticorax in domicilio* habitans, sicut enim nycticorax avis nocturna in domicilio habitat, sic et ego per tres dies passionis meæ, *in domicilio* conservabor, id est in superba potestate Judæorum, quæ propter sublimitatem arrogantiæ per domicilium intelligitur, quod superius est in domo. Unde Dominus in Evangelio. « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ (*Matth.* XII, 40), » in potestate voluntatis B terrenorum Judæorum, scilicet. In alia translatione habetur *in parietinis*. Parietina vero domus parietes ædificiorum dicimus semirutos, et destructos. Unde etiam per parietina Judæi Christi occisores accipiuntur, qui, cum Dei ædificium esse debuissent, per superbiam et cætera peccata sua sese destruxerunt. Dixi quod pro reparatione meorum similis fiam pelicano, et etiam pro hac eadem causa *vigilavi*, id est a morte die tertia evigilabo, et post *factus sum*, id est fiam sicut *passer solitarius in tecto* nidificans, scilicet ero similis passeri solitario in tecto nidificanti. Sicut enim passer, relicto cæterarum avium consortio, solitarie in tecto conversatur, sic et ego, relicto corporaliter apostolorum consortio cœlos accendens cum Patre, regnum solitarium obti- C nebo. Non solum autem paravi, pro meorum reparatione me assimilare pelicano et nycticoraci, et passeri, sed etiam quoniam me ad hoc paravi, jam pro eorum reparatione patiebar, quod *tota die*, id est jugiter *exprobrabunt mihi inimici mei* Judæi. *Et* etiam hoc patiebar, quod illi inimicorum *qui laudabant me*, simulatorie dicendo : « Magister, scimus quia verax es (*Matth.* XXII, 16), » etc., *jurabant adversum me*, id est conjurationem faciebant adversum me, quomodo possent me laude sua decipere. Exponit ergo quare sibi exprobrabant, cum addit : Inde *mihi exprobrabant*, unde laudandus eram, quia scilicet *manducabam*, id est mihi incorporabam per doctrinam *cinerem*, id est peccatores pœnitentes, *tanquam* D *panem*, id est sicut discipulos meos. Vel sic : Quia jam mihi erant panis, id est jucunda refectio. Quod est dicere : Ideo me improperio dignum esse reputabant, quia sicut justos ita et peccatores pœnitentes mihi attrahebam; qui per cinerem intelliguntur, eo quod pœnitentes solebant cinerem super caput ponere, quod signum erat tristitiæ. *Et miscebam* in familiaritate mea *potum meum*, id est justos qui erant jucundus calix meus, *cum fletu*, id est cum peccatoribus pœnitendo flentibus. Quod est dicere : Et justos et peccatores familiaritati meæ mistim adjungebam. Hoc autem est quod et *cinerem tanquam panem manducabam*, alia similitudine ad inculcationem dictum.

Posset quæri : Unde eis tanta excæcatio ut sic tibi exprobarent ? Ad quod sic respondet : Hoc contigit

www.libtool.com.cn

a facie, id est a præsentia, *iræ*, id est parvæ pœnæ peccati, et, *indignationis tuæ*, id est magnæ pœnæ a te mihi datæ. Ira et indignatio pro pœna ponuntur, eo quod pœnæ causa soleant esse. Quod est dicere : Quia me videbant majorem et minorem pœnam peccati Adæ in corpore ferre, solum hominem existimantes, mihi im-
399 properare non dubitabant. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor*, II, 8). » Et vere et indignatio et ita tua sunt in me. *Quia* licet fueris me *elevans*, id est exaltans in innocentia, tamen *allisisti me*, id est læsisti. Ecce quomodo *allisisti* : Hoc modo, scilicet quoniam *dies mei sicut umbra declinaverunt*, id est dies vitæ defectibiles facti sunt ad modum umbræ cito transeuntis, ut cito transeam de ætate inætatem, quæ pœna tamen minor est quam passio angustiarum. Et hoc modo quoque *me allisisti*, quod *ego arui sicut fenum* scilicet non solummodo membra mea aruerunt, sed ego in propria persona arescibilis factus sum ad similitudinem feni, quæ pœna major est quam dierum defectibilitas. Sicut enim fenum cito arescit per secessionem a virore, sic ego secundum humanitatem per assiduas passiones arescibilis factus sum a virore impassibilitatis, quam homines per Adam amiserunt. Per declinationem dierum mortalitatem, per ariditatem autem innuit passibilitatem Vel sic legitur *a facie*, etc. Dixi quod *mihi inimici mei exprobrabant*, ideo quod *cinerem tanquam panem manducabam*, et hæc impietas eis contingebat *a facie iræ*, id est a præsentia iræ tuæ, quæ eos excæcaverat. Et non parvæ iræ, sed *indignationis*, id est nimiæ iræ. In Hebræo habetur *furoris*. Et ideo adhuc mihi exprobrant, quia videbant quod tu *elevans allisisti me*. Hæc et cætera non mutantur.

Facta oratione de reparatione suorum, ipsam eorum reparationem sic enuntiat per eum futuram, ut eos magis reddat obnoxios. Mei facti sunt defectibiles sicut fumus, et ossa eorum aruerunt, et ego pro eorum reparatione declinabiles dies habeo, et sicut fenum areo : *Tu autem. Domine* Pater, *in æternum permanes*, id est et Dominus es, et omnipotens et æternus. Ideoque potes mihi, et meis immortalitatem et impassibilitatem restituere. Nisi enim Dominus et æternus esses nequaquam hujus rei potentiam haberes. Notandum quippe quod, cum eum Dominum et æternum esse dicit, eumdem potentem esse ad dandam immortalitatem et impassibilitatem innuit, et per hoc immortalitatem et impassibilitatem sibi et suis promeretur. Dico quod Dominus es et æternus, ideoque potens æternitatem nobis donare. Non solum autem hujus rei possibilitatem habes, sed et *memoriale tuum*, id est misericordia tua quæ memoriale dicitur, eo quod digna est memoria hominum, vel per quam memor eris salutis hominum, erit *in generatione* hac, *et* usque in *generationem* ultimam, id est omnibus generationibus hominum. Quod est dicere : In omnibus hujus mundi generationibus misericordia tua hominibus exhibebitur, vel *in generatione et generationem*, id est in æternum, Quia vero obscure dixerat, *memoriale*, exponit hoc addendo sic : Vere *memoriale* tuum erit in omnibus generationibus.

Tu enim qui diu visus es jacens, et salutem hominum negligens, *exsurgens* ad salvationem *Misereberis Sion*, id est parti Judæorum salvandæ, remittendo ei peccata per pœnitatem et fidem, *quia* jam *venit tempus miserendi ejus*, scilicet tempus plenitudinis, quod ab æterno disposuisti, ut in eo ejus Sion miserearis : *Quia venit*, inquam, *tempus miserendi*. Hoc autem repetit ex nimia affectione salvationis suorum. Et per hoc *misereberis*, *quoniam servis tuis*, discipulis meis *placuerunt*, id est placebunt *lapides ejus*, Sion, id est Scripturæ prophetarum, qui fuerunt lapides, id est per doctrinam fuerunt lapides fundamenti, in quorum doctrina Ecclesia primitiva fundaretur, *et* ipsi servi apostoli doctrina lapidum Sion imbuti, *miserebuntur terræ ejus* Sion, id est illorum miserebuntur quia adhuc terra sunt in Judaico populo, id est terreni ; vel terra, id est cultibiles, ut terra doctrinæ semen in corde recipientes, *miserebuntur*, scilicet terræ ei doctrinam obscurissimam prophetarum
400 aperiendo, et per hoc ad fidem, et ad baptismi gratiam eam adducendo ; et iste versus totus est ac si sic diceret : Per apostolos Judaici populo misereberis ; per apostolos dico, qui eum testimonio prophetarum ad fidem vocabunt. Non solum vero Judæorum miserebitur, vocando eos ad fidem, sed *et gentes* per misericordiæ eorum doctrinam ad fidem vocatæ *timebunt* casto timore *nomen tuum, Domine*, scilicet venerabuntur fide et opere, et ore te, quem Dominum vocabunt, et non solum plebs, sed *et omnes*, id est omnismodi *reges terræ*, casto limore timebunt *gloriam tuam*, id est gloriosum, et hoc ideo, quia per prædicationem apostolorum testimonium prophetarum, et baptismi sacramentum ; *Dominus* qui solus dat incrementum (*I Cor*. III, 7), *ædificavit*, id est ædificabit, præteritum pro futuro propter certitudinem prophetiæ, ædificabit, dico, ex vivis lapidibus, *Sion*, id est Ecclesiam, quæ in Sion per Christi prædicationem, miraculorum operationem, et Spiritus sancti missionem initium habuit ; *et* ipse *Dominus* qui de sui natura est invisibilis, *videbitur* visibilis *in gloria sua*, id est in Filio, qui est sapientia et gloria Patris, sicut scriptum est. Quia filius sapiens est gloria patris (*Prov*. X, 1). Videbitur dico in filio qui ait : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan*. XIV, 9), » tunc scilicet, « cum venerit in majestate sua, et Patris et sanctorum angelorum (*Matth*. XXV, 31). » Tunc, inquam, videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt (*Apoc*. II, 7). » Ideo autem ipse Dominus Ecclesiam ædificavit, et Filium sum in carne visibilem tradidit.

Quia respexit non arrogantium superbientium Judæorum, qui in lege gloriabantur, credentes per eam justificari. Sed *in orationem humilium* patri-

www.libtool.com.cn

archarum scilicet prophetarum, et aliorum fidelium, qui Spiritu S. pleni, ejus adventum in carne credebant, sperabant et desiderabant, et in suis orationibus humiliter requirebant; ut ad reparandam humanam naturam in mundum veniret, mortis vincula solveret, et vitæ aditum, quem primi parentis culpa clauserat, aperiret, dicentes: « Utinam dirumperes cœlos et descenderes (*Isa.* LXIV, 1). » « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ (*Isa.* XVI, 1). » « Mitte, Domine, quem missurus es (*Exod.* IV, 13). » « Domine, inclina cœlos tuos et descende *II Reg.* XXII, 10). » « Veniens veni et noli tardare (*Habac.* II, 3). » « Ostende nobis misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis (*Psal.* LXXXIV, 8), » et his similia. In istorum itaque orationem respexit, *et non sprevit precem eorum*, quia eum in quem credebant, quem sperabant, et quem in suis orationibus cum tanto desiderio requirebant, misit, et eis qui deprecabantur, indulsit. Et quia hæc quæ dicta sunt quod scilicet *respexit Deus in orationem humilium* per ejus incarnationem, quod ædificavit Ecclesiam per ejus prædicationem et passionem, et quod videndus est, in gloria post futuram resurrectionem, magna sunt et memoratu digna; ne per ingratitudinem oblivioni mandentur, *scribantur* ad perpetuam rei memoriam *in generatione altera*, id est utilitatem alterius generationis, quæ tunc successura erat perversæ generationi Judæorum: cui Dominus ait: Generatio incredula, quandiu apud vos ero, quandiu vos patiar (*Marc.* IX, 19); ad utilitatem scilicet generationis Christianæ de qua sequitur: *et populus* gentilis prius peccatis mortuus, *qui creabitur* per lavacrum regenerationis, ut nova sit creatura, *laudabit Dominum*, novo cantico, propter novum hominem, qui datus est mundo, eum corde credendo, ore laudando, et operibus confitendo. Hæc, inquam, generatio *laudabit Dominum*, *quia* ipse Dominus qui « alta a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVII, 6), » non solum Judæos qui prope esse videbantur, sed etiam gentiles *prospexit*, id est de procul aspexit: *de excelso* scilicet *sancto suo*, dum per ejus incarnationem visitavit nos oriens ex alto, quod evidentius exponit, cum subjungit: *Dominus de cœlo in terram aspexit*, dum de regalibus sedibus in uterum Virginis venit (*Sap.* XVIII, 15). Hæc est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea paccati contagione libera, per quam vitæ viam agnovimus, et promissam veritatem accepimus. Quæ quia digna fuit, *Dominus de cœlo in terram aspexit*.

Sed ad quid? *Ut audiret*, inquam, *gemitus compeditorum*, 401 id est gemebundas preces eorum, qui pro peccato primi parentis in inferno compediti, tenebantur vinculis tenebrarum; quos Christus in triduo ad inferna descendens, solutis mortis vinculis liberavit. Vel *ut audiret gemitus compeditorum*, id est eorum, qui a diabolo tenebantur compediti consuetudine peccandi. Ad hoc enim specialiter Christus venit in mundum, ut mortuos liberaret ab inferis, et ut vivos solveret a peccatis. Unde sequitur, *et solveret filios interemptorum*, id est primorum parentum, qui fuerunt interemptores, et interempti, quia causam interemptionis, id est originale peccatum ad filios transmiserunt. Sicut dicit Apostolus: Quia per unum hominem, id est per Adam et Evam qui sunt duo in carne una (*Gen.* II, 24), mors introivit in orbem terrarum (*Rom.* V, 12). Et ideo *Dominus de cœlo in terram aspexit*, ut imitatores eorum qui fraude diaboli sunt perempti, a paternis erroribus liberaret. Ad hoc scilicet *ut annuntient in Sion*, id est in Ecclesia militante, *nomen Domini*, quod est super omne nomen admirabile (*Philip.* II, 9), nec est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri (*Act.* IV, 12); *et* ut annuntient: Dico, *laudem ejus*, Domini scilicet *in Hierusalem*, id est in Ecclesia triumphante. Ideo autem dicit nomen ejus in Sion annuntiandum, et laudem ejus in Hierusalem, quia Sion *speculatio*, Hierusalem *visio pacis* interpretatur. In præsenti autem Ecclesia, Deum videmus per speculum et in ænigmate. In cœlesti vero videbimus eum sicuti est. Nunc cognoscimus ex parte. Tunc autem cognoscemus sicut et cogniti sumus (*I Cor.* XIII, 9. 12). In præsenti virtutem divini nominis speculantes intelligimus, in futuro laudis ejus præconia pacem videntes attollemus.

Non solum autem prædicta fecit ut annuntietur *in Sion nomen Domini*, *et* laus *ejus in Hierusalem*, verum etiam *in conveniendo populos* Judaicum, scilicet et gentilem, *in unum* cultum scilicet et unam fidem, ut sit « unum ovile et unus pastor (*Joan.* X, 16). » Sicut « unus Deus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV, 5), « *et* in conveniendo etiam *reges* terræ, non solum eos qui populis præsunt, sed etiam eos qui seipsos et suos affectus et animi motus bene regunt: *ut serviant Domino*, illi scilicet de quo scriptum est: « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Deut.* VI, 13), » cui servire, regnare; et: qui « habet in vestimento et in femore ejus scriptum: Rex regum et Dominus dominatium (*Apoc.* XIX, 16). » His itaque beneficiis Ecclesia provocata, et in amorem æternitatis accensa, *respondit*, non tam voce quam corde, non tam verbo quam desiderio, non tam lingua quam vita, *ei* Domino, scilicet gratulando et obsequendo præceptis ejus *in via virtutis suæ*, id est in illis qui jam sunt, viam virtutis suæ et perfectionis aggressi postulans, et implorans ingenti desiderio æstuando, ut indicet ei utrum sit post paucos ad cœlestis beatitudinis patriam perventura, dicens *paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, id est indica mihi utrum ego paucis diebus debeam in hoc peregrinationis exsilio manere. « Cupio enim dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I, 23), » et ad regnum cœleste pervenire desidero, jugiter orans ut adveniat regnum tuum (*Matth.* VI, 10) Ne quis autem putaret quod, propter paucitatem dierum quam optat ante finem sæculi, esset Ecclesia finienda, subjunxit, et ait: *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*, id est ante finem sæculi,

www.libtool.com.cn

quod est tempus statutum durationis Ecclesiæ, cum promiserit Christus fidelibus suis, quod cum eis esset cunctis diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). Tempus autem medium est, quod inter duo consistit extrema, inter finem scilicet præsentis sæculi, et initium futuri. Non igitur ideo desidero paucitatem dierum, ut ante finem sæculi esse desinam, sed ut finis sæculi appropinquet. Et ut sim tecum in annis æternitatis, quoniam *in generationem et generationem anni tui*, qui nunquam deficiunt, quia nec principium habent neque finem, ubi nihil mutabile, nihil præteritum, nihil futurum, et ubi sancti perpetua cum Domino jucunditate gaudebunt.

Hæc, inquam, sunt, quæ in militante 402 Ecclesia Christianus populus tibi respondebit, et hoc non ex se erit, sed ex te ; *tu* enim *fundasti terram in initio*, id est minores illius populi qui erunt responsuri, terram tuam fundabis, et firmos facies in constantia per initium, id est per me qui sum initium et finis omnium. *Et cœli*, id est altiores et digniores illius populi, hoc quod erunt cœli, erunt *opera manuum tuarum*, id est operationes gratiæ tuæ scilicet hoc quod cœli erunt, erit per operationes gratiarum tuarum. Et necesse est ut ipsi cœli tibi respondeant. *Ipsi enim* cœli *peribunt* corporea morte, vel respondeant vel non, ac si diceret : Cum ipsi sint necessario perituri, insani essent si hanc vitam perituram pro te amittere dubitarent. Dico quod *ipsi peribunt*, *tu autem*, id est sed tu *permanes* in æternum. Ideoque potes ei æternitatem dare. Quod eum æternum dicit, ad hoc facit, ut eos magis ad respondendum alliciat. Dico quod *ipsi peribunt*, et non pauci, sed *omnes veterascent sicut vestimentum*, scilicet sic paulatim inveterando deficient, ut vestimentum quod inveteratur, et ad defectum pervenit, et ideo adhuc necesse est ut tibi respondeant, quia si hoc fecerint, *eos* existentes veterascibiles, et defectibiles, *sicut opertorium* aliquod, *mutabis* in futuro de defectibilitate in æternitatem, *et* sic, id est per te *mutabuntur*. Aliter enim non mutarentur. *Mutabuntur* idem est quod *et mutabis eos* ; sed ideo est repetitum, ut innuat quia per se mutari non possunt. Dico quod ipsi *mutabuntur* ; *tu autem*, id est sed tu *idem ipse es*, id est incommutabilis es. Ideoque potes eos facere incommutabiles, *et* non ad horam es incommutabilis ; sed *anni tui deficient*, id est æterni sunt. Hoc autem superius dixit, ubi dixit : *Tu autem permanes*, sed repetit ut sic addat. Dico quod *anni tui non deficient*: quos annos *habitabunt*, id est obtinebunt *filii*, id est bona opera *servorum tuorum*, quæ ex se parient more filiorum, quod est dicere : Bona opera causæ erunt, quare servi tui annos tuos obtinebunt. *Et* ut possint per bona opera habitare, *semen eorum dirigetur*, id est ipsa opera quæ hic seminant dirigentur de bono in melius semper, donec perveniant *in sæculum* futurum. Hoc autem quod filios servorum habitare dicit, præfiguratum per Judæos de Ægypto egressos, quorum filii terram promissionis habitaverunt, quam nunquam habitassent, nisi a Moyse, et a cæteris ductoribus directi fuissent.

IN PSALMUM CII.

Titulus centesimi secundi. *Psalmus ipsi David* attribuendus, id est Christo, non quod hic Christus agat, sed quoniam unusquisque fidelis qui hic agens inducitur, exhortatur animam suam ad benedicendum Deo bona devotione, contuitu beneficiorum, quæ hic fidelibus dat, et in futuro daturus est, quæ etiam ostendit. Et hoc ea intentione facit, ut exemplo sui alios ad benedicendum Deo impellat. Et bene superiori psalmo subjungitur, ut ideo sese ad Christo benedicendum adhortetur, quoniam in superiori psalmo eum de salute suorum satagentem audivit.

Benedic, *anima mea*, *Domino*, Christo, ac si diceret : Quandoquidem, ut in superiori psalmo ostensum est, pro te oravit et mortalis factus est, et tibi benedixit, dum te sua morte reparavit, o *anima mea*, *benedic* ei, id est magnifica cum interiori devotione. Non dicit de anima, quin et corpus, benedicere debeat laude vocis exterioris, sed ubi anima vere Deum benedixit, non est dubium corporis benedictionem, si oportuerit esse. Et non sic anima mea benedicat, ut in aliqua virium suarum repugnet, sed *omnia quæ intra me sunt*, id est et sensualitas mea et intellectualitas, et liberum arbitrium, et omnes vires, quæ sunt in anima mea benedicite *nomini sancto ejus*, quod est Dominus; ac si dicat: Exaltate eum ipsi in omnibus obediendo, et hoc contuitu nominis sancti ejus scilicet quia Dominus et Omnipotens dicitur, quod nomen sanctum est, id est amabile. Repetit autem ut addat sic : *Benedic*, inquam, *anima mea*, *Domino* Christo, *et* ut materiam habeas ei semper benedicendi, *noli oblivisci* 403 *omnes retributiones ejus*, id est memoriæ commenda beneficia, quæ tibi jam retribuit, et in futuro retribuet ; licet eum graviter offenderis, et pro offensis juste posset æternum damnationem retribuere. Exponit igitur has retributiones, sic. *Retributiones ejus* dico, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, et originalibus et actualibus, remittendo eas, et iniquitatibus remissis *sanat* etiam *infirmitates tuas*, id est debilitates, quas habes ad bene operandum ex pravis consuetudinibus peccandi. Postquam enim aliquis a peccato cessat, ex ipsis peccatorum consuetudinibus ad bene operandum debilis est, et ignavus more infirmi, qui postquam diuturnam infirmitatem evaserit, longo tempore debilis est ad operandum. Quas debilitates Deus paulatim sanat, cum ad bonorum operum consuetudinem eos habiles faciat. Et *qui* Dominus etiam *redimit*, id est redimet pretio mortis suæ *vitam tuam de interitu*, id est ne sit obnoxia æterno interitui damnandorum. Et sciendum quod omnes semel in cruce positus redemit, sed cum dicitur quod nunc *redimit* aut *redimet*, idem est ac si diceret : Per pretium redemptionis, quod jam dedit, salvandos, et in præsenti statu cum moriantur, et

www.libtool.com.cn

alios in futuro cum morientur, ab interitu æterno A eripit, et eripiet, ne in æterna morte cruciatus vivant cum damnandis. Et *qui* Deus *coronat*, id est coronabit *te* corona beatitudinis æternæ. Et hoc *in misericordia*, id est per misericordiam naturalem, *et in miserationibus*, id est per miserationes sæculi coronabit te propter bona opera quæ agis, quæ sunt miserationes ejus, id est beneficia misericordiæ ejus. Beneficia quippe misericordiæ ejus sunt, quod hic quilibet bona opera agit.

Et *qui* Dominus *replet*, id est replebit *in bonis* æternis dandis, *desiderium tuum*, quod habes æternorum bonorum, hoc quod est determinatio, inquantum eum coronabit, ac si dicat : Ideo te coronabit æternis bonis, ut cum ea valde desideres, et ipse tuum desiderium illis bonis valde replebit, B ut possis dicere : Satis est. Et ita coronabit quod *juventus tua*, quam hic habes in baptismate, per peccatorum remissionem *renovabitur*, id est rursus innovabitur in futuro per gloriam et impassibilitatem, *ut* juventus *aquilæ* renovatur, quod est dicere : Sicut aquila cum ex juventute in senectutem transiens, nimis debilis efficitur, eo quod, superiori parte rostri nimis crescente, non potest comedere, postea vero ejusdem rostri superfluitatem collisione lapidis frangens, rursus priseum comedendi usum recipit, et sic juvenescit; non secundum annorum paucitatem, sed secundum pristinam corporis fortitudinem. Sic, et tu anima, quæ per Adam ex juventute æternæ beatitudinis in senectutem peccandi et passibilitatis devenisti, etiam ex C parte in baptismo juvenis facta es, per peccatorum scilicet remissionem, et virtutum reparationem. Multo magis in futuro juvenis fies, cum adjungendo te Christo, qui firmus lapis est, vetustæ passibilitatis et ignorantiæ quam habes ex Adam superfluitatem depones: et tunc tandem pane salutari divinæ contemplationis reficieris, qua ad præsens causa supradictæ vetustatis ad plenum non reficeris. Ideoque adhuc inveterascis et debilitaris. Unde legitur : « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXI, 5). »

Quoniam autem dixerat animam suam esse replendam æternis bonis, quæ nondum apparent, et posset ab aliquo dubitari an illa daturus esset, eum ea revera esse daturum comprobare intendit, evidentia illorum beneficiorum quæ jam contulit, sic: D Dixi quod replebit me et cæteros justos bonis, immortalitate scilicet et impassibilitate, et immunitate peccati; et verum est. Nisi enim illis bonis nos repleret, vere in perpetuum nobis iratus esset. Sed *non in perpetuum irascetur*, id est non semper exercebit in nos iram, id est vindictam originalis peccati, scilicet mortalitatem et passibilitatem, sed quandoque faciet immortales et impassibiles. *Neque in æternum comminabitur* nobis per Scripturas, ut a peccatis cessemus, sicut modo nobis peccantibus 404 comminatur; sed reducet nos ad tantam perfectionem ne peccemus ultra, neque comminari nobis eum oporteat.

Et inde hoc comprobatur quod in perpetuum non irascetur, quia hic est *Dominus* suis *faciens misericordias*, id est impendens justis beneficia misericordiæ suæ, scilicet peccatorum remissionem, et virtutum et operum bonorum justificationem, quæ superfluo faceret, si in perpetuum irasciturus esset. Et inde adhuc comprobatur, quod suis *omnibus injuriam* in hac vita pro eo *patientibus* facit hoc *judicium*, scilicet hoc judicat ut injuriam patiantur, quod utique miserrimum esset, si eis in perpetuum irasciturus esset. Unde Apostolus : « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (*I Cor.* XV, 19). » Non solum autem per hæc quæ modo dixi hoc comprobatur, quæ scilicet ipse Dominus in novo populo operatur, sed et per ea quæ priori populo operatus est, scilicet per hoc quod *notus fecit* pridem *Moysi* leg fero *vias suas*, id est præcepta sua, et per Moysen notas *filiis Israel* fecit *voluntates suas*, id est præcepta sua : quod inutiliter fecisset, si in perpetuum irasciturus esset. Repetit enim æquipollenti voce quod dixit : *faciens misericordias*, cum dicit *miserator*, ut addat sic. *Miserator*, inquam, est, id est faciens misericordias, *et misericors* est *Dominus* in natura; et *longanimis* est, id est patiens longo animo peccantes. Dico, *misericors et* non utcunque, sed *multum misericors*, unde palam est quod *non in perpetuum irascetur*. Ad quod enim valerent ejus misericordia et longanimitas, si in perpetuum esset ejus ira duratura. Et inde quoque comprobatur, quia *non secundum peccata nostra fecit nobis* retributionem justæ damnationis : *neque secundum iniquitates nostras* actuales *retribuit nobis* damnationem; sed remisit iniquitates omnes et peccata : quod utique esset infructuosum, si duratura esset ejus ira in perpetuum. Et inde quoque comprobatur, *quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit*, id est robustam fecit *misericordiam suam*, id est beneficium misericordiæ suæ, *super* nos caste *timentes se*. Sicut ad terræ comparationem cœlum dignum est et sublime, sicut et misericordia de hoc quod prius indigni eramus et dejecti, dignos et sublimes in innocentia fecit; quod utique fecisset inutiliter, nisi iram suam remissurus esset. Et etiam inde comprobatur, quia *longe fecit a nobis iniquitates nostras*, id est excæcationem interiorem, quæ in nobis erat causa iniquitatum nostrarum, et illuminavit interius gratia speciali.

Et in tantum longe fecit a nobis illuminatis excæcationem iniquitatum, *quantum distat ortus* solis *ab occidente*, id est ab occasu solis. Per ortum solis lux accipitur, eo quod hunc ortum lux sequitur. Tenebræ vero per occasum, eo quod eum tenebræ sequantur. Et est ac si dicat : tu quantum lux distat a tenebris : non autem dico localiter, sed naturaliter, in tantum prius, et nos cæcos a nobismetipsis nunc illuminatis differre fecit. Quod utique duceretur in irritum, si irasciturus esset in perpetuum, inde quoque comprobatur,

www.libtool.com.cn

quia *quomodo miseretur pater filiorum*, dum eos videt errantes, ut ad viam rectitudinis revocet, flagellando paterna affectione castigat, ita *misertus est Dominus* nobis *timentibus se*, castigando pie per flagella tribulationum, quod æque pro nihilo fieret, nisi ira ejus aliquando finienda esset. Et ideo misertus est : *quoniam ipse*, qui in flagellando videtur severus, tamen miserendo *cognovit figmentum nostrum*, id est cognovit nos esse terrenos et fragiles, ut figmentum figuli. Exponit autem quomodo figmentum sumus, cum addit, scilicet qui visus est diu nos oblivioni dedisse, *recordatus est quoniam pulvis sumus*, id est terreni et faciles ad peccandum; et quantum ad nos steriles a bono, sicut, pulvis qui terra est, et motu facilis, et fruge sterilis. Et *recordatus est* quomodo omnis *homo* cito transitorius et defectibilis est *sicut fenum*, « quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* VI, 30). » Et ita est sicut fenum quod *dies ejus*, id est vita ejus *sic efflorebit*, id est deflorebit, scilicet ex floriditate ad marciditatem cito perveniet, *sicut flos agri*, qui cito marescit, et bene quidem addit *agri*. Citius 405 quippe flos agri marescit qui secatur et eradicatur, dum ager aratur quasi flos horti vel prati, quando avellitur. Et etiam *recordatus est quoniam spiritus*, id est voluntas cordis eorum *in illo*, id est quantum est in fragilitate illius *pertransibit* cito de bono ad malum. *Et* sic transibit, quod *non subsistit*, id est non absistet, scilicet non cessabit pertransire, postquam semel *pertransibit*, sed semper de malo ad pejus *pertransibit*. *Et* postquam *pertransibit*, per se *non cognoscet amplius locum suum*, scilicet non cognoscet statum innocentiæ a quo *pertransibit* ut post ad eum per se valeat redire. Dico quod quantum ad fragilitatem illius *pertransibit*, *et non cognoscet*; sed quantum ad misericordiam Domini ipsi pie auxiliantis cognoscet et revertetur ad innocentiæ statum. Et hoc est quod æquipollenter dicit. *Misericordia autem Domini*, etc., ac si diceret: Quantum ad se nemo pertransiens revertetur, sed *misericordia Domini* est *super* nos, caste *tementes eum*, scilicet est in superiori nostro, scilicet in rationalitate nostra, ut postquam transierimus, nos reverti faciat per pœnitentiam et satisfactionem. Misericordia dico operans in hominibus *ab æterno et usque in æternum*, id est a primo justo usque ad ultimum justum. Juxta quod ipse promittit in Evangelio suis, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matt.* XXVIII, 20). » Non solum autem *misericordia* est *super timentes*, sed *et justitia illius*, scilicet ut « qui justus est justificetur adhuc (*Apoc.* XXII, 11), » impendetur *his qui servant testamentum*, id est legem ejus nobis scilicet, quod est dicere : Non solum in timentibut misericordia ejus operabitur, sed et justitia, ut justificati magis justificentur. *Justitia ejus* dico non solum operatura in præsentibus justis, sed pertingens usque in novissimos *filios filiorum*, id est usque in novissimam progeniem justorum. Exponit autem quomodo *servant testamentum ejus*, sic : Dico his *qui servant testamentum ejus*, et hoc modo quidem *servant* : *Memores sunt mandatorum ejus*, non ea negligenter oblivioni dantes, promovendo etiam se, *ad faciendus ea*. Non enim sufficeret esse memores, nisi eorumdem completores. Et hoc non habent a se quod sunt memores et complentes, sed a Deo. *Dominus* enim Pater *paravit* in eis *sedem*, id est habitationem *suam* et hoc *in cœlo*, id est per cœlum, per Christum, scilicet inde habeant hoc quod sunt memores et complentes, quia sedes Dei per Christum sunt affecti; vel sic et per hoc sunt memores, quia Dominus Christus *in cœlo*, id est in illis factis cœlum sublimitate et dignitate vitæ *paravit sedem suam*, quod est dicere : Prius fecit eos cœlum, et sic sedem suam effecit. Non solum autem in quibusdam sedet, sed *regnum ipsius omnibus dominabitur*, id est ipse qui rex est, omnibus illis qui in cœlo sunt dominabitur, et semper dominabitur bene regendo eos.

Ostensis beneficiis, quorum contuitu adhortatus est animam suam ad benedicendum Deo, ad exhortationem revertitur, sic : Dixi ut anima mea benedicat Dominum, contuitu retributionis ejus, quas ostendi. Non solum autem hæc beneficia mihi sint materia Domino benedicendi, sed etiam *benedicite Domino* in me *omnes angeli ejus*, id est vos omnes apostoli existentes angeli, id est nuntii ejus *benedicite Domino*, id est estote mihi materia benedicendi Domino, scilicet ut contuitu dignitatis vestræ, magnificem Dominum, qui vos adeo dignos fecit et sublimes. Determinat autem de quibus angelis dicat, cum addit : Angeli ejus, inquam, existens, *potentes virtute*, id est miraculis, *qui facitis verbum ejus*, qui completis præcepta ejus, promovendo etiam vos *ad audiendam vocem sermonum ejus*, id est ad hoc ut alios audire faciatis vocem vestræ prædicationis, repræsentatem sermones ejus Domini. Et vos etiam *omnes virtutes* ejus supercœlestes, *benedicite Domino* in me, estote mihi contemplanti naturam dignitatis vestræ, materia benedicendi Domino. In Hebræo habetur *omnes exercitus ejus*. Vos *virtutes* dico, existentes *ministri ejus qui facitis voluntates ejus*, vobis injunctas. Unde Apostolus : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus (*Hebr.* I, 14), » etc. Non tantum vera *angeli et virtutes*, materia mihi sint benedicendi Domino, 406 sed ut universaliter dicam vos *omnia opera ejus*, *benedicite Domino*, id est estote mihi materia benedicendi Domino. Et non solum, anima, benedicas Domino, contuitu bonorum quæ ipse operatur, sed etiam *benedic, o anima mea, Domino, in omni loco dominationis ejus*, id est consideratitione omnis loci dominationis, ejus, scilicet omnis status dominationis ejus, tam in bonis quam in malis; quod est dicere : Considera qualiter non solummodo dominatur bonis, ut in bonum cedant, sed etiam malis, ut ad quamlibet utilitatem suorum deveniant. Et hac consideratione *benedic Domino* qui hanc mirabilem habet potentiam.

www.libtool.com.cn

IN PSALMUM CIII.

Psalmi centesimi tertii titulus. *Psalmus ipsi David*, id est Christo attribuendus. Non quod hic ipse Christus loquatur, sed quia Propheta, in hoc psalmo agens occasione instruendi alios ad benedicendum Domino, animam suam ad Dominum Christum benedicendum exhortatur, contuitu illorum quæ magnifice est operaturus et per se et per suos; quæ ipse ample exponit, et contuitu potentiæ ejus mirabilis, in sequentibus demonstrat.

Benedic, anima mea, Domino, Christo, id est magnifica et exalta cum intensa devotione et affectione. Facit autem ad eum apostropham ex affectione nimia, sic : Vere dignum est ut anima mea tibi benedicat; nam, *o Domine Deus meus*, id est tu Christe, quem ego Propheta Dominum meum et Deum meum reputo, quem Judæi increduli solum hominem esse sunt dicturi, *magnificatus es vehementer*, id est magnificatus eris nimis in mirabilitus, quæ in tuis operaberis. Et ecce in his mirabilibus magnificatus eris, scilicet in hoc quod *confessionem et decorem induisti*, scilicet indues confitentes fœditatem peccatorum suorum, et per hoc decoros futuros in innocentia et virtutibus. Quod est dicere : Conjunges tibi apostolos, quos facies interius decoros; per hoc quod fæditate peccatorum humiliter confitebuntur, quibus ornaberis, quasi corpus indumento. Unde per Prophetam dicitur : « Vivit Dominus quia his omnibus vestieri (*Isai.* XLIX, 18). » Et eris *amictus lumine, sicut vestimento*, scilicet circumornaberis eisdem apostolis, qui erunt lumen subditis per doctrinam, sicut corpus circumornatur pretioso vestimento, quo est amictum. Dicuntur etiam lumen per emphasim, eo quod valde fuerint interius a gratia cœlesti illuminati, et hoc erunt interius illuminati, quoniam tu eris eis *extendens cœlum sicut pellem*, scilicet doctrinam prophetarum, quæ cœlum dicitur, et propter sui dignitatem; et ideo quia quemadmodum cœli ipsæ doctrinæ celant arcana, extendens eis ad modum pellis involutæ quæ extenditur. Quod est dicere : Per hoc eos interius illuminabis, quod eis prophetias reserabis, quæ latentes sunt et quasi involute. Ad similitudidem pellis involutæ, quæ cum in se quædam habeat latentia, per omnia manifestatur, dum extenditur. Dico quod magnificatus erit : tu dico *qui tegis*, id est qui proteges *aquis*, id est multiformi gratia Spiritus sancti, qua fideles sicut aquis reficiuntur *superiora ejus* cœli, id est charitatem erga Deum, et erga proximum quæ est superiora et digniora præcepta in illo cœlo, id est in illa prophetarum doctrina, ac si dicat : Ut eosdem apostolos, fœditatem suam confessuros, facias decoros, et eos proteges et munies per gratiam specialem, ne in aliquo deficiant. Vel sic. *Extendens cœlum sicut pellem* hoc non mutatur, et vere magnificatus eris, *qui tegis*, id est qui obscuras, ut rem tectam superiora ejus cœli, id est superficiem litteraturæ prophetiarum; *aquis*, id est spiritalibus sententiis, quibus fideles in anima reficiun-

A tur, ac si dicat : Licet litteræ superficies illarum prophetiarum sit aquis tecta, id est spiritalibus sententiis referta et obscurata, tamen ipsas prophetias apostolis extendes et reserabis. Superiora recte superficies litteraturæ dicuntur, eo quod citius videntur quam sententiæ quæ in eis continentur, sicut superiores cujuslibet rei partes citius videntur, quam illa quæ 407 interius latent; prophetiæ vero dicuntur et series litteræ, et verba in littera colliguntur, et sententiæ.

Et vere magnificatus eris, *qui ponis nubem*, id est poneseosdem prædicatores, ad modum nubium alios compluentes, quos confitentes et decoros superius dixi; *ascensum tuum*, non per quos ascendas, sed per quorum doctrinam alii ad te ascendant. Quod B est dicere : Illos apostolos adeo dignos facies et sublimes ut eorum exemplo et doctrina, alii ad tui notitiam ascendant. Et licet per eos ad te fiat ascensus, tu tamen magnificatus eris, *qui ambulas*, id est ambulabis non localiter, sed spiritaliter, *super pennas ventorum* id est super agiles et subtiles considerationes spiritalium virorum, qui venti dicuntur, eo quod spiritales sint, sicut ventus, licet corporeus, tamen incorporeus dicitur, eo quod sit invisibilis. Pennæ vero dicuntur eorum subtiles considerationes, eo quod per eas ad Dei contemplandam naturam volant, sicut avis pennis ad alta volat. Hoc autem est ac si diceret : Licet ipsi de te subtiliter sensuri sint, et alii per eos assensuri : eorum tamen sublimitates sublimitate tuæ naturæ ineffabilis su- C perabis. Unde Joannes : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18). » Vel superabis sublimitate dilectionis tuæ agilitatem dilectionis eorum. Sublimitate dico excellentissimæ dilectionis tuæ. Licet enim valde te diligant, tu tamen eos valde plus diliges. Unde idem in evangelio : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* XV, 16). » Et vere magnificatus eris, *qui facis angelos tuos spiritus*, id est qui facies nuntios tuos apostolos, scilicet qui nomen tuum ubique gentium annuntiabunt, spiritales in intelligentia, ac si dicat : Licet eorum excedas subtiles considerationes, tamen erunt in intelligentia spiritales. Unde per Joelem prophetam dicitur : « Effundam de spiritu meo, super omnem carnem D (*Joel* II, 28). » Angeli quippe *nuntii* interpretantur. *Et* eosdem angelos existentes *ministros tuos* in administrando aliis peæcepta tua, facies *ignem urentem*, id est comparabiles igni in ea natura, quia ignis urit. Sicut enim ignis urendo sordes auri vel argenti expiat et consumit, ita et ipsi doctrinæ suæ castigatione peccantes urendo, eorum sordes peccatorum destruent. Et vere magnificatus ris, *qui fundasti terram*, id est fide fundabis Ecclesiam terram tuam cultibilem, *super stabilitatem suam*, id est super stabile fundamentum suum, scilicet super te. Unde Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus (*I Cor.* III, 11). » Et alibi : « Surperædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso

www.libtool.com.cn

summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II, 20).» Et quia si crit fundata, *non inclinabitur*, id est non dejicietur, neque dimovebitur a stabilitate sua per aliquem impetum tribulationum usque *in sæculum* hujus *sæculi* subsecuturum, id est usque in æternum. Fundata enim erit super firmam petram.

Et notandum quod, etsi quædam debilia ejus membra aliquando inclinantur nihil tamen impedit. Nam de tota Ecclesia dictum est quod *non inclinabitur;* quia dixerat *non inclinabitur*, posset quæri. Eritne locus inclinationis? Ad quod sic addit: Vere posset inclinari. *Abyssus* enim, id est turba persecutorum profunda in peccatis ad modum abyssi, erit *amictus ejus* terræ, id est erit involutio illius Ecclesiæ *sicut vestimentum*, quod est dicere: Sicut vestimentum corpus circumdat et involvit, sic et persecutorum turba Ecclesiam undique tribulationibus involvet. Et non solummodo vero minores involvet turba persequentium, sed et *super montes*, id est super prælatos Ecclesiæ *stabunt aquæ*, id est persecutores, ut eos demergant in morte ad modum aquarum; sed ne ab aquis Ecclesia inclinetur, *ab increpatione tua* interiori illæ aquæ *fugient*, id est a persecutione cessabunt, quod est dicere: Ne nimis longa eorum persecutione Ecclesia inclinetur, increpabis eos interius vel miraculis vel quolibet alio modo, licet ipsi non percipiant. Et quamvis non convertantur, tamen aliquando a persecutione cessabunt. Non solum autem a persecutione cessabunt, sed et 408 *formidabunt*, id est timorem habebunt de hoc quod persecuti fuerint, et hæc formido continget *a voce tonitrui*, id est a voce prædicatorum, quæ dicitur vox tonitrui, et quia manifesta fuit, et quia nolentibus obedire mortem comminatur, ad similitudinem tonitrui, quod manifestum est et mortem comminans. Et postquam aquæ formidando cessabunt, *ascendunt*, id est ascendentes apparebunt *montes*, id est prælati, *et descendunt campi*, id est descendentes et subjecti, apparebunt subditi, ad similitudinem camporum, qui humiles sunt et montibus subjecti. Devenientes et montes et campi *in locum* id est in statum *quem fundasti* eis, scilicet hæc fundabis, id est depones utrisque statum eorum, ut prælati teneant locum superiorem, et subditi inferiorem, ac si dicat: Dum persecutio in Ecclesia erit, prælati non poterunt prælatione sua fungi, ideoque non poterit apparare qui prælati sint, et qui subditi, sed cessante persecutione, et prælatis fungentibus sua prælatione, tunc tandem apparebit ascensus montium, id est sublimitas prælatorum, et descensus camporum, id est subjectio subditorum. Et hoc totum erit ad magnificentiam Domini, quod sic in Ecclesia distinctiones faciet, unde benedicendus est, quod utique in diluvii tempore præmonstratam est, quod, dum terræ faciem operuit, nulla distinctio montium et camporum fuit; illo vero recedente, ascensus montium et descensus camporum apparuit. Dico quod *super montes stabunt aquæ*, et in ipso persecutionum statu *terminum posuisti*, id est pones eum aquis, *quem non transgredientur*, id est quem non transibunt, quod est dicere: Ne ex toto Ecclesiam demergant, eorum persecutioni metam statues, quam non licebit excedere. Et dixi quod *fugient* a persecutione, et *a voce tonitrui tui formidabunt. Neque* postquam formidantes cessaverint a cessatione, *convertentur operire terram*, id est non convertentur ad persecutionem, ut rursus Ecclesiam demergere tentent.

Possunt autem hi duo versus aliter legi, ut montes dicamus, non Ecclesiæ prælatos, sed persecutores, volentes submergere fideles, sicut montes fluctuum submergunt in mari naves. Et hoc quod dicit *ascendunt montes* idem est quod dixit superius: *Super montes stabunt aquæ*, sed repetitum est ut addat: Secundum igitur hanc sententiam, littera sic adaptatur. Dico quod *super montes stabunt aquæ; ascendunt*, inquam, *montes*, id est elevabuntur persecutores super fideles, quod est dicere: Stabunt aquæ, et post eidem *montes descendunt*, id est descendent de sublimitate persecutionum, scilicet cessabunt facti campi, id est humiles et fructificantes in bono, a similitudine camporum, qui sunt humiles et frugiferi. Campi dico venientes *in locum quem fundasti eis*, id est venientes a statu superbiæ et persecutionis ad statum subjectionis, quem statum eis fundabis, id est constitues, ac si dicat: Hoc non erit per eos quod ad hunc statum devenient, sed hoc erit per tuam fundationem, et vere a statu persecutionis suæ descendent. Tu enim in ascensu persecutionis eorum *posuisti*, id est pones eis *terminum quem non transgredientur* ulterius ascendendo, sed postquam ad eum venient statim descendent *neque* postquam descenderint *convertentur operire terram*, id est convertentur ad hoc ut Ecclesiam persecutione repleant. Unde alibi Psalmista: Tu dominaris potestati maris (*Psal.* LXXXVIII, 10).» etc. Ostendit etiam adhuc quomodo Dominus magnificatus erit sic.

Vere magnificatus eris, *qui emittis*, id est extra mittes in propatulo, scilicet *fontes*, id est ubertates prædicationis, quibus fideles reficiantur, et incentiva vitiorum exstinguantur, ut de fontibus homines reficiuntur, et incendia exstinguuntur. *Fontes* dico, existentes *in convallibus*, id est prædicatoribus ad modum convallium humilibus, ac si dicat: Hoc quod persecutores descendunt continget per prædicationem, quam Deus publice faciet emanare de prædicatoribus, et illæ *aquæ* prædicationis *pertransibunt*, id est per omnes populos transibunt, et non erunt discordes 409 sed existentes *inter medium montium*, id est in medio montium, scilicet in concordia prælatorum. Licet enim plures, erunt tamen in virtute fidei concordantes. Dictum est a similitudine fontium, *inter medium montium* fluentium. Dico quod *pertransibunt aquæ*, quas aquas *potabunt omnes*, id est omnis modi *bestiæ agri*, scilicet omnis modi Judæi et nobiles, et ignobiles, qui jam aliquantulum domati sunt a veteri lege, licet in maxima parte adhuc bestiales. Ideoque

www.libtool.com.cn

per nestias agri designantur, quæ domitæ sunt, ut pote boves, asini, et cæteræ hujusmodi bestiæ. Non tantum autem *bestiæ agri* eas *potabunt*, sed *et onagri*, id est gentites indomiti, denotati per onagros, id est per silvestres asinos, qui indomiti sunt, *exspectabunt*, id est nimis optabunt aquas illas potare positi *in siti*, id est ardenti desiderio illas bibendi, *siti* dico *sua*, id est eis utilissima, et hoc totum ad Dei magnificentiam spectat. Dico quod *inter medium montium pertransibunt aquæ*, et *super ea*, id est super eos montes *habitabunt* conformitate *volucres cœli*, id est qualescunque spirituales viri dicti volucres cœli, eo quod gaudeant suæ mentis sinceritate, sicut volucres in cœlo, id est in aere conversantes, ipsius cœli sinceritate gaudent, ac si dicat: Non solum, autem bestiales eorum doctrina reficientur, sed et spiritualem viri, super eorum doctrinam fundati, auctoritati eorum innitentur. Et super eos habitantes, *dabunt voces* disputationis de negotiis ecclesiasticis. Voces dico non discordantes a prædicatoribus, sed prodeuntes *de medio petrarum*, id est de concordia prædicatorum, qui erunt petræ super quas ipsi fundabuntur.

Vel sic versus iste legitur : Dixi quod *bestiæ agri potabunt*, et *onagri expectabunt*, et *super ea*, id est præterea, etiam *voluces cœli*, id est illi de bestiis et onagris qui erunt leves ad omnia illicita et instabiles ad modum volucrum cœli, quæ magis sunt vagæ quam terrestres volucres, *habitabunt*, id est fient habitales, scilicet stabiles et in bono constantes, per doctrinam montium. Et solum hoc, sed et docti facti dabunt aliis indoctis voces prædicationis non discordantes a suis prædicatoribus, sed procedentes *de mediopetrarum*, id est de concordia suorum prædicatorum. Dixi : Qui *emittis fontes in convallibus*, id est in prædicatoribus, tu dico *rigans montes de superioribus suis*, id est rigans ipsos prædicatores de doctrina superiorum apostolorum scilicet Dixi quod *bestiæ et onagri aquas* doctrinæ *potabunt*, et per hoc terra Dei cultibilis efficientur, existentes mare prius. Et *terra* illa *satiabitur*, id est satianter et ample replebitur, *de fructu operum tuorum*, id est bonorum. Quod est dicere : Copiose dabit bona opera. Cum dicit, *tuorum ;* idem est ac si diceret *bonorum*. Nam omne bonum opus ex Deo est. Dico quod *terra satiabitur*, *terra* dico *producens fenum jumentis*, id est proferens carnalem escam prædicatoribus, dictis jumentis, eo quod subditos juvent et sustentent, ad similitudinem jumentorum. Quod est dicere : Ipsa plebs subdita, prædicatoribus sumptus ciborum suggeret, juxta quod Dominus dicit : « Dignus est operarius mercede sua (*Luc.* x, 7). » Et in lege Moysi. « Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* v, 4; *I Cor.* ix, 9). » Et Apostolus. « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? (*I Cor.* ix, 11). » *Et* producens illa tera fundata subdita *herbam servituti hominum*, id est ad opus servitutis hominum : scilicet servorum hominum, ad opus scilicet prædicatorum. Hoc autem idem est quod et *producens fenum jumentis* ; sed aliud notat per servitutem quam per jumenta, scilicet servos eos esse subditorum, in doctrinæ administratione. Possent quippe jumenta intelligi, id est auditores, ut non intelligerentur esse servi. Servitutem autem eos per emphasim dicit, ut humiliet eos ne de prælatione sua superbiant. Unde Apostolus : « Nos autem dico servos vestros per Jesum (*II Cor.* iv, 5). » Fenum et herba carnales esse dicuntur, eo quod ad modum feni et herbæ transitorii sunt. Dico quod *terra* erit *producens fenum*, et ad hoc supra 410 dicta terra fenum prædicationibus producet, *ut educat*, id est extrahat *panem* doctrinæ *de terra* præfata, qui prælati vere terra dicuntur, eo quod subditos fruge doctrinæ suæ pascant, sicut terra frugibus suis homines pascit. Et est ac si dicat : Ideo subditi carnales suggerent cibos, ut ab eis panem doctrinæ suscipiant. Nisi enim eis suggererent, harum rerum sollicitudine impediti minus prædicare possent. Panis eorum doctrina congrue nominatur, eo quod terreno cibo pretiosior sit et robustior, sicut panis omni cibo dignior est.

Et ideo adhuc terra subdita fenum producet, ut *vinum* a terra prælata susceptum, *lætificet cor hominis*, id est cor terræ subditæ sese rationabiliter habentis ad similitudinem hominis. Quod est dicere : Ideo prælatis carnalia suppeditabunt, ut per eorum doctrinæ fidem, cœlestem gratiam suscipere valeant, quia eorum cor interius lætificetur, quæ vinum per similitudinem dicitur, quia sicut vinum, dum inebriat cor hominis, alienat a scientia, sic et gratia cœlestis cor illius quem imbuit, alienat a scientia sæculari. « Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum (*I Cor.* iii, 19), » ac si dicat : Et ideo adhuc terra subdita fenum producit, *ut* terra prælata *exhilaret faciem* interiorem terræ subditæ, rationem videlicet animæ *in oleo*, id est in misericordia remissionis peccatorum, quæ oleum dicitur, eo quod animam nitidificat ec hilarem facit, sicut oleum faciem alicujus exteriorem, si eo inungatur, nitidam facit. Quod est ac si dicat : Ideo eis plebs subdita carnalia suggerit ut prælati eam misericorditer, peracta pœnitentia, a peccatis solvant, « Quæcunque enin solverint super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* xviii, 18). » Notandum tamen quod non intentione carnalium, sed ex sola misericordia solvere debent. Aliter enim solutio non esset. Sive per vinum designatur S. Spiritus septiformis gratia, sine qua nemo salvatur, ut spiritus consilli et fortitudinis, et cætera dona spiritualia. Per oleum autem quod faciem exteriorem nitidificat, accipiuntur alia ejusdem cœlestis gratiæ charismata, quæ exterius nitent, sine quibus potest fieri salvatio, ut gratia curationum et miraculorum, et spiritus prophetiæ, et cætera hujusmodi, et non solum terra prælata faciem terræ subditæ exhilaret in oleo ; sed *et panis* vivus qui de cœlo descendit (*Joan.* vi, 38), sacramentum, scilicet Dominici corporis a terra prælata datum, *confirmet* in omni perfectione *cor*, id est animam *hominis* uniuscujusque digne suscipientis. Unde idem Dominus : « Qui manducat hunc panem, digne

www.libtool.com.cn

scilicet, vivet in æternum in anima (*Ibid.*, 58).» Dico quod subditi producent fenum prælatis, ut ab ipsis pane, vino et oleo satientur, et ita erit :

Saturabantur quidem his divitiis per prælatos, non solum Judæi, sed et *ligna campi,* id est fideles ex gentibus, qui prius fuerunt non ligna horti, quæ dulces fructus proferunt ; sed ligna campi, id est generantes acerbos fructus malorum operum, ad similitudinem arborum campi incultarum, quæ fructus acerbos proferunt. Non solum autem ignobiles ex gentibus saturabantur, sed *et cedri Libani*, id est cedri candoris, principes scilicet sublimes in candore sæcularis prosperitatis, ad modum cedrorum, quæ sublimes arbores sunt. Et non qualescunque cedri Libani ; sed illæ cedri *quas plantavit*, id est quas Deus in fide et in ipsis divitiis plantabit, et ad utilitatem suorum plantabit. *Illic* enim, id est in cedris illis *nidificabunt passeres*, id est solatium et sustentaculum habebunt fideles monachi et clerici, quia a consortio mundanorum segregati erunt ad similitudinem passerum, qui a cæteris avibus segregantur. In sustentaculo namque facultatis fidelium principum pauperes Christi sustentantur. Et bene ponit *nidificabunt :* sicut enim volucris ad tempus nidum habitat, sic et ipsi eorum principum terrenum auxilium ad horam expetent, non in eo in æternum sperabunt. «Maledictus enim homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor ejus (*Jer.* XVII, 5.» Sequitur. *Herodii domus* 411 *dux est*, id est erit *eorum*. Herodius autem avis est adeo fortis ut etiam aquilam vincat et interficiat, quæ avis in cavernis petrarum habitat. Per petram ergo, ut jam sæpe indicatum est, Christus convenienter accipitur : per Herodium vero spirituales viri, quos superius *passeres* dixit, qui cum hic diabolum in magna parte superent, cum ejus suggestionibus repugnant ; in futuro ex toto sic eum interficient meritis suis ut nec in eis habeat suggestionis licentiam. Qui diabolus per aquilam intelligitur, quæ volucris rapax est, eo quod ipse sibi rapere fideles intendat.

Horum itaque fidelium firmissima petra Christus domus est refugii, ab hujus vitæ peregrinatione, eos ad patriam cœlestem per completionem præceptorum suorum reducens. Dicuntur etiam iidem fideles cervi quos jam passeres et herodios diximus, quia sicut cervi serpentis venena consumunt, et cum a canibus insequuntur, spineta summa agilitate et sine impedimento transiliunt, et ad excelsos montes refugiunt, sic et ipsi viri fideles vitiorum in se et in aliis venena consumunt, et cum eis diabolicarum suggestionum spineta occurrunt, ea suæ sanctitatis agilitate illæsi transiliunt, et ad sublimia Christi et ardua præcepta complenda refugiunt, quæ propter sui excellentiam montibus comparantur, eo quod nimis alia sint et a solis perfectis completa; sicut virginitas, mundi contemptus, et cætera hujusmodi. Littera vero sic adaptatur: Dico quod *passeres* in cedris *nidificabunt*, scilicet in facultate fidelium principum ad tempus terrenum sustentaculum habebunt; dum autem in hoc nido erunt, ad supercœlestem domum omni desiderio suspirabunt. Ad quam quia per se venire non possent, Christus existens *domus herodii*, id est existens ipsis domus refugii in hac vita, qui sunt horodius, erit *dux eorum*, id est ducet eos ad patriam ex hoc nido, in quo ad tempus habitabunt in hoc mundo. Exponit autem per quid eos ducet, hoc modo scilicet erit *dux eorum*, quia *cervis*, id est eisdem fidelibus, erunt *excelsi montes,* id est ardua præcepta refugium. Quod est dicere: Per arduorum præceptorum completionem, eos ad patriam ducet, quæ hic eis erunt ab instantibus suggestionibus refugium. Quoniam ergo dixerat eum ducem esse cervorum et refugium, ne quis eum dubitaret esse refugium illorum, qui nec cervi, nec passeres dici possunt, cum adhuc in mundana sollicitudine degentes, frequentibus peccatis involvantur, ad similitudinem herinaciorum qui multis spinis circumdantur, addit : Non solum cervi refugium habebunt, sed et *petra.* id est Christus, erit *refugium herinaciis*, id est illis mundanis qui sunt comparabiles herinaciis. Erit quidem eis refugium per completionem minorum præceptorum, et si non possint pertingere ad sublimia mandata Dei quæ non ideo dicuntur præcepta ut ex necessitate Deus ea præcipiat compleri. Unde Apostolus dicit : « De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do (*I Cor.* VI, 25). » Dico quod cervi et herinaci refugium habent, qui omnes filii sunt Ecclesiæ. Et necesse quidem erit Ecclesiam totam refugium habere. Deus enim *fecit lunam* excursuram *in tempora*, id est faciet Ecclesiam suam lunæ comparabilem, et hoc non in æternum, sed duraturam in similitudine lunæ, quandiu tempora hæc sæcularia durabunt. Quod est dicere : Faciet eam talis naturæ ut possit crescere in virtutibus, et deficere ad modum lunæ crescentis et decrescentis.

Notandum tamen quod non habent ex Deo quod deficiunt fideles ; sed solummodo eos tales fecit, ut crescere possint et decrescere. Exponit autem quando deficient sic, dico quoniam Ecclesia defectibilis erit ut luna, et tunc quidem deficiet quando *sol* justitiæ Christus eis occidet, gratiæ suæ splendorem ab eis auferendo. Et *sol* ille non occidet absque ratione ; sed *cognovit*, id est cognoscet *occasum suum*, scilicet cognoscet causam, quare in eis occidendum sit. 412 Pro malis quippe meritis eorum, in eis occidet. Facit autem apostropham ad Deum ex affectione nimia sic. Dico, o sol justitiæ, Christe, quoniam in Ecclesiæ quibusdam filiis occides, et occidendo in eis *posuisti,* id est pones *tenebras* peccatorum. Quod est dicere : Subtrahendo ab eis lucem gratiæ tuæ, permittes in eis contingere tenebras peccatorun, *et* sic *facta est*, id est sic fiet in eis *nox*, id est, excæcatio, ut in peccatis existendo, magis adhuc sordescant (*Apoc.* XXII, 11). Hoc autem dicit ad gratiæ Dei commendationem, ut eam magis optemus cum sine ipsa nil boni facere possimus. Dico quod fiet in eis

nox excæcationis, et *in ipsa* nocte, id est quandiu in eis nox excæcationis erit, *pertransibunt* in eos eundo de tentatione in tentationem *omnes bestiæ silvæ*, scilicet maligni spiritus crudeles et irrationabiles ad modum bestiarum; qui solent habitare in silva, id est in gentibus quæ incultæ sunt ut silvæ. Non solum autem majores bestiæ, id est prælati maligni spiritus *pertransibunt*, sed etiam *catuli leonum*, id est minores et subditi, dicti catuli, eo quod majoribus subditi sunt; sicut leonibus *catuli pertransibunt* in eos, per tentationes, *rugientes*, id est feroces ad modum catulorum, quorum ferocitas per rugitum ostenditur. Et ad hoc in eos *pertransibunt ut* ipsos *rapiant* per consensum, et quia non poterunt eos rapere, nisi Domino permittente, sic *pertransibunt* ut priusquam eos rapiant, *quærant a Deo* non voce sed affectione, ipsos *escam sibi*, id est quærant a Deo licentiam eos devorandi, sicut esca quæ devoratur. Esca enim eorum nulla alia est, nisi ut fideles per consensum et opera mala devorent. Unde de Job legitur: «Quem Satan petiit ut tentaret, et data est ei potestas a Domino in facultatem et in carnem ejus (*Job*. II, 5, 6).»

Postquam ostendit qualiter Ecclesia deficiat, Sole justitiæ ipsi occidente, ostendit qualiter augmentetur sole eodem sibi oriente sic: Dico quod Sol Christus quibusdam Ecclesiæ filiis occidet, et sic erit in eis *nox*, et *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*. Postea vero *ortus est sol*. Id est orietur eis Sol justitiæ, Christus, reddendo eis lucem gratiæ, *et* oriente Sole *congregati sunt*, id est congregabuntur, catuli scilicet eos dimittent, *et in cubilibus suis collocabuntur*, id est non solum eos dimittent; sed etiam a tentatione cessabunt. Quod est dicere: Adveniente luce gratiæ spiritualis, dimitent eos spiritus maligni, et sic quod ulterius a tentatione cessabunt. Dictum est a similitudine luporum et leonum, qui nocte silvis egredientes, ad prædandum disperguntur, oriente vero sole, et frequentiam hominum timentes, ad silvas congregantur, et *in cubilibus suis* collocantur, et tota die a prædatione cessant. Dico quod Sole oriente dimittent eos dæmones, et amplius ab eorum tentatione cessabunt. Et tunc *exibit homo* quisque dimissus *ad opus suum*, id est ex bona voluntate, quam interius habebit, unusquisque fidelis factus homo, id est rationalis, qui prius occidente sibi sole erat bestialis, ibit, id est promovebitur exterius ad bonum opus quod erit ejus, non diaboli. Et non semel *exibit ad opus suum*; sed exibit *ad operationem suam*, id est promovebitur ad frequens opus bonum. Frequens opus quippe operationem dicimus. Dico *ad operationem exibit*, operationem, inquam, duraturam *usque ad* finem vitæ, qui per *vesperam* accipitur, eo quod sit finis diei. Possunt etiam isti versus sic exponi. Dico quod *montes* erunt *refugium cervis*, et *petra herinaciis*, et necesse est eos utrosque habere refugium. Deus enim *fecit lunam*, id est faciet Ecclesiam suam defectibilem, et crescentem ad modum lunæ, ut in superiori sententia expositum est. *Lunam* dico excursuram *in tempora*, id est quæ tandiu erit quandiu hæc tempora durabunt. Et per hæc Ecclesia constituetur, quia *sol* justitiæ Christus *cognovit occasum suum*, id est cognoscet mortem, scilicet morietur, et per mortem ejus luna, id est Ecclesia, constituetur. Exponit autem per quid sol veniet ad occasum, faciens apostropham ad ipsum solem congrua ratione, sic: Dico, o Sol justitiæ, quoniam venies ad occasum, et ecce 413 quomodo ad occasum venies. Nam *posuisti tenebras*, subaudis in Judæis, id est subtrahens illis gratiam tuam, permittes in eis esse tenebras excæcationis pro malis meritis eorum, et sic *facta est nox*, id est fiet mors illa. Quod est dicere: Excæcabuntur per subtractionem gratiæ, et sic te dabunt in mortem. Et *in ipsa* nocte, id est in tempore ipsius mortis *pertransibunt* diversis tentationibus in apostolos *omnes bestiæ silvæ*, id est maligni spiritus volentes eos revocare a spe resurrectionis tuæ, o Christe, et exstinguere nominis tui memoriam. In tempore quippe passionis præcipue nisi sunt dæmones apostolos seducere, occasione mortis Christi, quando fecerunt Petrum eum negare, et post Thomam de resurrectione ejus dubitare, et etiam quosdam alios qui dixerunt: Nos putabamus quod hic redempturus esset Israel (*Luc*. XXIV, 21).

Unde Dominus circa passionis tempus Petro dixisse legitur: « Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribaret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (*Luc*, XXII., 31, 32). » Et non solum majores bestiæ silvæ pertransibunt in apostolos, sed et *catuli leonum*, id est minores, *rugientes*, id est feroces, *pertransibunt*, *ut rapiant* eos per consensum; sic tamen ut prius *quærant* eos a Deo *escam sibi*. Hoc autem in hac sententia ut in superiori exposui. Dico quod *sol* cognoscet *occasum*; et in morte ejus *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, post autem *ortus est sol*, id est orietur. Idem Sol justitiæ resurgendo. *Et* tunc *congregati sunt*, id est congregabuntur maligni spiritus, scilicet dimittent apostolos, et non sic, ut post in eos pertranseant, sed *et collocabuntur in cubilibus suis*, id est ulterius a tentatione cessabunt, et est hoc dictum ab eadem similitudine, quæ superius in alia sententia exposita est. Et tunc unusquisque apostolorum, qui prius erat bestialis desperando de resurrectione Solis, factus homo rationalis credendo resurrectionem *exibit ad opus suum et ad operationem* suam duraturam *usque ad vesperam*. Hic autem versus sic in hac sententia exponitur, ut in superiori est expositus. Horum autem quinque versuum quatuor et dimidius sic aliter exponuntur. Dico quod permittes poni tenebras excæcationis in Judæis, et sic per hoc fiet nox, id est fient obscuri et obcæcati, ut ex toto ratione careant. Ac si dicat: Aliter non excæcabuntur, nisi te eos pro malis meritis eorum per gratiæ subtractionem excæcante ut te dent in mortem. Non solum autem ipsi Judæi excæcabuntur, sed et *in ipsa* nocte, id est in hujusmodi excæcatione existen-

www.libtool.com.cn

tes *omnes bestiæ silvæ*, id est omnes gentiles feroces et indomiti ut bestiæ silvæ *pertransibunt* in Ecclesiam primitivam eundo de persecutione in persecutionem, ac si diceret: Quoniam gentibus prædicatores Christi mortem et resurrectionem annuntiabunt, ipsæ gentes excæcatæ, et acquiescere nolentes, concitabuntur adversus eos in plurimis persecutionibus. Non solum autem *pertransibunt* in eos majores et prælati, sed et *catuli leonum*, id est minores et subditi *rugientes*, id est, feroces pertransibunt in eos tribulationibus, ad hoc *ut* eos *rapiant*, id est, incorporent. Et quoniam hoc nequit effici, nisi Domino permittente, sic *pertransibunt*, *ut quærant* eos a Deo *escam tibi*, scilicet non voce, sed ipso desiderio eos incorporandi. *Quærant* a Deo eos habere *escam*, id est, ut possint eos incorporare ad similitudinem escæ, quæ incorporatur. Ipsum quippe malæ voluntatis eorum meritum a Deo exigent, ut permittat ipsos eorum fieri incorporatores, et incorporando magis efficiantur peccantes. Postea vero tandem *ortus est sol*, id est orietur in eis Sol justitiæ secundum illuminationem gratiæ, *et congregati sunt*, id est congregabuntur in unitate fidei prius per errorum diversitatem existentes divisi, *et* sic *collocabuntur in cubilibus suis* interioribus, scilicet cum prius vecordes et extra rationes suas fuerint; tandem in fide congregati in rationibus suis versabuntur 414 quæ cubilia sunt animarum suarum in quibus versantur.

Postquam vero *in cubilibus collocabuntur* unusquisque prædicator existens homo rationabilis, *exibit ad opus suum*, *et ad operationem suam*, scilicet cum prius prædicatores non audeant palam opus prædicationis exercere, exibunt *ad opus suum*, id est manifeste exercebunt opus bonum, et non semel, sed ad operationem suam duraturam *usque ad vesperam*, id est usque ad finem mundi; in quo tanta iterum erit ab Antichristo et ejus ministris in fideles persecutio ut vix aliquis palam audeat bene operari. Ostensa multiplici operum Dei magnificentia, horum operum contuitu in ejus laudem prorumpit sic: Ergo quoniam omnia quæ superius ostendi, mirabiliter operaberis, *quam magnificata sunt*, id est erunt, *opera tua*, *Domine!* Et vere *magnificata*. *Omnia* enim opera tua *fecisti in sapientia*, id est omnia operaberis sapienter. Et ecce hoc quod mirabiliter operaberis. *Terra*, id est plebs Judaica Dei terra jam per prædicatores exculta; *impleta est*, id est implebitur *possessione tua* in fine mundi quando reliquiæ Israel salvæ fient (*Rom.* IX, 27). Quod est dicere: Plenarie Judaicum populum tuæ possessioni adjunges per voluntariam subjectionem, et non solum populum judaicum possidebis, sed etiam prius *hoc mare* quod circumquaque terrarum præsens est; mare, inquam, *magnum*, id est profundum in amaritudine sua, et *spatiosum*, id est amplum et latum, ubique terrarum diffusum; spatiosum, inquam, *manibus*, id est operibus prædicationis, scilicet in quo cum sit spatiosum satis, habebunt prædicatores ad operandum, erit plenum possessione tua. Quod est dicere: Non

A solum populus Judaicus possessio Dei erit circa finem mundi, sed prius in tempore plenitudinis gentium populus qui dicitur hic, eo quod tantus est quod ubique terrarum possit demonstrari, et qui *mare* dicitur, eo quod ad modum mari instabilis sit et amarus, plenarie et voluntarie Dei possessio efficietur. Dico quod *mare spatiosum* est *manibus*, prædicatorum exercendis. Et necesse quidem est ut ibi manus eorum exerceantur. *Illic* enim, id est in illo mari, in gentili populo, sunt *reptilia*, *quorum non est numerus*, id est sunt multi maligni spiritus, qui reptilia dicuntur, eo quod per occultas tentationes cordibus illius populi gentilis irrepunt, ad similitudinem reptilium latenter repentium. Exponit autem hæc reptilia per partes sic: Dico quod B *illic* sunt *reptilia*, scilicet *animalia* sunt *illic pusilla cum magnis*, id est maligni spiritus et magni et parvi, prælati scilicet et subditi. Cum dicit *animalia*, idem est ac si poneret *bestiæ*, ut superius. Bestias enim usualiter dicimus animalia. Dicunt autem Hieronymus et Augustinus, dæmones noctis et angelos lucis animalia. Insuper etiam angelos habere corpora ætherea. Dæmones autem aeria. Utrum autem naturaliter habeant, an ad tempus corpora sumant, indefinitum est.

Dico quoniam in mare sunt animalia pusilla et magna, et quamvis hoc sit, tamen *illic pertransibunt naves*, scilicet in illo mari pertransibunt prædicatores non impediendi ab his animalibus. Quod est dicere: Non poterunt hæc animalia prædicatores impedire et retinere in illo mari, quin mare illud ex C toto transeant et superent, devehentes multos quos ibi capient usque ad æternæ vitæ portum, ad similitudinem navium quæ in medio mari a fluctibus non submerguntur, sed nautas illæsos usquæ ad litus devehunt. Possunt autem hi duo versus et dimidius sic aliter exponi: Dico quod valde *magnificata* erunt *opera tua*, quæ *in sapientia* facies. Et ecce hoc in sapientia operaberis, quod *terra*, id est Ecclesia Dei terra cultibilis *impleta* erit *possessione tua*, id est, innocentia et cæteris virtutibus, quæ erunt possessio tua, scilicet quæ in eis reges et excoles per gratiam, sicut aliquis possessionem: Dico quod Ecclesia *terra tua impleta* erit *possessione tua*. D 415 *Hoc* autem *mare* quod ubique præsens est *magnum*, id est in amaritudine profundum *et spatiosum* amplum et latum, impletum est *manibus*, id est spiritibus infernalibus, qui Manes vocantur, eo quod infernalia Manes dicere consuevimus. Quod est dicere: Infidelium populus præ nimietate amaritudinis suæ magnum mare dictus, malignis spiritibus quibus obedit est plenus. Et *illic* quoque sunt *reptilia quorum non est numerus*, id est in illo populo sunt innumerabiles occultæ tentationes, quæ reptilia dicuntur, eo quod ad similitudinem reptilium latenter humanis cordibus irrepunt. Et *illic* quoque sunt *animalia* bruta *pusilla cum magnis*, scilicet ubi sunt homines bestiales, rudes et stolidi, pusilli, scilicet et magni, id est nobiles et ignobiles in omnia, et Manes

www.libtool.com.cn

videlicet, et reptilia et animalia ad modum fluctuum fideles per mare ad portum vitæ transeuntes, persecutionibus immergere et in mari retinere nitentur, sed tamen *illic naves pertransibunt*, id est per illud mare transibunt fideles et sancti usque ad portum vitæ, dicti naves eo quod a tribulationum impetu non superantur, sicut naves per mare transeuntes a procellis fluctuum non immerguntur. Et in hoc mari quoque est *draco iste*, de quo omnibus notum est, scilicet princeps diabolus, qui dicitur *iste* eo quod omnibus per famam notus sit. O Deus, *quem* draconem in mari *formasit ad illudendum* ei a fidelibus, scilicet formose et pulchre disposuisti, ut in illo mari esset draco qui nitetur decipere sanctos et illudetur ab eis, cum non poterit in eis tentatio ipsius locum habere, ad similitudinem lupi qui plerumque, cum putet se mox posse tenere agnum, ab eo illuditur, dum morsus ejus illæsus evadit. Et bene quidem dicit, *formasti*. Formosum enim est et valde pulchrum, et ad Dei magnificentiam spectans, quod draco a fidelibus illuditur. Dico quod *terra* Dei, Ecclesia scilicet, impletur *possessione tua*, o Deus, et quod in mari sunt *animalia* et *reptilia*, et *draco*, et *omnia* hæc *exspectant a te ut des illis escam*, id est refectionem, bonis quidem virtutes et bona opera, unde reficiantur; malis autem licentiam persequendi bonos et incorporandi, et hoc in tempore a te disposito. Ac si dicat : Neque terra tua Ecclesia poterit habere escam virtutum et operum bonorum, neque reptilia et animalia poterunt habere refectionem incorporandi bonos et persequendi, nisi *in tempore* illo, in quo dispones omnibus escam dare, unicuique pro modo suo. Dico quod *omnia exspectant a te escam, dante* vero *te illis* escam, scilicet reptilibus et cæteris animalibus *colligent* fideles. Quod est dicere : Postquam eis dabis licentiam devorandi bonos persequendo et incorporando, colligent eos, quosdam persecutionibus interficiendo, quosdam autem incorporando. Et *te aperiente manum* largitatis tuæ, ut des terræ tuæ ecclesiæ escam virtutum; *omnia* membra ipsius terræ *implebuntur bonitate*, scilicet innocentia et cæteris virtutibus.

Hoc autem totum spectat ad magnificentiam divinæ potentiæ. Dico quod *manum te aperiente omnia implebuntur bonitate*. Postea autem *te avertente* a quibusdam fidelibus Ecclesiæ, *faciem*, id est gratiam *tuam turbabuntur* interius ab illicitis suggestionibus, et a vitiis eis prævalentibus. Notandum vero quod quoties Deus suos sic permittit turbari, aut pro aliquibus eorum malis meritis eos ut pereant dimittit, aut pro ipsorum utilitate eos ad tempus turbari sinit, ut iterum pœnitentes humiliores fiant, et aliis peccantibus parcere sciant. Cujus rei gratia Petrum permisit se negare, ne videlicet insolesceret de prælationis suæ sublimitate, et in cunctos sibi subditos peccantes sciret mitius agere. Dico quod avertes *faciem tuam* ab eis et *turbabuntur*. Postea quidem *auferes* per immissionem gratiæ tuæ *spiritum eorum*, scilicet superbiæ, qui non erit tuus, sed eorum, *et deficient* ab illo spiritu ex toto. Et ut ex toto a superbia deficiant, *revertentur in pulverem suum*, id est facies eos reverti ad considerationem pulveris sui, scilicet considerabunt 416 quod in novissimis ad pulverem putrescendo revertentur; et hac consideratione humiliabuntur, juxta illud Salomonis : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (*Eccli.* VII, 40). » Et Dominus ad Adam dixit : « Terra es et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Dico quod *auferes spiritum eorum*, et *emittes*, id est ex unitate ineffabilis naturæ tuæ mittes in eos, non localiter quidem, sed spiritaliter, S. *Spiritum tuum*, *et* per illum Spiritum *creabuntur*, id est in virtutibus recreabuntur, *et* per recreationem illam *renovabis* in innocentia *faciem terræ* tuæ Ecclesiæ interiorem, quæ prius inveterabatur per peccandi consensum. Quod est dicere : Renovabis per restitutionem innocentiæ rationem animæ eorum, quæ dicitur facies, eo quod per rationem anima consideratur. Facit autem exhortationem ad ipsos qui renovabuntur, ut Deum de renovatione sui glorificent, ipsi omnia bona attribuendo quæ eis operatur.

Inde namque *Deus lætabitur*. Dico quod Deus emittet spiritum suum in vos, o fideles, et creabit et renovabit vos, et ideo *gloria* Domini a vobis exhibita bene vivendo, et ipsi omnia bona quæ in vobis erunt ascribendo, *sit* durans usque *in sæculum* futurum. Quod est dicere : Glorificate eum bona vita vestra, et ascribendo ipsi omnia bona quæ in vobis sunt, et usque in sæculum de generatione in generationem per successionem. *Dominus* enim *lætabitur in operibus* bonis *suis*, id est sibi ascriptis. Quod est dicere : Inde Dominus lætabitur, si hoc modo eum glorificaveritis, ut opera bona quæ in vobis operatur, non vobis, sed ipsi ascribatis. Exponit autem ipsa opera cum addit. Dominus, inquam, *qui respicit terram*, etc., quod in sequentibus exponetur. Potest quoque sic aliter legi, ab illo loco ubi dicit : *aperiente te*, etc., dico *dante te illis* animalibus et reptilibus escam *colligent*, et *aperiente te manum* largitatis tuæ circa finem mundi, *omnia*, id est omnes qui erunt in terra, scilicet in plebe Judaica *implebuntur bonitate* fidei, omniumque virtutum, quando eis Elias et Enoch prædicabunt. *Avertente autem* postea *te faciem*, id est gratiam tuam non re, sed pro reputatione hominum *turbabuntur* a persecutionibus Antechristi. Quod est dicere : Postquam omnes ad fidem convenerint, videberis ab eis gratiam tuam avertere, cum permittes Antichristum in eorum carne dominari. Et sic *turbabuntur* in corpore, non in anima. Et tunc *auferes spiritum eorum*, id est permittes auferri per tribulationes animas eorum. Et sic dico auferi spiritum, quod *deficient* ab hac vita morte corporea, non solum morientur, sed *et revertentur in pulverem* putrescendo. Pulverem dico *suum*, scilicet de quo facti a Deo in Adam fuerunt. Legitur enim homo de limo terræ fuisse cretus (*Gen.* II, 7). Postquam ergo *deficient* ab hac vita et *in pulverem revertentur*, tandem in die judici *emittens Spiritum* sanctum *tuum*, *et* ejus cooperatione una patre et te cooperante *creabuntur*,

www.libtool.com.cn

id est recreabuntur resurgendo, *et renovabis faciem*, id est formam, terræ ad litteram. Et bene dicit renovandum *esse faciem terræ*. Terra quippe et aer et elementa, quæ ad usus nostros transmutabilia sunt, immutabilia fient et formosa et nova. Unde legitur : « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXI, 5). » Hoc autem quod *faciem terræ renovabis*, ad magnificentiam Dei pertinet. Et inde quod facies terræ renovabitur, et fideles recreabuntur, erit *gloria Domini* duratura usque *in sæculum*, id est usque in æternum, et concedo quidem ut *sit gloria Domini in sæculum*, scilicet ut Dominus glorificetur per glorificationem suorum in æternum. In hoc autem nobis exemplum tribuit Deum glorificandi.

Et tunc quando fideles glorificabuntur et recreabuntur *lætabuntur Dominus* Christus *in operibus suis*, id est in magnificatione bonorum quæ hic in suis operatur, qui tunc efficient ut tunc ipsi glorificentur. Quod est dicere : Tunc apparebit per præmium glorificationis eorum, quia Dominus lætatur in bonis operibus, quæ ipse in eis operatur. Repetit autem breviter ad commendationem magnificentiæ ejus partem illorum operum sic. *Dominus*, inquam, *lætabitur*, id est apparebit per 417 effectum præmii, quia Dominus de bonis operibus suorum lætatur. *Dominus*, dico *qui* hic *respicit*, respectu gratiæ *terram*, id est terrenos illuminando interius per fidem. *Et facit eam tremere*, de peccatis pœnitendo. Et non solum qui subditos *respicit* ; sed et *qui tangit* interius per increpationem *montes*, id est principes, *et fumigant*, id est fumum emittunt, lacrymosam videlicet compunctionem, quæ oculos exteriores ad similitudinem fumi ad fletum cogit. Ideoque fumus dicitur ; vel sic. Tunc quando fideles recreabuntur, *lætabitur Dominus in operibus suis*, scilicet placebit ei quod nihil inveniet in eis, nisi opera sua, scilicet opera bona. Non enim inveniet in eis mala opera, propter quæ dicat : « Pœnitet me fecisse eos (*Gen.* VI, 7). » Dominus, inquam, *qui* hic *respicit terram*, etc. Hoc non mutatur, et ad magnificentiam Dei pertinet. Ostensis magnificis operibus Dei, ut nos sui exemplo ad cantandum invitet, se cantaturum Domino promittit sic : Ostendi magnifica opera Dei, scilicet quod hic *facit terram tremere*, et *montes* fumigare, et in futuro suos recreabit, et *faciem terræ* renovabit. Et quia sic magnificus est ut in futuro merear ab eo glorificari, *cantabo Domino*, id est bene operabor ad honorem Domini, quod erit ipsi canticum. *Cantabo*, inquam, et hoc *in* hac *vita mea* præsenti ; et hoc non ad horam, sed *psallam Deo meo quandiu sum*, id est bene operabor ad honorem Dei mei, quandiu hic vivam. Nam « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Dico psallam, et per hoc *jucundum* erit *ei eloquium meum*, id est jucunda erit ei laus eloquii oris mei, quod aliter non esset. « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). » Et hoc quidem oro ut *jucundum sit ei eloquium meum*. *Ego vero delectabor in Domino*, ac si dicat : Peccatores delectantur in malis operibus. Ego vero qui propheta sum, cujus auctoritas et exemplum sequendum est, delectabor in laude, et in bonis operibus quæ ad Dominum pertinent, delectabor, inquam. Ac si dicat : Cum delectione bene operabor. Per hoc autem nos instruit cum delectatione bene operari. Orat autem pro nos delectantibus in Domino sic : dico quoniam ego delectabor in Domino : et ut peccatores possint in Domino delectari, *peccatores* quantum ad se qui videlicet in se mala operantur, *deficiant a terra*, id est a delectatione terrenitatis, et illi qui sunt iniqui, quantum ad alios inique scilicet agentes in proximos, *deficiat ut non sint* iniqui. Tu vero, *anima mea benedic Domino*, bona affectione contuitu operum ejus magnificorum, quæ superius dicta sunt.

IN PSALMUM CIV.

Titulus centesimi quarti. *Alleluia*. Quod est dicere : Laudate Dominum. Alleluia quippe interpretatur *laudate*, id vero est quoddam nomen Dei apud Hebræos. Inde alleluia est dicere : *Laudate Deum*. Et congrue quidem psalmus iste, *Laudate Deum* intitulatur. Propheta nempe ad plenitudinis tempus extendens se consideratione fideles ex Judæis credituros adhortatur ad laudandum Deum confessione peccatorum suorum, et bene etiam cogitando et bene operando, et mirabilia ejus gentibus annuntiando, et hoc quoque contuitu, quoniam illud quod Abrahæ et Isaac et Jacob promisit, scilicet daturam se semini ejus terram Chanaan, et ad litteram et significative complevit, et adhuc ex toto complebit. Enuntiat quoque quæ beneficia patribus contulit. Et quomodo terram Chanaan eis dedit, ut magis fideles Judæos quibus hic agit, contuitu illorum beneficiorum ad Dei laudem incitet.

Confitemini Domino et invocate, etc. Constructio quidem incipit a sexto versu, qui talis est : *Semen Abraham*, etc. Quod sic adaptur : Vos semen Abraham secundum carnem Judæi, scilicet et non omnibus dico qui sunt *semen Abraham*, sed *servi ejus*, Domini scilicet qui servi Domini Jesu esse non renuitis. Et quia quidam gentiles fuerunt de semine Ismael filii Abraham, qui ad fidem jam venerunt, et servi Christi facti sunt, addit : 418 vos dico qui estis *filii Jacob* patriarchæ secundum carnem, et non dico de infidelibus filiis Jacob ; sed vos qui estis *electi ejus* Domini, scilicet quos elegit vocando ad fidem. *Confitemini Domino* Christo peccata vestra ; quæ confessio erit Domini, *et* confitendo *invocate nomen ejus*, id est invocate eum in considerationem nominis ejus, quod est Dominus. Quod est dicere : Considerate quia Dominus omnium est, et hac consideratione interius vocate eum bona devotione orantes, ut vestri sit inhabitor, secundum inoperantem gratiam, et sic *annuntiate inter gentes* id est in plenitudine gentium ad laudem Domini opera ejus facta, et in veteri et in novo populo. Quia vero non sufficeret ut post confessionem et invocationem statim annuntiarent opera Domini,

addit: Priusquam ejus opera annuntietis, *cantate ei Domino*, bene de eo cogitando, *et psallite ei*, bene operando; et hoc ordine tandem ad narrandum mirabilia Domini facti idonei, *narrate omnia, mirabilia ejus*, et in veteri et in novo populo facta scilicet quæ de Virgine natus est, et mundum morte sua redemit, et cætera ejus mirabilia, vel sic: *Narrate omnia mirabilia* quæ in vobis sunt esse *ejus*, non ex vobis, scilicet hoc quod mirabiles estis in confitendo et cantando et psallendo, non vobis, sed illi ascribite. Et cum cantaveritis et psalleritis, nolite hac solum intentione hoc facere, ut vos inde tantummodo laudemini, sed *laudamini in nomine sancto ejus* laudato, scilicet sic velitis laudari ut et nomen sanctem ejus in consideratione vestræ sanctitatis ab aliis laudetur. Unde Dominus: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v, 16). » Et nolite inviti et ex tristitia psallere sicut plures in priori populo, sed psallendo *lætetur cor vestrum*, vestrum dico *quærentium Dominum*, id est optantium non humanum favorem, sed Dominum tandem in futuro habere remuneratorem. Et *quærite* affectione et oratione et operatione *Dominum* habere remuneratorem in futuro, et non horarie *quærite*, sed in hoc quærendo *confirmamini*, scilicet constantes sitis et confirmati, in hac quæstione dico *quærite* habere Dominum in futuro remuneratorem. Et hic etiam rationis vestræ consideratione *quærite semper faciem*, id est cognitionem ejus, scilicet ut divinæ sublimitatis ejus notitiam habeatis, et sic erga eum charitate vehementius ardeatis. Et, vos idiotæ, quorum ratio ad quærendam ejus faciem non est sufficiens, saltum ut materiam eum laudandi habeatis, *mementote mirabilium ejus quæ fecit*, scilicet nativitatis de Virgine, resurrectionis ex morte, et cæterorum quæ in novo et in veteri populo operatus est.

Dico *mementote mirabilium*, scilicet mementote *prodigia ejus*, ac si dicat: Illorum, inquam, mirabilium *mementote*, quæ non sunt qualiacunque, sed prodigia sunt, id est valde mirabilia. *Et* mementote *judicia oris ejus*, id est præcepta ejus quæ ipse judiciat facere, sic ut ea impleatis. Adjungit autem causas quare debeant hæc facere sic: Dico *confitemini Domino*, et *cantate ei* et *psallite*, et *mementote* mirabilia et judicia ejus. Et hæc omnia facere debetis. *Ipse* enim existens *Dominus Deus noster*. *Ipse* dico, qui in prophetis ante locutus est, in propria persona veniens, *memor fuit testamenti sui*, id est dicti sui complendi in sæculum, quod scilicet complebit semper quandiu sæculum hoc durabit. Quod est dicere: Qui visus est diu promissionis suæ fuisse oblitus, tandem *memor fuit*, ut eam non tantum secundum litteram, sed etiam significative compleret. Promisit enim se daturam filiis Abrahæ terram Chanaan, quam jam ad litteram olim dedit sub tempore Josue, dat etiam spiritualibus filiis A Abrahæ, fidelibus scilicet salvandis quotidie ex hac vita migrantibus, et assidue usque ad finem mundi in diversis temporibus dabit vitam æternam, quæ congrue per terram Chanaan præsignata est. Chanaan quippe humilis promissio interpretatur. Unde per Chanaan vita æterna fidelibus promissa accipitur, quæ per humilitatem adipiscetur. 419 Dico quod *memor fuit testamenti*, id est vitæ æternæ promissæ, quam assiduæ dabit usque in sæculum futurum fidelibus morientibus. Et etiam *memor fuit verbi*, id est novæ legis quæ per verbum suum data est, scilicet dedit novam legem quam promisit, quæ verbum abbreviatum dicitur, eo quod in ea breviter omnia moralia præcepta veteris legis comprehenduntur. Unde propheta: « Verbum con- B summans et abbrevians in æquitate facit Dominus super terram (*Isai.* x, 22; *Rom.* ix, 22). » Memor fuit, inquam, verbi, *quod* verbum *mandavit* esse complendum usque *in mille generationes*, id est in omnibus generationibus usque ad finem mundi. Per mille quippe, qui numerus est perfectus, competenter omnes generationes accipiuntur. Hoc autem quod interponit *in universa terra judicia ejus*, positum est ad probationem, quod *ipse* est *Dominus Deus*, et sic adaptatur: Dico quoniam *ipse* est *Dominus Deus*, et inde comprobatur esse *Deus* et *Dominus*, quia *in universa terra*, tam in Judæis quam in gentibus, sunt *judicia*, id est præcepta, *ejus* completa, quod non esset nisi ipse *Deus* et *Dominus* esset. Dico quod *memor fuit testamenti*, *quod* videlicet testamentum *disposuit ad Abraham*, id est promisit Abrahæ. Ideoque non potuit non complere. *Et memor fui*, *juramenti sui* facti *ad Isaac*, id est firmæ promissionis ad Isaac factæ, quam cum juramento sui ipsius fecit. Complevit enim illud juramentum, et secundum litteram et secundum significationem. Et illud testamentum, id est illam promissionem *statuit*, id est promisit *Jacob* patriarchæ ducens nos *in præceptum*, id est in completionem præcepti sui. Quod est dicere: Illa promissio mystica vitæ æternæ ad Jacob facta, causa est cur Domini præceptum compleamus, ut per hoc ad illam promissionem perveniamus.

Et statuit etiam *illud* testamentum ad litteram D *Israel*, id est Jacob ducens nos per illud testamentum completum jam ad litteram *in testamentum æternum*, id est in intellectum et spem æternæ promissionis, æternæ vitæ, scilicet quæ fidelibus ex hac vita migrantibus assidue datur. Quod est dicere: Per promissionem ad litteram completam, intelligimus mystice promissionem æternam, quæ quotidie in fidelibus completur. Exponit igitur ipsam promissionem ad litteram, et qualiter ad litteram completa sit, per totum psalmum usque ad finem. Dico quod *statuit Jacob* et Abrahæ, ita videlicet *dicens* per angelorum officium: *Tibi* Abrahæ et Isaac et Jacob *dabo terram Chanaan*, semini tuo videlicet dabo ad litteram. Innuit autem propheta æternum promissionem per terram Chanaan præfiguratam, cum ex

www.libtool.com.cn

parte sua addit. *Terram Chanaan* dico significantem *funiculum hæreditatis vestræ* æternæ, a Domino dandæ, id est significantem mensuram hæreditatis vestræ. Quod est dicere : O fideles Judæi, terra Chanaan vestris patribus data cum funiculo distributionis, significat æternam beatitudinem vobis promissam, quæ cum mensura vobis dabitur, ut, cum omnes eamdem beatitudinem sitis habituri, unus tamen alio beatior et gloriosior erit, secundum quod sanctior fuerit, juxta illud Apostoli : « Sicut stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum (*I Cor.* xv, 41). » Et Dominus in Evangelio, « In domo patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* xiv, 2). » Dico quoniam filiis Abrahæ, Isaac et Jacob promisit terram Chanaan, et ut filii eorum eam possiderent, *non reliquit*, id est non dimisit *hominem* aliquem *nocere eis*, id est Abrahæ, et Isaac sic, scilicet nocere ut interficerentur, *et* etiam *pro eis corripuit reges*, ne essent eis nocivi, sicut rex Ægypti et rex Geraræ leguntur divinitus correpti fuisse, ne nocerent Abrahæ (*Gen.* xii, 17 ; xx, 3). Dico quod *reges corripuit*, dicens, scilicet arcana dictione : *Nolite tangere*, nocive, *Christos meos*, id est unctos a me oleo spiritualis gratiæ, *et nolite malignari*, id est maligne agere *in prophetis meis*, illi nimirum prophetæ fuerunt, etsi prophetiæ libros non ediderunt. Dico quod *corripuit pro eis reges* tunc, scilicet *corripuit*, *cum essent numero brevi*, *et* ut expressius dicam, cum essent *paucissimi*, *et incolæ*, id est advenæ cultores 420 *ejus* terræ Chanaan, et *cum pertransierunt de gente in gentem* Abraham, scilicet et familia ejus, et quia possent transire de gente in gentem, in uno regno tamen determinat sic : Et sic dico eos pertransisse de gente in gentem, quod pertransierunt de regno Chaldæorum, ubi Abraham fuit natus, ad populum alterum, scilicet ad populum Chananæorum. Legitur enim Dominus ad Abraham dixisse : « Egredere de terra et de possessione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, et faciam te crescere in gentem magnam (*Gen.* xii, 1). » Quia nisi Abraham, et Isaac, et Jacob ad generandum filios conservati essent, eorum filii utpote qui nulli essent, nunquam terra Chanaan possedissent. *Et* postquam eos transeuntes de gente ad gentem conservavit, ut Jacob et filii ejus in Ægyptum irent, et inde post in terram Chanaan redirent, *vocavit* non voce, sed imperio potentiæ, *famem super terram*, id est præcepit famen dominari super terram Chanaan, a similitudine illius qui ministrum vocat, ut ei aliquid præcipiat : *et* ut multum fames dominaretur super terram, *contrivit*, id est conteri permisit *omne firmamentum panis*, scilicet omnem panem permisit destrui, unde sensualitas humana confirmatur. Ut autem in tempore famis Jacob et filii ejus in Ægyptum transituri, haberent patronum, ne fame perirent.

Misit ante eos Joseph *virum*, qui viriliter se habuit, non consentiens turpiter uxori Putiphar eunuchi Pharaonis. Et hoc modo misit quod *venundatus est* a fratribus Ægyptiis, de libero transiens *in servum*, quod equidem mirabilius fuit cum ex servo dominus Ægypti sit postea factus. Ægyptii vero quibus venundatus est, *humiliaverunt pedes ejus in compedibus*. Dictum est enim ab uxore Putapharis, cui consentire noluit, illum sibi violentiam inferre voluisse (*Gen.* xxxiv, 14). Qua de causa a ministris Pharaonis captus est et incarceratus, et compedibus vinctus (*Ibid.*, 20), et ibi *ferrum*, id est duritia tribulationum *pertransiit animam ejus*, id est anxiavit vitalitatem ejus, ad modum ferri corpus pertranseuntis. Ferrum tribulationum dico durans *donec veniret verbum ejus*, id est donec veniret verbum interpretationis visionis Pharaonicæ, et tunc *eloquium Domini*, scilicet verbum interpretationis a Domino ipsi datum *inflammavit eum* Joseph, id est comprobavit eum sanctum esse, qui ante adulter dicebatur ; a similitudine auri puri, quod inflammatur, id est per flammam purum esse comprobatur, et tunc *misit rex* Pharao in carcerem, *et solvit eum* a compedibus, et *princeps*, inquam, *populorum* Ægyptiorum, id est rex Pharao misit, et non solum solvit, sed *et dimisit eum*, id est liberavit de carcere, et postquam vidit eum sapientem virum, *constituit eum dominum domus suæ*, *et principem omnis possessionis suæ*, ut familiam suam in tempore famis regeret ; *et ut erudiret principes ejus* Pharaonis ita, *sicut semetipsum* vellet ipse Pharao erudiri : et non solum juvenes principes qui non erant adeo sapientes, sed *et senes ejus* qui sapientes erant, majorem *prudentiam doceret* ; quod equidem mirabile fuit, doceri scilicet senes a juvene, *et* occasione Joseph qui in Ægypto dominabatur, *intravit Jacob in Ægytum* cum filiis suis ne fame periret. Ne vero crederetur Jacob Ægypti dominus fuisse, et sic non opportuisse filios suos inde redire, addit : Et Israel, id est *Jacob fuit accola*, id est advena habitator *in terra Cham*, id est in Ægypto, ubi mansit Cham ; *et* ibi *auxit* Dominus *populum suum vehementer*, id est multiplicavit filios Israel, *et firmavit eum* populum, id est firmum fecit in possessione et divitiis *super*, id est plusquam *omnes inimicos ejus* Ægyptios, qui ei ex invidia inimicabantur. Ut autem occasione persecutionis Ægyptiorum populus Israel in terram Chanaan rediret, *convertit cor eorum* Ægyptiorum ab amicitia, *ut odirent populum ejus*, *et* sic *dolum facerent in servos ejus*, filios Israel eorum filios occidentes, et ipsos servitute opprimentes ; et ut de servitute populus ejus eriperetur, *misit* ad eum liberandum *Moysen servum suum*, *et Aaron quem elegit* 421 in sacerdotem : *ipsum*, inquam, Aaron sibi valde charum et familiarem ; et *in eis*, id est Moyse et Aaron *posuit verba*, id est præcepta sua, verba dico efficacia *signorum suorum*, *et* non qualiumcunque signorum, sed *prodigiorum* factorum *in terra Cham*. Nam quia verba Domini fideliter et intrepide Pharaoni dicebant, prodigia multa operabantur.

Cæterum, quoniam Pharao pro verbis Domini populum ejus dimittere noluit, *misit tenebras* in Ægy-

www.libtool.com.cn

ptum, *et* tantas quod *obscuravit* eos Ægytios, ne unus alium videre posset (*Exod.* x, 23). Legitur enim aer adeo spissus fuisse, ut palpari posset (*Ibid.*, 21), *et* hoc modo *non exacerbavit* Dominus, id est non permisit Dominus fieri acerbos *sermones suos*. Nam, nisi talia miracula faceret, sermones ejus quos ad Pharaonem habuerunt, acerbi essent Moysi et Aaron; essent quippe causa quare acerbe punirentur. Quoniam autem cessantibus tenebris Ægyptii populum dimittere noluerunt, *convertit aquas eorum in sanguinem* ne biberent : *et* sic *occidit pisces eorum*. Non solum vero taliter eos punivit, sed etiam *edidit terra eorum ranas*, et non solum in campis, sed etiam ut durior esset persecutio, fuerunt ranæ *in penetralibus*, id est in secretis thalamis *ipsorum regum*, qui cætera impedimenta solent aliquo modo pellere; sed ranas non poterant, et quoniam adhuc populum detinuerunt, *dixit* non voce sed imperio potentiæ suæ, *et venit* in Ægyptum, *cœnomyia et ciniphes* existens *in omnibus finibus eorum*, non in parte solummodo. Et etiam *posuit*, id est fecit *pluvias eorum grandinem*, ut arbores contunderentur, et posuit *ignem* fulminum *in terra ipsorum comburentem*, id est ad hoc ut messes et jumenta et cætera quæ ibi erant combureret. Dico quod *posuit pluvias eorum grandinem*, *et* ipsa grandine *percussit vineas eorum et ficulneas eorum*, et ut universaliter dicam, grandine illa *contrivit* omne *lignum finium eorum*, et quoniam adhuc in duritia perseraverunt, *dixit* imperio potentiæ suæ, *et venit* in Ægytum *locusta* innumerabilis, *et brucus cujus non erat numerus*. *Et* locusta *comedit omne fenum in terra eorum*, *et* brucus *comedit omnem fructum terræ eorum*, *et* post *percussit* Dominus per angelum percutientem *omne primogenitum*, tam hominum quam pecudum, *in terra eorum*, et *primitias omnis laboris eorum*, id est meliores fruges eorum, sive primogenitum accepit, quantum ad homines tantum, primitias vero laboris, quantum ad pecudes quæ cum labore nutriuntur. *Et* postquam primogenitum omnem percussit, *eduxit eos* de Ægypto *cum* multo *argento et auro* Ægyptiorum. Præcepit enim Dominus ut quidquid possent auri et argenti a vicinis mutuo sumerent, et clam secum deferrent (*Exod.* II, 2), *et* cum eos educeret, *non erat* aliquis *in tribubus eorum infirmus*, et tunc *Ægyptus* quæ propter ablationem auri et argenti sui de eorum discessu tristis fuerat, audito hoc quod Pharao cum omni exercitu submersus fuerat, *lætata est in profectione eorum* filiorum Israel, scilicet lætata est ideo quod non revertebantur, ut terram occuparent : et ideo lætata est, *quia incubuit timor eorum* filiorum Israel *super eos* Ægyptios.

Dico quod Deus *eduxit eos*, et cum per desertum irent, *expandit nubem* super eos *in protectionem eorum*, id est ut eos ab æstu protegeret, *et ignem* ad modum columnæ *ut luceret eis per noctem*, ne alicubi offenderent, et tunc *petierunt* escas (*Exod.* XVI, 3), *et* sponte sine labore inquisitionis *venit coturnix* innumerabilis, cadens in medio castrorum (*Ibid.*, 13), *et* *saturavit eos pane cœli*, id est manna de cœlo cadente (*Exod.* XVII, 6 ; *Num.* XX, 11). Et cum sitirent, *dirupit petram* per Moysen, *et* inde *fluxerunt aquæ*, et non parvæ, sed *abierunt* inde *flumina* post filios Israel, et hoc *in sicco*. Quod valde mirabile fuit, id est in deserto ubi non esset locus fluminum. Et hæc omnia ideo fecit, *quoniam memor fuit verbi sancti sui*, id est sancti pacti sui, *quod habuit ad Abraham puerum*, id est servum *suum*, scilicet quod daret filiis ejus terram Chanaan, quam aliter non haberent, nisi hæc beneficia præcessissent, *et* tandem *eduxit populum suum* de deserto *in exsultatione*, et non omnem 422 populum quem de Ægyto eduxit, cum multa ejus millia essent in deserto mortua ; sed *electos suos*, id est filios eorum qui de Ægypto educti sunt, quos ad educendum elegerat, eduxit *in lætitia*; *et illis* eductis, *dedit regiones gentium* Chananæorum, scilicet illis mortuis et ejectis, *et* non dedit illas vacuas, sed ut majus esset beneficium, *labores populorum* Chananæorum *possederunt*, frugas scilicet et cætera quæ cum labore paraverant; et hæc omnia beneficia eis ideo contulit, *ut custodiant* complendo *justificationes ejus*, id est præcepta ejus quibus justificabantur, *et* non invite custodiant; sed *legem ejus*, id est præcepta ejus *exquirant* cum amore, ut compleant, et per hoc instruit fideles Judæos de quibus hic agit, quod ipsi contuitu mysticorum beneficiorum, quæ Deus quotidie in eis operatur, debent justificationes ejus custodire, et legem exquirere.

IN PSALMUM CV.

Titulus centesemi quinti. *Alleluia*. Et hoc eodem modo ut in superiori exponitur, sed diversa a superiori in hoc psalmo intentio habetur. Nam cum in præcedenti psalmo de fidelibus Judæis egerit, in hoc quidem infideles alloquitur, adhortans ut Deum laudent, peccata confitendo, quæ ad similitudinem priorum patrum peccantium egerunt; quæ etiam adhortatur ut enumerent, et confitendo a similibus peccatis cessent, orent quoque Deum ut eos visitet per Filium, et ut Domini potentias annuntient, et laudes ejus faciant, quia per hoc ad beatitudinem attingent. Postquam autem sua suorumque patrum peccata confessi fuerint, pro aliis orare admonet. Hanc autem exhortationem ea intentione facit ut eos ab omnibus peccatis revocet, et ad fidem adductos pro se et pro aliis orare instruat.

Confitemini Domino Patri peccata vestra, vos infideles Judæi, et si puro corde confessi fueritis, securi potestis esse de venia, *quoniam bonus est*, in sui natura, id est facilis ad condonandum, cui, vos admoneo confiteri et non ad horam est bonus, id est misericors, scilicet ideo *confitemini*, *quoniam misericordia ejus* quam habet in natura, est durans usque *in sæculum* futurum, id est in æternum. Quod est dicere : In æternum misericors est, dico *confitemini*, et post confessionem peccatorum, *quis loquitur potentias Domini*, *et auditas faciet laudes ejus ?* Præposterus ordo. Prius enim est *laudes* facere, postea vero *potentias* loqui, et hoc quod ad majorem exhor-

www.libtool.com.cn

tationem sub interrogatione ponitur, æquipollens est, ac si diceret : Post confessionem peccatorum facite *laudes ejus*, id est complete bona opera in quibus ipse laudetur, et quia posset dici ignoramus laudes illas, addit *auditas* ac si dicat : Quod laudes satis jam per Scripturas audistis. Et postquam *laudes ejus* in vobis feceritis, loquimini aliis annuntiando *potentias Domini*, scilicet annuntiate ad correctionem aliorum eum potentem esse ad peccata condonandum, et potentem ad bonos remunerandum, potentem quoque ad malos puniendum. Non enim oportet prius aliquem aliis prædicare quam in se bona opera complere. Unde Apostolus : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX, 27). » Et etiam de Jesu legitur : « Quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I, 1). » Dixi *confitemini* peccata, et necesse quidem vobis est. *Beati* enim et hic sunt, et in futuro multo magis erunt illi, *qui custodiunt* in se, id est amplectuntur, non negligunt *judicium* peccatorum, id est confessionem, scilicet qui sic confessionem custodiunt ut frequenter confiteantur, et post confessionem ad vomitum non redeant. Dixi : *Quis faciet laudes ejus*, id est opera bona, et necesse est quidem ut faciatis, quia *beati* erunt *qui faciunt justitiam*, id est justa opera, et non ad horam, sed in omni tempore ; dico *confitemini* ita orantes :

Memento nostri, Domine, indulgendo peccata, qui visus es nos diu oblivioni dedisse, dum sumus sub peccati originalis conditione. Dico, *memento*, et non secundum merita nostra, sed *in beneplacito* 423 C *populi tui*, id est in beneplacito misericordiæ tuæ, secundum quod soles misereri populi tui, et hoc modo quidem *memento nostri*, *visita nos* scilicet *in salutari tuo*, id est nos infirmos in peccatis et obnoxios morti visita per Christum Salvatorem tuum, ut ejus mortis pretio ad vitam reducamur. Dico *visita nos* in obedientia Salvatoris tui, ducens nos per ipsius Salvatoris notitiam *ad videndum* te, interiori contemplatione, nos, inquam, positos *in bonitate operum electorum tuorum*. Quod est dicere : Sic nos per eum visita ut visitando per indulgentiam ducas nos ad contemplationem notitiæ tuæ, nos, inquam, positos *in bonitate*, id est in bonis operibus, quam bonitatem habent electi tui. Ac si D dicat : Nos visitatos fac bene operari ad conformitatem fidelium tuorum, qui ad vitam electi sunt, ut merito bonorum operum te contemplari mereamur. Dico *visita nos*, ducens nos ad videndum te positos *in bonitate*, et ducens etiam *ad lætandum* de bonitate operum *in lætitia gentis tuæ*, id est in conformitate lætitiæ justorum qui sunt gens tua. Quod est dicere : Sic nos fac bene operari ut hanc bonam operationem non cum tristitia agamus, sed lætanter, ad conformitatem lætitiæ justorum. « Hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Duc nos, inquam, ad lætitiam bonæ operationis, *ut* nobis lætanter bene per te operantibus *lauderis* ab aliis *cum hæreditate tua*, nobiscum scilicet. Quod A est dicere : Occasione bonorum operum nostrorum, et nos laudemus, et tu nobiscum per nos lauderis. Ostenso hoc quomodo orent ostendit late usque circa finem psalmi, quomodo ad conformitatem patrum se peccasse debeant confiteri. Dico *confitemini* sic, scilicet, o Domine, *peccavimus cum patribus nostris*, id est peccavimus ad conformitatem patrum nostrorum, tanto ante tempore existentium, qui te graviter offenderunt : et hoc ostendit per partes sic. Vere *peccavimus* ut patres ; *injuste* enim *egimus* quantum ad proximum, sicut ipsi ; et *iniquitatem fecimus*, quantum ad nos sicut ipsi. Posset quæri : Peccaveruntne patres vestri ? Ad quod sic respondendum est : Peccaverunt utique. *Patres* enim *nostri in Ægypto*, ubi tu Deus pro eis multa mirabilia operatus es, *non intellexerunt*, id est non animadverterunt B mirabilia quæ pro eis operatus es, ut eorum mirabilium contuitu tibi essent credentes et obedientes. Dico *non intellexerunt*, et si ad tempus intellexerunt, *non fuerunt* diu *memores multitudinis misericordiæ tuæ*, id est multorum mirabilium beneficiorum, quæ per solam misericordiam eis contulisti.

Dicimus, o auditores, quod fuerunt immemores misericordiæ Domini multiplicis, et immemores existentes, *irritaverunt*, id est ad iracundiam eum provocaverunt *ascendentes*, id est de Ægypto egredientes, et bene dicit *ascendentes*. Cum enim Ægyptus inferior situ sit omnibus terris circa eam existentibus, nullus inde potest egredi parte aliqua nisi cum ascensu. *Ascendentes*, inquam, *irritaverunt eum*, et hoc *in mari*, *mari Rubro*, scilicet ubi non esset irritandus, præ nimietate periculi. Nam cum hostes insequentes se viderent, et mare Rubrum ante, dubitaverunt an Deus posset eos liberare, et sic eum irritaverunt. Vel sic : *Irritaverunt eum ascendentes* de Ægypto *in mare*, mare, inquam, Rubrum. Mare quippe Rubrum altius est Ægypto, sicut et terra in qua est. Vel sic : *Irritaverunt eum ascendentes in mari*, *mari* scilicet Rubro formidato. Mari Rubro determinatio est qualiter *eum irritaverunt*, et quamvis eum irritassent, tamen *salvavit eos*, et non propter merita eorum, sed *propter nomen suum* glorificandum, *ut* per hoc scilicet *notam faceret* posteris *potentiam suam*, id est se potentem esse, et hoc modo nomen ejus ab eis D glorificaretur. Dico quoniam eos salvavit, *et* hoc modo quidem salvavit, *increpuit* tacito imperio potentiæ suæ *mare Rubrum*, ne eos impediret, *et* per hoc *exsiccatum est* in medio, hinc et hinc pro muro aquis accumulatis et stantibus, *et deduxit eos in abyssis*, id est ita siccæ duxit eos per locum 424 ubi solebant esse abyssi, id est magnæ profunditates, *sicut in deserto*, id est quasi per desertum, ubi nunquam aquæ fuerunt. *Et* tunc *operuit aqua* maris *tribulantes eos*, scilicet Ægyptios scilicet temere ingressos, et sic quod *unus ex eis non remansit* qui eos insequeretur postea : *et* tunc *crediderunt* Deo in *verbis ejus* completis, id est in consideratione verborum completorum, scilicet conside-

www.libtool.com.cn

rando cum complesse verba sua, quæ per Moysen eis mandaverat de eorum creptione; *crediderunt* eum omnipotentem esse, *et* tunc *laudaverunt* eum cordis affectione, proferendo *laudem ejus* ore. Quod est dicere : Laudaverunt eum, et ore, et corde, sed hoc credere, et hoc laudare *cito*, id est ad horam *fecerunt* non diu ; *et* post statim *obliti sunt operum ejus*, quorum assiduo contuitu deberent credere et laudare.

Et cum ipse consilio arcano disposuisset eos non statim terram Chanaan ingressuros, *non sustinuerunt*, id est non patienter exspectaverunt *consilium ejus*, murmurantes et de promissione terræ Chanaan diffidentes, et post *in deserto* existentes ubi nihil ciborum erat *concupierunt concupiscentiam*, id est manna quod concupiscentia dicitur, eo quod concupiscentia ingluviei fuit optatum ; vel *concupiscentiam*, id est ollas carnium, quas in Ægypto habuerant, *et* concupiscendo *tentaverunt Deum*, diffidendo de potentia ejus, et dubitando an posset eis escas dare, et hoc *in inaquoso*, id est, in deserto ubi saltem timore debuissent a tentatione cessasse ; et licet tentassent, *dedit* tamen *eis petitionem ipsorum*, et hoc modo quidem dedit, quia mittendo manna *misit saturitatem in animas eorum*, id est saturavit vegetabilitatem eorum ; *et* licet hæc eis beneficia conferret, tamen *irritaverunt Moysen*, et hoc *in castris*, ubi locus erat timoris, et *Aaron* irritaverunt *sanctum* sacerdotem *Domini*. Legitur enim quod, cum Moyses jussu Domini Aaron fratrem suum sacerdotem constituisset, ipsi de hoc murmurantes non acquieverunt, dicentes cum hoc ideo fecisse quod tribum suam vellet exaltare (*Num.* XVI, 11), et quia Moysen et Aaron irritaverunt (*Ibid.*, 18), *aperta est terra et deglutivit Dathan*. Intelligendum est quoniam *et Abiron deglutivit*, *et operuit*, id est clausa est *super congregationem* familiæ *Abiron* absorptam. Notandum quoque quod et congregationem Dathan absorbuit, sed causa brevitatis ita positum est. Dathan sane et Abiron hujus murmurationis exstiterunt auctores, ideoque cum omni familia sua vivi absorpti sunt. Non solum autem eos terra cum familia eorum absorpsit (*Ibid.*, 32), sed *et exarsit ignis in Synagoga*, id est in congregatione *eorum*, *et* sic exarsit quod *flamma combussit peccatores*, ex aliis familiis qui eis acquieverant, Core videlicet et alios ducentos quinquaginta, qui ad Dathan et Abiron congregati fuerant, et electi ad offerenda sacrificia contra Aaron et tribum ejus (*Ibid.*, 35). Non solum autem hoc modo peccaverunt, sed etiam *fecerunt vitulum* conflatilem (*Exod.* XXXII, 4) et hoc *in Horeb*, in illo loco, scilicet in quo Deo obediendum esset, saltem metu gentium circumastantium ; et postquam vitulum fecerunt, *adoraverunt* illud *sculptile*, scilicet vitulum, *et* sic *mutaverunt gloriam suam*, scilicet Domini qui gloria eorum esset deberet, in quo adorato solummodo gloriandum esse *mutaverunt* non in verum vitulum, quod satis miserum esset, sed quod deterius est, *in similitudinem vituli comedentis fenum*. Quod est dicere : Vitulum conflatilem, qui similitudo erat veri vituli, Deum esse reputaverunt. Quod autem addit, *comedentis fenum*, non est positum ad differentiam, sed ad eorum ignominiam, quia videlicet illius similitudinem Deum esse dixerunt, quia adeo res debilis est et vilis, quod feno pascitur.

Dico quod *adoraverunt sculptile*, et sic *obliti sunt Deum* qui minime obliviscendus esset : *qui* nimirum *salvavit eos*, de Pharaone et de mari Rubro, et *qui* pro eis *fecit magnalia in Ægypto*, et non qualiacunque, sed *mirabilia in terra Cham*; et pro eis etiam fecit *terribilia in mari Rubro*, id est talia opera unde timendus esset, cum Pharaonem cum 425 exercitu toto demerserit ; *et* quoniam *Deum obliti sunt*, Deus *dixit*, id est statuit *ut disperderet eos si non Moyses electus ejus*, id est amicus ejus, pro quo ipse multum debebat facere, *stetisset* pro eis, *in confractione*, id est in maxima anxietate sollicitudinis, orans Deum pro ipsis ut eis parceret. Dico *si non stetisset in confractione*, et hoc *in conspectu ejus*, id est interius in anima quam ipse solus conspicit. Quod est dicere : Vere eos disperdidisset, nisi servus ejus Moyses eis compatiendo, pro ipsis affectione cordis orasset. Dixerat enim ei Deus : « Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos (*Exod.* XXXII, 10) ; » et ad hoc, scilicet *stetisset in confractione ut* orando pro eis *averteret iram*, id est vindictam *ejus* ab eis *ne disperderet eos*. Dico quod *obliti sunt Dominum*, et etiam *terram desiderabilem*, id est terram Chanaan, quæ nimis esset desideranda (*Num.* XIV, 7), *habuerunt pro nihilo*, scilicet sic de ejus promissione diffiderunt, ut eam quasi nihilum reputarent, nec ad eam adipiscendam laborare vellent ; et cum eis eam Dominus certissime promitteret (*Ibid.*, 30), non crediderunt verbis ejus acceptis per Moysen, et magis et magis *murmuraverunt*, existentes *in tabernaculis suis*, ubi timendum esset et a murmure cessandum, cum nondum certam sedem haberent, et cum eos Dominus per Moysen castigaret ne murmurarent, *non exaudierunt vocem Domini* per Moysen datam, ut cessarent. Et cum hac occasione digni essent damnatione, *elevavit*, id est separavit et elongavit ab eis *manum*, id est vindictam *suam*, manum inquam, imminentem pro malis meritis eorum *super eos*, ad hoc *ut* digne *prosterneret*, id est interficeret *eos in deserto*, et imminentem etiam ad hoc, *ut dejiceret semen eorum in nationibus* gentium, id est ut permitteret filios eorum captivatos dispergi inter nationes gentium, et eos *disperderet*, id est diversis modis perderet *in regionibus* gentium dispersos. Quod est ac si diceret : Cum propter eorum diffidentiam super eos ira Dei immineret ad hoc, ut partem eorum in deserto disperderet, partem vero in regionibus gentium dissiparet, et filios eorum inter nationes dispergeret, ipse prius hanc vindictam distulit ne perirent, ad similitudinem illius, qui onus elevat ne aliquem deprimat.

Et licet manum elevaret, tamen *iniuriati sunt*

www.libtool.com.cn

Behel-Phegor, id est consecrati idolo Behel, in Phegor regione. Ac si diceret: Licet eis pie parceret, tamen eum magis offenderunt, consecrando et subdendo se Behel, et ibi in Phegor; scilicet *comederunt sacrificia mortuorum* hominum, quos gentes deos esse mentiebantur, sicut erat Jupiter, etc., qui homines fuerunt, quorum sacrificia nefanda prohibita erant, ne comederentur. Dico quod *comederunt sacrificia* illicita, et etiam *irritaverunt eum* Deum *in adinventionibus suis*, id est per hoc quod adinvenerunt, ut cum mulieribus Madian fornicarentur, quod a Deo prohibitum fuerat; et quoniam irritaverunt, *multiplicata est in eis ruina*, id est multi a Deo interfecti sunt: et quando ruina illa fiebat, *stetit Phinees*, filius Eleazari filii Aaron fratris Moysi, non cecidit, sed constans fuit in præcepto Domini, ne cum Madianitis fornicaretur: et stans *placavit* Deum, perforando cuspide ad vindictam Dei Hebræum et Madianitidem quamdam, quos illicite commistos invenit (*Num.* xxv, 8), et sic *cessavit quassatio*, ut posthac Deus eis parceret: et hoc quod sic Deum placavit, *reputatum est ei in justitiam*, id est hac de causa justus vocatus est, et *in generatione* illa præsenti et usque *in generationem* sequentem, et etiam *usque in sempiternum* justus hac occasione reputabitur. Dico quod *Deum irritaverunt in adinventionibus suis*, et non solum hoc, sed et *irritaverunt eum ad aquas contradictionis*, scilicet ante petram, ubi objurgando contradixerunt Moysi et Aaron dicentes, quod non possent de petra aquam ejicere (*Num.* xx, 10), et ibi *vexatus*, id est anxiatus *est* Moyses propter eos, id est propter contradictiones eorum; et vere vexatus est, quia ipsi contradicendo, *exacerbaverunt spiritum* 426 *ejus*, id est acerbam et iratam fecerunt animam ejus, et adeo fuit exacerbatus et extra sensum factus quod *distinxit in labiis suis*, id est ut distinctionem et diversitatem faceret in verbis labiorum suorum, scilicet ut cum nihil antea dubitative de hoc quod sibi erat injunctum a Domino dixisset, hoc dubitative diceret. Et sic verba hæc distincta et diversa essent a verbis quæ prius cum certitudine dixerat. Legitur enim dixisse: « Nunquid de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? » (*Ibid.*)

Non solum autem his modis Deum offenderunt, sed hoc modo quoque quod, postquam in terra promissionis fuerunt, et Dominus præcepisset ut omnes gentes terræ illius interficerent, *non disperdiderunt gentes* illas omnes *quas dixit Dominus illis*, ut interficerent. Non solum autem eis pepercerunt, sed *et commisti sunt* per connubia mulierum *inter gentes* Amalech, quibus contra præceptum Dei pepercerant, et sic *didicerunt opera eorum*, scilicet illicitos ritus sacrificiorum: et sacrificando *servierunt sculptilibus* idolis (*Num.* xxv, 2, 3), et hoc factum est *illis in scandalum*, id est causa fuit quare Deus ab eisdem gentibus permitteret eos multa tribulationum scandala pati. Dico quod *servierunt sculptilibus*, *et* serviendo *immolaverunt filios suos*, *et filias suas* A *dæmoniis*, idolis scilicet in quibus dæmonia dabant responsa. Exponit autem qualiter immolaverunt. Dico *immolaverunt*, id est hoc modo quidem interficiendo eos, *et effuderunt sanguinem innocentem*, quod multo pejus est quam si nocens esset, *sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum*, *quas sacrificaverunt sculptilibus* idolis Chanaan; quod multo crudelius quam si filii et filiæ eorum non essent; et non paucos interfecerunt, sed ab illis *interfecta est terra*, id est maxima pars filiorum habitantium in terra illa. *In sanguinibus*, id est in effusione sanguinum, scilicet ad hoc interfecta est, ut sanguis ejus idolis effunderetur, et tanta fuit occisio quod *terra* ubi sacrificium fiebat, *contaminata est in operibus eorum*, scilicet in operibus sacrificiorum ubi B sanguis effundebatur; et sic *fornicati sunt in adinventionibus* gentium *suis* factis, scilicet quia adinventitia gentium sacrificia sua fecerunt, ea faciendo, fornicati sunt Deum relinquendo, et idolis adhærendo, ad similitudinem mulieris fornicantis, quæ, dimisso marito, cum adultero fornicatur. Et quia fornicati sunt *iratus est Dominus furore*, id est nimia ira *in populum suum*, id est contra populum suum, *et abominatus est hæreditatem suam*, id est abominabilem et exsecrabilem reputavit populum suum, quem per Moysen et cæteros doctores excoluerat, sicut aliquis excolit hæreditatem, *et tradidit eos in manus*, id est in potestatem *gentium* circumstantium, et hoc modo tradidit quod *dominati sunt eorum* C gentiles, *qui oderunt eos*, captivos eos ducendo, et tributa ab eis exigendo: et etiam *tribulaverunt eos inimici eorum* gentiles innumeris tribulationibus, *et* ex toto *humiliati sunt sub manibus*, id est sub potestate *eorum*, ut interdum eorum servi efficerentur et ex hac humiliatione *sæpe liberavit eos* Dominus multis modis, ut in historia legitur.

Ipsi autem cum hac occasione deberent eum nunquam exacerbare, *exacerbaverunt eum in consilio suo* illicito, id est malum consilium peccandi accipiendo; *et* rursus a Deo *humiliati sunt* sub potestate inimicorum *in iniquitatibus suis*, id est propter iniquitates suas, *et* tunc iterum misericorditer *vidit cum tribularentur*, *et audivit orationem eorum*, orantium ut eriperentur: *et* ideo audivit, quia *memor fuit testamenti* D *sui*, facti ad Abraham, quod ex semine ejus nasceretur Christus qui non nasceretur nisi his parceretur; et quia memor fuit, *pœnituit eum*, id est sic eos eripuit quasi de eorum tribulatione pœniteret. In Deo enim nunquam est pœnitentia, sed aliquando videtur esse quaodo factum quodlibet immutat. Pœnituit, inquam et hoc *secundum multitudinem misericordiæ suæ*, non 427 secundum eorum merita. *Et* ab ira *dedit eos in misericordias*, id est in beneficia misericordiæ, scilicet cum primum eis esset iratus, multiplicia beneficia misericordiæ eis contulit, et hoc *in conspectu omnium* inimicorum *qui ceperunt* prius *eos* in servitutem. Quod est dicere: Eis liberatis sic beneficia contulit, ut hoc omnibus eorum inimicis innotesceret. Quod dicit *in misericordias*, per emphasim dicit. Ac si

www.libtool.com.cn

dicat : Circumdedit eos multis misericordiæ beneficiis. Postquam eos Propheta instruxit quomodo sua suorumque patrum peccata debeant confiteri instruit quoque orare sic : Dico ut sic confiteamini dicentes : Peccavimus cum patribus nostris etc., et sic quoque dicite : Quandoquidem patres orantes audisti eripiendo eos de tribulationibus, nos quoque orantes salvos fac de tribulationibus peccatorum eripiendo. Instruit etiam eos Prepheta, postquam pro se oraverint, pro aliis orare sic : Postquam de salute vestra oraveritis, de salute quoque gentium orate, dicentes : Dicimus *salvos fac nos*, et etiam oramus *congrega* ad unitatem fidei *de* diversis *nationibus* gentium *nos*, id est nobis conformes futuros illos, scilicet ex gentibus qui crediturí sunt, sicut et nos dicimus *salvos fac nos*, *ut* salvi facti, *confiteamur* laudem et ore et opere et corde *nomini tuo sancto*, quod est Dominus. *Et in* illa *laude tua gloriemur*, non inviti scilicet eam persolvamus. Confiteamur, inquam, sic dicentes. *Benedictus*, id est exaltatus sit *Dominus Deus Israel*, scilicet magnificatus sit qui dominator et creator est nostri, qui sumus Israel, et hoc non ad horam, sed *a sæculo* præsenti et *usque in sæculum*, id est in æternum. Hoc quidem dicemus nos benedictus, etc. Et exemplo nostri omnes, id est omnismodi populus tam Judæorum quam gentium ad fidem convertendus dicet *fiat, fiat*. Quod autem bis *fiat* ponit, vel ad inculcationem, vel propter duplicem parietem Ecclesiæ facit.

IN PSALMUM CVI.

Titulus centesimi sexti. *Alleluia*, *alleluia*. Quod bis hic *alleluia* ponitur, affirmat beatus Augustinus positum esse propter duplicem Ecclesiæ parietem : unum, videlicet *alleluia*, ad Ecclesiam ex Judæis exhortandam ad laudandum Deum; aliud vero, quantum ad Ecclesiam gentium. Verumtamen scribit sanctus Hieronymus, Hebraicæ veritatis exquisitor diligens, quod in quibuscunque psalmis bis *alleluia* ponitur, prius ad præcedentem psalmum spectat, posterius autem titulus est sequentis, ut in præcedentibus quidem psalmis apparet. Nam postquam in psalmo præcedenti, ubi de Judæis infidelibus egit, priorum patrum peccata ostendit, et qualiter eos Deus pro peccatis afflictos, et post orantes et de peccatis pœnitentes ab afflictionibus illis eripuit, congrue subjungitur *alleluia*. Ac si poneret : Quandoquidem ut ostendi, talia beneficia Deus patribus vestris fecit, ut et ipse vobis eadem beneficia faciat, *laudate Deum* fide, voce, et opere. Sequens autem *alleluia*, sequentis psalmi convenienter est titulus. Propheta quippe qui de Judæis in superioribus psalmis duobus egit, in hoc de fidelibus ex gentibus agit, adhortans ut Deum laudent, et hoc contuitu, quia multiplicia beneficia in Ecclesia operatur : et quia Judæis repulsis, gentes ad fidem admisit, enuntiat quoque ipsa beneficia, ut magis eos ad Dei laudem incitet. Agit enim quomodo suos de quatuor periculis eripit. Quæ quidem ereptiones non omnes omnibus conveniunt. Non enim omnes in omnia hæc pericula deveniunt, sed nullus est in Ecclesia cui vel una harum vel omnes ereptiones istæ necessariæ non sint.

Primum quidem periculum est infidelitas, de quo quidem omnes per fidem necesse est eripi. *Secundum* vero consuetudo peccandi, quæ post fidei susceptionem restat, quæ et si multis dominetur, reducens eos ad pristina vitia. Pauci tamen sunt quos opprimere nequit ; de qua consuetudine peccandi fideles se deprecantes Deus eripit, dum eos per gratiam ad bonæ operationis 428 consuetudinem adducit. *Tertium* autem est acedia, id est desidia, quod solis spiritualibus viris ingruit, qui, postquam ad boni operis consuetudinem attigerint, ex dilatione supernæ patriæ torporem quemdam accipiunt, ac spiritalem animæ cibum, lectionem videlicet et orationem minus solito, et cum tædio sumunt. A quo periculo Deus eos ad se clamentes liberat, cum in eis fervorem charitatis exsuscitat. *Quartum* equidem est periculum quod solis instar Ecclesiæ pastoribus, tempestas videlicet immodica tribulationum, vel cum ab exterioribus hostibus persequuntur, qui ovile Dominicum devorare nituntur, vel cum a subditis immoderate et incorrecte se habentibus tribulationem interius patiuntur, dum eis quos ad viam rectitudinis reducere nequeunt, valde compatiuntur. Quam pro certo tempestatem ab eisdem prælatis exorata divina clementia mansuefacit. Vel dum plebem subditam spiritaliter corrigit, vel ejus hostium exteriorum impetum modo quolibet imperii sui potentia mirifice compescit. Hoc etiam quod bis psalmo huic *alleluia* præponitur, inculcationis causa et majoris exhortationis pondere factum esse a quibusdam asseritur. Cum itaque de hujusmodi re sententia multiplex habeatur, Hieronymus, utpote linguæ peritus Hebraicæ, præcipue videtur esse sequendus.

Confitemini Domino, etc., ac si dicat : Vos gentiles, id est a Christo ejus morte redimendi, laudate Dominum ore, et opere, et devotione ; et hoc contuitu *confitemini quoniam bonus est* in natura ineffabiliter. Vos autem idiotæ, qui non potestis ad hoc sufficere ut contuitu, bonitatis ejus ei confiteamini, *confitemini* saltem hoc contuitu, *quoniam in sæculum misericordia ejus*, id est quia conspicitis quod beneficia misericordiæ ejus, sunt in humano genere duratura usque in sæculum, id est usque in æternum. *Confitemini*, inquam, et hoc etiam adhortatorie *dicant* alterutrum *qui redempti sunt*, id est gentiles qui redimendi sunt *a Domino* Christo, adhortando unus alterum dicant hoc quod dico, scilicet *confitemini Domino*. Exponit igitur unde sunt redimendi cum addit : *Quos redemit*, inquam, id est redimet morte sua *de manu inimici*, id est de potestate diaboli, illis ex invidia inimicantis, et *illos* redimendos *congregavit*, id est congregavit non in unum locum, sed in unitatem fidei *de regionibus* omnibus. Per hoc quod dicit *de regionibus* omnibus, eos esse multos innuit, et tanto majus esse beneficium ostendit.

www.libtool.com.cn

Ostendit autem ipsas regiones per partes, cum adjungit, scilicet *congregabit eos a solis ortu*, id est ab oriente *et occasu*, id est occidente, et *ab aquilone*, id est a septentrionali plaga *et mari* australi. Quod est ac si dicat : Ex omnibus mundi partibus congregabit. Quod autem ponit *a mari*, non vult referri B. Hieronymus quantum ad australem plagam, eo quod Hierusalem nullum mare habeat ab australi parte, sed potest ad omnia referri. Ac si dicat : Dico quoniam eos congregabit quosdam ab oriente, et quosdam ab occidente, quosdam etiam ab aquilone. Et omnes istos congregabis *a mari* exemptos, id est ab amaritudine infidelitatis. Intendit autem ostendere *primum periculum* cum addit, erraverunt. Quod sic adaptatur dico *congregabit*. Et ecce unde *eos congregabit* de errore, scilicet infidelitatis. *Erraverunt* enim, id est errabunt positi *in solitudine*, scilicet infidelitatis, scilicet solitarii, nec associati populo Judaico Dei utcunque notitiam habenti. Et positæ *in inaquoso*, id est in ariditate cordis, carentes aqua doctrinæ et intellectus. Et quidam eorum philosophi scilicet, *esurientes et sitientes*, id est valde desiderantes ad modum esurientium et sitientium, ratione sua invenire qua via ad civitatem cœlestem pervenirent ; *non* tamen *invenerunt viam civitatis habitaculi*, in qua non est peregrinatio, sed perennis habitatio. Et per hoc innuit quoniam idiotæ qui viam 429 non quæsierunt ; multo minus invenerunt. Legitur quippe Platonem de Trinitate disputasse, sed de Verbi incarnatione notitiæ nil habuisse. Unde in Canticis : « In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum et non inveni (*Cant.* III, 1). » Et eodem modo alii philosophi de summo bono Deo, scilicet disputantes, ejusdem incarnationis fide caruerunt. Ideoque *erraverunt*.

Errabunt, inquam, *et anima eorum in ipsis* confidens, ab intellectu et omni virtute *defecit*, id est deficiet. Quod est dicere : Quia per se virtutes et intellectum habere putabunt, ab his omnibus deficient. Non enim virtutes et rectus intellectus esse dicenda sunt, quæ sine fide et charitate habentur. *Et* errando et deficiendo *clamaverunt*, id est clamabunt *ad Deum*, non voce, non affectione ; sed *cum tribularentur*, id est cum hoc erit quod tribulabuntur ab anxietate ignorantiæ. Cum, causativum est, ac si dicat : Ipsa miseria tribulationis eorum clamabit ad Dominum, cum hoc erit quod minus anxiabuntur, eo quod ad viam summi boni attingere nequibunt. *Et Dominus eripuit*, id est eripiet *eos de necessitatibus*, id est de paupertatibus *eorum*, de hoc scilicet quod egentes erunt fide, virtutibus et intellectu. Unde valde eos eripi necesse est. *Et* hoc modo quidem eripiet quod *eos* ereptos ab errore *deduxit*, id est deducet *in viam rectam* fidei et intellectus, *ut* hac via *irent*, id est eant *in civitatem habitationis*, non peregrinationis, scilicet in Hierusalem cœlestem. Et quia hæc beneficia eis conferet, hortor ut *confiteantur laudem Domino misericordiæ ejus*, id est hæc beneficia misericordiæ ejus, quod eos scilicet eripiet et deducet, sint materia quare ipsi laudent Dominum corde, ore, et operatione. *Et* non qualiacunque beneficia erunt, sed *mirabilia* exhibenda *filiis hominum* promorum Adæ videlicet et Evæ, qui non erunt solum filii secundum originem, sed secundum mortis participationem. Illud enim mirabile erit quod per fidem mortuos suscitabit. Repetit autem ipsa beneficia quæ plurima sunt, quantum ad plures personas, ut magis eos ad Dei laudem incitet, sic : Vere confiteri debent contuitu harum misericordiarum, *quia satiavit*, id est satiate et large replebit eorum *animam* prius *inanem*, id est vacuam et *animam esurientem bonis*, id est valde desiderantem satiavit. Large replebit bonis illis, fide scilicet, et virtutibus, et intellectu. Quod repetit *et animam* ideo facit ut addat *esurientem*, ac si dicat : Ideo anima eorum replebit, quia illa esuriet. Datur autem intelligi quod multos idiotas in viam rectam fidei deducent, qui prius eam quærere nescierunt.

Primi quidem periculi ereptione ostensa, *secundi* ereptionem ostendere sic intendit. Non solum esurientes satiabit, sed post hanc ereptionem multos ex his ereptos *sedentes*, id est immorantes *in tenebris* peccatorum, *et* in illis tenebris, quæ erunt *umbra mortis*, id est tenebræ ducentes ad mortem æternam, solvet a tenebris illis, scilicet a peccatis criminalibus. Tenebræ et umbra idem hic significant; *Sedentes in tenebris*, inquam, et *vinctos* in illis tenebris a prava consuetudine ne per se possint evadere, et in hoc quidem majus beneficium denotatur in eorum solutione. Vinctos, inquam, prava consuetudine persistendo *in mendicitate et ferro*, id est in ferrea mendicitate, scilicet in insolubili paupertate imbecillitatis, quia sic imbecilles erunt ex prava consuetudine, quod peccatis nequibunt resistere, a similitudine imbecillis, qui ferrea vincula, quibus astrictus est, nequit evadere. Dico *vinctos in* ferrea *mendicitate*, et inde continget eos insolubiliter vinciri, *quia exacerbaverunt eloquia Domini*, id est quia acerba et gravia reputabunt præcepta Domini; quæ, si eis jucunda et amabilia viderentur, non sic utique vincirentur. Exacerbabunt, inquam, præcepta Domini *et consilium*, id est præcepta *altissimi* sapienti consilio danda exacerbando *irritaverunt*, id est ad iram provocabunt illum *Altissimum*, quod equidem 430 erit valde temerarium, cum altissimus sit et ad ulciscendum potens. Quoniam autem eos dixerat *vinctos*, ostendit sic vinctos ut nullo nisu possint se solvere, ut majus appareat beneficium in eorum solutione. Dico quod vincti erunt, et sic vineti quod, licet toto nisu rationis se solvere laborent, tamen persistendo in laboribus solvendi se, *cor*, id est anima *eorum humiliatum est*, id est humiliabitur sub peccatis, et ab eis superabitur, et sic quod *infirmati sunt*, id est infirmabuntur, adeo ut in peccandi consuetudinem decidant, *nec fuit qui adjuvaret*, id est non erit aliquis præter Deum qui possit eos adjuvare, eripiendo ab hac infirmitate. *Et* ideo *clamaverunt ad Dominum*

www.libtool.com.cn

cum tribularentur, scilicet quia per se insufficientes erunt, clamabunt ad Dominum voce et affectione, cum interius a vitiis tribulabuntur, *et de necessitatibus eorum liberavit eos*, id est de hac paupertate mendicitatis liberabit eos, et hoc modo quidem scilicet *et eduxit*, id est extrabet *eos* per gratiam *de tenebris*, *et* de illis quæ sunt *umbra mortis*, id est umbra ducens ad mortem, et *vincula eorum disrupit*, id est vincula pravæ consuetudinis et imbecillitatis disrumpet in eis, et destruet ne ab his ulterius impediantur. Et quoniam hæc misericordiæ beneficia eis impendet, *confiteantur Domino* hæ *misericordiæ ejus*, *et mirabilia ejus* exhibenda *filiis hominum*; hoc ut superius exponitur.

Repetit autem ad commendationem has misericordias sic : *Confiteantur*, inquam, et hoc ea occasione, *quia contrivit portas æreas*, *et vectes ferreos confregit*, scilicet conteret et confringet et destruet in eis omnino pravam consuetudinem et imbecillitatem, quæ dicuntur æreæ portæ et ferrei vectes, eo quod ipsos captos tenebunt a similitudine portarum ærearum et vectium ferreorum, qui aliquem in carcere clausum detinent, ne egrediatur. Et non solum hæc in eis conteret, sed *suscepit*, id est post suscipiet *eos* exemptos *de via iniquitatis eorum*, scilicet eos liberatos a prava consuetudine, quæ via est ad iniquitatem operandam; sic suscipiet ut post eis patrocinetur ne ulterius ab hoc vinculo vinciantur. Suscipiet, inquam, *propter injustitias enim suas humiliati sunt*, id est humiliabuntur, scilicet ideo eos suscipiet quia humiliabunt se Deo omni devotione contuitu iniquitatum suarum, ut remittantur. Permittit quippe multos Deus labi ut per hoc humilientur. Ingreditur autem Propheta *tertium periculum* ostendere, et ejus ereptionem sic : Dico quod Deus eos liberatos suscipiet ut a vitiis custodiat. Postea vero *omnem escam* spiritalem, lectionem scilicet et orationem, quibus *anima* reficitur *abominata est*, id est abhorrebit, et fastidio habebit anima quorumdam *eorum*, quæ, licet jam esca illa frui consueverit, tamen ex dilatione patriæ cœlestis tædium illius escæ concipiet, et per hoc *appropinquaverunt usque ad portas mortis*, id est appropiquabunt usque ad peccata, quæ sunt portæ per quas ad mortem fit ingressus, scilicet ad hoc devenient ut fere peccent criminaliter; et in tanto periculo se constitutos esse considerantes, *clamaverunt*, id est clamabunt *ad Dominum* voce et corde *cum tribularentur*, id est cum tribulabuntur interiori tædio escæ spiritalis. *Et de necessitatibus eorum liberavit eos*, scilicet de paupertate fervidæ charitatis liberabit eos et hoc modo liberabit. *Misit*, id est mittet in eorum auxilium non localiter, sed spiritaliter *verbum suum*, id est imperium potentiæ suæ, *et* sic *sanavit*, id est sanabit *eos*. Quod est dicere : Imperio potentiæ suæ constituet ut sanentur, et protinus a languore hujus tædii sanabuntur. *Et* per hanc sanitatem *eripuit*, id est eripiet *eos de interitionibus eorum*, id est de interitu peccatorum, et de interitu æterno in quem deciderent si in hoc tadio remanerent. Ergo *confiteantur Domino* istæ *misericordiæ ejus*, *et mirabilia ejus* exhibenda *filiis hominum*, et hoc quoque, ut superius exponitur. *Et* cum 431 ei corde et ore et opere confitebuntur, *sacrificent ei sacrificium laudis*, scilicet devoveant ei non pecudes aut quælibet hujusmodi sacrificia; sed laudem, quod ei erit delectabile sacrificium. *Et* hoc quidem modo dico eos sacrificium laudis sacrificare, ut hoc quod sunt non tædiosi, sed charitate fervidi, non sibiipsis, sed Deo in mente sua ascribant, et etiam *annuntient* ad Dei laudem aliis *in exsultatione opera* ejus in seipsis existentia, scilicet annuntient hoc quod tales sunt, operatione Dei esse.

Quartum quoque *periculum*, quod solis prælatis imminet, et ejusdem periculi liberationem ostendere intendit cum dicit. *Qui descendunt*, etc. Quod sic adaptatur. Non solum illi quos superius ostendi opera divinæ misericordiæ in se considerabunt et experientur, sed etiam prælati, qui contemplationis sublimitate *descendunt* descendentes *in mare*, id est in subditam plebem, quemadmodum mare creberrimis tentationum tempestatibus perturbatur, et non sic descendunt ut submergantur in mari, sed existendo *in navibus*, id est in gubernationibus, ut videlicet subditam plebem suis gubernationibus a tempestate tribulationum protegant, ad modum navium quæ homines sibi innitentes, a marina tempestate protegunt, et per gubernationem suam *facientes operationem in aquis multis*, id est in multis populis, id est valde operantes per gubernationem prædicationis suæ in populis sibi subditis, eos recte et ecclesiastice se habere faciendo. *Ipsi viderunt*, id est videbunt *opera* misericordiæ *Domini*. Et bene ponit *ipsi*, ut innuat quod cum cæteri de quibus superius actum est, visuri sint opera Domini, ipsi potius qui descendent in mare, sunt opera misericordiæ ejus visuri ipsa rei experientia. Et non qualiacunque opera, sed *mirabilia ejus* misericordiæ opera exercenda *in profundo*, id est in illis subditis qui sunt profundi in vitiis. Et hoc totum est ac si diceret : Prælati qui a contemplatione in practicam vitam descendunt, ut subditos regant, ipsi mirabilia Dei beneficia circa subditos in peccatis profundissimos experientur, quæ beneficia in sequentibus ostendet. Populos quidem aquas vocat eo quod ad modum aquarum de generatione in generationem diffluunt. Quoniam autem dixerat prælatos beneficia Domini visuros, ut consequenter ipsa beneficia ostendat, prius periculum ostendit, sic : Ipsi videbunt, inquam, opera misericordiæ Domini; et ut hæc videant *dixit*, *et stetit* in mari subdito eis prælatis *spiritus* operatoris *procellæ*, id est permittit Deus et in plebe subdita, quam mare superius diximus : Stabit *spiritus procellæ*, id est in mari illo perseverabit spiritus malignus operator procellæ seditionis et discordiæ, *et sic exaltati sunt fluctus*, id est exaltabuntur et augmentabuntur fluctus persecutionum *ejus* maris, ut videlicet plebs subdita in-

http://www.libtool.com.cn

terdum in prælatos persecutionibus exterioribus insurgat, et penitus a se doctrinæ et ecclesiasticæ disciplinæ jugum excutiat. Vel si non exaltentur fluctus exteriorum tribulationum, exaltabuntur fluctus interiorum, sic ut eos nimis in anima tribulationibus urgeant ex compassione misericordiæ suæ; cum ad eorum correptionem sanctam renuunt pravos actus suos emendare. Tunc autem cum fluctus tribulationum exaltabuntur, *ascendunt* prælati *usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos*, id est *ascendunt* consideratione sua *usque ad cœlos*, id est usque ad considerandam vitam cœlestium virorum quæ sublimis est et sancta, et Deo amabilis, *et descendunt usque ad abyssos*, id est usque ad considerandam infelicem, et ideo odibilem vitam peccatorum, qui profundi erunt in peccatis ad modum abyssorum; et per hoc *anima eorum* prælatorum *tabescebat*, id est tabescet et deficiet nimia mœroris anxietate, *in malis*, id est in consideratione malorum subditorum, qui ut abyssi profundi erunt. Compensabunt nempe cœlestium virorum sublimitatem, subditorumque 432 suorum dejectionem, quorum eis cura credita est.

Potest etiam hoc sola similitudine legi sic: Exaltabuntur, inquam, *fluctus ejus*; et tunc prælati *ascendent usque ad cœlos, et descendent usque ad abyssos*, id est erunt similes hominibus in marina tempestate periclitantibus, qui aliquando fluctibus elevantibus se, videntur usque ad cœlos ascendere, aliquando deji cientibus se fluctibus videntur usque ad abyssos descendere; scilicet in tanto periculo suæ prælationis positi erunt, in quanto illi qui, ut ostensum est, in mari periclitantur. Et ideo anima eorum tabescet posita in istis malis anxietatum; et tunc *turbati sunt* prælati, id est ratio eorum turbabitur. Et ne sic intelligerentur esse turbati, ut nunquam sinceram rationem habuerint, addit: *Et moti sunt*, id est a sinceritate rationis suæ movebuntur, ac si dicat: Cum prius sinceram et imperturbatam rationem in regendo subditos habuerint, a sinceritate illa in perturbationem præ nimia subditorum dissensione movebuntur, vel movebuntur indignatione contra subditos. Per hoc itaque nimiam eorum perturbationem ostendit. Turbabuntur, inquam, a ratione sua *sicut ebrius*, id est ad modum ebrii, qui a valetudine rationis suæ fit alienatus. *Et* in tantum turbabuntur quod *devorata est*, id est devorabitur, et ex toto destruetur *omnis sapientia eorum*, ut, cum ante perturbationem sapienter regere noverint, tunc in tanta perturbatione positi omnem sapientiam regiminis amittant, a similitudine nautarum, qui a nimia tempestate deprehensi sui regiminis peritia nequeunt uti. Turbabuntur, inquam, *et* ideo videntes se sufficere non posse, *clamaverunt*, id est clamabunt *ad Dominum* corde, ore, et opere, *cum tribularentur*, id est cum in periculo tanto tribulabuntur; *et de necessitatibus eorum eduxit eos*, id est de insufficientia et inopia regiminis educet eos. Et ecce qualiter educet, scilicet et *statuit*, id est statuet.

A Quod est dicere: Mutabit *procellam ejus* maris, id est minores tribulationes et exteriores et interiores, *in auram*, id est in serenitatem et quietem; *et siluerunt fluctus ejus*, id est silebunt, et ex toto cessabunt majores tempestates persecutionum ipsius subditæ plebis, sive exteriores sive interiores. Quod est dicere: Sic sedabit plebis subditæ dissensionem, bene et sancte et regulariter eos se habere faciendo, ut non oporteat prælatos eis compati, et pro eis anxiari a similitudine maris, quod sic aliquando post tempestatem sedatur ut nec a procellis nec a fluctibus inquietetur; sed solum levis ventus et serenus, qui aura dicitur. in eo sit. Procellas quippe vocamus minores maris commotiones, fluctus vero, majores. Auram etiam serenum et suavem ventum dicimus.

B Unde per procellas minores tribulationes, et per fluctus majores accipiuntur, et per auram serenitas concordiæ convenienter intelligitur: Sive, sicut per spiritum procellæ, malignum spiritum denotavimus, ita et per auram quæ serena est et suavis, Spiritus sanctus accipitur, totius serenitatis et concordiæ auctor. Et sic littera adaptatur: Deus statuet, id est commutabit procellam diabolicæ dissensionis in auram, id est serenitatis spiritum, scilicet ut omni procella depulsa, ibi spiritualis concordiæ serenitas habeatur; *et* sic *silebunt*, id est cessabunt *fluctus ejus* maris, id est tribulationes subditæ plebis, ut non ulterius prælatis tribulationes inferant sive interius, sive exterius.

C *Et quia* fluctus *siluerunt*, id est silebunt, *lætati sunt*, id est lætabuntur prælati prius de procella contristati. *Et* etiam lætabuntur de hoc quod *deduxit eos* Deus *in portum voluntatis eorum*, id est deducet eos in tranquillitatem et requiem, quam volent. Posset quippe eos ducere ad tranquillitatem, sed non ad tantam ad quantam vellent, ideoque ut majus appareat beneficium, addit: *in portum voluntatis eorum*; a similitudine nautarum, qui tempestatem evadentes, postquam ad portum perveniunt, in tranquillitate et in requie sunt. Ergo quoniam has misericordias prælatis faciet, *confiteantur Domino* 433 istæ *misericordiæ ejus et mirabilia* ejus exhibenda *filiis hominum* Adæ et Evæ, scilicet subditis. Non enim prælati licet in tempestate positi,

D filii hominum Adæ et Evæ secundum mortem sunt dicendi. Exponit autem quomodo dicat, ut misericordiæ istæ sint materia confitendi sibi laudem, cum addit: *Confiteantur*, inquam, id est sint materia confessionis, scilicet *exaltent eum* quicunque omnimoda laude *in Ecclesia*, id est in consideratione Ecclesiæ, *plebis* subditæ, videndo, scilicet quæ congregatio subditorum egregie, et regulariter se habeat; et *laudent eum in cathedra seniorum*, id est in consideratione gubernationis prælatorum, rationabiliter et cum tranquillitate subditos regentium. Cathedra pro gubernatione ponitur, eo quod gubernatores in cathedris solent sedere. Ostensis quatuor ereptionibus, ut magis ad Dei laudem incitet gentes, et si superius de earum salute egerit, agit tamen de

www.libtool.com.cn

hac eadem re in sequentibus agendo pariter de Judæorum repulsione, ut majus appareat in salute gentium beneficium, ex comparatione repulsionis Judæorum. Dico *laudent* quicunque; videntes Dominum *in cathedra seniorum*, et de hoc quoque *laudent quod posuit flumina in desertum*, id est prædicatores qui flumina dicuntur, eo quod ad modum fluminum subditos doctrina sua reficiant. Quos mittendo Deus *in desertum* ponet, id est diu perseverare faciet; in hoc deserto, id est in gentili populo ut eum doctrina sua reficiat; qui desertum dicitur eo quod ante doctrinam prædicatorum ad modum terræ desertæ, steriles in bono opere fuerunt. Non solum autem minores prædicatores ponet Deus *in desertum* sed et ponet *in sitim*, id est in gentilem populum *exitus aquarum*, id est apostolos, ut per eorum doctrinam ad fidem adducantur. Dicuntur quidem apostoli *exitus aquarum*, id est fontes, eo quod ab eorum doctrina cunctorum prædicatorum doctrina dirimetur, sicut a fontibus rivi egrediuntur. Gentilis autem populus, per emphasim, dicitur sitis, eo quod de doctrina fidei valde siccus esset et aridus. Dico quod ponet *flumina in desertum*.

Terram autem *fructiferam*, id est populum Judaicum, prius existentem terram suam in bonis operibus fructiferam, permittet poni *in salsuginem*, id est in sterilitatem quæ per salsuginem accipitur, eo quod salsa terra sterilis sit. Hoc autem quod sterilis fiet a bono opere, continget *a malitia inhabitantium*, id est dominantium *in ea*, scilicet per malitiam Pharisæorum et cæterorum prælatorum, qui male vivendo et steriles existendo, eam exemplo suo corrumpent. Ex opposito vero *posuit*, id est, ponet per auxilium gratiæ *desertum*, id est gentilem populum *in stagna aquarum*, id est in prædicatores, scilicet quosdam ex gentibus, adeo aqua doctrinæ faciet redundare, unde alios reficiant, in quantum stagna aquis redundant. Et bene *stagna* ponit, ut per hoc prælati illi accipiantur qui stantes sunt, non diversas mundi partes docendo peragrantes, sicut episcopi multi, et cæteri gradus prælatorum uniuscujusque ecclesiæ, a similitudine stagnorum quæ non fluunt. Et non solum *desertum* ponet *in stagna aquarum*, sed et *terram sine aqua*, id est populum gentilem aqua doctrinæ carentem, ponet *in exitus aquarum*, scilicet quosdam ex ipsis gentibus faciet apostolos, ut vice apostolorum plures provincias docendo perlustrent, et cæteri minores ab eorum doctrinæ fonte procedant, sicut Dionysius Areopagita in Gallia, et cæteri multi per diversas mundi partes ab apostolis, et eorum successoribus missi. *Et illic*, id est in fundamento fidei et doctrinæ illorum stagnorum et exituum aquarum *collocavit*, id est fundabit alios complures *esurientes*, id est valde desiderantes eorum doctrina refici, ut in doctrina beati et gloriosissimi Martini multi leguntur fuisse collocati. Et ipsa stagna et exitus *constituerunt civitatem habitationis*, id est prædicatione sua et exemplo constituent illos esurientes tales, ut

A fiant postmodum in futuro Hierusalem cœlestis, quæ ut superius dictum est, erit civitas habitationis; 434 vel esurientes in eis collocandi prædicatores effecti facient, alios prædicando civitatem habitationis. *Et* hoc modo constituent civitatem, quod et quosdam factos Dei *agros* cultibiles, per fidem *seminaverunt*, id est seminabunt semine doctrinæ, et ex ipsis agris *plantaverunt*, id est plantabunt *vineas*, scilicet ex fidelibus Deo per fidem generandis firmiter constituent congregationes clericorum et monachorum, quæ Dei vineæ erunt fructiferæ; et non erunt in malo fructiferæ, sed *fecerunt*, id est facient *fructum nativitatis*, id est fructum naturalem, fructum videlicet operum bonorum, ad quem faciendum natæ sunt, et a Deo creatæ. Malorum

B enim operum fructus contra naturam est. Peccatum enim non est natura, sed vitium naturæ, sicut Prosper asserit.

Et eis vineis et agris *benedixit*, id est benedicet Dominus, scilicet exaltabit in virtutibus. *Et multiplicati sunt*, id est multiplicabuntur quantum ad numerum personarum, et hoc *nimis*, id est supra modum. Et hoc modo nimis, quia *non minoravit jumenta eorum*. Hic datur intelligi, quod multiplicari permittet *jumenta eorum*, id est illos ex ipsis qui simplices erunt et rudes, ut jumenta, idiotas videlicet; qui ideo *nimis multiplicati* dicuntur, quoniam plures ex ipsis, ut in sequentibus ostendetur, ab hæreticis incorporati fuerunt. Cum enim hæretici

C prudentes devorare nequeunt, idiotas invadunt. Unde Psalmista alibi : « Congregatio taurorum in vaccis populorum (*Psal.* LXVII, 31). » Multiplicabuntur, inquam, agri. Et post, *pauci facti sunt*, id est pauci fient cum perfecti dimittentur, a maxima parte jumentorum, qui ab hæreticis incorporabuntur. *Et* perfecti *vexati sunt*, id est vexabuntur *a tribulatione malorum*, id est hæreticorum. Leguntur enim hæretici sanctis viris tribulationem corporeæ persecutionis intulisse, ut Arius et alii plures. Et vexabuntur etiam interius perfecti *a dolore* compassionis, compatiendo, scilicet eorum errori et perditioni. Per hoc itaque pauci fient, et vexabuntur quod *super principes* hæreticorum, id est in superiori parte eorum in anima, scilicet *effusa est con-*

D *temptio*, id est effundetur despectus iræ Dei, quæ eos interius excæcabit; vel effundetur super principes, justo judicio Dei conterendos, ut contendant adinvicem multiplici schismate, et sic magis excæcentur. Et eos excæcatos *fecit*, id est permittet *errare* positos *in invio*, id est in devio diversarum hæresum, et sic ut nullo modo sint in via fidei. Sunt quippe plures qui, tametsi in quibusdam levibus errant ex ignorantia, tamen sunt in via de quibus Apostolus : « Et si quid aliter sapitis, et hoc quoque vobis Deus revelabit (*Philip.* II, 15). » Quia posset quæri quid hoc quod de hæreticis agitur ad Dei laudem attineat. Ostendit quæ inde utilitas continget perfectis, ut illud spectare ad Dei laudem innuat sic : Dico quod hæretici errabunt, et *de inopia* eorum

www.libtool.com.cn

per hoc, scilicet quod ipsi erunt fide inopes, adimit *pauperem*, id est adjuvabit Dominus populum perfectorum pauperum spiritu non superbum. Vel de *inopia*, id est de paucitate ipsorum perfectorum, scilicet hoc eos *adjuvabit* quod erunt pauci, et a multis hæreticis circumdati ; et ne familiæ suorum ab hæreticis seducantur, *posuit*, id est ponet et fundabit in fide firmiter ipsas *familias sicut oves*, id est similes ovibus, quæ solummodo pastori sui vocem audiunt, nec alienum pastorem sequuntur. Exponit autem quomodo suos adjuvabit de inopia, sic. Vere suos adjuvabit per inopiam hæreticorum. *Videbunt* enim *recti* per eos scilicet eorum exagitati quæstionibus ; multa videbunt de fide quæ prius ab eis intellecta non erant; *et* videndo inde *lætabuntur*. Et quia ipsi videntes erunt, *omnis iniquitas* hæreticorum *oppilabit os suum*, id est omnes hæretici claudent os suum, non audentes facere eis assultum. Ergo quando quidem tot, ut ostendi, misericordias in humano genere Deus exercebit, *quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini*? Hoc 435 autem ad majus exhortationis pondus interrogative ponit. Et est ac si diceret : Quandoquidem suis tot misericordias Deus impendet, si quis sapiens erit, et custodiet hæc beneficia, postquam sibi fuerint adeo data, ne sua culpa amittat, et non ascribet hæc suis meritis, sed intelliget has misericordias esse solius Domini.

IN PSALMUM CVII.

Titulus centesimi septimi. *Canticum psalmi ipsi David*, Christo attribuendum. *Canticum psalmi* tractatus iste dicitur eo quod hic principaliter agatur de cantico, id est de jucunda remuneratione ; et secundarie de psalmo, id est de bona operatione. Agit enim in hoc psalmo Dominicus homo, ostendens se obedientiam passionis, et bonæ operationis esse paratum ; et agens etiam de ipsius obedientiæ remuneratione, de glorificatione videlicet resurrectionis, et ascensionis suæ, et de hoc quod per mortem suam salvandos ex Judæis et gentibus assumet. Hoc autem ea intentione facit ut suis in hoc spem tribuat glorificationis, si obedientes divinis præceptis exstiterint. Notandum sane quod psalmus iste non absque ratione a Propheta de duorum psalmorum extremitatibus, est conjunctus; de extremitate scilicet LVI et de extremitate LIX. Quod ideo factum esse indicatur, ut removeatur, ne duo psolmi illi ad solas historias intelligantur, licet ab historiarum similitudine intitulentur. Si enim ad solas historias eos Propheta edidisset, cum utique historiæ diversissimæ sint, psalmorum ex his factorum partes in unius psalmi compositione non possuisset, nec huic psalmo quidem alius titulus nisi ex duabus illis historiis sumptus ab Esdra positus esset. Qui per eumdem prophetiæ spiritum creditur titulos apposuisse; per quem et David psalmos composuisse. Aliter enim ab Ecclesia non haberetur in auctoritate. Per hoc etiam innuitur, cæteros psalmos juxta historiam intitulatos, non esse ad solam historiam accipiendos.

Paratum cor meum, Deus, ac si dicat : Licet ex carnis infirmitate pro passione videndus sim contristari, tamen paratum est cor meum. *Paratum* est, inquam, *cor meum*, id est voluntas animæ meæ parata est ad patiendum. Hoc autem bis ad assertionem ponit, et magis in hoc suos auditores ut ad hoc idem pro eo parati sint instruit. Et ego sic paratus *cantabo* tibi interiori devotione, *et psallam* exterius bona operatione, et hoc *in gloria mea*, id est in consideratione gloriæ meæ. Considero nempe ob hoc me esse glorificandum, cum immortalis fiam et impassibilis. Exhortatur autem humanitatem suam ad cantandum et psallendum, ut per hoc veniat ad resurrectionem ; et non ponit ipsum cantare et psallere ; sed æquipollenter ponit exsurgere, quod est effectus istorum, et per hoc intelliguntur causæ, scilicet cantare et psallere. Dico quod *paratum est cor meum* ad hoc ut patiar, et quia *cantabo et psallam*, et sic fiat, o humanitas mea, *exsurge*, id est merere exsurgere per mortis obedientiam, et per cantationem et psalmum : tu humanitas dico existens *psalterium et cithara*. *Psalterium* quidem secundum superiora, id est secundum virtutes et bonas operationes quibus Deum laudas ad modum psaltarii, quod ex superiori sonat, et *cithara* secundum inferiora, scilicet secundum mortalitatem et passibilitatem, quæ etiam Deum laudant patiendo, et pro ejus obedientia moriendo a similitudine citharæ sonantis ex inferiori. Vel sic : Dico quod *psallam* in consideratione gloriæ meæ, et ut glorificeris, o caro, *exsurge psalterium et cithara*, scilicet tu nunc existens cithara secundum inferiorem naturam mortalitatis et passibilitatis, *exsurge* a morte ut sis psalterium adipiscendo superiorem naturam immortalitatis et impassibilitatis. Dico, *exsurge*, et sic erit : *Exsurgam* revera, et hoc *diluculo*, id est in mane tertiæ diei. Hoc 436 quod terminum resurrectionis ponit, facit ad fidei nostræ certitudinem, et ad majorem suæ humanitatis exhortationem. Exsurgam, inquam, et per hoc *confitebor tibi in populis*, id est veros confessores tibi pariam in populis Judaicis ; *et psallam tibi in nationibus*, id est tales tibi pariam per fidem in nationibus gentium, qui tibi psallent. Et non solum per hoc quod exsurgam confitebor et psallam ; sed et per hoc *quia magna misericordia tua*, ego scilicet misericordia tua magna, per emphasim, eo quod per obedientiam passionis meæ magna misericordiæ beneficia generi humano largieris ; exaltabor *super cælos* materiales, eos corporaliter ascendendo, et Spiritum sanctum mittam, cujus inflammatione confessores et psallentes instituentur. Vel exaltabor *super cælos*, id est super angelos immortalis et impassibilis effectus, qui secundum mortalitatem et passibilitatem paulo minus ab eis modo sum minoratus, et sic instituam confessores et psallentes. *Et veritas tua*, id est ego per emphasim tua veritas, per quem verificabitur promis-

www.libtool.com.cn

sio tua, exaltabor *usque ad nubes* constituendas, id est usque adeo ut etiam constituam prædicatores. Confessores, inquam, pariam et psallentes per resurrectionem et exaltationem meam, et ut pariantur exaltare super cœlos materiales, vel super angelos, o Deus verbum mihi personaliter unitum. Non dicit hoc de Verbo, quia Verbum sine tempore sit Patri et Spiritui coæquale, sed propter humanæ naturæ personalem unionem indissolubilem, quæ passa est et exaltata, aliquando legitur Verbum passum, et super cœlos exaltatum.

Exaltare, inquam *super cœlos*, *o Deus* Verbum, id est fac me humanam naturam exaltari, *et* sic *super omnem terram* tam super Judæos quam super gentes exaltetur *gloria tua*, scilicet per hanc exaltationem omnis modi gens ad tui notitiam veniendo, te Deum esse super omnes cognoscat et glorificet. Vel sic: *Exaltare*, *Deus* Pater. me exaltato *super cœlos* materiales, vel super angelos, scilicet exalta me super cœlos, et per hoc apud homines exaltaberis, et me exaltato super omnem terram, subjiciendo mihi eam per fidem, exaltetur gloria tua super omnem terram, ut te scilicet per mei notitiam cognoscendo corde, ore glorificetur et opere. «Nemo quippe veniet ad te Patrem, nisi per me Filium (*Joan.* XIV, 6).» Fac, inquam, me resurgere, et exalta me super cœlos, *ut* per hoc *dilecti tui* futuri *liberentur* a potestate diaboli. Ut autem ad hanc exaltationem pertingam, *salvum fac me* prius a morte resuscitando *dextera tua*, id est potentia tua, et ut salvus fiam, *exaudi me* orantem de hac salvatione. Quoniam autem dixerat *exsurgam* et *confitebor*, et exaltabitur *super cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua*, ne hoc verum esse dubitaretur, ideo quia humiliter oraverat istud auctoritate Verbi, sibi interius loquentis, comprobat sic: Dixi, *exsurgam*, o auditores, etc. Et ne verum hoc esse dubitetis, scitote quia *Deus* verbum in me sancto suo personaliter existens *locutus est* hæc mihi. Et tunc cum *exsurgam* exsultabo, sciens quod « mors ultra mihi non dominatur (*Rom.* VI, 9). » Et ut mei mecum exsultent in futura resurrectione in die novissimo *dividam* a massa perditorum *Sichimam*, id est humerosos fideles meos, videlicet hic in humeris cordis jugum præceptorum meorum fidenter deferentes, *et dimetiar*, id est colligiam a damnandis *convallem tabernaculorum*, id est tabernaculantium, scilicet illos humerosos colligam, ut mecum exsultent, qui cum sint in tabernaculo, id est in militia præceptorum meorum, convallis sunt, id est humiles; sine humilitate quippe infructuosum est Deo militare. Et ideo *dividam* humerosos a perditis, quia *meus est Galaad*, id est mihi deditus est *acervus testimonii*, scilicet congregatio martyrum qui Sichima sunt. *Et meus est Manasses*, id est mei sunt illi humerosi, qui, et si non sunt Galaad, saltem *Manasses* sunt, id est obliviscentes 437 terrena, et extendentes se ad æterna, *et* illi humerosi qui sunt *Ephraim* fructificantes, et in se et in aliis per prædicationem suam bona opera, sunt *susceptio* mei, id est suscipiunt hic me per obedientiam et conformitatem *mei*, inquam, *capitis*, scilicet quem suscipere debent cum eorum caput spiritale sim. Et ut universaliter omnem Sichimam comprehendam.

Juda rex est meus, id est illi humerosi mei sunt, qui, cum sint confessores peccatorum suorum, sunt etiam se bene operando regentes. Hoc autem accipiendum est de fidelibus ex Judæis, eo quod Sichima locus sit in Judæa, et Galaad mons. Manasses autem et Ephraim et Judas, viri Judæi fuerunt. Addit autem de fidelibus ex gentibus, sic: Non solum *meus est Galaad et Manesses et Ephraim*, sed *et Moab*, id est gentilis populus, qui huc usque fuit exlex, et sine Patre Deo: est *lebes spei meæ*, id est refectio spei meæ ex ipsius, scilicet divisione a perditis in futuro lætitia refici; sicut aliquis in lebete pleno carne qualibet spem refectionis habet. Vel sic: *Moab lebes*, id est gentilis populus futurus lebes, id est excoquens in se omnem superfluitatem, et molliens cor suum per fidem, durum prius per infidelitatem existens, sicut in lebete duri cibi molliuntur, et superfluus eorum humor excoquitur, erit *spei meæ*, id est pertinebit ad spem meam, scilicet spem habeo ex ejus salute reficiendi. *Moab*, inquam, erit *lebes spei meæ*. Per hoc autem mihi Moab populum gentilem adjungam; quod *in Idumæam extendam calceamentum meum*, id est in ipsam plebem gentilem extendam prædicatores meos. Vel *calceamentum meum*, id est notitiam humanitatis meæ, et per hoc *alienigenæ*, id est gentiles qui sunt alienigenæ, id est alieni a me inimicando *mihi* per infidelitatem amici *facti sunt*, id est mihi fient amici per fidem, Moab, et Idumæa, et alienigenæ idem sunt. Quare vero prædicatores et humanitas Christi calceamentum dicantur, et quare plebs gentilis Idumæa in psalmum LIX est ostensum, et quandoquidem antequam in Idumæam perveniam, oportet me deduci in civitatem munitam. *Quis deducet me in civitatem munitam*, id est quis deducet animam meam localiter in infernum, ut inde fideles meos extraham, et principem tenebrarum vinciam; et sic post *quis deducet me*, id est mei notitiam *usque in Idumæam*, id est usque in plebem gentilem? *Nonne tu Deus* me deduces, *qui repulisti nos*, id est qui visus es meos repulisse a gratia tua, faciendo mortales et passibiles? Hoc autem ex nimia affectione sic interrogative ponitur. Et est æquipollens ac si diceret: Ut Idumæos mihi adjungam: tu Deus, qui meos per Adam repulisti, deduc me prius in infernum ad eum exspoliandum, et diabolum vinciendum, et sic post in Idumæam me deduces. Civitas munita dicitur infernus, eo quod omnibus interius existentibus difficilis sit ad exeundum, sicut civitas bene clausa et munita captis hostibus gravis est ad egrediendum. Quod dicit *repulisti*, *nos* se membris suis adjungendo ex nimia dilectione facit, quia membra et caput Christus unum sunt. Et quandoquidem meos repulisti mortales et passibiles faciendo, et in eis vir-

www.libtool.com.cn

tutes interiores debilitando : *non*, id est nonne *exibis Deus in virtutibus nostris*, id est nonne venies per gratiam in auxilio virtutum meorum? Utique exibis in auxilio virtutum meorum, ne a diabolo superentur, a similitudine strenui auxiliatoris, qui cum aliquibus ad bellum contra hostes exeuntibus in auxilium exit. *Exibis*, inquam, ita tamen ut multas tribulationes meos oporteat pati, quæ eis erunt ad auxilium coronæ adipiscendæ. Et ita sit concedo ut multiplicem tribulationem sustineant, et *de* ipsa *tribulatione da nobis*, id est meis *auxilium*, scilicet fac ut ipsa tribulatio sit eis ad auxilium coronæ adipiscendæ. Ideo vero concedo ut patiantur *quia* corporea et continua *salus hominis vana* est, scilicet infructuosum est, et potius ad detrimentum, ut aliquis salute terrena continue 438 utatur. « Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit (*Heb.* XII, 6). » Facit autem apostropham ad auditores, ad eorum instructionem, sic : Exibit, inquam, Deus, in virtutibus meorum, o auditores, et per hoc *in Deo* firmiter fundati et innixi *faciemus virtutem*, id est mei facient quidquid attinet ad virtutem, bona opera scilicet ; vel facient virtutem, id est fortem et, ut ita dicam, virtuosam victoriam de omnibus hostibus visibilibus et invisibilibus, *et ipse* Deus qui meos in Adam repulit, *ad nihilum* efficaciæ *deducet inimicos nostros*, id est inimicos meorum ad hoc per auxilium potentiæ deducet tam visibiles quam invisibiles, ut nihil loci habeat in eis assultus ipsorum inimicorum.

IN PSALMUM CVIII.

Titulus centesimi octavi. *In finem Psalmus David.* Quod exponitur. *Psalmus* iste ascribendus est *David* Christo tendenti *in finem*, id est in perfectam consummationem immortalitatis et impassibilitatis. In hoc enim psalmo Christus Deum Patrem orat, ut se quem inimici sui deprimere nituntur, laudabilem ostendat resuscitando, immortalem et impassibilem faciendo, et mundum sibi subjiciendo. Agit etiam de eorumdem inimicorum dolositate, odio et impugnatione. Et concessive agit de eorum multiplici damnatione. Agit insuper de suorum confessione et laude, hoc autem ea intentione facit ut per hoc quod orat, se esse verum hominem ostendat ; per hoc vero quod eorum ostendit damnationem multiplicem et suorum confessionem et laudem, se Deum esse demonstrat et omnipotentem. Agit etiam ea intentione de inimicorum damnatione ut alios exterreat ab eorum conformitate.

Deus Pater, *laudem meam ne tacueris* scilicet ne permittas taceri laudem meam. Quod est dicere : Fac manifestum per resurrectionem meam et totius mundi subjectionem me usquequaque esse laudabilem. Hoc autem ea occasione oro, *quia os peccatoris*, antonomastice, *et os dolosi*, antonomastice, Judæ scilicet *apertum est super me*, id est aperietur ad hoc ut opprimat me. Peccator quippe per antonomasiam Judas dicitur, eo quod Dominum et magistrum suum tradidit. Dolosus etiam, eo quod cum sub pacis osculo prodidit, qui ad ejus oppressionem os aperuit, cum dixit : « Quid vultis mihi dare et ego vobis eum tradam ? » (*Matth.* XXV, 15.) Os, inquam, dolosi super me aperietur, et non solum hoc, sed etiam Judæi quibus ipse me tradet *locuti sunt*, id est priusquam eis tradar loquentur, *lingua dolosa*, dicendo : « Magister, scimus quia verax es (*Marc.* XII, 14). » etc., et hoc *adversum me*, id est ad hoc dolose loquentur, ut deceptione sua, mihi noceant. Et non solum dolose adversum me loquentur, sed *et sermonibus odii circumdederunt me*, id est circumdabunt, scilicet tot amaros sermones designantibus odium effundent in me, ut totus per emphasim videar ex his circumdatus et circumvallatus. Dolosi quippe sermones odium non designant, sed amorem mentiuntur. Non solum autem hæc facient, sed *et expugnaverunt me*, id est impugnabunt me, et blasphemiis et tribulationibus multis, quatenus me sic expugnent, ut quod verum est, me negare faciant, scilicet Dei Filium esse. Impugnabunt, inquam, et hoc *gratis*, id est sine occasione aut utilitate ; quod est quidem gravius quam si gratis non facerent. Non tantummodo vero dolose et odiose loquentur *adversum me*, sed *et detrahebant*, id est detrahent in occulto *mihi pro eo quod* deberent tale quid dicere, *ut me diligerent*, id est ut per illud dictum comprobarent se me diligere. Quod est dicere : Cum debeant proferre verba quæ pertineant ad dilectionem, proferent verba pertinentia ad detractionem. *Ego autem* cui ipsi detrahent *orabam*, id est pro eorum salute orabo, et in hoc ipsi magis rei, cum orantis pro se sint detractores, dico 439 quod dolose et amare et detractorie de me loquentur, et impugnabunt me *Et* hæc omnia *mala posuerunt adversum me*, id est ponent mihi nociva, et hoc *pro bonis* multis, quæ eis feci. Quod est dicere : Cum eis bona plurima fecerim, ipsi econtrario mala retribuent, et tanto magis culpabiles. *Et* ponent *odium pro dilectione mea*, erga eos habita, scilicet, cum eos diligam ipsi me odio habebunt. Ostensio a parte boni et a parte mali.

Ostensa inimicorum dolositate et impugnatione, cocnessive agit de eorum damnatione, et prius quidem de damnatione Judæ, eo quod inter alios præcipuus existat. Et hoc sic dicit : Dico quod os dolosi super me aperietur. Ideoque, Domine Pater, *constitue super eum peccatorem* antonomastice, id est permitte ut ei peccator ex toto dominetur. Exponit vero de quo peccatore dicat, cum addit : *Et diabolus*, antonomastice, peccator *stet a dextris ejus*, id est reputetur ab eo esse a dextris, scilicet bonum reputet esse et utile, diabolo servire. Bonum quippe et utile reputavit diabolo servire, cum cogitavit impie de magistri proditione. Per dexteram sane bona et utilia solemus assidue denotare. Vel sic : *Diabolus stet*, id est perseveret a dextris ejus, id est usus dextera ejus, scilicet circa bona opera ejus persistat, ut ea penitus per mala opera præponderantia deducat in irritum. *Et cum judicatur*, id est cum

www.MEMORIAGRAM.eu

hoc sit quod a justo judicio Dei pro scelere suo jam sit judicatus, id est condemnatus, non evadat judicium illud salubriter pœnitendo in hac vita: sed *erent* de hac vita *condemnatus*, id est moriatur in damnatione illa. *Et oratio ejus*, id est pœnitentia ejus, quæ per orationem accipitur, eo quod pœnitentes orent, *fiat* tendens *in peccatum*, scilicet, ad hoc pœnitentia ejus fiat ut se suspendat, quod gravissimum peccatum erit. Scribit enim sanctus Hieronymus Judam magis Dei clementiam in suspendio sui offendisse quam in Christi proditione. Vel oratio, id est optatio ejus quam cum oratione faciet, fiat tendens in peccatum, scilicet nihil optet, nisi quod ad peccatum attinet; et *fiant dies ejus pauci*, id est paucis diebus vivat. Ne vero gradus apostolatus ejus propter ejus reatum videretur sic esse dehonestatus ut nullus in ejus loco deberet substitui, addit *et episcopatum ejus*, id est sublimem gradum apostolatus ejus. *accipiat alter*, scilicet Mathias (*Act.* XVIII, 16). Per hoc innuit quoniam in gradu unde expelluntur indigni prælati, alii qui digni sint, debent substitui. Agit quoque concessive de inimicorum Judæorum damnatione, quos Judæ filios et uxorem vocat per similitudinem. Filios quidem, eo quod tunc ab eo sunt in peccato geniti, cum eis facultatem Dominum occidendi præbuit. Uxorem autem, eo quod illi associati fuerint per conformitatem ad mala opera procreandum, sicut uxor associatur viro ad filios procreandos, cum prius Dei filii essent, æternam nisi peccassent hæreditatem adepturi, et Dei uxor sibi per ejus notitiam ad procreanda bona opera copulati. Hoc autem sic dicit: Concessive de Judæ damnatione egi, concessive etiam ago de damnatione filiorum ejus. *Fiant*, scilicet *filii* ejus Judæi *orphani* a Deo Patre, cujus filii fuerunt, eo quod filii ejus Judæ erunt; *et uxor ejus* plebs Judaica fiat *vidua* a Deo vero marito, cujus uxor fuit, eo quod ejus Judæ uxor efficietur. Non solum vero fiant orphani, sed et *transferantur* de terra *sua filii ejus*, et non sit ut post aliquem certum locum habeant, sed ut sint semper *nutantes*, id est nulli loco firmiter inhærentes *et mendicent*, id est semper ope alterius egeant.

Quia vero possent transferri vel dolo vel quolibet alio modo, addit: *Et* sic dico *transferantur*, ut vi a Romanis *ejiciantur de habitationibus suis*. Et in futuro *scrutetur*, id est exigat *fenerator* diabolus *omnem substantiam ejus*, id est peccata non quod peccata sint substantia, sed ad similitudinem dictum 440 est, eo quod sicut fenerator aliquis substantiam suam ad usuram dat, ita diabolus cum substantiam aliam non habeat, peccata ingerit, ut inde pœnam exigat in futuro. Quæ dicitur usura, eo quod ipsum fœnus peccati excedat, cum peccatum ad tempus sit, et ipsa æterna. Deus quoque fenerator dicitur, eo quod substantiam suam ad usuram accommodat; dat videlicet intellectum et quinque sensus corporis, ut eorum officio bonorum operum usuram colligat. Quam pro certo usuram Deus exigit, cum pœnarum examinatione ab his qui hic fœnus sibi traditum negligunt multiplicare. Juxta vero has ambas sententias littera sic exponitur. *Fenerator* Christus vel diabolus *scrutetur* a Juda *omnem substantiam ejus*, id est exigat ab eo pœnas pro omni substantia sibi commissa. Christus scilicet, ideo pœnam exigat, quia substantiam intellectus et quinque sensuum, quam ei accommodaverat, multiplicare neglexit. Diabolus autem, eo quod substantiam peccatorum quam sibi accommodavit, multiplicare sategit: *Et* non solum hoc, sed et si ad aliqua bona opera laboraverit, maligni spiritus adeo *alieni* facti *diripiant* illos *labores ejus*, id est eripiant ei cumulum malorum fructuum, id est laborem illorum operum bonorum. *Scrutatur*, inquam, *fenerator omnem substantiam ejus*, et tunc *non sit illi* aliquis sanctorum *adjutor*, qui pro eo interpellet; *nec sit* aliquis sanctorum qui orationibus suis *misereatur pupillis ejus* Judæis, scilicet qui ejus filii existendo. fient a Deo Patre pupilli. Et *fiant* ipsi Judæi nati, id est *filii ejus in interitum*, id est per ejus filiationem præcipitentur in interitum æternum: *nomen ejus* Judæ *deleatur*, id est destruatur ut non sit in libro viventium, quod ibi scriptum fuit, quantum ad Dei misericordiam; sed ipse delebit per sui nequitiam. *Deleatur*, inquam, *nomen ejus*, et hoc *in generatione una*, id est in generatione diei judicii, quæ una dicitur, eo quod tunc justis omnibus « cor unum, et anima una (*Act*, IV, 32). » Erit enim Deus omnia in omnibus. Ut autem ipse Judas multipliciter puniatur, *iniquitas patrum ejus* carnalium qui iniquissimi fuerunt, *redeat in memoriam*, quæ modo videtur oblivioni tradita; et sic redeat ut sit *in conspectu Domini*, scilicet conspiciat eam Dominus, ut eam in Juda puniat, eo quod ipsos patres in iniquitate superaverit.

Et peccatum matris ejus carnalis, quæ valde peccatrix exstitit, *non deleatur* a memoria Domini, sed in ipso puniatur. Certum est autem Deum peccata patrum in illis filiis punire, qui sunt patribus in iniquitate conformes, juxta illud: « Visitans iniquitatem patrum in filiis usque in tertiam et quartam generationem (*Exod*, XX, 5). » Certum etiam est Deum in illis filiis patrum peccata non punire, qui bono operi vacantes, patribus in iniquitate conformari contemnunt. Unde per prophetam: « Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII, 20). » *Peccatum*, inquam, *matris non deleatur*, sed iniquitas patrum et peccatum matris *fiant semper contra Dominum*, id est coram Domino, ut ea non obliviscatur a similitudine rei, contra oculos positæ, quæ non facile oblivioni datur. *Et memoria eorum* filiorum Judæ *dispereat de terra* viventium, quam sibi temere attribuunt, ut nec memoria eorum ibi habeatur, et hoc de Juda et filiis ejus concedo, *pro eo quod non est* Judas *recordatus*, id est non recordabitur, nec ipse nec filii ejus *facere misericordiam*, erga me Dominum et Deum, qui tot eis beneficia

www.libtool.com.cn

contuli. *Et persecutus est*, id est persequetur Judas mortificare *hominem inopem et mendicum*, scilicet persequetur me, ut me mortificet mea natura qua homo sum inops, id est insufficiens per me liberari, et mendicus, id est ope egens alterius. Quod est dicere: Persequetur ut mortificet me hominem mortalem et passibilem, et etiam pro damnationis ejus compassione compunctum corde, in quo magis reus erit, eo quod videlicet pro se compunctum fuerit persecutus. *Et dilexit maledictionem*, id est diliget 441 Judas causam maledictionis malam; scilicet operationem, *et veniet ei* ideo maledictio æterna *et noluit benedictionem*, id esl nolet causam bene dictionis æternæ, scilicet bonam operationem, *et elongabitur ab eo* ipsa benedictio: *et induit maledictionem sic, ut vestimentum*, id est adjunget sibi pravam voluntatem tradenti me, quæ causa maledictionis erit, sicut corpori vestimentum adjungitur. Bene vero ponit eam indui, sicut vestimentum. Sicut enim vestimentum adjungitur corpori, cum ei naturale non sit, ita et mala voluntas animæ adjungitur per consensum, cum extra naturam ejus sit. *Et intravit*, id est intrabit mala voluntas illa *in interiora* animæ *ejus, sicut aqua*, quæ etiam interiora carnis intrat. Tunc, scilicet, dicitur mala voluntas animæ interiora intrare, cum non solum anima consentit, sed etiam ad pravam voluntatem perficiendam toto nisu laborat, a similitudine hostis, qui magis timendus est, cum jam urbem intrat, quam cum adhuc de foris valde vicinus est. Et ut magis dicam, intrabit adeo ut sit jam *in* omnibus *ossibus*, id est viribus animæ superatis, scilicet ratione et libero arbitrio, *sicut oleum*, quod non solum carnem, sed et ossa penetrat. Tunc quidem mala voluntas dicitur ossa animæ penetrare et confringere, cum ratione et libero arbitrio infirmitas ad operationem pertingit, a similitudine hostis, qui perniciosior est, cum jam urbis munitiones obtinuit, quam tunc cum urbem solummodo intravit.

Quandoquidem autem causam maledictionis interius induit, *fiat et sicut vestimentum quo operitur* homo exterius, ut sicut vestimentum illud exterius apparet, ita et mala voluntas in aperto fiat per hoc, quod se suspendet, *et* fiat ei *sicut zona qua semper præcingitur*: ut sicut zona illa qua præcingitur eum promptiorem et expeditiorem facit ad operandum, sic et mala voluntas illa illum promptiorem et expeditiorem faciat ad se suspendendum et perenniter occidendum. Non enim cum Deus ad hoc excæcationis venire permitteret ut se interficeret, nisi mala voluntas Dominicæ proditionis hujus interfectionis causa præcederet Dico de Juda quod persequetur me inopem et mendicum, et quod diliget maledictionem et induet eam sicut vestimentum. Et non solum hoc opus est Judæ ut me persequatur et diligat, et induat maledictionem; sed etiam *hoc* idem *opus* erit *eorum qui mihi detrahunt*, id est hoc idem operabuntur Judæi, ut me scilicet persequantur, et maledictionem induant et diligant. Mihi, inquam, detrahunt existenti *apud Dominum*, id est æqualitate essentiæ Domini Patris, in hoc, scilicet mihi detrahunt quod Dei me Filium esse negant, cum tamen apud Dominum sim, juxta illud Joannis: « Verbum erat apud Deum (*Joan.* I, 1). » Per hoc quod se dicit apud Dominum esse, innuit quod qui detrahii ipsi Filio, detrahit et Patri Domino, juxta illud: « Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem (*Joan.* V, 23). » Vel sic: Quia de maledictione Judæ et Judæorum egerat, ne videretur imprecative et causa malevolentiæ sic egisse, ostendit pro malis meritis eorum se hoc concessive dicere, sic: Dixit *fiant dies ejus* Judæ *pauci* et *fiant filii ejus orphani*, et *non sit illi adjutor, et fiant nati ejus in interitum*, et cætera talia, et hæc non imprecative dico, sed concessive. Hoc enim, id est hanc multiplicem maledictionem promeretur malum opus eorum, qui detrahunt mihi, existenti apud Dominum, scilicet malum opus Judæ et filiorum ejus. Et non solum eorum qui mihi detrahunt, sed *et qui loquuntur mala adversus animam meam* auferendam, scilicet qui hoc ad invicem loquuntur qualiter animam auferant. *Et* ideo *tu, Domine, Domine*, qui potens es, cum Dominus omnium sis, *fac mecum* resurrectionem et mei glorificationem. Ac si dicat: Ego merito obedientiæ meæ operor 442 resurrectionem et glorificationem meam, *et tu fac mecum* ista auxilio potentiæ tuæ, et hoc *propter nomen tuum* glorificandum. Nam per me glorificatum, tu quoque glorificaberis, sicut in me blasphemato, tu etiam blasphemaris. Unum enim sumus, et ideo debes facere *mecum, quia suavis est* mihi, id est delectabilis *misericordia tua*, scilicet mihi delectabile est non austerum quod per mortem meam genus humanum misericorditer reparare disposuisti. Quoniam autem dixerat, *fac mecum*, et non determinaverat quid faceret, determinat hoc, addendo sic: *Fac mecum*, inquam, et hoc scilicet fac:

Libera me a mortalitate et passibilitate resuscitando me, et necesse est ut hoc orem, quoniam ego qui secundum aliam naturam sum Deus immortalis et impassibilis et omnipotens, secundum humanam naturam *sum egenus*, id est impotens alterius ope liberari quam tua, *et pauper*, id est insufficiens ope mea salvari. Quod est ac si dicat: Mortalis sum et passibilis, et non sic potens ad patiendum ut nihil patiar: sed ita quod *cor meum conturbatum est*, id est anima mea, conturbabitur timore mortis, et hæc tamen conturbatio est *intra me*, id est in potestate mea scilicet hoc non fit præter voluntatem et dispositionem meam, cum Deus sim et omnipotens. Hoc autem ad hoc ponit, ne quod oraverat videretur coactus pati. Et non solum conturbabor, sed etiam *ablatus sum* existens *sicut umbra* in vespere, *cum* a montibus *declinat*, id est auferar a discipulis meis, cum capiar non spiritaliter, sed localiter. Auferar, inquam, existens similis umbræ a montibus declinanti, id

www.libtool.com.cn

est descendenti. Sicut enim circa vesperum umbra descendens a montibus paulatim crescens, accedit ad noctem; sic et ego a meis ablatus, patiendo paulatim ad mortem accedo, *et* cum auferar Judæis me capientibus, *excussus sum sicut locustæ*, id est mei a me excutientur, et fugient instabiles sicut locustæ, juxta illud propheticum : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII, 7; *Matth.* XXVI, 31). » Non solum autem a me excutientur localiter, sed et *genua mea infirmata sunt*, id est apostoli etiam qui genua mea dicuntur; eo quod per eos ferar in notitiam hominum, sicut fertur per genua corpus. Infirmabuntur in fide, ut etium de resurrectione mea sint dubitaturi; illi quippe infirmati sunt qui cum hæsitatione dixerunt : « Nos putabamus quod hic esset redempturus Israel (*Luc* XXIV, 21). » Infirmabuntur, inquam, et hoc continget *a jejunio* panis illius, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 41), mei videlicet. Quod est ac si dicat : Inde eis continget hæc infirmitas, quod me absente, jejuni erunt a doctrina mea. Dixi quod auferar a meis, existens similis umbræ declinanti; *et* sic *caro mea immutata est*, id est immutabitur, ut ex animata fiat inanimata; et hoc propter oleum, humano generi dandum, ut omnibus detur gratia remissionis; quæ oleum dicitur, eo quod peccata sanat, et lumen animæ clarificat, ad similitudinem olei quod vulnera sanat, et oculos corporis clarificat. *Et* postquam caro mea immutabitur, *ego factus sum opprobrium illis*, id est ego qui ad hominum salutem patiens opprobrium nequaquam esse deberem, fiam illis Judæis oppobrium, scilicet pro opprobrio magno reputabunt, quod de eorum genere natus sim. Vel, fiam illis opprobrium, id est causa opprobrii : nam pro crucifixione mea in æternum opprobrium apud homines erunt; et non solum me crucifigent, sed etiam *viderunt*, id est cum delectatione aspicient *me* mortuum, habentes me spectaculum, *et moverunt*, id est movebunt *capita sua* cum derisione dicendo : « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (*Matth.*. XXVII, 40). » Et quia caro mea immutabitur, et fiam opprobrium, *adjuva me, Domine Deus meus*; et hoc modo adjuva : *Salvum me fac*, resuscitando et immortalem et impassibilem faciendo, et hoc *secundum misericordiam tuam*; ut sicut ampla est misericordia tua, ita et salus mea sit ampla.

Et, me salvato, *sciant* Judæi ipsa rei experientia, quod *hæc manus* 443 quam ipsi negligunt *tua est*, id est quod ego sum manus tua, id est Filius tuus secundum divinitatem, quod ipsi negant. *Et*, licet tibi sit hæc manus secundum divinitatem, consubstantialis, *tu tamen, Domine, fecisti*, id est creasti *eam*, secundum humanitatem. Manus Patris Filius dicitur, eo quod per ipsum omnia Pater operatur. Cum se Deum et hominem verum ostendit, destruit et illorum hæresim qui eum esse hominum solum, et eorum qui eum esse Deum tantum asseruerunt. Vel sic : Et per mei salvationem sciant quod hæc manus, id est hæc operatio mortis meæ, tua est, non ex eorum potestate; et hoc modo *tua*, quod tu, Domine, *fecisti*, id est disposuisti *eam*. Enuntiat autem futurum esse quod oravit, ne videretur ex diffidentia orasse, sic : Dixi adjuva me, Domine, et sic facies. *Maledicent illi*, id est depriment me in mortem Judæi; *et tu benedices*, id est exaltabis me resuscitando. Et quia maledicent *confundantur*, id est erubescant non ad utilitatem suam Judæi *qui insurgunt*, id est insurgunt *in me* verbis et tribulationibus; *servus autem tuus* ex opposito *lætabitur*, de perenni gloria adepta ego, scilicet, lætabor quia servus tuus sum in nullo tibi resultans. *Confundantur*, inquam, et non parum, sed *induantur* id est circumdentur *pudore* per emphasim Judæi *qui detrahunt mihi*, ad similitudinem corporis, quod a re induta circumdatur. Quod est dicere : Plenariam habeant confusionem, et non simplicem confusionem, sed *operiantur*, id est aperte circumdentur *confusione sua*, id est confusione quam malis actibus suis promerentur, *sicut diploide*, id est ad modum duplæ vestis. Scribit sanctus Hieronymus diploidem esse chlamidem duplam, cujus una pars interior, altera vero est exterior. Unde congrue Judæi dupla confusione dicuntur operti fuisse, sicut diploide. Una quidem confusione interius in anima, et si non ad pœnitentiam in resurrectione Christi et ascensione : altera vero exterius in ipsorum captione et dispersione. Dico quatenus illi *confundantur*, ego autem *confitebor Domino*, o auditores, *in ore meo*, id est mei confitebuntur laudem Domino, non solum corde, sed et cre suo, non tacendo præ timore infidelium; et hoc *nimis*, id est valde. « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10), » » Et non coram paucis infidelibus mei laubabunt Dominum, sed *in medio multorum laudabo illum*, id est in manifesto multorum infidelium laudabunt eum ore, non reformidantes minas eorum; et inde continget hæc laus, quod ipse Dominus *astitit*, id est astabit *a dexteris* mei *pauperis*, scilicet, patrocinabitur mihi secundum illam naturam, qua pauper sum; ad similitudinem patroni, qui a dextris pauperis stat, cui patrocinatur. Non enim patronus a sinistris esse dicitur, sed a dextris, cum per dextram prosperitas, per sinistram autem adversitas accipiatur. Astabit, inquam, a dextris ad hoc, scilicet, *ut faceret*, id est faciat *salvam animam meam a* Judæis *persequentibus*, resuscitando me, ne in morte detinear.

IN PSALMUM CIX.

Psalmi centesimi noni Titulus. *Psalmus David*, vel David prophetæ eo quod ipse hic loquitur, vel David Christi eo quod de eo hic agit Propheta. Et totus iste psalmus ad laudem ejus spectat; nam quia Propheta in superiori psalmo ipsum Christum induxerat orantem, ne laus ejus taceretur, eum laudabilem ostendit ex attestatione paternæ auctoritatis Inducit enim ipsum Patrem ad ipsum Dominum Jesum loquentem et prædicentem ut conregnet sibi

et ostendentem quod sibi consubstantialis sit et coæternus; et jurantem quod sacerdos erit in æternum secundum ordinem Melchisedech. In hoc quoque eum esse laudabilem comprobat, quia in futuro a dextris 444 Patris sedens, reges sibi rebelles hic confringet, et in nationibus judicando exaltabit humiles, et potentes et superbos deprimet, et hæc tanta potestas inde ipsi continget, quod torrentem passionis bibet.

Dixit Dominus Domino meo. Quod est dicere : Dominus Pater dicet non verbis, sed interius ineffabili dicere, Domino meo Christo ; et hoc dicet assidue, ex quo Divinitas humanitati erit unita. Et ecce quid dicet : *Sede a dextris meis*, id est conregna mihi, a similitudine regis, qui filium suum quem sibi conregnare constituit, a dextris suis in regali throno suo consedere facit. Cum Propheta, Dominum Christum, Dominum suum dicit, Judæorum infidelium partem auctoritate suacomprimit, qui eum Deum et Dominum esse negaverunt. Contra Judæos quippe incredulos in hoc psalmo agere videtur, et est hoc æquipollens ac si patenter eis dicat : Negabitis, o Judæi increduli, Christum Deum et Dominum esse, quem ego tamen Dominum futurum esse intelligo, et Patri conregnaturum. Vel, *sede a dextris meis*, scilicet post mortis passionem merito obedientiæ tuæ quiesce ab omni labore : a similitudine sedentis, qui quiescit. *Sede*, inquam, et hoc *in dextris meis*, id est, quiesce existendo in potioribus meis, in immortalitate scilicet et in impassibilitate : *sede*, inquam, *a dextris meis*, et tandiu *sede, donec ponam inimicos tuos*, et gentiles et Judæos, *scabellum pedum tuorum*. Quod est dicere : Tandiu mihi conregna, donec omnes illos qui tibi inimicantur, nolentes tibi subjici, *ponam scabellum*, id est subditos tibi ut scabellum pedibus et subditum. *Scabellum*, inquam, *pedum tuorum*, id est tuæ stabilitatis, quæ per pedes accipitur, eo quod pedibus statur, scilicet, donec eos sic tibi subjiciam ut tu super eos stes, id est perseveranter regnes. Non dicit ideo *donec ponam inimicos* tibi subditos, quod non et modo ipsi subditi sint, alioquin enim Deus non esset; sed quia cum ei subditi sint quantum ad rei veritatem, non sunt tamen subditi, quantum ad eorum cognitionem. Quorum in hac vita ad fidem venientes spontanee, se subditos esse cognoscent, reliqui vero qui ejus subjectionem hic cognoscere negligent, in futuro tandem se perenniter subditos esse, velint nolint, per tormentorum exhibitionem cognoscent. Unde Psalmista alibi : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* III, 7). » Est autem hoc ac si sic positum esset : *Sede a dextris meis* mihi conregnando, donec cognoscere faciam *inimicos tuos* omnes et gentiles et Judæos, quod ipsi vere sunt *scabellum pedum tuorum*, id est tibi semper subditi. Quidam scilicet cognoscent, venientes ad fidem; quidam autem tandem in futuro conducentur in justam damnationem.

Notandum quod non ideo dicit eum *a dextris* sedere, *donec inimicos scabellum* ponat, quin et post in æternum sedeat; sed quia tunc eum sedere manifestum erit, cum tunc sessurum esse debere non oportuit. Nunc autem eum sedere ad instructionem fidei nostræ confirmat, eo quod ejus sessio modo adhuc inimicis ejus non est cognita. Postquam verba Patris ad auctoritatem commendationis Filii apposuit, Propheta in sui persona, ad ejus commendationem, agit sic : Dixi, o Domine Christe, quod hoc dicet tibi Pater : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos* in futuro *scabellum pedum tuorum*. Qui videlicet Dominus Pater hic interim, antequam omnes inimici ponantur scabellum, *emittet ex Sion virgam virtutis tuæ*, id est dilatabit ex Sion ex Judaico populo, scilicet *virgam virtutis tuæ*, id est regnum virtutis tuæ : quod scilicet cum virtute æquitatis moderaberis. Per virgam quidem sceptrum, per sceptrum autem quod regni signum est, regnum accipimus : et est hoc æquipollens ac si sic poneret : In Judæorum Ecclesia primitiva parabit 445 tibi regnum Dominus Pater, et a Judæis *emittet*, id est extendet, regnum tuum in gentibus, ut complures ex ipsis gentibus tibi voluntarie per obedientiam subjiciantur; et sic in hac vita *in medio*, id est in communi, *inimicorum tuorum* tam Judæorum quam gentilium dominaberis, id est dominaberis communiter fidelibus ex Judæis et gentibus inimicis tuis per infidelitatem existentibus; et concedo ut ita sit *Dominare*, scilicet *in medio*, id est in communi, *inimicorum tuorum*, Judæorum et gentilium, id est inimici tui communiter te Dominum esse cognoscant; et tu domineris dirigendo eos de bono in melius. Vel, *dominare in medio inimicorum tuorum*, id est in justis qui dicuntur medium *inimicorum*, id est infidelium, eo quod ab infidelibus eos persequentibus undique circumdentur; sicut illud quod medium est ab his, qui circumquaque sunt circumdatur. Apponit etiam Propheta ad Filii commendationem verba Patris cum dicit : *Tecum principium*, etc. Quod sic adaptatur : Posset quæri quare Deus Pater diceret Christo : *Sede a dextris meis*, cum nulli alii dixerit hoc. Ad quod sic additur : Dixi : *Sede a dextris meis*, et te quidem decet sedere *a dextris meis*, quia *genui te* ineffabili genitura, *ex utero*, id est ex secreta essentia mea, quæ per uterum accipitur, eo quod uterus est secreta pars corporis, et hoc *ante Luciferum*. Per hoc quod eum *ante Luciferum* genitum dicit, qui dignissimus inter angelos fuit, unde etiam superbiens corruit, innuit quoniam ante omnem creaturam eum genuit; et per hoc eum non sic genitum esse ut creatura esset, secundum quod a Patre genitus est, ostendit. Hoc autem est ac si dicat : Ideo te decet sedere *a dextris meis*, quia mihi es Filius consubstantialis. Ne vero intelligeretur ex tempore genitus esse, præponitur, *tecum principium*. Quod est dicere : *Genui te*, ego, inquam, existens *tecum principium* omnium rerum, scilicet, sic *te genui* ut tamen principium omnium verum simus, id est ut coæternus mihi sis, ut, sci-

www.libtool.com.cn

licet et per te omnia facta sint, sicut per me. Et bene ponit non mecum *principium*, sed *tecum principium*. Si enim poneret tu es mecum *principium*, posset a male intelligentibus errari, ut per hoc Patrem majorem Filio dicerent. Cæterum cum ponit ego sum *tecum principium*, cum nulli dubium sit Patrem non esse Filio minorem, procul dubio per hoc innuitur eum esse eidem Filio coæternum et coæqualem.

Ostendit etiam in qua natura eum genuit, et ei coæternus et coæqualis sit, cum addit : *In die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum*. Quod sic adaptatur : *Genui*, inquam, te, et sum *tecum principium*, et hoc *in die virtutis tuæ*, et *in splendoribus sanctorum*, id est, in ea natura te genui, in qua tu es dies, scilicet, secundum divinitatem *te genui*, et tecum sum principium, quæ dies est, id est die clarior. Unde de se Christus dicit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » *In die*, inquam, *virtutis tuæ*, id est potentiæ tuæ, scilicet, quæ divinitas est virtus et potentia tua; et *in splendoribus sanctorum genui te*, et sum *tecum principium*, id est eadem divinitate, per quam sanctos splendidos facis; ideoque splendor sanctorum dicitur (*Hebr.* I, 3). Et bene quidem dicitur pluraliter splendores, eo quod. plures sanctos in moribus splendificat. Vel sic : Sum *tecum principium*, id est coæternus et coæqualis, *in die virtutis tuæ*, id est in divinitate, et *in splendoribus sanctorum*, id est in æqualitate splendorum sanctorum, scilicet, in æqualitate sancti Spiritus, per quem omnes sancti splendificantur, qui plurali vocabulo splendores dicuntur, propter septiformem gratiam ejus. Ac si dicat : *Ego* et tu *principium* sumus, id est coæterni et coæquales. Vel sic multo melius legi potest : *Genui*, inquam, *te*, tecum existendo *principium*, quod palam erit me te genuisse, *et tecum* esse *principium in die virtutis tuæ*, id est in die judicii, in quo manifesta erit virtus tua, quæ modo non omnibus apparet. Et palam erit *in splendoribus sanctorum*, id est *in die* illa *virtutis* 446 *tuæ* in qua sanctos tuos in æternum splendidos facies. Quod est dicere : Per sanctos tuos quos *in die virtutis tuæ* splendidos facies, palam erit quod mihi coæternus es et coæqualis et consubstantialis. Postquam ex ipsius Patris auctoritate comprobavit Christum Patri conregnare, et ipsi consubstantialem et coæternum et coæqualem esse, ex eadem auctoritate Patris comprobat per eum sacerdotem factum, sacerdotium Leviticum in sacerdotium Melchisedech in æternum esse commutandum, sic : Dixi, o increduli Judæi, quod *Dominus* Pater *dixit*, id est, dicet *Domino* Filio : *Sede a dextris meis*, etc.; et non solum hoc, sed etiam *juravit*, id est jurabit, *Dominus* Pater, id est firmiter dicet et promittet interiori juratione Domino Filio, *et* sic quod *non pœnitebit eum* inde, id est non immutabit promissum suum, a similitudine pœnitentis. Jurabit, inquam, et ecce hoc jurabit tibi, o Christe : *Tu es sacerdos* constitutus *secundum* humanitatem, secundum *ordinem Melchisedech*, id est secundum multiplicem dignitatem, quæ consideratur ordinatim in Melchisedech. Melchisedech quippe *rex justitiæ* interpretatur, qui fuit rex Salem, id est « rex pacis sine patre, sine matre, neque initium dierum neque finem vitæ habens (*Hebr.* VII, 3). » Non tamen ut ita esset in re, sed ideo dicitur esse sine patre, sine matre, sive de initio, sive de fine dierum habuisse, quoniam in historia nihil de patre, nihil de matre, neque initium neque finem dierum ejus legitur. Iste quoque Melchisedech sacerdos Altissimi legitur fuisse, et panis et vini sacrificium obtulisse. Hæc igitur omnia in Christo considerari potuerunt, qui nimirum justitiæ rex et totius pacis est, existens sine patre secundum humanitatem, et sine matre, et absque initio dierum et fine secundum divinitatem ; qui, etiam sacerdos Altissimi Patris existens, veri panis et vini, scilicet corporis sui atque sanguinis, sacrificium in ara crucis obtulit. *Tu es*, inquam, *sacedos secundum ordinem Melchisedech* ; et hoc *in æternum*, id est ita ut sacerdotium tuum in loco sacerdotii Levitici, jam evacuati, admissum sit, durans in æternum in te et in tuis. In sui quidem persona sacerdos in æternum dicitur, non quod sacrificium corporis atque sanguinis in æternum offerat, quod tantum semel obtulit, sed quoniam in æternum pro filiis orat apud Patrem. Sacerdotum enim non tantum est offerre, sed et pro populo orare. In suis autem sacerdos est in æternum, et secundum oblationem quam in æternum, id est usque ad finem mundi jugiter offerunt, et secundum orationem. Quotidie namque sacerdotes ejus et oblationem Dominici corporis et sanguinis offerunt, et pro populo orationem fundunt. Congrue sane ponit cum juramento Patris eum *sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum* constitutum esse, ut innuat ex toto firmiter et irrecuperabiliter sacerdotium Leviticum, in sacerdotium Melchisedech commutatum esse.

Postquam de ejus sacerdotio ex auctoritate Patris egit, de ipsius ultione et judicio futuro agit sic : Tu, o Domine Pater, dixisti *Domino meo*, Christo Filio tuo : *Sede a dextris meis*, etc., et ipse *Dominus a dextris tuis* sedens *confregit*, id est æternæ damnationis confractione confringet, non solum minores, sed et *reges* sibi hic adversantes, *in die iræ*, id est vindictæ *suæ*, scilicet in die judicii, in quo vindicta sua manifesta erit. Et tunc *judicabit in nationibus*, id est judicium faciet æquum in omnibus fidelium et infidelium generibus; et per judicium illud *implebit ruinas*, id est suos qui se hic diruunt et humiliant, non extollunt, implebit exsultatione. Quod est dicere : Humiles suos exaltabit, et *conquassabit capita multorum in terra*, id est conteret superbias multorum, quas habent in terreno flore, quæ per capita denotantur, eo quod hæc pars in corpore sublimior sit. Unde propheta : « Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis 447 humiliabitur (*Isa.* XL, 4; *Luc.* III, 4). » Vel sic : *Implebit*, id est plenarias faciet in futuro,

www.libtool.com.cn

ruinas infidelium, ut cum hic se per peccata diruant, ipse eos ex toto diruat, cum in æternum damnabit. Et *conquassabit capita in terra multorum* : hoc non immutatur. Et inde ipsi tanta potestas a Deo Patre dabitur, quod *in via* hujus vitæ positus, scilicet, in hac vita per quam regressio fit ad cœlestem patriam, *bibit de torrente*, id est bibet de calice passionis, quæ dicitur torrens, eo quod ad tempus fuit, et amara sicut torrens, qui cito ex pluviis crescens, cito deficit, et cum turbidus sit amarus ad bibendum. Et *propterea*, quia bibere non renuet, *exaltabit* Deus Pater *caput* ejus, id est exaltabit sublimitatem ejus, ut cum, scilicet, primum in innocentia sit sublimis, multo magis sublimet eum dando illi « nomen, quod est super omne nomen (*Phil.* II, 9). » Per caput quidem eo quod altum sit sublimitas intelligitur.

IN PSALMUM CX.

Titulus centesimi decimi : *Alleluia*. Ac si dicat : Totus iste psalmus in sui evidentia omnibus fidelibus dicit *alleluia*, id est, laudate Deum in integritate dilectionis et bonæ operationis. Propheta namque in hoc psalmo agens, se confessurum Domino in integra dilectione et bonis operibus dicit, ostendens opera bona magna esse et a Domino. Et quæ sint illa bona opera Domini, exponit. Et ideo se confessurum Domino laudem dicit, ut fideles omnes ad confitendum instruat, quos etiam esse inexcusabiles de confessione ostendit. Tum ideo, quoniam ignorantes non sunt, cum eis per prædicatores escam doctrinæ jam Dominus dederit, tum quia non sunt ad hoc impotentes, cum in eis Dominus per gratiam, judicium et veritatem operetur, tum etiam eo quod utile sit confiteri, cum mandata Domini sint fidelia. Et quia jam Redemptorem misit, per quem testamentum suum mandavit, ut autem magis ad confitendum Domino eos adhortetur, confirmat eum sanctum esse confitentibus, et terribilem confiteri nolentibus.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, scilicet, laudabo te jugiter in tota affectione cordis mei, in integra dilectione, et hoc *in consilio et congregatione justorum*, id est, hanc confessionem faciam in imitatione justorum, qui hoc non temere faciunt, sed cum consilio ; et qui pauci non sunt, sed ut major sit auctoritas, congregatio, id est multi sunt. Per hoc quod se dicit Dominum laudaturum integra dilectione, datur intelligi quod etiam laudabit eum bona operatione, cum integra dilectio otiosa esse non possit, juxta illud Dominicum : « Si quis diligit me, sermones meos servabit (*Joan.* XIV, 23). » *Confitebor*, inquam, Domino, et interius integra dilectione et exterius bona operatione. Et hæc *opera* confiteri interius et exterius *magna* sunt, id est honesta ; et non sunt a me, sed sunt etiam *Domini*, id est, hæc in me Dominus operatur, et *exquisita* sunt, id est nimis egregia. *Exquisita* pro egregia ponit, eo quod illud quod egregium est, diligenter soleat exquiri. Vel sic : Hæc *opera Domini magna* sunt, *exquisita*, id est, si diligenter exquiratur cujus naturæ sint, magna apparebunt. Quoniam autem solummodo dixerat : *Confitebor*, et post pluraliter dixerat, *magna opera*, non intelligeret aliquis in his vocibus quæ sunt : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*, plura bona opera denotari, quod tamen verum est. Ideoque posset quæri : Quæ dicis esse magna opera Domini ? Ad quod sic addit : *Magna opera Domini* dico : ire in *omnes voluntates ejus*, id est exsequi opere omnes voluntates ejus. Et quia posset iterum quæri quæ sint exsecutiones voluntatum ejus, intendit hoc ostendere, sic : Ecce dico exsecutiones voluntatum ejus, scilicet, *confessio* peccatorum est *opus* voluntatis *ejus*, id est, hoc vult ipse unumquemque operari ut humiliter peccata sua confiteatur. *Et* post confessionem *magnificentia* est *opus ejus*, id est, post confessionem vult ut auxiliati ab ejus gratia per liberum arbitrium 448 operemur in nobis, abstinendo a peccatis, magnificentiam, id est innocentiam quæ magnificentia dicitur, eo quod animam magnam facit, id est Deo honestam : *et* post etiam *justitia* est opus voluntatis *ejus*, id est justitia virtutum et bonorum operum. Quod est dicere : Vult ut virtutibus adhæreamus, id est ad justa opera insistere satagamus Et hæc justitia existens opus ejus *manet* in fidelibus suis usque *in sæculum* futurum subsecutivum hujus *sæculi*, et in hoc apparet magnum quid esse ; vel sic : Dixi quod confiteri Domino integra dilectione, et confiteri perfecta operatione, sunt magna opera Domini. Et hoc comprobatur a minori, quia, scilicet, *confessio* peccatorum *et magnificentia*, id est innocentia, quod longe minus est quam integra dilectio, est *opus ejus*. *Et justitia*, id est virtutes, et illa bona operatio, quæ non a Deo digna est, ut integra dilectio et perfecta operatio est *opus ejus*, *et* illa *justitia ejus manet* tamen in pluribus fidelibus usque *in sæculum sæculi*, id est quandiu hoc sæculum durat, etsi non sit usquequaque perfecta ; et per hoc quod manet, constat quod magnum quid est.

Postquam se Domino confessurum promisit, et eamdem confessionem satis commendavit, ut fideles novæ legis ad confitendum Domino attrahat, eos ostendit non esse excusabiles pro ignorantia, quibus escam doctrinæ Dominus est daturus, sic : Dixi *confitebor*, id est laudabo Dominum integra dilectione et perfecta operatione, et vos, fideles Novi Testamenti, similiter confitemini, cum de ignorantia excusationem non habeatis. Nam *Dominus misericors* in natura *et miserator* secundum exhibitionem beneficiorum *memoriam fecit*, id est faciet, *mirabilium suorum* antiquorum, scilicet, mirabilia sua in tempore patrum nostrorum operata, quæ jam per temporis longitudinem oblivioni fere sunt tradita, reducet in tempore plenitudinis ad memoriam, impendendo beneficia quæ per mystica illa mirabilia fuere præsignata. Exponit autem in parte quomodo *memoriam* facit *mirabilium suorum*, sic : *Memoriam*, inquam, faciet *mirabilium suorum*, et hoc modo quidem quod *dedit*, id est dabit, escam doc-

www.abbodi.com.eu

trinæ Novi Testamenti, id est novæ legis, *timentibus se* casto timore, apostolis scilicet, et per illos timentes hujusmodi esca refectos, *memor erit* illius *testamenti sui*, id est novæ legis usque *in seculum* futurum, scilicet, illius novæ legis per prophetas promissæ, quam diu visus est oblivioni dedisse; *memor erit* dando illam frequenter per apostolos, et cæteros prædicatores, quandiu mundus iste durabit. Et sic *memor erit* quod non solum prædicatoribus et apostolis dabit intelligere significationem operum suorum, quæ in Veteri Testamento egit, ad figuram beneficiorum Novi Testamenti, sed et per prædicatores timentes se *annuntiabit populo suo* Judaico, *virtutem* significationis *operum suorum*, quæ in Veteri Testamento egit. Quod est dicere : Faciet fideles ex Judæis intelligere per doctrinam prædicatorum timentium se, quid significaverunt opera sua antiqua, ut hac occasione interius confiteantur. *Annuntiabit*, inquam, per timentes se *populo suo* Judaico significationem operum suorum sic, ut illis timentibus apostolis, scilicet, *et populo suo*, scilicet conversis ex Judæis, *det hæreditatem gentium*, id est det conversos ex gentibus illis in hæreditatem, ut eos doctrina sua excolant, sicut aliquis hæreditatem suam excolit. Gentes, inquam, dabit *illis hæreditatem*, et in illis gentibus erunt *opera manuum ejus*, id est egregia opera ejus, quæ dicuntur opera manuum, eo quod magis quam cætera membra egregia sunt ad operandum. *Opera*, inquam, ejus egregia erunt in illis gentibus, quæ opera sunt *veritas et judicium*, prius judicium peccatorum per humilem confessionem, et post *veritas*, id est virtutes et bona opera; quæ veritas dicuntur, eo quod ad verum esse ducunt. 449 Ac si dicat : Ut fideles ex gentibus sibi confiteantur integra dilectione, per prædicationem apostolorum operabitur in illis judicium et veritatem. Adjungit causam aliam, quare debeant confiteri, sic : Dixi *confitebor* integra dilectione, et complendo mandata ejus bona operatione, et vos quoque, fideles, confitemini illi integra dilectione, et mandatorum ejus completione : *fidelia* enim sunt *mandata ejus*, scilicet non inutilia, sed certa, pro quorum completione reddentur promissa præmia. Fidelis quippe dicitur a quo promissa complentur; *fidelia* inquam, sunt *mandata ejus*, si non ad horam fuerint completa, sed *confirmata*, id est confirmitate perseverantiæ completa usque *in sæculum sæculi* hujus subsecutivum; etsi sint *facta in veritate*, id est in fundamento veræ fidei, *et in æquitate*, id est in æqua intentione, ut non compleantur contuitu temporalium, sed cœlestium bonorum. Aliter enim non valeret. Et ideo adhuc confitemini Domino in integra dilectione, et in mandatorum ejus completione, quia Dominus Pater *misit*, id est mittet, *populo suo*, vobis scilicet fidelibus, ex Judæis et gentibus, *redemptionem*, id est Christum qui erit redemptio, et per illam redemptionem, *mandavid*, id est mandabit, vobis *testamentum suum* novum, ducens complentes se *in æternum*, ideoque confiteri debetis Domino in completione mandatorum ipsius Novi Testamenti. Et ideo adhuc confitemini Domino quia *sanctum et terribile nomen ejus*, quod est Dominus, id est, per hoc nomen quod est Dominus denotatur sanctus, id est delectabilis et suavis confitentibus, salvaturus eos, et terribilis confiteri nolentibus eos juste damnaturus. Ne vero inutile videretur quod terribilis est, ostendit quæ utilitas inde contingat, sic : Terribilis, inquam, est, et non est absque magna utilitate. Nam *timor Domini*, scilicet timor servilis, est initium sapientiæ, id est, bonæ vitæ quæ eum sapentia fit. Pauci quippe sunt qui servili timore bene vivere non incipiant, per quem tamen ad timorem castum sæpe pertingitur. Dixi *magna* esse *opera Domini*, et quod *memoriam* faciet *mirabilium suorum*, et quod *fidelia mandata ejus* et *redemptionem* mittet *populo suo*, et quod *sanctum et terribile nomen ejus*, et quod *initium sapientiæ timor Domini*, et hæc omnia fideles Novi Testamenti intelligere debent, et *intellectus* iste *bonus*, id est utilis *omnibus facientibus eum*, id est, qui hoc quod intelligunt in quantum possunt complere satagunt. Intelligentibus enim et non facientibus inutilis est intellectus; et *laudatio ejus* boni intellectus, id est completio per operationem, quæ laudatio dicitur, eo quod ille qui aliquid voluntarie complet, illud laudat quod complet, *manet* perseveranter usque *in sæculum sæculi* hujus subsecutivum. Ac si dicat : Tunc *intellectus* iste *bonus* est, si per completionem laudetur et non ad horam, sed si laudatio illa maneat perseveranter usque in finem hujus vitæ. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22). »

IN PSALMUM CXI.

Titulus centesimi undecimi : *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ*. Quod sic exponitur : *Laudate Deum* vos, quicunque de hoc quod hic fit per virtutes et opera bona, de reversione videlicet Aggæi et Zachariæ ad Hierusalem; scilicet, laudate Deum per bonam vitam, per quam revertamini de exsilio hujus vitæ ad Hierusalem cœlestem, ad imitationem *Aggæi et Zachariæ*, id est perfectorum ad patriam cœlestis Hierusalem, bene vivendo revertentium. Aggæus sane qui *solemnis* vel *festivus*, et Zacharias qui *zelans* interpretatur, duo prophetæ fuerunt, qui in captivitate Babylonica reditum filiorum Israel ad Hierusalem et reparationem templi prævideruntur, et etiam reversioni ad Hierusalem et reparationi templi interfuerunt. Unde per hos duos perfecti quique accipiuntur, qui zelantes, id est Dominum Jesum 450 diligentes, et prout eis possibile est imitantes, solemnes et festivi sunt, dum in contemplatione positi, festis solemnibus angelorum intendunt; jam etiam spe certa prævidentes Hierusalem cœlestis perfectam in futuro reparationem, quæ per Adam in parte destructa fuit, quantum ad homines scilicet, non quantum ad angelos, ad quam Hierusalem cœlestem iidem perfecti jam per virtutes et bonas operationes de hujus vitæ exsilio revertuntur. Horum itaque beatam reversionem per timo-

www.libtool.com.cn

rem et mandatorum Domini voluntatem, et per innocentiam, et sapientiam, et justitiam, et fidem, et spem firmam, et immobilem, et pecuniæ, id est sermonum suorum distributionem, Propheta in hoc psalmo demonstrat, ea intentione ut per hoc auditores quosque non revertentes, tam illos qui nondum fidei notitiam habuerunt quam illos qui jam fidem otiosam habent, ad hujusmodi reversionem, quæ summa Dei laus est, adhortetur.

Beatus vir, qui timet Dominum, etiam timore servili, et hic scilicet, beatus est dum bene vivendo ad patriam revertitur; et in futuro postquam fuerit reversus. Et ille beatus vir *in mandatis ejus* Domini persistens *volet nimis*, id est nimiam voluntatem dilectionis habebit in mandatis illis, et semen ejus, id est doctrina ejus non erit inutilis, sed *potens* erit, id est efficax erit in subditis, qui habiles erunt ad doctrinam illam recipiendam, sicut *terra* bene culta ad *semen* suscipiendum. Potens, inquam, erit *semen* doctrinæ *ejus*, et sic quidem quod per illum semen doctrinæ, *generatio rectorum*, id est fidelium subditorum, *benedicetur*, id est vel exaltabitur in virtutibus et bonis operibus, vel multiplicabitur, ut multi non recti, eorum numero per semen illud adjungantur. Vel sic : *Beatus vir*, inquam, *volet in mandatis Domini, et semen ejus*, id est bona voluntas illa quæ semen est operum, *potens* erit *in terra*, id est, fructificans bona opera in terrenitate sua scilicet in sensualitate. Quod est dicere : Voluntas illa non sedet sensualitati, sed coget ipsam sensualitatem bene operari, et per exemplum ejus seminis sic fructificantis, *generatio rectorum benedicetur*, aut secundum multiplicationem, aut secundum virtutum et operum bonorum exaltationem : et *in domo ejus* interiori, id est in corde ejus in quo cogitando inhabitat sicut in domo, est *gloria*, id est innocentia. Unde ipse gloriatur, juxta illud Apostoli : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12), » *et divitiæ* sapientiæ interioris, *et justitia* operum *ejus* beati viri *manet* usque *in sæculum sæculi*. Quod est dicere : Bene operatur indesinenter, et cum innocens sit et sapiens et justus, per hoc doctrina sua valens est ad hoc, ut per eam *generatio rectorum* benedicatur. Hoc autem quod *potens* est *semen ejus*, et quod *gloria et divitiæ* sunt *in domo ejus*, non ex ipso est, sed ex lumine vero. *Exortum est* enim secundum fidem *in tenebris lumen*, id est in cordibus beatorum, qui prius erant tenebræ, et secundum peccata et secundum ignorantiam. *Exortum est*, inquam, *lumen in tenebris*, et hoc *rectis*, id est ad opus rectorum, scilicet, ad hoc exortum est ut illos qui prius erant tenebræ, rectos faciat, et hoc lumen est eis exortum Christus, scilicet, *misericors* in natura, *et miserator* in exhibendo beneficia, *et justus*. In hoc quod jam justos magis justificat, innuit quod et infidelibus idem lumen orietur, si ad illud accesserint; et per hoc eos inexcusabiles reddit. Et quoniam ipse *misericors* et *miserator* est *jucundus*, id est acceptabilis est ei *homo* omnis, *qui miseretur* indulgendo peccantibus in se, sicut et illi peccanti Deus condonavit. Et non solum *miseretur*, sed *et commodat* sua, necessitatem patientibus sicut illi Deus multa beneficia confert, ut si non habet pecuniam 451 ad accommodandum, saltem *disponit*, id est distribuit *sermones suos* prædicando aliis, vel exhortando aliquo modo ad bene vivendum, et hoc *in judicio* discretionis judicando scilicet quomodo loquendum sit cum peritis, et quomodo cum imperitis, quomodo quoque cum nobilibus, et quomodo cum ignobilibus.

Cum dicit commodat, innuit quia hoc quod fideles dant pro Christo, sic dant ut hoc recepturi sint. Illud enim quod commodatur, postea recipitur. Vel sic : *jucundus*, inquam, *homo qui miseretur et commodat* egentibus sua, et miserendo et commodando *disponet sermones suos*, habendos *in judicio* tremendo, scilicet disponit quid in die judicii respondeat, ubi unicuique reddere rationem oportebit, a similitudine illius qui quando cum aliquo est litigaturus, primum disponit secum qualiter ibi sit locuturus. *Jucundus*, inquam, *homo*. Et in hoc *jucundus* esse comprobabitur, *quia non commovebitur in æternum*, a proposito sanctitatis suæ, qui revera cito commoveretur, nisi Deo esset jucundus, et per hoc *non commovebitur*, quod ipse *justus* existens *erit in memoria æterna* apud Dominum, scilicet semper a gratia Domini adjuvabitur, ne deficiat, et quia *in memoria æterna erit, non timebit ab auditione mala*, id est a comminanti auditione persecutorum; scilicet, *non timebit* cum ei persecutores mortem comminabuntur. *Non timebit*, inquam, nam *cor ejus paratum est*, id est præsto est semper *sperare in Domino, et confirmatum est cor ejus* illa spe; et ideo *non commovebitur*, ut dixi, a bono proposito suo, perseverans *donec* de hac vita discedens *despiciat*, id est despectabiles et victos esse comprobet *inimicos* suos ; vel sic duo isti versus leguntur : Dixi quia *commodat, non commovebitur in æternum, jucundus homo* a bono proposito suo, et ideo ipse justus existens hic, apud Dominum erit *memoria æterna*, id est memor erit Dominus æternam ei beatitudinem retribuere. Et bene sibi conscius existens, *non timebit* in futuro *ab auditione mala*, id est aspera quando damnandis dicetur: « Discedite a me, maledicti, » etc. (*Matth.* XXV, 41) Nec timere quidem eum oportebit, hic enim est *cor ejus* in omni virtute *paratum sperare in Domino*, id est sic paratum ut possit *sperare in Domino* remunerationem, et sic est paratum quod in illo apparatu *confirmatum est cor ejus*, ne aliquando improvidus sit, et sic *confirmatum est cor ejus*, quod *non commovebitur* perseverans in proposito suo, *donec despiciat* despectos et impotentes *inimicos suos* persecutores, qui hic ad horam in ejus carne potestatem habent. Vel sic : Inde apparet quod hic bene disponit *sermones suos, quia in æternum non commovebitur*, id est non inquietabitur in æternum aliqua anxietate, sed *in memoria æterna erit justus apud* Dominum, ut

www.libtool.com.cn

si æternam beatitudinem tribuat : et non solum *non commovebitur*, sed etiam *non timebit ab auditione mala*; quod minus est cum dicetur : « Discedite, » etc.

Quia dixerat *commodat*, quibus commodandum sit determinat, sic : Dixi quod *cor ejus paratum sperare in Domino*; nec temere quidem sperat bonam a Domino retributionem : ipse namque propria *dispersit*, et hoc non mimis aut cæteris nebulonibus, sed *dedit pauperibus*, et ideo *justitia* virtutum ejus a Deo conservata *manet* usque *in sæculum sæculi*, id est quandiu mundus iste durabit. Et in futuro *cornu ejus*, id est sublimitas justitiæ ejus, *exaltabitur in gloria* beatitudinis æternæ. Quod est dicere : ipse in gloria exaltabitur propter cornu ejus. Hanc autem exaltationem *peccator* quisque *videbit*, *et irascetur* de hoc, quod tale quid non fecit, propter quod et ipse similiter exaltetur. Et non parum irascetur, sed *dentibus suis fremet*, id est nimis irascetur, ad modum vehementer irascentis, qui dentibus fremit : *fremet*, inquam, *et tabescet*, id est deficiet totus præ nimia ira. Vel sic : Non 452 solum hoc malum habebit ut irascatur, sed *et tabescet*, id est deficiet in tormentis; *irascetur*, inquam, et hoc ideo, quia tunc *peribit desiderium peccatorum*: divitiæ scilicet quas hic valde desideraverunt. Vel sic : *Irascetur*, inquam, desiderans se tale quid fecisse, propter quod exaltaretur; sed illud *desiderium peccatorum peribit*, id est inutile erit.

IN PSALMUM CXII.

Tituli centesimi duodecimi : *Alleluia*. Invitat enim in hoc psalmo Propheta omnes gentes ad laudem Dei, ea consideratione, quia ipsas gentes hic de terrenitate sua suscitat, et easdem in futuro de putredine eriget; et quia Ecclesiam diu sterilem, fertilem facit, et in futuro in domo eam faciet habitare.

Ladate, pueri, Dominum. Quod est dicere : *Laudate Dominum*, o gentiles, sic ut sitis *pueri*, id est servi ejus. Vel *pueri* in innocentia, juxta illud : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). » Hoc autem idem est ac si sic diceret : Laudate Dominum laude innocientiæ et obedientiæ vestræ. Et *laudate nomen Domini*, id est laudate Deum contuitu magni nominis ejus, scilicet ea consideratione quia Dominus vocatur, et hoc non cum dilatione vel ad horam, sed *sit* a vobis *benedictum nomen Domini*, id est, laude summa exaltate Dominum contuitu nominis ejus *ex hoc nunc*, id est ex hoc præsenti tempore incipiendo et perseverando, *usque in sæculum* æternum. Et hoc non dico paucis gentibus, sed *laudabile* sit *nomen Domini*, id est laudabilis sit Dominus contuitu nominis sui, omnibus gentibus, existentibus *a solis ortu usque ad occasum*. Per hæc duo climata dat cætera mundi climata intelligere. Laudate, inquam ; est enim dignus laude. *Dominus* enim *excelsus*, id est omnipotens est, dominans *super omnes gentes*. Et non solum super gentes, sed etiam quod majus est, *gloria ejus*, id est gloriosa potentia ejus, est *super cœlos*, id est super omnes supercœlestes rationabiles creaturas, *excelsus*, in-

A quam, est. *Quis* enim Dominus et Deus excelsus *sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra ; suscitans de terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus*, inquam, *populi sui. Qui habitare facit*, id est faciet, *sterilem in domo, matrem filiorum lætantem*. Nullus itaque ad comparationem ejus est *excelsus*. Hoc autem totum ad majus pondus sub interrogatione positum, probatio est eum esse super omnes excelsum, et est æquipollens ac si sic diceret : Dico Dominum nostrum excelsum esse, et vere excelsus est in potentia. Cum enim multi domini terreni potentes videantur, quis dominus potens est sicut Dominus noster ? Nullus. Et quis peus potens sicut Deus noster ? Nullus;

B et inde *excelsus* esse comprobatur, quoniam ille tantus est quod non localiter, sed potentialiter *habitat in altis*, id est in cœlestibus spiritibus, et in sanctis viris qui alti sunt in sanctitate. Ne vero in superbia viderentur alti, addit : Et licet eos altos esse dicam, tamen *respicit* ipse Dominus *humilia in cœlo et in terra*, id est, respectu misericordiæ suæ operatur humilitatem et *in cœlo*, id est in altis cœlestibus spiritibus, in angelis scilicet, *et in terra*, id est in sanctis viris qui in terra adhuc manentes, terra ejus fructifera sunt. Quod est dicere : In illis altis habitat, qui tamen respectu gratiæ suæ humiles efficiuntur. Et in hoc quoque comprobatur *excelsus*, quod ipse in hac vita est *suscitans inopem a terra*, id est

C unumquemque fidelem qui inops est, id est, humilis ad modum inopis, per auxilium misericordiæ suæ suscitat a terra, id est sublimat eum ablatum de terrenitate, in quam per Adam devenit, scilicet de terreno facit spiritualem, per peccatorum indulgentiam ; 453 et in futura resurrectione erit *erigens pauperem*, id est sublimans unumquemque fidelem immortalitate, capiendo eum *de stercore*, id est de putredine carnis, quæ propter fœditatem jure stercus dicitur ; sic scilicet eriget eum *de stercore ut* in æterna beatitudine *collocet eum cum principibus, cum principibus*, inquam, *populi sui*, id est cum cœlestibus civibus, qui hic principantur populo suo, dirigendo eum de bono in melius, juxta illud Dominicum : « Erunt sicut angeli in cœlo (*Matth.* XX,

D 30). » Utrum autem eis fuerint in gloria æquales an inæquales, nondum nobis est definitum. Et per hoc etiam excelsus esse comprobabitur, quia ipse est ille *qui facit*, id est faciet *habitare in domo*, id est in Hierusalem cœlesti quæ æterna domus ejus est, non solum Ecclesiam ex Judæis, sed et Ecclesiam ex gentibus prius *sterilem* a filiis spiritualibus, modo per gratiam factam, *matrem*, et non unius filii tantum, sed matrem spiritalem *filiorum* multorum spiritualium. Faciet, inquam, eam *habitare in domo*, et non qualicunque modo, sed *lætantem* æterna lætitia, juxta illud propheticum : « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV, 1 ; *Gal.* IV, 27). » Quod est ac si

www.libtool.com.cn

dicat : Non solum constituet domum suam ex Ecclesia Judæorum, sed etiam ex Ecclesia gentium, quæ diu sterilis fuit, nullum spiritualem Deo filium pariens. Ecclesia gentium recte mater dicitur, scilicet tota collectio fidelium ex gentibus, eo quod alios auctoritate sua ad fidem attrahendo, Deo pariat et doctrina sua enutriat; filii autem dicuntur fideles quique ejusdem collectionis, eo quod in concordi unione collectionis illius secundum fidem et dilectionem persistentes, de die in diem in virtutibus crescunt; sicut filii per quotidianum matris nutrimentum excrescunt.

IN PSALMUM CXIII.

Titulus centesimi decimi tertii : *Alleluia*. In hoc psalmo Propheta loquens in principio, ut omnes tam Judæos quam gentes ad Dei laudem invitet, plurima Dei beneficia ostendit, scilicet quomodo suos de Ægypto infidelitatis et de populo barbaro vitiorum et malignorum spirituum exire faciens, eos sanctificavit et potentes fecit ; et quomodo populum infidelem et falsos Christianos, timore persecutorum deficientes, ad perfectorum Christianorum conformitatem eorum exemplo converti fecit. Ostendit etiam prælatorum et subditorum exsultationem de conversione populi infidelis, quem propter infidelitatis amaritudinem *mare* vocat ; et de conversione falsorum Christianorum, quos vocat *Jordanem*, cura Jordanis interpretetur *descensus*, eo quod ipsi deficiendo a sublimitate communionis Ecclesiæ, in conformitatem infidelium descendunt timore tribulationum. Postea vero ut prælatorum exemplo omnes et Judæos et gentes ad Dei laudem attrahat, et ab idololatria removeat, ipsos prælatos loquentes inducit, Dei beneficia ostendentes, et in idolorum depressione, et in Dei laude immorantes.

In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus. In his duobus versibus singulis singula sic adaptantur : *In exitu Israel de Ægypto, facta est Judæa sanctificatio ejus.* Quod est dicere : Exeunte per fidem Israel de Ægypto, id est, exeunte populo fidelium, qui cum modo Israel sit, prius Israel non erat, de tenebris ignorantiæ, quæ per Ægyptum denotantur, eo quod Ægyptus *tenebræ* interpretatur, *facta est* in ipso populo fidelium Judæa, id est *confessio fidei*. Non enim sufficit corde credere, nisi etiam confessio fiat ore. Unde Apostolus : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio 454 fit ad salutem (*Rom.* x, 10). » *Confessio*, inquam, existens *sanctificatio ejus* populi fidelium, id est existens causa quare a Deo sanctificetur per indulgentiam peccatorum, et *in exitu domus Jacob de populo barbaro, facta est* domus illa *Israel*; et per hoc *facta est potestas ejus*, id est potens sui ipsius. Quod est dicere : Post exitum de Ægypto ignorantiæ exeunte domo *Jacob*, id est populo fidelium, qui modo est *domus Jacob*, id est familia Dei luctans contra vitia et supplantans, ea *de populo barbaro*, id est de vastante multitudine vitiorum aut malignorum spirituum ; qui populus barbarus dicitur, eo quod devastet mentem a virtutibus, a similitudine populi barbari, patriam aliquam devastantis. *Facta est* illa *domus Jacob*, *Israel*, id est videns Deum in contemplatione. Ac si dicat : Postquam de Ægypto populus fidelium exivit, populus barbarus resistebat, scilicet multitudo vitiorum et malignorum spirituum illi populo fidelium, ex prava consuetudine nimium assultum faciens, et sic eum valde a contemplatione sublimitatis divinæ detinens ; sed postquam ipse contra hunc populum barbarum viriliter luctans, eum divicit, et ejus nimios assultus auxilio gratiæ cœlestis evasit, tunc tandem factus est *Israel* quod prius non erat, id est contemplationis intuitu *Deum videns*, et existens *Israel* factus est etiam *potestas ejus*, id est potens sui ipsius se bene auxilio divinæ gratiæ in virtutibus et operibus bonis regendo, cum in potestate populi barbari prius esset ; vel sic : Factus est *Israel* populus fidelium, et per hoc factus est *potestas ejus*, id est, per hoc quod factus est *Israel*, factus est causa potestatis suæ, scilicet, hoc quod *Israel* factus est, causa fuit quare fieret potens in miraculis. Hoc autem quod populus fidelium factus est *Israel* et potens, cum prius esset ignorans et impotens, *vidit mare*, id est amaricans populus infidelium, et ut similiter Israel *et* potens fieret, *fugit* ab amaritudine infidelitatis, accedendo ad dulcedinem fidei.

Et hoc etiam, scilicet populum perfectorum esse Israel, et potentem *vidit Jordanis*, id est populus deficiens falsorum fidelium, qui timore tribulationum ab altitudine fidei in mare descenderat, id est in conformitatem populi infidelis, et ut *Jordanis* Israel et potens fieret ab infidelitate, in quam descenderat, *conversus est retrorsum*, ad sublimitatem confessionis fidei. Quod quondam præsignatum est in Jordane fluvio, qui cum per eum arca Domini transiret, divisus est ut liberum transitum daret Levitis arcam ferentibus. Cujus sane fluminis pars superior vice muri substitit, inferior autem in mare descendit (*Jos.* III, 16). Utrum autem postea pars illa quæ descendit, retro conversa fuerit, in historia non legitur. Dico quod *mare fugit*, et *Jordanis conversus est*, ideoque *montes*, id est prælati *exsultaverunt ut arietes*, id est utpote arietes, scilicet duces totius populi fidelium, sicut arietes totius gregis duces sunt. Et merito exsultaverunt, quia eorum officio prædicationis hoc factum fuit. Et de hac eadem fuga *et* conversione *colles*, id est subditi, exsultaverunt, *sicut*, id est utpote, *agni ovium*, id est, novi per fidem et innocentes, sicut agni juvenes sunt, et animalia innocentia, et sunt *agni ovium*, id est, hoc quod agni sunt per oves contigit, id est per prælatos, qui dicuntur oves, eo quod ipsos subditos doctrina sua nutriunt, a similitudine ovium agnos lacte nutrientium. Per hoc quod de infidelium salute prælatos et subditos dicit exsultare, eorum nimiam charitatem ad Dei laudem ostendit. Sive montes possumus accipere majores prælatos;

www.libtool.com.cn

colles vero minores. Facit autem quæstionem Propheta de fuga maris, et de conversione Jordanis, et de montium et collium exsultatione, non ut inde dubitet, sed ut ad hoc diligenter animadvertendum audientium mentes exsuscitet, 455 innuens per hujusmodi quæstionem hoc absque magno consilio Dei minime contigisse. Et hoc sic dicit:

Mare, inquam, *fugit*, et *Jordanis conversus est*, et *montes et colles exsultaverunt*. Ergo *quid est tibi*, id est, quæ occasio tanta fuit tibi, *o mare*, propter *quod fugisti? Et tu, Jordanis*, quid fuit tibi *quia conversus es retrorsum?* Et vos, *montes*, qua occasione *exsultatis, ut*, id est utpote, *arietes*, et vos, *colles, sicut*, id est utpote, *agni ovium?* vere sine magna re hoc non contigit. Quæstione ad audientium mentes facta, ipsos prælatos quos exsultasse testatus est respondentes, et usque ad finem psalmi agentes inducit, ut magis eorum credatur auctoritati, quorum sanæ prædicationis officio fuga hæc facta est, et conversio, et hoc modo quidem eos respondentes inducit. Quoniam Propheta dixerat: *Quid est tibi, mare*, etc. Sequitur prælatorum responsio sic: Vere non est absque re maxima, quod nos montes exsultavimus. De hoc enim exsultavimus quod *a facie Domini mota est terra*, id est, populus terrenorum motus est ab infidelitate ad finem, et hoc *a facie*, id est a cognitione Domini contigit, et non recentis Domini, sed *a facie Dei Jacob*, id est a cognitione illius Dei quem Jacob patriarcha coluit. Exponit autem quomodo ad cognitionem Dei Jacob pervenerunt, sic: *A facie*, inquam, *Dei Jacob. Qui* Deus illuminatione gratiæ, *convertit petram in stagna aquarum*, nos scilicet prælatos qui ad modum petræ duri eramus in infidelitate, convertit ab ariditate ignorantiæ ad hoc ut essemus similes stagnis plenis aquarum, id est pleni aquis scientiæ spiritalis, sicut stagna plena sunt aquis. Et non solum nos scientia fecit esse repletos, sed *et* nos prius *rupem* existentes, id est duros et aridos ad modum rupis, convertit *in fontes aquarum*, id est ad hoc adduxit ut essemus quasi *fontes aquarum*, scilicet suppeditantes jugem doctrinam infidelibus, ad modum fontium jugiter aquis manantium. Et sic per nos, infideles terreni ad cognitionem Domini pervenerunt; faciunt autem apostropham ad Deum, orantes ut magis et magis terram ad fidem commoveat et hoc ad honorem nominis sui. Dicimus quod *terra mota est*, in magna parte, et, o Domine, move eam magis et magis illuminatione cognitionis tui, et *da gloriam non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo*, id est, glorifica per hoc magis et magis nomen tuum, quod jam multum et glorificatum. Quod est dicere: Non optamus infidelium conversionem ad nostri exaltationem, sed ad majorem nominis tui glorificationem. Quia autem bis ponit *non nobis*, ad inculcationem remotionis ponit, quam inculcationem faciunt ad instructionem successorum, ne aliquis sibi gloriam in hoc mundo quærat, sed Deo. *Da*, inquam, *gloriam nomini tuo*, et hoc contingat *super misericordia tua et veritate tua*, id est de misericordia et veritate tua, scilicet *da gloriam nomini* tuo, vocando gentes ad fidem per misericordiam tuam, et Judæos propter veritatem tuæ promissionis complendæ; promisisti namque te Judæos esse salvaturum. Sive potest misericordia et veritas accipi, quantum ad utrosque; Judæos enim et gentes ex misericordia salvavit, et utrosque se salvaturum promiserat. Et adeo glorifica nomen tuum apud gentes et Judæos, *ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?* id est, ut aliquando sic fiat evidens potentia tua per miracula, quod gentes non dicant quod modo dicunt, scilicet ad exprobrationem tuorum fidelium; dicunt: *Ubi est Deus eorum?* scilicet Christianorum. Nusquam nos deos nostros ostendere possumus, Jovem, Mercurium et cæteros, sed Deus eorum nusquam apparet; nusquam est.

Ostenso improperio gentium, ipsi contra laudant Deum, et idola spernunt sic: Gentes Deum nostrum non esse comprobare intendentes, dicunt: *Ubi est* 456 *Deus eorum? Deus autem noster in cœlo*. Quod est dicere: Quoniam invisibilis est, dicunt eum gentes nusquam esse; sed Deus noster *in cœlo* est, id est in angelis et in cœlestibus viris, non localiter, sed secundum inhabitantem gratiam. Vel sic: Deus noster Christus Deus et homo in cœlo est localiter, secundum corpus; et licet a vobis non videatur, tamen adeo potens est, quo *omnia quæcunque voluit, fecit*. Dii vero *gentium*, qui nec dii dicendi sunt, sed *simulacra* tantum, omnino impotentes sunt. Ut enim de lapideis et ligneis et ferreis simulacris taceamus, ipsa etiam simulacra gentium quæ sunt *argentum et aurum*, et hoc quod simulacra sunt, non habent ex se, sed *opera manuum hominum* sunt; *os habent et non loquentur*, et non verum os, sed imaginarium, *oculos* imaginarios *habent et non videbunt. Aures* imaginarias *habent et non audient*. Nares imaginarias *habent et non odorabunt. Pedes* imaginarios habent *et non ambulabunt*. Et cum guttur imaginarium habeant, non dico non solum *non loquentur*, ut homines, sed quod minus est, *non clamabunt* etiam *in gutture suo*, scilicet nullus clamor vel bestiarum vel volucrum est in gutture eorum. Per hoc igitur apparet quod, cum talia sint, omni carent potentia; cum autem talia sint, et tamen a stultissimis gentilibus colantur, *similes illis fiant* interius, *omnes qui faciunt ea*; sicut colunt scilicet ita *fiant similes*, ut sicut ea exterius surda et non videntia sunt, sic et ipsi interius in anima spirituali visu et auditu careant. Et non solum qui faciunt et colunt ea *similes illis fiant*, sed *et* illi *qui* et si non faciunt, saltem *confidunt in eis*, putantes deos esse. Hoc autem dicunt non imprecative, sed concessive ut gentes a simulacrorum cultura revocentur. Dico quod gentes confidunt in simulacris, ideoque *similes eis fiant. Domus* autem *Israel* non sit similis simulacris, *domus* enim *Israel*, id est familia fidelium subditorum, Deum in contemplatione videntium, *speravit* non in idolis, sed *in Domino*, et ideo Dominus

www.libtool.com.cn

adjutor eorum est ad bene operandum, *et protector eorum est*, ne a vitiis superentur. *Et domus Aaron*, id est familia fidelium prælatorum, *speravit in Domino*, et ipse *adjutor et protector eorum est*.

Hoc autem accipiendum est de prælatis, et subditis Ecclesiæ de Judæis. Per domum autem Aaron prælatorum collectio accipitur, et per domum Israel collectio subditorum, eo quod tribus Aaron sub Veteri Testamento omnibus tribubus Israel principabatur. Hoc etiam secundum nominis interpretationem bene convenit; Aaron quippe *montanus* interpretatur. Montani autem congrue prælati vocantur, propter prælationis suæ sublimitatem; montanos enim dicimus homines in summitatibus montium habitantes. Non solum autem prælati et subditi ex Judæis speraverunt in Domino, sed et omnes in gentibus *qui timent Dominum*, tam prælati quam subditi, sive casto timore, sive servili, *speraverunt in Domino*, et ideo *adjutor eorum et protector eorum est*. Hoc autem quod in Domino speravimus et Judæi et gentiles, non ex nobis fuit, sed ex hoc quod *Dominus* qui nos diu oblivioni dederat, in infidelitate positos, *memor fuit nostri*, ut ad fidem adductos in se sperantes faceret: *et* per hoc *benedixit nobis*, id est exaltavit nos, et secundum numerum multiplicationis, et secundum augmentum virtutum et operum bonorum. Exponit autem per partes, quibus *benedixit* sic: *Benedixit*, inquam, nobis: scilicet benedixit *domui Israel*, id est familiæ fidelium subditorum ex Judæis: et *benedixit domui Aaron*, id est familiæ prælatorum, ex Judæis et gentibus, *benedixit omnibus qui timent Dominum:* sive casto timore sive servili, *pusillis cum majoribus*, id est subditis et prælatis. Orant pro adjectione subditorum et prælatorum sic: Diximus quia Dominus benedixit vobis, o prælati, et subditi. *Super vos* autem jam sibi per fidem adjectos *adjiciat Dominus* alios, id est post vos jam sibi per adoptionem gratiæ adjectos, *adjiciat* 457 alios, qui adhuc increduli sunt, *et super vos*, id est post vos, qui adjiciendi estis, *adjiciat* alios qui sint filii, id est imitatores vestri, *et super* id est post, illos *filios vestros adjiciat* quoque alios, et sic usque in finem mundi per omnes generationes faciat, *et vos* omnes et jam adjecti et adhuc adjiciendi *benedicti* sitis, id est multiplicati, et in virtutibus exaltati *Domino*, id est ad honorem Domini. Quod est dicere: Hoc quod benedicti eritis, non vobis sed Domino ascribatur; Domino, inquam, *qui fecit cœlum et terram*. Quod est dicere: Qui dignus est honore, cum ipse *cœlum* fecerit, id est prælatos, et *terram*, id est subditos, et non solum minores prælatos, sed et *cœlum cœli fecit*, id est majores prælatos qui sunt *cœlum cœli*, id est prælati super minores prælatos, hoc quod *cœlum cœli* sunt, *fecit* ipse, et hoc sibi *Domino*, id est ad honorem qui Dominus est; vel sic: Non solum prælatos et subditos fecit hoc quod sunt, sed et *cœlum cœli*, id est Dominicum hominem, qui cœlum est super omnes cœlos. Et hoc *cœlum cœli fecit Domino*, id est ad hoc fecit ut personaliter uniretur Domino Verbo; vel *cœlum cœli*, id est Dominicum hominem *fecit Domino* sibi scilicet Domino subjiciendum secundum quod homo est. Unde Apostolus: « Caput, inquit, Christi Deus (*I Cor.* XI, 3). » Cum dicit *cœlum cœli*, datur intelligi per hoc quod supponit cœli, quod prælati qui cœli sunt, quantum ad subditos, subditi quoque sunt Dominico homini qui cœlum est, quantum ad eos. Unde Apostolus: « Caput, inquit, viri Christus est (*Ibid.*). » Dicitur quoque Pater, juxta Ambrosium, esse caput Verbi, non quod prius aut majus sit Verbo, sed quia ex Patre sit Verbum ineffabiliter.

Quia vero dixerat Dominum cœlum et terram fecisse, id est prælatos et subditos, ne videretur subditis, quod soli Deo subjectionem deberent, et prælatis non, additur sic: Dominus, inquam, *fecit cœlum et terram*; *terram autem*, id est subditos, *dedit* ad excolendum et regendum *filiis hominum*, id est prælatis, rationabiliter ut homines se habentibus. Cum autem, o Domine, cœlum et terram feceris, et hæc beneficia quæ superius ostendi, contuitu horum supradictorum, *non laudabunt te mortui* in infidelitate *neque omnes* falsi Christiani *qui descendunt in infernum*, id est in profunditatem vitiorum: « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). » *Mortui*, inquam, *non laudabunt te; sed nos qui vivimus*, in fide et bonis operibus, *benedicimus Domino*, ore, corde et opere, incipiendo *ex hoc nunc*, id est ex præsenti tempore, *et* perseverando *usquæ in sæculum* futurum, Hoc autem ideo dicunt ut mortuos a morte infidelitatis et descendentes in infernum vitiorum, ab ipso inferno revocent; in fide vero et bonis operibus viventes, ad perseverandum invitent. Sive hoc ideo dicunt, quia oraverant, dicendo: *Adjiciat*, etc., ut citius impetrent quod oraverunt, ostendendo quoniam aliter eum infideles non laudabunt, nisi eos prius ad fidem adjiciendo de morte infidelitatis eripiat. Sciendum quod cum superius dixissemus esse responsionem prælatorum, ubi dictum est: *A facie Domini*, etc., posse quoque illud idem esse communiter responsionem, et maris et Jordanis et montium et collium usque ad apostropham illam in tertio versu ubi dicitur, *non nobis*, etc., quod solis prælatis competere videtur. Sententia tamen eadem est, si sit responsio omnium, vel responsio solummodo prælatorum. Si igitur sit communis omnium responsio, sic adaptatur. Quæris, o Propheta, propter quid ego mare fugio, et ego Jordanis conversus sum, et nos montes et colles exsultavimus. Hæc autem omnia inde contigerunt, qui *a facie Domini mota est terra*, etc. Hos autem sic respondentes, idcirco propheta inducit, ne aliquis hæc per vim prælatorum, vel Per liberum arbitrium maris et Jordanis facta esse putaret. Cum autem hoc removeat, innuit omnia hæc Deo esse ascribenda, ad laudis ejus exaggerationem. Apostropha vero

www.libtool.com.cn

quæ sequitur, cum dicit: *Non nobis*, quæ quidem ad solos prælatos 458 attinet, eodem modo ut superius adaptatur.

IN PSALMUM CXIV.

Titulus centesimi decimi quarti: *Alleluia*. In hoc psalmo quidem est vox congregationis fidelium, ostendentium integram quam erga Deum habent dilectionem, contuitu beneficiorum et quæ jam contulit, et quæ adhuc est collaturus; quæ etiam ostendunt. Et hoc ad instructionem audientium: ut et ipsi eorumdem beneficiorum contuitu, Deum integre diligant, et sic integra dilectione eum laudent.

Dilexi, Dominum, integra dilectione. Cum dicit se Dominum dilexisse, innuit quoque se omnia legis præcepta complesse. Nam in dilectione tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII, 40). Adjungit autem causam quare dilexit sic: Ideo *dilexi* integre Dominum, *quoniam* certum est mihi quod *Dominus exaudiet*, secundum effectum in futuro, qui hic jam exaudit secundum dispositionem, *vocem orationis meæ*, id est vocem exteriorem deprecativam, procedentem ab oratione mea interiori, id est a bona affectione. Quod est dicere: Ideo eum integre dilexi et diligo, quia scio eum perfecturum in futuro, quod affectione et voce oravi et oro. Cum dicit *dilexi*, dat intelligere se jam in dilectione perstitisse, et in ea augmentari se assidue, et per hoc magis auditores ad dilectionem invitat; *dilexi*, inquam, quia *exaudiet*, et non solum quia in futuro *exaudiet*, sed etiam *quia* hic *jam inclinavit aurem suam mihi* infirmo, id est condescendere fecit aurem misericordiæ suæ mihi infirmo: a similitudine medici, aurem infirmo qui loqui vix potest inclinantis. Quod est dicere: Non solum quod oro in futuro *exaudiet*, ut tandem perficiat, sed cum infirmus essem, et pro infirmitate orarem, nullis tamen adjutus meritis meis, ex sola gratia me exaudivit, ut perficeret quod orabam. Cum dicit Deum sibi aurem inclinasse, innuit se orasse. Ut autem auditoribus exemplum præbeat jugiter orandi, ut qui stat videat ne cadat (*1 Cor.* X, 12), se quandiu in hac vita erit oraturum affirmat, sic: *Inclinavit*, inquam, *aurem suam mihi*, infirmo oranti. Et ut jugiter mihi aurem inclinet, *invocabo*, id est in affectione interiori eum orabo, *in diebus meis* existens, id est tandiu eum invocabo quandiu in his diebus transitoriis ero; qui mei sunt, quos scilicet ego meos feci, dum eos peccando in Adam mihi acquisivi. Ostendit autem unde eum in futuro *exaudiet*, sic; Dico quoniam *exaudiet Dominus vocem orationis meæ*. Et necesse quidem est ut exaudiat: quia *circumdederunt me dolores*, qui sunt causæ *mortis*, corporeæ scilicet, tot sustineo dolores mortalitatis et passibilitatis, quibus pervenitur ad mortem corporis, ut inde totus per emphasim videar esse circumdatus. A quibus necesse est ut me exauditum eripiat in futuro, etsi modo non eripit. Ostendit quoque unde sibi aurem inclinavit, sic: *Aurem* inquam, *mihi inclinavit*, quod utique mihi necessarium fuit. Non solum enim *circumdederunt me dolores mortis*, sed *et pericula inferni invenerunt me*, id est, vitia quæ sunt pericula, per quæ venitur ad infernum, tandiu me persecuta sunt ut invenirent secundum consensum et malam operationem, et sic me valida infirmitate humiliaverunt ut per me nunquam possem exsurgere. Cum igitur sic essem a doloribus circumdatus, et a periculis inventus, quoniam aliter non eram evasurus, *inveni* animadversione *tribulationem* ipsorum periculorum, *et dolorem* multiplicem mortalitatis et passibilitatis, quo circumdatus eram. Quod est dicere: Animadverti quod prius non animadverteram, scilicet quanta esset tribulatio et dolor meus, *et* sic *invocavi nomen Domini*, id est oravi Dominum consideratione nominis sui, quod est Dominus. Ac si diceret; Considerans eum omnipotentem esse occasione magni nominis ejus, quod est Dominus, *invocavi eum*, id est in affectione interiori oravi eum ita, dicens:

459 *O Domine, libera animam meam* et hic de periculis, et in futuro de doloribus. Istud, *o*, non est vocative positum, sed optative. In Hebræo quippe habetur *anna Adonai*. Anna vero signum est optationis. Cæterum, quia nos Latini non habemus vocem huic voci, quæ est *anna*, æquipollentem, positum est *o*, quod signum est optationis. Unde in quibusdam translatoribus invenitur, *obsecro, Domine*. Dico quod *invocavi* Dominum dicens: *O Domine, libera animam meam*, et in futuro a doloribus passibilitatis, et hic a periculis inferni, et sic invocans Dominum *humiliatus sum* in affectione interiori, id est cum humilitate affectionis et devotionis invocavi eum reputans me insufficientem esse, ut per me liberaret. Et quia *humiliatus sum*, Dominus *liberavit* jam *me* a tribulatione periculorum inferni, id est vitiis, ne mihi tantum quantum prius prævaleant. Dominus, inquam, existens *misericors* in natura, *et justus, et Deus noster*. Quasi dicat: Me liberavit qui liberare me debuit, cum sit *misericors, et justus*: et qui liberare me potuit, cum sit Deus noster omnipotens. Ostendit autem unde comprobetur *misericors et justus*, addendo singulis singula sic: *Misericors est*, et inde comprobatur misericors in natura, quia *miseretur* impendendo multa beneficia misericordiæ. Et inde comprobatur esse *justus*; quia est *custodiens parvulos*, id est fideles suos qui se parvulos faciunt, id est humiles custodit, ne a sanctitate sua deficiant, quod equidem justum est, ut videlicet parvuli ab eo custodiantur. Facit apostropham adhortatorie ad animam suam sic: Dixi quia Dominus jam liberavit me a periculis, et in futuro exaudiet vocem orationis meæ, et ideo, *o anima mea, convertere* a respectu sæcularium, *in requiem tuam*, id est in considerationem et spem requiei tuæ futuræ. Quod est dicere: Omni sæcularium cura posthabita, intende et opere et affectione in requiem beatitudinis æternæ. Et hoc quidem facere debes, *quia Dominus benefecit*, id est benefaciet, *tibi* in illa requie. Et hoc modo quidem benefaciet mihi, *quia eripuit*, id est eripiet, *animam meam de morte* æterna:

www.libtool.com.cn

vel, eripiet animam meam de morte, id est vitam meam de mortalitate et passibilitate, et eripiet *oculos meos a lacrymis*, ne me ulterius lacrymari sit necesse, sicut hic expedit pro peccatorum recordatione, et pro æternæ patriæ dilatione. Unde Dominus in Evangelio : « Beati, inquit, qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* VI, 21). » De futuro vero statu sic legitur : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum (*Apoc.* XXI, 4) ; » *et pedes meos* interiores, affectiones scilicet, eripiet *a lapsu* scilicet, ut postea nec etiam in affectione labar, qui hic multoties labor in vitium non solum affectione sed et operatione. Et tunc *placebo Domino* per omnia in nullo prorsus offendens, qui hic in multis ei displiceo. *Placebo*, inquam, existens *in regione vivorum*, id est in Hierusalem cœlesti, in qua nullus habitabit, nisi vivens in æternum.

IN PSALMUM CXV.

Titulus centesimi decimi quinti : *Alleluia*. Vox Ecclesiæ martyrum, fidei suæ constantiam et passionem pro fide et oblatione sui ipsius per martyrium ostendentis : ut auditores invitent ad laudandum Deum exemplo suo per fidem et confessionem et martyrium.

Credidi propter quod locutus sum Psalmus iste apud Hebræos quasi unus reputatur cum superiori, quia cum eo sic continuari potest : Dixi quod *Dominus eripiet animam meam de morte*, et *oculos meos a lacrymis*, et *pedes meos a lapsu*, et quia *placebo Domino*; et hoc totum *credidi propter quod* credere ipsam credulitatem meam in evidenti *locutus sum*; vel sic : Ut de omni fide dicatur, et sit psalmus per se : O credentes, nolite timore humiliationis tribulationum, a manifesta fidei confessione desistere ; et inde me vobis exemplum proponite. Ego namque *credidi*, id est rectam fidem in corde habui, 460 *propter quod locutus sum*, id est aperte ipsam fidem ore confessus sum. Et ideo *ego* qui cum recte credderim, et recte locutus sim, minime debuissem humiliari : *humiliatus sum* in tribulationibus *nimis*, id est valde ; vel *humiliatus sum* in tribulationibus *nimis*, id est supra modum meæ fragilitatis, scilicet supra quam poss et fragilitas mea pati. Unde Apostolus : « Supra modum (inquit) gravati sumus, ita ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* I, 8), » ideo et vos exemplo mei credentes loquimini, non reformidantes humiliari. Quia vero dixerat se humiliatum esse, ideo quia locutus est, putaret aliquis eum non fuisse locuturum, si sciret quod idcirco esset humiliandus. Ad hoc ergo removendum, ostendit se antequam loqueretur hoc providisse ut seipsum Deo per martyrium offerret. Hoc autem sic dicit : *Locutus sum*, inquam, et propter hoc *humiliatus* in tribulationibus, et hæc humiliatio non contigit præter velle meum et dispositionem meam. *Ego* namque, qui recte *credidi*, *dixi in excessu meo* interiori, id est ego sic cogitavi, et disposui in secreto rationis meæ, quod excedit subtilitate omnem humanam rationem vere *omnis* existens *homo* est *mendax*, id est, omnis qui homo est simpliciter scilicet terrenus non spiritalis, magis appretians hanc vitam quam æternam, dum hanc impendere dubitat, pro illa *mendax* est; et si nihil ore dicat, cum hanc vitam opinetur esse vitæ futuræ præponendam. Et quia ego similiter mendax essem et reus, si simpliciter homo essem, *quid retribuam Domino pro omnibus* bonis *quæ retribuit mihi*, scilicet cum pro peccatis meis mihi remissionem ipsorum peccatorum, et justificationem, et cætera beneficia pie retribuerit, quid dignum et pretiosum ipsi retribuam pro omnibus his bonis quæ mihi retribuit ? Ecce scio *quid retribuam*, scilicet quia nil majus pro eo possim facere : *Calicem salutaris*, id est Salvatoris Christi, *accipiam*, mortem videlicet quam ille pro me libens sustinuit. Et ne deficiam timore hujus calicis, *invocabo nomen Domini*, id est invocabo Deum mihi adjutorem, consideratione magni nominis ejus, quod est Dominus. Mors equidem calix duplici similitudine dicitur ; vel ideo quoniam amara est carni, sicut quædam calices potionum medicorum, quæ licet saluberrimæ, tamen amarissimæ sunt; vel quia sicut calix optimi vini hominem quem inebriat, ab illo statu in quo est, in alium statum mutat, ita et ipsa mors illum quem invadit, ab hujus vitæ statu in statum alium mutat.

Potest autem versus ille qui est, *Ego dixi*, aliter construi, ut illud interpositum sit, quod est *omnis homo mendax*, et secundum hoc adaptabitur. Dico quoniam *humiliatus sum*, et hoc non accidit extra velle meum. *Ego* enim *dixi in excessu meo*, id est statui et dijudicans in excessu rationis meæ : *Quid retribuam Domino pro omnibus* beneficiis *quæ retribuit mihi* ? Hoc certe retribuam, *calicem salutaris accipiam* ; *et* ne deficiam in acceptione, *nomem Domini invocabo*. Et ideo *dixi in excessu meo*, quia omnis homo simpliciter existens non spiritualis, non obediens Deo usque ad mortem, mendax est in promissione sua. Promisit enim Deo in baptismate obedientiam omnium præceptorum ejus, in quo mendax est, cum pro eo mori formidat, sicut ipse pro omnibus mortuus est. Dico quod devovi *excessu meo*, quod pro Domino *calicem salutaris accipiam*. Et hæc *vota mea*, id est hæc mea promissa, scilicet ut me per mortem feram, non *reddam* in abscondito; sed reddam in manifesto *coram omni populo ejus*, scilicet manifeste eum confitebor, et coram omni populo fidelium moriar, id est ad hoc moriar ut omnibus dem exemplum pro Domino moriendi. Ne vero videretur alicui parum esse pro Domino mori, ut magis ab hujusmodi mortem incitet auditores, ostendit hoc Deo pretiosum esse, sic : Dico quod *calicem salutaris accipiam* ; quod utique faciendum est mihi, nam *in conspectu*, id est in reputatione, *Domini pretiosa* est, id est valde chara, *mors sanctorum ejus*. Quod est dicere : Cuicunque vilis videatur, Dominus tamen mortem sanctorum suorum reputat esse pretiosam ; vel sic : Ideo *calicem salutaris accipiam*, id est mortem, quia *mors sanctorum* ejus existens *in conspectu*

www.libtool.com.cn

Domini, id est in beneplacentia Domini, 461 *pretiosa* est, id est magno pretio empta: pretio scilicet mortis ejus. Quod est dicere: Ideo pro eo mori me dignum est, quia hoc ipse pro me moriens emit, ut et ego pro eo morerer. Facit autem apostropham ad Deum ex affectione nimia, sic: Dico, Domine, quod *pretiosa* est *in conspectu* tuo *mors sanctorum* tuorum, et ideo, *o Domine, sacrificabo tibi hostiam laudis*, id est sacrificabo tibi meipsum hostiam moriendo in tui confessione, quam hostiam tu laudabis. Et quia hoc sacrificium, o auditores, non nisi Deo adjuvante possem explere, *nomen Domini invocabo*, id est invocabo Dominum adjutorem consideratione magni nominis ejus quod est Dominus. Non solum autem ea de causa tibi me *hostiam sacrificabo*, ideo quia *mors sanctorum in* B *conspectu* tuo *pretiosa est*, sed ideo quoque *quia ego servus tuus. Servus tuus*, id est ego tibi sum omnino subjectus utpote creatura Creatori, ideoque necesse est me tibi obedire in omnibus. Quia vero simpliciter se dixerat esse servum, et servorum alii nequam sunt: ut maligni spiritus, qui licet inviti Dei tamen dispositioni obtemperant; alii vero sunt spontanei, qui ex volontate serviunt ut sancti viri; ostendit se spontaneum esse, ut auditores instruat Deo spontanee servire, sic: *Servus tuus*, inquam, sum: et talis *servus*, qui sim *filius ancillæ tuæ*, id est imitator cœlestis Hierusalem, quæ est ancilla, id est tibi subdita, angelorum videlicet et spiritualium virorum coadunatio: ut sicut illi tibi non inviti obediunt, sed spontanee; ita ego obediam tibi C ex gratuita voluntate. Et ut ego tibi libere servirem *dirupisti vincula mea* id est, destruxisti vincula peccatorum meorum indulgendo, quæ me vinctum a tui obedientia impediebant. Notandum quia hoc quod dicit *tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo*, æquipollens est huic quod superius dictum est, *calicem*, etc., sed ex affectione repetitum est, et ab hoc ut magis auditores invitet ad martyrium; hac eadem etiam occasione bis ponit *ego servus tuus*, et repeti hoc quod superius dixerat: *Vota mea reddam in conspectu omnis populi ejus*. Quod sic adaptatur: *Sacrificabo*, inquam, *hostiam laudis* Domino, et hæc *vota mea*, hanc scilicet hostiam, quam Domino reddere vovi, *reddam in conspectu* D *omnis populis ejus*, id est reddam manifeste, ut omnis populus fidelis inde habeat exemplum. *Reddam*, inquam, *vota mea* ego dico jam spe existens *in atriis*, id est in amplitudine *domus Domini*, scilicet *Hierusalem* cœlestis. Quod est dicere: Vota mea reddam pro spe amplæ domus Dei adipiscendæ, non pro humano favore. Dico quod sum existens spe in amplitudine domus Dei Hierusalem cœlestis. Et non existo in spe in viliori gradu illius Hierusalem, sed existo spe *in medio tui, o Hierusalem* cœlestis, id est in digniori gradu tuo, a similitudine militum illorum, qui cum Domino suo chariores sint, non in angulo domus, sed in medio sedent in loco digniori. Altiorem enim gradum martyres obtinere dicuntur A quam confessores. Per hoc autem quod dicunt se in medio esse, ad martyrium magis auditores invitant, ut et ipsi in medio esse mereantur.

IN PSALMUM CXVI.

Titulus centesimi Decimi sexti: *Alleluia*. In hoc psalmo adhortatur Propheta omnes Judæos et gentes ad Dei laudem: Judæos quidem respectu veræ promissionis ejus in eis completæ; Gentes autem respectu misericordiæ eis impensæ.

Laudate Dominum omnimoda laude, *omnes gentes, laudate* etiam *eum, omnes populi* credentes Judæorum. Et bene ponit pluraliter *populi*, ut ostendat ex omnibus duodecim tribubus multos fuisse conversos. Addit ergo singulas causas singulis, sic: *Vos gentes*, ideo *laudate quoniam misericordia ejus*, id est salvatio vestra per remissionem peccatorum et justificationem, quæ contigit ex sola et gratuita misericordia ejus, *confirmata est super nos*, id est firma et immobilis, et perseverans facta 462 est in vobis, data a superiori dispositione Dei. Juxta illud: « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est (*Jac.* I, 17). » Ac si dicat: Ideo, gentes, eum *laudate*, quia salvatio misericordiæ *ejus super* vos data, id est a superna dispositione vobis collata, in vobis sic *confirmata est*, ut nunquam sitis ea carituri. Unde Apostolus: « Gentes autem super misericordia honorare Deum. » etc. (*Rom.* XV, 9.) Quia autem Propheta ponit *super nos*, adjungendo se fidelibus ex gentibus, cum ipse C Judæus sit, ideo facit ut se et omnes fideles tam ex gentibus quam ex Judæis ostendat unam massam esse in Christo. Vos vero, Judæi, ideo *Dominum laudate, quoniam veritas Domini manet* in vobis usque *in æternum*, id est, veræ promissionis ejus completio, salvatio scilicet vestri, quæ vere promissa in vobis complevit, duratura est usque in æternum.

IN PSALMUM CXVII.

Titulus centesimi decimi septimi: *Alleluia*. In hoc psalmo inducitur loqui collectio martyrum primitivorum, adhortans Judæos et gentes ad laudandum Deum, occasione bonitatis et misericordiæ ejus; cujus etiam misericordiæ beneficia in seipsa multipliciter ostendit, narrando scilicet quatenus eam D de tribulatione vitiorum eripuit. Et quoniam in exteriori tribulatione inimicorum adjutor sit, faciens eam in ipsa tribulatione fortem et constantem ne deficiat, et etiam inimicos superantem; ostendendo quoque ipsam tribulationem sibi cessuram ad prosperitatem et castigationem, non ad æternam mortem. Promittit quoque se Domino semper confessurum, eo quod sibi factus sit in salutem, per Christum lapidem reprobatum, qui factus est a Domino in caput anguli. Orat etiam de salvatione sui, auditoresque ad constituendum solemnem diem exhortatur. Per hoc autem sui exemplo auditores instruit, tribulationes ab inimicis pro Domino illatas, formidandas non esse; cum sint eis similiter ad prosperitatem cessuræ, instruit etiam orare.

www.libtool.com.cn

Confitemini Domino, id est, laudate eum omnibus modis, fideles ex Judæis et gentibus, ea consideratione, *quoniam bonus est* in natura. Et qui ad hoc considerandum non sufficitis, *confitemini* saltem eo contuitu, *quoniam misericordia ejus*, id est beneficia misericordiæ ejus quæ fidelibus suis impendit, duratura sunt usque *in sæculum* futurum, id est usque in æternum. Non solum autem exhortor ut inter se fideles in utroque populo Domino confiteantur, sed etiam *domus Israel*, id est familia subditorum fidelium in Judaico populo, *dicat nunc*, id est indilate aliis adhortarie. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*; vel dicant hoc inter se alius alium adhortando. Et *domus Aaron*, id est familia fidelium prælatorum in Judaico populo, *dicat nunc* vel aliis vel adinvicem : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Et illi ex gentibus *qui timent Dominum*, sive prælati sive subditi, *dicant nunc* vel aliis vel adinvicem : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Notandum quippe quod primus hujus psalmi versus in uno quoque trium sequentium versuum repetendus est totus, quanquam brevitatis causa solummodo posterior ejus pars repetita videatur.

Exponit autem beneficia misericordiæ Domini in se, sic : Misericordia, inquam, Domini duratura est usque in sæculum. Et ecce in me apparent beneficia misericordiæ ejus. Ego namque in interiori tribulatione vitiorum constrictus, *de tribulatione* illa *invocavi Dominum*, id est causa illius tribulationis evadendæ oravi Dominum : et *me* invocantem *exaudivit Dominus* eruendo a tribulatione illa : *me* dico ponendum *in latitudine* dilectionis et bonæ operationis. Ac si dicat : Et a tribulatione me eripuit per gratiam, et in amplitudine virtutum et bonorum operum me posuit. Cum igitur 463 de interiori tribulatione *mihi Dominus* extiterit *adjutor*, certus sum quoniam et in tribulatione a quolibet persecutore illata mihi existenti, erit Dominus adjutor ne deficiam. Ideoque *non timebo quid* persecutionum *faciat mihi homo* quilibet malignus, id est, non timebo quodcunque persecutionum genus mihi a malignis hominibus inferatur. *Dominus*, inquam, *mihi* erit *adjutor* in tribulationibus exteriori bus. Ideoque non timebo inimicos homines, sed *et ego* licet multam ab eis persecutionem sustinens, *despiciam* tamen *inimicos meos*, homines malignos, id est eorum persecutiones despiciam, et ut nihilum reputabo, quod equidem majus est quam non timere; vel *despiciam inimicos meos* malignos spiritus, id est eorum despiciam suggestiones eis non consentiens. Quoniam igitur, o auditores, Dominus talis adjutor est ut suos faciat non timere, et inimicos despicere, *bonum est confidere in Domino* in tribulatione pro eo patiendo, *magis quam confidere in homine* persecutore terrenam salutem per eum habendo. « Vana namque salus hominis (*Psal.* LIX, 13). » Istud magis comparative non est positum, ac si dicat : Utile est in Domino confidere, tribulationem pro eo sustinendo : et utile non est in homine persecutore considerare ab eo salutem corporis expetendo. Quam non solum de quocunque homine confidentiam removeo, sed ut magis quid dicam *bonum*, id est utile *est* magis *sperare in Domino* salutem per tribulationum asperitatem *quam in principibus*, etiam sæcularibus per terrenam felicitatem quod est ac si dicat : Bonum est in Domino sperare salutem, et in sæcularibus principibus non. Unde legitur : « Maledictus homo qui confidit in homine (*Jer.* XVII, 5), » etc. Potest autem hoc comparative legi, si principes accipiamus cœlestes spiritus, et viros spirituales, qui principes habentur in populo Dei. Secundum hanc igitur sententiam ita dicetur : *Bonum est confidere in Domino, magis quam in homine* aliquo, et *bonum est sperare in Domino, magis quam in principibus*, id est in angelis et in sanctis viris. Ac si dicat : Cum utile quidem sit in homine aliquando confidere, et in orationibus et patrociniis sanctorum principum sperare ; multo utilius est *in Domino confidere et sperare*. Deus enim sine ipsis adjuvare potest, ipsi vero sine Deo minime.

Ostendit autem inimicorum tribulationes, sic : Dico quod *Dominus* erit *mihi adjutor* contra inimicos, qui etiam jam adjutor existit adversus inimicos. *Omnes* enim *gentes*, id est omnes gentiliter et irrationabiliter viventes, tam Judæi quam gentiles, *circuierunt me* tribulationibus, id est tot mihi tribulationes intulerunt, ut inde totus viderer circumdatus esse. *Et* cum me penitus obruere niterentur, *in nomine Domini* contigit quod *ultus sum* eundo *in eos*, id est per hoc quod ego studui *in nomine Domini*, id est in honore Domini non in honore meo, scilicet quod Deum honorare sategi non me, contigit quod de eis *ultus sum*, eundo per prædicationem *in eos* incorporandos. Quod est dicere : Quoniam Dei honori vacavi, hanc de eis ultionem Dominus mihi concessit, ut sicut studuerunt me sibi incorporare per tribulationem, ita mihi eos incorporare per prædicationem ; vel sic : Ultus sum ultione facta in eos, id est contra eos, scilicet contra quosdam eorum. Quod est dicere : Sic de quibusdam *ultus sum* ut eis ultio illa nimis esset nociva, cum quidam ex persecutoribus meis dicantur etiam in hac vita a Domino justa corporis morte fuisse damnati ; vel sic : *Ultus sum*, id est ultus ero ultione facienda in eos, id est contra eos, scilicet ultione mortis æternæ, quæ valde illis est nocitura. Hoc autem dicit ad correctionem persecutorum.

Ostensa inimicorum multiplicitate, ostendit quoque tribulationum eorum perseverantiam, sic : *Omnes*, inquam, gentes *tribulationibus circuierunt me*, et hoc non ad horam ; sed *circumdederunt me circumdantes*, id est in circumdatione illa semper præsentes et perseverantes. Notandum autem cum præsens participium conjugatum cum verbo conjugato sic ponitur, perseverantiam denotari, ut *videns vidi*, *exspectans exspectavi*, et cætera talia. Dico quod

circumdantes circumdederunt me, et tamen *in nomine Domini* 464 contigit quod *ultus sum in eos*. Hoc ut superius exponitur: *Circumdederunt*, inquam, *me*, et hoc *sicut apes*, id est similes apibus in ferocitate et acritate nimia, quæ simul iratæ sunt, nimis acriter instant. Vel *sicut apes*, id est similes apibus. Nam sicut apes fanum dulcem operantur, sic et ipsi per tribulationum instantiam, majorem charitatis dulcedinem erga Deum operati sunt. Quanto namque magis infirmor, tanto magis fortior sum et potens (*I Cor.* XII, 10), *et exarserunt* in me tribulationibus, *sicut ignis* exardescere solet *in spinis*. Nam sicut ignis in spinetis accensus, spinas comburit, truncum autem illæsum dimittit; sic et eorum tribulationes peccatorum spinas in me consumpserunt. Me autem illæsum dimiserunt, *et* hoc *in nomine Domini* contigit, *quia ultus sum in eos*.

Hoc etiam ut superius exponitur. *Circumdederunt*, inquam, *me* et ab eorum tribulationibus *impulsus sum*, id est percussus, *ut caderem*, id est ad hoc ut a proposito meo deficerem. Quod est dicere : Ea intentione me tribulationibus impulerunt, ut me ad casum defectus adducerent. Non solum autem *impulsus sum*, sed etiam secundum quædam debilia membra mea *eversus sum*, *ut caderem*, id est timore tribulationum quemdam debilia membra mea nutaverunt, non sic ut ex toto caderent, sed sicut jam caderent, id est ut qui in initio casus essent jam parati ad deficiendum. *Et*, ne in ea parte in qua eversus sum ex toto caderem, *Dominus suscepit me*, per auxilium patrocinantis gratiæ. Quod est dicere : Adjuvit debilia membra mea jam eversa, ne ex toto caderent ; a similitudine alicujus, qui quemlibet pronum ad cadendum cujus jam pes eversus est suscepit, dextra fulciens eum ne cadat. In ea vero parte fortium membrorum, in qua tantum impulsus sum et non eversus fui, *Dominus fortitudo mea*, id est causa fortitudinis meæ. Quod est dicere : Fortibus viribus meis, quæ me ad tribulationem in pulso non vacillaverunt, dedit Dominus fortitudinis constantiam, ut in bono proposito suo perseverarent. *Et* per hoc factus est *laus mea*, vel laudatio mea, id est factus est mihi causa laudis vel laudationis, scilicet hoc mihi per fortitudinem contulit, ut in Ecclesia laude dignus habear : vel *factus est laus*, vel laudatio, mea, id est, hæc in me effecit, ut ego cum occasione meæ fortitudinis ab eo datæ laudarem, et per ipsas tribulationes *et* susceptionem et fortitudinem *factus est mihi* tendens *in salutem* æternam. Quod est dicere : Per hoc operatus est, et adhuc jugiter facit salutem meam æternam. « Non coronabitur enim, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). »

Dico quod fortitudo mea est secundum robusta membra mea. Et in tantum in eis robustis causa fortitudinis est, quod *in tabernaculis justorum*, id est in tabernaculantibus justis, scilicet in robustis meis, qui justi sunt, et in tabernaculis militiæ Dei perseverantes, non est vox mœroris, sed *vox exsultationis*, designatrix lætitiæ et salutis æternæ ; quod est dicere : Adeo fortes eos in tribulatione facit, ut nec in tribulatione vocem tristitiæ proferant, sed vocem designantem exsultationem æternamque salutem. Juxta quod in Actibus apostolorum legitur : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V, 41). » Non solum autem fuit *Dominus fortitudo mea*, secundum robusta membra, ut me faceret fortem et constantem contra persecutiones, sed etiam *dextera Domini fecit* in me *virtutem*, id est Filius Dei fecit in me victoriam, scilicet fecit quædam membra mea robusta, jam vincere omnes persecutores, ut nec in morte corporis cederent. Et per hoc *dextera Domini exaltavit me*, id est sublimavit et glorificavit illa membra mea, quæ jam vicerunt, ut laudabilia apud fideles habeantur. *Dextera*, inquam, *Domini fecit virtutem*. Hoc autem ideo repetit, ut hac occasione addat remotionem. Posset enim a persecutoribus objici : Dicis quod Dominus fecit te vincere, quod certe mirum videtur, cum potius videaris in quibusdam membris pertulisse ea quæ ad mortem attinent, tribulationes scilicet usque ad sanguinis effusionem quod victi sustinere solent. Ad quod sequitur remotio sic : 465 Bene dico ego quod *dextera Domini fecit* me vincere, per passionem ipsarum tribulationum. *Non* enim causa ipsarum tribulationum *moriar*, quod vos persecutores putatis, *sed* per eas in æternum *vivam*. Congrue nimirum ponit *moriar*, licet posuisset *fecit*, quod præteritum est. Ac si diceret : Bene dico me jam vicisse secundum quædam membra, quæ jam tribulationes perpessa sunt et constanter evaserunt. Non enim mortua sunt illa membra mea per tribulationes, sed per hoc vivere perpetualiter incœperunt. Et similiter per instantiam tribulationum non moriar, secundum illa membra quæ sunt adhuc passura ; sed per ipsas tribulationes vivam, id est, tribulationes causæ erunt quod membra mea adhuc passura sine fine vivant. Quod est dicere : Neque fuerunt tribulationes membris meis jam passis causa mortis neque passuris adhuc causa mortis erunt. Mors enim corporalis quæ per tribulationes accidit, mors dicenda non est, sed vitæ principium. Post hanc enim mortem sancti vivere feliciter incipiunt. Unde etiam dies obitus martyrum natale dicitur. Tunc enim in æterna vita nascuntur. Per hoc autem auditores ad martyrium attrahit, cum dicat hanc temporalem mortem, non esse mortem, sed principium vitæ. Dico quod *vivam*, *et* inde hoc poterit comprobari, quia post hanc corporis et animæ separationem, *narrabo opera Domini*, non voce quidem mea, sed causa ero quare ab aliis superstitibus narrentur et laudentur opera Domini : quod equidem non esset, nisi viverem. Nam mortui non laudabunt Dominum (*Psal.* CXIII, 17). Quod est dicere : Ipsa mea constantia usque in finem firma causa erit quare alii narrando laudent opera Domini, scilicet constantiam et victoriam, et cætera beneficia quæ in me operatur.

www.libtool.com.cn

Dico *non moriar*, et vere separatio talis animæ et corporis non est dicenda mors, sed castigatio. *Dominus* enim per talem mortem et tribulationem *castigavit me* jam secundum quædam membra mea quæ jam passa sunt, *castigans* etiam nunc secundum illa membra, quæ nunc patiuntur et moriuntur. Castigare non accipitur hic, ut accipi solet, sed ponitur castigare pro purgare. Morte namque martyrii et tribulatione, et peccata quæ in martyribus sunt Dominus purgat, et eorum coronas augmentat. *Castigavit*, inquam, *me*, *et* sic me castigatum *non tradidit morti* æternæ. Quod est dicere : Per castigationem talem membra mea jam passa a morte æterna liberavit. Quoniam ergo tribulatio, et hæc corporis et animæ separatio est mihi castigatio et vitæ occasio, concedo, o persecutores, non reformido : *Aperite mihi portas justitiæ*, id est præparate mihi tribulationes et mortem quæ erunt mihi portæ per quas ingrediar ad justitiam, id est ad justam æternæ vitæ remunerationem, a similitudine illorum qui ingredi cupienti domum, portas aperiunt. Hoc non dicit imperative, sed concessive, cum iniquum sit mala alicui suadere. Quam concessionem ideo facit, ut auditores magis ad tribulationes et mortem voluntarie patiendum invitet, ostendendo quod hæ portæ justitiæ sint. *Aperite*, inquam, *portas*, et *ingressus in eas* tribulationes quæ portæ sunt, non contristabor, sed *confitebor Domino*, id est laudabo Dominum voce, corde, et patientia mea. Ideo vero non reformido has portas ingredi, qui hæc eadem porta tribulationis fuit Domini Christi. « Oportuit enim pati Christum et resurgere, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV, 26). » Et quia Domini fuit, *justi* quicunque *intrabunt in eam* ex necessitate, vel ipsa experientia passionis, vel saltem voto patiendi si oportuerit. Nullus enim nullo modo intrans salvabitur. Sicut de beatissimo Martino legitur, quod licet eum gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit. Vota enim martyr exstitit. Facit autem apostropham ad Deum ex nimia affectione, sic : *Confitebor*, inquam, *Domino*, et merito *confitebor tibi*, Domine, *quoniam exaudisti me*, ut liberares me de interiori tribulatione vitiorum, *et factus es mihi in salutem* cedens, id est in causam salutis, 466 et hic, scilicet per peccatorum remissionem et justificationem, et in futuro daturus æternam beatitudinem.

Et per hoc *factus es mihi in* causam salutis : quia *lapidem* Christum *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Quod est dicere : Per reprobationem Christi, firmissimi lapidis, me salvasti, sine quo fundamento nemo potest se Deo templum per virtutes et opera bona ædificare. « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus (*I Cor.* III, 11). » *Quem lapidem* sine quo nemo se potest Deo templum ædificare, *reprobaverunt ædificantes*, id est spreverunt Judæi ædificantes se templum Dei per traditiones suas; *ædificantes* dico, scilicet quantum ad ipsorum reputationem, non quantum ad rei veritatem. Nemo enim potest effici Dei templum, nisi in fide Christi fundatus, quem Judæi reprobaverunt, denegantes eum regem Israel esse et Dei Filium, juxta illud : « Noli scribere rex Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum (*Joan.* XIX, 21). » Et iterum : « Secundum legem debet mori quia Filium Dei se fecit (*Ibid.*, V, 7). » Qui lapis per hoc quod fuit a Judæis reprobatus, et in mortem datus, *factus est in caput anguli* : cum prius non fuisset caput anguli, id est factus est caput duplicis parietis Ecclesiæ, parietis scilicet fidelium ex Judæis et parietis fidelium ex gentibus, qui congrue angulus dicitur. Sicut enim aliquando duo parietes diversi in angulo conveniunt, et a quolibet angulari lapide supra posito, et caput eorum existente, uterque complectitur ; ita illi duo parietes, Ecclesia videlicet ex Judæis, et Ecclesia ex gentibus, quæ prius omnino diversæ fuerant ab invicem, in fidei unitate convenerunt subditæ Christo angulari lapidi, qui caput utriusque existit et utramque suo regimine complectitur, juxta illud Apostoli : « Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 12), » etc. Illud autem quod de angulari lapide Judæi fingunt, scilicet in templi Salomonis ædificatione, lapidem unum fuisse ab ædificantibus reprobatum, et ad ultimum in angulo fuisse positum, omnino falsitati videtur accedere, cum in historia nulla legatur.

Notandum autem, quod tali genere locutionis hic versus sit a Propheta compositus. Cum enim posuisset : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, et secundum hunc ordinem quem incœperat, debuisset addere, fecerunt in caput anguli ; hoc ordine dimisso, alio genere locutionis versum finivit, addens *hic factus est in caput anguli*. In hoc autem removet hoc, quod male posset quivis opinari, scilicet Judæos hac intentione *lapidem* hunc reprobasse, ut fieret *in caput anguli*. Si enim ea intentione et hoc consilio fecissent, Propheta plane posuisset : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, fecerunt *in caput anguli* : sed cum hoc ordine dimisso aliter dicit, scilicet *hic factus est in caput anguli*, plane docet non eorum sed alterius consilio eum esse factum caput anguli. A quo ergo sit *factus caput anguli*, et cujus dispositione ita reprobatus sit, neque enim fuit absque magno consilio, quod reprobatus fuit, demonstrat, addendo sic : Dico quod *lapidem reprobaverunt, et hic factus est in caput anguli*. Hac autem totum et quod reprobatus est, et quod in caput anguli factus est, *a Domino factum est*, id est a dispositione Dei occulta contingit, et cum sit apud nos ineffabile et incognoscibile quanam ratione contigerit, *est mirabile in oculis* meis interioribus : in oculis mentis scilicet, quod est dicere : De hoc nimis admiramur, quare Dominus hoc disposuerit, ut Judæorum populus prius adeo ipsi charus, in tantum excæcaretur, ut Christum verum lapidem, de quo tot a prophetis audierant, reprobarent, et in mortem darent, et sic ipse caput anguli

www.libtool.com.cn

efficeretur. Dico quod lapidem reprobaverunt eum in mortem dando. *Hæc* autem *dies* in qua ipse reprobatus in mortem datus est, est revera dies *quam fecit Dominus*: non quod alios dies omnes non feceret, sed propter ipsius diei dignitatem in qua redempti sumus, per antonomasiam dicitur hanc diem fecisse. Et quoniam adeo digna est hæc dies, *exsultemus* in corpore, et *lætemur* 467 *in* anima *in ea* die, id est in imitatione ejus diei, scilicet, et voto animæ, et exsultanter patiendo pro Christo, si necesse fuerit in corpore passionem quam in ea die pro nobis sustinuit, prout nobis possibile est, imitemur. Vel sic de die resurrectionis legi potest: Dico quod *factus est in caput anguli*, et hoc contingit per gloriam resurrectionis. *Hæc* igitur *dies* in qua resurgens *factus est in caput anguli*, est dies *quam fecit Dominus*.

Hoc autem in hac sententia, ut jam in superiori acceptum est, per antonomasiam accipitur. Ergo quia *dies hæc* adeo gloriosa est, *exsultemus* in corpore bene operando, *et lætemur* in anima bona affectione *in ea* die, id est in consideratione ejus diei. Quod est dicere: Sive dies illa præsens sit, sive non, quia tamen nobis tantum beneficium in ea contingit, in ea consideratione lætemur in anima bona affectione, et exsultemus in corpore bona operatione. *Lætemur*, inquam, *et exsultemus* unusquisque ita dicendo: *O Domine salvum me fac*, et hic peccata remittendo, et in futuro æternam beatitudinem largiendo. Et. *o Domine bene prosperare*, id est, fac nobis cedere ad bonam in futuro prosperitatem, omnia quæ nobis hic accidunt, tam prospera quam adversa. Juxta illud Apostoli: « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* III, 28). » Dico *exsultemus et lætemur in ea* die, quod equidem facere debemus. Nam in ea die *benedictus* est, id est exaltatus per gloriam resurrectionis Christus, *qui venturus est in nomine Domini*, id est in honorem Domini Patris; juxta illud: « Ego non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris (*Joan.* VIII, 5). » Et alibi: « Ego veni in nomine Patris mei, » etc. (*Joan.* V, 43.) In aliis translatoribus habetur: « Benedictus qui venit in nomine Domini, » Unde colligitur quia si dicatur, benedictus qui venturus est, quantum ad prophetam positum est, qui ante adventum Christi fuit, non quantum ad martyres, qui hic loqui inducuntur, qui post Christi adventu fuerunt. Potest quoque de secundo Christi adventu sic legi: *Benedictus* est *in nomine Domini*, id est, exaltatus est. Ideo quia studuit in honore Domini patris ille qui venturus est in futuro mundum judicaturus, Christus scilicet.

Enarratis beneficiis misericordiæ Domini, faciunt martyres, qui hic loquuntur, apostropham ad auditores, ut dicta sua commendent, et eos ad imitandum se in Dei laudem attrahant. Hæc igitur apostropha ad omnia supradicta respicit, et sic legitur: diximus *exsultemus*, etc. Et, o auditores, *benedixímus vobis*, id est bene narravimus vobis, annuntiando beneficia misericordiæ Domini, quæ in nobis martyribus apparent. *Benedixímus*, inquam, existentes *de domo Domini*, id est de familia Domini; ideoque digni sumus ut nobis acquiescatis. Et hoc non a nobis habuimus quod *vobis benedixímus*, sed a Deo Domino. *Deus* enim qui etiam *Dominus* omnium est, non solum hæc nobis intimavit, sed *et*, id est etiam, *illuxit nobis*, id est luxit in mente nostra per illuminationem cognitionis sui, et illucescendo nobis hæc cognita fecit, quæ *vobis benedixímus*, et tanto magis nobis consentiendum est. *Benedixímus*, inquam, ideoque, o auditores, admonitione nostra exciti, *constituite diem solemnem*, id est firmiter statuite vitam vestram similem dici solemni; ut sicut in die solemni ab omni servili opere cessatis, ita per totam vitam vestram ab omni peccatorum servitute cessetis. *Constituite*, inquam, persistendo ad honorem Dei *in condensis*, id est in multiplicibus sacrificiis virtutum et bonorum operum et tandiu *constituite diem solemnem in condensis*, donec pertingatis *usque ad cornu altaris*, id est usque ad contemplandam divinitatem Christi, quæ per cornu accipitur propter sui sublimitatem, eo quod cornu in altum excrescat; ac si dicat: Tandiu in condensis persistite, donec in futuro mereamini pertingere ad contemplandam perfecte sublimitatem divinitatis Christi, quod altare nostrum est, super quod Deo sacrificia morum et operum bonorum offerimus; vel usque ad cornu altaris, id est usque ad sublimitatem mentis, id est usque ad contemplandam divinitatem, quæ est cornu mentis id est excedens in 468 sui sublimitate mentis nostræ, contemplationem a similitudine cornu, quod in cornutis animalibus totum corpus tendendo in altum excedit. Mens autem altare dicitur, eo quod in mente Deo frequenter sacrificia virtutum et morum bonorum sicut in altari offerimus. Dicitur quoque divinitas cornu, id est firma defensio meritis contra diabolum et vitia, sicut cornu est defensio cornuti animalis. Exhortatione ad auditores facta, ut magis ipsi auditores ad confitendum Deo incitentur, promittit martyrum collectio, quæ hic agit, se confessuram Deo et eum exaltaturam, sic: Dixi auditoribus, *constituite*, etc., quidquid ipsi faciant, *Deus meus es tu*, id est creator meus, ideoque *confitebor* laudem ore: *Deus*, inquam, *meus es tu*, ideo quod *exaltabo te* opere et devotione; quod est dicere: *Confitebor tibi, et exaltabo te*; ideoque *Deus meus es tu, confitebor tibi*, inquam, ideo, *quoniam exaudisti me; et factus es mihi in salutem*: hoc, ut superius exponitur, ad dandum exemplum confessionis repetitum. *Confitebor*, inquam, et ideo vos, auditores, exemplo mei, *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, hoc ut superius exponitur, ideo repetitum, ut sicut a laude incœpit psalmum, ta in laude finiat.

IN PSALMUM CXVIII.

Psalmus centesimi decimi octavi. Et si, juxta beatum Ambrosium, *Alleluia* intituletur, secundum Hebræos

www.libtool.com.cn

tamem nullum habet titulum. Huic nempe præponere titulum non fuit necessarium, cum diligenter considerantibus ejus intentio denotetur, et negotium, ex primordiis et numero versuum. Totus enim psalmus iste apud Hebræos per clausulas octonorum versuum digestas, per singularum clausularum versus, singulos secundum ordinem alphabeti Hebraici, in principio eorumdem versuum conscribitur, ut videlicet octo versus primæ clausulæ omnes incipiant per *Aleph* litteram; octo vero secundæ per *Beth*; octo quoque tertiæ per *Ghimel*, et sic in cæteris clausulis omnes earum octoni versus per singulas litteras Hebraici alphabeti per ordinem habeant initium. Cæterum, quoniam hoc Latina locutio non patitur, ut videlicet octoni versus singularum clausularum secundum ordinem litterarum Latini alpha B beti incipiant; non enim primæ clausulæ versus octo, omnes per *a* possunt incipere; nec secundæ clausulæ versus octo per *b*, et in cæteris similiter, quia non habet Latinitas voces congruas ad hoc secundum interpretationem vocum Hebraicarum, in principio versuum hujus psalmi positarum, apud Latinos ante singulas clausulas nomina litterarum Hebraici alphabeti secundum ordinem scribuntur, ut videlicet ante clausulam primam scribatur, *Aleph*, quæ vox nomen est primæ litteræ Hebræorum, ante secundum vero *Beth*, quæ nomen est litteræ secundæ et sic ante cæteras clausulas cæterarum litterarum Hebraicarum nomina per ordinem scribantur. Non ideo tamen ut voces istæ harum clausularum sint tituli, sed ut nobis signum sint, quatenus apud He- C braeos singularum clausularum versus octoni a supradictis incipiant litteris. In hoc autem octonario, numero versuum, et in præscriptione totius Hebraici alphabeti, psalmi totius intentio innuitur, et negotium.

In hoc psalmo intendunt fideles perfecti, quorum hic vox est, instruere minores, qualiter ad beatitudinem veram possint attingere. Quæ idcirco per numerum octonarium intelligitur, quia in octava die, scilicet in die judicii, quæ sequitur post septem dies hujus vitæ salvandis dabitur. Per octonarium quoque numerum octo genera beatitudinis accipiuntur, quæ fidelibus a Deo dantur, de quibus adipiscendis in hoc psalmo instructio continetur; quæ, D licet octo sint, ut in Evangelio Dominus ostendit, cum dicit: « Beati pauperes spiritu. (*Matth.* v, 3), » etc., tamen omnes ad idem spectant. Una enim beatitudo sunt omnes istæ. Ut igitur has omnes ad idem spectare designentur, octoni quique singularum clausularum versus ab eadem littera principium habere videntur. Cum sit igitur in hoc psalmo intentio instruere minores 469 ad beatitudinem attingendam, totus ad hoc præcipue spectat ut eos ad hoc obtinendum instruat per moralitatem; quæ nimirum moralitas bonæ vitæ est initium et quasi fundamentum. In primis enim moralitas necessario habetur, sine qua nemo salvatur. A moralitate vero per physicum, ad mysti- A cum intellectum pervenitur, ut de creaturis singulis quæ sit earum natura, et quid quæque significent, et de sacrificiis quoque legis veteris et observantiis carnalibus, qua ratione, et quo mysterio a Domino constituta fuerint, intellectus mysticus habeatur. Ab hujusmodi autem intellectu ad theoricam, id est ad vitam contemplativam, fit a fidelibus ascensus, ut jam videlicet omni cura sæcularium bonorum posthabita, sola bona cœlestia contemplentur; eis tantum inesse desiderent, ea solummodo tota affectione concupiscant. A theorica quidem ad perfectæ beatitudinis adeptionem tandem post carnis resolutionem attingere. Licet autem idiotæ plurimi per solam moralitatem, sine physica mystico intellectu, et sine theorica salventur; nul- B lus tamen absque his duobus uquequaque perfectus invenitur. Est autem hujus psalmi principalis intentio, ut perfecti, quorum hic vox est, minores instruant per moralitatem ad veram beatitudinem ascendere.

Et quoniam prius ad moralitatis instructionem, dehinc ad beatitudinem tota principaliter hujus psalmi spectet intentio, denotat alphabeti Hebraici per singulas clausulas digestio, nec id quidem incongrue. Nam sicut alphabeti doctrina pueris est rudimentum, et totius doctrinæ litteralis exordium, ita quoque moralis instructio idiotis est ad beatitudinem veniendi quasi quoddam fundamentum et principium. Negotium autem est hoc, quod de his quæ ad moralitatem et beatitudinem pertinent C multiformiter agunt, ut apparebit in ipso psalmo. Aliud nimirum est de his agere, aliud autem ad instruendum per hoc auditores intendere. Quia si quædam hujus psalmi ad physicam, quædam vero pertinere videantur ad theoricam, tota tamen, ut jam diximus, intentio principalis et negotium spectat ad ethicam. Cum igitur hæc communis intentio per totum psalmum habeatur, in unaquaque clausula aliquo modo esse privata intentio; vel negotium per interpretationes singularum litterarum Hebraicarum quæ præscriptæ sunt perpenditur, quod in unaquaque clausula per ordinem exponetur Et primo quidem de prima clausula agendum est, cui inscribitur in principio *Aleph*, quæ *doctrina* in- D terpretatur. Cum autem totus psalmus iste spectet ad morum et beatitudinis doctrinam, ut superius est ostensum, quæri potest cur potius huic primæ clausulæ *Aleph* inscribatur, quæ *doctrina* interpretatur? Ad quod sic repondetur: Quia ideirco huic clausulæ littera talis inscribitur ut per hoc innuatur quoniam hæc clausula prima est quoddam schema, id est brevis narratio, in qua breviter continetur summa, unde in omnibus sequentibus clausulis sit acturus. In hac enim clausula quod de morum et beatitudinis doctrina per totum psalmum sit acturus, quæ antonomastice doctrina dicitur, breviter innuit cum sic exponit:

Beati *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; ac si dicat: O fideles, multi terrena sapien-

www.libtool.com.cn

tes falsas doctrinas dant ad beatitudinem attingendam. Cæterum quidquid ipsi dicant, hoc vobis manifestum sit, et ratum, quia revera beati erunt *immaculati in via* existentes, scilicet illi beatitudinem veram attingent qui per fidem existentes *in via*, id est in Christo qui est via ad beatitudinem, *immaculati* sunt, id est innocentes, nulla criminalis peccati macula sordentes. Quoniam autem non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod rectum est, addit: *Immaculati*, inquam, *qui ambulant in lege Domini*, scilicet qui tota voluntate positi in lege præceptorum Domini *ambulant*, id est promoventur in hac lege secundum perseverantiam usque in finem, ad similitudinem illius qui ad hoc ambulat ut aliquo perveniat, et ibi quiescat. Notandum quod, cum posuerit *immaculati*, non supponit *in via* ad differentiam, sed ad hoc ut doceat, quod nullus vere immaculatus esse potest, nisi positus sit *in via*. Ecce in hoc versu 470 actum est de morum instructione, per quam ad beatitudinem pervenitur. Cæterum quia nullus ad beatitudinem perfecte per solam moralitatem potest attingere, ad scrutandum testimonia divina et contemplationem instruit, cum sic addit: *Beati* erunt illi *qui in via immaculati* existentes, in *lege Domini* ambulantes, non sunt desides ad inquirendum testimonia ejus, sed *scrutantur testimonia ejus*, id est diligenter inquirunt ut mystice intelligant præcepta ejus, quæ obscura sunt. et per parabolas et ænigmata data; quæ testimonia dicuntur, eo quod complentibus vitam, non complentibus autem mortem juste damnationis testificantur. Scrutari quidem testimonia attinet ad mysticum et physicum intellectum. *Beati*, inquam, *qui scrutantur testimonia ejus*, et a testimoniorum scrutatione ad hoc ascendunt quod *exquirunt eum* contemplationi vacando, et *hoc in toto corde*, id est in tota affectione cordis, scilicet qui, omni sæcularium bonorum cura posthabita, soli Deo per contemplationem inhiant, *eum* solum toto cordis affectu *exquirunt* et exoptant. Vel *exquirunt eum*, id est ejus secretissima arcana, *in toto corde*, scilicet, exquirunt in tota cordis affectione occulta secreta divinitatis ejus. Vel sic versus iste legitur ut determinatio hic sit quomodo ad hoc aliquis, ut immaculatus sit, valeat devenire: *Beati*, inquam, *immaculati*. Ut autem, o auditores, *immaculati* sitis, scrutamini *testimonia ejus*, et sic eum demum *in toto corde* exquirite. *Beati* enim erunt, *qui* ut *immaculati* sint, *scrutantur testimonia ejus*, id est diligenter in ratione sua considerant testes ejus, id est angelos qui fidelibus ad eos custodiendos a Deo deputati sunt; qui etiam omnium actuum eorum tam bonorum quam malorum testes in die judicii erunt, nisi illorum quæ per pœnitentiam remittentur. Quod est dicere: Illi beati erunt, qui cum a suggestionibus illicitis urgeantur, cœlestes spiritus testes actuum suorum futuros esse non dubitantes, ea occasione a malis operibus desistentes immaculati esse satagunt. Et hic *in toto corde ex-*

A *quirunt eum*; hoc ut superius in prima sententia exponitur.

Quia dixerat beatos esse *qui ambulant in lege Domini*, posset aliquis male intelligens inferre: Ergo si quicunque ambulans in lege mandatorum Domini est beatus, etiam *qui operantur iniquitatem*, si ad horam in præceptis Domini ambulent, sunt beati? quod sic removet: *Beati*, inquam, *qui ambulant in lege Domini*; operatores autem iniquitatis non erunt beati. *Non enim qui operantur iniquitatem* criminalem, *in viis ejus ambulaverunt*, id est non permoti sunt in præceptis ejus, quæ viæ sunt ad beatitudinem. Non dicit qui operati sunt iniquitatem et resipuerunt, sed qui perseveranter usque in mortem *operantur*. Congrue nimirum dicit ope-
B ratores iniquitatis non ambulasse in viis Domini. Cum enim ad horam bene operati sunt, non tamen *in viis ejus ambulaverunt*. *Non enim in viis ejus* ambulare dicuntur, nisi qui cum perseverantia usque in finem bene operantur, cum removeat ab eis ambulare in viis Domini, quod causa est beatitudinis, constat et de remotione beatitudinis. Ostendit autem quod non ambulaverint in lege Domini, cum sic addit: Vere *non ambulaverunt operantes iniquitatem in viis* tuis, Domine, quia non custodierunt *nimis mandata tua*, et nullus in viis tuis ambulat nisi qui *nimis* custodit *mandata tua*. *Tu* enim cui obediendum est, qui nihil præcipis nisi quod justum est, qui non obedientes tibi juste damnare
C potes, *mandasti mandata tua*, quæ sunt viæ ad beatitudinem, *custodiri nimis*, id est multum, videlicet cum diligentia et perseverantia, non cum negligentia. « Maledictus enim homo qui fecerit opus Domini negligenter (*Jer.* XLVIII, 10). Quoniam autem fidelium collectio, quæ hic agit, arduum esse humanæ fragilitati cognoscit mandata Domini custodire *nimis*, orat et optat ut ad ea custodienda *viæ* ejus a Domino *dirigantur*, et per hoc auditores orare similiter et optare instruit, cum hoc idem eis arduum fuerit, hoc ergo sic dicit: *Tu*, inquam *mandasti mandata tua custodiri nimis*. 471 Et quia, Domine, cum hoc arduum sit, ad hoc per me fragilitas mea sufficere nequit, opto, Domine, et oro.

Utinam viæ meæ, id est affectiones, per quas cogi-
D tando animus more viarum incedit, quæ viæ non sunt directæ, sed ad sæcularia pronæ et distortæ, *dirigantur* a te, id est directæ fiant et ad cœlestia considerantes. Vel, *dirigantur*, id est promoveantur de bono in melius, et hoc *ad custodiendas justificationes tuas*, id est ad hoc dirigantur, ut possim custodire, id est cum perseverantia complere mandata tua, quæ justificationes dicuntur, eo quod causæ sint quare eorum completores justificentur. Innuitur autem ex versu sequenti, quod hic intelligendum est quoniam hic de custodia omnium mandatorum vult intelligi. *Dirigantur*, inquam, *viæ meæ ad custodiendas omnes justificationes tuas*. Quod si fuerit ut dirigantur, *tunc non confundar*, id est non erubescam, sed lætabor, *cum perspexero* me esse in

www.libtool.com.cn

omnibus mandatis tuis, id est in completione omnium mandatorum tuorum, scilicet nulla mihi inerit erubescentiæ confusio, *cum* rationis meæ intuitu me esse *in omnibus mandatis tuis perspexero*. Si enim in quibusdam existens *in omnibus* non essem, illa in quibus non essem causa essent quare erubescerem. Dictum est a similitudine viri, in speculo sese considerantis, qui, si omnia membra sua viderit esse formosa, lætatur : si vero quædam deformia, erubescit et confunditur ; et *cum* me *perspexero in omnibus mandatis tuis*, hoc nullatenus mihi ascribam, sed tibi hoc ascribendo, *confitebor tibi*, id est laudabo te omnimodo *in directione cordis*, id est in consideratione directionum cordis *mei*, scilicet en occasione te laudabo quod directas facies affectiones cordis mei. Et confitebor etiam tibi *in eo* contuitu, *quia* per illuminationem gratiæ tuæ *didici judicia justitiæ tuæ*, id est præcepta tua diligenter complebo : solummodo sit hoc quod opto, Domine, et oro videlicet, ut *non me derelinquas usquequaque*, id est omnimoda derelictione, scilicet si non sic me ex toto reliquerit gratia tua, ut hoc quod directus ero mihi arroganter ascribam, et non tibi attribuam, ille namque *usquequaque* a divina gratia derelictus est, qui hoc quod bonus est alibi ascribit, et de hoc in se non in Domino gloriatur. Notandum quia, cum hoc dicit, per hoc auditores instruit quod nullus vere custodiet justificationes Domini, nisi ipsi confessus fuerit, ascribendo ei quidquid in se boni erit. Nam si in se gloriatus fuerit, a Domino usquequaque derelinquetur, et sic non custodiet justificationes ejus. Per hoc autem auditores ad Dei confessionem impellit.

Beth, *confusio* interpretatur. Per Beth ergo quæ secundæ clausulæ versuum est initium, privata hujus clausulæ intentio denotatur, videlicet quia ad hoc hic fidelium collectio intendit ut eos qui propter malam vitam suam æternæ confusioni sunt obnoxii, et sic a tramite veræ beatitudinis alieni, instruat ad morum correctionem, ut per hoc evitent confusionem, et accedant ad beatitudinem. Instruit etiam eosdem, exemplum se proponendo, ut postquam ad morum correctionem pervenerit, Deum orent. Orat enim hic, prætendendo merita sua, ut in ipsa clausula apparet. In principio vero deliberationem facit, ut per hoc doceat magnum esse mores corrigere, quod sine deliberatione maxima faciendum non est.

In quo corrigit adolescentior viam suam, etc. ; ac si dicat : Superius dixi beatos esse futuros immaculatos *in via qui ambulant in lege Domini*, ad quam beatitudinem non pertinget, qui male vivendo æternæ confusioni obnoxius est, nisi sategerit corrigere mores. *In quo* ergo, ut ad beatitudinem pertingat, et confusionem evadat, *corrigit adolescentior viam suam*, id est affectionem et operationem suam qua incedit quasi per viam ? quasi diceret : Quicunque adolescentior hucusque exstitit male vivendo, id est stultissimis et perditis moribus a similitudine adolescentium, qui propter stolidum 472 ætatis suæ morem stulti sunt et temerarii, si ad morum correctionem vult attingere, quærens ex me doceri, in qua re corrigat viam morum suorum, ecce ego dicam ipsi : O Domine, *in custodiendo sermones tuos*, id est in complendo diligenter præcepta tua corrigit viam morum suorum, scilicet tunc bene viam morum corrigit, si sicut malis actibus studuit, ita quoque tuis mandatis adhærere satagit. Vel *adolescentior*, id est ille qui adhuc est adolescens ætate, *in quo corrigit viam suam ? in custodiendo sermones tuos*. Nihil hic mutatur nisi *adolescentior*. Ideo vero adolescentiorem ad morum correctionem invitat, quia perfectior est qui ab adolescentia quam qui in senectute viam corrigere incipit. Unde propheta : « Beatus homo, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua (*Thren.* III, 27). » Vel sic legitur : *Adolescentior* ille qui hucusque senex fuit, id est conformis veteri homini Adæ in vitæ vetustate, volens esse *adolescentior*. id est conformis novo homini Christo in novitate vitæ, in qua re *corrigit viam suam ? In custodiendo sermones tuos*, hoc ut superius exponitur. Quia dixerat correctionem morum esse *in custodiendo sermones* Domini, ut magis auditores exemplo suo attrahat ad custodiam horum sermonum, ostendit se custodivisse sermones Domini, ob quam causam orat, ut a mandatis Dei non repellatur, sic : Dico quod, o Domine, *in custodiendo sermones tuos adolescentior viam suam corrigit*, quam correctionem in me jam exercui. Nam, o Domine, *in toto corde meo*, id est in tota affectione cordis mei, *exquisivi te*, per custodiam mandatorum tuorum, id est ex omnibus aliis rebus te solum quæsivi adipisci.

Cum dicit se Deum *in toto corde* exquisivisse, innuit se mandata Dei custodisse, quia completio mandatorum Dei causa est Deum exquirendi. Quoniam ergo *exquisivi te in toto corde meo*, oro, Domine, *ne repellas me a mandatis tuis*, id est subtrahendo gratiæ tuæ auxilium. Et etiam oro, *doce me* per illuminationem gratiæ tuæ, ne permittas me repelli a custodia mandatorum tuorum. Quod est dicere : Quia, in quantum potui, mandata tua custodiendo, te exquisivi, oro ut magis magisque me mandata tua custodire facias per auxilium gratiæ tuæ. Et etiam oro, *doce me*, per illuminationem gratiæ tuæ, *justificationes tuas*, id est doce me magis et magis præcepta tua, quæ jam ex parte cognosco ; et dignum est ut mihi magis magisque reveles præcepta tua. Nam hæc quæ jam mihi revelasti non stulte indignis dissipavi spargendo margaritas ante porcos sive sanctum dando canibus (*Matth.* VII, 6), sed *abscondi*, id est diligenter custodivi, et ab indignis abscondi *eloquia tua*, id est præcepta tua *in corde meo* existentia, non in ore stulte propalata. *Abscondi*, inquam, *ut non peccem tibi*, propalando indignis ipsa eloquia causa cujuslibet adulationis aut avaritiæ, sive per jactantiam aut incuriam, omnibus enim his modis in pronuntiando eloquia Domini indignis peccatur. *Abscondi*, inquam, eloquia tua, *ut non*

peccem tibi; hoc autem quod abscondere potui mihi non ascribo, sed tibi; inde namque *benedictus es, Domine*, id est exaltatus et glorificatus.

Quoniam autem non sufficit ab indignis abscondere eloquia Domini, nisi etiam eadem eloquia Domini pronuntientur illis qui ad audiendum sunt idonei, peccatum enim est servis Domini cibaria debita denegare, ostendit se paratum fuisse ad pronuntiandum ipsa præcepta Domini idoneis, ut ad hoc idem exemplo suo instruat auditores. Hoc autem sic dicit: Non solum ab indignis *abscondi eloquia tua*, Domine, sed etiam quod justum est *pronuntiavi* idoneis *judicia oris tui*, existentia parata *in labiis meis*, scilicet enuntiavi capacibus præcepta tua, quæ tu judicas esse complenda; quæ semper parata sunt in labiis meis, ut quotiescunque idoneum erit ea propalari, propalenteur. Et bene dicit, *judicia oris Dei*, ut ostendat se judicia illa propalare paratum esse, quæ Deus ore revelavit. Vel proprio ore, dum in terra conversaretur, vel ore prophetarum, vel apostolorum, sive quorumlibet doctorum, quod os Dei dicitur, 473 eo quod per illud os Spiritus sanctus sit locutus. Sunt enim quædam occulta et arcana Dei judicia, quæ Deus nemini fidelium revelavit, ideoque ipsi non possunt aliis ea pronuntiare. *Pronuntiavi*, inquam, *mandata tua*; et hoc non invitus, sed *in via mandatorum tuorum*, idoneis pronuntianda, *delectatus sum*, *sicut in omnibus divitiis* sæcularibus. Quod est dicere: Sicut aliquis delectatur in habendo omnes divitias sæculares, ita quoque delectatus sum in annuntiando aliis testimonia, id est mandata tua quæ sunt via ad beatitudinem, vel sic versus iste superioribus conjungitur, ut tamen sententia non mutetur. Dixi: In *corde meo exquisivi te* complendo præcepta tua. Quæ nimirum non invitus complevi, sed *in via testimoniorum tuorum* completa *delectatus sum*, *sicut in omnibus divitiis* sæcularibus adeptis sæcularis vir quilibet delectaretur. *Delectatus sum*, inquam, in exercitio mandatorum tuorum. Unde non deficiam; sed adhuc *in mandatis tuis* complendis *exercebor*: et ut plenarie exercear contuitu rationis meæ, *considerabo vias tuas*, id est exemplum mihi sumam a sanctis Patribus, quos tu nobis proposuisti vias, id est exemplar mandata tua patrandi. *Exercebor*, inquam, *in mandatis tuis*, et non temere et impræmeditate; sed *in justificationibus tuis*, id est in exercitio justificationum tuarum, *meditabor*, scilicet, cum summa meditatione et ratione exercebor in mandatis Domini. Aliter enim infructuosum esset, et sic *meditabor* quod *non obliviscar* ullo tempore vitæ meæ *sermones tuos*, id est præcepta tua, sed habebo in æterna memoria. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22).»

Ghimel, *retributio* interpretatur. Per Ghimel ergo, quæ versibus tertiæ clausulæ inscribitur, fidelium collectionem de retributione hic orare innuitur, prætendendo merita sua; quod ideo facit ut auditores instruat, cum ad morum correctionem pertigerit, de hac eadem retributione orare. Si autem hic quædam superius posita ponuntur, nihil obest quoniam alia intentione dicuntur, intentione videlicet retributionis; de qua vero retributione oret, in ipsa clausula patet, cum sic dicit:

Retribue servo tuo, etc. Cum servum dicit, et meritum est, et prætentio humilitatis; ac si diceret: Quandoquidem, Domine, jam mores meos correxi, et, ut in superiori clausula dictum est, *et in toto corde meo exquisivi*, et *eloquia tua abscondi et pronuntiavi*, et *in via testimoniorum tuorum delectatus sum*, *retribue* pro his *servo tuo*, id est, da justam retributionem mihi, cui retribuere debes, cum sim servus tuus, in nullo resultans et in omnibus humiliter obediens. Determinat autem de qua retributione oret, cum addit: *Vivifica me*, scilicet hanc retributionem mihi facias ut me vivifices. Non ideo orat vivificari se quod mortuus sit, sed cum jam vivificatus sit, intensius vivificari expetit. Innuit autem de qua vivificatione oret per effectum, cum subdit: et hoc modo *me vivifica*, *ut* vivificatus *custodiam sermones tuos*, *vivifica me*, videlicet interius in virtutibus intensius, ut per hoc mandata tua custodiam diligentius. Non solum oro ut me in anima vivifices ad custodiendum mandata tua, sed etiam oro, *revela oculos meos* interiores, id est oculos rationis; quasi diceret: Cum jam rationis meæ oculos apertos et revelatos fecisti, removendo ex ipsis caliginosum velamen ignorantiæ, quæso, magis et magis revela per illuminationem gratiæ istos oculos meos, amputando quidquid ignorantiæ restat; dictum est a similitudine oculorum, qui, prius velamine caliginis operti et obscurati, a medico per amputationem ipsius caliginis revelati et perspicaces efficiuntur. *Revela*, inquam, *oculos meos*, *et* oculis revelatis *considerabo* quædam *mirabilia de lege tua*, nova et vetera, illa videlicet mystica et arcana quæ in utraque lege tua continentur; et propter obscuritatem sui sunt non intelligentibus mirabilia, *considerabo*, id est 474 diligenter intelligam et animadvertam. Quod quidem facere non possem, nisi oculos haberem. Dico *revela*, quod dignum est, non enim civem hujus mundi me exhibeo, sed *incola ego sum in* hac *terra*, scilicet in hac terra conversans reputo me incolam et peregrinum, tendens omni affectione ad Hierusalem cælestem cujus civis sum. Unde Apostolus: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII. 14). » Et quia *incola sum*, *non abscondas a me*, id est a meo intellectu, *mandata tua* secreta et mystica, sed ea mihi manifesta. Hoc autem æquipollenter superius posuit, ubi dixit: *Revela oculos meos*, sed repetit ideo quoniam apposuerat meritum impetrandi scilicet *incola ego sum in terra*, addit autem meritum, quare impetret a Domino vivificari, sic: *Vivifica me*, oro, ad hoc ut *custodiam sermones tuos*. Et dignum quidem est. Quoniam *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas*, id est volui complere præcepta tua cum desiderio; et hæc non ad horam, sed *in omni tempore* vitæ meæ. Majus

www.libtool.com.cn

quidem est desiderare, quam concupiscere. Desiderium enim proprie dicimus nimiam voluntatem. Apponit quoque periculi necessitatem, quare necessarium sit eum de vivificatione orare, sic : Oro ut me vivifices, et necesse est hoc me orare, ne si non vivificatus fuero et sermones tuos non custodiero, damner, ad similitudinem superborum primitivorum et cæterorum, a mandatis tuis modo declinantium, qui a te juste maledicentur.

Increpasti enim olim *superbos*, primitivos Adam, scilicet et Evam, eo quod superbientes contra te sermones tuos non custodierunt. *Increpasti* quidem eos per justam damnationem, cum eos de paradiso expulisti, et mortales ac passibiles fecisti. Non tantummodo vero *superbos* illos *increpasti*, sed etiam *maledicti* sunt hic a te, per justam exsecrationem, et in futuro maledicti erunt per æternam damnationem illi omnes *qui* perseveranter *declinant a mandatis tuis*, scilicet qui recedentes a sublimitate præceptorum tuorum declinant ad mala opera, quæ infima sunt. Ne ergo cum eis ego increper et maledicar, *aufer a me*, per immissionem gratiæ, *opprobrium et contemptum*, scilicet et majorem infamiam et minorem ; quod est dicere : Ne me permittas tale quid magnum agere, pro qua re sic vilis fiam et infamis, ut aliis fidelibus inde opprobrium sim. Nec etiam, quod minus est, permittas me tale quid operari, unde et si non sim opprobrium, tamen contemnar : majus enim est opprobrium esse quam contemni. Et ideo *aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi*, id est ex omnibus aliis rebus solummodo mandata tua elegi, et tota cordis affectione quæsivi. Aliud autem periculum adjungit, quare necessarium sit orare ut vivificetur ad custodiendum sermones Domini, sic : Necesse quidem est, Domine, orare me ut vivificer, et sic custodiam sermones tuos, ne ab ipsis deficiam. *Etenim* perversi *principes* terreni *sederunt et adversum me loquebantur*, et adhuc loquuntur, id est sedendo adversum me locuti sunt, scilicet, cum mora et studio locuti sunt tale quid quod esset contrarium mihi, videlicet ut per minas et blanditias suas devocarent me a custodia mandatorum tuorum, qui videlicet principes terribiles sunt, eo quod potentiam habeant cogendi. Cum dicit *sederunt*, innuit quod perseverantes in devocatione sanctorum exstiterunt. *Principes*, inquam, sedendo *adversum me loquebantur*, *servus autem tuus*, ego videlicet, pro eis non deficiebat, sed *exercebatur in justificationibus tuis* complendis. Cum dicit se exercuisse in mandatis Dei, meritum prætendit. Cum vero dicit per tertiam personam : *Servus tuus exercebatur*, humilitatem ostendit ; quod non faceret si diceret : ego exercebar. Prætendit quoque meritum, quare vivificari debeat ad custodiendum sermones Domini, cum addit : Ideo *me vivifica* ad custodiendum *sermones tuos* ; nam et *meditatio mea est testimonia tua*, id est, meditor præcepta tua complere. *Et consilium meum* est *justificationes tuæ*, id est consilium 475 habeo, quomodo ipsa mandata perficiam. Quod est dicere : Ad hoc nitor et meditatione et consilio ut præcepta tua compleam. Ideoque dignus sum vivificatione ; majus quidem est consiliari, quam simpliciter meditari. Sive *principes* dicit principales hæreticos, qui fideles devocare nituntur omnimodo a proposito sanctitatis eorum. Possunt autem hi duo versus novissimi aliter superioribus conjungi, ut sententia non mutetur, sic : Dico *aufer a me opprobrium et contemptum*. Et ideo oro, quia peccando opprobrium et contemptum incurrere metuo. Et ecce quare metuendum est : *etenim principes* terreni, vel hæretici, non modo sedere incipiunt, sed jam diu *sederunt*, etc., et ideo dignum est ut auferas *a me opprobrium et contemptum*, *nam et testimonia tua*, etc.

Daleth, *timor* interpretatur. Unde per Daleth, quæ in principio versuum hujus clausulæ posita est, datur intelligi quia in hac clausula orat fidelium collectio vivificari, ut in superiori clausula, sed alia causa, scilicet contuitu timoris periculi jam evasi. Timet enim mortificari in anima, ut jam mortificata fuit, dum ejus *anima pavimento adhæsit* et dum *dormitavit*. Adjungit autem causas quare debeat hoc quod orat adipisci. Per hoc autem instruit eos, qui in tali periculo sunt et qui jam evaserunt, exemplo suo orare ; ipsum vero periculum cujus timore hic orat, in principio clausulæ denotat, cum dicit :

Adhæsit pavimento, etc. ; ac si dicat : Oravi, Domine, superius, ut me vivificares ex retributione. Oro quoque istud idem alia occasione, videlicet *vivifica me*. Exponit autem de qua vivificatione oret, addendo sic : *Vivifica me*, inquam, vivificatione existente *secundum verbum tuum* ; quod est dicere : *Vivifica me* interius in anima, ut vivam secundum quod tu præcipis, sancte videlicet et juste ; hanc autem vivificationem exspecto eo contuitu, quia timeo, ut rursus incurram pericula, quæ jam evasi, scilicet ut adhæreat *anima mea pavimento* ; vel dormiter *præ tædio* ; quod tamen minus est. *Adhæsit* enim *anima mea pavimento*, id est carni, consentiendo voluntatibus ejus ; vel terrenis, amplectendo ea secundum affectionem. Pavimentum animæ caro dicitur per similitudinem. Sicut enim pavimentum infimum est, et ad hoc fit ut per illud fiat transitus, non ut illi adhæreatur ; ita caro ad hoc animæ conjuncta est, cum sit inferioris naturæ, ut ab hac peregrinatione transeat ipsa anima ad patriam cœlestem bene operando, per carnis officium, cui carni tunc adhæret, cum in voluptate seu venitate qualibet illi consentiens est. Sive pavimentum bona præsentia dicuntur, eo quod a Deo creata sunt ad corporis sustentationem, non ad voluptatis superfluitatem ; et quia inferiora sunt bonis cœlestibus, et pro Deo sunt conculcanda, sicut pavimentum quod inferius est in domo, a transeuntibus conculcatur, et ad hoc fit ut ex eo transeuntes sustententur, quia dixerat animam suam pavimento adhæsisse, ne propter hanc adhæsionem videretur indignus vivificatione, dignum hac re se esse ostendit, cum sic addit,

www.libtool.com.cn

Vivifica me, inquam, et vere dignum est, licet anima mea pavimento adhæserit, male operando. Ego enim de hac adhæsione pœnitens, *vias meas*, id est malas operationes, quæ viæ meæ fuerant non tuæ per quas incesseram, *enuntiavi* tibi, per confessionem orans humiliter, ut eas remittere s, *et exaudisti me* remittendo. Quoniam ergo vias meas annuntiavi tibi, et hoc beneficium, ut me exaudires, mihi contulisti, *doce me* magis et magis *justificationes tuas*, id est præcepta tua per quæ completa justificer, quæ jam ex parte docuisti; et non solum oro ut doceas justificationes, sed etiam *viam justificationum tuarum instrue me*, id est ipsum ordinem præceptorum, quo videlicet ordine debeam bene operari, scilicet qualiter ascendendum sit de virtute in virtutem, ne in principio sim intensus, 476 et in fine remissus. Ordo, via per similitudinem dicitur, eo quod qui per ordinem incedit, recte eat, sicut ille recte it qui per viam incedit. Si vero ordinem dimittat, distorquetur, ad modum viatoris viam rectam relinquentis.

Dico *instrue me viam*, *et* instructus *exercebor in mirabilibus tuis*, id est scientia et operatione exercebor in præceptis tuis, quæ mirabilia dicuntur, eo quod completores suos mirabiles in sanctitate faciunt. Per hoc autem meretur quod orat adipisci, quia se exercendum in mandatis Dei promittit. Per hoc etiam auditores ad hoc idem exercitium instruit. Oravi, Domine, vivificari timore adhæsionis, quam jam evasi. Oro quoque, *confirma me in verbis tuis*, et magis et magis me confirmes in præceptis tuis, ut ea compleam. Hoc autem idem est quod superius dixit : *Vivifica me*, sed propter aliam causam appositum repetitum est. *Confirma me*, inquam, et hoc oro quia timeo dormitare, ut jam *dormitavit anima mea præ tædio*, scilicet aliquantulum tepuit et minus fervida fuit ad bonum opus, eo quod tædio ipsi fuit jejunare et vigilare, et alia bona agere. Minus est dormitare quam adhærere. Oravi ut me confirmes. Oro quoque, *amove a me* per gratiam tuam non solummodo iniquitatem, sed *et viam iniquitatis*, id est consuetudinem ipsius iniquitatis, quæ remanet post iniquitatem, sicut via trita post euntium frequentiam diu restat. Et amovendo viam *miserere mei de lege tua*, id est secundum legem tuam, scilicet secundum institutionem tuam, id est cum habeas legem medendi, medere mihi ex misericordia, prout opportunum erit, inferendo justas tribulationes et infirmitates. A similitudine medici, qui secando, urendo, et alias anxietates inferendo infirmum sanat. Oro, *amove a me viam iniquitatis*. Oro insuper, *noli me confundere*, in est subtrahendo gratiam noli pati me confundi, deficiendo a via veritatis. Nec dignum est quia *viam veritatis elegi*, id est elegi ex omnibus aliis rebus completionem mandatorum tuorum, quæ via est ad veritatem, id est ad veram beatitudinem. Et sic *elegi viam mandatorum tuorum* quod *non sum* aliquo tempore *oblitus judicia tua*, id est mandata tua, quæ complenda esse a fidelibus judicas. Vel sic, ut viam veritatis magis et magis eligerem, *non sum oblitus judicia tua*. Quod est dicere : In memoria habui qualiter in futuro justo judicio eligentes hanc viam beatificabis, non eligentes autem justo judicio, damnabis. Non solum autem *viam mandatorum tuorum*, quæ est via veritatis, *elegi*, secundum voluntatem, sed etiam *adhæsi*, Domine, *testimoniis tuis*, id est mandatis tuis secundum operationem. Et non ad horam operatus sum; sed *viam mandatorum tuorum cucurri*, id est, mandata tua quæ via sunt ad veram beatitudinem operatus sum voluntate spontanea et cum perseverantia. Quod per cursum denotatur; hoc autem quod cucurri, non ex me habui, sed ex te. *Cucurri* enim *cum* hoc fuit quod tu *dilatasti cor meum*, id est hoc quod tu *cor meum* in charitate *dilatasti*, causa fuit quare cucurrerim. Unde Prosper : « Arcta via est quæ ducit ad vitam, et tamen non curritur per ipsam, nisi dilatato corde. » *Cum*, signum est causæ vel temporis. Per hoc autem dat auditoribus humilitatis exemplum, ut nil sibi, sed omnia Domino ascribant.

He, *viro* vel *est* interpretatur. Cum igitur *He* versibus quintæ clausulæ inscribitur, ostenditur quoniam de eo qui vere est et vivit, de Christo scilicet, hic intentio habetur. Qui de seipso testatur : « Ego sum qui sum (*Exod.* III, 14). » Et alibi : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Et Apostolus : « Mors illi ultra non dominabitur. Quod autem vivit, vivit Deo (*Rom.* VI, 9, 10). » Orat autem hic fidelium collectio hoc, ut Dominus Pater ponat sibi Dominum Jesum Christum, qui vere vivit et est, legem et moderationem viæ, quæ incœpit, scilicet det sibi sequi Dominum Jesum, qui dux sit et adjutor ejus, per quem ad verum esse pertingat. Ut autem ejus ducatu 477 et auxilio viam hanc perseveranter possit incedere, orat quoque intellectum ad scrutandum legem veterem sibi dari, sine cujus custodia impossibile est veram beatitudinem adipisci. Orat insuper in semita mandatorum novæ legis deduci, et cor in testimonia ejus inclinari, et oculos a vanitate averti, et eloquium Domini sibi statui, et opprobrium ejus amputari; et addit causas cur hoc debeat adipisci. Hoc autem ea intentione facit ut auditores instruat ad hoc idem verum esse tendere, et ad hoc assequendum Christum ducem et adjutorem expetere, et hæc eadem quæ orat exemplo suo orare.

Legem pone mihi, Domine, etc. Ac si dicat : Dixi quod *viam veritatis elegi, et cucurri*; ut autem hanc viam curram indesinenter, o Domine Pater, *pone mihi viam justificationum tuarum*, legem viandi, scilicet Dominum Christum, qui est via *justificationum tuarum*, id est qui est via per quem venitur ad justificationes tuas, videlicet per quam fideles veniunt ad remissiones peccatorum ; statue, inquam, mihi legem viandi, da eum mihi moderatorem, ut per eum ducem, adjutorem et moderatorem ad verum esse tendam, a similitudine viatoris qui, bono duce fretus, ad metam pertingit itineris incœpti. Legem pro moderatione ponit, eo quod lex ad

www.libtool.com.cn

moderationem plebis subditæ data sit. Oro, *pone viam mihi legem*; et etiam opto et oro *ut exquiram eam semper*, id est ex omnibus aliis rebus semper eam quæram præcipue imitari omni affectione Quod est dicere: Da mihi affectionem eam semper exquirendi. Ut autem semper eam legem, Christum scilicet, *exquiram*, *da mihi intellectum*, id est vim et facultatem intelligendi; *et* sic *scrutabor legem tuam* veterem, quod videlicet significent mystica ejus præcepta, non repellens eam, sicut Manichæi. «Non enim venit Dominus Jesus solvere legem, sed adimplere (*Matth* v, 17).» *Et* illam diligenter scrutans *custodiam* non exterius per carnales observantias, sed mystice et moraliter interius, *in toto corde meo*, id est in tota affectione cordis mei. Non solum autem oro ut des mihi intellectum ad scrutandum legem tuam; sed etiam oro, per gratiam tuam, *deduc me*, id est dirige et perseverare me fac *in semita mandatorum tuorum*, id est in mandatis novæ legis, quæ dicuntur antonomastice mandata propter sui dignitatem, et quæ dicuntur semita propter sui arduitatem, eo quod paucis communia sint, ad modum semitæ per quam pauci gradiuntur. Quod est dicere: Fac me directum et perseverantem in arduis præceptis novæ legis. Quæ sunt hæc: Inimicum diligere, et omnia pro Deo postponere, et cætera hujusmodi. Ideo vero dignum est ut *me* deducas *in semita mandatorum tuorum*, *quia ipsam volui*; et quod boni aliquis bene vult, dignus est adipisci. *Deduc me*, inquam, *in semita*. Cum autem sic deductus ero, non inde me superbire permittas, sed *inclina*, id est humilia tibi *cor meum*, et nullo modo insolescat; *cor meum* dico, intendens *in testimonia tua*, id est in promissa tua, *et non in avaritiam*, scilicet humiliatum fac cor meum et perseverans in mandatis tuis, non respectu avaritiæ, ut aliquid terrenum inde lucrari intendam, sicut quidam hypocritæ, sed causa nanciscendi testimonia, tua, id est promissa tua, et hic et in futuro quæ in Evangelio testaris, dicens: « Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* xiv, 23). » Ecce promissio de præsenti; de futurorum vero promissione sic dicit: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22; xxiv, 13). »

Oro, *inclina*: oro quoque, *averte oculos meos* interiores, *ne videant vanitatem*, id est averte affectiones cordis mei, ne cogitent vanitatem, scilicet ne bene operer causa vanæ gloriæ et favoris humani. Videre pro cogitare ponit eo quod cor nullo alio modo videt quam cogitando. Oro insuper, *vivifica me in via tua*, id est fac me intelligere vivificationem magnam esse hoc 478 quod aliquis est in via mandatorum tuorum. Quod est dicere: Ut magis in via tua persistam, fac me oculis mentis semper videre, illum vultum vivificationis jam habere qui in hac via persistit. Non solum autem oro deduci *in semitam mandatorum tuorum*, sed oro quoque, *statue eloquium tuum servo tuo*, id est mihi, quia servus tuus sum, statutum et firmum fac præceptum tuum, ne unquam a memoria mea excidat, et sic nunquam ab ejus completione desistam. *Statue*, inquam, mihi *servo tuo eloquium tuum*; et hoc, *in timore tuo* casto me fundando. Quod est dicere: Fac me in timore casto fundatum esse, et sic eloquium tuum in me stabile erit et firmum. Nam « initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* cx, 10). » Ut autem in me per timorem statuatur eloquium tuum, *amputa* per indulgentiam, a me, *opprobrium meum*, id est, aufer a me omne peccatum, quod causa est opprobrii. *Opprobrium* dico *quod suspicatus sum*; ac si dicat: Non sum certus an in me sit opprobrium, sed quoniam illud in me esse suspicatus sum, oro, *amputa*. Per hoc autem illos qui sibi conscii peccati sunt, multum orare invitat, cum ipse qui sibi conscius peccati non est, sic tamen orat. Unde Apostolus: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (1*Cor*, iv, 4). » Dico *amputa*, etc. Hæc autem ideo oro, licet peccati conscius non sum, *qui* scio *quod judicia tua jucunda* sunt, id est dulcia et delectabilia, quod videlicet judicas indulgeri confitentibus; non aspera sunt ut judicia hominum, qui de reatum suum confitentibus supplicium sumendum esse decernunt. Oravi ut amputes opprobrium. Oro insuper, *vivifica me*, id est, fac me in anima vivificatum per completionem mandatorum; et hoc fac *in æquitate tua*, id est secundum quod æquitas tua exigit. *Ecce* enim *concupivi*, id est valde cupivi, *mandata tua* complere, et hoc tibi est *ecce*, id est præsens et manifestum, Ideoque, quia *concupivi*, æquitas tua exigit ut me propter hoc vivifices, cum sis æquus judex.

VAU, interpretatur vel *ille* vel *ille est*. Convenienter ergo *Vau* versuum sextæ clausulæ principium est, ut ex hoc appareat quatenus hic de illius adventu sit oratio a fidelibus, qui vere est misericordia Patris, et Filii, et salvatio fidelium de Spiritu sancto scilicet. Dicitur enim Spiritus sanctus misericordia Patris et Filii, eo quod ejus illustratione Pater et Filius misericorditer salutem fidelium operantur. De hoc Spiritu sancto hic collectio fidelium orat, ut in mentem suam specialiter veniat, et sibi facundiam scientiæ et eloquii tribuat, ut infidelibus sibi exprobrantibus rationabiliter respondeat. Orat quoque ne ab eloquio Dei, et a legis custodia unquam deficiat. Adjungit insuper causas cur hoc debeat obtinere quod orat. Per hoc autem auditores instruit per hæc eadem orare. Quia vero de persona Spiritus sancti sit hic oratio, per vim interpretationis hujus litteræ denotatur. Cum enim Patrem de Filio superius oraverit, ut esset ei lex, et hic *Vau* inscribatur; quæ et *ille* interpretatur, idem valet ac si aperte diceretur: Oravi, Domine Pater, ut Filium, qui via est justificationum, mihi legem ponas. Oro ut *ille* tertius in persona, *ille* gloriosus, *ille* magnificus, Spiritus sanctus scilicet, ad me specialiter mittatur. Plerumque nempe cum *ille* sic absolute ponitur, aliquid magnum et notabile denotatur. Si vero aliam hujus vocis interpretationem

www.libtool.com.cn

inspiciamus, intentionem hujus clausulæ cognoscemus. Cum enim, ut dictum est, *Vau ille est* interpretetur, vult hoc innui quod *ille* vere *est* et ad verum esse jam accedit in quem Spiritus sanctus, de quo hic ora, specialiter advenit. Unde nimirum patens est quod ea intentione hic de adventu ejus orat, ut auditores ejus de adventu orare instruat, ut esse possint. Est autem æquipollens ac si sic plane dicat: Quandoquidem *ille est* revera, in quo Spiritus sanctus est, de ejus adventu vos orare utilissimum est.

Et veniat superme, etc. Istud *et* spectat ad alia quæ posita sunt in sequenti ubi dicit: *et respondebo*, etc., et 479 *auferas*, est.; *et custodiam*, etc. Est autem tale ac si diceret: Oravi, Domine Pater, ut Christum, qui est via justificationum, legem mihi ponas, et des mihi intellectum, etc. Dixi etiam quod *concupivi mandata tua*; quod tibi est, *ecce*. Oro quoque, Domine, cum hoc sit, quod *concupivi mandata tua*, quatenus *et veniat misericordia tua*, id est Spiritus sanctus, *super me*, id est in superiorem partem meam, scilicet in animam, et *salutare tuum veniat super me*, id est Spiritus sanctus qui est salvatio fidelium, quod est ac si dicat: Salutare tuum, Spiritus sanctus scilicet, *veniat super me*, et hoc sit ex misericordia tua et salutari tuo. Determinat autem qualiter oret, *ut veniat* in eum, cum addit *secundum eloquium tuum*. Quod est ac si dicat: Oro ut *veniat* in me *salutare tuum*, et hoc *secundum eloquium tuum*, id est secundum hoc oro ut in me veniat, ut mihi det eloquium tuum scilicet scientiæ et facundiæ quod ex te est. Est autem hoc æquipollens, quasi sic poneret: Da mihi Spiritum sanctum, qui me scientia et facundia illuminet. *Et*, si *salutare tuum in me veniat*, qui me fecundum faciat, *respondebo verbum*, id est rationabilem sermonem infidelibus et hæreticis *exprobrantibus mihi*, scilicet qui mihi propter integritatem fidei et vitæ meæ probra et convicia ingerunt. Verbum congrue rationabilem sermonem dicit. Loquelæ namque hæreticorum vel cæterorum infidelium, cum nihil sint nisi ventosa garrulitas, verba dicenda non sunt, sed ventus inanis. Ostendit autem quare tantopere oret sibi dari eloquium Dei, cum sic addit: Idcirco tantopere rogo, Domine, ut *veniat in me salutare tuum*, quod mihi det eloquium, *quia speravi in sermonibus tuis*, id est qui magnam spem et confidentiam habui, et adhuc habeo in sermonibus tuis; qui si mihi dentur, rationabiliter respondere potero exprobrantibus; vel sic: *Respondebo*, inquam, *verbum exprobrantibus* hæreticis et infidelibus. *Exprobrantibus* dico, idco *quia speravi in sermonibus tuis*, id est, quia spem certam habeo in promissis tuis, exspectando bona æterna quæ promisisti. Oro ut mihi detur per adventum sancti Spiritus eloquium, ut verbum respondeam exprobrantibus, *Et* postquam hoc verbum ad respondendum habebo, oro, *ne auferas*, id est ne permittas auferri, *de ore meo verbum veritatis*, id est verum Verbum confessionis tui.

Ne auferas, inquam, *usquequaque*, id est ullo modo, ulla anxietate tribulationum, ulla deceptione verborum. Quod est dicere: Non solum oro habere in corde verbum confessionis tui, sed etiam oro ut nulla causa possit ab iniquis auferri ab ore, quin tibi semper confitear, id est te annuntiem. Non enim sufficit habere verbum hoc in corde, nisi etiam sit in ore. Nam « qui erubuerit me. » dicit Dominus, « coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo (*Luc.* IX, 26). » Et Apostolus: « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10). » Posset dici: Quare oras ut non auferatur verbum de ore tuo, cum propter verbum hoc, nisi ablatum fuerit, sis tribulationes passurus. Ad hoc ergo sic respondet: Ideo quæso ne auferatur verbum, propter tribulationes, *quia in judiciis tuis supersperavi* remissionem, id est propter tribulationes quæ judicia tua dicuntur, eo quod eas judicas esse pro te patiendas, speravi remunerationem. Et bene dicit, *super*; ac si dicat: Cum ex annuntiatione verbi tui speraverim remunerationem, propter tolerantiam ipsarum tribulationum, plus speravi remunerationem, quia si simpliciter verbum annuntiarem, et pro eo non paterer. Vel sic: *Quia in judiciis tuis*, id est in tolerantiam tribulationum *supersperavi*, id est majorem remunerationem speravi quam sit ipsa tribulationum anxietas. Ideoque oro, *ne auferas verbum*. Unde Apostolus: « Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » Orat autem, ne inimicum odio habeat aliquem in tribulationibus, propter tribulationes; sed plenarie retineat in ipsis tribulationibus 480 dilectionem Dei et proximi. Quam dilectionem per antonomasiam legem vocat, eo quod in hac tota lex pendet et prophetæ. Si enim hac lege careret, inutiliter tribulationes sustineret, juxta illud Apostoli: « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 3). » Hoc autem sic dicit: Oro *ne auferas verbum* verum *de ore meo, et* oro etiam ut in tribulationibus non deficiam a charitate, sed *custodiam semper* inviolatam *legem tuam*. Determinat quam legem, cum addit: *Legem* dico duraturam in sæculum istud: et *in sæculum sæculi*, id est in futurum sæculum, charitatem videlicet, quæ nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8), nec in hoc sæculo neque in futuro.

Oratione facta causas adjungit, quibus dignum est quæ orat assequi, cum dicit: *Et ambulabam*, etc. Et istud ad alia et sequentia refertur, ac si dicat: Oro ut *custodiam* in tribulationibus *legem tuam*, id est charitatem. Et dignum est, ut hæc te habeam. Nam cum ante id tempus in tribulationibus essem, et te de custodia legis hujus orarem, jam prout poteram, custodiebam ipsam legem charitatis, scilicet *ambulabam in latitudine*, id est promovebar et perseverabam in amplitudine charitatis, erga Deum et proximum. Ideoque quia, prout potui, eam custodivi, merui ut me plus eam facias custodire. Auget

www.libtool.com.cn

adhuc meritum, cum sic addit: Et inde contingebat me ambulare in latitudine, *quia mandata tua exquisivi*, id est ex aliis rebus omnibus elegi. Apposita causa cur debeat ei a Domino legis custodia dari, apponit causam cur sibi debeat dari, ne usquequaque auferatur verbum Dei de ore ejus. Ideo scilicet quoniam hucusque sine confusione verbum hoc *in conspectu regum* locutus est. Hoc autem sic dicit: Oro *ne auferas verbum de ore meo*, et dignum est ut non auferatur. Non solum enim in tribulationibus positus *ambulabam in latitudine*, sed *et loquebar* existens *in testimoniis tuis*. Quod est dicere: Loquendo de te, testabar te verum Deum esse. Vel, *loquebar*, id est annuntiabam testimonia tua, id est præcepta tua, existens bene vivendo in ipsis testimoniis tuis, ut auditoribus exemplum tribuam in eisdem testimoniis existendi, « ne cum aliis prædicarem, ipse reprobus efficerer (*I Cor.* IX, 27). » Loquebar, inquam, et non in abscondito, sed *in conspectu regum* terrenorum infidelium, mihi mortem comminantium. Et licet pannosus essem *et* vilis, tamen *non confundebar*, id est non erubescebam loqui, etsi posset ibi locus esse confusionis. Et ideo adhuc debes non auferre de ore meo verbum verum, et me facere legem tuam custodire; sed ideo etiam quia non solum mandata tua exquisivi secundum electionem, et non solum loquebar in conspectu regum, sed *meditabar in mandatis tuis* complendis, utpote *quæ dilexi*. Quod est dicere: Meditabar quomodo mandata tua complerem, et hoc non invitus, sed ex dilectione, quia ea valde dilexi. Et non solum meditabar, sed *et levavi manus meas*, id est promovi et intentas feci affectiones meas, *ad mandata tua* complenda operatione, ut pote *quæ dilexi*, scilicet non invitus, sed ex dilectione dictum est a similitudine illius, qui ad aliquid operandum manus levat. *Et* sic *levavi manus ad mandata tua* opere complenda, quod *exercebar in justificationibus*, id est in mandatis tuis quæ complebam. Quod est dicere: Cum magno exercitio operationis mandata tua opere complebam, ideoque majus meritum habeo.

Zain *duc te* vel *huc* interpretatur. Quia intentione ergo fidelium collectio oret, in hac clausula septima per hujus vocis interpretationem denotatur. Cum enim oret de promissione beatitudinis, prætendendo merita sua, ea intentione facit, ut auditores invitet ad hanc, omni intentione et bona operatione suspirare et intendere, ac si dicat: Tu quicunque bene operaris, huc intende ad quod intendo ad æternam beatitudinem, scilicet quidquid boni facies, intentione hujus beatitudinis adipiscendæ facias, non pro favore hominum. Si autem notemus 481 eam interpretationem quæ est, *duc te*: idem valet, ac si dicat: Tu quicunque fidelis qui bene operaris, duc te intentione tua ad hoc, ad quod orando me duco et bene operando, scilicet ad æternam beatitudinem.

Memor esto verbi, etc. Quasi diceret: Dixi, Domine, quod *ambulabam in latitudine, et loquebar in testimoniis tuis*: *et* quod *meditabar in mandatis tuis*: *et* quod *levavi manus meas ad mandata tua et exercebar in eis*. Unde oro, Domine, *memor esto verbi tui*, id est promissi tui, facti *servo tuo* cuicunque, id est promissionis beatitudinis æternæ quam promisisti omni servo tuo te daturum esse, quam oro in me compleas, cum ego servus tuus sim. Bene dicit: Memor esto, non quod oblitus sit, sed quia cum modo suos non remuneret, videtur infidelibus hic eos dare oblivioni. Ostendit autem cur adeo oret de completione verbi, cum addit: *Memor* inquam, *esto verbi tui*, ut illud in me compleas, *in quo* nempe *spem mihi dedisti*, scilicet per quod me certam spem promissæ beatitudinis habere fecisti. *Hæc* autem spes ex hoc verbo concepta, *consolata est me* dejectum *in humilitate*, id est maximam mihi dedit salvationis consolationem, dum sum in hac humilitate, in hac dejectione mortalitatis et passibilitatis quæ *mea* est, quoniam ego ipse in Adam peccando mihi eam paravi. Et ideo adhuc oro, *memor esto verbi tui*, *quia eloquium tuum*, id est promissum tuum, non solum consolatum est me, sed ut majus quid dicam, *vivificavit me*, scilicet cum jam sim de promisso certus, pro solo promisso videor mihi jam vivificatus. Quid ergo si quandoque promissum attigero? Ideoque oro, *memor esto*, ut compleas verbum promissionis. Et ecce merita mea, quorum occasione decet te memorem esse. *Superbi* enim antonomastice, id est impii per superbiam jugum tuum abjicientes, *inique agebant usquequaque*, id est omnimodo, et in se et in proximo videlicet, et a lege tua elongando, et me cæterosque fideles ab eadem lege devocare multis modis adnitendo. Ego autem tamen *non declinavi a lege tua*, eorum exhortationibus et exemplo. Quod est dicere: Licet superbi inique agerent, devocare me cupiendo, tamen eis non acquievi ut declinarem. Et ideo adhuc *memor esto verbi tui* complendi, quia ego non tradidi oblivioni judicia tua justa; sed potius *memor fui judiciorum tuorum*, *Domine*, *a sæculo*, id est ab initio sæculi completorum. Quod est dicere: In perenni memoria habui qualiter ab initio sæculi justis judiciis tuis sanctos tuos etiam in hac vita remuneraveris, Noe scilicet et Abraham, et cæteros hujusmodi. *Et* ideo *consolatus sum*, confidens etiam quia justo judicio me quandoque remunerabis. Et ideo adhuc dignum est ut erga me memor sis verbi tui, quoniam, quod perfectissimum est, inimicos diligo, et adeo quod *defectio tenuit me pro* ipsis inimicis *peccatoribus* existentibus. Quod est dicere: Nimia tristitia occupavit me pro inimicis meis peccatoribus, quæ tanta est ut inde totus in anima tabescam et deficiam. Ideoque defectio dicitur.

Pro peccatoribus, inquam, *derelinquentibus legem tuam*. Quod est dicere: Ideo pro eis defectionem patior, quia legem tuam derelinquunt, non quia me persequuntur. Et ideo adhuc *memor esto verbi tui*, quia non solum cum *superbi inique agebant*, *non declinavi a lege tua*, sed et *cantabiles mihi erant justificationes tuæ*, id est delectabilia mihi erant man-

www.libtool.com.cn

data tua ad modum rei quæ ex delectatione cantatur. Quod est dicere : Delectabilia mihi erant præcepta tua, quæ justa sunt. *Cantabiles*, inquam, *mihi erant*, et hoc *in loco peregrinationis meæ*, id est in hac vita in qua peregrinor a patria, quæ peregrinatio mea est, quam mihi ipse peccando in Adam paravi. Per hoc meritum augmentat, ac si dicat, Adam cum non esset in peregrinatione, 482 non habuit præcepta tua jucunda et delectabilia, mihi autem in peregrinatione posito delectabilia sunt. Ideo quoque *memor esto verbi tui*, quoniam ego *memor fui nocte nominis tui*, *Domine*, id est in tempore nocturno, in quo est quietis tempus, et in quo suggestiones illicitæ præcipue solent suboriri, *memor fui nominis tui*, scilicet ut suggestiones illicitas evadcrem, memorans te Dominum esse et Creatorem et inobedientium ultorem, vel *in nocte*, id est in tempore adversitatis, in quo potest esse defectus, *memor fui nominis tui*, *Domine*. *Et* per hoc non defeci; sed *custodivi legem tuam*, id est præcepta tua, ne ea transgrederer. Ostendit autem ad pondus meriti, et ad exemplum humilitatis hanc memoriam se non habuisse ex se, cum dicit : *Memor fui*, inquam. *Hæc* autem memoria non ex me fuit ; sed *facta est mihi* a te. Et inde facta est, *quia justificationes tuas exqvisivi*, id est mandata tua justificantia ex omnibus rebus aliis *quæsivi*, id est elegi. Notandum quod non incongrue huic jam expositæ clausulæ inscribatur. *Zain*, quæ septima est in ordine alphabeti, ut videlicet per numerum septenarium denotetur, quod in hac clausula de quiete æternæ beatitudinis oratur, cum dicit : *Memor esto*, quæ per numerum septenarium intelligitur, eo quod in die septima Deus quievisse legitur, et in die septima in lege veteri quies haberi præcipiebatur per quam quies æterna præsignabatur.

Heth, *pavor* interpretatur. Quæ nimirum non inconvenienter octavæ clausulæ versibus octonis inscribitur; in qua fidelium collectio orat, ut eam Deus deceat justificationes suas, prætendendo plures causas quibus hoc assequatur. Hoc autem ideo orare denotatur per *Heth*, quæ *pavor* interpretatur, quia cum jam in tantum dignitatis ascenderit, ut in superioribus clausulis ostensum est, pavet ne ab hac altitudine aliquo modo decidat, et hujus pavoris occasione tantopere orat. « Beatus enim homo qui semper est pavidus (*Prov.* XXVIII, 14). »

Portio mea, Domine, etc. Hæc omnia fere quæ in hac clausula habentur, præpositæ causæ sunt ad orationem quæ in fine psalmi posita est, ubi dicit : *Doce me justificationes tuas;* quæ sic quidem adaptatur. Oravi, Domine, *memor esto verbi* promissionis tuæ, ut mihi promissam beatitudinem æternam tribuas. Ad quam promissionem ut attingam, oro, Domine, *doce me* magis magisque *justificationes tuas*, id est præcepta tua, et secundum scientiam, et secundum operationem, quæ jam me docuisti. Et ideo *doce me* juxta præcepta tua, quia tu, *Domine*, es *portio mea*, scilicet te solum partem elegi, omnibus aliis spretis et tantam rem electam aliqua occasione peccati amittere timeo. Et ideo adhuc *doce me*, quia non solum te portionem elegi ; sed ut te electum adipiscerer, *dixi* in corde, id est *statui custodire legem tuam*, id est complere præcepta. Et non solum hoc, sed etiam *deprecatus sum in toto corde meo*, id est in tota affectione cordis mei adipisci *faciem tuam* in futuro, id est præsentiam et plenariam tui cognitionem, quæ est summa beatitudo. Vel sic : *Deprecatus sum* adipisci *faciem tuam*, et hoc *in toto corde meo*, id est ut te toto corde in futuro cognoscam, et videam toto corde tibi intentus, non partim sæcularibus ut nunc. *Deprecatus sum*, inquam, dicens sic : O Domine, *miserere mei*, id est, ex misericordia tua mihi da faciem tuam, *secundum eloquium tuum*, id est secundum quod promisisti per prophetam dicens: « Omnes cognoscent me a minore usque ad maximum (*Jer.* XXXI, 34). » Ideo adhuc *doce me*, quia non solum *statui custodire legem tuam*, sed etiam *cogitavi vias meas*, id est cum summa meditatione perquisivi quæ essent viæ meæ, id est viæ mihi utiles, per quas ad te pertingerem. *Et* sic tandem ab omnibus mundanis contemptis *converti pedes meos in testimonia tua*, id est converti affectiones meas in præcepta tua, quæ mihi viæ sunt ad te, a similitudine illius qui a tortuosa via in rectam viam pedes convertit. Per hoc autem quod *vias* 483 *meas cogitavi*, *paratus sum* ad resistendum viriliter hostibus et interioribus et exterioribus, *et* sic quod *non sum turbatus* aliquatenus ab ipsis hostibus. Et adeo *paratus sum ut custodiam mandata tua*, opere complendo. Diceret aliquis : Dicis te non esse turbatum. Fuitne locus turbationis ? Ad quod sic respondet : Fuit utique. *Funes* enim *peccatorum circumplexi sunt me*, id est fortes laquei qui solent homines ad peccata trahere, circumvallaverunt ut ad peccata me traherent. *Et* tamem *legem tuam non sum oblitus*, ut in peccata detraherer. Funes pro fortibus laqueis ponit, eo quod ex funibus fortes laquei fiant, ad feras illaqueandas. Funes peccatorum vocat res illas quibus solent homines ad peccata trahi, ut aurum et argentum ad avaritiam, et formosa mulier trahit ad libidinem.

Vere *non sum oblitus legem tuam* ; sed in *media nocte*, id est in medio nocturni temporis, in quo est locus quietis, et in quo multum suggestiones illicitæ solent suboriri, *surgebam ad confitendum tibi*, id est ad laudandum te, fundatus *super judicia*, id est super præcepta *justificationis tuæ*, per quæ videlicet obedientes tibi justificas. Quod est dicere : Ne suggestiones illicitæ me a mandatis tuis retraherent, *media nocte* ad laudandum te *surgebam*, et in mandatis tuis persistebam. Circa nempe noctem mediam pro quiete et pinguedine cœnæ hesternæ insolescente carne solent suggestiones imminere, et castitatem cæterasque virtutes præcipuas destruere; quod præsignatum est in Ægypto sub Moyse, quando in media nocte Ægypti primogenita destructa sunt ab angelo percutiente (*Exod.* II, 4, 5). Sicut autem tunc

www.libtool.com.cn

Moyses non stertuit, non segniter egit, sed agnini sanguinis effusione populum Israel ab angelo percutiente liberavit (*Exod.* XII, 23, 24), ita, media nocte suggestionibus ingruentibus, non est torpendum, sed vigilandum et viriliter agendum, et fide passionis Christi, qui verus Agnus est, corpus et spiritus muniendus. Vel sic : In *nocte media*, id est in adversitate manifesta, in qua videbar depressus, *surgebam ad confitendum tibi*, id est nitebar ad laudandum te, respiciens *super judicia justificationis tuæ*, id est considerans ipsas retributiones esse judicia tua, per quarum tolerantiam fideles tuos justificandos esse judicas. Ideo adhuc *doce me* quia, cum talis sim ut dixi, non idcirco præfero me minoribus membris tuis, nec arroganter extra consortium eorum me pono, sed magis reputo quod *particeps*, id est consors, *ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua*. Quod est dicere : Me consortem esse judico majorum, et minorum fidelium. Minores, timentes dicit, eo quod in initio fidei existentes adhuc timorem servilem habeant. « Initium enim sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10). » Majores vero, vocat custodientes mandata. Vel *particeps sum timentium et custodientium*, id est particeps sum gaudii et mœroris eorum, juxta Apostolum dicentem : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (*Rom.* XII, 15). » Eo contuitu oro quoque, Domine, *doce me justificationes tuas*, quia *misericordia tua, Domine, plena est terra*, per emphasim dictum est. Quod est dicere : Beneficia misericordiæ tuæ, plenarie sunt in omnibus terrenis creaturis, tam in animatis quam in inanimatis. Ideoque oro ut *me* misericorditer *doceas justificationes tuas*. Misericordia nempe Domini fit quod lapides existunt, arbores et herbæ frondent, et floridæ sunt; animalia vero vivunt et sentiunt.

Teth, *exclusio* vel *bonum* interpretatur. Si vero hanc interpretationem, quæ est *exclusio*, diligenter attendamus, hoc videtur innuere quod hic fidelium massa quæ bonitatem et disciplinam et scientiam doceri se a Domino expetit, omnem a se metum patiendi jam exclusit, parata disciplinam tribulationum pro Domino subire; de qua orat ostendendo quæ utilitas ex hujusmodi disciplina contingat. Quia si hanc interpretationem, 484 quæ est *bonum*, consideremus, hoc notatur quod hic fidelium collectio doceri a Domino expetit bonitatem et disciplinam et scientiam ea consideratione qua Dominus in natura bonus est. Et quia bonitatem jam cum ea fecit, innuitur quoque hic ostendi ab eadem massa fidelium disciplinam bonam esse, cum per eam lex oris Domini bona esse videatur. Prætendit quoque merita hic fidelium collectio, quibus quod orat adipiscatur. Hoc autem totum ea intentione facit ut auditores ad bonitatem et disciplinam et scientiam invitet.

Bonitatem fecisti, etc. In primo hoc versu est prætentio beneficii jam collati, ex cujus confidentia orat in secundo, qui sic prius exponendus est. Oravi, Domine, *doce me justificationes tuas*, id est præcepta tua, ea occasione quia *portio mea* es. Et quia *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, et propter alias causas superius positas, oro etiam, Domine, *doce me*, secundum ipsam experientiam, *bonitatem*, id est suavitatem vivendi *secundum eloquium tuum*, id est præceptum tuum, scilicet da ut suave mihi sit abstinere a malis, et bene operari, et *doce me disciplinam* subire, id est tribulationes pro te pati, quæ disciplina dicuntur, eo quod ad hoc eas permittis tuis fidelibus inferri, ut castigati plenarie discant qualiter obedire tibi debeant, a similitudine discipuli qui ad hoc flagellatur ut plenarie discat. Disciplina quippe componitur a *disco*, *discis*, etc., et *plenarie*. Tribulationum autem adversitas tunc est fidelibus disciplina, cum eis libenter patientibus est correctio. Cæterum, si inviti patiantur, neque disciplina illis est neque correctio. *Et doce me* per exhibitionem, *scientiam* arcanorum tuorum, scilicet da mihi scientiam, ut sciam quid agendum sit, et quid non, et quid de te intelligendum et quid non. Aliud nimirum est abstinere a malis et bene operari, et aliud est scire a malis esse abstinendum et bene operandum. Per hæc tria verba quæ ponit denotari possunt quatuor animæ virtutes principales, de quibus adipiscendis hic oratur. Per bonitatem enim temperantia et justitia quæ ad bonum opus spectant, intelliguntur. Vix enim a malis temperatur, quin ad bonum opus, quod est effectus justitiæ, insistatur. Per disciplinam vero, fortitudo accipitur, eo quod in disciplina tribulationum fortitudo constantiæ sit habenda. Per scientiam autem, prudentia manifeste designatur. Dico *doce me bonitatem et disciplinam et scientiam*. Hoc autem eo contuitu oro, et hac confidentia, quia jam *fecisti cum servo tuo*, id est *fecisti* mecum, ideo quia servus tuus sum, *bonitatem* vivendi secundum verbum tuum. Quod est dicere : Inde certus sum quod ea quæ oro mihi dabis, quoniam hoc beneficium mihi jam contulisti ut facias suave mihi esse vivere secundum præceptum tuum, a malis abstinendo et bene operando. Et ideo oro, *doce me bonitatem et disciplinam et scientiam quia mandatis tuis credidi*, id est, credidi æternam remunerationem et cætera, quæ propter mandatorum tuorum completionem promittuntur vera esse; ac si dicat : Dignum est ut hæc me doceas, quia non reputavi falsa ea quæ fidelibus promittuntur, pro mandatis tuis complendis, sed ea vera et certa esse reputavi. Vel *credidi* me *mandatis tuis*, id est devovi et commisi et subjeci me præceptis tuis, ut secundum eorum institutionem me haberem, ad similitudinem fidelis famuli, qui se penitus legibus domini sui credit et subjicit, ut illius voluntates omnes suis præferat voluntatibus.

Ecce prætentio meriti. Quia de disciplina oraverat, posset dici : De bonitate et scientia adipiscenda utile est orare, sed mirum videtur quare de disciplina tribulationum oras, cum ea inutilis videatur et asperrima. Ad hoc ergo respondet, ostendendo quæ utilitas ex hac disciplina contigerit, sic : Oravi, Domine, ut des mihi disciplinam : de qua nimirum ut

www.libtool.com.cn

adhuc detur orandum est, cum ex ea data mihi jam
485 utilitas acciderit; *priusquam*, enim *humiliarer*, id est affligerer ab hujusmodi disciplina, *ego deliqui*. Et *propterea* quia humiliatus sum ego, ab ipso delicto correctus, *eloquium*, id est præceptum, *tuum custodivi*. Quod est dicere: Talis utilitas inde mihi contigit quod cum prius deliquerim non custodiendo eloquium tuum, pro humiliatione hac tribulationum correctus deinceps, præceptum tuum complendo custodivi. Orat autem hic quod superius oravit, sed ex alia occasione, sic: Oravi, Domine, *doce bonitatem et disciplinam et scientiam* ea occasione, quia *bonitatem fecisti* cum me *servo tuo*; et *quia mandatis tuis credidi*, oro etiam adhuc istud idem alia occasione, scilicet, o Domine, *doce me*, secundum rei experientiam, *justificationes tuas*, id est *bonitatem et disciplinam et scientiam*, quæ dicuntur justificationes tuæ eo quod per eas fideles tuos justificas. *Doce me*, inquam, et ut merita mea prætermittam, ea occasione hoc oro quia *bonus es tu* in natura, *et in bonitate tua*, id est in consideratione bonitatis tuæ, *doce me justificationes tuas*. Adjungit quoque merita, cum addit: *Doce me*, inquam, et ecce quare dignum sit, ut me doceas: *Iniquitas* enim *superborum*, id est impiorum contra te per inobedientiam superbientium, *multiplicata est super me* opprimendum Quod est dicere: Non eis sufficit, quod in se male agunt, sed adeo quoque iniquitatem suam multiplicent, ut me tribulationibus opprimendo, a statu sanctitatis meæ divertere satagant. *Ego autem*, licet iniquitas eorum esset ita multiplicata, non destiti a mandatis tuis, sed *in toto corde meo*, id est in tota affectione cordis mei, *scrutabor mandata tua*; ac si dicat: Ideo dignus sum ut me doceas, quia, licet super me iniquitas superborum multiplicata sit, non tamen a scrutatione mandatorum tuorum cessavi. Non autem ad horam eorum iniquitas ita multiplicata est, sed cum perseverantia.

Coagulatum enim *est*, id est induratum est, *cor eorum* in hac iniquitate *sicut lac*, id est ad modum lactis, scilicet sicut lac cum prius acidum fiat, postea coagulatur et durescit. Ita ipsi cum prius in iniquitate mihi acidi facti sint, in hac eadem iniquitate perseverando, quasi duri et immobiles facti sunt. *Coagulatum*, inquam, *est cor eorum*, *ego vero* cum sic essent contra me coagulati, ut a meditatione legis tuæ me retraherent, tamen indesinenter *legem tuam*, id est præcepta tua *meditatus sum*. Quia de persecutione iniquorum, quæ disciplina Domini est, egerat, ne videretur inde quasi conquerendo egisse, ostendit hanc persecutionis humiliationem sibi bonam esse, cum sic addit: Dixi, Domine, quia *multiplicata est super me iniquitas superborum* et quia coagulatum est sicut lac cor eorum. Ex hac iniquitatis persecutione non conqueror, quia *bonum*, id est utile, *est mihi quod humiliasti me*, id est, hoc utilissimum reputo quod tu voluisti me humiliari et affligi iniqua persecutione superborum. Exponit autem ad quid hoc sit utile cum sic addit: *Humiliasti*, inquam, *me* ad hoc, *ut* per hanc *humiliationem* magis magisque *discam mandata tua*, a similitudine discipuli, qui ad hoc flagellatur ut castigatus melius discat. Et ideo quoque reputo bonam hunc humiliationem, quia per eam *bonum*, id est bona res facta est *mihi*, scilicet clara et jucunda facta est mihi *lex oris tui*, id est lex Filii tui, nova lex videlicet, quam Filius tuus dedit, qui os tuum dicitur, eo quod per eum incarnatum voluntatem tuam humano generi revelasti. Quod est dicere: Hoc in me humiliatio effecit ut lex tua nova, quæ quibusdam videtur injucunda, mihi chara videatur et jucunda, et hoc *super millia auri et argenti*, id est super copiam multiplicem omnium divitiarum sæcularium, quæ per has duas partes pretiosissimas, per aurum videlicet et argentum, denotantur. Cum autem post *aurum* ponit *argentum*, non ideo facit quod sit auro pretiosius, sed quia hæc duo simul pretiosiora sunt quam unum duntaxat.

486 Job, *principium* interpretatur. Unde colligitur quod hic fidelium collectio erat in se recreari quod in principio Deus in ea creavit, et in Adam destructum est. Nam cum in principio factus sit homo rationabilis in anima ad imaginem Dei, et innocens et justus ad similitudinem Dei, et hoc in eo debilitatum sit per Adam, orat Deum contuitu illius beneficii quod in eo in principio creavit, ut illud idem in eo recreet, scilicet ut det ei rationabilem intellectum, qui per Adam in eo debilitatus est. Ostendit autem quoniam inde timentes eum lætabuntur, ut ex hoc magis quod orat assequatur. Et addit etiam merita sua, et pro inimicis orat, ut magis impetret. Orat quoque de gloria immortalitatis et impassibilitatis, quam in Adam amisit. Hoc autem ea intentione facit ut ad hoc idem orandum attrahat auditores. Et notandum quod, quamvis superius orasset de adipiscenda scientia et hic oret de intellectu, quæ idem esse videntur, nihil tamen impedit, cum alia causa hoc oret, scilicet causa illius beneficii quod in principio creationis ei contulit. Quod in principio psalmi demonstrat cum sic ponit:

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me. Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Ac si dicat: Oravi, Domine, superius, ut doceres me scientiam, ea consideratione, quia *bonitatem fecisti cum me servo tuo*, et *quia mandatis tuis credidi*, et quia *bonus es tu* in natura. Nunc quoque alia consideratione illud idem expeto; *da* videlicet *mihi* secundum promotionem *intellectum* rationabilem, qui debilitatus est per Adam, *ut* intellectum hunc habendo *discam* magis et magis *mandata tua* Hoc autem ea consideratione oro, quoniam in principio in Adam *manus tuæ fecerunt me*, quantum et animam, quam rationis perfecte fecisti capacem, *et plasmaverunt me* de limo terræ, quantum ad corpus, quod esset immortale et impassibile, nisi Adam peccasset. Plasmare nempe dicitur cum aliquid ex qualibet in-

formi materia formatur, ut ex limo terræ corpus Adæ formatum est. Utrum autem anima vel angeli ex aliqua materia formati fuerint, incertum esse beatus Augustinus asserit. Quod dicit *manus tuæ plasmaverunt me*, non est occasio quantum ad illam orationem quæ mox sequitur, cum dicit : *Da mihi intellectum*, sed quantum ad hoc quod in sequentibus ponitur, ubi dicit : *Veniant mihi miserationes tuæ*; sed quod dicit *manus tuæ fecerunt me*, quantum ad animam bene ad hanc præsentem orationem occasio est. Quod vero dicit se in anima manibus Domini factum, non ideo dicit quod aliquod Dominus in mundi creatione manibus fecerit. Solo namque voluntatis imperio cuncta creavit, sed a similitudine dictum est. Cum enim apud homines illa opera quæ magna et digna sunt, ambabus manibus soleant fieri, non una manu tantum, ab ea similitudine homo dicitur manibus Dei factus, ut ostendatur magnum et dignum opus fuisse. Cum autem se dicit manibus Dei factum, non dicit hoc ad jactantiam, sed ad ipsius Creatoris laudem, qui tantum opus facere potuit. Est autem hoc tale ac si diceret : Idcirco oro, Domine, intellectum in me recreari, quia considero quod in Adam in principio animam meam adeo dignam creasti ut capax esset intellectus rationalis; nec injustum est, si id in me expeto recreari quod in principio in me misericordia tua creavit. Non enim illud peto quod a natura mea sit alienum, sed id potius ad quod naturaliter habendum idoneus creatus sum. Ut autem magis valeat impetrare quod oravit, quis inde, si impetraverit, sequatur effectus ostendit, sic : *da*, inquam, *mihi intellectum*. Quod si fit, illi *qui* jam *timent te*, id est qui jam in fide positi timorem tui habent, *videbunt* interiori visione rationis meæ *quia in verba tua*, id est in præcepta tua, promotus *supersperavi* in ipsis mandatis, id est speravi remunerationem 487 in prælatione ipsorum mandatorum, et hoc super hoc quam dici possit aut intelligi, et ea occasione *lætabuntur*, bene operando. Cum ponit *lætabuntur*, idem valet ac si poneret, bene operabuntur, eo quod lætari sit effectus bene operandi. Est autem hoc ac si diceret : Ideo *da mihi intellectum* complendi mandata tua, quia si in complendis mandatis tuis intellectum habuero, fideles tui qui jam timentes te sunt, considerando rationis intuitu me in mandata tua intendere, occasione hujus considerationis, et ipsi in mandatis tuis intellectum habendo, exemplo mei bene operabuntur. Quod est dicere : Hoc in eis visio mei intellectus operabitur, ut et ipsi intellectum habentes bene operentur.

Nec mirum quidem si visio intellectus et bonæ operationis sanctorum in ipsis videntibus, intellectum et opus bonum operetur, cum, ut beatus Hieronymus affirmat, quoddam animal sit, visio cujus a passione icterica videntes curet. Orat autem istud idem quod occasione principii oravit ex misericordia consequi, confitendo humiliter se per Adam justo judicio Dei intellectus sublimitatem amisisse, A cum dicit. *Cognovi, Domine*, etc. Versus autem qui hunc sequitur sic præposterate legitur : Oravi, Domine, ut des mihi intellectum ea consideratione, scilicet *fiat* mihi *misericordia tua* efficax ad hoc *ut consoletur me*. Quod est dicere : Consolare me ex misericordia, dando mihi intellectus sublimitatem, quam per Adam amisi, quæ reddita, magna mihi erit consolatio. *Consoletur*, inquam, me *misericordia tua*, et hoc non ex meritis meis oro, sed *consoletur me secundum eloquium tuum*, id est secundum promissum tuum factum *servo tuo* Christo, qui tibi fuit in omnibus obediens (*Phil.* II, 8). Quod est dicere : Consolare me misericorditer, quod Christo Filio tuo promisisti quatenus per obedientiam mortis ejus, fidelibus tuis consolationem esses allaturus. Ideo B vero oro ex misericordia et ex promissione tua consolationem, quia *cognovi, Domine, quod judicia* tua quibus Adam excæcasti, *æquitas* sunt emphatice, id est valde æqua sunt, *et* etiam *cognovi* quod *in veritate tua*, id est in vero judicio tuo et æquo, *humiliasti me*, id est dejecisti me a sublimitate intellectus. Quod est dicere : Ideo intellectus consolationem ex misericordia et promissione tua adipisci expeto quia cognovi quatenus Adam et ego hoc justo judicio tuo amisimus, et hoc meritis meis recuperare non possum. Postquam de intellectu adipiscendo oravit, orat quoque de adipiscenda in futuro gloria corporis, cum dicit : *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam*. Hoc autem ad illud jungitur quod superius posuit; *Manus tuæ plasmaverunt me*, sic : Oravi, Domine, ut ea consideratione quod *manus tuæ* in animam *fecerunt me* intellectualem, recrees intellectum in me. Oro quoque quando quidem hoc beneficium in principio mihi contulisti, quod *manus tuæ* quantum ad corpus, me adeo dignum *plasmaverunt*, ut immortalis essem et impassibilis nisi Adam peccaret, *ut veniant mihi* in futuro *miserationes tuæ*, id est beneficia misericordiæ tuæ, quæ per Adam amisi, scilicet ut immortalis sim et impassibilis, et in carne conspicuus, et cætera beneficia obtineam plurima et inenarrabilia, quæ salvandi secundum corpus obtinebunt. *Veniant*, inquam, *mihi miserationes tuæ et* sic *vivam* non moriturus in æternum, qui nunc in corpore mortalis sum. Ut autem has D miserationes obtineat, meritum prætendit, cum sic addit : Ideo, Domine, *veniant mihi miserationes tuæ, quia lex tua meditatio mea est*, id est, quia meditor in lege tua complenda.

Facta oratione pro se, orat etiam pro inimicis ut erubescant et *convertantur*, et per hoc magis meretur adipisci quod de se superius oravit. Unde scriptum est : Qui pro aliis orat, pro semetipso laborat. Hanc igitur orationem sic facit : 488 Oravi, Domine, pro me, dicens : *Veniant mihi miserationes tuæ*, oro quoque pro superbis persequentibus me, ut videlicet ipsis miserationes tuæ veniant; *confundantur*, id est erubescant de iniquitate sua, *superbi, quia fecerunt in me*, id est contra me, *iniquitatem*, adnitendo me per tribulationes a statu sanctitatis meæ

dejicere, et hoc *injuste*, id est sine causa. Quod est dicere : Illi qui me persecuti sunt non ob aliquam culpam meam, sed ex sola superbia, ut me sibi conformarent, erubescant de hoc quod sic persecuti sunt me. Notandum quod dicit *iniquitatem fecerunt injuste*; videtur enim innuere quod quædam iniquitas fiat juste. Si vero quantum ad novam legem consideremus, quæ præcipit inimicos diligere (*Matth.* v, 44), omnis iniquitas, id est persecutio, fit injuste. Cæterum si ad veterem legem recurramus, concedit juste dari « dentem pro dente (*Exod.* xxi, 24). » Quod si ad sæculares leges, in quibus institutum est de inimicis ultionem sumere, illa iniquitas, id est persecutio, fit juste quæ fit ob aliquam causam : illa vere fit injuste quæ sine causa fit. De qua injusta iniquitate hoc dicit : *injuste iniquitatem fecerunt in me*, quæ longe pejor est quam si juste fieret. *Iniquitatem*, inquam, *injuste fecerunt in me* : *ego autem* pro eorum injusta persecutione non defeci, sed *exercebar in mandatis tuis* magis et magis et secundum scientiam et secundum operationem *Confundantur*, inquam, *superbi* et confusi *convertantur* de iniquitate sua *mihi* conformandi, et *timentes te* efficiendi, qui modo non timent, *et* illi *qui* jam *noverunt testimonia tua*, id est præcepta tua, scilicet qui jam fideles sunt, non tamen in tantum perfecti sicut ego mihi confirmentur, sed videlicet ut perfecti fiant, magis magisque in mandatis Domini exercendo se. Ut autem dignus sim quem illi *qui noverunt testimonia tua* imitentur, non solum oro ut non peccem in opere et in lingua, sed illud etiam oro quod perfectissimum est, videlicet *fiat cor meum immaculatum*, ut non maculetur aliqua cogitatione criminalis delicti, et hoc fiat *in justificationibus tuis*, id est per justificationes tuas, scilicet, quia per se non potest immaculatum effici, fiat te justificante immaculatum. Justificationes pluraliter ponit quantum ad plures emundationes plurium cogitationum illicitarum. *Fiat*, inquam, *cor meum immaculatum*, *ut non confundar*, id est non erubescam in conscientia mea. Erubescerem enim in conscientia mea, si maculatum esset cor meum.

Caph, *curvati sunt* interpretatur. Quæ ad hoc undecimæ clausulæ versibus octonis inscribitur, ut ex hoc appareat quoniam fideles qui sub nimio tribulationum pondere curvati sunt et anxiati, ad æternam vitam suspirantes, jam dissolvi et esse cum Christo expetunt (*Phil.* i, 23), prætendendo causam in principio psalmi quare dignum sit ut jam vitam æternam adipiscantur. Cæterum quod adhuc oportet eos tribulationes plurimas pro Christo pati, antequam a carne solvantur, orant saltem ut eos in ipsis tribulationum anxietatibus adjuvet, ne deficiant. Hoc autem ea intentione faciunt ut cæteros fideles in tribulatione positos et ad æternam vitam suspirantes instruant, ut cum hoc sit quod tam cito dissolvi non possunt, et esse cum Christo, non tamen tædio tribulationum deficiant, sed a Deo constantiæ auxilium exspectent.

Defecit in salutare, etc. In tribus primis hujus clausulæ versibus prætendit merita sua, per quæ se dignam ostendit attingere massa fidelium ad æternam vitam, ad quam in quarto versu suspirat, cum dicit : *Quot sunt dies servi tui*, etc. Qui versus prælegendus est, et sic superioribus adaptandus : Dixi, Domine, quod *superbi injuste iniquitatem* persecutionis *fecerunt in me*, pro quibus oravi, ut confunderentur et converterentur, qui tamen nolentes converti, me 489 assidue pondere tribulationum incurvant et afficiunt. Ideoque, Domine, *quot sunt dies* afflictionis mei *servi tui* existentis, id est per quot dies permittes me servum tuum adeo vehementer affligi? *Quando* erit hoc quod *facies* mihi *judicium de persequentibus*, scilicet ut me carne solutum juste remuneres æterna vita pro eorum injustis persecutionibus? Hoc autem quod ex nimia desiderii affectione quasi sub interrogatione ponit, æquipollens est ac si sic enuntiative orationem faceret : Quandoquidem, Domine, persequentes me nolunt confundi et converti, sed me graviter et assidue persequuntur, oro, abbrevia dies afflictionis meæ, et æterna vita me juste remunera. Et dignum est ut hoc mihi facias. *Defecit* enim ab omni appetitu temporalium *anima mea* tendens omni affectione *in salutare tuum*, id est in Salvatorem tuum Dominum Jesum obtinendum. Quod est dicere : Omni amore et appetitu sæcularium rerum postposito, solum Dominum Jesum adipisci appeto, illius frui præsentia in cœlis post carnis resolutionem ardeo; ideoque dignum est ut abbrevies dies servi tui. *Defecit*, inquam, *anima mea* tendens *in salutare tuum*, *et* tendendo *in Verbum*, id est in salutare *tuum*, in Filium tuum Dominum Christum, in ipso *supersperavi*; in ipso beatitudinem obtinere speravi super hoc quam dici possit aut intelligi, ideoque dignum est ut dies meos abbrevies, et me remuneres. Vel, *in verbo tuo supersperavi*, id est magis et magis speravi remunerationem, id est, cum nudius tertius sperassem, heri magis speravi, et hodie adhuc magis spero. Non solum autem *anima mea defecit* ab appetitu temporalium, tendendo *in salutare tuum*, sed etiam *defecerunt* ab omni reliquo intellectu *oculi mei* interiores, oculi scilicet rationis, respiciendo solummodo *in eloquium tuum*, id est in Filium tuum qui eloquium tuum dicitur, eo quod per eum omnibus secreta tua locutus es. Quod est dicere : Ab omni sæculari intelligentia rationem meam abstinui, et ad intelligendum te omnem meæ rationis intuitum verti; ideo dignum est ut dies meos abbrevies et me remuneres.

Notandum quod diversissimum est, quod superius dixit, animam defecisse ab appetitu, et, quod hic dicit, oculos rationis defecisse ab intellectu. Longe nempe aliud est appetitus et aliud intellectus. *Defecerunt*, inquam, *oculi mei dicentes*, id est me dicere compellentes, scilicet, qui me ad hoc rationabiliter cogunt, ut ex nimio desiderio tibi dicam : O Deus, *quando consolaberis me*, carnem meam resolvendo, et sic me a tribulationibus eximendo, et æterna vita me remunerando? Hoc autem quod ex ardore desiderii suspensive ponit, idem

www.libtool.com.cn

valet ac si taliter oraret: Quia de Christo quantus sit intelligo, ex parte ad eum pertingere suspirans, oro, Domine, me in tribulationibus desolatum cito consolare, a carne resolvendo, et ad ejus præsentiam me trahendo. Et ideo quoque, Domine, abbrevia dies meos, et fac mihi *judicium de persequentibus me, quia factus sum sicut uter* positus *in pruina*, scilicet, non factus sum comparabilis utri posito in æstu, qui ex nimia ariditate disrumpitur et inutilis est ideo ad vinum capiendum, sed comparabilis sum utri posito *in pruina*, id est in frigida aqua ubi refrigeratur, ne ab æstu arescat et disrumpatur, ideoque, quia humidus est ex ipsa pruina, habilis est ad vinum, vel ad quemlibet humorem recipiendum. Quod est dicere: Sicut uter in pruina positus et ab æstu semotus et refrigeratus, utilis est ad vinum novum in se recipiendum, ita etiam ego per jejunia et vigilias et orationes a vitiorum æstu refrigeratus, ne ab ipso corrumpar, habilis sum ad mandatum legis novæ suscipiendum et observandum. Pruinam quidem dicimus non aquam illam, quæ ex nimio gelu induruit in glaciem, sed frigidissimum rorem in vere vel autumno 490 qui aliquantulum congelatus est, et ideo adhuc debes *mihi* facere *judicium de persequentibus me*, quia *non sum oblitus justificationes tuas*. Quod est ac si dicat: In memoria habui justa præcepta tua, ut ea opere compleam. Hoc vero totum idem valet ac si diceret: Non solummodo ad mandata tua recipienda idoneus existo, sed ea in quantum possum opere compleo. Per hoc autem quod dicit se refrigeratum a vitiorum æstu sicut utrem, se habere innuit temperantiam. Per hoc vero quod se dicit non esse oblitum justificationes Domini, instantiam bene operandi se habere ostendit.

Ostensis meritis, ostendit necessitatem orandi, cum sic addit: Ideo, Domine, suspirans ad vitam æternam dico, *Quot sunt dies*, etc., quia utile mihi est abbrevationem horum dierum orare, cum in magno periculo positus sim. Nam ut *iniqui* me devocarent a lege tua, *narraverunt mihi fabulationes*, id est vana verba et inutilia de sæculari felicitate expetenda. Quæ cum falsa sint et infructuosa, nihil aliud quam fabulationes sunt dicenda. *Narraverunt*, inquam *mihi* fabulosa verba, ad hoc scilicet, ut ea vera crederem et sacrosancta. *Sed* illæ fabulationes *non* sunt a me reputatæ tales *ut* est *lex tua*, id est qualia sunt mandata tua. *Omnia* namque *mandata tua veritas* sunt, per emphasim, id est verissima sunt. Quod est dicere: Non sunt reputatæ eorum fabulationes a me, qualia sunt mandata tua. Mandata enim tua reputavi verissima, fabulationes vero falsissimas. Quoniam ergo per fabulationes suas incorporare sibi me non potuerunt, ipsi *iniqui persecuti sunt me* tribulationibus corporis, ut saltem vi me deficere compellerent. Ideo igitur oro et obsecro te, Domine, ut cum hoc ad præsens esse nequeat, ut resolvar, et sim cum Christo, ad quod valde suspiro, saltem *adjuves me*, auxilio constantiæ, ne in persecutionibus deficiam. Necesse est autem et dignum ut me adjuvari orem, et ut adjuves. Quia *paulo minus consummaverunt*, etc., id est pene peregerunt in me quod incœperunt, ponendo me a sublimitate sanctitatis meæ *in terra*, id est in terrenis: in vitiis, scilicet. Quod est dicere: Ideo me necessarium est orare adjutorium tuum, quia tanta mihi infertur ab iniquis persecutio, quod pene hoc in me effecerunt ad quod intenderunt, ut me sibi conformarent in vitiis. Quia vero dixerat pene *consummaverunt*, ne videretur eis in aliquo consensisse, removet hoc sic: *Persecuti sunt*, inquam, *me*, et sic quod pene *consummaverunt*. *Ego autem non dereliqui mandata tua*, aliquo modo eis consentiendo, ideoque dignus sum adjutorio. Cum dicit pene *consummaverunt*, orandi necessitatem ostendit. Cum vero dicit: *ego autem*, etc., meritum impetrandi prætendit. Quoniam ego tanta est persecutio et *non dereliqui mandata tua*, *vivifica me* magis et magis in virtutibus, et hoc *secundum misericordiam tuam*, id est secundum respectum misericordiæ tuæ, *et* vivificatus, perseveranter *custodiam testimonia oris tui*, id est præcepta quæ os tuum, Christus videlicet Filius tuus, custodiri instituit.

Lamech, *cor* sive *servus* interpretatur. Quæ ad hoc hujus clausulæ versibus inscribitur, ut ex ea palam sit quatenus fideles hic agentes ad instructionem minorum servi Dei fidelissimi sunt, et vere cor habentes rationabile, cum affirment se justificationes Dei in æternum non obliturus; et cur eas non obliviscentur plures causas ostendunt, et orant ut salventur a Domino, ne ab his justificationibus deficiant. Congrue quidem servi Domini esse fideles et cor habere dicuntur, qui se sic firmiter et veraciter in præceptis Domini perseveraturos promittunt. Illi namque neque servi Domini sunt, neque cor habere videntur, sed potius vecordes et insani dici possunt qui mandata Dei contemnunt.

491 *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.* In quatuor primis hujus clausulæ versibus præponit causas ad illud quod in quinto versu promittit, qui prælegendus est, et sic superioribus conjungendus. Dixi superius, Domine, quod *non dereliqui mandata tua*; de cætero quoque promitto quod usque *in æternum*, id est, nullo tempore *obliviscar justificationes tuas*, id est, præcepta tua, vel *non obliviscar justificationes tuas*, tendens per ipsas *in æternum*, id est in æternitatem, et ea consideratione *non obliviscar*, quoniam, o Domine, *verbum tuum*, id est præceptum tuum *permanet in cœlo in æternum*, id est permanet semper sine fine insuper cœlestibus rationabilibus creaturis. Quod est dicere: Cum considerem cœlestes spiritus sine fine præceptum tuum observare, occasio mihi est ut et ego præcepta tua nunquam obliviscar, sed ea semper observem, et ideo quoque *non obliviscar*, quoniam considero quatenus *veritas tua*, id est præceptum tuum verissimum, quod per emphasim veritas dicitur, permansit in generatione fidelium Veteris Testamenti, ab Abel justo usque ad tempus Christi,

www.libtool.com.cn

Et eadem *veritas tua permanet* in generatione fidelium Novi Testamenti, a tempore Christi usque ad finem mundi. Posset quæri, cum hoc sit quod ad eos auctor mendacii diabolus de cœlo præcipitatus descenderit qui eos mendaces facere omnino grassatur, et cum hoc sit quod primo valde mobiles exstiterit, quomodo ad hoc pervenerunt ut sic firmi sint ut divina veritas permaneat in eis. Ad hoc igitur ostendendum respondet sic : Per hoc *in generationem* et *generationem permanet veritas tua*, quod tu per fidem et charitatem et spem *fundasti*, id est firmam fecisti, illam generationem et generationem terram tuam existentem. Quod est dicere : Cum prius mobilis esset ad modum maris, et ad omnem suggestionis impulsum facile cedens, tu fecisti eos fundatos et firmos et immobiles ad modum terræ, quæ pro gravitate sua elementum est immobile, vel *fundasti* eam sic ut esset terra tua fructifera. Vel sic : *Fundasti* illam generationem et generationem, prius *terram*, scilicet cum prius esset terrena, terrenis bonis inhiando fundasti eam in virtutibus, et sic fecisti spiritualem donis spiritualibus inhiantem. *Fundasti*, inquam, *terram*, et te fundante *permanet* in eis *veritas tua*, ideoque quod considero generationem et generationem verissimum præceptum tuum non oblivisci, non obliviscar et ego. *Fundasti*, inquam, *terram*. Quæ terra, te fundante, dies effecta est, clara videlicet in virtutibus et intellectu ad modum diei : et *dies* hæc *perseverat* in claritate sua ut nunquam ab ea deficiat ; et hoc *ordinatione tua* id est per ordinationem dispositionis tuæ. Ut igitur et ego dies sim, et in claritate perseverem, non obliviscar mandata tua justa et verissima. Dico, Domine, quod mandatum tuum est in cœlo, et in generatione et generatione ; et cum sit in his omnibus æterna memoria *verbum*, id est mandatum tuum, *omnia* hæc *serviunt tibi* complendo præceptum tuum ; et quoniam hæc *omnia serviunt tibi*, ut et ego tibi serviam *non obliviscar in æternum* justa præcepta tua, sed ea semper complebo. Vel sic, ut sit ostensio a toto : Non est mirum si *dies ordinatione tua perseverat*, *quoniam* adeo potens es quod *omnia*, id est omnes creaturæ, *serviunt tibi*, complendo præcepta tua.

Ideo quoque *non obliviscar justificationes tuas*, id est præcepta tua, quia *nisi* ideo remansisset *quod lex tua meditatio mea est*, id est nisi ideo quia præcepta tua meditatus sum, quæ et adhuc meditor, tunc quando *iniqui persecuti sunt me*, ut in superiori clausula est ostensum : *forte*, id est, stultitia et improvidentia mea *periissem* in morte animæ *in humilitate mea*, id est in dejectione persecutionis meæ. Quod est dicere : Ideo *non obliviscar justificationes tuas*, ne in persecutione peream deficiendo, sicut ego jam periissem, nisi ea in continua 492 meditatione habuissem. Et ideo insuper *in æternum non obliviscar justificationes tuas*, quin eas pro posse meo compleam, *quia* jam *vivificasti me* existentem *in ipsis*, id est quia hoc jam est mihi magna justificatio, quod in eis persisto. Quoniam ad perseverandum in his justificationibus per se non potest sufficere, orat Deum ut eum salvum faciat, ne ab his deficiat, sic : *Non obliviscar*, inquam, *justificationes tuas*, a quibus justificationibus ne ob aliquam persecutionem desistam et sic peream, oro, Domine, *salvum me* fac, dando mihi constantiam, et dignum est. Ego enim qui hoc expeto, *tuus sum*, et tibi soli subditus sum non vitiis. Non possum enim duobus dominis servire, et in hoc apparet quod *tuus sum*, *quoniam justificationes tuas* tantum *exquisivi*, id est justa præcepta tua ex omnibus aliis rebus quæsivi, elegi et investigavi. Necesse est autem orare me ut salvum me facias, ne deficiendo peream. *Me* enim *exspectaverunt peccatores*, id est mihi diu insidiati sunt iniqui, antonomastice peccatores, *ut perderent me* in anima, faciendo deficere a justificationibus tuis per assiduas persecutiones. *Salvum me fac*, inquam, ut perseverem in præceptis tuis, quod ideo postulo quia *intellexi testimonia tua*, id est præcepta tua. Quod est dicere : Ideo tantopere oro hanc salutem adipisci ut perseverem in præceptis tuis, quoniam intellexi quam tamen digna sunt in sui natura ; et ideo etiam oro ut me salvum facias, in mandatis tuis perseverare faciendo, quia *vidi finem omnis consummationis*, id est vidi ratione mea ad quem finem deventurus est ille, qui in omnibus præceptis tuis consummatus est. Quod est dicere : Ideo in mandatis tuis consummatus esse secundum perseverantiam expeto quia cognovi quod qui consummatus est in omnibus præceptis tuis, ad finem per hoc deveniet, id est ad æternam beatitudinem, quæ finis dicitur. eo quod ultra eam nihil fideles expetent, ad similitudinem viatoris, qui non ultra tendit postquam ad propositum itineris finem pervenit ; et Ideo quoque oro salvum me fieri perseverando in mandatis tuis, quia *mandatum tuum* omne *latum* est *nimis*, scilicet non videtur mihi angustum ac arduum et difficile ad peragendum ad modum angustæ viæ, quæ difficilior est ad eundum, sed videtur mihi latum et jucundum, delectabile et facile ad peragendum ; ad similitudinem latæ et planæ viæ quæ facilior est ad eundum. Unde Prosper :

Et tamen hi calles, quos mundi vana pavescunt,
Quædam magnificis æquora sunt animis.

Mem *viscera* vel *ex ipsis* interpretatur. Unde per *Mem*, quæ huic toti inscribitur clausulæ, lex Dei designatur, quod fideles hic agentes ex ipsis intimis visceribus legem Dei diligunt intima charitate, quæ per viscera intelligitur, eo quod interiora sint et in eis dilectio habeatur. Unde etiam « viscera misericordiæ » (*Luc.* I, 78) dicuntur, et Deum totis visceribus diligere præcipimur. Ostendunt autem hic ipsi fideles, se nimis legem veterem diligere et in ea tota die meditari. Ostendunt quoque per illuminationem Novi Testamenti se in ea lege veteri sublimem intellectum supra omnes Judæos habere, ut per hoc auditores instruant, neque legem veterem abjiciendam esse, sicut volunt Manichæi, neque

www.libtool.com.cn

legem novam spernendam esse, ut asserunt Judæi. A

Quomodo dilexi legem tuam, etc. Ac si dicat : Dixi, Domine, quod *mandatum tuum*, mandatum scilicet novæ legis mihi *nimis* est *latum*, et jucundum et delectabile, quod pro certo valde *dilexi*. Non solum autem novam *legem dilexi*, quæ mandatum dicitur antonomastice, sed etiam *quomodo*, id est inquantum *dilexi*, Domine, *legem tuam* veterem. Hoc autem cum nimio pondere admirative dictum, idem valet ac si diceret : Nimis et super quam possim dicere *dilexi*, *Domine*, *legem tuam* veterem 493 non eam repudiavi sicut Manichæi. Vel sic potest legi ut per aposiopesin aliquid subaudiatur : Non solum mandatum tuum novum dilexi, sed etiam legem tuam veterem ; et quomodo legem tuam, Domine, dilexi, tu ipse mihi testis es, B qui omnia nosti; et in hoc patet quod eam dilexi et diligo; quod *tota die*, id est jugiter *meditatio mea est*, in ipsa lege intelligenda et complenda. Vel sic: Et adeo dilexi quod meditatio mea quam de hac lege habeo, non est in tenebris sicut meditatio Judæorum, sed in tota die, id est in integra et clara cognitione. Quoniam ergo legem veterem dilexi, et *tota die meditatio mea est*, *fecisti me prudentem* in intellectu ipsius legis, et hoc *super inimicos meos* Judæos qui mihi inimicantur, ideo quia legem spiritaliter intelligo. Quod est dicere : Fecisti me ipsa lege prudentiorem quam Judæos inimicos meos, et hoc fecisti *mandato tuo* novæ legis. Quod est dicere : Per novæ legis illuminationem fecisti me prudenter intelligere veterem legem, quæ umbra est novæ C legis. Et ideo fecisti me in lege sic prudentem, *quia* lex hæc *est mihi* ductio *in æternum*, id est in promissionem æternitatis. Quod est dicere : Non intelligo superficietenus ex completione hujus legis promitti mihi temporalia ut Judæi, qui ad litteram tantum eam intelligunt, sed, intelligendo eam spiritualiter, intelligo mystice mihi per eam bona cœlestia promitti. Quia dixerat indeterminate *super inimicos meos prudentem me fecisti*, determinat de quibus inimicis dicat cum sic addit : *Super inimicos meos*, inquam, *prudentem me fecisti*, non dico vero super gentiles, sed *super omnes docentes me intellexi*, id est majorem intellectum habui in hac lege quam omnes Judæi, qui dicuntur D docentes me, eo quod præsumptione quadam me doceant, putantes se magis me intelligere ; vel dicuntur *docentes me*, eo quod ipsam legem ad litteram me doceant, sicut Hieronymus, egregius Hebraicæ legis interpretator, a Judæis ipsam legem ad litteram est edoctus (460). *Intellexi*, inquam, *super omnes docentes me*, et hoc inde contigit, *quia meditatio mea* est, hanc legem esse *testimonia tua*, id est quia meditatus sum in hac lege testimonia tua contineri, testimonium scilicet nativitatis Filii tui, passionis et resurrectionis, et salvationis humani generis et cæterorum actuum tuorum, quod equidem Judæi noluerunt meditari, ideoque non sicut ego intellexerunt. Dico quod *super omnes docentes me intellexi*, et non solum *super omnes docentes* juniores qui minus periti sunt in lege, sed, ut majus quid dicam, *super senes intellexi*; scilicet, magis intellexi ipsam legem quam senes Judæi, qui doctiores sunt, et in doctrina legis jam insenuerunt. Inde vero contigit quod *super senes intellexi*, *quia mandata tua*, mandata scilicet novæ legis *quæsivi*, et secundum intellectum et secundum operationem. Non enim plenarie vetus lex intelligeretur, nisi novæ legis prius intellectus haberetur; vel mandata tua novæ legis quæsivi, in veteri lege mystice intellecta.

Notandum quod, etsi superius dixerat *mandato tuo prudentem me fecisti*, quia tamen non dixerat se mandata Dei quæsisse, non superflue apposuit *quia mandata tua quæsivi*. Ostendit autem per effectum quomodo dilexit legem sic : *Dilexi*, inquam, *legem tuam*, et sic *dilexi* quod sicut in ea constitutum est, *ab omni via mala*, id est ab omni via criminalis iniquitatis, per quem venitur ad mortem, *prohibui pedes meos*, id est affectiones meas; scilicet, cum ex fragilitate carnis affectiones meæ pronæ essent ad peccandum, vi rationis eas a peccatis prohibui. Quia vero non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est, sic etiam *dilexi* et diligo *legem tuam*, *ut custodiam verba tua*, id est ut opere complcam verba veteris legis tuæ, quæ præcipiunt bene operari, et sic etiam custodivi verba, id est præcepta veteris legis quod aliquatenus *a judiciis tuis*, id est a præceptis veteris legis, quæ tu judicas esse complenda, *non declinavi*, 494 prætergrediendo ea ex negligentia. Hoc autem quod ea custodivi non ex viribus m is habui, sed ex gratia tua, *quia tu*, qui omnipotens es, *posuisti*, id est firmam et statutam *mihi* fecisti hanc *legem* tuam veterem, ne in aliquo criminaliter prætergrederer eam. *Non declinavi*, inquam, a judiciis, id est a mandatis tuis. Quoniam *eloquia tua*, id est mandata tua sunt *quam dulcia*, id est valde dulcia et delectabilia *faucibus meis* interioribus : dicitur a similitudine anima fauces habere, dum viribus rationis mandata Dei gustat, et in eis valde delectatur. Vel, *quam dulcia sunt faucibus meis* exterioribus, id est faucibus corporis, scilicet dulce mihi est et jucundum ut corporeis faucibus loquendo ea aliis annuntiem. *Quam dulcia*, inquam, sunt *eloquia tua faucibus meis* exterioribus vel interioribus, et hoc *super mel*, quod dulce est *ori meo* exteriori. Quod est dicere : Dulciora sunt faucibus meis, quam mel ori meo. Dulcedo quippe mellis cito transit, eorum vero durabilis est. Quoniam igitur a mandatis tuis *non declinavi* et *quam dulcia sunt faucibus meis*, *a mandatis tuis*, mandatis scilicet legis veteris spiritaliter custoditis et dulcissimis existentibus, accidit quod *intellexi* magis et magis id est promotiorem intellectum ha-

(460) *Constat id ex* epist. 4 ad Rusticum, cap. 6.

www.libtool.com.cn

bui in ipsis mandatis. Et *propterea* quod *dulcia* mihi sunt, et quia ab ipsis accidit quod intensius *intellexi*, *odivi omnem viam iniquitatis*, id est omnem iniquitatem criminalem, quæ via est ad mortem. Quod est dicere : Quia dulcia mihi fuerunt præcepta tua, per quæ datur intellectus, econtrario odibilia peccata reputavi, ex quibus ignorantia paratur.

Nun *unicus* vel *pascua eorum* interpretatur. Quæ idcirco convenienter in initio versuum hujus clausulæ ponitur, quoniam fidelium massa, quæ superius ostendit se legem veterem dilexisse et observasse, et mandata legis novæ quæsisse, hoc non sibi ascribens, se hoc habuisse ostendit per verbum Domini, per Christum, scilicet, unicum Filium Dei naturalem, qui est spiritalis pascua eorum fidelium, quem hic orat ipsa fidelium massa, ut eam magis magisque vivificet, ne in humiliatione persecutionis deficiat. Orat quoque ut voluntaria oris sui beneplacita faciat, et prætendit causas quibus, quod orat, adipiscatur. Hoc autem ea intentione fit ut auditores instruat illud quod boni habent, non sibi sed Domino debere ascribere; quem etiam, ne in persecutionibus deficiant, debent ut eos vivificet orare.

Lucerna pedibus meis, etc. Quod sic cum superioribus conjungitur : Dixi, Domine, quod *dilexi legem tuam*, et *mandata tua quæsivi*, et *ab omni via mala prohibui pedes meos*, et *a judiciis tuis non declinavi*. Hæc autem omnia ex te habui, non ex me. *Verbum* enim *tuum* fuit *lucerna pedibus meis* interioribus, id est Filius tuus fuit illuminatio affectionibus meis ; scilicet Dominus Jesus fuit mihi illuminatio, scilicet illuminavit primas affectiones meas. Quod est dicere : Illas primas affectiones liberi arbitrii mei quas habui ut legem tuam diligerem et observarem, illuminavit unicus Filius tuus auxilio gratiæ tuæ, ut non deficerent, sed de die in diem crescerent. Et ipsas etiam mihi dedit. Per me enim insufficiens essem eas habere ; et idem Verbum tuum, Dominus Jesus, fuit *lumen semitis meis*, id est fuit illuminatio incessibus meis, qui per semitas accipiuntur, eo quod per semitas fiat incessus. Quod est dicere : Non solum illuminavit primas affectiones meas auxilio gratiæ suæ, sed etiam quod per dilectionem et observationem legis post incessi, hoc fuit auxilio illuminationis suæ. Lucerna vero non hic accipitur pro vase lucis ut accipi solet ; sed pro parva luce. Quod ex Hebraica translatione patet, ubi habetur, *candela pedibus meis*. Dicitur quidem Dominus Jesus *lucerna*, non ideo quod in natura sui semper magnum lumen non sit, sed eo respectu quod imprimis accedentes ad fidem minus illuminat, *lucerna*
495 dicitur ; secundum hoc vero quod eos qui jam promoti sunt, magis illuminat, magnum lumen dicitur, juxta illud Joannis : « Erat lux vera (*Joan.* I, 9), » etc., et idem alibi : Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Quod dicit *lucerna pedibus meis*, a similitudine dicitur hominis qui in tenebris est, cui aliquis lumen pedibus prætendit, ut videat quo pedes ponere debeat, ne male incedens cadat aut offendat. Quoniam ergo *verbum* fuit *lucerna pedibus meis et lumen semitis meis*, *juravi et statui*, id est jurejurando statui, scilicet firmiter et immutabiliter disposui apud me *custodire judicia justitiæ tuæ*, id est justa judicia tua, præcepta videlicet tua, quæ tu judicas esse complenda, et quæ justa sunt. Non possem quippe firmiter hoc disponere, nisi verbo tuo illuminante me. Quod dicit *juravi et statui*, positum est ab illius similitudine qui illud firmiter disponit quod cum jurejurando statuit. Cum autem hoc *juravi et statui*, non inde aliquatenus superbivi, sed *humiliatus sum usquequaque*, id est humilis mansi omnino, neque hoc mihi ascribendo, quod *juravi et statui*, neque aliquem inferiorem in sanctitate ea occasione spernens, et hoc merito meo. Quod videlicet *humiliatus sum*, *vivifica me secundum verbum*, id est *vivifica me* interius ea vivificatione quæ fit *secundum verbum tuum*, id est per Filium tuum Dominum Jesum, vivifico videlicet in virtutibus ut perseverem in hoc quod *juravi*. Vel sic : Quia *juravi et statui custodire* justa *judicia* tua, et sicut juravi custodivi, *humiliatus sum usquequaque*, id est afflictus sum omnino corporis tormentis ab impiis qui me a custodia mandatorum tuorum retrahere nituntur. Et quia pro te *humiliatus sum*, oro *vivifica me* in futuro *secundum verbum tuum*, id est vivifica me secundum vivificationem verbi tui, id est ad similitudinem vivificationis Filii tui. Quod est dicere : Sicut Dominum Jesum Filium tuum æterna vita, secundum carnem, vivificasti, quia se humiliavit tibi usque ad mortem obediens (*Phil.* II, 8), ita et *me* quoque *vivifica*, eo quod pro te fuerim humiliatus. Et non solum oro vivificari, sed insuper oro *voluntaria oris mei beneplacita* tibi *fac*, *Domine*, id est prædicationes quas de te *aliis* voluntarie ore meo facio, fac tibi beneplacitas : scilicet, fac gratia tua ut eas cum discretione faciam ; et sic tibi beneplaceant, aliter enim non placerent. *Et* ut tibi *beneplacita* sint *voluntaria oris mei*, *doce me judicia tua*, id est fac me cognoscere, illuminatione gratiæ tuæ, quomodo judices esse prædicandum nobilibus, et quomodo ignobilibus, et quomodo brutis, et quomodo sapientibus. Vel sic : *Voluntaria*, inquam, *oris mei* beneplacentia *fac*. Et si propter has prædicationes persecutiones mihi occurrerint, *doce me judicia tua* esse, id est *doce me* illas *judicia tua* esse, id est judicio tuo eas accidere, ut per eas magis justificer.

Dignum est autem ut me vivifices, ut *voluntaria oris mei beneplacita* tibi facias, et *judicia tua me* doceas, quia *anima mea semper* est *in manibus meis*, id est in defensionibus meis, quæ per manus denotantur, eo quod manibus fiat contra hostem defensio. Quod est dicere : Non permisi animam meam ab inimicis meis incorporando superari, sed per virtutes eis viriliter resistendo, eam defendi, a similitudine strenui militis, qui arma, quæ tenet in manibus, hostibus non permittit, sed ab hostibus ea defen-

www.libtool.com.cn

dit. *Et* hoc modo quidem *anima mea in manibas meis* est, quia *legem tuam non sum oblitus*. Quod est dicere : Legem tuam observavi, et sic me ab eis defendi. Diceret aliquis : Fueruntne aliqui, qui cogerent te legem oblivisci? Ad quod sic respondet: Utique. *Peccatores* enim, id est hæretici et infideles et falsi Christiani, *posuerunt mihi laqueum*, id est deceptionem minarum et blanditiarum et argumentationum falsarum, ut me a mandatis tuis retraherent : *et* ego tamen *non erravi*, recedendo *a mandatis tuis*. Hoc quod dicit *a mandatis tuis non erravi*, idem videtur esse 496 quod superius dixit: *Legem tuam non sum oblitus*. Sed idcirco repetitum est, quia dixerat : *Posuerunt peccatores laqueum mihi*. Sive, ut non sit repetitio, per mandata nova lex accipitur, et per legem vetus lex, ut in superiori clausula, quam utramque fideles custodiunt, et a qua utraque eos peccatores retrahere intendunt. Non *erravi*, inquam, *a mandatis tuis*, sed *hæreditate acquisivi testimonia tua*, id est hæreditario jure acquisivi mandata tua. Quod est dicere : Sic firmiter mihi acquisivi per auxilium gratiæ tuæ mandata tua, diligenter investigando ea, quod ita ea teneo quasi jure hæreditario, ut nullus ea mihi facile posset auferre, sicut hæreditas haud facile per jus auferri potest. Ideo vero *non erravi a mandatis tuis*, et *hæreditate* ea *acquisivi*, *quia* per emphasim *exsultatio cordis mei sunt*. Quod est dicere : Exsultat valde cor meum in mandatis tuis acquisitis et custoditis. Cum autem non erraverim, et mandata tua acquisiverim, non inde superbivi, sed *inclinavi*, id est humiliavi *cor meum ad faciendas*, id est ad reputandas esse *tuas* has *justificationes*. Quod est dicere : Sic me humiliavi ut tuum facerem et ex te esse reputarem, non ex viribus meis, hoc quod justificatus sum, persistendo in mandatis tuis. Vel sic : *Inclinavi*, id est humiliavi *cor meum*, et hoc *ad faciendas justificationes tuas*, id est ad complenda magis et magis mandata tua. Quod est dicere : Ideo me humiliavi ut per hoc meritum me adjuves intensius ad complenda præcepta tua. Non enim superbos adjuvas, sed humiles. Et *inclinavi* etiam *cor meum propter retributionem* tendentem *in æternum*, id est *propter retributionem*, æternæ vitæ adipiscendam. Vel sic legitur *in æternum*. *Inclinavi cor meum ad faciendas* usque *in æternum*, id est semper, *justificationes tuas*; et hoc *propter retributionem* æternam adipiscendam; hoc non mutatur.

Samech *audi*, sive *firmamentum* interpretatur. Quæ nimirum congrue clausulæ decimæ quintæ cunctis versibus inscribitur, ut sit quasi exhortatio ad lectorem, quatenus ea quæ in hac clausula habentur, et superficietenus intellecta legi novæ videntur adversa, non perfunctorie et transeunter audienda, sed attento auditu mentis et firmamento rationis. Est autem tale ac si sic plane diceret : Tu quicunque legens hoc quod dico : *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi*, etc., quædam quæ hic pono quæ videntur legi novæ contraria, nisi bene A intelligantur, audi hæc non negligenter, sed cum summa diligentia, et habeto in eis investigandis firmamentum rationis. Si enim attente fuerint audita, et diligenter et ratione firma perscrutata, legi novæ nullatenus erunt contraria. In hac clausula ostendunt fideles se iniquos odio habere, et legem Dei diligere, et ad hoc Deum adjutorem et susceptorem habere. Et est notandum quod eos odio habent in hoc quod mali, non in hoc quod creatura Dei sunt. Adhortantur etiam iniquos, ut desistant a lege Dei eos devocare, quod est ipsis impiis causa damnationis. Orant autem ut a Domino suscipiantur et adjuventur, et ut carnes suæ timore Dei configantur, addendo causas quare orandum sit. Hoc autem ea intentione faciunt, ut auditores ad hæc eadem omnia instruant.

B *Iniquos odio habui*, etc. Quod superioribus sic jungitur : Dixi quod *peccatores posuerunt laqueum* deceptionis. Ideo igitur *iniquos*, id est ipsos peccatores, *odio habui*, non secundum hoc quod creatura sunt, sed secundum quod mali. Et dixi quoniam *a mandatis tuis non erravi*. *Et* hoc ideo quia *legem tuam dilexi* omni affectione mentis. Vel sic: *Iniquos*, inquam, *odio habui*; *et* sic tamen quod illos odio habenda, *legem tuam*, novam *dilexi*. Ac si diceret : Cum lex tua nova jubeat inimicos diligi, non tamen eam in odio iniquorum violavi. *Dilexi* enim eos secundum creaturam, odio vero habui secundum 497 malitiam Unde Prosper: « Recte in malis odimus malitiam, et diligimus creaturam. » Ad odiendum autem iniquos et legem tuam diligendam, *adjutor et suspector meus es tu*. Præposterus ordo. Ac si dicat : *Tu es susceptor meus*, id est medicus et curator meus, scilicet, cum prius debilis existens, *iniquos odio* sic non habuerim, *et legem tuam* non dilexerim, manendo nempe aliquantulum eis conformis, *tu* qui cuncta potes *susceptor meus* factus *es*, curando me de hac debilitate, ne eos inquantum mali sunt diligerem, et ne legem tuam negligerem, et *tu es adjutor meus* ad bene operandum, et ipsam legem custodiendum. Et quoniam *adjutor es*, *et susceptor*, ego promovens me *in verbum tuum*, id est in præceptum tuum complendum, per ipsius verbi completionem, *speravi* remunerationem in futuro, super quam dici possit aut intelligi. Vel *supersperavi*, id est magis et magis speravi heri quod multum, et D hodie magis. Vel sic. Extendens me consideratione mentis in verbum tuum, id est in promissum tuum, *supersperavi* in ipso promisso remunerationem. Quod est dicere : Exspecto remunerari, secundum quod tu promisisti. *Supersperavi* eodem modo hic exponitur, ut in sententia superiori. Facit autem apostropham ad ipsos iniquos sic : Quandoquidem, o iniqui, vos *odio habui*, et adhuc habeo, *et legem* Dei *dilexi*, et adhuc diligo, et Dominus est *susceptor meus et adjutor meus*, *declinate a me*, *maligni*, scilicet, vos iniqui maligne agentes, et in vos peccando, et in me devocare nitendo, desistite a me, id est ad hoc ut me ultra devocare nitamini, quod pro

www.libtool.com.cn

certo frustra est, et vobis occasio justæ damnationi. Vos, inquam, *declinate* a malo proposito vestro, et ego non desistens a meo proposito bono, *scrutabor* perseveranter cum operatione *mandata Dei mei*, mandata scilicet illius qui est Deus meus, Creator meus, cujus *mandata* scrutanda sunt, non negligenda. Facit etiam apostropham ad Deum orando sic: Ut mandata tua scrutari valeam intense, *suscipe*, Domine, id est esto susceptor meus, medicus, scilicet et curator, ut sanes me ab omni debilitate mentis, dando facultatem bene operandi. *Suscipe me*, inquam, et hoc fac *secundum eloquium tuum*, id est secundum promissum tuum, scilicet sicut promisisti quod fidelibus tuis patrocinareris semper, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 29)» Et alibi : « Non vos relinquam orphanos (*Joan.* XIV, 18). » *Suscipe*, inquam, et si susciperis hic, *vivam secundum eloquium tuum*, et in futuro æterna vita; et sic *non confundas me*, id est non permittas confundi me alienatum *ab exspectatione mea*, id est a vita æterna quam exspecto. Maxima namque esset mihi confusio, si quod exspecto tanto desiderio, tandem non attingerem. Vel sic : *Suscipe me*, Domine, id est patrocinare mihi, instituendo *me*, *secundum eloquium tuum*, id est secundum præceptum tuum. Quod est dicere : Sic mihi patrocinare ut facias me mandatum tuum observare; et, te suscipiente me, vivam in ipso eloquio, id est complebo ipsum eloquium, quod erit mihi vita. Non enim viverem nisi te suscipiente; et sic suscipiente te, et vivente me, *non confundas me*, id est non permittas confundi me, alienatum ab *exspectatione mea*. Exspecto enim a te suscipi, et sic vivere secundum promotionem et perseverantiam : et si hoc non adipiscerer, et confunderer, id est erubescerem inde apud me et contristarer.

Quia dicendo *suscipe* me, solam gratiam Dei, denotaverat, denotat quoque liberum arbitrium, cum sic addit, dixi : *Suscipe*. Non autem sic oro suscipi ut piger sim, et ex me nil agam. Sed *adjuva me*, Domine, id est cum ego ex libero arbitrio per me nitar, tu, adjuva ipsum liberum arbitrium ex gratia, id est cooperare mecum ; et te adjuvante *salvus ero*, perseverando in præcepto tuo ; vel *salvus ero* in futuro æterna salvatione. Et si adjuveris hoc quod justificatus ero, in præceptis tuis persistendo, non mihi ascribam : semper *meditabor in* his *justificationibus tuis* reputatis, scilicet in hoc meditabor 498 *semper*, ut has justificationes non mihi ascribam, sed tuas esse reputem. Ideo vero oro tantopere suscipi et adjuvari a te, ad perseverandum in justitiis tuis, quia *sprevisti*, id est spernes *discedentes a justitiis tuis*, id est a justis præceptis tuis. Quod est dicere : Ideo oro in præceptis tuis justis perseverare, ne me spernas, sicut discedentes a justis præceptis tuis spernes, et hic excæcando, et in futuro juste puniendo. Et merito quidem eos spernes, *quia injusta* est *cogitatio eorum*. Cum quidam cogitent Deum

A res humanas non curare, quidam vero cogitent dei misericordiam omnia omnibus, etsi non pœniteant, indulgere, quidam autem bonum esse cogitenta præceptis Dei discedere. Ne quis ergo putaret illos tantum esse *discedentes* a justitiis Domini, qui sunt vel Judæi, vel gentiles, vel hæretici, Christianos autem falsos et peccantes criminaliter putaret non *discedentes*, ostendit omnes peccantes criminaliter esse prævaricantes, sic : Spernes, inquam, omnes a justitiis tuis discedentes. Ne quis autem Christianus nomine criminaliter peccans in hoc se palpet ut se prævaricatorem esse non reputet, certum omnibus sit quod *prævaricantes* esse *reputavi omnes peccatores terræ*, id est omnes peccantes criminaliter, qui cum imi sint in vitiis et sordidi, terra dicuntur, B non cœli : *reputavi* ego et reputo esse *prævaricantes* justa præcepta tua, id est transgredientes. Idem autem est discedere a præceptis Dei et ea prævaricari. *Ideo ergo* quia spernentur a te *omnes a justitiis tuis discedentes*, ne et ego spernar non discessi a justitiis tuis, sed *dilexi testimonia tua*, in est præcepta tua, non spernendo ea. Ut autem ea intensius diligam, *confige timore tuo* casto *carnes meas*, id est immitte timorem tuum castum carnibus meis, per quem eas configas, id est ita tibi conjungas et subjicias, ut a te nequeant avelli per aliquas suggestiones, a similitudine illius, qui, parieti vel ligno cuilibet affixus, sese movere non potest. Non ideo dicit *confige timore tuo carnes meas*, quod caro timere valeat, cum timor omnis sit in anima. Sed C idem est ac si sic dicat : Cum anima mea tibi confixa sit secundum vim rationabilem, ne a te secundum carnales sensualitates dissideat, *confige timore tuo carnes meas*, id est carnales sensualitates meas. Quod est dicere : *Confige timore tuo* animam meam, secundum carnales sensualitates meas, id est sic tibi animam meam conjunge et subde ut secundum nullam carnalem sensualitatem tibi repugnet, scilicet ut te visu, vel auditu, vel quolibet alio corporis sensu criminaliter non offendat. Ideo vero oro configi timore tuo carnales sensualitates meas; *a judiciis enim tuis timui* excidere, id est quia timui et adhuc timeo per carnales sensualitates meas excidere a mandatis tuis, id est a custodia mandatorum D tuorum.

AIN *oculus* interpretatus. Per cujus inscriptionem innuitur quod fideles hic agentes oculum habent rectæ rationis, sicut in principio clausulæ patet, in quo ipsi fideles dicunt se judicium et justitiam fecisse. Qui etiam post modum in hoc eadem clausula orant ut Deus eis hunc oculum conservet, suscipiendo eos in bonum, ne Judæis eis calumniantibus conformati excæcentur. Adjungunt quoque causas plures, quibus adipiscantur quod orant. Hæc autem omnia ea intentione dicunt ut auditores ad hunc eumdem oculum habendum, et postquam habuerint, ne amittant, ad orandum invitent.

Feci judicium et justitiam, etc. Quod ita cum superioribus adaptatur : Dixi, Domine, quod *dilexi*

www.libtool.com.cn

testimonia tua, et cum ea dilexerim, *feci* in me *judicium* ipsorum testimoniorum, id est inspexi oculo rationis meæ, et dijudicavi quomodo præcepta tua sint intelligenda et observanda. Et facto judicio, *feci justitiam* eorumdem testimoniorum, id est juste intellexi et opere complevi 499 præcepta tua. Judicium quippe dicitur ipsa prima deliberatio intelligendi et bene operandi. Justitia vero ipsa exsecutio. Propter hoc ergo meritum, quia *judicium et justitiam feci*, oro, Domine, *non tradas me*, id est non permittas me tradi secundum conformitatem *calumniantibus me* Judæis, id est mihi injuste et irrationabiliter adversantibus. Quod est dicere : Judæi mihi calumniantur, convertendo bonum in malum, hoc scilicet quod legem veterem spiritaliter intelligo, et quod Dominum Jesum verum Deum esse non ambigo. Quare oro, Domine, ne, propter hanc calumniam, tradar in eorum conformitatem, ut oculum rationis meæ amittam. Calumnia est injusta adversatio proprie. Ut autem non tradar calumniantibus in conformitatem *suscipe servum tuum*, id est patrocinare mihi auxilio misericordiæ tuæ cum servus tuus sim. *Suscipe me*, inquam, dirigendo secundum promotionem et secundum perseverantiam *in bonum*, id est de bono opere in melius. Oro etiam pro superbis Judæis, qui tibi nolunt humiliter subjici : et in superbia obstinati calumniantur me, ut ulterius *non calumnientur me superbi*; quæ calumnia est occasio mortis. Quod est dicere : Desistant ab hac mortifera calumnia et mihi adhæreant. Quoniam oraverat suscipi in bonum, meritum prætendit quo adipiscatur quod orat, et post repetit eamdem orationem aliis verbis, cum dicit : *Fac cum servo*, etc. Quod sic adaptatur : *Feci*, inquam, *judicium et justitiam*. Et sic feci hæc intense quod *oculi mei* interiores, id est intentiones meæ *defecerunt* ab omnibus curis sæcularibus, tendentes *in salutare tuum*, id est in legem tuam, quæ salutaris est complentibus eam, et tendentes *in eloquium justitiæ tuæ*, id est in legem tuam justam. Salutare et eloquium justitiæ idem designant, legem scilicet ; sed per has voces in eadem lege diversa notantur, scilicet et quod salutaris est, et quod justa et eo magis amplectenda. Quod est ac si dicat : Ab omni sæculari negotio defeci ; et in legem tuam salutarem et justam omnes affectiones meas direxi. Quoniam igitur *oculi mei defecerunt in salutare tuum* : oro, Domine, *fac cum* me *servo tuo secundum misericordiam tuam*. Cum dicit, *fac cum servo*, liberum arbitrium denotat. Ac si diceret : Ego inquantum valeo, per liberum arbitrium in lege tua bene operor. Cæterum quia per me sum insufficiens, *fac secundum misericordiam*, id est secundum auxilium misericordiæ, cooperando *cum me, servo tuo*. Quod est dicere : Sicut misericordia tua larga est, ita quoque mecum large cooperare. Et cum mecum feceris, *doce me justificationes* istas esse *tuas*. Quod est dicere : Cum mecum cooperando in lege tua me justificaveris, fac me non hoc mihi ascribere ; sed *doce me* interiori illuminatione has *justificationes tuas* esse, non ex me. Non solum autem oro ut facias *cum servo tuo* secundum cooperationem, sed ut magis idoneus sim cum quo coopereris, *da mihi intellectum* intensius *ut* magis *sciam*, id est intelligam *testimonia*, id est præcepta *tua*; scilicet ut sciam quomodo præcepta tua intelligenda sint et exsequenda. Dignum est autem ut des *mihi intellectum*, quia *ego servus tuus sum*, non vitii cujuslibet, tibi in omnibus obediens. Ideo etiam dare mihi debes intellectum quia, o *Domine, tempus est* jam opportunum hoc *faciendi*, scilicet intellectum mihi dandi. Nam calumniantes me Judæi, *dissipaverunt*, id est destruxerunt, quantum ad ipsos, *legem tuam* veterem, spiritualem intellectum adjiciendo, et eam moraliter non observando, et volunt me trahere in errorem suum. Ideoque necessarium est me intellectum habere, ut eorum errorem possim effugere. Idcirco etiam debes intellectum mihi dare, quoniam *ideo*, ut promererer intellectum mandatorum tuorum, *dilexi* ego *mandata* 500 *tua super aurum et topazion*, id est plus quam omnes sæculares divitias, quæ per has duas res pretiosas intelliguntur. Per aurum, scilicet quod est omni alio metallo carius ; et per *topazion*, qui est lapis pretiosissimus. Topazius enim quo rarior est, eo est pretiosior. Et ideo quoque debes intellectum mihi dare, quia *propterea* ut intellectum promererer, *dirigebar* ego jam dudum id est promovebar *ad omnia mandata tua* complenda. Et propterea etiam ut hunc intellectum adipisci possem, *odio habui omnem viam iniquam*, id est omnem criminalem operationem, quæ via est ad mortem. Non enim (ut Salomon asserit) in malevolam animam introibit sapientia : nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I, 4). »

PHE *erravit* interpretatur. Qua idcirco convenienter hujus clausulæ cunctis versibus inscribitur, quoniam fidelium collectio quæ hic agit, ostendendo esse mirabilia testimonia Dei, testimonia scilicet legis veteris, et ostendendo animam suam ea scrutatam esse per novam legem, quæ est declaratio ipsius legis veteris, et orando ut Deus sibi det intellectum et operationem ipsorum testimoniorum, et ut Deus eam redimat a calumniis Judæorum, ne eis cedat, pro quibus etiam se flesse nimis asserit, quia non custodierunt legem Domini, hoc ea intentione dicit ut innuat quod populus Judæorum diu jam erravit, et adhuc errat ; qui, hæc testimonia cum obscura sint et mirabilia, per novæ legis susceptionem non scrutatur ; sed potius ad solam litteram intelligendo, eos qui scrutantur, inquantum potest, calumniatur. Et ut etiam auditores ab hoc errore devocet, et ad scrutanda per novam legem hæc testimonia invitet.

Mirabilia testimonia tua, etc. Quod ita conjungitur superioribus : Oravi, Domine, dari mihi *intellectum* ut sciam intelligere *tua testimonia*, scilicet legis veteris. Quem *intellectum* idcirco oro assequi,

www.libtool.com.cn

quoniam, o Domine, *mirabilia testimonia tua*, id A est instituta veteris legis. ad litteram considerata, *mirabilia* esse videntur, id est stupenda. Stupendum enim est valde, si ad litteram intueamur, cur quædam sacrificia cremari extra castra jussisti, et cur omnes Judæos instituisti circumcidi, et cætera multa, quæ in lege veteri præcepisti. Idcirco ergo necesse est ut orem intellectum adipisci, ut sic hæc testimonia intelligam. Ne vero segnis videretur in his testimoniis scrutandis et per hoc non mereretur intellectum obtinere, addit : *Ideo* quia *mirabilia* sunt *testimonia tua*, *scrutata est ea anima mea*, id est ratio mea diligenter investigavit hæc testimonia. Hæc autem testimonia scrutatus sum per novam legem susceptam, per fidem et intellectum ; quæ est *declaratio sermonum tuorum*, id est B quæ declarat et manifestat sermones veteris legis obscuros. *Declaratio* enim *sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*. Quod est dicere : Ideo per novam legem hæc testimonia scrutatus sum ut per eam illuminarer in his testimoniis. Ipsa enim existens *declaratio sermonum tuorum illuminat* eos qui sunt parvuli spiritu, id est humiles, non superbi ut Judæi. Et hoc modo *illuminat*, quod dat ipsis *parvulis intellectum* spiritalem, juxta illud Dominicum : « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis (*Luc.* x, 21). » Quia vero per legem novam vetus declaratur, ex his prophetæ dictis colligitur : « Verbum, » inquit, « consummans et abbrevians in æquitate, faciet C Dominus super terram (*Isa.* x, 22; *Rom.* ix, 28). » Ut autem hæc testimonia per novam legem diligentius scrutari possem, *os meum aperui* ; id est os cordis dilatavi per fidem, non angustavi per infidelitatem ; et ore aperto *attraxi spiritum*, id est ad me traxi *Spiritum* sanctum, scilicet amplexus sum Spiritum sanctum, quem nullus obtinere potest, si cordis os claudat, ut Judæi. Bene quidem dicit *attraxi*. Sanctus enim Spiritus, quantum 501 ad suam misericordiam præsto est omnes illustrare. Quem quidem sibi attrahit, quisquis per fidem et intimam dilectionem et cæteras virtutes incedens, ingressum animæ suæ per vitia illi non claudit. Quia ponit *attraxi spiritum*, a similitudine dictum est exæstuantis : qui, si in aerem clementiorem et D suavem devenerit, os aperit ; et ipsum aerem, ut ab eo refrigeretur, sibi attrahit. Ita fidelis quisque, si fervore suggestionum illicitarum exæstuet, os animæ, sicut dictum est, aperiendo, Spiritum sanctum sibi attrahere debet.

Quia autem dicit *os* animæ *aperui*, nihil plus est quam animam ad recipiendum Spiritum sanctum præparavi ; sed a similitudine exæstuantis dicitur, qui, ceu jam dictum est, os ad aerem attrahendum aperit. Per hoc autem Spiritum sanctum attrahere merui, *quia mandata tua*, id est novæ legis quæ *desiderabam* complere, non ea repuli, sicut Judæi increduli. Nullus quippe Spiritum sanctum sibi potest attrahere, nisi desideret et amplectatur præcepta legis novæ. *Os*, inquam, *aperui*, dicens : *Aspice in me*, id est in interiorem partem mei, videlicet in animam aspectu illuminationis, a similitudine solis, qui quem aspicit illuminat. *Et miserere mei*, id est et sic dico, ut me aspicias, ut mei miserearis, scilicet ex misericordia me aspice, quia non sufficiunt merita mea ad hoc obtinendum. Quod est dicere : Cum sis Sol justitiæ, omnes quos vis illuminans intellectu, per aspectum misericordiæ, oro me quoque misericorditer *aspice*, ut me illumines intellectu. Aspice, inquam, et hoc fac *secundum judicium diligentium nomen tuum*. Quod est dicere : Ad eum modum me aspice ad quem modum judicas diligentes nomen tuum aspiciendos esse. Ac si dicat : Cum judices et disponas diligentes nomen tuum aspicien- B dos esse, oro etiam ut me aspicias, qui non repello nomen tuum, quod est Dominus, ut Judæi duræ cervicis et inobedientes, sed ego diligo illud omni affectione et obedientia amplector. Non solum autem oro ut me aspicias secundum illuminationem intellectus, sed etiam oro, Domine, *gressus meos* interiores, id est affectiones meas *dirige secundum eloquium tuum*, id est directas fac ad bene operandum, secundum præceptum tuum. Quod est dicere : Non solum oro ut testimonia tua intelligam, sed ut ad hoc dirigar ut ea intellecta opere compleam. Et sic *ut non dominetur mei injustitia omnis*, id est per omnes sui partes accepta. Quod est dicere : Et sic a te dirigar ut nulla pars injustitiæ, quæ mihi dominetur, in me remaneat. Est autem quædam in- C justitia, nulla Dei mandata opere complere. Alia vero injustitia, cum pars eorum completur, pars negligenter omittitur. Ut autem *gressus* mei dirigantur, nulla *injustitia* mihi *dominetur* ; *redime me*, id est pretio mortis Domini Jesu libera me *a calumniis hominum*, Judæorum scilicet, quis impliciter homines sunt, animales non spiritales. Quod est dicere : Judæi homines animales et increduli me calumniantur, id est mihi adversantur, bonum intellectum et opus meum convertendo in malum : a quorum calumniis me libera, ne per ea deficiam. Et redemptus *custodiam mandata tua*, ea opere complendo ; quæ aliter non complerem. Determinat autem quomodo oret in se aspici, cum superius dixerit : *Aspice in me*. Oravi D *aspice in me*, et hoc modo quidem aspice : *Faciem* videlicet *tuam illumina super servum tuum*, id est illuminationem faciei tuæ pone in superiori parte servi tui, mei scilicet, id est in anima. Quod est dicere : Da mihi illuminationem Filii tui, ut me in anima illuminet intellectu ; qui facies tua dicitur, eo quod per eum visibilem factum ab omnibus cognosceris, cum invisibilis sis, sicut per faciem totus homo cognoscitur. *Et* per illuminationem faciei tuæ *doce me justificationes tuas*, id est justa præcepta tua *doce me*, 502 et secundum scientiam et secundum operationem. Vel *doce me justificationes* esse *tuas*, id est hoc quod quis justificatur in præceptis tuis, ex te non ex se justificatur. Vel sic versus iste continuatur ut sententia non mutetur : Ut redimar a

www.libtool.com.cn

calumniis hominum, faciem tuam illumina, etc. Vel sic continuatur : Oravi, *aspice*, oro quoque *faciem tuam illumina*, etc. Ne vero videretur pro contemptu et depressione Judæorum et pro sui elatione superiora dixisse, ostendit se de ipsorum e rore valde condoluisse, sic : Hoc quod dixi, Domine, *anima mea scrutata est testimonia tua*, et *os meum* aperui, quod Judæi non fecerunt, et quod oravi *redime me a calumniis* Judæorum, non dixi ad eorum depressionem, et mei elationem : cum eorum errori adeo compassus sim, quod *oculi mei* exteriores *deduxerunt*, id est foras miserunt *exitus aquarum*, id est magnam copiam lacrymarum. Quod est dicere : Valde flevi pro eis, *quia non custodierunt legem tuam*, nolendo eam intelligere spiritaliter. *Exitus aquarum* ponitur pro copia lacrymarum, eo quod usualiter dicere solemus *exitus aquarum* ubi aquæ large de fontibus exeuntes redundant.

Sade *justitia* sive *consolatio* interpretatur. Competenter igitur hujus clausulæ versuum est initium, in qua fideles Deum justum esse ostendunt, cum eis justitiam suam dederit, scilicet testimonia veteris legis, quæ causa est eis justificationis. De qua adipiscenda in superiori clausa oraverunt. Ostendunt quoque eis datam novam legem, quam nimis custodiunt adeo ut etiam inimicos diligant, pro quorum errore, dolore tabescunt. Dicunt etiam quod licet ab inimicis contempti sint et tribulationes et angustias passi sint, tamen non ideo novam neque veterem legem obliti sunt, quia ipsæ sunt justitia et veritas et æquitas deducentes completores suos in æternum. Cum autem judicant sibi legem utramque et secundum intellectum et secundum operationem datam esse, consolationem sese maximam in hoc ostendunt adeptos fuisse. Multum enim est in conscientia consolatus qui boni intellectus et bonæ operationis est concius. Hoc autem ex intentione referunt in exemplo sui auditores invitent ad hanc eamdem consolationem, per intellectum et operationem utriusque legis inquirendam.

Justus es, Domine, etc. Secundus hujus clausulæ versus sic prius legitur, et superioribus conjungitur : *Oravi, Domine, aspice in me*, et *gressus meos dirige, redime me, a calumniis hominum, et faciem tuam illumina super servum tuum*, et ecce impetravi quod oravi. Nam tu *mandasti justitiam testimonia tua*, id est solo mandato voluntatis tuæ dedisti justitiam mihi, scilicet testimonia tua, id est dedisti mihi solo velle tuo præcepta tua veteris legis, et secundum intellectum et secundum operationem; quæ per emphasim dicuntur justitia, eo quod justa nimis sunt et homines justificantia. Cum dicit *mandasti*, magnam esse Dei potentiam innuit, qui solo mandato voluntatis suæ dat præceptorum suorum intellectum et operationem. *Mandasti*, inquam, *testimonia tua* vetera. *Et* etiam mandasti mihi *veritatem tuam nimis*, id est nimiam *veritatem tuam*, scilicet novam legem, quæ per emphasim dicitur nimia veritas, eo quod valde vera sit, id est justa, nihil præcipiens nisi quod verum sit et justum. Vel ideo quod vera sit in promissione beatitudinis æternæ. Vel sic : *Mandasti* mihi *nimis*, id est solo mandato voluntatis tuæ dedisti mihi valde, et secundum intellectum et secundum operationem, veritatem tuam, id est legem novam. Quod est dicere : Fecisti me valde intelligere et complere verissimam legem tuam novam. Per hoc autem quod mihi *mandasti justitiam* et *veritatem* 503 apparet quia *justus es Domine*, in natura et non solum justus in natura sed *et rectum*, est *judicium tuum*, id est rectum est quidquid judicas dare et disponis. *Mandasti*, inquam, mihi veram legem tuam ad intelligendum et opere complendum. Inde vero comprobari potest me novam legem valde complere quia, cum ipsa jubeat inimicos diligere, ego in tantum diligo eos, quod *zelus meus*, id est nimius amor meus quem habeo erga ipsos, *fecit me tabescere*, id est magno angore deficere in anima pro ipsis, *quia inimici mei* Judæi *obliti sunt verba tua*. Non dicit *obliti* quod ea sciverint, sed idem est ac si dicat neglexerunt *verba tua*, scilicet præcepta utriusque legis : a similitudine illius qui illud tradit oblivioni quod negligit. Dico quod *tabescere me fecit zelus meus*, ideo *quia inimici mei obliti sunt verba tua*. Et vere tabescendum est pro eis, eo quod non custodiant præcepta tua, quoniam *ignitum* est *eloquium tuum vehementer*, id est præceptum tuum igneum est, consumens scilicet valde in fidelibus peccaminum sordes, et illuminans in intellectu, et faciens eos interius charitate ferventes ad modum ignis qui consumit, et illuminat, et fervet. Et cum adeo utile sit eloquium tuum, valde damnosum eis est rem ita utilem amittere ex negligentia. *Ignitum*, inquam, *eloquium tuum* quod ab inimicis negligitur et cum ignitum sit *servus tuus dilexit illud*, ago videlicet qui sum omni modo tibi obediens et in nullo resultans. Per hoc autem quod illud *dilexi*, factus sum *adolescentulus*, id est valde juvenis, videlicet conformis novo homini Christo, per virtutes, qui antea conformis eram veteri per vitia.

Adolescentulus, inquam, *sum ego et* licet adolescentulus, tamen quod minime videtur dicere, sum ab inimicis Judæis *contemptus*, eo quod legem veterem spiritaliter intelligam, et quod legem novam suscipiam. Et licet sim ea occasione *contemptus*, *non* tamen ideo *sum oblitus justificationes tuas*, id est justa præcepta utriusque legis : et idcirco non sum oblitus veterem legem, quia *justitia tua*, id est vetus lex quæ justissima est et a te data est *justitia in æternum*, ducens eos qui eam spiritaliter intelligunt et complent. *Et* ideo *non sum oblitus* novam legem, quia *lex tua* nova est *veritas*, ut in secundo versu hujus clausulæ dictum est. Unde Baptista Joannes : « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I, 17). » Non solum autem *contemptus* sum ab inimicis, sed etiam ut mandata tua obliviscerer, *tribulatio* in corpore ex persecutionibus, et *angustia* in anima ab eisdem inimicis illatæ *invenerunt me*, sic ut nimis affligerent et tamen *meditatio mea est mandata tua*, id

www.libtool.com.cn

assidue meditor ut intelligam et compleam utriusque legis mandata. Aliud autem est non oblivisci, et aliud meditari, licet unum intelligatur ex altero. Cum dicit *invenerunt me*, notat se constantem et ideoneum fuisse, qui tribulationes et angustias viriliter toleraret. Non enim a tribulationibus invenitur, qui timore deficiens ipsas pati fugit a similitudine militis inertis, qui, cum debeat incipere prælium, fugit, et sic ab inimicis non invenitur. Ideo vero jugiter meditor utriusque legis mandata quia *testimonia tua* utriusque legis, ducentia completores suos *in æternum*, *æquitas* sunt, per emphasim, id est æquissima sunt, nil præcipientia nisi quod æquum est. Hoc autem quod hic dicit *æquitas testimonia tua* idem est quod superius dixit, *justitia tua, justitia in æternum et lex tua veritas*; sed ad aliud positum, ad hoc scilicet quod dixit *mandata tua meditatio mea est*, *Æquitas*, inquam, *testimonia tua*, Ideo igitur oro, Domine, magis et magis in his *da mihi intellectum* spiritualem; *et* sic *vivam* in completione horum, scilicet ea complebo, quod mihi erit vita.

504 Coph interpretatur *conclusio* vel *aspice*. Convenienter ergo *Coph* huic inscribitur clausulæ toti, in qua fidelium massa, quæ ab inimicis persecutionem patitur, et tantam ut ex toto conclusa ab eis videatur: a similitudine illius qui, ab hostibus conclusus et circumvallatus, non potest effugere, ostendit se ad Dominum clamasse ut se exaudiret et faceret justificationes ejus requirere et mandata custodire, addendo merita et necessitatem, quare quod oravit impetraret. Quod ea intentione refert ut auditores instruat, quatenus si aliquando similem conclusionem passi fuerint, ad Dominum similiter clament, ne ab ipsis separentur. Quod plane innuitur, ex vi hujus interpretationis; quæ est *aspice*, ac si patenter dicat: Cum ego me, ab hostibus conclusum, referam ad Dominum clamasse, hoc ad tui instructionem facio, auditor, quicunque es ab inimicis concludendus. Cum ergo sic conclusus per te nequiveris effugere, aspice ad Dei misericordiam, et clama, et sic evades: a similitudine captivi, qui ab hostibus conclusus, cives suos aspicit, vel Dominum suum, et ad eos clamat ut eum eripiant.

Clamavi in toto corde, etc. Quod ita superioribus a laptatur. Dixi superius quod licet fuerim ab inimicis *contemptus*, tamen, *justificationes tuas non sum oblitus*; et licet *tribulatio et angustia* invenerint *me*, tamen *testimonia tua, meditatio mea est*. Hoc autem inde contigit quod *non sum oblitus*, et sum meditatus, quia, cum ab inimicis essem conclusus et circumdatus, *clamavi*, id est clamore intenso egi, non remisse me habui. Et non dico me exterius clamasse, quod magnum non esset; sed *clamavi in toto corde*, id est clamavi interius tota cordis affectione, dicens: *Exaudi, me Domine*, de hoc ut *requiram justificationes tuas*, id est frequenter quæram secundum appetitum bonæ voluntatis et intellectus justificationes tuas, id est justa præcepta legis utriusque

A Repetit autem quod dixit, *clamavi*, ut addat sic: *Clamavi*, inquam, *ad te* respiciens, qui potes et vis exaudire omnes digne clamantes ad te. Ac si dicat: Cum te ad hoc potentem et volentem inspicerem, bona confidentia *ad te clamavi*, dicens: *Salvum me fac*, Domine, ab inimicis, ne eis conformer; et sic *salvum me fac, ut custodiam mandata tua*, nova et vetera. Ac si dicat: Inimici mei me devocare intendunt a custodia mandatorum tuorum, sed tu me fac ea custodire, id est opere complere, quæ custodia mihi erit salus. Et justum est ut me salvum facias, et exaudias propter hæc merita mea, quia ego adhuc positus *in immaturitate*, id est in immatura ætate, scilicet in juventute, quæ est ætas immatura, fervens et prona ad omnia vitia magis quam se-
B nectus *præveni* in bonis eperibus, id est anteveni cæteros fideles; qui tandem in senectute, quæ matura ætas est, cœperunt bene operari. Ac si dicat: Dignum est ut ideo me exaudias et salvum facias, quoniam a juventute cœpi bene operari et magis operatus sum quam qui a senectute incœperunt. Matura ætas senectus dicitur, eo quod in senectute ex natura maturiores mores homines habeant. Immatura vero ætas dicitur juventus, eo quod in juventute contingat ex natura mores habere immaturiores. *Præveni*, inquam, alios in bonis operibus in immaturitate positus *et* tunc *in* ipsa *immaturitate clamavi* intensa devotione, in qua pauci clamare solent. Istud *clamavi* intelligendum est fuisse in alio
C tempore quam aliud *clamavi* quod positum fuit in principio psalmi. Istud enim intelligendum est fuisse in juventute; illud vero postquam perfectior fuit in sanctitate.

Præveni, inquam, alios bene operando et iens *in verba tua*, id est in præcepta tua; bene operando *supersperavi*, id est magis et magis de die in diem speravi remunerationem, addendo spem spei. Non solum autem alios *præveni* bene operando *in immaturitate*, sed etiam *oculi mei* interiores, id est affectiones meæ ad te respicientes et directæ in *diluculo*, id est in summo mane, **505** *ut meditarer eloquia tua*, id est præcepta tua, *prævenerunt* affectiones aliorum. Quod est dicere: Præveni alios in meditatione præceptorum tuorum, inci-
D piendo a summo mane, cum cæteri dormire soleant et quiescere. Vel sic: *Oculi mei*, id est affectiones meæ existentes *in diluculo*, id est in nimia claritate virtutum, *prævenerunt* alios, ad te directæ, *ut meditarer eloquia tua*. Quod est dicere: In diluculo virtutum positus, intensior aliis fui in meditatione eloquiorum tuorum. Quoniam ergo *præveni et clamavi, vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine*, id est audi me, ut des quod oro, scilicet ut me vivifices in mandatis tuis: et hoc fac secundum respectum misericordiæ tuæ, et non secundum solam misericordiam; sed etiam *vivifica me* in eisdem mandatis ut ea jugiter custodiam, et hoc *secundum* justum *judicium tuum*, id est secundum quod justitia tua exigit, ut me pro

meritis meis justifices. Necesse est autem ut vocem meam audias, et ut me vivifices, quia *persequentes me appropinquaverunt* magis et magis *iniquitati* scilicet cum prius satis iniqui fuerint, peccando magis accesserunt ad iniquitatem, id est magis facti sunt iniqui, nitentes me conformare, a similitudine illius qui recedens a luce, in cryptam tenebrosam tendit: quanto vero magis ad tenebras accedit, tanto magis obscuratur. *Appropinquaverunt*, inquam, *iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.* Quod est dicere: Quanto magis iniquitati appropinquaverunt, tanto amplius per iniquitatis accessum, a lege mandatorum tuorum longe facti sunt. Ne igitur et me faciant iniquitati appropinquare, et a lege tua elongari, necesse est ut vocem meam audias, et me in virtutibus et custodia mandatorum tuorum vivifices. Ea vero confidentia oro ut me vivifices, quia *prope es tu, Domine*, id est paratus es subvenire omnibus clamantibus ad te, *et* ideo etiam quia *omnes viæ tuæ*, id est omnia judicia tua, per quæ incedis, sunt *veritas*, id est vera sunt et justa. Quod est ac si dicat: Cum videam te ex misericordia naturali paratum esse ad subveniendum omnibus ad te clamantibus, et cum sciam te nihil judicare, nisi quod justum est, confido quod justo judicio tuo mihi, ad te clamanti et bona vita mea auxilium tuum promerenti, auxiliaberis. Notandum quod hic dicit omnes vias Domini esse veritatem, cum idem alibi dicat: Omnes viæ Domini sunt misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). Hæ vero sententiæ nihil adversantur; cum omne quod per misericordiam operatur, sit etiam *veritas*, id est justitia. Justum enim est ut cum misericors sit in natura, misericordiam suam miserendo exerceat. Vel sic versus iste legitur: Dico quod *appropinquaverunt persequentes me iniquitati.* Unde tamen inexcusabiles sunt, et tu, Deus, inaccusabilis, quia *prope es tu, Domine*, id est paratus es ex misericordia naturali eos vivificare in virtutibus, si vellent ad te converti. Et tu cum sis eis prope, et ipsi nolint tibi per pœnitentiam appropinquare, *omnes viæ tuæ*, id est omnia judicia tua, quæ in eis exerces, sunt *veritas*, id est justitia; justum quippe est quod hic excæcentur, et in futuro sine fine puniantur. Ideo etiam oro ut me vivifices in virtutibus et in mandatis tuis, quoniam *initio*, id est per initium *cognovi de testimoniis tuis*, id est de præceptis tuis, *quia fundasti ea*, id est firmiter statuisti ea in fidelibus tuis *in æternum*, id est ut eos in æternum ducant. Quod est dicere: Cum considero ad initium, id est ad Adam cui dedisti præcepta tua, sed non fuerunt in eo fundata, ut in eis perseveraret, ideoque amisit æternitatem: *cognovi* e contrario ex consideratione hujus initii, *quia* in quibuscunque præcepta tua *fundasti*, ut in eis perseverent, ipsi per eorum observantiam in æternum ducentur. Ideoque oro ut me vivifices fundando ea in me, ut sic ducar in æternum.

506 Res *caput*, sive *primatus* interpretatur. Per caput autem sive primatum, humilitas denotatur, quæ decitur *caput*, sive *primatus* virtutum, cæterarum, eo quod initium est et prima, quæ ex omnibus virtutibus habetur, et quoniam ipsa a fidelibus habita custos est omnium virtutum, cum sine ipsa omnes virtutes debiles sint et inutiles, sicut a capite quod principale est in toto corpore, omnia cætera membra reguntur. Quo ablato, totum corpus inutile est et quasi truncus exanime. Unde etiam dicitur regina virtutum, sicut superbia regina vitiorum. Nihil autem impedit quod beatus Gregorius asserit charitatem esse radicem omnium virtutum. Dicitur enim humilitas virtutum caput et primatus, eo quod prima habita custos est cæterarum virtutum. Charitas autem dicitur radix, eo quod in ea omnes sitæ sint virtutes, et, ea habita, nulla debabeatur. Minus autem Deo odiosum est solam humilitatem quam omnes virtutes cum superbia habere. Unde Augustinus: « Sola superbia in rectis factis cavenda est. » De hujus autem humilitatis observantia nos in Evangelio Dominus instruit, cum dicit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Et idem alibi. « Estote prudentes sicut serpentes (*Matth.* X, 16). » Ac si patenter dicat: Sicut serpens, qui est animal astutum, semper caput munit, ne in eo percutiatur et pereat, sic et tu quicunque mortem æternam cupis evadere, humilitatem tuam conserva, quia caput est et custos virtutum cæterarum. De hujusmodi capite, id est de humilitate in hac clausula agitur. Nam quoniam fidelium collectio superius merita sua prætenderat, dicens: *clamavi in toto corde, et præveni in immaturitate*, etc. Ne videretur hæc ex jactantia dixisse, humilitatem se habere in hac clausula demonstrat; cujus gratia Deum orat, ut eam ab inimicis eripiat, ne scilicet eis conformetur. Ne vero videretur hoc orare ut sic ab eis eripiatur, ne eum persequantur; concedit ut ipsæ persecutiones ei contingant, quarum occasione orat a tormentis in futuro redimi et vivificari. Ostendit quoque justam peccatorum damnationem, quia justificationes Dei non exquisierunt, et multas esse misericordias Domini, quibus orat vivificari, addendo quoque merita quibus hoc adipisci debeat. Hoc autem totum ea intentione facit ut auditores ad humilitatis observantiam invitet, cujus gratia postulent a Deo ab inimicis eripi et vivificari; sic tamen ut hoc idem per Dei misericordiam adipisci exspectent, et ad hoc adipiscendum meritis virtutum et honorum operum intendant.

Vide humilitatem, etc. Quod sic continuatur: Dixi superius: *Vocem meam audi*, ut me ab inimicis eripias et vivifices. Ut autem quod oravi impetrem, quæso, Domine, *vide humilitatem meam*, id est vide quam humilis sim, et quam devotus tibi in omnibus. Non dico *vide* quod hoc non videas, qui omnia vides, sed *vide* sic, ut per eam mihi conferas quod oravi. Vide, inquam, *et* propter eam *eripe me* ab inimicis, ne mihi in anima prævaleant. Ostendit autem humilitatem suam, cum sic addit: *Dixi Vide humilitatem*, scilicet hanc humilitatem, quod *non sum*

www.libtool.com.cn

oblitus legem tuam, id est institutionem humilitatis; quæ mihi est lex et mensura vivendi, quam mihi dedisti, dicens : « Quanto major es, humilia te in omnibus (*Eccli.* III, 20),» Et alibi : « Qui se humiliat exaltabitur (*Luc* XIV, 11; XVIII, 14). » Quam etiam mihi exemplo tribuisti, cum, Dominus et Magister, pedes discipulorum lavisti et cum pro salute mea flagella, sputa, convicia, crucem et mortem ad ultimum sustinuisti. Quoniam indeterminate dixerat *eripe*, ne videretur sic orare ereptionem, ut nullam pateretur ab inimicis tribulationem, et sic jam ab humilitate dissentiret, addit : *judica*, etc. Quod sic jungitur : Licet oraverim *eripe*, tamen non ita oro eripi ut nihil tribulationis patiar in corpore; sed oro et concedo *judica judicium meum*, id est judica me pati tribulationes 507 B hic, quod judicium sit meum, id est mihi utile et salutiferum, *et* per hoc judicium tribulationum temporalium *redime me* in futuro a pœna ignis; qua post mortem salvandi purgabuntur, qui hic per temporales tribulationes purgati non erunt. Unde Apostolus: «Si cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse vero salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III, 15). » Et propheta : Rhomphæa ignis posita est ad vestibulum paradisi (*Isa.* LXVI. 15). In Genesi quoque legitur quia post expulsionem Adæ de paradiso posuit Dominus Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendum introitum paradisi (*Gen.* III, 24). Congrue vero purgatorius ignis ille per quem salvandi transituri C sunt, gladius dicitur et versatilis. Gladius, qui in purgandis omnes peccaminum sordes amputabit, ad similitudinem gladii amputatis. Versatilis, quia cum celeritate per eum fideles perfecti transibunt, ut ab eo non lædantur, a similitudine gladii versatilis, ad quem si aliquis offendat, et acumen ejus ex eo vertatur, non læditur. Dicitur etiam versatilis, quantum ad ipsos qui ibi purgabuntur. Licet enim purgandi ibi patiantur, tamen in æternum non patientur, sed cito evadent, a similitudine gladii versatilis, ad quem si aliquis offendatur, et aliquantulum lædatur, tamen si vertatur minus læditur quam si non verteretur.

Redime me, inquam, et non solum hoc, sed etiam *vivifica me*, æterna vita, et hoc fac *propter eloquium* D *tuum*, id est propter præceptum tuum, a me custoditum, vel propter eloquium tuum, id est propter promissum tuum. Promisisti enim, dicens : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V. 10. » Dico *vivifica me*, quod vere facies. Hæc autem *salus* vivificationis *longe* erit *a peccatoribus* criminaliter peccantibus, et merito. *Quia justificationes tuas* hic *non exquisierunt*, id est intima affectione non quæsierunt tribulationes temporales pati, quæ sunt justificationes per quas fideles tuos hic purgas et justificas. Quod est dicere : Ideo in futuro non salvabuntur, quoniam hic per tribulationes justificari refutaverunt. Hoc autem ideo dicit, ut peccatores a peccatis revocet, et ad humilitatem invitet. A Ne vero propter eorum damnationem justam Deus immisericors videretur, removet hoc, sic : Quamvis *longe sit a peccatoribus salus*, *misericordiæ tuæ*, *Domine*, *multæ*, id est beneficia misericordiæ tuæ multa sunt, quæ in omnibus creaturis tuis multiformiter operaris. Plus vero datur intelligi, cum indeterminate dicit *misericordiæ tuæ multæ*, quam si ejus misericordiam per partes denotaret. Idem valet ac si diceret : Tu, Domine, multum et ineffabiliter misericors es.

Longe, inquam, erit *a peccatoribus salus*, a me vero non sit *longe salus*; sed *vivifica me* vita æterna *secundum judicium tuum*, id est secundum quod justum judicium tuum expetit. Quod est dicere : Cum tu justus judex sis, *vivifica me*, cum justum sit me vivificari Et ecce quod justum sit, ut me vivifices. *Multi* enim sunt *qui persequuntur me*, fugando de civitate in civitatem propter te, *et tribulant me* tribulationibus in corpore, ut me coganta mandatis tuis declinare; et tamen *non declinavi*, id est non discessi *a testimoniis tuis*, id est a mandatis tuis. Et ideo quoque me debes vivificare, quoniam adeo perfectus sum quod *vidi prævaricantes*, id est negligenter præterentes mandata tua, *et* nimio dolore pro ipsis *tabescebam* in anima, qui *non custodierunt eloquia tua*, id est mandata tua. Quod est dicere : Ideo me debes vivificare quia tabesco de errore inimicorum meorum, mandata tua prævaricantium. C Ipsi, inquam, mandata tua non custodierunt ; ego autem et custodivi et dilexi. Et hoc *vide*, tu *Domine*, in est mihi testis esto. 508 *quoniam mandata tua dilexi*. Vide, inquam, non quod hoc non videas, sed vide ut propter hoc me vivifices. Et non solum propter hæc mea merita oro ut me vivifices, sed etiam *vivifica me in misericordia tua*, id est in consideratione misericordiæ tuæ.

Dilexi, inquam, *mandata tua*. Et ideo *dilexi*, quia *veritas*, id est justitia et honestas est *principium verborum tuorum*, id est principalis causa mandatorum tuorum. Quod est dicere : Ideo ea dilexi quia video quod principalis causa mandatorum ipsorum, quare ea fidelibus dedisti, est hoc quod honesta sunt et justa, et honestum et justum fuit ut ea fidelibus D tuis injungeres. Ac si dicat : Sunt causæ multæ, quibus ea injunxisti, hoc scilicet quod in se honesta sunt et justa, et exsecutione digna, una causa est. Quid enim honestius est et justius quam Deum ex toto corde diligere, castum, humilem, et modestum esse, et cunctas virtutes habere ? Alia vero causa est pro qua ea dedisti, ut per eorum observationem beatitudo paretur æterna. Hoc vero quod honesta et justa sunt in se ideo principalis causa dicitur, quia imprimis consideratur an justum et honestum in se sit quod Deus præcepit. Postquam vero justum esse patet et honestum ; quæ inde utilitas sequetur, tunc demum inquiritur. Hæc autem principalis eorum causa, scilicet *veritas*, id est honestas et justitia eorum, fecit ut diligerem mandata eorum. Et ideo

www.libtool.com.cn

adhuc *dilexi mandata tua* : quia *judicia justitiæ tuæ*, A id est justa mandata tua, quæ tu compleri judicas, sunt ducentia *in æternum* completores suos. Ut igitur et me ducant *in æternum*, *dilexi* ea sic ut complerem.

Sen *super vulnus* interpretatur. Quod vero super vulnus sanandum ponitur, est vel malagma aliquod, vel emplastrum, vel quælibet alia medicina. Per *Sen* ergo super vulnus interpretatam, quæ huic inscribitur clausulæ, innuitur quod fideles hic agentes ostendunt persecutiones, quas pro Deo patiuntur, esse super vulnus, id est esse medicinam qua sanantur vulnera peccatorum, quæ jam in eis adeo sanata sunt ut iniquitatem odio habeant, et eam abominentur, et lætentur super eloquia Domini et legem ejus diligant, et septies in die, laudem ei B dicant, et salutare ejus exspectent. Hoc autem ea intentione dicunt ut sic auditores ad patiendas persecutiones invitent.

Principes persecuti sunt me, etc. Quod ita superioribus copulatur. Dixi superius, quod *multi* sunt *qui persequuntur me*; et ita est : *Principes* terreni *persecuti sunt me gratis*, scilicet me non promerente, nullo meo reatu illam persecutionem exigente ; reges scilicet et duces et cæteri principes, volentes me formidine pœnarum cogere ad defectum. Et ut eorum persecutiones non formidarem, et sic deficerem, *formidavit cor meum* æternas pœnas, et hæc formido contigit *a verbis tuis*. Dixisti namque, deficientes in æternum esse damnandos; juxta illud C Evangelii : « Qui amat animam suam, perdet eam (*Joan.* XII, 21). » Hæc igitur formido perpetuæ damnationis formidinem expulit temporalis persecutionis. Ex his autem persecutionibus quas sustinui a principibus in tantum perfectus sum quod in pressura istarum non contristabor amodo ; sed *ego* ipse patiens *lætabor* firmatus et fundatus *super eloquia tua*, id est super promissa tua, *sicut qui invenit spolia multa*. Quod est dicere : Sicut ille qui multas exuvias pretiosas invenit, lætatur de ipsis spoliis, ita ego fundatus super promissa beatitudinis æternæ, lætabor de spe ipsius beatitudinis. Promissa quippe tua, fundamentum sunt mihi lætitiæ ; vel sic : Ex persecutionibus continget quod ego 509 D hic fundatus *super eloquia tua*, id est super præcepta tua, quæ custodio jugiter, *lætabor* in futuro de æterna beatitudine tandem invenienda, sicut ille lætatur *qui invenit spolia multa*.

Congrue quidem, beatitudo æterna spoliis comparatur. Spolia enim proprie dicuntur exuviæ quæ vi auferuntur. Ita vero beatitudo æterna quasi vi quadam acquiritur; jejunando scilicet, vigilando, et adversa plurima patiendo. Unde in Evangelio : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (*Matth.* XI, 12). » Hoc etiam ex persecutionibus contigit quod *iniquitatem odio habui*, et intantum odio habui quod eam *abominatus sum*, id est illam exsecratus sum; *legem autem tuam dilexi*, id est contigit ex ipsis persecutionibus, ut legem præceptorum tuorum diligerem. Hoc etiam contigit ex persecutionibus meis, quod ego *in die* virtutum positus, id est in claritate virtutum *dixi tibi laudem*, et ore et corde et opere *septies*, id est per totam vitam meam, quæ per septenarium numerum intelligetur, eo quod per dies septem volvatur. Vel *dixi tibi laudem septies*, id est in septem donis Spiritus sancti quæ mihi dedisti. Ex hoc autem quod hic dicitur *septies in die laudem dixi tibi*, usus iste in Ecclesia inolevit, ut septies in die laus Deo a clericis referatur, in Matutinis scilicet, et in Prima, et in Tertia, et in Sexta, et in Nona, et in Vesperis, et in Completorio. Si vero Matutinæ nocte dicantur, nihil impedit, quia dies et nox ab arithmeticis aliquando totum simul dies vocatur. *Dixi*, inquam, *tibi laudem* contuens *super judicia justitiæ tuæ*, id est considerans justa judicia tua, scilicet persecutiones, quæ tu judicas fideles tuos pati ut per eas justificentur. Quod est dicere : De persecutionibus meis laudavi te, considerans quod hæ sint causa justificationis mihi. Vel sic : *Laudem dixi tibi* ore et corde fundatus *super judicia justitiæ tuæ*, id est super justa præcepta tua, quæ judicas esse complenda, quæ etiam complevi. Quia dixerat *dilexi legem tuam*, posset quæri quæ utilitas erit his qui diligunt legem tuam? Ad quod sic respondet : *Pax multa* interius erit *diligentibus legem tuam*. Ac si dicatur : Licet exterius adversitatum sollicitudinem sustineant, tamen interius est eis multa pax a vitiis, ne ab illicitis suggestionibus nimis urgeantur. De qua pace Dominus in Evangelio dicit : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis (*Joan.* XIV, 27). » Ne vero de pace mundana dixisse videretur, addidit : « Non quomodo mundus dat, ego do vobis (*Ibid.*). »

Pax, inquam, est *diligentibus legem tuam*. Et si aliquatenus a vitiis aliquibus pertententur, tamen *non est illis scandalum*, id est conturbatio. Quod est dicere: Non possunt eos perturbare, sic ut a lege Dei retrahantur. Vel non est illis scandalum in fide, vel non est illis scandalum in prosperitate malorum, et in adversitate bonorum. Hoc etiam contingit ex hoc quod principes persecuti sunt me ; quod merito patientiæ ipsarum persecutionum *exspectabam* jamdudum *salutare tuum*, id est salvationem tuam in futuro. *Et* ut exspectatam consequerer, *dilexi mandata tua* nova. Hoc autem idem videtur esse quod superius dixit, *legem tuam dilexi*, sed ad aliud hic repetitum est. Non solum autem *dilexi mandata tua* nova, sed etiam *custodivit anima mea* intima dilectione *testimonia tua* vetera. Quod est dicere. Dilexi nova et vetera præcepta tua. *Et* non utcunque dilexit ea anima mea, sed *dilexit ea vehementer*, id est valde. Et non tantum *dilexi*, sed etiam *servavi*, id est opere complevi *mandata tua* nova, *et testimonia tua* vetera; et hoc quod ea *dilexi* et *servavi*, non ex me habui, sed inde *quia omnes viæ meæ*, id est omnes cogitationes et operationes meæ quibus incedo, sunt *in conspectu tuo*, id est in conspectu misericordiæ tuæ. Quod est 510 dicere : Consideratione

www.libtool.com.cn

misericordiæ tuæ, omnes vias meas disposuisti, vel sic : Dico *dilexi* et *servavi*, et de hoc non mentior, cum certus sim quod *omnes viæ meæ*, id est cogitationes et operationes sint *in conspectu tuo*. Ac si dicat : Cum constans mihi sit te vias meas omnes conspicere, stultissimum esset si mendaciter dicerem me omnia præcepta tua dilexisse et observasse. Vel sic : *Dilexi*, inquam, et *servavi mandata et testimonia tua*, quod inde comprobatur quia *omnes viæ meæ*, id est cogitationes et operationes meæ sunt *in conspectu tuo*, id est in beneplacentia tua. Quod est dicere : Cum nihil agam vel cogitem, nisi quod tibi beneplacitum est, procul dubio constat me mandata et testimonia tua dilexisse et observasse, adhuc diligere et observare.

TAU interpretatur *erravit*, sive *consummavit*. Competenter erga *Tau* versibus octonis hujus inscribitur clausulæ, in cujus fine fidelium massa ostendit, quod per Adam a patria erravit, occasione cujus erroris orat, ut appropinquet et intret meritis et orationibus suis ad patriam, a qua per Adam aberravit, ut autem *appropinquet* et *intret* orat dari sibi intellectum in justificationibus Domini, ut eructent labia ejus hymnum, et orat ab hac vita eripi. Ne vero videretur adhuc esse in errore peccati originalis, ostendit quod jam Deus eam in sanctitate sic consummavit ut mandata Dei elegerit, et salutare ejus concupierit, et in lege ejus meditetur. Cum igitur in sanctitate jam consummata sit, et adhuc tamen sit in ea, non error quidem, sed pœna erroris, mortalitas scilicet, et passibilitas, et peregrinatio a patria, orat ut eam misericordia Domini per manum suam perducat ad salvationem, scilicet ut, ad patriam reducta, vivat in æternum, quam vitam sibi ex confidentia promittit. Hoc autem totum ea intentione dicit, ut exemplo suo invitet eos qui in erroris hujus pæna adhuc sunt, ad patriam æternam suspirare, et de ejus reditu orare.

Appropinquet deprecatio mea, etc. Quod ita superiori clausulæ conjungitur. Dixi, Domine, quod *servavi mandata tua et testimonia tua* : ob quæ merita oro *appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo*, id est deprecatio mea *in conspectu tuo* habita, id est in beneplacentia tua me faciat appropinquare patriæ cœlesti in hac vita per contemplationem, et bonam operationem; his enim modis fit in hac vita ad eam appropinquatio. Appropinquare, inquam, me faciat deprecatio mea, dicens illa deprecatio : O Domine, *da mihi intellectum*, qui sit *juxta eloquium tuum*, id est juxta præceptum tuum. Quod est dicere : *Da mihi intellectum* præceptorum tuorum, ut sic ad patriam appropinquem. Non solum autem me hic faciat appropinquare *deprecatio mea*, sed insuper *intret postulatio mea in canspectv tuo*. Quod est dicere : Postulatio mea habita *in conspectu tuo*, id est in beneplacentia tua, *intret*, id est me intrare faciat in futuro ipsam putriam cœlestem. Magis autem est intrare quam appropinquare. Ilic quippe est per bonas cogitationes et opera bona appropinquare, in futuro vero ipsa rei experientia intrare. *Intret*, inquam, *postulatio mea* quæ talis est. *Eripe me*, Domine, ab hujus vitæ miseria per carnis resolutionem, et hoc fac *secundum eloquium tuum*, id est secundum promissum tuum. Promisisti enim per prophetam dicens : « Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de terris, et inducam in terram vestram (*Ezech.* XXXVI, 24). » Dixi : *Da mihi intellectum* præceptorum tuorum : ut ea me doceas. Et *cum docueris me justificationes tuas*, id est justa præcepta 511 tua, *labia mea* exteriora *eructabunt hymnum*, id est ex intima affectione cordis proferent tibi laudem, a similitudine illius, qui ex nimia saturitate exterius eructat. Quod est dicere : Tanta erit affectio interior quod labia non poterunt abstinere exterius ab hymno. Et non solummodo laudabo te, mecum agendo de te, sed etiam *pronuntiabit* aliis *lingua mea*, *eloquium tuum*, id est præceptum tuum. Et honestum quidem est ea pronuntiare, *quia omnia mandata tua* sunt *æquitas*, per emphasim, id est æquissima sunt. Et quis nollet æquitatem pronuntiare ?

Quoniam autem in hac pronuntiatione multa patiar ab infidelibus adversa, ne tunc deficiam, *manus tua*, id est exercitus tuus angelicus, qui destinatus est ad auxiliandum fidelibus, *fiat* mihi in auxilium, *ut salvet me*, id est sit mihi causa salvationis in futuro, qui si deficerem non salvarer. Leguntur quidem angeli martyribus multis, in passionis agone positis, ad auxilium venisse. Vel sic, *manus tua*, id est potentia misericordiæ tuæ *fiat* mihi hic in auxilium ne deficiam, *ut* in futuro *salvet me* salvatione æterna. Et dignum est, *quia mandata tua elegi* pronuntiare aliis; sed et quia *concupivi salutare tuum*, *Domine*, id est valde desideravi salvationem tuam futuram, *et* ut salutare tuum in futuro assequar, hic *lex tua meditatio mea est*, id est hic meditor legem præceptorum tuorum. *Concupivi*, inquam, *salutare tuum*, id est vitam æternam; et scio quod eam tandem adipiscar. *Vivet* videlicet *anima mea* æterna vita, *et* vivendo *laudabit te* sine fine, intensa dilectiode, *et* ad hoc ut vivam *adjuvabunt me judicia tua* justa, scilicet, cum nihil unquam judicaveris, nisi quod justum est; nec de me bene promerito injuste judicabis, sed me justo judicio vivificabis. Cum dicit *vivet anima*, aperte designat quod totus et in anima vivet et in corpore. Quia dixerat, *fiat manus tua ut salvet me*, et *vivet anima mea*, posset quæri unde tibi necesse est salvari, et vitam adipisci? Ad hoc ergo respondet sic : Ideo oravi tantopere, ut me salves reducendo ad patriam vitæ, quoniam a patria illa *erravi*, id est per errorem Adæ longe discessi, et errando perii, factus mortalis et passibilis, et incidendo inter hostes, videlicet inter dæmones et vitia, quæ me mortificare nituntur. *Erravi*, inquam, et perii *sicut ovis* aliqua *quæ* ab ovili aberravit, et incidendo inter lupos *periit*. Ut ergo reduci possim, cum erraverim, *quære* me *servum tuum*, Domine, reducendo ad patriam post mortem, qui jam me

www.libroeclesiastico.it

quæsivisti reducendo de infidelitate ad fidem, a similitudine boni pastoris dictum est qui ovem perditam quærit, et ad ovile reducit : Dignum est autem ut me quæras, *quia* licet primum per Adam a te erraverim, tamen postquam mihi vocato ad fidem mandata tua injunxisti, *mandata tua non sum oblitus*, ut Adam, sed ea, ut potui, dilexi et opere complevi.

IN PSALMUM CXIX.

Psalmi centesimi decimi noni titulus. *Canticum graduum*. Quod sic exponitur : Psalmus iste vocatur *canticum graduum*, id est jucundus tractatus graduum, scilicet, continens in se unum ex gradibus, per quos unusquisque fidelis ascendere debet ad canticum, id est ad cœlestem jucundissimam remunerationem. Et non ex tristitia debet ascendere, sed cum cantico, id est cum jucunda hilaritate. Dicitur autem psalmus iste *canticum graduum*, et cæteri quatuordecim qui sequuntur ideo, quia in eis quindecim gradus ostendentur, per quos fideles quique cum jucunditate spei et fidei cæterarumque virtutum ascendere debent ad Sancta sanctorum cœlestis Hierusalem, cum jam hic sint per fidem in Ecclesia positi. Quod nimirum in templo Salomonis est præsignatum, in quo quindecim gradus fuerunt, per quos ab exteriori templo semel in anno solus pontifex in Sancta sanctorum ascendebat. Dicitur etiam *canticum graduum*, 512 eo quod gradus isti non solum ad canticum futuræ remunerationis spectent, sed etiam ad præsentem remunerationem, Hic enim etiam suos ascendentes Deus remunerat, cum eos orantes exaudit, et in virtutibus et in bonis operibus augmentat. Bene vero pluraliter *graduum* ponit, ut plures innuat esse gradus. Hæc autem vox quæ est *gradus*, significat et gradus illos per quos fit ascensus, et illos per quos fit descensus, quamvis hic non sint accipiendi alii gradus, nisi per quos fit ad cœlestem Hierusalem ascensus.

Ubi vero nos habemus *graduum*, Græci habent *anabathmos;* quæ vox tantummodo significat *gradus ascensorios*. Congrue nimirum gradus isti quindenario numero clauduntur. Cum enim numerus iste constet ex septenario et octonario, per quindenarium qui gradibus his competit, datur intellipi quod per totam hanc vitam, quæ per septem dies volvitur assidue, his gradibus ad octavæ diei jucundam remunerationem nobis annitendum est. Sive per septenarium totum Testamentum Vetus accipitur, ut totum aperte designetur, eo quod in Veteri Testamento de observatione diei septimæ agatur. Sive per septenarium idcirco Testamentum Vetus intelligitur quoniam fuerit idem Testamentum a priori populo non causa cœlestium, sed causa mundanæ prosperitatis, adipiscendæ completum : quæ sane rerum mundanarum prosperitas, per septenarium denotatur, eo quod mundana vita hæc per dies septem volvitur. Per octonarium autem Testamentum Novum exprimitur, eo quod idem Testamentum per resurrectionem Domini, quæ die octava contigit, constitutum sit. Dicitur autem Dominus octava die surrexisse, quia cum prius in hac vita fuerit, quæ per dies septem volvitur, ad hanc iterum vitam habendam non surrexit, sed ad æternam, quæ in octava judicii die fidelibus dabitur. Seu etiam per octonarium idcirco Testamentum Novum designatur quoniam ipsum a fidelibus non contuitu temporalium, sed contuitu remunerationis octavæ diei observatur.

Cum igitur per horum duorum Testamentorum completionem gradus isti qui in his psalmis ostenduntur, ascendantur, competentur numero quindenario includuntur. Nam sine utriusque Testamenti completione, impossibile est his gradibus ad cœlestia sancta sanctorum ascendere. Sciendum quod in his omnibus quindecim psalmis graduum fidelesperfecti accipiuntur loqui : qui cum jam hos gradus ascenderint, de eisdem gradibus agunt; ut fideles qui nondum eos ascenderunt, ad ascendendum taliter invitent. Horum autem graduum primus de quo in præsenti psalmo agitur, talis est. Perfectorum collectio ostendit se ad Dominum clamasse, cum abhæreticis et a blasphemis tribularetur : et orasse ut darentur sibi sagittæ ad eos convincendos, et desolatorii carbones, ad eorum impugnationem evadendam. Quia autem dicit clamorem suum exauditum esse, non pertinet ad hunc primum gradum, sed ad secundum : sed ideo sic properat se esse exauditum, asserens, ut per hoc magis accendat auditores, ad clamandum ad Dominum ; ut et ipsi clamantes similiter exaudiri mereantur.

Ad Dominum cum tribularer, etc. Ac si dicat : Vos fideles quique cum tribulabimini *a labiis iniquis* blasphemorum, *et a lingua dolosa* hæreticorum, vos sibi conformare nitentium, clamate ad Dominum exemplo mei, ut inde vos eripiat. Ego namque *cum tribularer clamavi ad Dominum : et exaudivit me* clamantem. Ostendit autem pro qua tribulatione *clamavit*, cum sic addit : *Clamavi*, inquam, sic dicens : *Domine, libera animam meam*, etc. Ac si dicat : Cum potens sis ad liberandum, Dominus enim es, oro non liberari corpus a passionibus tribulationum, sed *libera animam meam a labiis iniquis* blasphemorum, *et a lingua dolosa* hæreticorum, ne ab ipsis in malam partem trajicitur. Ostendit quoque quomodo deliberaverat se liberari, ut innuat magnum fuisse periculum tribulationis, et per hoc instruat magis in hujusmodi 513 periculo positos orare. In magno quippe periculo non in parvo, deliberatio fieri solet. Hoc ergo sic dicit : Dico quod *clamavi*, dicens : *Domine, libera*, etc. Cæterum anteaquam clamaverim, ita mecum deliberavi mihimet, quasi personæ alii loquens. *Quid* armorum *detur tibi ad linguam dolosam* hæreticorum devincendam ? *Aut* si nihil armorum detur ad eos expugnandos, saltem *quid* munimenti *apponatur*, id est adjungatur tibi a Deo *ad linguam dolosam* evitandam, ne te valeat expugnare ? Dictum est a similitudine clypei vel loricæ, quæ sibi miles apponit ut per hæc a jaculis hostium munia-

www.libtool.com.cn

tur. Hoc autem tale est, ac si sic diceretur : Quæ arma possent a Domino mihi dari ad linguam dolosam expugnandam ? Aut si armis caruero, quæ poterunt mihi dari munitiones, ne a lingua dolosa conformer ? Notandum quia cum de lingua dolosa deliberationem faciat, et de labiis dolosis minime, datur intelligi magis esse periculosum agere contra dolositatem hæreticorum, qui rationem habere videntur, quam contra iniqua verba Deum aperte blasphemantium, qui nec in umbra rationis sunt. Ostendit autem quid poterit dari aut apponi, sic : Dico *quid detur, aut quid apponatur* ; hæc, scilicet dabuntur : *Sagittæ potentis* antonomastice, Christi, scilicet, *acutæ*, id est sententiæ verborum Domini Jesu omni penetrabiliores acumine, quæ sunt efficaces ad convincendos hæreticos. sicut *acutæ sagittæ* cum jaculantur a manu potentis, id est viri fortis, validæ sunt ad inimicum interficiendum.

Sagittæ, inquam *potentis*, Domini dabuntur, et hoc *cum carbonibus desolatoriis* apponendis. Quod est dicere : Sic sagittæ dabuntur quod etiam desolatorii carbones apponentur, quibus contra linguam dolosam sim munitus. Carbones desolatorios prophetas dicit et apostolos, qui omnes hæreses suis temporibus desolati sunt, sicut carbones ignis desolantur quælibet ædificia, ubi fuerint accensi, ideoque dicuntur desolatorii. Horum itaque prophetarum et apostolorum auctoritatibus contra hæreticos fideles illi muniuntur, qui tantæ peritiæ non sunt, ut contra eos rationibus agere sufficiant. Ostendit etiam nimiam anxietatem suæ tribulationis, sic : Dico quod *clamavi ad Dominum, cum tribularer*, et necesse quidem fuit clamare. Nam *heu mihi*, id est væ mihi, scilicet nimia miseria fuit mihi, ideo *quia incolatus meus prolongatus est*, id est peregrinatio mea nimis diuturna facta est; peregrinatio, scilicet hujus vitæ, in qua dum existo, a patria cœlesti exsulo. Notandum quod non ideo quæritur de prolongatione incolatus, ut jam velit corpore dissolvi, cum nondum ad perfectionem pervenerit, sed ideo quoniam anxiatur de cohabitatione pravorum, quod in sequentibus manifestum est sic : Et ideo dico *heu mihi!* esse in prolongatione incolatus, quia in hoc incolatu *habitavi* corporaliter *cum habitantibus Cedar*, id est tenebras, scilicet cum blasphemis et hæreticis qui manent in tenebris ignorantiæ. Determinat autem se queri non de incolatu corporis, sed animæ, cum addit sic, et habitando *cum habitantibus Cedar* corporaliter : antequam ad Dominum clamarem, *anima mea fuit incola*, id est peregrina et hoc *multum*, id est valde remota a cœlesti patria contemplanda, dum ab habitantibus Cedar sæpe fuerit inquietata. Et non solum ipsi cum quibus *habitavi* fuerunt habitantes Cedar, sed etiam odientes pacem fidei Ecclesiæ, nitentes eam multis hæresibus perturbare, et *cum his qui oderunt pacem* (hæreticis scilicet) eram habitans; et ideo *heu mihi* fuit. Dico quod *cum his qui oderunt pacem eram* habitans, ego dico existens *pacificus*, id est pacatus, diligens videlicet eorum salutem, et cupiens eos ad pacem Ecclesiæ reduci. Per hoc auditores instruit, cum inimicis pacis pacificos esse debere. Unde Prosper : Christianæ perfectionis est pacificum esse, etiam cum inimicis pacis, spe correctionis, non consensu malignitatis. Dico quod *pacificus* existebam, *et cum loquebar illis* pacate, illi 514 *impugnabant*, id est oppugnabant *me* verbis maledictis, et hoc *gratis*, id est sine causa, et sine ratione vel gratis, id est frustra, impotentes me devincere.

IN PSALMUM CXX.

Titulus centesimi vicesimi. *Canticum graduum*, hoc ut superius exponitur. Primo gradu ostenso, scilicet, hoc quod ad Dominum in tribulationem clamavit, orans sibi dari sagittas et desolatories carbones, secundum gradum in sequenti psalmo ostendit, scilicet se impetrasse quod oravit, habere videlicet notitiam Scripturarum, et auctoritatem apostolorum et prophetarum. Unde sibi per Dominum dicit esse venturum auxilium. Per hoc igitur invitat auditores ad clamandum, ut et ipsi clamantes impetrare mereantur. Orat etiam deinceps custodiri ne ulterius commoveatur, aut dormitet in fide, et ad certitudinem auditorum enuntiat esse quod orat.

Levavi oculos, etc. Ac si dicat : Prius *ad Dominum clamavi, cum tribularer*, orans mihi dari sagittas et carbones. Et his mihi ab illuminatione gratiæ divinæ concessis, cum prius oculos rationis depressos haberem ignorantia, *levavi* illos *oculos meos* interiores *in montes*, id est erexi eos attendendo in Scripturas prophetarum et apostolorum, qui propter dignitatis suæ eminentiam montes dicuntur. *Unde veniet auxilium mihi.* Ac si dicat : Vere in Scripturas oculi sunt levandi. Inde mihi auxilium continget, ut ipsarum rationibus, fidei convincam adversarios, et munitus contra eos existam. Ne vero videretur auxilium hoc solummodo a montibus esse, removet hoc sic : Et hoc *auxilium meum* quod a montibus *veniet*, *a Domino* tamen est, scilicet sic auxiliabor a montibus ut auxilium hoc *a Domino* principaliter contingat. *A Domino*, inquam, qui potens est ad adjuvandum, *qui fecit cœlum et terram*, id est et ipsos montes fecit qui fuerunt cœli, id est complutentes subditos, *et terram* fecit, id est subditos complutos. Hoc autem quod sequitur, scilicet *Non det*, etc., vel potest oratio esse de seipso ut ad secundam personam, ne commoveantur; vel de unoquoque auditore sic : Dico quod jam *oculos in montes levavi*, et ne ulterius ab illis montibus devies, et magis et magis oculos in montes leves, *non det pedem tuum* interiorem *in commotionem*, id est fidem quæ est pes per quem mens ad superiora tendit, non permittat commoveri a stabilitate Scripturarum, ut concidat in errorem. *Neque* etiam, quod minus est, *dormitet*, id est te dormitare permittat, scilicet in fide vacillare, et aliquo modo dubitare, ille *qui custodit te*, per inhabitantem gratiam Deus, scilicet a similitudine dormitantis, qui nec ex toto dormit, nec ex toto vigilat. Eodem autem modo et sequentia de

www.libtool.com.cn

seipso possunt legi, quasi ad tertiam personam. De auditore quidem unoquoque sic adaptatur ut sententia non mutetur : Dixi, o auditor, quod *levavi oculos in montes*. Ut vero et tu similiter leves, *non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te* : hoc ut in alia sententia exponitur. Ne vero videatur ex diffidentia orasse, enuntiat quod oravit sic : Oro *non det in commotionem pedem tuum*, etc. Et *ecce* in præsenti erit quod oro. *Non dormitabit neque dormiet*, id est non permittet te dormitare in fide, id est vacillare, neque dormire, id est ex toto commoveri in fide, ille *qui* per auxilium gratiæ *custodit* unumquemque qui est *Israel*, ne deficiat, Deus scilicet. Plus nimirum est dormire quam dormitare. Dico *non dormitabit neque dormiet*, sed ipse *Dominus* existens, ideoque potens ad custodiendum, *custodit te* cum perseverantia. *Dominus*, inquam, qui est *protectio tua*, qui te protegit auxilio gratiæ ne cedas impugnationi inimicorum.

Dominus, inquam, existens per regnum gratiæ suæ *super manum dexteræ tuæ*, id est super potentiam quæ causa erit dexteræ tuæ : super potentiam fidei, scilicet, quæ causa erit per quam ad dexteram Dei colloceris : quæ tua dicitur, eo quod illam tibi dari cupis, ut ad illam collocaberis, quod est dicere : Ipse existit super potentem 515 fidem tuam, id est dominatur fidei tuæ, bene regens eam, et augmentans, quæ per eum potens est et valida, per quam ad dexteram Dei Patris collocaberis. « Sine fide quippe impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » Vel existens *super manum*, et non super sinistram manum, sed *super manum dexteram tuam*, id est super bonam operationem, quæ per manum dexteram accipitur, cum per dexteram sæpe bona soleant denotari. Quod est dicere : *Dominus* non solum est *protectio tua*, ne inimicorum impugnationi cedas, sed ipse etiam dominatur, et bene regit bonam operationem tuam, ut eam magis augmentet de die in diem.

Dominus, inquam, *costodit te*, ideoque. *Sol* justitiæ, Christus, *non uret te per diem*, id est non offuscabit rationis tuæ nitidum acumen *per diem*, id est per nimiam claritatem divinitatis suæ, quæ dies rectissime dicitur, ad respectum humanitatis, quæ etiam nox dicitur eo quod longe minus splendida sit ad divinitatis comparationem. *Neque luna*, id est Christus, *uret te*, id est permittet uri te, scilicet, non permittet rationis tuæ acumen in excæcatione offuscari *per noctem*, id est per humanitatem suam, quod est dicere : Sic te *Dominus* et *custodit* et custodiet, ne permittat offuscari rationem tuam aliquo errore, in consideratione divinitatis, ut dicas eum alterum Deum esse a Patre, et minorem eo, ut Ariani voluerunt, neque in respectu humanitatis ut dicas eum non verum hominem fuisse, sed phantasticum corpus assumpsisse, ut Manichæi asserueruut. Quod dicit *non uret te per diem et noctem*, dictum est a similitudine illorum qui vel in die itinerantes a sole, vel in nocte a luna offuscantur, et cutis suæ nitorem amittunt, ideoque uri dicuntur. Ustorum enim est obfuscari. Luna quippe, etsi non calefaciat ut sol, talis tamen naturæ est, quod urit, id est cutem offuscat et nigrescere facit. Sol autem et luna Christus dicitur : sol quidem, secundum claritatem divinitatis; luna, secundum carmen, quæ ad modum lunæ decrescere potuit, per adversitatem et mortem, et crescere per sospitatis prosperitatem. Non solum autem *custodit te Dominus*, ne uraris *per diem* et *noctem*, sed et *Dominus*, ut universaliter dicam, *custodit te ab omni malo*, hæresum, ne erres de resurrectione mortuorum, de baptismate parvulorum, et de cæteris hæresibus. Quoniam autem indeterminate dixerat *ab omni malo*, ne intelligeretur quod de omni malo corporis custodiret eum, dat intelligere de quo malo dicat, cum optative addit sic : Dico quod *custodit te ab omni malo*, et hoc jugiter faciat, *custodiat*, scilicet *Dominus*, non dico corpus a tribulatione, sed *animam tuam* ab omni errore. Et sic quidem eam *custodiat*, scilicet *Dominus* per illuminationem gratiæ *custodiat introitum tuum*, id est fidem tuam, in quam jam introisti, vel quæ tibi est introitus ad omne bonum. Initium enim omnium virtutum est, *et custodiat exitum tuum*, id est finem tuum, ne quando de hac vita exibis, aliquo modo a fide dissentias. In exitu quippe multæ occultæ suggestiones et illicitæ a diabolo inferuntur. *Custodiat*, inquam, *introitum*, id est fidem ex hoc nunc, id est *ex* præsenti tempore incipiens, *et usque in sæculum* futurum perseverans.

IN PSALMUM CXXI.

Psalmi centesimi vicesimi primi titulus. *Canticum graduum*, hoc etiam ut superius exponitur. Postquam in fide confirmata est collectio perfectorum, per montes in quos oculos levavit. Quæ collectio quidem secundus gradus est, ostendit etiam in sequenti psalmo se tertium gradum ascendisse, scilicet spem per quam jam in cœlestibus conversatur, de qua spe se lætitiam asserit habuisse, ut magis auditores ad eamdem spem invitet. Ostendit quoque per spei suæ certitudinem plures suæ confessionis homines ad eamdem pacem cœlestem jam ascendisse, ad quam spe tendunt, quos orat ut rogent de pace illa; ut illis detur fidelibus qui adhuc in terra degunt.

516 *Lætatus sum*, etc. Ac si dicat : Per hoc quod *oculos in montes levavi*, ad hoc jam deveni quod *lætatus sum in his*, id est in consideratione horum *quæ dicta sunt mihi*, a Scripturis prophetarum et apostolorum, scilicet, dictum est quod nos fideles post mortem carnis *ibimus in domum Domini*, id est in cœlestem Hierusalem. *Lætatus sum*, inquam, quia *ibimus*. Non solum autem nunc spem habeo nos illuc ituros esse, sed etiam ex quo de hoc *lætatus sum*, *pedes nostri stantes erant*, id est affectiones spei nostræ jam erant firmiter habitantes, o *Hierusalem*, *in atriis tuis*, id est in amplitudine tua; quod est dicere : Ex quo lætatis sumus, spe jam in

www.libtool.com.cn

te habitavimus, quæ pro tui amplitudine atria habere diceris. Cum dicit singulariter : *Lætatus sum*, unam massam esse ostendit; cum dicit *pedes nostri*, plures esse personas ostendit eos qui hic loquuntur. Determinat autem de qua Hierusalem dicat, cum addit: *Hierusalem* dico *quæ* quotidie *ædificatur* adeo ex fidelibus de hoc mundo migrantibus, existens non revera civitas, sed *ut civitas*, scilicet dicta civitas per similitudinem, eo quod ex vivis lapidibus fiat, ut civitas ex lapidibus inanimatis. Ne vero intelligeretur hoc dictum esse de aliqua civitate quæ nunc ædificaretur et Hierusalem vocaretur, ad differentiam addit : Illa Hierusalem dico *cujus participatio* est *ejus*, quod est *in ipsum* tendens, id est in incommutabilitatem, scilicet quæ illo bono participat quod incommutabile est et æternum. Per hoc datur intelligi Hierusalem cælestis, cujus cives incommutabilis beatitudinis sunt participes. Ostendunt autem perfecti qui in hoc psalmo agunt omnes fideles prædecessores suos jam in domum Domini ivisse; unde certi sunt quod et ipsi ibunt sic : *Ibimus*, inquam, *in domum Domini*, et inde certi sumus. *Illuc enim* jam *ascenderunt* secundum animam, non secundum corpus, *tribus*. Cum dicit *tribus* dat intelligere homines, quia tribus hominum dicimus, non angelorum, ac si dicat : Inde certi sumus nos ascensuros esse, quia jam illuc generationes hominum *ascenderunt*.

Determinat autem quæ *tribus*, cum addit : *Tribus*, inquam, *Domini*, id est illi homines ascendent, qui regenerati fuerint in Domino ex aqua baptismatis et Spiritu sancto juxta illud : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » *Tribus*, inquam, *Domini ascenderunt*. Et hoc ut *testimonium Israel* asserit, id est ut Jacob patriarcha testificatus est in visione sua, qui vidit scalam, et eam angelos ascendentes et descendentes (*Gen.* XXVIII, 12). Quod quidem signum erat et rei præteritæ, et rei futuræ. Nam per descendentes, angeli maligni signabantur, qui per superbiam descenderunt; per ascendentes, sancti qui futuri sunt spiritales ut angeli, et ad reparandum casum illorum qui descenderunt sunt illuc ascensuri, et jam quidam ascenderunt. Vel sic : *Illuc ascenderunt tribus Domini* existentes *testimonium Israel*, id est testificantes suo ascensu illud idem quod testificatus est Israel visione, quod est dicere : Illud testificati sunt verum esse in sui ascensione, quod Israel testificatus est in visione. *Ascenderunt*, inquam, *tribus* ; et hoc *ad confitendum* laudem *nomini Domini*, id est ad laudandum Dominum ex consideratione magni nominis ejus, quod est Dominus, quod est dicere : Ad hoc ascenderunt ut perennis laude dilectionis Deum laudent. Inde quoque certi sumus quod *in domum Domini ibimus*, quia *illic* jam *sederunt sedes*, id est in domo illa jamdiu est quod quieverunt judices, qui accipiuntur per *sedes*, eo quod judicum est sedes habere, vel quia sedes Dei sunt, et determinat quando judices erunt, cum addit ; *In judicio sedes*, id est illæ sedes quæ cum nondum sint sedes, in judicio futuro sedes futuræ sunt, quod est dicere : Apostoli illuc jam ascenderunt, et ibi jamdiu quieverunt, qui futuri sunt judices in die judicii *super domum David*, id est super Ecclesiam, quæ spiritalis domus est Christi, veri David. 517 Juxta illud Dominicum : « Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 18). » *Domus David*, id est Christi dicuntur et boni fideles et mali, eo quod omnes eisdem spiritualibus sacramentis initiati sint.

Quia dictum erat *tribus*, et *sedes* in *domum Domini* ascendisse, orat illos qui jam *ascenderunt*, ut rogent pro eis qui adhuc ascensuri sunt, sic : Dico quod *sedes* et *tribus ascenderunt*. Et vos qui jam ascendistis, *rogate* nobis *ea quæ sunt ad pacem Hierusalem* cœlestis adipiscendam, scilicet rogate Deum ut det nobis qui sumus adhuc ascensuri ea per quæ veniamus ad æternam pacem cœlestis Hierusalem. Postquam eos qui jam ascenderunt invitavit ad rogandum de pace illa, ipsam et perfectorum collectio de pace illa orat, ut auditores orare instruat sic : Dicimus : *Rogate quæ ad pacem sunt*, *et* nosmet oramus ut *abundantia* sit tandem in futuro *diligentibus te*, o Hierusalem cœlestis, scilicet ut omnes hic adhuc degentes, qui abundantiam, quæ in te est, cupiunt adipisci, utpote diligentes te, abundantiam illam consequantur. Exponit autem de qua abundantia oret, cum addit : Dico *abundantia* sit *diligentibus* te, scilicet *fiat* illis *pax in virtute tua*, id est per virtutem tuam, scilicet detur illis *pax* æterna per Christum qui est virtus tua, faciens te fortem et inexpugnabilem, sic ut nullus hostium assultus tibi fieri queat. Vel sic : *Fiat* illis *pax* existendo *in virtute tua*, id est sic detur eis pax quæ in te est, ut etiam perseverent in dilectione divina, quæ dicitur per antonomasiam virtus tua, eo quod dignior sit omni virtute et durabilior. Cum enim omnes hic virtutes habeantur, in futuro sola charitas habebitur. Unde legitur : « Major autem est charitas (*I Cor.* XIII, 13), » et non parva pax fiat eis, sed *abundantia* pacis detur eis, quæ abundantia est jam *in turribus tuis*, scilicet tanta abundantia detur eis in futuro, quanta est in apostolis jam, qui dicuntur turres tuæ, vel propter sublimitatem meritorum suorum, vel quia munimentum fidelium sunt doctrina et patrocinia orationum suarum.

Ostensa lætitia et spe sua et oratione de pace facta, qua intentione hæc egerit ostendit sic : Dixi : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis*, *Hierusalem*, et oravi de pace tua, dicens : *Fiat pax*, etc. Et ego *de te* agens, o Hierusalem, *loquebar pacem*, id est annuntiabam pacem tuam, scilicet quotiescunque de te egi, annuntiavi aliis quanta sit pax tua. *Loquebar*, inquam, *pacem*, et hoc *propter fratres meos et proximos meos*, id est pro utilitate fratrum et proximorum meorum, ut ad hanc pacem tendant. Fratres vocat omnes fideles, eo quod omnes Dei filii adoptivi sint. *Proximos* autem dicit perfectos, qui eis in conformi-

www.libtool.com.cn

tale sunt proximi, quod ex alia translatione colligitur in qua habetur *amicos meos*. Quoniam autem possunt esse proximi in malo, ad determinandum quos *proximos* hic accipiat, addit sic, scilicet : *Loquebar pacem propter domum Domini Dei nostri* ædificandam, id est ad hoc ut magis et magis tendant fideles exemplo meæ locutionis ad pacem illam Hierusalem cœlestis, et sic ipsa ædificetur magis magisque, quæ Dei domus est, et sic : O domus Dei, Hierusalem, *quæsivi bona tibi*, id est acquisivi tibi bonos cives, de quibus ædificata gloriosior fias, et magis honorata.

IN PSALMUM CXXII

Psalmi centesimi vicesimi secundi titulus. *Canticum graduum*. Tertio gradu pertractato, scilicet certitudine spei suæ ad instructionem audientium ostensa, ad eorumdem instructionem quartum gradum se ostendit ascendisse, ad hoc, scilicet, ut jam rationis suæ oculos levet ad attendendum voluntates Domini, ut eas compleat, quod tandiu facit donec ei misereatur reducendo, in immortalitem et impassibilitatem, de qua etiam miseratione orat; unde sic dicit :

Ad te levavi oculos, etc., ac si dicat : O auditores, postquam lætati fueritis de hoc quod *ibimus in domum Domini*, levate interiores oculos rationis vestræ ad eum qui habitat 518 in cœlis. Et hoc facite exemplo meo. Postquam enim *lætatus sum*, *levavi oculos meos* interiores, oculos videlicet rationis, *ad te, qui habitas in cœlis*, id est qui dominaris in civibus cœlestis Hierusalem. Quod est dicere : Oculos rationis levavi attendendo voluntates tuas, ut eas complerem, qui depressi erant, dum ad voluntates meas complendas attendebam, et dignum erat ut ad te oculos levarem, cum tu sis ille qui in civibus cœlestis Hierusalem dominaris; ad quorum consortium non venirem, nisi oculos ad te levarem. Ostendit autem quod attente oculos ad Deum levaverit duplici similitudine, ut auditores magis ad hoc idem attrahat sic. *Levavi*, inquam, *ad te oculos*. Et ecce, o auditores, in promptu est quam attente ad Deum oculus levaverim, et adhuc levo, quia, *sicut oculi servorum* sunt positi *in manibus dominorum suorum*, attendentes in ipsas manus, ut quacumque hora dominus eis nutum fecerit, ipsi statim obediant; et, ut majus quid dicam : *Sicut oculi ancillæ*, quæ magis est subdita et ad obediendum parata, sunt positi *in manibus dominæ suæ*, attendentes ut ad solum nutum sequatur obedientia, *ita oculi nostri* interiores attenti sunt *ad Dominum Deum nostrum*, ut ei in omnibus ejus voluntatibus obediamus, duraturi in hac servitute *donec misereatur nostri*, in futuro reducens in immortalitatem et impassibilitatem, et de hac servitute eripiens. Orat autem pro hac miseratione sic : Dico *donec misereatur nostri*, et quia confido te miserturum, oro *miserere nostri*; in futuro tandem de servitute hac eripiens, et in perfectum statum nos reducens. *Miserere nostri*, bis ex nimio desiderio ponit. Dico *miserere nostri*, et necesse est hoc orare : *quia* hic *repleti sumus despectione*, per emphasim, id est adeo despectibiles sumus ut omni repleti despectione videamur. Et non solum ideo necesse est hoc orare quia in corpore sumus despecti, sed etiam, quod majus est, *quia multum repleta est anima nostra despectione*, visa *opprobrium*, id est digna opprobrio, *abundantibus* in terrenis divitiis, id est divitibus hujus sæculi, *et* visa *superbis*, id est eisdem abundantibus, qui de divitiis suis superbiunt, *despectio*, id est digna despectione, quod est dicere : Anima nostra despicitur et opprobrio digna esse judicatur a superbis divitibus hujus sæculi, dum stulta et insana dicitur, eo quod mundana spernat.

IN PSALMUM CXXIII.

Psalmi centesimi vicesimi tertii titulus. *Canticum graduum*. Quarto gradu de attentione voluntatum Dei ostenso, de quinto gradu agunt perfecti, scilicet ut cum propter attentionem suam tententur de ea attentione revocari, id est a detractoribus vel a blandis deceptoribus, et non possint; hanc constantiam non sibi, sed Domino ascribant, et hoc idem facere omnes illos qui Israel esse desiderant instruunt.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, etc.; ac si dicat : Cum ad Deum oculos attentos habuerim, et inde vellent me revocare detractores et blandi deceptores, et non possent, dixi hoc non ex me, sed ex Domino esse quod sic attentus eram. Qua de re exemplo mei quicunque jam oculos ad Deum levans est Israel, et tentatus fuit revocari frustra, non hoc sibi ascribat quod sic constans fuit, sed *Israel nunc*, id est indilate dicat et ore et mentis reputatione : *Nisi* ideo remansisset, *quia Dominus erat in nobis* secundum auxiliantem gratiam, *nisi quia Dominus erat in nobis*, inquam, *cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos*. Notandum quod hoc quod bis ponit *nisi quia Dominus erat in nobis*, vel ex nimia exsultatione et affectione facit, vel ad hoc ut singula singulis respondeant, sic : *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum homines* maligni *exsurgerent* in nos blandis verbis et deceptoriis, tentando nos ab attentione nostra revocare, *deglutissent nos*, id est incorporassent nos sibi vivos, id est scientes et prudentes in peccando. Et hoc fecissent forte, id est subito, et ex improviso, 519 ut non esset nobis potentia evadendi. Licet scientes deglutiremur, vel *forte*, id est sicut facti fuissemus absque ratione. Et *nisi quia Dominus erat in nobis, cum irasceretur furor eorum in nos*, id est cum detractores et maledici furentes irascerentur contra nos, et detractionibus et maledicis verbis, *aqua absorbuisset nos*, id est ipsi existentes similes aquæ diffluendo hac et illac per illicita, vel in hoc quod me nitebantur submergere, ut aqua, absorbuissent nos, id est incorporassent sibi; et hoc *forsitan*. Istud *forsitan* tale est quale superius *forte*. *Absorbuissent*, inquam, *nos, nisi quia Dominus erat in nobis*. Cæterum quia *in nobis* fuit *pertransivit*, id est evasit *anima nostra torrentem*, id est amara et

detractoria eorum verba ad similitudinem torrentis, cum impetu fluentia, ne nos revocare possent. Dico *pertransivit*, et hoc *forsitan* dico, id est timide pro magnitudine periculi in quo fui, et dubitans an in quolibet offenderim. Per hoc instruit auditores semper timidos esse de casu; ut « qui stat videat ne cadat (*I Cor.* x, 12). » « Beatus enim homo qui semper est pavidus (*Prov.* XXVIII, 14). »

Pertransivit, inquam, *anima nostra torrentem*, et utinam *anima nostra pertransisset*, sic ut in nullo offendisset, *aquam intolerabilem*, quantum ad fragilitatem nostram, non quantum ad auxilium gratiæ divinæ! *Aquam* et *torrentem* pro eodem habet. *Pertransivit*, inquam, *anima*, unde *benedictus*, id est magnificatus et laudatus sit *Dominus, qui non dedit nos dentibus eorum*, id est corrosionibus detractionum et maledictorum eorum *in captionem*, id est in incorporationem, scilicet non permisit ut nos incorporare sibi possent per detractiones et maledicta sua. Non solum autem *liberati sumus* a dentibus; sed etiam *anima nostra* existens cauta, *sicut passer*, qui cautus est ad laqueos evitandos, *erepta est de laqueo venantium*, id est de deceptoriis blanditiis mundanorum, per quas me sibi capere nitebantur et conformare, sicut venantes decepiunt laqueo feras aut volucres. Et non sic est *anima erepta* quod unquam illaqueata fuerit, sed ita quod *laqueus* ille *contribus est*, id est inefficax ad nos capiendos et illaqueandos, a similitudine contriti laquei, qui impotens est ad illaqueandum. *Et* quia *contritus est, nos liberati sumus* inde, ne posset nos decipere. Et hoc non fuit ex nobis, sed hoc *adjutorium nostrum* contigit *in nomine Domini*, id est per honorem *Domini*, scilicet, per misericordiam Domini; contuitu enim misericordiæ suæ ipse a fidelibus honoratur; ideoque honor ejus dicitur. Nomen vero pro honore positum sæpius invenitur, quod est dicere : Quia *liberati sumus*, per *adjutorium* misericordiæ Domini contigit, vel sic : *Adjutorium nostrum* contigit *in nomine Domini*, id est in occasione honoris Domini; scilicet ideo adjuti sumus, quia Dominum omni modo honorare sategimus. *Domini* dico *qui fecit cœlum et terram*, id est prælatos et subditos. Et quoniam adeo potens est quod *cœlum et terram fecit*, ad adjuvandum nos potens esse comprobatur.

IN PSALMUM CXXIV.

Psalmi centesimi vicesimi quarti titulus. *Canticum graduum*. Gradu quinto pertractato, hoc, scilicet ut omnem constantiam suam non sibi sed Domino ascriberent, de sexto agitur, scilicet postquam ad hoc constantiæ devenitur, ut revocari nequeant ab attentione; et hoc non sibi sed Domino ascribunt, debent etiam ad hoc ascendere ut in solo Domino confidant, omni sæculari confidentia postposita. Ad quam confidentiam perfecti qui hic agunt auditores invitant, ostendendo quid utilitatis ex hac confidentia contingat.

Qui confidunt in Domino, etc.; ac si dicat : Non solum *oculos meos ad* Deum *levavi*, et non solum dixi : *Nisi quia Dominus erat in nobis*, sed etiam altius ascendi, ut in solo Domino confidam, omni sæculari confidentia spreta. Ideoque vos quicunque Israel estis, et jam hos quinque gradus ascendistis, adhuc altius ascendite, ut in solo Domino confidatis, et hoc bono vestro facietis. Populus enim *qui confidit in Domino*, 520 et non in sæcularibus, *non commovebitur in æternum*, a proposito suo bono, neque per prosperitatem, neque per tribulationum adversitatem, *sicut mons Sion*, id est Christus, super quem montem Sion omnes existentes fundantur et ei innituntur, non potuit aliquo modo a stabilitate sua commoveri. Quod est dicere : Constans erit et immobilis, sicut Christus immobilis exstitit, non ut tantam habeat constantiam quantam Christus habuit, sed, inquantum possibile est, erit ei in constantia conformis. Determinat autem qui sit populus in Domino confidens, ne quis se temere judicet hanc confidentiam habere, cum ea careat, sic : Populus, inquam, qui confidit *non commovebitur*, et hanc esse confidentem affirmo *qui jam* spe et bonæ vitæ conversatione *habitat in Hierusalem* cœlesti. Unde dicit Apostolus : « Nostra conversatio in cœlis est (*Phil.* III, 20). » Et ideo populus confidens *non commovebitur*, quia *montes* sunt *in circuitu ejus*, id est apostoli et cæteri sancti, qui jam de hac vita discesserunt, dicti montes propter sanctitatis suæ sublimitatem, sunt *in circuitu ejus*, id est in munitione ejus, protegendo eum meritis et orationibus suis a læsionibus hostium visibilium et invisibilium, a similitudine patrocinantium militum, qui in circuitu cujuslibet existentes eum ab hostibus instantibus protegunt.

Et etiam *Dominus* est *in circuitu populi sui*, protegendo eum auxilio gratiæ suæ, *ex hoc nunc* incipiendo, et *usque in sæculum* perdurando, et vere *non commovebitur*, *quia*, etsi ad horam permittat Dominus peccatores justis dominari et eos flagellare, tamen *non relinquet* diu *Dominus virgam*, id est flagellationem vel dominationem *peccatorum super sortem*, id est super electionem *justorum*, id est super justos electos ad salvationem, ideo *ut* ipsi *justi non extendant manus suas*, id est non promoveant affectiones suas *ad iniquitatem*; ac si dicat : Si ultra modum patiendi permitteret Deus peccatores justis dominari, et eos tribulationibus affligere, utique commoverentur, et ad iniquitatem promoverentur. Ut ergo non solummodo non male operentur, sed nec etiam eorum affectiones ad iniquitatem extendantur, contemperat Deus tribulationes ad modum patientiæ ipsorum, ut non permittat ipsos peccatores eis ultra modum dominari, et tribulationibus eos affligere. Unde Apostolus : « Non patietur vos tentari supra id quod potestis (*I Cor.* x, 13). » Orat autem de hoc quod enuntiavit, sic : Dixi, o Domine, quod non relinques *virgam peccatorum super* electos justos, et ita sit, *o Domine, benefac bonis et rectis corde*, auferendo ab eis virgam peccatorum. Bonos vocat bene operantes, rectos corde vero, eos qui cum bene

www.libtool.com.cn

operari nequeant, saltem bene operandi voluntatem habent. Sortem pro electione ponit, eo quod forte fiat electio; virgam vero, pro flagellatione, quia in ea flagelletur, sive per virgam sceptrum accipimus; per sceptrum autem, regnum, eo quod regni sit signum. Quod ex Hebraica translatione colligitur, ubi habetur *sceptrum*. Ostendit autem damnationem illorum qui a bono proposito commovebuntur, ut per hoc ab hujusmodi re deterreat auditores, sic: Dico quod *non relinquet Dominus virgam peccatorum*, diu *super* electos justos; sed ab eis cito auferet ipsam virgam. *Declinantes autem*, id est deflectentes se a justitia sua, *in obligationes*, id est iniquitatem, quæ est eis obligatio et catena ad mortem, *adducet Dominus* in futuro in damnationem justo judicio suo, *cum operantibus iniquitatem*, id est cum illis qui eos, faciunt declinare. Ideoque per antonomasiam dicuntur operantes iniquitatem, quod est dicere: In eamdem damnationem adducentur, in quam et iniqui, quibus conformantur. Unde propheta: « Si averterit se justus a justitia sua, nunquid vivet? (*Ezec.* XVIII, 24.) » *Dominus*, inquam, *adducet declinantes* ad damnationem. *Dominus* dico qui erit *Israel pax* æterna, *pax* dico existens *super* ipsum *Israel*, cui, scilicet Israel gratuita dilectione subjicietur, et sine fine confitebitur.

IN PSALMUM CXXV.

Psalmi centesimi vicesimi quinti titulus. *Canticum graduum*. Ostensa confidentia, quæ sextus gradus est, agunt quoque de septimo 521 gradu perfecti, scilicet quod ad hoc jam devenerunt ut de captivitate conversi sint in libertatem, per quam consolati sunt et lætitia repleti et magnificati. De qua etiam orant ut magis et magis eam assequantur, cum in ea semper crescere possint. Per hoc autem exemplum auditoribus dant, ut ad hanc libertatem magis magisque tendant. Captivitatem vero dicimus quando fideles Deo timore pœnæ et ex auctoritate jubentis Domini serviunt. Qui quidem non servirent, nisi pœnam ab eis peccantibus removendam certi essent, et auctoritas jubentis non esset, a similitudine servorum et captivorum, qui potius serviunt timore et auctoritate jubentis domini quam amore. Hujusmodi vero captivitas ex dilatione in libertatem convertitur, cum fideles tanta sunt erga Deum charitate succensi, ut non jam ex timore, sed ex sola serviant dilectione et sine aliqua difficultate; qui nihilominus servirent si nullam pœnam de peccatis imminere cognoscerent, a similitudine liberorum, qui serviunt spontanei non aliqua necessitate coacti.

In convertendo Dominus, etc. Hunc nimirum versum cum quodam ordine incipiat, hoc ordine omisso alio ordine finit. Cum enim principium sic ponat: *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, et post deberet addere factus est magnificatus, vel, factus est gloriosus, vel aliquid tale, quod priori positioni conveniret, hoc positionis ordine dimisso, ponit aliam positionem quæ priori cohærere non videtur; ponit enim *facti sumus sicut consolati*. Idcirco vero istud facere videtur, ut innuat quia hoc quod incœperat et dimitit, ex hoc quod in sequentibus ponitur, evidens est et manifestum. Quod etiam, ob hoc dimittit quoniam non attinet ad suæ propositum intentionis. Est autem constructus hujus versus æque valens ac si talis constructio poneretur: O vos qui jam ad confidentiæ gradum ascenditis, exemplo nostro ad hoc pertingere nitimini, ut captivitas vestra in libertatem convertantur, et sic fiatis consolati et læti sicut et nos. Nam *in convertendo Dominus captivitatem*, nostram, id est cum Dominus misericorditer convertit captivitatem nostram in libertatem, per ipsam libertatem *facti sumus sicut consolati*. Consolationem dicit ipsam tristitiæ remotionem qua desolantur; cum timore pœnæ servirent, sæpe nempe tunc pro servitii gravitate tristitia urgebantur. Idcirco ponit non *consolati*, sed *sicut consolati*, quia hæc consolatio dicenda est, sicut consolatio, id est umbra consolationis, ad comparationem consolationis futuræ, quæ dignior erit. Cum dicit *in convertendo*, illud insinuare videtur quod non longe post conversionem, sed mox ipsa conversione facta est consolatio.

Tunc autem in hac scilicet conversione, *repletum est gaudio os nostrum* interius, mens scilicet qua cum Deo ore ad os loquimur. Et non solum interius, sed *et lingua nostra* exterior: per emphasim dico, repleta est *exsultatione*, id est verbis exsultantibus, quibus Deum assidue laudamus de nostra conversione. Cum autem captivitas nostra conversa sit, et nos *facti sumus consolati*, et *gaudio et exsultatione* repleti, *tunc dicent inter gentes*, id est ideo continget quia quidam inter gentes existentes, id est quidam ex incredulis gentiliter viventibus, magnificationem nostram considerantes, adinvicem dicent: Vere *Dominus magnificavit cum eis facere* suum, id est cum prius in eis operatus esset obedientiam, illam scilicet obedientiam, quæ est facere suum, id est opus suum, quam cum eis operatus est, scilicet quam ipsi per liberum arbitrium operati sunt, et Deus cum eis per adjuvantem gratiam operantur; *magnificavit*, id est magnificam et mirabilem fecit. Ita videlicet ut cum ex timore obedissent prius, nunc ex solo serviant et obediant amore. Istud *tunc* quod initio hujus versus est positum causativum est, idem valens ac si *ideo* poneretur. Positis verbis ipsarum gentium, quæ de ipsorum facient magnificatione, ipsarum verba ex nimia lætitia ad Dei laudem concedunt sic: Quidam, inquam, inter gentes dicent: *Magnificavit Dominus facere* suum *cum eis*, et verum dicent: *Magnificavit* 522 namque *Dominus facere* suum *nobiscum*, et ideo *facti sumus lætantes*, et exterius in lingua, et interius in ore. Ut autem magis magisque lætemur, oramus, *converte Domine*, secundum intentionem, *captivitatem nostram* in libertatem, scilicet cum jam sit conversa, ut jam libertatis amore obediamus, intentius *converte* ut magis libertatis amore obediamus, vel *converte* secundum perseverantiam.

www.libtool.com.cn

Converte, inquam, *captivitatem* in libertatem, quæ sit *sicut torrens in austro*, id est in tempore austri. Sicut enim austro stante, qui nivem et glaciem resolvit, torrens quilibet ex ipsa nivium et glaciei resolutione crescit, et sit cum impetu fluens omnia obstantia propellit, sic et libera obedientia nostra per Spiritum sanctum crescens, qui omne vitiorum gelu dissolvit et in nobis charitatis fervorem accendit, ad Hierusalem cœlestem cum bonorum operum impetu tendit et omnia sæcularium voluptatum impedimenta propellit. Spiritus autem sanctus auster congrue potest dici, eo quod corda, vitiorum gelu obdurata, sæpius ardore charitatis accendit. Unde in Canticis : « Surge, aquilo ; et veni, auster (*Cant.* IV, 16), » etc. Quoniam de intentione conversionis captivitatis in libertatem oraverat posset dici : Quare optas hujusmodi libertatem, quæ nec etiam dicenda est libertas, cum plures, in hac obedientiæ libertate positos, tot oporteat tribulationes pati ? Ad quod sic addit : Bene hoc opto. Si enim pro hujusmodi obedientia tribulationes occurrerint, non est ab obediedientia desistendum, sed eo amplius in ipsis tribulationibus sunt bonæ obedientiæ opera seminanda. *Qui* hic enim *seminant* bona opera *in lacrymis*, id est in tribulationibus, quæ lacrymæ dicuntur eo quod tribulationum causæ sunt, *in* futuro *metent* beatitudinis æternæ remunerationem, et hoc *cum exsultatione*, a similitudine ruricolarum, qui cum labore seminant quod cum gaudio metunt, et ideo quoque in tribulationibus opera bona seminanda sunt, ut cum gaudio in futuro metantur, quoniam sancti Patres, nostri prædecessores, *euntes* hic ad mortem *ibant et flebant*, id est ibant ad mortem cum fletu, scilicet passione tribulationum, quæ per fletum accipiuntur, eo quod fletus causæ sunt. *Ibant*, inquam, cum fletu, *mittentes* tamen *semina sua*, id est opera bona. *Venientes autem* ad patriam cœlestem, et secundum corpus et secundum animam in resurrectione, qui fuerunt in tristitia tribulationum, *venient cum exsultatione* perpetua, *portantes manipulos*, id est habentes maximum pondus æternæ gloriæ, quod innuitur per hoc quod dicit *portantes*. De magna nempe re, consuevimus dicere portare. Dictum est autem a similitudine cultoris, qui in tempore messis cum exsultatione maxima seminum suorum manipulos portat. Unde Dominus in Evangelio dicit : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 10).

IN PSALMUM CXXVI.

Psalmi centesimi vicesimi sexti titulus. *Canticum graduum Salomonis*. Quod est dicere : Psalmus iste est *canticum graduum* hoc, ut superius exponitur. *Canticum* dico commonitorium *Salomonis*, id est mittens nos ad Salomonem, filium David, regem Israel. Adhortatur namque nos sui evidentia, ut, postquam ad libertatem ascenderimus, ne tunc postea nos non posse ulterius cadere confidamus, et sic insolescendo cadamus; illud semper habentes pre oculis mentis, quod si Salomon, qui tantus vir et tam sapiens et etiam propheta exstitit, in idololatriam cecidit, multo magis nos longe minores possibile est cadere. Et sic semper de casu solliciti simus, et in humilitate persistamus, illud pro certo reputantes quod semper ad casum proni sumus, sed quod stamus, Domino custodiente stamus. Hæc autem cadendi sollicitudo, in humilitate octavus gradus est. Est autem in hoc psalmo vox eorumdem perfectorum, qui in superioribus gradibus agunt, ostendentium ad generandam in nobis sollicitudinem, quod sicut aliquis Dei domus nequit effici, nisi Deo ædificante, nisi Deo custodiente, ita postquam ædificatus est, stare nequit.

523 *Nisi Dominus custodierit*; etc. Versus iste primus ad probationem sequentis præmissus est. Unde palam est, consequens versus primo loco sic exponendus est : Dicunt perfecti, qui hic agunt, auditoribus : O vos fideles, quorum jam captivitas in libertatem conversa est, semper de casu solliciti estote, illud reputantes, quod, per vestri custodiam, impotentes estis ad standum. *Nisi* enim *Dominus* per gratiam *custodierit civitatem*, id est unumquemque perfectum fidelem, qui Dei civitas dicitur, eo quod abundat multiplici copia virtutum, sicut civitas frequentia civium : *frustra*, id est inutiliter, *vigilat*, id est vigili ratione nititur, *qui custodit eam*, id est quicunque putat eam a casu custodire, sive sit aliquis prælatus, ad quem pertinet invigilare custodiæ subditorum, sive sit ipsa eadem civitas. Inde vero certum est quia, nisi Domino custodiente non potest civitas custodiri, quoniam imprimis *nisi Dominus ædificaverit domum*, id est nisi Dominus per fidem et peccatorum remissionem et virtutes ædificaverit unumquemque fidelem domum, in qua ipse spiritaliter inhabitaret, *in vanum laboraverunt* prædicatores prædicando, *qui* adhuc jugiter *ædificant eam*, jam in magna parte ædificatam. Et etiam ipsimet qui domus sunt, nunc *in vanum laboraverunt* bono operi vacando, qui se adhuc jugiter per liberum arbitrium et opus bonum Deo domum ædificant. Quod est dicere : Non potuit domus ædificari nisi Domino ædificante.

Quoniam igitur, o auditores, licet civitas sitis, adeo tamen debiles estis ut non possitis stare nisi Domino custodiente (semper enim hic proni estis ad casum), *vanum est vobis ante lucem*, id est ante aliam vitam, quæ dicitur lux per antonomasiam eo quod in ea perfecta erit illuminatio, *surgere* in confidentiam non cadendi. De sollicitudine cadendi in qua debetis hic semper humiliari ; sed *postquam sederitis*, id est postquam in hac vita finietur sessio vestra, id est humiliatio vestra : humiliati enim estis hic mortalitate et passibilitate, quæ adhuc sunt pœna peccati, post finem, inquam, sessionis, postquam ad exaltationem immortalitatis et impassibilitatis venietis, tunc tandem *surgite* de sollicitudine ad confidentiam. Tunc enim dono gratiæ divinæ sic confirmabimini et ulterius cadere non possitis. Sessio pro

humilatione ponitur, eo quod sedentes humiles et imi sunt corpore, quantum ad corporis habitudinem. Vos, inquam, *postquam sederitis, surgite, qui* hic *manducatis panem doloris*, id est qui hic reficimini dolore jugiter ut pane, scilicet quibus jucunda refectio est dolore hic de peccatis jugiter, sicut panis jucunda refectio est et assidua. Unde Dominus: « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* v, 21). » Determinat autem quando surgent, sic : *Surgite*, inquam, *postquam sederitis*. Tunc autem illud erit quod surgetis, *cum Dominus dederit* omnibus *dilectis suis somnum*, id est requiem æternam, quæ per somnum accipitur, eo quod homines in tempore somni quiescunt. Ne vero requies illa nimis videretur esse differenda, ad consolationem exspectantium addit sic : Dabit, inquam *dilectis suis somnum*, id est requiem. Quæ requies non diu differetur, sed *ecce* post breve tempus dabitur *hæreditas Domini*, id est indilate dabit Dominus perseverantibus requiem illam hæreditario jure possidendam. Unde in Apocalypsi : « Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum [conservorum] vestrorum (*Apoc.* vi, 11). » Illud nempe recte breve, et modicum judicatur, quod quandoque fine claudendum est.

Determinat vero de quo Domino dicat, sic : *Ecce*, inquam, *hæreditas Domini*, scilicet ecce *merces filii*, antonomastice, id est ecce hæreditas illa quæ erit merces, quam Dominus Filius daturus est legitime certantibus, vel quæ hæreditas est merces Filii, scilicet quam ipse Filius hæreditario jure jam possidet. Determinat quoque de quo filio dicat, sic : Filii dico, *fructus ventris* virginalis existentis, scilicet qui filius, de beatissimæ Mariæ virginali ventre progrediens, ipsius Virginis et totius generis humani *fructus*, id est utilitas exstitit. 524 Quod sane mulier illa cognovit, quæ extollens vocem de turba : « Beatus, inquit, venter qui te portavit (*Luc.* xi, 27). » Fructum quippe illud quod utile est vocare consuevimus.

Quoniam autem fideles jam in libertatem conversos humiliaverat, dicendo : *Nisi Dominus custodierit*, et *vanum est vobis*, etc., ne viles ideo viderentur, eos etiam commendare intendit sic : Quamvis dixerim *vanum* esse *surgere ante lucem*, fideles illos quorum captivitas conversa est jam in libertatem, tamen non idcirco viles esse judicentur.

Nam sicut sagittæ in manu potentis, id est in manu robusti sagittarii efficaces sunt ad interficiendum; *ita filii excussorum*; id est fideles isti existentes filii apostolorum validi sunt ad perimendum malos prædicatione sua, in hoc quod mali sunt. Excussores quippe apostoli congrue dicuntur, eo quod prædicatione sua fideles ex ore diaboli lupi rapacissimi et a massa perditorum excusserunt, a similitudine militum strenuorum, qui, per violentiam, prædam ab hostibus excutiunt et a similitudine messorum, qui vulgo dicuntur excussores, eo quod grana a paleis verberibus excutiant. Non solum autem fideles jam liberi facti, validi esse comprobantur, quia *filii excussorum* sunt, sed per hoc quoque quoniam cum ipsi sint *filii excussorum*, *beatus vir* ille et hic et in futuro, *qui implebit* opere *desiderium suum ex ipsis*, per exemplum et doctrinam acceptum, *desiderium*, scilicet bene operandi. Cum enim virum hunc per eos constet esse beatum, procul dubio præcipue palam est illos esse beatos. In hoc autem apparebit vir ille beatus, quia *non confundetur*, id est non erubescet superatus, *cum* disputando *loquetur inimicis suis*, infidelibus et hæreticis, *in porta*, id est in manifesto. Quod sane per hanc positionem intelligitur, quæ est *in porta*, eo quod in portis civitatum manifesta judicia cives facere consueverunt, vel sic : *Cum loquetur inimicis suis* disputando *in porta*, id est sicut non sint inimici extra portam, sed ut sint *in porta*, id est in fide quæ porta est et ingressus ad cæteras virtutes.

IN PSALMUM CXXVII.

Titulus centesimi vicesimi septimi. *Canticum graduum*. Ostenso hoc, quod, nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam, unde sollicitudo cadendi oriri debet, quæ octavus gradus est, de nono gradu in sequenti psalmo perfecti agunt, qui talis est, timere scilicet Dominum casto timore, id est eum diligere sic, ut timendo in viis ejus ambuletur. Qui nimirum timor ea consideratione habendus est, quod nullus stare potest, nisi Domino custodiente. Ad quem timoris gradum, perfecti qui in hoc psalmo agunt auditores invitant; ostendendo et hic et in futuro beatos esse illos qui timent Dominum. Notandum autem quod etsi in aliquo aliorum graduum superiorum castus timor accipi potuit, in hoc tamen differt, quoniam hic timor ille accipitur, qui ea habetur consideratione quod nullus potest stare nisi Domino custodiente.

Beati omnes, et hic et in futuro, *qui timent Dominum*; ac si dicat : Quandoquidem, ut in priori psalmo dictum est, nullus potest stare nisi Domino custodiente, vos, qui jam ad hoc ascendistis, ut cognoscatis nullum posse stare aliter, hac consideratione timete Dominum casto timore, id est diligite eum. *Beati* enim *omnes* et hic et in futuro *qui timent Dominum*, et illi, inquam, *qui* sic eum timent, quod existentes *in viis ejus*, id est in præceptis ejus quæ sunt viæ ad vitam, *ambulant*, id est promoventur in ipsas vias, complendo eas perseveranter. Facit autem apostropham ad quemlibet ipsorum auditorum, ut magis eum incitet ad hunc timorem, ostendendo quæ utilitas in futuro et hic ex isto timore continget. Dico quod *beati omnes qui timent Dominum*. Et ecce quam beatitudinem in futuro et hic habebis tu quicunque, si eum timueris. Vere hic *beatus es* jam spe, et in futuro *bene tibi erit*, id est beatus eris ipsa rei experientia. *Beatus es*, inquam, hic jam spe, *et bene tibi erit* 525 in futuro, quia *manducabis labores manuum tuarum*, id est reficieris spiritaliter laboribus *manuum tuarum*, id est æterna beatitudine, quam acquires laboribus bonorum

operum tuorum, a similitudine strenui laboratoris, qui, manibus in æstate laborando, acquirit unde in hieme pascatur. *Beatus* es etiam in præsenti, quoniam *uxor tua*, id est sensualitas tua, quæ subdita erit rationi, ut *uxor* viro, ideoque uxor dicitur, erit *abundans* bonis operibus, *sicut* est *vitis abundans* recemis. *Uxor*, inquam, *tua* erit *abundans*, et hoc *in lateribus domus tuæ*, id est in officio laterum domus tuæ, in officio membrorum scilicet, quæ dicuntur latera corporis, quod est domus animæ, eo quod exteriores partes corporis sunt, et ipsum corpus ambientes, sicut latera domus exteriora sunt domus, partes et ipsam domum ambientes. Membrorum nempe officio sensualitas opera bona fructificat, a similitudine vitis, quæ in aprico laterum domus existens, magis fructifera est.

Notandum autem quod, dum rationalitati sensualitas subjicitur, utraque in quiete est; prævalente vero sensualitate, utraque de quiete sua expellitur : quod præmonstratum est in Adam et Eva uxore ejus. Dum Adam Evæ prævaluit, uterque in paradiso mansit; cæterum, postea Adæ Eva prævalente, de paradiso expulsus est uterque. *Uxor*, inquam, erit *abundans* filiis, id est operibus bonis, et *filii tui* qui de uxore illa generabuntur, bona opera scilicet erunt, sicut *novellæ olivarum*, id est similes novellæ olivæ. Sicut enim novella olivarum, quæ parva est, paulatim in adultam olivam excrescit, ita et bona opera, in pace concordiæ ecclesiasticæ facta, paulatim per hanc pacem excrescent, donec ad illam pacem perfectam æternæ patriæ pertingere fideles faciant. Per olivam nimirum congrue pax accipitur, eo quod oliva signum pacis sit. *Filii*, inquam, *tui* existentes *in circuitu mensæ tuæ*, id est in circuitu Christi, qui mensa tua est, id est refectio tua spiritalis. Quod est dicere: Illos filios tuos dico comparabiles esse novellæ olivæ, qui *in circuitu* Christi sunt, id est ad Christum intendentes, et ad ejus honorem procreati. Et est dictum a similitudine filiorum, in circuitu paternæ mensæ existentium, ut inde alantur. Dixi quod ille qui timet Dominum labores manuum suarum in futuro manducabit, et hic *uxor* ejus erit *abundans sicut vitis*, *et filii* ejus *sicut novella olivarum*. *Ecce* igitur *sic*, sicut in præsenti ostensum est, *benedicetur*, id est beatificabitur *homo* ille *qui timet Dominum* casto timore. Quare, o tu quicunque auditor, time Dominum. Quod si feceris, *benedicat tibi Dominus*, id est exaltet te beatitudine. Et hoc contingat *ex Sion*, id est ex hoc quod tu eris Sion, speculans futura, non attendens præsentia. Et hoc quidem modo benedicat te, quod hic *videas* visu mentis *omnibus diebus vitæ tuæ bona Hierusalem* cœlestis, id est bona similia bonis Hierusalem, ut videlicet a vitiis quiescas, Dei dilectione exardescas, ad similitudinem civium Hierusalem, et si non adeo perfecte. Unde Prosper: Est in hac vita multis requies data sanctis. *Videas* hic, inquam, *bona Hierusalem*. *Et* in futuro videas ipsa rei experientia *filios filiorum tuorum*, id est filios generandos a filiis tuis, scilicet remunerationem bonorum æternorum, quæ dicuntur filii filiorum, id est operum bonorum, eo quod ab ipsis procedent, ut filii a patribus. Exponit autem, quid dicat filios filiorum, sic : Videbis, inquam, *filios filiorum*, scilicet, *pacem* æternam dandam *super Israel*, id est dandam a superiori dispositione Dei, illis qui hic sunt Israel; quam pluraliter voco filios, cum sit una propter plures eam participaturos.

www.libtool.com.cn

IN PSALMUM CXXVIII.

Titulus centesimi vicesimi octavi. *Canticum graduum*. Postquam ad timorem, qui nonus gradus est, auditores perfecti invitaverunt, quia timor iste otiosus esse non potest, sed timorem hunc bona operatio comitatur; quæ quidem beata merces est
526 hujus timoris, quæ a Domino, ut in præcedenti psalmo ostensum est, timentibus multiplicatur, et pro hac sane bona operatione et timore, sæpius ab infidelibus aut a falsis fidelibus tribulationes corporis suboriuntur : adhortantur perfecti in hoc psalmo agentes auditores ad constantiam insuperabilem, ne deficiant in his tribulationibus; quæ constantia quidem decimus gradus est, sed usque adeo in timore casto et opere bono constantes sint ut exemplo ipsorum perfectorum veraciter dicere possint :

Sæpe expugnaverunt me, etc., ac si dicant : Adhortati sumus fideles quosque ad timorem, et ad ambulandum bene operando in viis Domini. Cæterum, quoniam hujus rei occasione tribulationum impugnationes a peccatoribus orientur, adhortamur quoque fidelem quemque, qui, postquam ad hoc timoris et bonæ operationis ascenderit, Israel fit, ne in istis impugnationibus deficiat; sed adeo constans sit quod nunc, id est statim indilate veraciter ad Dei laudem et gratiarum actionem dicat, postquam superari non poterit : *Sæpe expugnaverunt*, id est impugnaverunt *me*. Non ponit autem qui sint impugnatores; constat enim bonos non a bonis, sed a malis solummodo impugnari. Impugnaverunt, inquam, *me*. Et hoc contigit *a juventute mea*, id est ideo *me* impugnaverunt quia veterem hominem cum actibus suis exueram, et novum hominem, qui secundum Deum creatus est cum actibus ejus induendo, per ipsius novi hominis timorem et bonam operationem juvenis factus fueram. Vel *a juventute*, id est a tempore juventutis, scilicet a tempore fortitudinis meæ adeptæ per timorem et cæteros gradus superiores, quæ per juventutem accipitur, eo quod in juvenibus inest fortitudo præcipua. Facit autem apostropham ex gratulatione nimia, et ut addat sic : *Sæpe*, inquam, *expugnaverunt me a juventute mea*; et ideo sæpe, *etenim non potuerunt mihi* imprimis prævalere. Hoc autem totum est ac si diceret : Sæpe impugnaverunt *me a juventute mea*, et nullo modo potuerunt mihi prævalere. Exponit autem qui impugnaverunt et quomodo impugnaverunt, et quid per impugnationem effecerunt, sic :

www.libtool.com.cn

Impugnaverunt, inquam, et hoc modo quidem videlicet, *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, antonomastice. Per dorsum datur intelligi, quoniam et super cætera membra fabricaverunt. Cum ponit *supra dorsum fabricaverunt*, denotat vehementiam flagellationum; quod ita, scilicet jugiter et vehementer ejus flagellationi vacaverunt, sicut fabricatores qui vehementer et assidue incudem malleis in fabricatione contendunt. Denotat quoque, per dorsum, quod pars est corporis, quod eum solum in corpore impugnaverunt; et qui aliquid in ipsa impugnatione effecerunt, a similitudine fabricantium, qui aliquid fabricando efficiunt.

Ostendit ergo quid per impugnationem effecerunt, addendo sic : *Fabricaverunt*, inquam, *supra dorsum meum*, et fabricando *prolongaverunt iniquitatem suam*, scilicet cum eorum iniquitas magna esset, quando solam habebant impugnandi voluntatem, cum jam flagellando *supra dorsum meum fabricaverunt*, tunc *iniquitatem suam prolongaverunt*, id est majorem fecerunt. Pejus enim est male facere quam tamtum male velle. Est autem positum a similitudine ferri, vel cujuslibet æris, quod fabricando prolongatur et extenditur. Cum dicit *iniquitatem* persecutorum prolongatam, ex opposito docet sui ipsius patientis justitiam per eamdem fabricationem prolongatam. Quoniam ergo *fabricaverunt et prolongaverunt*, *Dominus* qui, cum sit Dominus omnipotens est *et justus*, et ideo justitiam facere debet, in futuro *concidet cervices peccatorum*, id est concidet et in æternum destruet ipsos peccatores propter *cervices*, id est propter cervicositates eorum, scilicet propter superbias quæ per cervices intelliguntur, eo quod in cervicum elevatione denotantur. Ne vero peccatores concidantur, *confundantur* bona erubescentia de superba 527 actione sua, *et* sic *convertatur retrorsum* post nos, ut imitatores nostri fiant *omnes* illi peccatores *qui oderunt Sion*, id est qui non ex merito, sed ex odio persecuti sunt nos existentes Sion. Quia si converti noluerint, concedo de eis quod justum est, scilicet *fiant* justo judicio Dei aridi ab omni virtute ante quam de hac vita evellantur. Et non quoquo modo. sed *sicut fenum tectorum*, *quod priusquam* ab aliquo *evellatur*, ex toto *aruit* per se, utpote nullum habens terræ fundamentum. Sic et ipsi vero, fundamento Christo carentes, etiam in vita degentes interius exarescant. Per hoc autem eos ab iniquitate eorum deterret. Cum dicit *priusquam evellatur*, innuit peccatores de hac vita non volentes migrare, sicut justos, sed evellendos esse, id est vi quadam extrahendos esse et invitos.

Fiant, inquam, *sicut fenum tectorum*. *De quo* fena, qui inutile est, *non implebit manum suam qui metet*, id est messor messium spicas et alia fena utilia colligens, non colliget ex hoc feno aliquantulum ut inde manum impleat. *Et* non implebit ex eo *sinum suum* ille *qui manipulos* alterius utilis feni vel messium *colliget*, id est non colliget inde multum, ut sinum suum ex eo possit implere, sicut ex bono feno, vel ex messe aliquando tantum colliget, ut inde *manum* impleat, aliquando tantum ut impleat *sinum*. Quod est dicere: Adeo est inutile fenum illud tectorum quod nullus ex eo curabit parum colligere, ut inde impleat *manum*, vel multum colligere ut impleat inde *sinum*. Similiter etiam de peccatoribus continget. Cum enim angeli qui ad metendum fideles dispositi sunt, quosdam sic colligunt de hac vita, ut parum quid, minus perfectos, scilicet a similitudine metentis aliquid parum de feno, vel de messe, ut inde manum impleat; quosdam vero sic colligunt, ut magnum quid perfectos scilicet a similitudine multum de feno, vel de messe metensis, ut inde *sinum* impleat; perfectores neque colligent, ut parvum neque ut magnum. *Et* ideo non colligentur, quia illi *qui præteribant*, prædicatores, scilicet qui erant hanc vitam prætereuntes et contemnentes, tendendo ad patriam, non ejus voluptatibus adhærentes, *non dixerunt* illis peccatoribus, *benedictio Domini*, id est exaltatio in fide et virtutibus a Deo data, sit *super vos*.

Notandum quod et voce et affectione de omnibus, tam bonis quam impiis, dixerunt, ut super omnes benedictio Dei esset. Aliter enim perfecti non essent, cum Dominus dicat : « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* III, 44).» Cæterum cum dixit : *Non dixerunt Benedictio Domini super vos*, compendiosa positio est, ac si diceret : *Non dixerunt*, id est dicto prædicationis suæ non effecerunt, ut veraciter dicere possent *benedictio Domini* in fide et virtutibus facta est *super vos*, o peccatores. Quod est dicere: Per dicta prædicationis suæ non potuerunt eos ad hoc bonitatis adducere ut digni essent divina benedictione. Exponit autem quomodo eis non benedixerunt, sic : Dico: *Non dixerunt* : *Benedicto Domini super vos*, scilicet non dixerunt: *Benediximus vobis* positis *in nomine Domini*, id est dicto prædicationis suæ in eis induratis non effecerunt hoc, ut veraciter dicere possent, nos *benediximus vobis*, id est exaltavimus vos, scilicet fuimus causa quare exaltaremini vos, ponendo vos per prædicationem nostram *in nomine Domini*, id est honore Domini, scilicet hoc in vobis efficientes prædicando, ut honori Domini vacaretis. Quod est dicere : Non potuerunt eos ad hoc prædicatione sua prædicatores adducere ut Deum bene visendo honorarent, et sic ab eo benedicerentur.

IN PSALMUM CXXIX.

Titulus centesimi vicesimi noni. *Canticum graduum*. Ostenso decimo gradu, constantia scilicet quæ habenda est in tribulatione, de undecimo perfecti in sequenti psalmo agunt, scilicet de clamore intenso, qui habendus est ad Deum ab his qui in profundis tribulationum sunt, ne Dominus patiatur eos deficere, observando iniquitates eorum. Qui quidem deficerent, si 528 Deus vellet iniquitates eorum observare ad ulciscendum. Nullus

www.libtool.com.cn

enim adeo sanctus in quo nihil iniquitatis inveniri possit, Ut igitur perfecti, in hoc psalmo agentes, his qui pro Domini timore et obedientia in tribulatione sunt positi exemplum tribuant clamandi sic ad Dominum ne deficiant, ostendunt se sic ad Dominum clamasse, reputando quod si Dominus vellet iniquitates observare, nullus posset constantiam habere. Ostendunt quoque se in Domino sperasse non ex meritis eorum, sed ex eo quod ipse propitius est ut alios instruant exemplo suo, omnem spem suam non in meritis suis, sed in misericordia Domini ponere.

De profundis, etc., ac si dicat : Qui jam ad constantiam in tribulationibus devenerunt, ne a constantia sua occasione ipsarum tribulationum deficiant, de profunditate ipsarum tribulationum ad Dominum clament, et exemplo meo hoc faciant. Ego namque in profundis tribulationum positus, a similitudine illius qui in profundis fluctuum positus clamat ad eos qui supra littus sunt, ut ei succurant. *De* ipsis *profundis* tribulationum *clamavi*, id est clamore intenso egi, dicens etiam ore *o Domine, exaudi vocem meam. Exaudi*, inquam, et non remisse, sed, sicut ego cum intenso clamore oravi, ita quoque *fiant aures tuæ intendentes*, id est potentia misericordiæ tuæ per quam orantes te misericorditer audis, fiat intendens *in vocem deprecationis meæ*, id est fiat intense audiens vocem meam qua te deprecor sic. scilicet fiat intendens, ut quod intense oro intense compleas, ut me videlicet illæsum *in profundis* tribulationum custodias ; vel *in vocem deprecationis meæ*, id est in vocem procedentem ex deprecatione intensi clamoris interioris. Notandum quia, quod ponit apostrophatice ad Deum, *de profundis clamavi ad te, Domine*, hoc facit ad gratiarum actiones, ex eo quod ipsum clamantem fecit. Et per hoc instruit auditores, ut cum fient clamantes, ex hoc ipso quod clamantes erunt, Deo referant grates.

Fiant, inquam, *aures tuæ intendentes*. Ne vero fiant non intendentes, non observes iniquitates meas, id est non habeas eas in memoria sicut punire disponas, et sic me deficere a constantia mea permittas. *Si* enim *iniquitates* et meas et cæterorum *observaveris*, ut eas ulciscaris, *Domine, quis sustinebit* te Domine ? id est quis sustinendo pro te tribulationes, te remuneratorem exspectabit ? Nullus. Ac si dicat : Noli meas iniquitates observare, ut pro eis me deficere permittas. *Nam si* meas *observaveris*, constat a simili, quod et cæterorum observabis, et sic nullus ulterius erit pro te indeficienter patiens, et inde te remuneratorem expectans. Quamvis autem dicam : *quis substinebit*, tamen ego *sustinui te, Domine*, id est sustinendo pro te tribulationes. Inde te remuneratorem exspectavi, et non ex meritis meis, sed inde, *Quia propitiato est aput te*, id est in tui natura scilicet, quia ex natura tibi contingit ut nobis propitieris, et etiam exspectavi te remuneratorem *propter legem tuam*, id est propter conditionalem constitutionnem tuam, a me completam. Constituisti nempe: «Dimittite debitoribus et dimittetur vobis (*Matth.* VI, 12), » quod, prout potui, complevi. Vel universaliter *propter legem tuam*, id est propter omnia legis tuæ præcepta, inquantum potui a me completa. Ut autem auditores instruat Dominum sustinere, facit ad eos apostropham, dicens se Dominum sustinuisse, sic : Dixi, o auditores, quod *sustinui* Dominum, et verum dico, *sustinuit* enim *anima mea* eum *in verbo ejus*, in est in consideratione verbi ejus, scilicet quia promisit se remuneraturum sustinentes se, ideo anima mea sustinendo pro eo tribulationes, ipsum remuneratorem exspectavit. Et non solum in consideratione promissionis ejus *speravit anima mea* eum remuneratorem, sed etiam *speravit anima mea in Domino*, id est in consideratione Domini, scilicet quia consideravi eum Dominum omnium esse , spen habui quod me posset remunerare. *Speravit*, inquam, *anima* 529 *mea in Domino*, incipiens sperare *a matutina custodia*, id est ab illo tempore ex quo ego veniens ad mane, id est ad claritatem fidei, custodire me a vitiis incæpi, et speraturus in domino sum perseveranter *usque ad noctem*, id est usque ad finem hujus vitæ. Et quia ego speravi et semper speraturus sum, exemplo mei *speret in Domino* quicunque est *Israel*. Et non speret ex meritis suis, sed ex gratuita misericordia Domini. *Quia misericordia est apud Dominum*, id est in natura Domini, scilicet naturale est ei ut sperantium in se misereatur. *Et* ideo etiam speret, quia *apud eum copiosa redemptio*, id est quia morte sua redimet omnes in se speraturos tam gentiles quam Judæos. Vel *copiosa redemptio* , quantum ad vitia. Redemit enim nos non solum a peccatis originalibus, sed ab actualibus . Et ideo adhuc sperare, *quoniam ipse redimet Israel*, id est in fine vitæ salvabit unumquemque existentem *Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus*, scilicet cum post remissionem peccatorum in baptismo unusquisque existens *Israel*, multas admittat iniquitates. « In multis enim, ut apostolus Jacobus testatur, offendimus omnes (*Jac.* III, 2), » ipse redemptione mortis suæ salvabit ipsum, *Israel* pœnitentem ab illis iniquitatibus in exitu vitæ suæ, ne pro illis pereat.

IN PSALMUM CXXX.

Titulus centesimi tricesimi. *Cuanticum graduum*. Undecimo gradu pertractato, scilicet clamore in tribulatione corporis, ne fiat ibi defectus duodecimum gradum in sequenti psalmo perfecti in ipso agentes ad instructionem auditorum ostendunt, apostrophatice ad Deum gratiarum actionem agendo, ostendendo scilicet se semper in humilitate persistere quæ duodecimus gradus est, ut ea mirabilia superiorum graduum ad quæ jam ascenderunt, non sibi sed Domino ascribant.

Domine, nen est exaltatum, etc.; ac si dicat : Cum quicunque ad hos superiores gradus ascenderint, non est eis inde superbiendum, sed est tunc eis in his humilitas habenda, ut hæc non ex se, sed ex

www.libtool.com.cn

Domino esse judicent. Quod quidem est gradum duodecimum ascendere. Hanc autem humilitatem ad exemplum mei habeant. Cum enim jam hos superiores gradus ascenderim, o *Domine, non est* inde *exaltatum cor meum* in superbiam, *neque oculi mei* exteriores *elati sunt* superbe, id est non apparuit inde superbia aliqua in elatione oculorum meorum. Aliquando quippe superbia in corde latet, ut non appareat exterius, aliquando quidem in oculorum elatione denotatur. Quoniam indeterminate posuerat non est *exaltatum cor meum*, in quo non sit exaltatum determinat sic: *Non est*, inquam, *exaltatum cor meum*, et non solum removeo illud fuisse exaltatum in parvis rebus, sed etiam *neque ambulavi, in magnis, neque in mirabilibus super me* existentibus, scilicet ego positus in magnis et mirabilibus gradibus superioribus qui non sunt ex me, sed super me, id est ex dono Dei qui est superior me *non ambulavi*, id est non promovi me superbe in illa magna et mirabilia, ut ex me ea esse reputarem. Quod est dicere: Non superbivi contuitu illorum magnorum et mirabilium. Non solum autem *non ambulavi in magnis, et in mirabilibus, sed et humiliter* sensi ea ex te esse. Et si ego non humiliter *sentiebam, sed* ex contrario *exaltavi animam meam*, id est superbivi in anima mea, ista reputando ex me esse; *sicut* puer qui adhuc incumbens *super matrem suam* ab ea lactatur, si fuerit *ablactatus*, id est a lacte separatus, perit, per se nempe nondum vivere potest, *ita* digne *retributio* pereundi veniat *in animam meam*, id est ita pereat anima mea. Idcirco vero sic sub hac conditione se devovet perditioni ut auditores a superbia retrahat, docens in se eos perituros esse nisi humiliter senserint.

Dixi quod *non est exaltatum cor meum*, contuitu superiorum magnorum, sed humiliter sensi. Ergo exemplo mei quicunque est Israel non superbe in se confidat, sed *speret* humiliter quicunque est *Israel* omnia 530 magna esse *in Domino*, id est in dono Domini, non in meritis suis. *Speret*, inquam, incipiens *ex hoc nunc*, id est instanti præsenti tempore, *et* perseverans in spe *usque in sæculum* futurum; vel sic: *Non est*, inquam, *exaltatum cor meum*, vel *non ambulavi*, id est non promovi me superbe *in magnis, neque in mirabilibus*, id est in consideratione magnorum et mirabilium, extendendo me super me, ut me scilicet majorem facerem quam essem. Unde Dominus: « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus (*Luc.* XVII, 10). » Quocirca, quicunque Israel existens, exemplo mei non superbiat, sed humiliter sentiat, et sic *speret Israel* remunerationem *in Domino*, id est in consideratione Domini: considerando scilicet eum esse Dominum et potentem ad remunerandum. Alioquin autem remuneratio speranda non esset. *Speret*, inquam, *Israel in Domino*, incipiens *ex hoc nunc*, et perseverans *usque in sæculum* futurum. Hoc ut superius exponitur.

IN PSALMUM CXXXI,

Titulus centesimi tricesimi primi. *Canticum graduum*. Postquam de humilitate habenda in magnis et mirabilibus actum est, quæ duodecimus gradus est, agunt etiam perfecti de gradu tertio decimo in psalmo sequenti, qui gradus nihil aliud est quam hoc quod jam ad hoc dignitatis ascenderunt, ut jam disponant vivere ad conformitatem apostolorum, in unum habitando, et omnia communia habendo. Et quoniam hoc suis meritis assequi nequeant, orant quatenus hoc meritis Christi, sui capitis, assequantur, qui mansuetus fuit, et in omnibus ut firmiter promisit obediens Patri. Hoc autem ea fiducia se dicunt orare quia Dominus Pater juravit David Christo, quia de fructu ventris ejus ponet super sedem suam, et quia elegit Dominus Sion, dicens: *Hæc requies mea*, etc. Totum autem hoc voco hic gradum, et quod ad conformitatem apostolorum vivere disponunt, et quod hoc orant adipisci merito mansuetudinis David Christi. De hac ergo dispositione et oratione ea intentione agunt ut auditores sui exemplo invitent ad hunc gradum dispositionis et orationis ascendendum.

Memento, Domine, David, etc., ac si dicat. O auditores, postquam jam superiores gradus ascenderitis, ad hunc etiam ascendere laborate, ut ad conformitatem apostolorum vivere disponatis, et de hoc adipiscendo merito mansuetudinis Christi veri David oretis. Inde vero, me vobis exemplum habetote. Ego namque postquam ad conformitatem apostolorum vivere disposui, de hac adipiscenda sic Dominum Patrem oravi, ut mihi quod disposui concedas, quoniam ad hoc adipiscendum merita mea non sufficiunt: *Memento, Domine* Pater, *David* Christi capitis mei, *manu fortis*, qui viriliter egit in obedientia sua; ut ejus virilitatis et fortitudinis meritum in me remuneres, concedendo mihi per eum quod disposui et unde oro. *Et* memento *omnis mansuetudinis ejus*, scilicet quod in omnibus fuit mansuetus et patiens, nulli malum pro malo retribuens, nunquam jugum præceptorum Domini detrectans, ejusque mansuetudinis meritum in me remunera, concedendo quod disposui et unde oro; vel sic potest versus iste legi, ut non accipiamus David, quantum ad nominis interpretationem sic: *Memento, Domine, David*, Christi, ut pro ejus amore, cujus membrum sum, adipiscar quod disposui. Et *memento omnis mansuetudinis ejus*. id est in memoria habe omnem obedientiam ejus, cum mansuetudine completam ut ejus mansuetudinis merito adipisci me permittas, quod disposui et unde oro. De hac mansuetudine dicit Isaias: « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isa* LIII, 7). » *Memento*, inquam, *mansuetudinis*, id est mansuetæ obedientiæ ejus completæ; *sicut juravit Domino* Patri, sicut *votum vovit Deo Jacob*, id est Domino Patri qui Deus est Jacob, id est virilium luctatorum, cui ipsum obedire decebat,

cum ipse præ cæteris esset Jacob. 531 Non dicit *juravit et votum vovit*; quod ipse juramentum et votum fecerit, sed per hæc duo innuit, quoniam hanc mansuetam obedientiam esse complendam firmiter apud se disposuit. His enim duobus modis, voto, scilicet aut juramento, solent firmiter res futuræ disponi. Cum Dominum Patrem Deum Jacob dicit, per hoc auditores invitat ut Jacob studeant effici.

Juravit, inquam, et *votum vovit*, id est firmiter secum disposuit, ita dicens: *Si introiero in tabernaculum*, id est in habitaculum *domus mæ, et si* ingressus tabernaculum *ascendero in lectum strati mei*, id est in lectum constratum culcitris vel aliis pannis. Lectum quippe dicimus ipsum instrumentum; stratum vero, pannos et culcitras quæ supra ponuntur. Et postquam *lectum strati ascendero, si dedero somnum oculis meis*, et etiam quod minus est, si *dedero dormitationem*, id est brevissimum somnum *palpebris meis*, ut aliquantulum permittam claudi somno palpebras oculorum meorum, et *si*, etiam quod multo minus, est, *dedero requiem* somni *temporibus meis*; prius enim tempora somno aggravantur quam palpebræ dormitando claudantur. Si hæc, superiora dona quietis admisero, donec compleam quod mihi injunctum est, scilicet *donec* per mortem meam et prædicatores meos *inveniam locum Domino* Patri, id est donec inveniam tales qui sint locus, id est spiritalis habitatio Domini Patris, quos inhabitet per adjutricem gratiam, et talem *locum inveniam* qui *sit tabernaculum Deo Jacob*, id est qui sit bona vita militans Deo Patri, cui militandum est, cum ipse sit Deus *Jacob*, id est fortium luctatorum; tunc indignus sum ego remuneratione. Hæc autem omnia ad solam similitudinem dicuntur. Est autem æquipollens ac si sic breviter esset positum: Sicut bonus miles, donec peracto proposito militiæ suæ non intrat tabernaculum domus suæ ad hoc ut lectum suum ascendens, satisfaciat sibi diu per somnum quiescendo, aut saltem parum quiescat dormitando, vel pauxillum requiem temporibus dando, ita nec ego multum parumve quiescam, id est cessabo, donec propositum injunctæ obedientiæ meæ complevero, scilicet ut per mortem meam et per doctrinam prædicatorum meorum, tales et ex Judæis et ex gentibus Domino acquiram quos spiritaliter inhabitet, et qui sint ei bona vita sua militantes. Verbis his Christi ad auctoritatis pondus interpositis, perfecti rursus in persona sua ipsorum agentes eum complesse jam quod disposuit confirmant sic:

Dico quod *juravit et votum vovit Domino*, dicens quod inveniret *locum*, id est sedem Domino, Ecclesiam scilicet. Et ecce manifestum est ipsum jam sedem Domino acquisisse. Nam *audivimus eam* sedem, id est Ecclesiam jam esse *in Ephrata*, id est in Judaico populo, qui per Ephrata convenienter accipitur. Ephrata namque locus est in Judæa, qui et Bethleem dicitur. Interpretatur quoque Ephrata *speculum*. Judaicus ergo populus congrue per Ephrata designatur, eo quod speculans fuerit, scilicet omnia carnalia faciens per speculum et in ænigmate, cum omnia fecerit cum obscura significatione. Cum dicit *audivimus eam in Ephrata*, istud *eam* relatum est ad locum quod superius positum est, ubi dixerat, *locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*. Quod certe non est inconveniens, et si *locum* sit masculinum, *eam* vero femininum. Non enim relativum est secundum genus, sed secundum ipsius vocis significationem. Idem enim est cum ponit *locum*, ac si poneret *sedem*, juxta quam æquipollentiam relativa vox est *eam* ad *locum*. Dico quod *audivimus eam in Ephrata*. Et non solum audivimus eam in Ephrata, sed *et invenimus eam*, sedem Domini, Ecclesiam esse *in campis silvæ*, id est in campis factis ex silva, scilicet in populis gentium, qui, cum prius inculti essent, ut silva, ex incultis facti sunt culti, ad modum camporum. Hoc autem totum est ac si taliter esset positum: Jam audivimus Ecclesiam esse et in gentibus et in Judæis. Quoniam vero superius oraverat, dicens: *Memento, Domine David*, et non ostenderat dispositionem 532 suam, pro qua oraverat, eam ostendit cum addit: *Introibimus*, etc. Quod sic adaptatur: Dico: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus*, ut ipsius scilicet mansuetudinis merito nobis hoc adipisci concedas quod disposuimus. Nos etenim hoc disposuimus quod *introibimus* per obedientiam *in tabernaculum*, id est in militiam ejus David. Exponunt autem quomodo introibunt, sic: Hoc modo scilicet *introibimus*, id est venerabimur eum corde, ore et opere permanentes *in loco* illo, id est in statu illo vivendi *in quo steterunt*, id est in quo perseveranter vixerunt *pedes ejus*, id est apostoli et cæteri discipuli ejus, qui pedes ejus dicuntur, eo quod eum in notitiam hominum portaverunt. Quod est dicere: Sicut pedes ejus militaverunt ei in unitatem fidei et concordiæ, tendendo, et cohabitando et omnia communia habendo, utpote quibus « erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32), » sic et nos ei militare disposuimus, in unum cohabitando et omnia communia habendo. Ut autem introire possimus *in tabernaculum* illius, et adorare *in loco ubi steterunt pedes ejus, surge, Domine*, Pater, id est sublimis et potens appare eundo *in requiem tuam*, scilicet per hoc manifesta potentiam tuam, ut venias non localiter, sed secundum inoperantem gratiam in nos quos adventu tuo facies requiem tuam, id est adeo sanctos facies ut in nobis quiescas, id est delecteris, sicut aliquis in quiete delectatur.

Tu, inquam, *surge, et*, per tuum surgere, surgat etiam *arca sanctificationis tuæ*, id est sublimetur arca tua, quam sanctificasti per mortem et resurrectionem tuam, et peccatorum remissionem, et nos videlicet sublimemur, qui sumus Ecclesia tua dicti arca tua, eo quod præfigurata fuit Ecclesia per arcam Domini. Sicut enim in arca figuraliter manna continebatur, quod spiritalis cibus erat, ita in Ecclesia cibus spiritalis Dominici corporis, quod

www.libtool.com.cn

per manna præsignatum est, habetur, et etiam panis intellectus per idem manna significatus. Ibi etiam lex continebatur, et similiter hic lex utraque nova, scilicet et vetus habetur. Ibi quoque virga Aaron fuit, hic quoque regnum est Christi, id est a Christo fidelibus datum, ut unusquisque sui ipsius rector sit. Per virgam quippe e contiguo sceptrum, per sceptrum autem regnum accipimus, eo quod regni sit signum. *Surgat*, inquam, id est sublimetur Ecclesia, *arca sanctificationis*, non scilicet, et hoc quidem modo sublimetur. *Sacerdotes* videlicet *tui induantur justitiam*, id est nos qui sumus sacrificantes nosmetipsos tibi, bene vivendo, ideoque sacerdotes tui dicimur, induamur *justitiam*, per emphasim, id est repleamur valde et adornemur justitia virtutum et bonorum operum, a similitudine corporis, quod indumento circumdatur et ornatur; quæ nimirum justitiæ indutio præfigurata est in leviticis sacerdotibus, qui in tempore sacrificii induebantur ephod lineo, et tunica talari et aliis insignibus. Sicut enim illis insignibus exterius apparentibus ipsi adornabantur, ita quoque et nos sacerdotes Novi Testamenti justitia per bona opera apparente exterius adornabimur.

Non solum autem *sacerdotes tui*, nos scilicet, *induantur justitiam*, sed iidem sacerdotes *sancti tui* existentes, id est a te per mortem *et* veniam peccatorum *sanctificanti exsultent* de dono innocentiæ, scilicet da eis innocentiam ut per hoc exsultent. Hoc autem ut justitia induamur, et de innocentia exsultemus, non oramus propter fiduciam meritorum nostrorum, sed *propter David servum tuum*, id est propter merita Christi veri David, qui, secundum humanitatem, servus tuus fuit, in omnibus tibi devotus et obediens, cujus membra sumus per fidem. Oramus ut des nobis justitiam et innocentiam, et sic conformes erimus Christo in facie, id est in pulchritudine virtutum, quæ per faciem accipitur, eo quod in facie exteriori pulchritudo exterior denotatur. Postquam autem faciem Christi adepti erimus, *non avertas*, id est a nobis per peccata averti non permittas *faciem*, id est pulchritudinem illam
533 *Christi tui*. Facit autem ad auditores apostropham, ut ostendat orare se non ex diffidentia, et sic eos adhoc idem orandum impellat. Oramus, o auditores, justitiam, et innocentiam induamur, et ut a nobis facies Christi non avertatur. Hoc itaque confidenter oramus. *Dominus* enim Pater *juravit* Domino *David*, Christo Filio suo, *veritatem*, id est per seipsum qui veritas est, *juravit*, id est firmissime promisit ad modum jurantis, *et* sic *juravit*, quod *non frustrabitur eum*, id est non decipiet eum, non complendo quod *juravit*. Dico *juravit* dicens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est quosdam de filiis tuis spiritualibus, faciam in æterna beatitudine tibi in futuro conregnare, a similitudine regis, qui filium suum quem secum vult facere conregnare, super sedem suam regiam ponit. Fructum *ventris* filios spirituales dicit, non quod ex ventre generati sint ab eo, sed a similitudine filiorum qui fructus ventris sunt. Cum autem ponit non fructum sed ex *fructu*, innuit non omnes, sed partem *super sedem* esse ponendam. « Non, » enim « omnis qui dicit: Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII, 24). » Omnes quidem ad fidem venientes sunt filii, sed non omnes salvandi. Vel quosdam ex *fructu ventris tui ponam super sedem tuam* hic, id est tecum conregnare faciam, ut seipsos bene vivendo regant ad conformitatem tui, qui hic degens te bene rexisti. Quosdam, inquam, *de fructu ventri tui*, id est de filiis tuis *ponam super sedem tuam*. Quod tamen tali sub conditione promitto, scilicet *si filii tui* et filii illorum, id est imitatores eorum *custodierint* per completionem *testamentum meum*, id est promissum meum quod mihi sub testimonio patrinorum promiserunt, *et*, id est, scilicet si custodierint *testimonia mea*, id est præcepta mea, et non dico præcepta Veteris Testamenti, sed *hæc quæ docebo eos*, per David, filium meum. scilicet testimonia novæ legis! *sedebunt super sedam tuam*, id est tibi conregnabunt hic bene vivendo, et se regendo ad tui conformitatem *usque in sæculum* futurum, id est usque ad finem hujus vitæ. Vel *sedebunt super sedem tuam*, in futuro, id est tibi conregnabunt in beatitudine: *usque in seculum*, id est in æternum. Testamentum et testimonia idem hic sunt; sed, cum dicit *testamentum*, innuit complenda esse præcepta Domini quia promiserunt; cum vero dicit *testimonia hæc quæ docebo eos*, innuit complenda esse, eo quod ipse docet.

Verbis paternæ promissionis interpositis ad ostensionem certitudinis, agunt perfecti in persona sua ostendendo hoc quod *filii* David *super sedem* David *sedebunt*, non ex eorum meritis esse, sed ex gratuita Dei electione. Hoc itaque sic dicit: Dominus Pater dicit quod *filii* David *sedebunt super sedem* ejus, et hoc non accidet eorum meritis, sed gratuita Domini Patris electione. *Quoniam Dominus* Pater *elegit Sion*, id est totam Ecclesiam, quam fecit esse *Sion*: *elegit*, inquam, *eam sibi in habitationem*, id est ad hoc ut eam inhabitet, secundum inoperantem gratiam. Unde legitur: « Quos elegit (*Rom.* VIII, 29), hos et vocavit [prædestinavit]; » *elegit sibi*, inquam, Sion dicens: *Hæc*, scilicet Sion est *requies mea*, id est delectatio mea, *usque in sæculum sæculi*, id est usque in sæculum futurum. *Hic habitabo*, id est inhac, scilicet Sion, *habitabo* secundum inoperantem gratiam, et hoc non ex meritis ejus Sion, sed ideo solummodo, *quoniam elegi eam* gratis ad salvationem. Cum autem *Sion* elegerim, *viduam ejus*, id est illos ex ipsa Sion, qui ideo dicuntur vidua, quia desolati sunt a terrenis, quibus jam abrenuntiaverunt, ceu vidua est a marito jam mortuo desolata, *benedicam*, id est sublimabo hic, et hoc *benedicens*, id est in benedictione illa perseverans; *et pauperes ejus*, id est illos eosdem quos dixi *viduam*, qui etiam spiritu *pauperes*, id est humiles sunt, ideoque digni benedictione et saturatione,

saturabo in anima *panibus*, id est multiplicibus charismatibus spiritualis intellectus, quæ erunt eis panes, id est dulcissimæ refectiones, sicut panes dulcissimæ refectiones sunt. Exponit autem quomodo benedicet, sic. Hoc quidem modo *benedicam*, id est sublimabo illos ex Sion qui vidua sunt, scilicet eosdem *sacerdotes ejus* existentes, cum se 534 bene vivendo hostiam laudis sacrificent: *induam salutari*, id est circummuniam et ornabo conformitate Salvatoris Christi, ut sint ei in sublimitate justitiæ conformes, inquantum possibile est *et* ipsi sacerdotes *sancti ejus* existentes, id est, sanctificati per mortem Christi et peccatorum indulgentiam, *exsultabunt*, de *exsultatione*, id est de innocentia, quæ exultatio dicitur eo quod exsultationis causa sit. Sive quod addit *exsultatione*, ad inculcationem addit; quasi dicat: Nimis exsultabunt. Hic, inquam, *sacerdotes ejus induam salutari*; in futuro vero *illuc producam cornu David*, id est in illos eosdem extendam sublimitatem gloriæ, quæ jam est in David filio meo, ut eamdem habeant sublimitatem, quamvis minus, et hic interim per illustrationem gratiæ *paravi* eos *lucernam*, id est vas lucis; *lucernam*, inquam, et hoc *Christo meo*. In quibus, scilicet ipse per doctrinam suam mundo luceret. Bene vero ponit non lucem, sed *lucernam*, cum ipsi non sint lux, sed vasa ipsius lucis et ministri. Vas quippe lucernam dicimus. Unde de Joanne Baptista legitur: « Non erat illo lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine (*Joan.* I, 7) » In eos, inquam, *producam cornu David. Inimicos autem ejus* viduæ, persecutores, scilicet *induam* per emphasim, *confusione*, id est circumdabo et in corpore et in anima, *confusione* perditionis æternæ, *sanctificatio* autem *mea*, id est vidua a me sanctificata, *super ipsum* David Christum in fide et conformitate fundata, et ei innitens *efflorebit*, id est ex flore bonæ operationis transiet in fructuum æternæ remunerationis: a similitudine floris, qui in fructum transit. Vel sic: Non solum *illuc producam cornu David*, inimicos autem, id est sed etiam inimicos ejus viduæ persecutores, scilicet in parte quidem *induam*, id est replebo hic confusione, id est erubescentia de peccatis, et sic convertentur. *Sanctificatio* autem *mea*, id est sanctificata vidua mea, *super ipsum* David fide et conformitate fundata, *efflorebit*, id est ex toto cum perseverantia in bonis operibus florebit, et per hoc pertinget in futuro ad cornu David.

IN PSALMUM CXXXII.

Titulus centesimi tricesimi secundi, *Canticum graduum*. Tertio decimo gradu in psalmo superiori ostenso, qui, scilicet fuit hoc quod disposuerunt ad conformitatem apostolorum, cohabitando in unum Deo militare, et de hoc adipiscendo oraverunt: agunt perfecti in sequenti psalmo de gradu quarto decimo, qui nihil aliud est quam hoc quod superius oraverunt, scilicet ipsum habitare fratres in unum, quod bonum esse perhibent et jucundum, ut sic auditores attrahant ad hunc gradum ascendendum

A *Ecce quam bonum*, etc., ac si dicant: Qui superiores gradus jam ascendistis, ad hunc etiam ascendite, ut etiam *fratres in unum* habitetis, et sic Deo militetis. Inde vero nos exemplum habeatis. *Ecce* enim jam in evidenti est quod habitamus simul omnia communia habentes, et sic cohabitamus ut simus fratres, et non nequam fratres, sed fratres spirituales in unum fidei et concordiæ tendentes. Aliter enim cohabitare non prodesset; et cum jam cohabitemus, *ecce* in præsenti et evidenti nobis est: quoniam *quam bonum est*, id est plusquam valde utile est, *et quam jucundum*, id est plusquam valde delectabile est, *habitare* simul nos *fratres*, *in unum* fidei et concordiæ tendentes. Hoc autem *habitare* si simpliciter *bonum* esset, appetendum esset. Quanto B magis ergo, cum bonum sit et *jucundum*! Ostendunt autem unde probari possit habitare istud esse bonum et jucundum, sic. *Bonum* est *et jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum*, id est utpote spirituale donum, scilicet inde probatur esse *bonum et jucundum*, qui spirituale donum est dictum ideo *unguentum*, quia per ipsum habitare spiritualiter inungimur, ut simus reges nostri et sacerdotes, nosipsos Deo bona vita sacrificantes, a similitudine regum et sacerdotum, qui inungutur in tempore ordinationis suæ. *Sicut unguentum* dico existens *in capite*, id est in potestate capitis 535 Christi, scilicet *quod* unguentum non habetur nisi dono capitis, quod *unguentum descendit* a dono ipsius capitis *in barbam*, id est in bonos omnes fortes con- C tra vitia et viriles in moribus, qui congrue per barbam accipiuntur, eo quod tunc homo fortis sit et ad virilem ætatem pervenit, cum barbatus efficietur. Exponit autem ipsam barbam per partes sic. *Descendit*, inquam, *in barbam*, scilicet in barbam *Aaron*, id est in viriles et fortes Christi, id est in apostolos et discipulos, cæteros Christi primitivos, qui antonomastice barba Christi dicuntur; cum etiam omnes boni barba ejus dici possint, eo quod ipsi primitivi viriliores et fortiores exstiterint, qui leguntur post ascensionem Domini in Hierusalem per dies plurimos cohabitasse, et cor unum et animam habuisse. *Aaron* summus sacerdos, et omnium sacerdotum in Veteri Testamento princeps. *montanus* D interpretatur: quocirca juste per Aaron Christus accipitur, qui princeps omnium sacerdotum existens et supremus, montanus quoque fuit, id est in sublimi virtutum monte sublimatus. Sive etiam montanus de monte, id est de supernis in mundum, ad salutem hominum a Deo Patre missus. Unde idem dicit: « Vos de deorsum estis, ego de supernis sum (*Joan* VIII, 23). » Et non solum *in barbam Aaron descendit*, sed etiam descendit a barba Aaron *in oram vestimenti ejus*, id est in martyres, qui cum fuerint præcipui post apostolos, dicendi sunt ora in vestimento Dei, id est superiores in Ecclesia, sicut ora superior pars est vestimenti. Ecclesia vero vestimentum Dei dicitur, eo quod ornatus ejus est sicut vestimentum corporis. Notandum quod barba Aaron

www.libtool.com.cn

et ora vestimenti partes sunt barbæ quam posuit universaliter, cum dixit quod *descendit in barbam*. Hoc autem cohabitare, quod ostenderat esse donum spiritale, ostendunt quoque gratuitum esse, sic : Diximus quod per hoc comprobatur quod cohabitare est bonum et jucundum, quoniam est sicut unguentum : et per hoc quoque quia est *sicut ros*, id est utpote donum gratuitum quod per rorem intelligitur eo quod ros sine labore vel pretio vel studio hominum gratis contingit. *Sicut ros*, inquam, *Hermon*, id est exaltati luminis, scilicet, utpote donum datum gratis a Christo, qui dicitur Hermon, id est lumen exaltatum. Nam cum omnes fideles lumen dici possint, eo quod alios doctrina illuminent et exemplo, ipse lumen est super omnia illa lumina exaltatum et sublimatum. Unde Joannes : « Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem, etc. (*Joan.* I. 9). » Dico *sicut ros Hermon, qui* ros *descendit* a barba Aaron, et ab ora vestimenti *in montem Sion*, id est in illos omnes qui in Sion, id est in Ecclesia possunt dici montes pro sublimitate vitæ suæ, ut confessores, et si alii aliqui sunt in Ecclesia perfecti. Non enim omnibus Ecclesiæ filiis gradus iste cohabitandi competit. Congruit autem regularibus, et canonicis, et cœnobitis. Interpretatus autem Hermon non solum *exaltatum lumen*, sed etiam *anathema*. Juxta quam interpretationem hoc sic legitur.

Dico sicut ros gratuitum, id est donum, ros, inquam, datus Hermon, id est Ecclesiæ de Judaico populo primitivæ, qui sane populus anathema per emphasim dicitur, vel quia Christum anathematizaverit, dicens eum seductorem et dæmone plenum : vel quia ipsum anathematizavit, id est malis actibus suis a Deo divisit. Anathema quippe divisum dicitur. Per hoc ergo quod donum istud fuit Hermon datum gratuitum fuisse comprobatur. Et qui ros ab Hermon *descendit in montem Sion*, id est in illos ex gentibus, quicunque sunt montes in Sion, id est sublimes sanctitate in Ecclesia. Comprobant autem adhuc quia *habitare in unum bonum est et jucundum*, sic : Vere habitare in unum bonum est et jucundum. *Quoniam illic*, id est in illa habitatione *mandavit Dominus benedictionem* fratribus persistentibus, in illa habitatione legavit Dominus, sublimitatem scilicet dedit eis propter hanc cohabitationem sublimitatem, in virtutibus et bonis operibus, *et mandavit*, id est legabit eis *vitam* in futuro duraturam *usque in sæculum*, id est æternum.

536 IN PSALMUM CXXXIII.

Psalmi centesimi tricesimi tertii titulus. *Canticum graduum*. Postquam de gradu quarto decimo perfecti ad auditorum instructionem egerunt, de ultimo, quintodecimo scilicet agunt, qui nihil aliud est, quam postquam hos gradus ascenderint, hos omnes non sibi, sed Domino ascribere, et omnia bona opera respectu cœlestis patriæ facere, et sic Deum benedicere. Ad hunc autem gradum perfecti hic agentes, auditores ascendere invitant, sic :

A *Ecce nunc*, etc., ac si dicant : Vos omnes servi Domini, qui jam *habitare in unum bonum et jucundum* esse dicitis; *ecce nunc*, id est in præsenti nunc *benedicite Dominum*, scilicet indilate in præsenti tempore exaltate Dominum bona vita vestra, in supradictis gradibus perseverando, vel superiores gradus quos jam ascendistis, ipsi ascribendo, et omnia opera vestra bona respectu patriæ cœlestis agendo. Notandum quod, cum ponit, *ecce nunc*, istud *ecce* positum esse ad determinandum *nunc*, quia *nunc* non solum modo præsentis temporis est signum, sed etiam proximi præteriti et proximi futuri. Unde usualiter dicimus *nunc venit* et *nunc veniam*. Quia dixerat : *Omnes servi Domini, benedicite Dominum*, cum quidam nequam servi sint, de quibus
B servis dicant, determinant addendo sic : Vos, inquam, servi, *qui in domo Domini*, id est in Ecclesia *statis*, id est perseveratis per fidem : sic tamen ut stetis *in atriis domus Dei nostri*, id est in amplitudine dilectionis, quam perfecti domus Dei, id est Ecclesiæ, habent erga Deum et proximum : et in amplitudine cæterarum virtutum, quæ per atria denotantur, eo quod ampla sint. *Benedicite*, inquam, *Dominum omnes servi Domini*, et vos existentes *in noctibus*, id est in his diebus transitoriis qui ad alterius vitæ respectum noctes dicuntur propter frequentiam persecutionum, *extollite manus vestras in sancta*, cœlestia; scilicet non deprimite opera vestra agendo ea respectu temporalium, sed extollite, id
C est sublimate tendendo per ea *in sancta*, id est facite ea respectu sanctorum cœlestium bonorum, ut ea adipiscamini : *et benedicite*, id est exaltate *Dominum* ascribendo ipsi hoc ipsum quod manus in sancta extollitis, vel quod in superioribus bonis persistitis. Quoniam autem, o quicunque auditor, ad benedicendum et manus extollendum non sufficis per te, nisi Domino benedicente, *Benedicat te*, id est sublimet te in virtutibus *Dominus* Christus *ex Sion* procedens, id est ex populo Judaico, secundum quod homo, qui secundum quod Deus *fecit cœlum et terram*, id est majores et minores, ideoque benedicere potest, quia Deus et homo; vel *benedicat te Dominus*, id est magis et magis in virtutibus exaltet : et hoc contingat *ex Sion*, id est inde quia jam es Sion,
D speculans futura, non attendens præsentia.

Finiunt cantica Graduum.

IM PSALMUM CXXXIV.

Psalmi centesimi tricesimi quarti titulus. *Alleluia*. Vox Prophetæ adhortantis omnes in humano genere fideles ad laudem Domini, *quia bonus*, et quia *elegit Jacob et* Israel : et quia *omnia quæcunque voluit fecit*, quæ etiam multipliciter ostendit, ut auditores magis attrahat ad laudem Domini.

Laudate nomen Domini, id est *laudate* voce et affectione *Dominum* Christum contuitu nominis ejus quod est Dominus, *laudate*, inquam, *servi Dominum*. Ac si dicat : Laudare eum debetis, cum sitis ejus servi, id est illius potestati subditi, et ipse Dominus omnium. Vos dico *laudate, qui* in fide manentes *statis*

www.libtool.com.cn

in domo Domini, et in atriis domus Dei nostri. Hic versus ita, ut in psalmo superiori, exponitur. *Laudate,* inquam, *Dominum* voce et affectione, *quoniam bonus* est in natura, et *psallite nomini ejus,* id est bene operamini ad honorem ejus, contuitu nominis ejus quod est Dominus, *quoniam* nomen ejus suave est, id est suavem et mitem rem significat, non significat 537 rem asperam et odibilem sicut in sæcularibus dominus. *Laudate,* inquam, *Dominum,* et *psallite nomini ejus,* et hoc eo contuitu etiam, *quoniam* Dominus gratuita misericordia *elegit sibi Jacob in possessionem,* id est illos qui adhuc in activa vita degentes contra vitia sunt viriliter luctantes; *et Israel,* id est illos qui jam in contemplativa vita positi sunt Deum videntes, *elegit sibi in possessionem,* ut videlicet eos per inhabitantem gratiam possideat, dirigendo de bono in melius. Dico *laudate* et *psallite,* et ideo vos sic adhortor: *quia ego* qui propheta sum, cujus auctoritati credendum est, *cognovi* a magistra Veritate, mihi interius præsidente, *quod Dominus magnus est* in potentia, *et* sic *magnus* quod ipse *Deus noster* existens, qui tanto ante tempore existimus, non recens Deus, scilicet magnus est *præ omnibus diis,* id est super omnes sanctos ab eo deificatos, qui tamen valde magni sunt ut Moyses et Abraham, et cæteri qui dii facti sunt per gratiam. Ipse quippe Deus est per naturam, ideoque major. Cum dicit *Deus noster,* ponit hoc ad Judæos incredulos devincendum, qui eum Deum esse denegaverunt. Inde vero *magnus* ostenditur, quia *omnia quæcunque voluit Dominus,* id est sola voluntate *fecit,* et *omnia quæcunque voluit* ut nihil exciperetur. Voluntas enim ejus, facere est. *Fecit,* inquam, *omnia quæcunque voluit : in cœlo* scilicet *et in terra,* id est et in majoribus fidelibus et in minoribus : illud videlicet ipse in eis per gratiam fecit, quod isti cœlum, illi vero terra ejus sunt : et fecit quæcunque voluit *in mari,* id est in minoribus impiis eum amaricantibus, *et in omnibus abyssis,* id est in omnibus majoribus amaricantibus, qui sunt abyssi, id est in nequitia profundi. Hoc enim in eis effecit ut persecutio eorum cederet ad utilitatem suorum, quos pro eo persequuntur. Nam *impius pio vivit.* Exponit autem quæ sint illa quæ fecit in cœlo et in terra, cum dicit *educens,* et cætera usque ad *Domine, nomen tuum.*

Dico quod Dominus fecit omnia quæcunque voluit, Dominus, inquam, *educens ab extremis terræ nubes,* id est ex illis qui erant extremi terræ, id est viles inter terrenos et extremi in divitiis et in sensu et in genere, sicut Petrus et Andreas piscatores pauperrimi, et cæteri ignobiles discipuli fuerunt: *fecit nubes,* id est fecit eos sublimes in sanctitate ad modum nubium, et dedit eis officium alios compluendi doctrina sua; a similitudine nubium, terram compluentium : et bene ponit *educens* : cum enim prius essent extremi, ab extremitate illos eduxit, cum eos ita in sanctitate sublimavit, ut inter homines habeantur præcipui. In illis autem nubibus *fecit fulgura,* id est illuminationem cognitionis suæ : quæ per fulgura denotatur eo quod luculenta sunt. *Fulgura* pluraliter ponit, propter plures personas illuminatas. Fulgura, inquam, tendentia *in pluviam* doctrinæ, scilicet quæ ad hoc in eis fecit, ut per ipsas illuminationes alios doctrina sua compluant, quod minime facere possent, nisi illuminati prius essent. Dico *Dominus fecit omnia quæcunque voluit : educens nubes ab extremis terræ. Qui* Dominus *producit de thesauris suis,* id est de occultis arcanis dispositionis suæ, quæ thesauri dicuntur, eo quod abscondita sunt ut thesauri; *ventos,* id est illos spiritales viros, quos superius nubes dixit : qui venti dicuntur, eo quod ad modum ventorum agiles sunt ad Deum contemplandum. Quod est dicere : Hoc quod venti efficiuntur, contingit ab occulta dispositione Dei, qui tanto laudabilior quanto incomprehensibilior. Vel sic : *Qui producit de thesauris suis,* id est de sedibus cœlestibus, *ventos,* id est angelos ad hoc ut eorum officio nubes eductæ, ab extremis terræ ad prædicandum et cætera bona agendum promoveantur. A similitudine ventorum, nubes flatu suo promoventium. Venti vero angeli dicuntur, et quia invisibiles sunt ad similitudinem ventorum, et quia agiles ad officium sibi injunctum exsequendum, et ad Deum contemplandum Et *qui* Dominus *percussit,* id est morte sua destruxit *primogenita Ægypti,* in baptismo, id est originalia peccata generis humani quæ primogenita 538 dicitur, eo quod a primordio nativitatis quasi hæreditarie ipsi generi humano principabantur, quod Ægyptus dicitur, eo quod in afflictione et in tenebris ignorantiæ detinebatur. Ægyptus quippe *tenebræ* vel *afflictio* interpretatur. *Percussit,* inquam, *primogenita Ægypti :* incipiens, *ab homine* et perducens *usque ad pecus,* id est et in hominibus percussit et in pecudibus illa primogenita, scilicet et in sapientibus rationabiliter, ut homines se habentibus, et in idiotis qui bruti erant ut pecudes. Quod præsignatum est in percussione primogenitorum Ægypti sub Moyse.

Non solum autem *percussit* Dominus *primogenita,* sed etiam *emisit,* id est extra misit manifeste, scilicet misit *signa, et* non qualicunque signa, sed *prodigia,* id est maxima signa *in medio tui, Ægypte,* id est in communi generis humani. Exponit autem quæ signa addendo sic. *Emisit,* inquam, *signa, in* destruendo *Pharaonem et omnes servos ejus.* Hæc scilicet fuerunt signa quod destruxit Pharaonem et omnes servos ejus in baptismo, id est destruxit non essentialiter sed potentialiter diabolum, et omnes malignos spiritus. Quod præmonstratum est in Pharaone, qui in mari Rubro cum exercitu fuit submersus. Destruxit autem Deus potentialiter diabolum cum omnibus ministris ejus, cum non solum originalia, sed etiam actualia peccata in baptismate remittens, potentiam quam per ipsa peccata in hominibus habebant, ad nihilum redegit. Diabolus nimirum recte Pharao dicitur, eo quod sibi subditum genus humanum acriter urgebat, sicut Pharao filios

Israel antequam a Domino liberarentur, violenta tyrannide premebat. Quoniam etiam Pharao *dissipatio* interpretatur, congrue per emphasim diabolus Pharao dicitur : qui omnium virtutum, inquantum potest, dissipator est, atque bonorum. Bene quoque dicit *emisit signa*, id est manifesta fecit signa *in medio tui, Ægypte*, quia signa illa, quod Pharaonem et servos ejus destruxerunt, palam fuerunt exterius per bonam fidelium operationem, quæ quidem nulla essent, si Pharao destructus non esset. *Emisit*, inquam, Dominus *signa* Pharaonem in baptismate destruendo, qui etiam post baptisma in suis *percussit gentes multas*, id est destruxit multa peccata, quæ propter magnam multitudinem gentes multæ dicuntur, hominum enim multitudines gentes dicimus. *Et occidit*, id est destruxit in suis *reges fortes*, id est ipsa peccata, quæ superius gentes multas dixit : quæ etiam reges dicuntur, eo quod ante Christi adventum more regum hominibus dominabantur; et fortes reges dicuntur, eo quod ex eorum dominatu se non poterant homines expedire per se. Quæ pro certo peccata in suis post baptisma Dominus destruxit, in quibusdam quidem sic ut nunquam post baptismum eis prævalere possent; in quibusdam vero sic, ut, postquam eis prævaluerint, rursus per gratiam pœnitendo delerentur. Quam utique peccatorum destructionem Dominus præfigurari voluit cum, ingredientibus in terram promissionis filiis Israel, *multas gentes et reges fortes*, qui terram illam possidebant, a facie eorum destruxit, et terram ipsam eis ablatam, filiis Israel in hæreditatem dedit.

Exponit autem quæ fuerunt illa peccata quæ destruxit, quos reges fortes superius nuncupavit sic. *Reges*, inquam, *fortes percussit*, scilicet, *Seon regem Amorrhæorum*. Seon autem *tentatio calens* vel *tentatio oculorum* interpretatur. Unde per Seon tentatio vehemens intelligitur, quæ calens dicitur eo quod valde ferveat, dum ad consentiendum fideles nimis incitat cum eis sæpius instat. Quæ etiam tentatio oculorum dicitur, ut a parte præcipua totum designetur : et sic per oculos cum iste sensus in sensibus corporis præcipuus sit, tentatio omnium sensuum corporis accipiatur. Quæ nimirum tentatio rex est Amorrhæorum, id est princeps est amaricantium, scilicet illis dominatur quos ad consensum pertrahens Amorrhæos facit, id est Deum amaricantes. Amorrhæ quippe *amaricantes* interpretantur. Hujusmodi vero tentationem Dominus in suis destruxit, non ut non
539 instaret, sed ne suis per consensum prævaleret, sicque rex eorum esset, et eos Amorrhæos faceret. In quibusdam vero et si eis post baptisma prævaluit, eam tamen per pœnitentiam sic destruxit ut non habeat ulterius locum eis prævalendi : et non solum *percussit Seon*, sed *et Og regem Basan*. Og autem interpretatur *conclusio*; Basan vero *confusio*. Per Og ergo operatio prava denotatur, quæ ideo *conclusio* dicitur, quia male operantem sic concludit et alligat ut difficulter inde expediri valeat, a similitudine in carcere conclusorum, qui inde facile egredi per se non possunt. Hæc equidem operatio rex est Basan, id est potens ducere male operantes ad Basan, id est ad confusionem æternæ perditionis; vel ad hanc confusionem, ut malo merito ipsius confusionis de malo in pejus præcipites eant. Hanc autem malam operationem vel in suis Deus destruit ut eis nullo modo prævaleat, vel si quoquo modo in ipsam inciderint, per pœnitentiam eam evacuat.

Et percussit *omnia regna Chanaan*, id est omnes reges Chanaan. Per Chanaan, qui interpretatur *commotio* vel *paratus humilitati*, prava consuetudo exprimitur, quæ illos quibus rex est, eis dominando commovet, id est a Deo separat, et eos a Deo separando humilitati parat, id est dejectioni æternæ perditionis. Quam nimirum consuetudinem in quibusdam suorum Deus percutit, auferendo per pœnitentiam postquam eis inest, in *aliis* vero sic ut nullatenus in eis regnet. Littera sic adaptatur : *Percussit* non solum *Seon et Og*, sed *et omnia regna Chanaan*, id est omnes reges illos qui sunt Chanaan, id est commoventes a Deo homines, et eos humilitati dejectionis æternæ parantes, scilicet percussit pravas consuetudines, ne essent fidelium suorum reges. *Seon*, inquam, *percussit et Og et reges Chanaan*, *et* his percussis *terram* prius existentem *hæreditatem eorum*, id est terrenam sensualitatem fidelium, quæ prius erat hæreditas horum regum, scilicet quam isti reges possidebant, ut aliquis hæreditatem possidet, dedit *hæreditatem Israel populo suo*, scilicet fecit ut his regibus expulsis, populus fidelium suorum jam Israel existens, ipsam sensualitatem suam ut *hæreditatem* possideat et excolat, et ipsam per rationem bene regendo terram Dei fructificantem in bono opere faciat. Potest autem aliter legi versus ille qui est : *emisit signa*, ut sequentes non mutentur in sententia, sic. *Percussit*, inquam, *primogenita Ægypti*, et per hoc illa *percussit*, quoniam *emisit signa in medio tui, Ægypte*, id est manifeste misit in communitatem tui, o humanum genus, signa, et non qualiacunque signa, sed *prodigia*, miracula scilicet apostolorum, quæ prodigiosa fuerunt et magna. *Signa* dico tendentia *in Pharaonem, et in omnes servos ejus*, id est in destructionem potentiæ diaboli, et omnium spirituum malignorum ejus ministrorum Ac si dicat : Ad hoc emisit signa ut per ea signa genus humanum ad fidem vocaret, et per fidem et baptisma in eis peccatum originale deleret; et sic, occasione horum signorum, diabolo et servis ejus potestatem quam in genere humano habebant auferret. Qui etiam occasione eorumdem signorum, *percussit* per fidem in baptismate *gentes multas, et occidit reges fortes*, scilicet *Seon regem Amorrhæorum et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan* : et his percussis *terram* existentem *eorum hæreditatem* dedit *hæreditatem Israel populo suo*.

Hi tres versus ut superius expositi sunt : ita hic quoque exponuntur. Per gentes multas et reges,

www.libtool.com.cn

actualia peccata intelliguntur, in baptismo percussa, consensus videlicet et operatio et consuetudo. Quoniam ergo gentes et reges percussisti, et cuncta superius ostensa fecisti, o *Domine, nomen tuum æternum* durabit, scilicet contuitu horum supradictorum ab hominibus glorificaberis, et illa gloria tua in æternum durabit: et inde continget quod *in æternum* erit: quoniam, o *Domine, memoriale tuum* 540 duravit *in generatione* hac præsenti, *et* usque in *generationem* ultimam, scilicet percussio gentium et regum fiet a te in omnibus generationibus hujus vitæ, in diversis fidelibus futuris jam natis et adhuc nascituris, et inde semper ab ipsis fidelibus glorificaberis. Dicitur autem percussio peccatorum *memoriale* Dei, eo quod cum a Deo fiat, et significatum sit illius occisionis regem et gentium, quæ contigit ad historiam ingredientibus *filiis* Israel in terram promissionis, illam historiam sæpius ad memoriam reducit. Non solum autem, o auditores, erit gloria Domini *in æternum* propter supradicta beneficia, sed ideo quoque, *quia Dominus judicabit*, id est justo judicio suo dignitate et gloria sublimabit *populum suum*, populum scilicet fidelium, postquam ab hac vita discesserint, unde ab hominibus in hac vita degentibus glorificabitur; *et* adeo *populum* servorum suorum justo judicio sublimabit, quod *in* illis *servis suis deprecabitur*, id est deprecabilis erit poscentibus in meritis servorum suorum, ut eis eorum intercedentibus meritis concedat quod postulabunt. Unde quidem habet usus vivorum fidelium, ut sanctos qui jam ab hac vita dicesserunt, pro se Dominum orare rogent.

Facta exhortatione sua ad laudandum Dominum, ut auditores ab idololatria penitus revocando, eos magis ad Dei laudem attrahat, immoratur in idolorum depressione, sic: Dixi, o auditores, quod Dominus adeo potens est quod *omnia quæcunque voluit fecit*, ut etiam per partes ostensum est; sed *dii gentium*, qui nec etiam dii, sed *simulacra* dicendi sunt, neque aliquid volunt neque aliquid possunt. Inde vero esse impotentia convincuntur, quoniam ipsa simulacra gentium *argentum et aurum* existentia secundum materiam et *opera manuum hominum* secundum formam. *Os* imaginarium *habent et non loquentur. Oculos* imaginarios habent *et non videbunt. Aures* imaginarias *habent et non audient*, et bene dico quod non loquentur, *neque enim est in ore ipsorum spiritus*, id est flatus, sine quo locutio non formatur. Cum igitur simulacra sic impotentia sint, et tamen a stultis gentilibus quasi dii colantur, *similes illis fiant* interius illi *qui faciunt ea*, sicut colant, *et omnes qui*, etsi non faciunt, tamen *confidunt in eis*, nisi tandem resipuerint, scilicet sic fiant surdi et cæci ratione interius, sicut illa exterius. Hoc non imprecando, sed concedendo dicit, ut sic auditores ab idolorum cultura deterreat. Illi, inquam, *similes illis fiant qui faciunt ea, et qui confidunt in eis.* Vos vero *domus Israel*, id est familia fidelium subditorum in Judaico populo, *benedicite*, id est exaltate Dominum Christum opere et corde; et vos *domus Aaron*, id est familia prælatorum majorum fidelium ex Judæis, *benedicite Dominum*: et vos in gentibus qui timetis Dominum casto timore, tam prælati quam subditi, *benedicite Dominum*: dicentes etiam exterius ore: *Benedictus*, id est in æternum exaltatus sit *Dominus* Christus *ex Sion*, id est ex Judæis nascens secundum quod homo *qui* etiam secundum quod Deus *habitat in Hierusalem*, id est dominatur in civibus cœlestis Hierusalem. Quod est dicere: Benedicendus est, quod Deus est et homo. Per Aaron majores prælati accipiuntur, per Levi minores, cum tamen Aaron tribus ex tribu Levi fuerit. Sed cum dignior pars tribus Levi, tribus Aaron fuerit, per tribum Aaron congrue majores prælati intelliguntur; ideoque vox ista quæ est Levi ad significandum minores prælatos restringitur.

IN PSALMUM CXXXV.

Titulus centesimi tricesimi quinti. *Alleluia*, vox Prophetæ adhortantis omnes ad confitendum Domino, tum quia bonus in natura, tum quia in æternum est misericordia ejus, tum etiam quia Deus deorum et Dominus dominorum, et quia facit mirabilia magna, quæ per totum fere psalmum ad ejus laudem ostendit.

541 *Confitemini* Domino Patri, vel Domino Filio laudem corde, voce et opere, o vos omnes fideles, et hoc eo contuitu, *quoniam bonus* in natura. Qui vero eum in natura bonum esse contueri non sufficitis, *confitemini* eo contuitu, *quoniam* usque *in æternum* durabit *misericordia ejus*, id est beneficium misericordiæ ejus quod humano generi jugiter impendit, vel sic: *Quoniam misericordia ejus* est ducens nos in *æternum*, id est in æternam vitam per indulgentiam criminum, et augmentum virtutum. *Confitemini*, inquam illi existenti *Deo deorum*, id est deificatorum ab illo sanctorum, ac si dicat: Confitendum est illi, cum ipse Deus sit omnes sanctos deificans. *Confitemini Domino* omnium *dominorum*, ac si dicat: Confitendum est illi, cum omnium dominorum Dominus existat. *Confitemini* cui confitendum est, utpote *qui fecit mirabilia magna*, existens *solus* Deus per naturam, et Dominus per omnipotentiam. *Solus* autem addit, ad remotionem, quia posuerat *deorum et dominorum*, ut solum eum ostendat Deum in natura, et Dominum in omnipotentia. Notandum quod in fine uniuscujusque versus hujus psalmi repetendum est, *quoniam in æternum misericordia ejus*, quod ad laudem Dei Propheta ponit, et est in unoquoque istud exponendum, ut in primo versu jam expositum est. Sive non ita ample oportet ut accipiatur misericordia in unoquoque versu ut in primo accipitur, sed strictius, ut illa sola in unoquoque versu accipiatur, quæ unoquoque denotatur. Verbi gratia: *Confitemini*, inquam, illi qui *solus* existens Dominus et Deus fecit *mirabilia magna, quoniam* hoc *misericordia*, id est beneficium misericordiæ ejus, scilicet quod facit mirabilia magna durabit *in æternum*, vel est ducens nos in æternum. Exponit autem quæ mi-

www.libtool.com.cn

rabilia fecit sic. *Fecit*, inquam, *mirabilia*, hæc scilicet *qui* nempe *fecit cœlos*, id est prælatos sublimes in sanctitate ad modum cœlorum : et hos *cœlos* fecit *in intellectu* suo, id est in sapientia sua. Si dicamus de Domino Patre, dicemus quod cœlos fecit in sapientia, id est in Filio. Unde Psalmographus alibi : «Verbo Domini cœli firmati sunt (*Psal.* XXXVI, 6).» Si vero dicamus de Domino Filio, dicemus quod cœlos fecerit in seipso, id est per seipsum, qui est sapientia Patris, non per vires alienas, et *qui firmaverit* in fide terram, id est subditos, *terram* ejus fructiferam existentes. Terram dico fundatam *super aquas* baptismatis, quæ fundamentum et initium sunt virtutum. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III, 5).» Vel *firmavit terram* in constantia virtutum, non submergendam ab aquis, id est a persecutoribus circumquaque eam ad modum aquarum per incorporationem demergere nitentibus, sed exstantem *super aquas*, id est superiorem aquis et insuperabilem ab eis, ne aliquatenus ipsis cedat. Dictum est hoc a similitudine hujus terræ immobilis, quæ asseritur super aquas fundata esse ; quæ a circumquaque instantibus marinis aquis submergi non potest. *Confitemini*, inquam, *Domino qui* illos, quos superius dixi, *cœlos* et *terram*, id est prælatos et subditos *fecit* per gratiam suam esse *luminaria magna*, id est magnos illuminatione cognitionis ejus, ut etiam aliis essent luminaria, illuminando eos eadem cognitione per doctrinam. Quod præfiguratum est in luminaribus, quæ Deus in cœlo posuit ut terram illuminarent (*Gen.* I, 14).

Luminaria, inquam, *magna fecit*, et ecce quæ *luminaria* : *Solem*, scilicet fecit, id est illos qui dicendi sunt sol. Exponit ergo propter quid fecit solem, cum addit, solem, inquam, redactum *in potestatem diei*. id est in potestatem clarissimæ cognitionis, quæ dies dicitur propter suæ dignitatis excellentiam. Quod est ac si dicat : Quosdam sic fecit esse luminaria, ut propter magnitudinem illuminationis suæ, quæ dies dicitur, ipsi sol dicantur. Quod est dicere : Quosdam fecit magis aliis cognitione suæ illuminatos. Fecit etiam *lunam et stellas* redactas *in potestatem noctis*, id est quosdam illuminavit mediocri potentia cognitionis, ut possint luna 542 dici ad comparationem magis illuminatorum, qui sol dicuntur, et quosdam minori potentia cognitionis, ut possint stellæ dici ad comparationem mediocriter illuminatorum, qui luna dicuntur. Sol quippe longe clarior est luna, et luna stellio, ideoque congrue per solem magis illuminati, per lunam vero mediocres, per stellas autem minores illuminati intelliguntur. Illorum vero illuminatio, qui luna dicuntur, et stellæ, etsi dies dici possit, secundum se tamen ad eorum illuminationis comparationem, qui sol sunt, quæ antonomastice dies est, nox appellatur. Juxta quod alibi Psalmista testatur. « Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Psal.* XVIII, 2). » Ista quidem luminaria etsi inter se collata quædam majora sint, quædam mediocria, quædam vero minora, omnia tamen sunt secundum se magna et gloriosa: ideoque non immerito positum est, *qui fecit luminaria magna*.

Exponit ergo per quid fecit cœlos et terram et luminaria cum addit : *Qui percussit Ægyptum*, etc. Quod sic adaptatur : *Confitemini*, inquam, *Domino* qui per hoc fecit cœlum quod terram et luminaria, *quod percussit Ægyptum cum primoginitis eorum*, id est destruxit Ægyptios et primogenita eorum, scilicet homines qui erant Ægyptii, id est tenebrosi ignorantia, et afflicti sub pondere peccatorum actualium. Per fidem destruxit secundum quod erant Ægyptii, et eos destructos sic illuminavit ; et a peccatorum afflictione libiravit; et eorum primogenita destruxit, id est peccata originalia. Ne vero videretur omnes Ægyptios destruxisse, addit : *Confitemini*, inquam, illi *qui eduxit Israel de medio*, id est de communi *eorum*, Ægyptiorum. Ac si dicat : Ita dico eum Ægyptum percussisse quod quosdam ex Ægyptiis pœnitentia percussit, et per hoc eos Israel fecit, et sic ipsos a consortio aliorum Ægyptiorum, in Ægypto remanentium, *eduxit*. Et hoc fecit *in potenti manu*, id est in potenti operatione gratiæ suæ, *et* in *brachio excelso*, id est in fortitudine excelsa, id est in fortitudine illius potentis operationis gratiæ suæ, quæ excelsa est, id est præ cæteris fortitudinibus celsa et gloriosa. Quæ per brachium denotatur, eo quod in brachio fortitudo sit. Brachium et manus hic idem significant, sed manus notat operationem, brachium vero fortitudinem. Ostendit autem per quid *Israel eduxit* de Ægypto, per baptisma videlicet, cum addit : *Confitemini Domino qui* ut educeret Israel de Ægyto, *divisit in divisiones*, id est divisit in diversitates *mare Rubrum*, id est baptismum per *Rubrum mare* præfiguratum, ut aliis esset in ruinam, aliis in salvationem, ut in psalmum septuagesimum septimum expositum est in loco ubi habetur : *interrupit mare*, etc. Notandum, cum ponit *divisit*, non superflue additum esse *in divisiones*, ut innuat multiplicitatem diversitatum in ipso baptismate. Licet enim unum sit, diversis modis tamen pluribus bonæ vitæ, boni per ipsum salvantur, et diversis modis pluribus malæ vitæ mali per ipsum damnantur. *Divisit*, inquam, *mare Rubrum*, et *per medium ejus* maris *eduxit Israel*, id est populum salvandorum de Ægypto infidelitatis. Cum dicit ; *per medium ejus*, nihil plus notamus quam si poneret *per illud mare Rubrum*, sed hæc verba ponit ad historiæ similitudinem. *Per medium* quippe maris Ribri divisi leguntur Filii Israel fuisse de Ægyptiis liberati. *Eduxit*, inquam, *Israel* per baptismum, *et Pharaonem*, id est diobolum *et virtutum ejus*, id est exercitum spirituum malignorum, qui prius Israel dominabatur, dum erat in Ægypto, *excussit* ab Israel, id est *excussit* jugum potentiæ ejus a cervice fidelium, *in mari Rubro* submergens, id est in baptismate, disperdens ipsum *Pharaonem* et omnem ejus exercitum. *Qui* etiam

www.libtool.com.cn

postquam *populum suum per* mare Rubrum eduxit, et Phraonem ibi demersit, eumdem populum suum transduxit, et adhuc transducit ad patriam cœlestem per *desertum* hujus vitæ, per virtutes et bonas operationes. Quod in filiis Israel præmonstratum est, qui in terram promissionis per desertum sunt transducti. Quia etiam ne populus ejus in hac traductione

543 a magnis et fortibus regibus occurrentibus impediretur, *Percussit reges magnos*, id est magna peccata criminalia percussit, ne suorum reges essent; *et* non sic percussit ut non perirent, sed et *occidit*, id est ex toto destruxit illos *reges* magnos *fortes* prius existentes, sic ut inde modo quolibet sese expedire non possent. *Occicit*, inquam, *reges magnos et fortes*, scilicet *Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Bazan, et omnia regna Chanaan. Et* his occisis, *terram* prius existentem *hæreditatem eorum dedit hæreditatem Israel*, id est populo fidelium servo suo, existenti, in omnibus sibi obedienti. Isti septem versus ita in hoc psalmo exponuntur ut jam in præcedenti psalmo expositi sunt. Dico quod Dominus *percussit reges magnos et fortes*, et nos de Ægypto eduxit, et cætera beneficia contulit; quod equidem non ex meritis nostris, sed ex sola sua misericordia fecit. *Quia* cum ipse nos oblivioni dedisse visus esset, *memor fuit nostri in humilitate nostra*, id est in consideratione humilitatis nostræ, scilicet misericorditer respiciens dejectionem mortalitatis et passibilitatis nostræ, in quam per Adam deveneramus. *Et* nostri memor existens, morte sua *redemit nos ab inimicis nostris*, a vitiis scilicet, et a spiritibus malignis.

Notandum quoniam, etsi superius dixerit quod nos ab inimicis eripuit, hic tamen pretium mortis suæ denotat, ad exaggerationem ipsius beneficii, ut nos in laude Dei promptiores reddat, cum dicit *redemit*. Dico quod *nos redemit qui* etiam post redemptionem *dat* jugiter *escam* spiritalem corporis sui *omni carni*, id est omnismodi homini tam Judæo quam gentili, tam nobili quam ignobili, unde anima incessanter reficitur. « Non enim est personarum acceptio apud Deum (*Rom.* II, 11). » Cum dicit *omni carni*, idem est ac si poneret omni homini, totum a parte designans. *Confitemini*, inquam, *Deo cœli*; ac si dicat: Cum tot mirabilia humano generi fecerit, *confitemini* illi. Et cum etiam Deus sit non tantum hominis, sed cœli, id est spirituum cœlestium, hac occasione *confitemini illi. Confitemini* quoque *Domino dominorum*, id est confitemini etiam ideo, quia Dominus est omnium dominorum, et ideo *quoniam in æternum misericordia ejus*. Hoc ideo repetit, ut sicut in laude incœpit, ita finiat in laude.

IN PSALMUM CXXXVI.

Titulus centesimi tricesimi sexti. *Psalmus David propter Jeremiam*. Quod sic exponitur: *Psalmus* iste est *David*, id est fidelium, qui hic agunt, compositus *propter Jeremiam*, id est juxta Jeremiam prophetam, scilicet non discordans a prophetia Jeremiæ, sed continens in se mystice, licet breviter, quod ad historiam prolixe prophetizatum est a Jeremia. Qui tamen Jeremias in fine libri sui mystice prophetizavit, quod ad historiam prædixerat de captivitate Hierusalem in Babyloniam facta per Nabuchodonosor, quæ signum erat captivitatis fidelium, cœlestis Hierusalem civium, qui vere captivi dicendi sunt, dum a cœlesti Hierusalem exsulant, inter Babylonis cives corpore conversantes, scilicet inter impios hujus mundi filios, qui jure Babylon dicitur, id est confusio, eo quod amantes se in confusionem præcipitaturus est æternam. Juxta illud Dominicum: « Filii autem regni hujus dejicientur in tenebras exteriores (*Matth.* VIII, 12). » De hac ergo captivitate ab Hierusalem cœlesti, perfecti fideles, in eo positi agunt, dicentes se super flumina Babylonis sedisse, et illic pro recordatione Sion flevisse, et organa a salicibus suspendisse, et canticum Domini in aliena terra non cantavisse. Promittunt quoque se Hierusalem cœlestis assidue recordaturos esse, et orant ut Dominus memor sit tribulationum quæ eis a filiis Edom inferuntur, ut eas quandoque remuneret, et etiam condolent de miseria filiæ Babylonis. Hoc autem totum in hoc psalmo dicunt, ut cæteros fideles in hac eadem captivitate positos instruant, ut et ipsi similiter in hac captivitate se habeant. Sunt autem hujus psalmi verba juxta historiam posita.

544 *Super flumina Babylonis* existentes, non submersi quidem ab ipsis fluminibus, scilicet existentes supra fraudulenta negotia hujus mundi, non subditi quidem ipsis negotiis, sed super ea existentes, et ea supernentes; vel *Super flumina Babylodis* existentes, id est supra res sæculares, quas contemnimus, et quibus subjici renuimus, quæ quidem res et negotia sæcularia adamantes se submergunt, ad damnationem pertrahunt, more fluminum, quæ cadentes in se submergunt, et in mare deferunt; *illic sedimus*, id est illic conversando corpore, scilicet juxta illa flumina Babylonis, licet non ab his submergeremur, sedimus tamen, id est dejecti fumus et anxiati, scilicet magnam delectionem esse reputavimus, juxta illa flumina corporaliter habitare, unde quippe nobis plures angustiæ contingere; *et* sedendo *flevimus* id est a fletu corporis abstinere nequivimus. Quoniam autem possent flere infructuose, sicut illi qui flent, vel de rerum amissione, vel alia hujusmodi occasione determinant unde fleverunt, addendo sic: *Flevimus*, in quam, *dum recordaremur tui*, o *Sion* cœlestis, scilicet flevimus pro recordatione Hierusalem cœlestis, cujus cives sumus: a qua hic in Babylonia positi peregrinamur. Vel *flevimus* compatiendo, ea occasione, quia multos hujus Babyloniæ cives vidimus ab his fluminibus submergi. *Flevimus*, inquam, *dum* hoc esset quod semper *recordaremur* tui, o cœlestis *Sion*, et recordando tui non possemus submergi, ac si dicat: Licet non submergerentur, ex sola tamen compassione submersionem aliorum flevimus. Vel *flevimus* de submersione aliorum, *dum recordaremur*

www.libtool.com.cn

tui, *Sion*, id est dum de te jugiter cogitaremus, ad quam metuebamus eos submersos nunquam esse perventuros.

Sedimus, inquam, et *flevimus*, et corporaliter conversando *in salicibus*, id est inter impios qui steriles sunt ab operibus bonis, ideo quod salices dicuntur, cum salices steriles arbores sint. *In salicibus* dico *in medio ejus* Babyloniæ existentibus, scilicet quæ jam erant in profundo Babylonis, unde nullatenus poterant erui; *suspendimus organa nostra* ab illis salicibus, id est elongavimus et separavimus prædicationes nostras ab illis impiis sterilibus. Quæ prædicationes organa dicuntur, quantum ad fideles auditores, quos delectant ad modum organorum; ac si dicat : Ideo prædicationem ab eis elongavimus, quoniam eos esse steriles et obstinatos in malitia cognovimus. Unde Dominus dicit : « Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas ponere ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Et Apostolus ad Titum : « Hæreticum hominem post secundam et tertiam correptionem devita (*Tit.* III, 10), » etc. Posset objici : Quare dicitis vos organa prædicationum suspendisse? Fuitne quisquam qui prædicationem vestram expeteret? Huic igitur antipophoræ talis datur responsio : Ideo nos suspendere organa decuit, *quia illi qui captivos duxerunt nos*, id est maligni spiritus qui per Adam in captivitatem hanc mortalitatis et passibilitatis adduxerunt nos, *illic* existentes, id est in salicibus illis præsidentes, per ipsas salices loquendo *interrogaverunt nos verba cantionum*, id est verba prædicationum, quæ fidelibus sunt delectabiles ut cantiones. *Interrogaverunt* quidem non ut eis obtemperarent, sed ut ea spernerent et conculcarent.

Determinat autem quæ *verba cantionum interrogaverunt*, cum addit sic : Dico *interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos. Et* ipsi iidem spiritus maligni *qui* per inobedientiam Adæ *abduxerunt nos*, id est ab æterna beatitudine in hanc captivitatem *duxerunt nos*, per illas salices *interrogaverunt nos* dicentes : *Cantate* unum *hymnum de canticis Sion*, id est cum jucunditate *nobis* proferte unam jucundam prædicationem ex illis jucundis prædicationibus quæ attinent ad Sion cœlestem. *Interrogaverunt*, inquam, *nos verba cantionum*. Nos autem ab eis organa suspendentes diximus : *Quomodo cantabimus*, vobis *canticum Domini in terra aliena*, id est in consideratione alienæ 545 terræ? Ac si dicant : Cum vos consideremus terram sterilem esse et alienam a Deo, et non congruam semini doctrinæ Domini, vobis canticum doctrinæ Domini non cantabimus. Vel sic : Nos conversantes corpore *in terra aliena*, id est inter vos terrenos, et a Deo penitus alienos, *quomodo cantabimus vobis canticum Domini?* Vel sic : *Quomodo cantabimus canticum Domini* vobis existentibus *in terra aliena*, id est in terrenitate vestra, quæ a Deo est aliena, et semini doctrinæ non congrua? Inutile quidem esset vobis canticum doctrinæ Domini cantare, ideoque non cantabimus. Quoniam autem dixerant se canticum cœlestis Hierusalem infidelibus non cantaturos, ne viderentur Hierusalem oblivioni daturi, removent hic sic : Quamvis non simus cantaturi canticum Domini infidelibus, tamen nunquam oblitus ero Hierusalem; quod de ea non cantem inter fideles, qui huic cantico sunt habiles. Quod *si oblitus fuero tui, o Hierusalem*, quod omnis devotio mea ad te non intendat, quod de te non cantem illis qui ad hoc erunt idonei, *dextera mea*, id est bona operatio mea, *detur oblivioni*, adeo ut nunquam remunereatur. Vel *dextera mea*, id est collocatio mea ad dexteram Dei Patris, quam exspecto, *detur oblivioni*, sic ut nunquam eam adipiscar. Vel *dextera mea*, id est operatio mea bona *detur oblivioni*, id est obliviscar bene operari. Et non solum hoc infortunium mihi contingat, sed etiam *adhæreat lingua mea faucibus meis*, id est mutus fiam quantum ad bonam locutionem : a similitudine illius qui cum sua lingua faucibus suis adhæreat, non potest loqui.

Adhæreat, inquam, *lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*. Idem est, *si oblitus fuero tui*, et *si non meminero tui*, sed propter diversum repetitum est. Non solum autem *meminero tui* utcunque, sed etiam, o Hierusalem, proponam, id est ante ponam te *in principio*, id est præcipuitate *lætitiæ meæ*, scilicet si hoc mihi contigerit, ut de multis rebus aliis læter, tu tamen de qua adispiscenda jam spem habeo, principum eris, id est præcipua causa lætitiæ meæ. Unde Dominus in Evangelio : « Primum quærite regnum Dei (*Matth.* VI, 33). » Non dicit *primum* quantum ad ordinem, sed idem est ac si diceret : Præcipue *quærite* ore, corde, et opere, *regnum Dei*, scilicet Hierusalem cœlestem. Quia *si non proposuero* te, *Hierusalem. in principio lætitiæ meæ, oblivioni detur dextera mea, et adhæreat lingua mea faucibus meis*. Hoc subauditur per aposiopesim. Has autem conditiones ideo ponunt ut ostendant bonum votum suum de Hierusalem, et innuant maximum detrimentum eis affuturum, qui votum bonum de Hierusalem non habebunt. Orant etiam de remuneratione tribulationum, quas pro Deo patiuntur, sic : Dico quod non *oblitus ero Hierusalem*, et quod *proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ*. Cujus rei gratia multæ tribulationes nobis inferuntur a filiis Edom, id est a filiis terrenis et sanguineis, scilicet a filiis Babylonis, id est ab impiis hominibus, qui præfigurati sunt per filios Esau qui et Edom dicitur, qui in reditu filiorum Israel de captivitate Babyloniæ, in Hierusalem impediverunt eos, in quantum potuerunt, ne civitatem et templum reædificarent. Eodem quippe modo filii hujus mundi, fideles tribulationibus impedire nituntur, ne seipsos Deo templum bene vivendo ædificent. Edom autem *terrenus* vel *sanguineus* interpretatur.

Dico quod pro recordatione Hierusalem inferuntur nobis tribulationes a filiis Edom. Et tu, *Domine*, etsi modo videaris nos hic oblivioni dare, *memor esto in die Hierusalem*, id est in die judicii, in qua plenarie constitues Hierusalem cœlestem *filiorum*

www.libtool.com.cn

Edom, id est memor esto tribulationum quæ nobis pro recordatione Hierusalem inferuntur a filiis Edom, id est a persecutoribus filiis hujus mundi, terrenis vel sanguineis : ut eos remuneres quandoque, scilicet in die Hierusalem. Vel potest esse concessio damnationis filiorum Edom, ut eos a nequitia sua deterreat sic : *Memor esto, Domine, in die Hierusalem*, id est in die judicii filiorum Edom persequentium nos pro recordatione Hierusalem, 546 ut eos juste punias. *Qui* nimirum filii Edom contradicunt inter se unus alii. *Exinanite, exinanite* illa quæ sunt *in ea*, id est in civibus ejus Hierusalem *usque ad fundamentum* ; ac si dicat : Quia vident nos ad Hierusalem tendere, invidia tacti persequuntur nos tribulationibus, dicentes : Persequamur eos tribulationibus assiduis, et sic exinaniamus, inquam, id est evacuemus virtutes et opera bona eorum, quibus ad cœlestem Hierusalem tendunt, et in tantum exinaniamus, quod usque ad exinaniendum fundamentum perveniamus, scilicet usque adeo eos persequamur, ut etiam fidem eis extorquemus, quæ fundamentum est omnium virtutum et operum bonorum ipsorum. Condolent etiam de miseria filiorum Edom, quos filiam Babylonis vocant, ut ostendant eos per nomen sexus feminini effeminatos esse in virtutibus, sic : Vos filii Edom, qui etiam *filia* estis *Babylonis*, id est hujus mundi, dicitis *exinanite* et reputatis nos miseros, vos vero esse beatos. Econtrario vero tu, *filia Babylonis, misera* es, etsi in sæcularibus floreas ; sed *beatus* et hic in futuro *quicunque* fidelium *retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis*. Exponit ergo quam retributionem retribuet, cum addit : *Beatus*, scilicet, et hic et in futuro, *qui tenebit* parvulos tuos ne crescant, scilicet illa membra tua, quæ nondum in adultam nequitiam devenerunt ; sed adhuc parva sunt in malitia, retentabit a malitia sua per prædicationem, ne in ea crescant, et sic eos tenebit, quod *allidet* illos *parvulos tuos ad petram* fortitudinis, Christum scilicet, destruet eos secundum quod mali sunt : jungendo eos per fidem petræ fortitudinis Christo, a similitudine parvulorum, qui allisi ad lapidem interimuntur ; ac si dicat : Beatus et hic et in futuro, quicunque fidelium parvulos tuos per fidem incorporabit, jungendo ipsos Christo capiti, sicut tu quosdam ex parvulis nostris, ex idiotis, scilicet deficientibus a fide propter blanditias vel propter tribulationes incorporasti tibi. Constat enim impios, quosdam ex fidelibus idiotis incorporasse sibi. Et ecce retributio quam filiæ Babylonis filii Hierusalem beati retribuunt, ut sic parvulos ejus per fidem incorporent, sicut ipsa parvulos ipsorum incorporare nititur. Vel parvulos filiæ Babylonis, quosque impios vocat, qui hic secundum partem a fidelibus incorporantur, qui parvuli dicuntur, eo quod licet nimis nequam sint, tamen more parvulorum in malitia sua crescunt, sicut assidue injusti in malitia sua augmentantur. In futuro vero et justi perfecte adulti erunt in charitate, ut nihil voluntatis habeant nisi bonæ ; impii vero sic in impietate adulti, ut ex invidia gloriæ bonorum et tormentorum suorum nihil voluntatis habeant nisi malæ ; nullam tamen potestatem malæ operationis habituri.

IN PSALMUM CXXXVII.

Titulus centesimi tricesimi septimi. *Psalmus ipsi David*, id est Christo directus. Non quod hic Christus loquatur, sed quia fidelium perfectorum massa in hoc psalmo agens, verba sua dirigit ad Christum ad gratiarum actionem, ostendens bonam affectionem suam quam habet confitendi ipsi Domino Christo, et psallendi. Quod ad instructionem auditorum facit, ut eos instruat hanc eamdem affectionem habere. Orat quoque de multiplicatione virtutum, ut eosdem instruat orare, et optat reges terræ ut Domino confiteantur, et in viis ejus cantent ; et subdit causas quare ipsi confiteri debeant, et in viis ejus cantare.

Confitebor tibi, Domine Christe, *in toto corde meo*, id est laudabo te in tota affectione cordis mei, licet a Judæis vituperatus fueris. Et merito confitebor, *quoniam audisti* sic ut impetrarem, *omnia verba oris mei* ; ac si dicat : Non solum te verbis cordis oravi, cogitationibus scilicet, sed et verbis oris exterioris. Et illa *verba omnia audisti*, illa videlicet omnia quæ digna erant impetratione. Unde idem in Evangelio : « Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis (*Joan.* xv, 16). » *Confitebor*, inquam, *in toto corde*. Et non solum hoc, sed et *psallam tibi*, id est bene 547 operabor ad honorem tuum : *in conspectu*, id est in consideratione *angelorum*, scilicet non ad humanum favorem bene operabor, sed ex sola dilectione tui, sicut angeli ex sola dilectione ministeria eis injuncta operantur. Vel *psallam tibi in conspectu angelorum* ponendus, id est in eadem speciali contemplatione divinitatis tuæ, in qua ipsi positi sunt, scilicet ea intentione psallam ut ad eumdem conspectum attingere merear quo angeli perfruuntur. Et *ad templum sanctum tuum* veniens, id est veniens ad hoc bene vivendo, ut merear esse *sanctum templum tuum* in quo spiritaliter inhabites, *adorabo* te in illo templo, id est venerabor te quodam singulari cultu principuæ venerationis, te Deum et Dominum, et me creaturam et servum reputando, et sanctum templum tuum bona vita mea me faciendo. Hoc autem adorare Deum in hujusmodi templo, præfiguratum est in lege veteri, in qua constitutum erat ut post ædificationem templi nemo Deum adoraret, nisi in templo. Adorare quidem proprie dicimus Deum præcipue digno et singulari cultu colere : dum eum solum Deum et Dominum cognoscimus, et nos servos ejus et creaturam esse reputamus. Unde in Apocalypsi legitur angelus ab adoratione sui Joannem sic prohibuisse. « Vide ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum. Deum adora (*Apoc.* xix, 10). » *Adorabo*, inquam, *et confitebor nomini tuo super misericordia tua et veritate tua*, id est laudabo te et consideratione nominis tui : quod est Dominus ;

www.libtool.com.cn

Et hæc confessio continget de *misericordia tua et* A *veritate tua*, scilicet confitebor tibi propter misericordiam tuam et veritatem promissionis tuæ completam, id est ea occasione tibi *confitebor*, quia nos salvasti per misericordiam et ut promissionem tuam verificares : promiseras enim te genus humanum salvaturum. Et ideo quoque confitebor, *quoniam magnificasti nomen sanctum tuum super omne* nomen, id est ostendisti ipsa rei evidentia *nomen sanctum tuum*, quod est Deus et Dominus, majus esse et gloriosius omni nomine. Unde Apostolus : « Et dedit illi nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II, 9). » Quamvis enim nomina hæc angeli, archangeli, virtutes, et cætera hujusmodi gloriosa sint et magna designent, nomen tamen Domini Jesu, Deus, scilicet, et omnium Dominus et omni- B potens, gloriosius est, et longe majus designans.

Ostensa bona affectione sua, quam habet confitendi et psallendi, sequitur oratio, quæ talis est : *Confitebor*, inquam, *et psallam*, et *adorabo*. Ideoque *in quacumque die invocavero te*, id est interius bona affectione, non solum exterius voce oravero te, poscens multiplicari a te *in anima mea virtutem*; *exaudi me* ut multiplices *in anima mea virtutem*. Quod pro certo facies, revera *multiplicabis*, id est augmentabis de die in diem omnem *virtutem in anima mea*. Hoc autem nimia certitudine sibi promittit, ut sic magis auditores ad hoc orandum impellat spe consequendi. Facta oratione pro se, orat etiam pro fidelibus aliis, ut et ipsi *reges* suimet C existentes *confiteantur* Domino, exemplo suo ut *cantent in viis ejus*, quod eis utilissimum est. Hoc autem ea intentione facit ut auditores instruat pro aliorum utilitate orare. Dico *confitebor* et *psallam* : et exemplo mei *confiteantur tibi*, *Domine*, laudem omnimodam *omnes reges terræ*, id est omnes fideles, facti *reges terræ* suæ, id est sensualitatis suæ ut bene regant eam, et faciant terram fructificantem Deo bona opera, et ea occasione confiteantur *quia* jam *audierunt omnia verba oris tui* per prædicatores tuos, scilicet illa omnia doctrinæ tuæ verba, ad instructionem fidei et morum pertinentia, sine quorum notitia nemo salvatur, quæ tu ipse ore tuo discipulis locutus es. Multa quippe mystica et arcana D locutus est Dominus quæ non omnia audierunt omnes reges terræ. Ideoque cum dicat *omnia verba oris tui*, determinandum est de illis verbis dictum esse, quæ ad fidem et mores attinentia ignorare non licet. Unde legitur in Apostolo : « Ignorans ignorabitur (*I Cor.* XIV, 38). » Confiteantur, inquam, et sic quidem quod *in viis Domini* existentes, id est in completione præceptorum ejus quæ sunt viæ ad vitam, 548 *cantent*, id est delectentur in ipsis viis a similitudine cantantium qui in cantu suo delectantur. Possent nempe in *viis* Domini esse sic quasi invite complentes et non cantarent quod nimirum non esset adeo utile: *Confiteantur*, inquam, *et cantent*. Et hoc ea occasione : *quoniam magna est gloria Domini*, quam in futuro dabit confitentibus sibi, et in *viis* ejus cantantibus. *Confiteantur* etiam *et cantent* eo contuitu, *quoniam Dominus est excelsus*, id est omnipotens, ideoque ipsi confitendum est. *Et* quia *humilia respicit* respectu misericordiæ suæ, id est miseretur hic omnium humilium sibi confitentium, *et* cum *humilia* respiciat, *alta* etiam, id est superba *cognoscit* ut puniat *a longe* existens non secundum locum, sed secundum misericordiam, scilicet providet ultionem superborum, sic ut longe faciat ab eis misericordiam suam propter eorum mala merita. Exponit autem qualiter *humilia respicit* sic : Vere respicis respectu misericordiæ, et me humilem et cæteros mei modi. Nam ego existens *in medio*, id est in plenitudine *tribulationis si ambulavero*, id est si perseveravero in constantia mea ne pro tribulatione deficiam sicut vere ambulo, per hoc contingit mihi hujusmodi ambulatio, quia *vivificabis me* interius in anima per gratiam, cum exterius in corpore pro tribulatione mortificatus ero ; ac si dicat : In hoc comprobatur, quia me humilem respicis, quoniam per gratiam tuam interius me vivificantem, me facies in medio tribulationis constantem. Et sic quidem *me vivificabis* quod *extendisti manum tuam*, id est extensum mihi facies auxilium gratiæ tuæ *super iram inimicorum meorum*, id est supra iracundam impugnationem inimicorum meorum. Quod est dicere : Cum magna sit eorum impugnatio, majus tamen est in me auxilium gratiæ tuæ. Extendes, inquam, hic mihi manum tuam, *et* tandem post mortem corporis C *fecit*, id est faciet *me salvum dextera tua*, id est misericordia tua, a tormentis omnibus eripiendo, et ad dexteram Patris me collocando.

Post suæ salutis ostensionem, ostendit justam inimicorum retributionem ; apostropham faciens ad auditores, ut eos ab inimicorum conformitate retrahat sic : O auditores, dico quod *me salvum* faciet Dominus. Econtrario vero *Dominus retribuet* in futuro justam inimicis meis damnationem *pro me*, id est ideo quia mihi tribulationem injuste inferunt. Vel *pro me*, id est loco mei, scilicet quia eis hic nolo mala pro malis retribuere. Unde Apostolus : « Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* XII, 19). » Orat etiam assequi quod adnumeravit sic : Dico quod, *Domine*, *vivificabis me* D interius per gratiam in virtutibus et *salvum me* facies. Et sic oro ut fiat, o *Domine*, quia *misericordia tua*, quam naturaliter habes, duratura est *in sæculum*, id est in æternum ; *ne despicias opera manuum tuarum*, id est ne videaris despicere digna *opera* tua, quæ in me operari incœpisti, vivificationem scilicet animæ in virtutibus ; quæ quidem opera videreris despicere, si vivificationem illam in me non perficeres, ac si dicat : Perfice in me vivificationis opera, quæ jam incœpisti.

IN PSALMUM CXXXVIII.

Titulus centesimi tricesimi octavi. *Psalmus David Christi respicientis in finem*, id est in perfectam sui consummationem ; de qua hic agit. In hoc enim psalmo Dominicus homo ad gratiarum actionem Deo

www.libtool.com.cn

Patri loquens, ostendit perfectam innocentiæ, et justitiæ, et scientiæ, et totius bonitatis suæ consummationem, ut auditores inexcusabiles reddat; ostendens se adeo dignum esse cum perfecte consummatus sit : ad cujus exemplum et ipsi in quantum possibile est consummentur, et sic eos ad sui conformitatem attrahat.

Domine Pater *probasti me*, id est fecisti *me*, approbare et experiri præcepta tua, ut mihi non viderentur aspera et injucunda, sed probabilia et laudabilia et delectabilia. Hæc oratio compendiosa est, æquipollens ac si poneret : *Domine* Pater, posuisti me in approbationem et experientiam præceptorum tuorum, ut ea complerem. *Et* 549 *me* in hanc experientiam adductum *cognovisti*, id est dilexisti. Ea quippe quæ diligit, dicitur Deus cognoscere, et ea quæ odio habet dicitur nescire. Juxta quod in Evangelio de impiis et fatuis legitur : « Amen dico vobis, nescio vos (*Luc.* XIII, 25; *Matth.* XXV, 12). » Quoniam autem se a Deo probatum et cognitum asseveraverat, posset ab infidelibus objici : Cum sic probatus sis et cognitus, mirum est cur te Deus pater permittet humiliari, qui pro certo hoc de te non pateretur, nisi mala tua merita promererentur. Ad hoc ergo removendum, sic addit : Licet me probaveris et cognoveris, *tu* tamen qui nil mali vis *cognovisti*, id est voluisti et ab æterno disposuisti *sessionem meam*, id est humiliationem meam in mortem : *et* sic per *sessionem cognovisti resurrectionem meam* : ac si diceret : Hoc non erit ex malis meritis meis, quod in mortem humiliabor, sed ex sola voluntate et dispositione tua. Nec solum autem *me probasti et cognovisti*, sed, ut majus quid dicam, *intellexisti cogitationes meas*, id est adeo sanctas et idoneas fecisti *cogitationes meas* ut intellectu tuo essent dignæ Illa nempe Deus tantum intelligere dicitur, quæ idonea sunt ac si dicat : Dilexisti cogitationes meas, utpote dignas et idoneas. *Intellexisti*, inquam, et hoc non a moderno tempore, sed *de longe*, id est intellexisti omnia quæ cogitavi a principio humanitatis meæ. Et *intellexisti semitam meam*, id est dilexisti completionem omnium arduorum et præcipuorum præceptorum quæ in me est, quæ semita dicitur, eo quod ad modum semitæ arcta sit, id est paucis communis. Et per semitam et cogitationes *investigasti*, id est me investigare et exquirere fecisti *funiculum* meum, id est dimensionem *hæreditatis meæ*, quæ per funiculum accipitur, eo quod funiculo hæreditas mensuretur. Quod est dicere : Per completionem arduorum præceptorum tuorum, fecisti me exquirere a te hæreditatem, scilicet genus humanum : quod dimetiar : partem assumens in salvationem, partem vero dimittens. Unde in psalmo secundo : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II, 8). » Ubi hic habetur funiculum, in Hebraica translatione habetur *accubationem*. Quæ vox æquipollenter hic idem designat cum funiculo, scilicet partem salvandorum, quæ Dei accubatio dicitur, id est Dei requies : eo quod in ea delectatus est Deus, sicut quilibet in accubatione. Non solum autem *intellexisti cogitationes*, etc., sed ut universaliter dicam, *et*, id est etiam *omnes vias meas prævidisti*, id est operationes meas omnes quibus incedo ab æterno disposuisti, id est voluisti. Quod utique non esset, nisi idoneæ essent. Vel *omnes vias meas prævidisti*, id est me prævidere fecisti, ut nil temere facerem et improvise, sed omnia cum ratione et providentia. Ea quippe sapienter aguntur, quæ rationabiliter prævidentur. Quoniam autem se ad instructionem suorum commendaverat, ne videretur hoc ex arrogantia fecisse : arrogantiam autem dicimus, quando sibi quilibet hoc quod non habet jactanter ascribit, removet hoc sic : Dico *probasti me*, etc. Hoc autem quod sic me commendavi nulli videatur arroganter esse dictum, *quia sermo* iste quo me commendavi *non est* tantum *in lingua mea*, sed etiam in re est. Quod est dicere : Non sic ea loquor ut puræ voces sint : ita namque est in re ut dico. Et hoc tibi est, *ecce*, id est præsens et cognitum, *quia non est sermo* tantum *in lingua*. *Tu* enim, *Domine*, *cognovisti omnia novissima et antiqua*, id est præterita et futura, et cum omnia cognoveris, et hoc quoque cognoscis. Dico quod quoniam *intellexisti cogitationes meas*, *et prævidisti omnes vias meas et probasti me*. Et sic, *tu* qui potens es me formare, *formasti me*, id est me formosum interius fecisti in moribus. Licet per tribulationes videar informis exterius. Unde Psalmista alibi : « Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIII, 4). » *Tu*, inquam, *formasti me*. *Et super* formatum *posuisti manum tuam*, id est auxilium gratiæ tuæ, scilicet ne aliquatenus a formositate illa deficiam *posuisti super me* adjutorium gratiæ tuæ, quod me faciat perseverare, a similitudine adjuvantis, qui manum super quem ponit ut eum teneat ne cadat. Notandum quod hoc totum dictum est respectu solius humanitatis.

Dico quod *me formasti*, etc. Et non solum formosum 550 me in moribus fecisti, sed etiam scientem, ut te singulariter et secretius cæteris scirem. Et hæc *scientia tua*, id est mihi a te data, non est per me contemptibilis facta, sicut fuit per Adam, qui cum tui scientiam habuerit, et ab ea male agendo dissenserit, eam contemptibilem videri fecit. Illud enim quod contemptibile est, ut vile aliquid dimitti solet. Non est, inquam, per me contemptibilis facta, sed *scientia tua ex me* bene operante, et sic in ea persistente *mirabilis facta est* aliis et admiratione digna et desiderabilis. Cum enim sapienter me prædicare viderent, et bene operari, scientiam a te mihi datam miro modo pretiosam esse judicaverunt. Unde in Evangelio : « Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus (*Luc.* II, 47). » Et non solum *mirabilis facta est*, sed *et confortata est* in parte salvandorum, quæ per Adam in omni humano genere debilitata fuit; ac si dicat : Scientia qua te genus humanum sciret, nisi Adam peccaret, eo peccante sic debilitata fuit in omnibus ut vix aliquam tuæ notitiæ scintillulam ha-

berent, et te quasi per somnium viderent. Unde etiam Paulus dicit: « Videmus nunc per speculum in ænigmate (*I Cor.* XIII, 12). » Per meæ vero mortis obedientiam scientia ista in fidelibus confortabitur, id est corroborabitur, ut te etiam solito plenius sciant. Licet in hac vita non sint hanc scientiam perfecte habituri, quod in futuro habebunt. Quoniam autem de scientia egerat, quæ præcipue solet esse causa superbiæ, ut ait Apostolus : « Scientia inflat (*I Cor.* VIII, 1) » : hanc scientiam habituris humilitatis exemplum in se præscribit sic : *Mirabilis*, inquam, *facta est scientia tua*, et *confortata est ex me*, id est per me. *Et* licet hanc plenarie scientiam habeam, tamen *non potero ad eam*, id est non me potentem judicavero ad eam possidendam per me sine tuo auxilio, scilicet quod sciens sum nunquam mihi, sed tibi semper ascribam.

Per hoc autem plane auditores instruit, ut nullus de scientia sua in se, sed in Domino glorietur. Unde Apostolus : « Quid enim habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? (*I Cor.* IV, 7). » *Mirabilis*, inquam, *facta est scientia tua*. Et cum me tanta scientia spriritali illuminaveris, *quo ibo a spiritu tuo?* Quod est dicere : Si *a spiritu tuo* me hac scientia illuminante, secundum humanitatem male vivendo recessero, *quo ibo*, id est ad quem alium me conferam secundum devotionem, qui me illuminet ? Ad nullum ire potero. Et cum ultionem tuam ex merito sensurus sim, si a Spiritu tuo recessero, *quo a facie tua fugiam*, id est ad quem locum fugere potero a præsentia tua, ut ultionem istam evadam ? Nusquam. *Si* enim fugere volens *ascendero* localiter *in cœlum*, *tu illic es* non localiter, sed potentialiter. Et *si descendero ad infernum*, ut tui præsentiam evadam, quod tamen nunquam erit, frustra erit, quoniam *illic ades*, id est, es ibi præsens potentialiter qui me punies. Ideoque non est a te recedendum, cum nusquam possit fieri confugium. Non solum autem *ades* in cœlo et in inferno, sed etiam in hoc mundo ; quod medium est inter cœlum et infernum. Quod inde ostenditur. *Si* enim in hoc medio existens *sumpsero pennas meas*, id est virtutes quæ pennæ sunt bene sumentibus, per quas ad paradisum volatur, et etiam si eas sumpsero *in diluculo* positas, id est in illuminatione bonæ voluntatis, *et* si *habitavero* præ volatione spei et bonæ vitæ conversatione *in extremis*, id est in portu hujus *maris*, id est in alia vita quæ extrema est post hanc vitam, propter sui mutationem mare dictam. Quæ etiam portus quietis est fidelibus de hujus vitæ tempestate evadentibus, *ades*, id est præsens esse in hoc medio appares per me pennas sumentem, et *in extremis maris* habitantem. Notandum quia non ideo dicit *si sumpsero*, etc., quin eas pennas a primordio habuerit, sed ad ostensionem, concessionem facit de re quæ non erit, ac si dicat : Concedatur ut pennas sumam in *diluculo*, et ideo sumam ut *in extremis* habitem, et per hoc palam erit quia in hoc medio *ades*. Posset quæri : Quomodo constabit quia adest in medio : si sumpseris pennas? Ad quod delignandum addit sic : Vere constabit te adesse in hoc medio, *si sumpsero pennas*. *Etenim manus tua*, id est operatio potentiæ 551 tuæ *deducet me illuc*, ut pennas sumam et in extremis maris habitem. Sed et *si* hoc sit quod *pennas sumpsero*, et *in extremis maris habitavero*, *et* ibi *tenebit* me, id est perseverare faciet *dextera tua*, id est misericordia tua, scilicet postquam ista adeptus ero, nec in his perseverare potero, nisi misericordia tua tenente me.

Notandum quod cum in sua persona Dominicus homo ponat, *quo ibo a Spiritu tuo*, etc., usque : *Et dixi forsitan*, etc. Non ideo sic agit in persona sua, ut unquam hoc sit in eo futurum, ut a Spiritu Dei eat, et a facie ejus fugiat. Quo etenim modo recederet a Dei Spiritu, qui Dei Verbo personaliter est unitus ? Sed hoc idcirco in persona sui transfiguratur, ut in se membra sua instruat, ne aliquid ipsorum a Dei Spiritu recedere præsumat, ostendendo in se quod nemo recedens a facie ejus fugere potest. Est igitur æque valens ac si sic poneret : Cum me sic mirabilem in scientia feceris, et eamdem scientiam in humano genere confortaveris, patet ex hoc quod nulli est a Spiritu tuo recedendum. Quo ibunt enim mei a facie tua recedentes ? et quo a facie tua fugient ? Nusquam. *Si* enim ascenderint *in cœlum*, *tu illic es*, *si* descenderint *in infernum*, *ades* ; *si* sumpserint in hoc medio *pennas suas diluculo*, et habitaverint *in extremis maris*, *ades*. *Etenim illuc manus tua deducet* eos, *et tenebit* eos *dextera tua*. Perfectione justitiæ et morum et scientiæ suæ ostensa, ostendit etiam se tamen a Judæis in mortem conculcandum esse, licet adeo perfectus sit, ut post consequenter fructum passionis suæ ostendat, et sic eos quibus passio sua salutifera est, sibi obnoxios reddat, et ad justitiæ et sanctitatis suæ conformitatem, et ad patiendum pro seipso attrahat ; incredulos vero Judæos resipiscere negligentes, de morte sua inexcusabiles ostendat, cum eum usquequaque perfectum in mortem conculcaverint. Hoc ergo sic dicit : Dico quod *formasti me*. *Et* cum me sic formaveris *dixi*, id est concepi apud me, *tenebræ conculcabunt me* in mortem ex invidia formositatis et scientiæ meæ. Tenebras Judæos per emphasim dicit, eo quod ignorantiæ tenebris nimis fuerint involuti, cum Creatorem et Salvatorem suum in mortem ex invidia dederint.

Tenebræ, inquam, *conculcabunt me*. Et hoc *forsitan* facient, id est improvise et irrationabiliter et temerario motu. Vel *forsitan*, id est revera, sicut etiam in Evangelio *forsitan* non dubitative, sed affirmative ponitur, cum dicit : « Si crederetis Moysi, forsitan crederetis et mihi (*Joan.* V, 46). » *Conculcabunt*, inquam, *me tenebræ*. *Et* ex mei conculcatione continget quod *nox* per emphasim erit *illuminatio mea*, id est pars salvanda ex Judaico populo, qui per emphasim nox dicitur, eo quod ignorantiæ nocte sit involutus, illuminabitur fide et Dei cognitione per me. *Nox* dico ponenda *in delitiis*

meis, id est inter delicias meas, scilicet in consortio et conformitate discipulorum meorum, qui sunt deliciæ meæ, in quorum sanctitate delector, sicut in summis deliciis. Inde vero certum est mihi quod illi qui nox et tenebræ dicuntur, per conculcationem illuminabuntur, *quia* ipsi iidem existentes modo *tenebræ non obscurabuntur a te*, id est non excæcabuntur justo judicio tuo, sicut modo juste obscurantur pro malis meritis suis. Cum dicit *non obscurabuntur*, datur intelligi, per lyptoten, quoniam a Deo Patre illuminabuntur, et per hoc palam est quod et a Filio illuminabuntur. Nam quæcunque Pater, eadem et Filius operatur, *et* econverso : unum enim sunt *Non obscurabuntur*, inquam, *a te*, Et idem populus nox existens sic a te fide et cognitione tui *illuminabuntur*, *ut dies* dici possit, præ nimia claritate fidei et cognitionis suæ. Vel sic : *Nox illuminabuntur sicut dies*, id est ad comparationem apostolorum, qui per emphasim dies dicuntur. *Nox*, inquam, *illuminabitur*. Et sic illuminabitur, quod *sicut* erunt *tenebræ ejus*, ita erit *et lumen ejus*, id est quanta erit cognitio tenebrarum ignorantiæ ejus, tanta erit illuminatio fidei et cognitionis ejus, scilicet magna fuerit ignorantiæ et peccatorum ejus, confessio, magna erit illuminatio. Per hoc autem 552 invitat auditores ad vehementem peccatorum suorum confessionem, ut vehementiorem veniam promereantur.

Posset quæri : Quare potius per te *illuminabitur nox*, cum per nullum præcedentium sanctorum illuminari potuerit? Ad quod ostendendum respondet sic : Ideo *nox* erit *illuminatio mea*, id est ideo dignus sum ut per me illuminentur illi qui nox sunt, *quia tu possedisti renes meos*, id est delectationes meas, quæ per renes denotantur, eo quod ex renibus delectatio procedere soleat. Congrue nempe positum est *tu*, ad differentiam, ac si dicat : Delectationes cæterorum in parte diabolus possidet, cum aliquando illicita in eis cogitatio suboriatur. Delectationes vero meas tu solus et possides, et *ab initio* mei *possedisti*, ut nulla in me delectatio habeatur, nisi tibi placita et a te disposita. Ideoque solus ex omnibus dignus sum, per quem infideles illuminentur. Et tu etiam *suscepisti me de utero matris meæ*, id est tu fuisti susceptor et patronus meus a tempore illo, ex quo *in utero matris meæ* fui, scilicet ita susceptor meus exstitisti ut me solum immunem a peccato faceres originali. Et ideo quoque dignus sum, ut per me nox illuminetur, quia ego *confitebor tibi* perseveranter, id est nullo tempore desistam a confessione laudis tuæ. Quod est dicere : Quidquid boni in me est laudi tuæ ascribam. Et ideo adhuc *quia magnificatus es* per me, id est quia per prædicationem et bonam vitam meam magnificatus et glorificatus es apud discipulos meos, Unde idem in Evangelio dicit : « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi (*Joan.* XVII, 9). » *Magnificatus es*, inquam, per me. Et hoc *terribiliter*, id est ita quod aliis terrorem intulerim justæ damnationis, nisi et ipsi te exemplo mei magnificare studuerint. Et ideo quoque dignus sum, quia per me *mirabilia* ostensa sunt *opera tua*, id est me rationabiliter habendo ostendi mirabilia et dignissima esse ea, quæ in me operatus es, rationalitatem scilicet et virtutes, quarum dignitatem per effectum operum bonorum ostendi. Ac si dicat : Adam in quo rationabilitatem et virtutes operatus es, ea mirabilia et digna non ostendit, dum ab eis defecit. Ego vero mirabilia ostendi, cum in eis persistens, ea exterius per opera bona manifestavi.

Mirabilia, inquam, per me facta sunt *opera tua* : *et* ea *anima mea cognoscet nimis*, id est reputabit valde digna et mirabilia. Ac si dicat : Sicut jam ea mirabilia reputavi, ita quoque incessanter mirabilia esse reputabo, et ea mirabilia esse aliis manifestabo. Quæ pro certo Adam mirabilia non reputavit, dum in eis perseverare neglexit. Cum dicit *anima mea* cognoscet, idem est ac si dicat : Ego cognoscam. Partem enim pro toto ponit. Quoniam autem dixerat Patrem per se esse magnificatum, quomodo per eum magnificatus sit ostendere intendit, sic : Dico quod per me *magnificatus es*, et per hoc te magnificavi, quia *non est a me occultatum os meum a te* datum *quod os*, scilicet tu *fecisiti in occulto*, id est in interiori meo, in anima scilicet quæ occulta est. Ponitur autem hic *os* pro *osse*, non pro *ore*. Dicit vero rationalitatem esse *os* animæ, eo quod robustior pars animæ sit, sicut os in corpore robustius est. Hoc autem quod dicit, *non est occultatum*, idem est ac si dicat : *Os meum* a te datum, quod videlicet *fecisti in occulto*, *non est a me occultatum*, scilicet vis rationis meæ non est a me occultata, sed exterius manifestata, dum te bene vivendo et aliis prædicando gloriosum et magnum ostendi. Quæ utique rationis vis ab Adam occultata fuit, dum ab obedientia Dei desistens, eum glorificare et magnificum ostendere non studuit Dictum est a similitudine inertis militis, qui gladium suum, cum viriliter pugnare deberet, abscondit. Cum dicit *os non* esse *occultatum*, per lyptoten datur intelligi quod illud os bene operando manifestavit, et sic Deum magnificavit. Dicitur quoque liberum arbitrium os animæ. Cujus pro certo tunc vis occultatur, cum non recte usurpatur, et ad mali operis exercitium flectitur. Nam cum a Domino 553 ideo datum sit ut in bono exerceatur, et sic sit meritum, ille revera illud non ad hoc esse datum ipsa rei experientia negat, qui potius ad usum operationis pravæ declinat. Quia vero dixerat *os* suum *non* esse *occultatum*, posset dici : Non est mirum si *os non* occultasti, quia forsitan in hac passibilitate in qua sumus nos non fuisti. Contra quod respondendo se fuisse passibilem ostendit, ut per hoc magis commendet perseverantiam suæ bonæ operationis. Magnum enim fuit eum in proposito bonitatis suæ perseverasse, cum ex debilitate passibilitatis habuerit posse deficere.

Hoc autem sic dicit: Dico *non est occultatum os meum, et substantia mea*, id est natura mea, quam superius *os* vocavi, non est occultata, scilicet vis rationalitatis et liberi arbitrii mei non est occultata, licet sit existens *in inferioribus* partibus *terræ*, id est in hujus mundi partibus quæ dicuntur inferiora terræ, id est indigniores partes terræ, ad respectum paradisi terrestris, in quo Adam positus primum fuit; qui dignior et superior dicitur, eo quod ibi nulla sit aeris inclementia, immoderatio nulla, neque caloris neque frigoris, sed omnia serena et temperata. Cæterum in hujus mundi convalle est maxima aeris perturbatio, unde multiplex passio contingit. Ideoque mundus iste paradiso inferior, non secundum situm loci, sed secundum indignitatem rei. Hoc autem quod dicit *substantia mea in inferioribus terræ*, sic adaptatur: *Substantia mea*, id est vis naturæ meæ non est occultata, sed per perseverantiam bonæ operationis manifestata, licet sit posita *in inferioribus terræ*, id est in hujus mundi calamitosa convale, ubi posset esse locus occultandi, propter instantiam multimodæ anxietatis. Quod pro certo Adam fecit, scilicet vim naturæ suæ abscondit, non persistendo in obedientia, licet nondum *in inferioribus terræ* positus esset, sed in paradiso ubi nulla passionis anxietas; nulla deficiendi necessitas. Non est occultata *substantia mea* idem est quod *non est occultatum os meum*, sed repetitum est ut addat *in inferioribus terræ*. Cum igitur perfectus sim eo quod *renes meos possedisti* et *suscepisti me de utero matris meæ*, *et non est occultatum os meum*, procul dubio patet quod *oculi tui viderunt imperfectum meum*, id est oculi dispositionis tuæ præviderunt, et voluerunt imperfectionem meam, id est mortem meam, quæ summa debilitas est et imperfectio, scilicet cum adeo consummatus sin in omni perfectione sanctitatis, ideoque ut per me fideles salventur dignus sim, placuit dispositioni tuæ, ut secundum mortalitatem imperfectus essem et debilis, et pro salute meorum futurorum moriar, *Et* per hanc imperfectionem mortis meæ *in* me *libro tuo* dies *scribentur*, id est in exemplo mei qui sunt liber tuus, quem proposuisti exemplar justitiæ in omnibus, scribentur *dies*, id est perfecti effecti efficientur illi qui futuri sunt dies, id est clari et illuminati in scientia, discipuli mei, scilicet. Quod autem se librum dicit, et dies scribendos esse ad exemplum sui asserit, a similitudine dictum est optimi libri, ad cujus exemplum cæteri libri scribuntur.

Exponit autem quomodo ad ejus exemplum scribentur, addendo sic: Dico quod *in* me *libro dies scribentur*, scilicet *formabuntur* ad exemplum mei, id est interius in virtutibus fient formosi: *et nemo* formabitur *in eis* remanens. Ac si dicat: Cum plures ad eorum exemplum formosi sint efficiendi, nullus tamen in eis spem ponet formositatis, ut dono ipsorum putet se formosum fieri. Unde Paulus: « Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? » (*I Cor.* I, 13.) A *Nemo*, inquam, *in eis* spem habebit formositatis. *Mihi autem*, id est sed ad honorem meum *nimis honorificati sunt amici tui*, *Deus*, id est honorificabuntur in virtutum formositate fideles, qui bene vivendo amici tui futuri sunt; ac si dicat: Mihi soli ascribendum est, quod quicunque fideles erunt in virtutibus formosi, per me enim formosi fient. Et etiam quod majus est, *mihi*, id est ad honorem meum *nimis confortatus est principatus* 554 *eorum*, id est confortabitur in virtutum formositate; ac si dicat: Mihi ascribendum est quod discipuli mei, qui principes et digniores sunt inter ipsos amicos, confortati et robusti erunt in hac formositate. Ego enim *dinumerabo eos* amicos, id est eos de massa perdendorum exemptos, certo numero ad formositatem salutis eligam, ac si dicat: Ita mihi certus B erit numerus eorum, ut neque crescere neque decrescere possit. Per hoc autem eos reddit benevolos, cum ad salutem eos dicat esse dinumeratos. Qui vero dixerat *dinumerabo*, ne viderentur apud homines numerabiles, addit: *Et*, licet dicam quod eos dinumerabo, tamen *multiplicabuntur* adeo ut sint *super arenam*, non ut sint plures numero quam arenæ, sed super arenam erunt, id est magis innumerabiles quam arena, scilicet ut citius possit numerus arenæ sciri quam eorum numerus. Hoc autem quod sic *amici tui* honorificabuntur, non solum accidet per *imperfectum meum*, id est per mortem meam: sed per hoc quoque quod *exurrexi*, id est quod ex morte surgam et immortalis fiam et im- C passibilis: et, licet nondum exsurrexerim, tamen ego *adhuc* existens mortalis et passibilis *sum tecum* coæternus et consubstantialis, secundum quod Deus ideoque potens sum amicos tuos honorificare.

Inde vero patet quod tecum in essentia item sum, quoniam *si occiderit Deus Pater peccatores*, id est constat quod tu occidisti jam excæcando in anima justo judicio tuo peccatores, resipiscere nolentes, dicens illis occulto et inaudibili dicto dispositionis tuæ: *O viri* effusores *sanguinum*, id est o viri proximorum interfectores, aliquando in corpore puniendo, aliquando vero in anima eos blanditiis decipiendo, *declinate a me*, id est discedite et elongamini a mei cognitione et voluntaria subjectione. D Et ideo nempe *declinate*, *quia dicitis in cogitatione* vestra nequissima: Fideles *accipiant in vanitate civitates suas*, id est collectiones hominum, quas sibi conformant, scilicet cum ipsi multos sibi colligant, quibus nescio quæ invisibilia bona promittunt, unde ipsi quoque remunerationem exspectant: Hoc faciant *in vanitate*, id est inutiliter, ut nec ipsi inde quidquam utilitatis habeant unquam, nec illi quos sibi conformando accipiunt. *Nonne* illos peccatores *qui* male videndo *oderunt te oderam*, id est odivi accidendo eos tecum in anima excæcando? Odivi utique, ideoque constat quod tecum idem sum in natura. Hoc autem idem est ac si sic poneret. Inde patet me tecum esse, quia peccatores quos occidisti, eos odio habens ideo, *quia* dixerunt *in cogitatione*

www.libtool.com.cn

sua accipiant fideles *in vanitate civitates* suas, eos similiter occidi odio habens, *Et* licet eos oderam, tamen ex compassione misericordiæ *tabescebam*, id est anxiabar pro eis in anima, a similitudine illius qui ex nimia anxietate tabescit. *Tabescebam*, inquam, extendens me consideratione *super* illos *inimicos meos* existentes, quod juste puniendi sunt, id est auxiabar ex compassione damnationis eorum quam prævidebam. In hoc autem nobis exemplum in se præscribit, quantenus de inimicorum damnatione compatiendo anxiari debemus, etsi eos in hoc quod malis sunt odimus. Unde Prosper : « Recte in malis odimus malitiam et diligimus creaturam. »

Quia vero dixerat se odio habere peccatores, cum quoddam odium malum sit, de quo odio dicat, determinat cum dicit : *Oderam*, inquam, illos, et hoc non iniquo odio, sed *profecto odio* oderam illos, id est tali odio quod bonum est et ad perfectos viros pertinet. *Oderam*, scilicet eos in hoc quod mali, non in hoc quod Dei creatura erant. Dico quod *tabescebam super inimicos* meos: et licet ex compassione damnationis eorum tabescerem, tamen inimici facti sunt mihi male vivendo, quod minime facere deberent, ideoque eos juste odio habui. Postquam consummatam perfectionem suam ad auditorem instructionem ostendit, orat de perseverantia ejusdem perfectionis, ut eosdem auditores de hac eadem perfectione orare instruat. Dixi, o Domine Pater, quod *probasti me, et cognovisti me, et cognovisti semitam meam*. Hoc autem 555 oro ut perseverenter facias, scilicet perseveranter *proba me, Deus* Pater, id est duc me perseveranter in approbationem et experientiam præceptorum tuorum, et hoc dico secundum cogitationes. Quod est dicere : Fac me probe et diligenter de præcepti tui cogitare. *Et* sic *scito cor meum*, scilicet adeo cordis mei cogitationes probas facias, ut cor meum sic dignum sit ut illud scias, id est diligas. Illa enim Deus scire dicitur quæ diligit. Non solum autem *me proba* quantum ad cogitationes, sed etiam oro *interroga me* quantum ad opera, id est fac me experir, et approbare mandata tua quantum ad opera, scilicet fac ut bene operer complendo præcepta tua. Interrogare ponitur pro experiri vel pro investigare, eo quod interrogando solet fieri experientia et investigatio. *Interroga*, inquam, *me* secundum opera, *et* sic *cognosce semitas meas*, id est adeo me præcepta tua experiri facias, ut semitas meas cognoscas, id est ut rationes meas diligas ; quæ semitæ dicuntur, eo quod arduæ sunt et singulares. *Proba*, inquam, *et interroga*, *et vide* misericorditer, scilicet hoc non oro solis meritis meis, sed hæc oro facias respectu misericordiæ tuæ. Illa quippe Deus videre et respicere dicitur quorum miseretur. *Vide*, inquam, *si* tamen *in me est* aliqua *via iniquitatis*, id est operatio iniquitatis, quæ in altis est via ad damnationem, tunc nunquam me videas. Ac si dicat : *vide me*, cum non sit in me via iniquitatis. *Et deduc me in via æterna* facta, id est me perseverare fac in via mandatorum tuorum, sic ut mihi sit æterna, id est assidua ad æternitatem ducens : scilicet sic fac me in ea perseverare, ut nunquam ab ea desistam, et per eam ad æternitatem attingam. Multi enim ad tempus perseverantes quandoque deficiunt, et sic ad æternitatem non attingunt.

IN PSALMUM CXXXIX.

Titulus centesimi tricesimi noni *Psalmus David*, id est uniuscujusque fidelis respicientis in finem, id est in Christum, qui est finis et perfecte consummatus in omni justitia et sanctitate, ut in psalmo superiori ostensum est. Cujus perfectionis ut valeant esse participes, orant ut Deus per gratiam eripiat a malis hominibus, id est a male operantibus, et iniquis, id est ab hæreticis, qui eos sibi conformare nituntur. Hanc autem orationem ea intentione faciunt ut aliis hoc idem orandi dent exemplum. Ostendunt quoque ipsorum hæreticorum infestationem et occultam et manifestam, ut auditores ab ea cavere doceant.

Eripe me, Domine, per auxilium gratiæ tuæ, *ab homine malo*, id est a massa hominum mala operantium, ne me sibi conformare possint. *Et eripe me a viro iniquo*, id est a massa virorum hæreticorum, antonomastice iniquorum, ne me sibi valeant conformare. Bene vero singulariter primo ponitur *ab homine malo* et *a viro iniquo* : postea pluraliter ponitur *qui cogitaverunt*, quia et unum quid in massa sunt et multæ personæ. Cum autem se et de mala operantibus, et a viris iniquis eripi oraverit fidelis in hoc psalmo agens, præcipue immoratur in oratione ereptionis ad hæreticis, cum periculum maximum in eis sit. Horum autem hæreticorum impugnationem ostendit, sic : *Eripe me*, inquam, a massa virorum iniquorum : *qui* viri iniqui *cogitaverunt iniquitates*, id est iniquas et hæreticas cogitationes, adinventas in corde, non in Scripturis. Ac si dicat : Ideo necesse est orare me, ut a viris iniquis eripiar, quia ipsi cogitaverunt, et adhuc cogitant iniquitates, quas in corde adivenerunt, et a Scripturis non habuerunt. Et non solum *cogitaverunt*, sed et *tota die*, id est jugiter *constituebant*, id est adversus Catholicos *prælia* moliebantur, per garrulitatem multiplicum argumentationum suarum. Et non qualicunque modo *constituebant prælia*, sed ita quod *acuerunt linguam suam*, id est acuta et subtilia fecerunt verba sua, 556 ut magis lederent, et eo amplius periculosa essent. *Acuerunt*, inquam, existentes *sicut serpentes*, id est comparabiles serpentibus. Sicut enim serpentes tortuose incedentes latenter serpunt, et sic in occulto percutiunt ; ita ipsi tortuose incedentes, per diversos errores hæresum, in occulto et ex improviso incautos percutiunt. Et *sub labiis eorum* est *venenum aspidum*, id est in verbis eorum latet error insanabilis, sicut venenum aspidum insanabile est. Postquam enim eo errore quilibet imbutus erit, vix illo poterit expediri sicut aliquis veneno aspidum imbutus, eo aut vix aut nunquam expeditur. Congrue vero ponit *sub labiis* : cum enim eorum

verba blanda videantur et bona, latet in eis error inextricabilis.

www.libtool.com.cn

Postquam ostendit necessarium esse se orare, ut a viris iniquis eripiatur, cum adversus Catholicos constituant prælia auditus etiam quorum valde periculosus est, eamdem orationem ad aliud repetit, ut videlicet ostendat necessarium esse orare, cum adversus eum constituant prælia, quæ etiam ostendit. Hoc autem sic dicit: Non solum oro eripi *ab homine malo*, et *a viro iniquo*, ideo quia constituunt *prælia* adversus quoscunque Catholicos, quæ periculosa sunt etiam solum audientibus, sed et oro *custodi me, Domine, de manu peccatoris*, id est de potestate cujuscunque mala operantis, ne me possit incorporare sibi, *et eripe me a viris iniquis*, id est hæreticis ne incorporer ab eis qui *cogitaverunt supplantare gressus meos*, id est ideo a viris iniquis oro eripi, quia *cogitaverunt* et adhuc cogitant *supplantare gressus meos*, id est cogitaverunt qualiter affectiones fidei meæ pessumdare possent, ac si dicat: Si tantum adversus alios et non adversus me cogitarent, timendum esset mihi ne cæterorum exemplo contra quos cogitant incorporarer, si ipsi incorporarentur. Quanto magis ergo timendum est cum adversus me cogitaverint? Non solum autem hoc *cogitaverunt*, sed et ipsi superbi existentes, id est ex superbia errantes, *absconderunt mihi laqueum*, id est nisi sunt absconse parare mihi laqueum, id est errorem quo me illaquearent et sibi conformarent.

Bene vero dicit *absconderunt*. Tunc enim in abscondito parant erroris laqueum, cum quædam blanda verba, quæ sancta videntur admiscendo, inductionibus suis fideles in errorem attrahere nituntur: a similitudine venatoris, qui feræ vel volucri decipiendæ, laqueum in abscondito tendit. Non solum autem *absconderunt laqueum*, sed et manifeste *extenderunt funes in laqueum*, id est extensas et ordinatas fecerunt argumentationes suas, ut essent mihi *in laqueum*, id est in captionem et interemptionem, quæ dicuntur funes, eo quod graves sint ad dirumpendum, sicut laquei de funibus facti, a similitudine venatoris, qui ad feras illaqueandas laqueos factos de funibus extendit. Non solum autem *funes extenderunt*, sed et ipsi existentes non in itinere sed *juxta iter*, id est visi tenere auctoritatem sanctorum, quæ fidelibus est rectum iter fidei, quam ipsi sinistre exponunt, et sic non sunt in ipso itinere, sed *juxta iter*; tali modo *posuerunt mihi scandalum*, id est offendiculum erroris periculosissimum. Tunc enim citius aliquis decipitur, cum ipsi auctoritas sinistre interpretata prætenditur. Quoniam autem *extenderunt funes*, et *juxta iter scandalum posuerunt*, *dixi Domino* et interius bona affectione, et exterius ore: *Deus meus es tu*, id est Creator meus; te scilicet reputo Creatorem et me reputo creaturam. Et cum te Deum meum esse reputem; *exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ*, scilicet cum sis Dominus omnipotens, audi vocem meam, qua te deprecor ut efficias quod oro. Quæ nimirum vox deprecationis hæc est: O *Domine*, revera *Domine*, qui jam hoc mihi beneficium concedis, quod tu existis *virtus* et causa *salutis meæ*, id est qui es constantia mea in omni bono, per quam ad salutem æternam attingam; tu 557 *obumbrasti super caput meum* positum *in die belli*, id est dedisti obumbrationem, id est refrigerium misericordiæ tuæ, super mentem meam, positam in fervore belli, qui per diem intelligitur eo quod in die fervor solis sit. Quod est dicere: Qui jam hoc mihi beneficium contulisti, ut cum in fervore belli hæreticorum positus essem, mentem meam refrigerares spiritali et invisibili refrigeratione gratiæ tuæ, ne deficeret sub æstu nimio illius belli a similitudine pugnantium, qui obumbrantur ne propter æstum deficiant.

Tu inquam, *Domine, non tradas me peccatori*, id est ne permittas me tradi hæretico, antonomastice peccatori, ut illi conformer. Necesse est autem ut hoc orem. Ipsi enim *peccatores cogitaverunt contra me*, scilicet cogitaverunt talia quæ mihi contraria sint, quali videlicet modo me decipiant. Me dico separatum *a desiderio meo*. Desidero enim in integritate fidei persistere. A quo nempe desiderio removerer, si peccatori conformarer. Et quia *contra me cogitaverunt*, oro *ne derelinquas me* inadjutum, cum ego, in quantum possum, per liberum arbitrium peccatoribus resistam. *Ne derelinquas me* idem est quod superius positum est, *ne tradas me peccatori*, nisi quia liberum arbitrium notat, et est ex nimia affectione repetitum. Ille quippe qui per se aliquid operatur, opportune orat ut adjuvetur. Dico, *ne derelinquas me*, *ne peccatores exaltentur*, id est superbe glorientur si derelictus fuerim. *Ne exaltentur*, inquam, et hoc *forte*, id est infortunate ad eorum videlicet infortunium. Istud autem quod dicit *ne forte exaltentur* oratio est pro peccatoribus, ut pro inimicis auditores orare instruat. Ac si dicat: Ideo oro non derelinqui, quia si derelictus deficerem, peccatores inde ad eorum infortunium et damnationem exaltarentur. Vel *ne exaltentur forte*, id est temere. Ac si dicat: Ideo oro ut non exaltentur, qui temeraria esset hujusmodi exaltatio, ideoque nociva eis *Ne derelinquas*, inquam, *me*. Et necesse est ut hoc orem. Nam *circuitus eorum* operit et operiet jugiter *caput eorum*, ideoque periculosum est cum eis agere. *Caput eorum* summam hæresis dicit, eo quod ad eam omnes eorum sententiæ spectant, sicut caput omnium membrorum principale est. *Circuitus* dicit, multiplices anfractus argumentationum et sententiarum ipsorum, quibus summam hæresis suæ occultant et muniunt, ne a Catholicis perimantur, a similitudine serpentis, qui circuitu candæ caput operit, in quo præcipue vitalitas ejus est, ne in eo percutiatur.

Exponit autem hoc quod positum est *circuitus eorum operiet caput eorum*, sic: *Circuitus*, inquam *eorum, operiet caput eorum*, id est multiplex anfractus sententiarum et argumentationum eorum occultabit et præmuniet summam hæresis eorum, ne

possit exstingui. Quod est dicere: *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, id est verborum suorum multiplicitas, in quibus inveniendis ipsi valde laborabunt, muniet eos. Quia pro hæreticis oraverat, dicens *ne forte exaltentur*, ostendit quod non exaltabuntur; sed quidam eorum convertentur, et sic salvabuntur; quidam vero in garrulitate persistentes, damnabuntur. Hoc autem ea intentione dicit ut omnes auditores ab hæresi retrahat. Oro ne forte exaltentur; et vere non exaltabuntur, nam *cadent carbones super eos*, id est spiritales viri qui sunt carbones desolatorii, igne charitatis et Dei cognitionis accensi, *cadent super eos*, id est cum magno pondere sententiarum suarum authenticarum oppriment eos et devincent, a similitudine ponderosæ rei, de super cadentis, quæ aliquem opprimit. Non solum autem *carbones cadent super eos*, ut devincant, sed etiam, Domine, per eosdem carbones *dejicies eos* a superbia eorum, id est eos humiles facies, mittens postea *in ignem*, id est in illuminationem Spiritus sancti. Et in ignem missi ulterius *non subsistent*, id est non permanebunt *in miseris* hæresum. Hoc autem de parte dictum est. *Super* quosdam, inquam eorum *cadent carbones*, et dejicientur *in ignem*, et *in miseriis non subsistent*. *Vir autem* quicunque *linguosus*, **558** id est quicunque ex eis resipiscere nolens, in linguositate hæresis suæ perseverabit, *in terra* hoc *non dirigetur* a Domino, ubi locus est dirigendi, id est quandiu in hac terra vivet, non diriget eum Dominus, ut fidei rectum iter incedat. *In interitu* vero cum anima separabitur a corpore, ipsum *virum injustum*, id est virum linguosum ideo quia injustus est, *capient mala* æternæ damnationis, ne ulterius evadat. Quia vero vir linguosus sic damnabitur, *cognovi*, ego per contrarium. Per hoc scilicet hoc *cognovi*, *quia* cognovi quod *Dominus faciet* in futuro justum *judicium inopis*, id est juste remunerabit quemque fidelem suum, qui pro eo hic inopiam patitur. Ac si dicat: Cum suos sit interna beatitudine remuneraturus, certum est inde mihi, quod et viros linguosos est juste damnaturus. Et non solum *faciet judicium inopis*, sed *et* faciet *vindictam pauperum* de viris linguosis, scilicet inde mihi certum est quod viros linguosos damnabit, quia certus sum quod pauperes suos de illis viris linguosis vindicabit; quæ pro certo vindicta non erit alia quam damnatio æterna. Cum dicit quod *faciet* de viris linguosis *vindictam pauperum*, datur intelligi quoniam ipsos pauperes persequentur.

Ad hoc autem quod extra librum intelligitur, sic sequentia junguntur. Dico quod *faciet* de linguosis *vindictam pauperum*, propterea quod eos persequuntur. *Verumtamen* licet eos persequantur metu eorum, *justi* a tui confessione, o Deus, non deficient. sed justi jugiter *confitebuntur nomini tuo*, id est laudabunt te ex consideratione nominis tui, quod est Dominus. Vel sic: Dico quod *virum injustum mala capient in interitu*. Inde vero hoc *cognovi*, *quia Dominus faciet judicium inopis*, scilicet faciet hic judicium de quocunque bono, pro eo inopiam patiente, juxta quod legitur: « Incipiat judicium a domo Dei (*I Petr.* IV, 17). » Exponit ergo quod judicium faciet de inope, cum sic addit: *Et*, id est, faciet *vindictam pauperum*, id est justo judicio suo faciet vindictam de pauperibus suis peccantibus, cum eos hic per transitoria flagella corrigit, ut per hoc comprobet quod cum nec suis parcat, multo minus in futuro parcet injustis. Faciet, inquam, *vindictam pauperum*, verumtamen quanquam hic pauperes suos justos per flagella corrigat, justi non ideo desistent a laude tui, sed justi confitebuntur nomini tuo. Hoc ut superius exponitur. Hic, inquam, *confitebuntur nomini tuo*. *Et* in futuro ipsi *recti habitabunt*, in æterna gloria, existentes, o Christe. *cum vultu tuo*, id est cum pœnitentia tua videndo te facie ad faciem. Vel sic, si de Patre dicatur: Et in futuro, o Deus Pater, ipsi *recti habitabunt*, id est manebunt in æterna gloria *cum vultu tuo*, id est cum Christo Filio tuo, qui vultus tuus dicitur, ut in quarto psalmo ostensum est ubi dicit: « Signatum est super nos lumen vultus tui (*Psal.* IV, 7). »

IN PSALMUM CXL.

Titulus centesimi quadragesimi. *Psalmus David*, *id est* fidelium ad instructionem auditorum, ostendentium se ad Dominum clamasse et eum orasse, ut eos digne faceret orare et bene operari, et eosdem custodiret ne in ore vel in corde criminaliter peccarent, et ne cum hominibus operantibus iniquitatem communicarent. Ostendunt quoque quod, si peccaverint, a justis corripientur, ut auditores instruat, ne si quando peccaverint a justis corripi fugiant. Prædicunt quoque quorumdam peccatorum conversionem, ut auditoribus exemplum convertendi peccatores tribuant. Ostendunt insuper se a quibusdam peccatoribus non convertendis esse passuros tribulationes, et pro ipsis tribulationibus orant, ut auditoribus exemplum tribuant, et patiendi et in tribulationibus orandi. Agunt quoque de quorumdam Christianorum in tribulationibus defectu, quos scilicet propter iniquitatis suæ meritum Deus deficere patitur, ut per hoc deterreant ab iniquitate auditores, ne deficiant et sic in æternum pereant.

559 *Domine* Deus, *ad te* misericordem et omnipotentem respiciens *clamavi*, id est clamorem intensæ affectionis emisi, ut tibi prorsus voluntate bona devotus essem. Quoniam ergo *clamavi*, *exaudi me*, ut quod *clamavi* impetrem. Non solum autem *clamavi*, sed et perseveranter clamabo. Et *cum clamavero ad te*, *intende voci meæ*, id est fac te intensum interiori voci clamoris mei, ut videlicet quod intense oro, tu intense conferas. *Clamavi*, inquam, et clamabo; et ecce quid *clamavi* et clamabo: *Dirigatur* scilicet a te *oratio mea*, id est fac orationem meam directam et justam. Quia vero quorumdam hypocritarum oratio hominibus directa videtur, cum potius sit injusta, ad determinandum additur, *in conspectu tuo*. Ac si dicat: Nec oro ut tamen in conspectu hominum dirigatur, sed *in conspectu tuo*,

www.libtool.com.cn

id est sic *dirigatur* ut sit in beneplacito tuo, scilicet ut ea petam quæ tibi placent, et quæ petenda sunt. Quoniam autem quidam orant ea quæ oranda sunt, et Deo placent, et hoc tamen non bona intentione ut illi qui sapientiam orant adipisci, non ut sapienter vivendo cœlestia bona expetant, sed ut ex ea consecuta sese aliis præferant, additur *sicut incensum*. Ac si dicat : Ita oro *dirigatur oratio mea in conspectu tuo* ut sit *sicut incensum*, sic, scilicet, ad cœlestia bona intentione intendes, sicut fumus incensi ad superiora tendit. Hoc autem totum est ac si dicat : Fac me orare ea quæ oranda sunt, et hoc intentione cœlestium bonorum. Et *elevatio manuum mearum*, id est operum meorum sit *sacrificium vespertinum*, id est completio novæ legis, quæ est dulcissimum sacrificium Deo. Unde Prosper ;

..... *Offerri nequit hostia major,*
Quam cum homo castorum profert libamina morum,
Et de virtutum munere sacra litat.

Dicitur autem nova lex *vespertinum sacrificium*, vel quia novissima est post veterem, sic ut eam nulla alia sequatur, sicut vesperum, cum sit extremum nulla pars diei sequitur, vel quia in morte Christi dedicata est, quæ *vespertinum sacrificium* dicitur, eo quod circa vesperum ad horam nonam, scilicet sese moriendo Deo sacrificium laudis obtulit. Quæ nimirum mortis oblatio in lege veteri per agnum figurabatur, per cujus *vespertinum sacrificium* populus Israeliticus est ab Ægyptiaca servitute liberatus.

Elevatio inquam, *manuum mearum* sit *sacrificium vespertinum*, scilicet sic permittas me bona opera mea bona intentione elevare et magnificare, ut non solum veterem, sed et novam legem compleam. Unde Dominus in Evangelio : « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* v, 20). »

Non solum autem clamore intenso oravi, ut *oratio mea dirigatur* et *elevatio manuum mearum* sit *sacrificium vespertinum*, sed etiam de custodia oris sic oravi : *Pone, Domine, custodiam ori meo*, id est custodi potentia voluntatis tuæ os meum. Ne vero videretur orare ut sic custodiret, ne aliquid loqueretur, ad determinandum sic addit : *Et*, id est scilicet, *labiis meis* pone *ostium*, id est talem custodiam quæ comparabilis sit ostio, scilicet sicut ostium ad hoc in domo ponitur, ut his qui in domum intrare digni sunt aperiatur. His vero qui intrare non debent claudatur, ita quoque ori meo custodia misericordiæ tuæ præsideat, ut quæ loquenda sunt, dicam, quæ vero vana sunt et nociva, taceam. « De omni enim verbo otioso quodcunque locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii (*Matth.* XII, 36). » *Pone*, inquam, *ostium labiis meis. Ostium* dico *circumstantiæ*, id est talem *custodiam ori meo pone*, ut non simpliciter os ab illicita locutio ne custodiat, sed quæ etiam omnibus corporis sensibus circumstet, et eos ab illicitis motibus muniat, visum scilicet ne illicite videat, aurem ne illicite audiat, et cæteros sensus imiliter. Non solum autem oro poni *custodiam ori*, sed oro quod majus est, scilicet *ne declines*, id est ne permittas declinari et a dignitate 560 sanctitatis suæ humiliari *cor meum in verba malitiæ*, id est ad cogitandum verba illa quæ malitiosi homines loquuntur, excusando se de peccatis, vel per infirmitatem naturæ, vel per necessitatem facti. Ac si dicat : Non solum oro ne verba malitiæ loquar, sed etiam quod minimum est oro ne in corde verba malitiæ concipiam, ut me de peccatis excusem. Non solum autem hoc oro, sed hoc quoque, non permittas declinari *cor meum ad excusandas excusationes* mei existentis *in peccatis*, scilicet ut si aliquo modo contigerit ut me stulte de peccatis excusem, ad hoc saltem excæcationis ne me permittas dejici, ut ipsas excusationes excusem, id est ipsas esse juste factas in corde concipiam. Pejor enim est excusatio excusationis, quam excusatio de peccatis.

Ostendit autem quæ sibi utilitas contingat, si oratio sua superius posita admittatur, ut per hoc magis quod orat assequi mereatur. Oro *pone custodiam ori meo*, et *non declines cor meum*. Quod si impetravero beatus ero, quia *cum hominibus operantibus iniquitatem* criminalem *non communicabo*, id est non ero particeps et cooperator iniquitatis eorum. Et determinandum est propter sequentia, quia dictum est hoc de minus operantibus. *Non communicabo*, inquam, *cum hominibus operantibus iniquitatem, et* etiam *non communicabo cum electis eorum*, id est cum prælatis et cum majoribus eorum, operantium iniquitatem. Ne vero videretur se penitus ex arrogantia justificare, ad exemplum humilitatis se indigere correptione ostendit sic : *Non communicabo*, inquam, *cum operantibus iniquitatem* : ita scilicet ut criminaliter peccem. Sed tamen cum venialiter peccavero, *corripiet me* ecclesiastica disciplina, *justus* quilibet Ecclesiæ prælatus, et hoc non in ira, sed *in misericordia. Et increpabit me* severis verbis, et illud tamen fiet in misericordia. Corripiar, inquam, a justo, *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, id est mentem meam, et sic oro ut eveniat *oleum* scilicet *peccatoris*, id est adulatio cujuslibet peccatoris, dicta oleum, eo quod ad modum olei suavis sit et blanda, *non impinguet caput meum*, id est non deliniat mentem meam, et delectet ut ad consensum illicitum pertrahat, ad modum olei, quod quos impinguat delinit. *Non impinguet*, inquam, ut me sibi conformet. Et vere non impinguabit, sed ego potius peccatorum partem mihi conformabo. *Quoniam adhuc* aliquantulum spatii restat, et post *oratio mea* superius posita erit *in beneplacitis eorum*, id est continebitur inter beneplacita eorum, scilicet placebit eis hoc idem orare quod superius oravi, et per hoc *oratio mea* erit *in beneplacitis eorum*, quod *absorpti sunt juncti petræ*, id est a nobis absorbebuntur, id est incorporabuntur jungendi petræ firmitatis Christo per bonam vitam. Absorbebuntur, inquam, non minores tantum ; sed quod mirabilius erit, etiam *judices eorum*, prælati scilicet quorum judicio et exemplo minores peccant. Absorbebuntur

www.libtool.com.cn

inquam, et hoc per verba prædicationis meæ. *Audient* enim auribus cordis *verba mea*, et merito, *quoniam* ipsa *potuerunt*, id est potentia erunt et valentia ad eos instruendos. Quidam, inquam, *audient verba mea*, et absorbebuntur jungendi *petræ*. Quidam vero non audituri erunt dicendi per emphasim infernus, eo quod se male vivendo, et cæteros malo exemplo ad infernum attrahent, et *secus* hunc *infernum*, id est juxta judicium hujus inferni, *dissipata sunt ossa nostra*, id est dissipabuntur, scilicet, destruentur fortiores ex nostris secundum corpus per varia tormenta. Ossa dico dissipata *sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, id est sicut fimus licet sordidum aliquid et vile, tamen super terram diruptus, id est dispersus, terram crassam reddit et fertilem, sic et nos, ceu viles et sordidi per varia supplicia discerpendi, Ecclesiæ filios exemplo constantiæ nostræ pingues in virtutibus reddemus, et sic fertiles in bonis 561 operibus faciemus. Dissipabimur, inquam, secundum corpus; ideoque, oro, Domine, *ne auferas animam meam*, id est ne permittas ab his dissipatoribus auferri animam meam, ut metu corporeæ dissipationis eis cedat. *Ne auferas*, inquam, neque debes auferre, *quia*, o *Domine*, revera Domine, *oculi mei* interiores, id est affectiones meæ *ad te* respiciunt, et *speravi* ea quæ sunt *in te*, scilicet, æterna bona non sæcularia. *Non auferas*, inquam, *animam meam*, sed *custodi me a laqueo* blanditiarum, *quem statuerunt*, id est statuent peccatores *mihi*, id est ad incommodum meum, ut me per eum illaqueantes a proposito sanctitatis meæ revocent. *Custodi*, inquam, *me*, ne illaqueer illo laqueo. Et non solum a laqueo blanditiarum oro custodiri, sed *et* custodi me ne superer *a scandalis operantium iniquitatem*, id est a tribulationibus manifestis, quæ mihi operationes iniquitatis inferent, quas scandala voco, eo quod illatæ plurimos scandalizant. *Custodi me*, inquam, et vere custodies me ne cadam. Multi vero Christiani *peccatores in retiaculo ejus* iniquitatis positi *cadent*, id est deficient a proposito confessionis suæ, vel per laqueum vel per scandala, ac si dicat : Me custodies ne aliquo modo cadam, multos vero Christianos peccatores merito iniquitatis suæ, qua irretiti sunt, deficere permittes. *Peccatores*, inquam, *in retiaculo* ejus iniquitatis positi sunt, ideoque cadent. *Ego* autem qui custodiri a te oro *singulariter sum*, id est singulariter me habeo, scilicet singularem spem et appetitum habeo cœlestium bonorum, non multiplicem appetitum terrenorum et singulariter ero *donec* de hac vita, corporali morte *transeam*. Et quia *singulariter sum* et ero, non permittas me cadere. Unde Psalmographus alibi : « Unam petii a Domino, hanc requiram (*Psal.* XXVI, 4), » etc.

IN PSALMUM CXLI.

Titulus centesimi quadragesimi primi. Intellectus David, cum esset in spelunca. *Intellectus* sane psalmus iste dicitur, eo quod in eo intellectus Christi, veri David, quem in passione sua habuit, continetur. Titulus sic exponitur. *Intellectus* iste, id est psalmus iste est, *David*, Christi habitus illi David, *cum esset in spelunca*, id est in assumpta humanitate mortali ; quæ ad respectum deitatis humilis fuit, ad modum speluncæ, et in qua latuit ut *in spelunca*. Vel sic : In hoc psalmo denotatur intellectus David Christi, habitus *cum esset in spelunca*, ut hoc, ut supra exponitur. Vel habitus *cum esset in spelunca* sepulcri nondum re, sed jam consideratione, scilicet, cum jam consideraret se moriturum in sepulcro esse ponendum. Hæc verba protulit vel hunc intellectum, qui in hoc psalmo concipitur, habuit. Vel *cum esset* adhuc *in spelunca* ante passionem, id est in hoc mundo corporaliter conversans ; qui nimirum propter sui humilitatem spelunca dicitur, ad respectum patriæ cœlestis, quæ mons sublimis appellatur. In quo mundo quasi *in spelunca* Christus latuit, dum incarnatus mortalis et passibilis apparuit. Titulus autem iste, juxta historiam positus est, quæ talis est : Cum a Saule David persequeretur, speluncam ingressus est, et ibi latuit. Accidit autem ut persecutor ejus Saul cum ad locum ejusdem speluncæ perveniret, et David ibi latere ignoraret, causa ventrem purgandi eam ingrederetur. Quo purgante, David latenter ad eum accessit, et clam oram chlamydis, id est vestimenti ejus abscidit, ut hoc signo comprobaret quod cum occidendi facultatem habuisset (*Reg.* XXIV, 4, 15).

Allegoria autem hujus historiæ, non usquequaque persequenda, talis est : Per David quidem pro persecutione Saulis in spelunca latitantem, Christus multo tempore vitæ suæ a Judæis membris diaboli persecutus in hoc mundo humanitus latens, exprimitur. Per Saulem vero in speluncam causa ponendi fetida sui ventris ingressum diabolus figuratur, qui per peccatum primi parentis hunc mundum ingressus est, ut cogitationes et operationes fetidas et illicitas hic poneret. Gujus vestimenti oram David Christus glanio abscidit, cum humani generis quod tibi ut vestimentum conjunctum orat partem salvandam 562 ab ipsius subjectione spiritalis doctrinæ gladio sequestravit. Est igitur in hoc psalmo vox capitis qualiter in consideratione passionis suæ ad Dominum clamaverit et cum deprecatus fuerit ostendentis, ut in se membris suis exemplum præscribat in tribulationibus orandi. Passionem quoque suam indicat, ut illios pro quorum salute passus est obnoxios sibi reddat, et patiendi pro ipso eis exemplum attribuat.

Voce mea, id est mihi congrua voce videlicet incensæ devotionis sancta et pura, o auditores, *ad Dominum* Patrem *clamavi*. Quod est dicere : Intendam erga eum devotionem et affectionem habui, quæ clamor intensus fuit. Non solum autem *clamavi*, affectuose me erga eum habendo, sed etiam *voce mea* interiori *deprecatus sum*, id est deprecationem feci respiciens *ad Dominum* misericordem et omnipotentem. Non tantum modo *clamavi ad Dominum*, et *deprecatus sum* eum, sed et nunc *effundo*

www.libreoffice.com

id est ex toto fundo *orationem meam in conspectu* A *ejus*, scilicet manifesto *orationem meam in conspectu*, id est in cognitione ejus, a similitudine rei inclusæ, quæ cum effunditur, id est extra funditur, manifestatur. Quod est dicere : Orationem meam ipsi manifestam et cognitam facio, id est tale quid oro, quod cum idoneum sit, est ejus cognitione dignum. Illa enim quæ sunt idonea Deo, antonomastice dicuntur cognita et manifesta. *Effundo*, inquam, *orationem, et ante ipsum* existens, id est in familiaritate et benevolentia ejus *pronuntio*, id est narro interius *tribulationem meam*, quam pro ejus obedientia complenda jugiter patior, et adhuc sum passurus, *Pronuntio* quidem non ad jactantiam, sed ad remunerationem pro ea obtinendam, a similitudine strenui militis, qui cum domino charus sit, non per B nuntios ei loquitur, sed ante ipsum existens laborem quem pro ipso passus est, fideliter narrat, ut ejusdem laboris a domino mercedem accipiat. Tribulationem, inquam, meam pronuntio *in deficiendo spiritum meum*, id est destruendo voluntatem animæ meæ, spiritum dico prodeuntem *ex me*, id est ex fragilitate humanitatis meæ; ac si dicat : Sic tribulationem meam pronuntio, ut cum ex fragilitate carnis habeam nolle pati, hanc meam voluntatem objiciam, et tuæ voluntati obedire paratus sum, scilicet, ut patiar, juxta quod idem in Evangelio : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » (*Matth.* XXVI, 39 ; *Luc.* XXII, 42).

Ubi nos hic habemus *in deficiendo*, Hebraica translatio habet : *cum anxiaretur cor meum*. Unde constat quod in hac translatione *deficiendo* legi potest C pro *anxiando*, non ideo quidem positum, ut anxietas aliqua passionis generasset in eo defectum, sed ut vehementiam suæ passionis ostendat, quæ defectum posset in alio generare. Secundum igitur hanc sententiam ita legitur : Pronuntio, inquam, tribulationem meam habitam et habendam *in deficiendo spiritum meum*, id est in anxiando animam meam, scilicet, quæ tribulatio jam causa est, cum habeatur nunc, et causa erit cum habebitur, quare anima mea anxietur. Ne vero videretur anxietas hæc ipsi præter velle contingere addit *ex me*. Quod est dicere : D Anxiabor, inquam, et hoc quod anima mea anxiabitur, continget ex me, id est ex dispositione et voluntate mea Postquam ostendit se clamasse et deprecatum fuisse, ostendit etiam se bene operatum fuisse, et opera sua Deo placuisse, ut exemplo sui auditores ad bene operandum incitet, sic : *Clamavi* inquam, et *deprecatus sum*, et etiam bono opera egi, *et tu* qui justus judex es, *cognovisti semitas meas*, id est tibi placuerunt bona opera mea ardua et singularia. Tametsi vero adeo dignus sum ut semitas meas cognoscas, tamen mihi posito *in hac via*, bonorum operum in *qua ambulabam*, id est jugiter promovebar, *absconderunt laqueum*, id est absconse pro reputatione sua paraverunt 563 mortem, qua me illaqueent et detineant. Hoc quod præterite posita est, pro futuro legendum est, ac si dicat : *In via hac qua* ambulo, abscondent *laqueum* mortis *mihi*. Ego vero, cum in mortem me dare parabunt, *considerabam ad dexteram*, id est respiciam ad potiores meos, ad discipulos, scilicet, qui per dexteram exprimuntur, quod dignius membrum est, eo quod in Ecclesia digniora membra sint. Unde in Evangelio : « Conversus Dominus respexit Petrum (*Luc* XXII, 61). »

Considerabam, inquam, *et videbam*, id est experiar an sit aliquis meorum me cognoscens, *et non erat* aliquis eorum *qui cognosceret me*, id est non erit aliquis meorum qui constanter me confitendo comprobet se cognoscere me verum et Deum et hominem esse. Cum enim me denegabunt, se me non cognoscere videri facient. Quod dicit : *Considerabam et videbam*, ad humanum modum loquitur, ac si breviter ponat : Experiar rei evidentia quod nullus me cognoscet. Et licet, nullo me cognoscente, posset fugiendi locus esse, tamen *periit*, id est peribit *fuga a me*, id est nullo modo mortem fugiam. Et cum fuga a me peribit, *non est*, id est non erit aliquis *meorum qui requirat animam meam*, id est qui requirat causam vitæ meæ, quare ab eis auferatur, scilicet, non aliquis erit meorum, qui ausus sit pro me dare sententiam me indignum esse morte, a similitudine patroni, aliquem insontem liberare nitentis, qui requirit causam damnationis ejus, ut eam convincat injustam esse. Vel *requirat animam meam*, id est innocentiam animæ meæ, et sic pro me det sententiam, ac si dicat : Ponatur ut me Deum esse non cognoscant, justum tamen erit, etsi purus homo videar, ut, cum innocens sim, animam meam requirant, dando sententiam pro me. Cæterum neque me cognoscent, neque animam meam requirent. Ideo quod nullum habeo auxiliatorem *ad te. Domine* mi, respiciens *clamavi*, id est intenso clamore agam. *Dixi*, id est dicam et interiori voce et exteriori. O Dominus, *tu es spes mea*, et non alius, per te, scilicet, spero liberari et remunerari, et *portio mea*, id est pars mea est *in terra viventium*, id est electio mea est in illis, qui futuri sunt in terra viventium, scilicet partem illam hominum per mortem meam eligam, qui in terra viventium sunt futuri, ac si dicat : Hoc spero de te, quod illos dabis mihi in partem et hæreditatem, qui in terra viventium sunt futuri. Quoniam igitur *es spes mea*, et quia *portio mea in terra viventium*, *intende ad deprecationem meam*, id est diligenter attende deprecationem meam vel intensum te fac deprecationi meæ, ut videlicet intense conferas quod intense deprecor. Et necesse est huc orem, *quia humiliatus sum nimis*, id est vehementer humiliatus et dejectus ero in tribulationibus. *Intende*, inquam, *ad deprecationem meam* ; quæ deprecatio talis est : *Libera me a* Judæis *persequentibus me*, ne eis conformer. Necesse est autem ut orem a persequentibus liberari, *quia confortati sunt super me* opprimendum, id est se fortes reputabunt ad opprimendum me et devincendum, et non solum oru

libera ne cedam, sed etiam postquam, me mortuo, a Judæis custodiar in sepulcro, ut in morte perpetua detinear, *educ animam meam*, id est me *de custodia* Judæorum resuscitando.

Notandum quod ponit *educ animam*, quia, si diceret, *educ me*, posset intelligi ut corpus ejus inresuscitatum, vel vi, vel aliquo modo de eorum custodia, educeretur. Sed cum dicit *educ animam*, datur intelligi quod se sic orat educi ut ejus anima suscitetur, quam in morte se detinere arbitrantur. *Educ*, inquam, *animam meam*. Et hoc *ad confitendum nomini tuo*, id est ad laudantum te ex consideratione nominis tui, quod est Dominus scilicet ideo *educ* ut justi discipuli mei, consideratione eductionis mei, tibi confiteantur. Et vere per eductionem mei tibi justi confitebuntur. *Me* etenim *exspectant justi* exspectaturi, *donec retribus mihi* eductionem, pro completione obedientiæ meæ, et ea occasione 564 confiteantur tibi, scilicet exspectant justi et perseveranter expectabunt, ut pro obedientia mea completa, hanc des mihi retributionem ut me de morte educas, et tandiu exspectabunt donec hanc mihi retributionem facias; et sic tandem ea occasione tibi jugiter confitebuntur, ideoque dignum est ut me de custodia educas.

IN PSALMUM CXLII.

Titulus centesimi quadragesimi secundi. *Psalmus David, quando eum persequebatur filius suus*. Quod sic exponitur. *Psalmus* iste est *David*, id est fidelis pœnitentis, et jam sic viriliter agentis. Licet prius non viriliter egerit, dum in peccato fuit, *David*, inquam, pœnitentis *psalmus*, compositus *quando*, id est quia *persequebatur eum filius suus*, id est prava suggestio, oriens ex consuetudine peccati jam dimissi. Quæ filius ejus dicitur, eo quod ex fragilitate naturæ ejus vitiatæ procedit, sicut filius quilibet ex patre secundum originem carnis procedit. Ac si dicat : Hæc sunt verba cujuslibet jam pœnitentis et a peccato cessantis, quæ ea occasione profert, quia, licet jam peccatum dimiserit, tamen ex ipsa peccati dimissi consuetudine suggestio prava suboritur, quæ eum persequitur, et eum ad ipsum peccatum rursum impellere nititur. Considerans autem pœnitens, in hujusmodi persecutionis anxietate positus, in qua post baptismum antea quam peccaret virtutum sublimitate fuerit, et ad quantam per peccatum dejectionem descenderit, contuens quoque quantam et quam gravissimam primi parentes pro peccato suo incurrerint damnationem, et cum similiter peccet, metuens gravem subire ultionem, orat et de peccati remissione et de virtutum adeptione, ostendens sui dejectionem et suggestionis suæ persecutionem. Et quia inde patiatur spiritus anxietatem orat etiam de bonorum operum perseveratione, et de inimicorum ereptione, et de audienda misericordia in mane, prætendens plures causas quibus exaudiatur. Hoc autem totum ea intentione dicit ut quod desiderat, orando adipisci possit. Promittit quoque tandem, ex nimia confidentia, se adepturum quod orat, ut alios pœnitentes spe adeptionis ad orandum attrahat.

Domine, exaudi orationem meam; ac si dicat : Cum ego jam pœnitens, te Deum meum esse reputem, et non me liberum meum faciam, sed me tibi subjiciam, tu, *Domine, exaudi orationem meam*, ut quod a te postulo impetrem. Et *percipe auribus* potentiæ tuæ *obsecrationem meam*, id est audi efficaciter obsecrationem meam, a similitudine audientium, qui verbis quæ libenter audiunt, aures diligenter advertunt, ut ea percipiant, et percepta compleant. Aures Domini dicit, facultatem potentiæ efficiendi hoc quod a Domino poscitur. *Orationem* illam dicit *deprecationem*, quæ fit sine adjuratione aliqua, *obsecrationem* vero quæ fit quasi cum adjuratione, quæ videlicet ex vehementiori desiderio fieri solet. Non tamen dicendum est ut ad Deum fieri possit adjuratio, sed, cum eum per merita Domini Jesu oramus, more adjurantium cum eo agimus, hoc autem quod hic indeterminate ponit *exaudi orationem et obsecrationem*, in sequentibus determinat ubi ponit : *Non avertas*, etc., usque ad, *spiritus tuus*. Quia vero dixerat *obsecrationem*, denotat se obsecrare, id est quasi cum adjuratione orare, cum subdit *in veritate*. Quod est dicere : Auribus potentiæ tuæ *percipe obsecrationem meam*. Et hoc quæso, fac non in consideratione meritorum meorum, utpote quæ nulla sunt; sed *in veritate tua*, id est in consideratione meritorum veritatis tuæ, Filii tui videlicet, per quem omnia promissa tua vera esse comprobasti, ea complendo. Dico *exaudi orationem meam*, et, cum nulla sint merita mea, in quorum consideratione me orantem exaudias, *exaudi me in tua justitia*, id est in consideratione justitiæ tuæ, Filii tui videlicet, per cujus mortem peccatores justificas, ideoque justitia tua per emphasim dicitur, juxta illud Apostoli : « Qui factus est nobis justitia 565 et redemptio et sanctificatio (*I Cor.* I, 30). » Veritas et justitia hic idem designant, Christum videlicet, sed quia hæc vox, quæ est veritas, communior est, notat enim in ea et peccatorum justificationem, et justam bonorum et malorum remunerationem, et universarum promissionum Patris completionem. Ponit vocem aliam quæ specialius notat hoc quod ad ejus orationem pertinet, cum eum justitiam vocat. Per hanc enim vocem quæ est justitia, denotatur, ut superius diximus, quod ipse peccatores justificat. Quam justificationem pœnitens hic orans adipisci rursus intendit, cum eam jam peccando amiserit; cum vero eum justitiam nuncupat, magis Dominum Patrem flectit ad conferendum per eum quod orat. Æquipollens aut hoc est, ac si dicat : Per illius merita oro me exaudiri per quem promissionem justificationis tuæ veracem effecisti, qui, cum omnium vere pœnitentium justificatio existat, et mihi pie justificationem conferat : Oro exaudi me.

Et etiam oro *non intres in judicium cum* me *servo tuo*, scilicet cum me servum tuum jam faciam

www.libtool.com.cn

pœnitendo, et de peccato commisso tibi satisfacere cupiendo, *non intres* mecum in *judicium*, id est noli mihi imputare peccata mea, ut ea justo judicio punias, a similitudine judicum, qui cum reo quolibet judicium ineunt, ut eum juste damnent. *Non intres*, inquam, *in judicium cum* me *servo tuo*. Necesse est autem ut hoc orem, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est nullus vivens invenietur perfecte justus in consideratione tua, etsi justus perfecte videatur in conspectu suo et in conspectu hominum. Unde Apostolus : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (*I Cor.* IV, 4). » Ac si dicat : Ut de me taceam, qui mortuus sum in peccatis, si omnes illos accipias, qui vere viventes sunt in virtutibus, et velis omnia eorum mala facta juste disquirere, nullus in consideratione perscrutationis tuæ ita justus invenietur, in quo multa peccatorum macula non reperiatur ; ideoque potius me mortuum in peccatis nimis necesse est timere, ne mecum in judicium intres. Nam si intrares, me justo judicio sine fine punires. *Non intres*, inquam. Quod nempe ea occasione oro, *quia inimicus* diabolus, scilicet vel suggestio prava, *persecutus est animam meam*, instimulando eam ad peccata. Et non inefficaciter est persecutus, sed sic quod a dignitate sanctitatis suæ *humiliavit*, id est dejecit *vitam meam*, id est animam meam, quæ prius per emphasim vita dicenda erat. *Humiliavit*, inquam, *animam* consensu pravo et operatione ; *animam* dico existentem *in terra*, id est in appetitu terrenorum, scilicet, cum prius sola cælestia per virtutes appeteret, a sublimitate illius appetitus eam virtutes ei demendo dejecit, et ad sola terrena appetenda adduxit ; quod certe non mediocriter periculosum est, a similitudine captæ avis, cui pennæ demuntur, ut in terra detenta, facultatem volandi ad sublimia non habeat ulterius. Nec solum autem *animam meam* consensu et mala operatione *humiliavit*, sed etiam *me* humiliatum *collocavit*, id est firmiter stabilivit per consuetudinem pravam *in obscuris*, id est in obscuritatibus peccatorum, cum antea essem in nimia claritate virtutum. Quod est dicere : Fecit me consuete agere peccata, ex quibus peccatis ad nimiam obscurationem ignorantiæ deveni : *Collocavit*, inquam, *me in obscuris*, me dico factum *sicut mortuos sæculi*, id est adeo mortuum in anima sicut illi in sæculo qui jam mortui sunt in anima, scilicet, ita in peccatis collocavit ut mortuus essem sicut cæteri appetitores hujus sæculi, qui jam in anima mortem excæcationis et amissionis virtutum incurrerunt, in futuro vero in tenebras exteriores ejicientur.

Et quoniam humiliatus sum et in tenebris collocatus, tali occasione *anxiatus est spiritus meus*, id est conturbata est ratio spiritus mei, et coangustata *super me*, id est de me humiliato et in obscuris collocato. Quod est dicere : Ratione mea considerans me sic 566 humiliatum et in obscuris collocatum, nimiam inde in anima habui anxietatem. Vel sic, ut tamen sententia eadem sit : *Anxiatus est spiritus meus*, id est ratio animæ meæ considerans super me humiliatum et in obscuris collocatum, a similitudine cujuslibet amici, qui incumbens super amicum mortuum, pro ejus morte nimis anxiatur. Quia vero posset spiritus anxiari non ex voluntate liberi arbitrii, quod infructuosum esset, sicut aliquis interdum ex amissione temporalium ex necessitate anxiatur, addit : *Cor meum turbatum est*, id est ratio cordis mei ex anxietate turbata est, non ex necessitate, sed *in me*, id est in voluntate liberi arbitrii mei, scilicet, sponte mea inde anxior, ideoque magis veniam promereor. *Anxiatus est spiritus meus*, et *turbatum est cor meum*, idem est repetitum, ut apponeret in me, ad determinationem. *Anxiatus est*, inquam, *spiritus meus*, ideo quod collatus sum *in obscuris*, et non solum occasione hujus collocationis *anxiatus est spiritus meus*, sed ideo quoque quia cum sic humiliatus essem et *in obscuris* collocatus, *memor fui dierum antiquorum*, id est virtutum antiquarum, quas, scilicet antea quam peccarem habueram et peccando amiseram, quæ propter claritatis suæ magnitudinem dies dicendæ sunt. Vel ideo *anxiatus* sum, quia *memor fui dierum antiquorum*, id est memoriam habui illius rei quæ contigit in antiquis diebus, scilicet quam graviter primi parentes propter peccatum suum damnati fuerunt. Et cum simile quid agerem, metui graviter damnari.

Non solum autem *memor fui dierum antiquorum*, sed etiam occasione hujus memoriæ, *meditatus sum in omnibus operibus tuis*, id est meditationem habui in omnibus operibus tuis complendis, scilicet meditatus sum, quomodo omnia opera tua complerem. Et non solum *meditatus sum*, sed *et* jugiter *meditabor in* complendis *factis manuum tuarum*, id est operationum tuarum, videlicet meditabor quasi modo opera faciam, quæ facta quidem nequeunt fieri nisi per operationes gratiæ tuæ. Ideoque, quæso, *non intres* mecum *in judicium*. Non solum vero meditatus sum et meditabor, sed etiam *expandi manus meas* id est dilitavi et extendi affectiones meas, *ad te* amplexandum et diligendum, non ad terrena obtinenda. Quod est dicere : Intense me præparavi ad te diligendum, a similitudine illius qui ad amplexandum illum quem valde diligit, manus expandit. *Expandi*, inquam, *manus meas ad te*. Et adhuc *anima mea tibi* inhiat, et te adipisci desiderat, ita vehementer *sicut terra sine aqua* aquæ inhiat; qua satiari valde desiderat. Quod est dicere : Te nimis diligo, tibi soli adhærere cupio. Quoniam ergo in operibus tuis meditatus sum, et ad te manus meas expandi, *exaudi me, Domine*, ut conferas quod oro, et hoc *velociter*, id est indilate. Et dignum est ut me exaudias, nam jam *defecit* in me *spiritus meus*, id est voluntas spiritus mei, illa videlicet, quæ ex carnis fragilitate mihi contingebat. Quod est dicere : Voluntatem fragilitatis meæ postposui, et ad nihilum eam redegi, et tuæ voluntati adimplendæ adhæsi. Notandum quod dicit *velociter exaudi me*, idem est

www.libtool.com.cn

quod superius posuit, *Domine, exaudi orationem meam*, sed ideo repetitum est post multam interpositionem, ut tandem exponat per partes orationem suam sic *Exaudi me*, inquam, *velociter*, *me* dico sic orantem : *Non avertas faciem tuam*, id est pulchritudinem tuam *a me*, virtutes, scilicet quæ sunt animæ pulchritudo. Facies pro pulchritudine ponitur, eo quod in facie pulchritudo notetur, ac si dicat : Propter merita peccatorum a me faciem avertisti, id est pulchritudinem virtutum quæ per te datur. Cæterum quia jam ago pœnitentiam, *ne* ulterius *a me faciem avertas*. Hic datur intelligi per lyptoten redde mihi faciem tuam, quam a me propter peccatorum meorum multitudinem avertisti.

Non avertas, inquam, *a me faciem*. *Et* si averteris, *similis ero descendentibus in lacum*, id est
567 in profunditatem inferni, ut simul cum eis descendam, ac si dicat : Si a me faciam tuam in æternum averteris, in profundum inferni cum peccatoribus localiter descendam, ubi nulla est redemptio, ideoque oro *non avertas faciem tuam a me*. Oro ut hic *non avertas faciem*, oro quoque ut *in mane diei* judicii, id est in matutina resurrectione, quæ erit in diluculo octavæ diei, *facias auditam misericordiam tuam*, illud videlicet verbum suavissimum quod salvandis misericorditer dices, quod misericordia dicitur, quod tale erit : « Venite, benedicti (*Matth.* xxv, 34), » etc. Quia vero multi damnandi ad nullam utilitatem suam hoc audient, addit : *Fac* inquam, *auditam*. Et hoc *mihi*, id est ad utilitatem meam, ita scilicet ut unus sim ex illis quibus hoc verbum misericordiæ dicetur. Ideoque *fac auditam quia in te*, non in me, *speravi*, id est in te omnem spem salvationis meæ posui, non in meritis. Oro *non avertas faciem tuam a me*, id est virtutum oro pulchritudinem mihi confer. Et non solum virtutum oro pulchritudinem mihi dari, sed etiam oro, *notam fac mihi viam* bonorum operum. Et ne putaretur hoc orare ut ei solummodo secundum scientiam viam hanc sibi notam faceret, determinat quomodo oret sibi fieri *notam* sic : *Notam*, inquam *fac mihi* bonorum operum *viam*, *in qua* videlicet *ambulem* : id est promovear de bono in melius, scilicet fac mihi notam viam hanc secundum experientiam promotionis id est fac me frequentare hanc viam, a similitudine viatoris dictum est, cui bene nota est via quam frequentat. Ideo vero *fac mihi notam viam in qua ambulem*, *quia animam meam* peccando prius depressi, nunc tandem *levavi*, id est sublimavi pœnitendo, bene cogitando, virtutes et bona opera adamando. *Levavi*, inquam, *animam meam*, *ad te* diligendum et adipiscendum, scilicet ea intentione animam meam levavi ut te valeam adipisci. Oro *notam fac viam in qua ambulem*, oro quoque *eripe me de inimicis meis*, de suggestionibus scilicet et malignis spiritibus, et etiam de inimicis exterioribus me a bono proposito meo revocare nitentibus, ne mihi prævaleant. Vel, *eripe me de inimicis meis*, scilicet de peccatis jam commissis eripe indulgendo. Et eripere debes, *o Domine*; nam *ad te confugi* pœnitendo et orando. Quia vero non sufficeret ab inimicis eripi, nisi etiam sit bene operari, *doce me* illustratione gratiæ tuæ, *facere voluntatem tuam*, id est complere præcepta tua. Et ideo te oro ut doceas, *quia Deus meus es tu*, scilicet, cum tu sis Creator meus, sine quo esse non potui, scio quia sine te nequeo bene operari, ideoque te, oro *doce me*, etc.

Notandum quod idem est *doce me facere voluntatem*, et quod superius positum est, *notam fac mihi viam in qua ambulem* ; sed ad aliud repetitum est, ad hoc videlicet ut innuat non sufficere ab inimicis eripi, nisi sequatur bene operari, et quia nullus potest bene agere, nisi Domino docente. Oratione facta ex nimia certitudine bonæ conscientiæ, promittit sibi quod oravit. Et hoc valet ad consolationem aliorum pœnitentium, ut, spe adeptionis freti, non de misericordia desperent, sed, ut misericordiam assequantur, exemplo ejus orent. Hoc ergo sic dicit : Oravi *ne avertas faciem tuam a me*, id est virtutum pulchritudinem, et *notam fac viam in qua ambulem*, et ut me ab inimicis eripias, et vere adipiscar quod oravi. Nam *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, scilicet, cum ego me fecerim terram pravam et sterilem, nullum fructum operum bonorum reddentem, sed spinas operum malorum proferentem, Spiritus sanctus tuus, qui cum bonus sit in natura, me quoque bonum facere potest de hoc quod sum prava terra, ducet me ad hoc ut sim bona et recta terra, et fertilis in virtutibus et bonis operibus. Et per sanctum Spiritum tuum ponendo me *in æquitate* virtutum et operum bonorum, æquitate dico tua, id est a te danda, *vivificabis me* in anima per hanc æquitatem, qui mortuus sum per peccatum. *Vivificabis*,
568 inquam, *me*, et hoc facies *propter nomen tuum*, id est propter gloriam tuam augmentandam; vel *propter nomen tuum*, id est propter misericordiam tuam, non propter merita mea. Et vivificando *educes de tribulatione* anxietatis *animam meam* scilicet cum ego nimis anxier de hoc quod mortuus sim in anima per peccatum, et per virtutum pulchritudinem amisi, tu eripies animam meam ab hac anxietate vivificando me in virtutibus. *Et* per hoc *disperdes in misericordia tua*, id est in respectu misericordiæ tuæ non consideratione meritorum meorum, *inimicos meos*, id est destrues per misericordiam indulgentiæ peccata commissa quæ mihi inimicantur, animam meam deformando. Et non solum peccata commissa per indulgentiam disperdes, sed *et perdes omnes* inimicos *qui tribulant animam meam*, scilicet pravas suggestiones et malignos homines, qui anxiant animam meam, volendo eam ad peccata consueta impellere, *perdes*, id est inefficaces reddes. Et cum hoc totum per misericordiam feceris, facies hoc quoque, *quia ego*, etsi prius peccando tibi repugnaverim, tamen *servus tuus sum*, id est me tibi servum feci pœnitendo, et satisfacere cupiendo.

IN PSALMUM CXLIII.

Titulus centesimi quadragesimi tertii, *Psalmus*

www.libtool.com.cn

David, id est massæ fidelium *adversus Goliath* pugnantis, videlicet bene vivendo pugnantis, contra diabolum et membra ejus, et contra vitia, quæ instigant eum ad malam operationem, et sic eum superare intendunt. Hæc igitur pugna præfigurata est per pugnam David, qui pugnavit contra Goliath et eum cum lapide dejecit. Sicut enim per David Goliath ejus persecutor lapidis percussione dejectus est, ita quoque diabolus vicem Goliath retinens et membra ejus, maligni videlicet homines et vitia ab eo illata per unumquemque fidelem, qui est David manu fortis viriliter agens cum auxilio Christi, qui est petra fortitudinis, superatur. In hoc ergo psalmo massa perfectorum ad instructionem minorum Deum benedicit, ideoque misericorditer eam ab inimicis liberavit, docendo viriliter eam contra ipsos præliari et quia jugiter eam protegit, et ea consideratione, quia hominibus fidelibus jam innotuit. Orat quoque ut eis innotescat quibus nondum innotuit. Orat insuper ab hæreticis liberari et eripi, ne eum sibi conformare possint, aut verbis aut simulatione operum suorum, aut tribulationibus; et per hoc minores orare instruit. Ostendit quoque quam periculosa sit eorum impugnatio, tum quia multiplex est eorum error, tum quia composite et dialectice loquuntur, tum quia a pluribus laudantur, ut per hoc minores instruat ab eorum deceptionibus cavere.

Benedictus est a me *Dominus meus*, etc., ac si dicat: O vos auditores exemplo mei benedicite Dominum. Ego enim benedico, id est exalto et ore, et affectione et opere Dominum Patrem, quia et *Dominus* est omnipotens et *Deus meus*, id est creator meus. *Benedictus est*, inquam, *Dominus*, id est exaltatus a me, *quia Dominus Deus docet*, id est doctas fecit *manus meas ad prælium*, contra diabolum et membra ejus vitia faciendum. *Et* qui *docet digitos meos ad bellum* idem faciendum, per prælium et bellum, idem hic designatur, pugna scilicet contra diabolum et ejus membra et vitia. Per manus vero et digitos diversa denotantur. Nam quia tota manu cominus gladiis pugnatur, digitis vero eminus sagittis et cæteris missilibus agitur, quæ pugna quidem minus est periculosa, quam quæ fit cominus, ideo hic per prælium manuum denotatur prælium contra majores tentationes gravissime et quasi cominus instantes. Per bellum vero digitorum accipitur bellum minorum suggestionum, minus graviter et quasi eminus infestantium. Hoc autem, quod duplici similitudine ponit, æque valens est ac si tali modo positum esset: Ea occasione Dominum exalto quia, cum sit *Dominus* et *Deus meus*, illustrando me intelligentia spirituali, et virtutibus me doctum et instructum fecit contra majores et minores suggestiones viriliter præliari! *Dominus Deus*, inquam, existens *misericordia* 569 *mea* per emphasim, scilicet non ex meritis meis, sed ex sola misericordia sua me ad præliandum doctum fecit, *et* existens *refugium meum*, id est securitas mea, cujus auxilio fretus securus in hoc prælio persisto. Refugium pro securitate ponitur, eo quod ad securum locum a timentibus refugium fiat sæpius. Existens, inquam, *refugium*, et etiam existens *susceptor meus*, id est medicus et reparator meus, qui rationem et liberum arbitrium meum, quæ per originale peccatum debilitata fuerant, per mortem Unigeniti sui reparavit et corroboravit. *Et* existens quoque *liberator meus*, quia per indulgentiam gratiæ suæ a peccatorum, quæ commiseram, me servitute liberavit, et existens *protector*, id est defensor *meus*, ne cedam impugnationibus inimicorum interiorum, id est pravarum suggestionum, et exteriorum, hæreticorum videlicet et virorum iniquorum. *Et in ipso speravi*, id est ea bona quæ in ipso sunt, speravi per eum me adepturum, immortalitatem scilicet et impassibilitatem. Quod est dicere: Et ipse est existens spes mea, per quem videlicet spem habeo attingendi ad bona æterna. Et hac quoque consideratione benedictus est a me. *In ipso*, inquam, *speravi*, *qui* auxilio gratiæ suæ *subdit sub me*, id est mihi *populum* inimicorum meum factum per conformitatem, scilicet qui maximam malignorum hominum mihi prius adversantium multitudinem mihi subdidit, sic ut conformis mihi efficeretur. Vel sic: *subdit populum meum sub me*, id est multitudinem suggestionum ex mei fragilitate orientium, quæ, cum multæ sint, populus dicuntur: *subdidit mihi*, ut non solum sic me ab eis protegat; ne mihi prævaleant, sed ut facilitatem habeam, quoties oriuntur, eas facile conculcandi, et penitus a me repellendi.

Postquam ostendit se benedicere Domino contuitu beneficiorum sibi collatorum, ut magis auditores ad benedicendum exsuscitet, ostendit quod benedicit ei consideratione eorum beneficiorum, quæ communiter omni homini salvando contulit. Hoc autem sic dicit: Dixi, *Domine*, quod benedictus es a me; ideo quia me doctum faciendo ad prælium misericordia mea es et refugium, etc. Et etiam ea consideratione benedictus es a me, quia cum homo per Adam vile quid factum esset et abjectum, o *Domine*, *quid est homo*, id est quam magnum quid et quam pretiosum factus est homo quisque salvandus, per hoc *quia innotuisti ei*, id est te illi manifestasti per fidem et intellectum, cum prius a tui cognitione elongatus esset per originale peccatum. *Aut* ideo quam magnum quid est *filius hominis*, id est filius Adæ, *quia reputas eum*, scilicet unusquisque fidelis salvandus, cum prius esset filius primi hominis Adæ, non solum secundum carnis originem, sed etiam secundum originalis culpæ damnationem, magnum quid factus est per hoc *quia reputas eum*, id est quia magnificas eum, magni pretii habes eum, et existimationem habes de eo originalis culpæ labem ab eo auferendo, et in eo virtutum pulchritudinem restituendo, vel *reputas eum* esse dignum collocari inter angelos, ut ex eo ordo angelorum qui corruit, suppleatur. Hic autem versus æquivalens est, ac si breviter diceret: Ideo benedictus es a me quia considero quod, cum homo filius esset perditionis, et quid vile et

www.libtool.com.cn

abjectum, tu eum magnum quid esse fecisti, tui cognitione eum illuminando, et virtutes in eo reformando, et sic eum magni pretii esse reputando. Posset quæri. Dicis quod homo quid magnum factus est, per hoc quod *innotuisti ei* et *reputas eum*. Nonne per se magnum quid erat ? Ad quod sic addit : *Homo vanitati*, etc., ac si dicat : Per hoc magnum quid homo factus est, *quia innotuisti ei, et quia reputas eum*. Qui *homo* cum factus esset ad similitudinem veritatis, ad similitudinem Dei, scilicet peccando in Adam, *similis factus est vanitati*, id est fecit se similem *vanitati*, id est nihilo. Quasi diceret : Non dico quod nihil factus sit, sed se similem fecit nihilo, ut jam fere ad nihilum videretur esse redactus, cum a vero esse ad cujus similitudinem factus erat, ad non esse tenderet, et per originale peccatum et per actualia. Et in hoc adhuc ostendit 570 similem se fecisse vanitati, quod *dies ejus* cito *prætereunt sicut umbra*. Ac si dicat : Adhuc pœnam in se retinet de hoc quod a vero esse recedendo, ad non esse tetendit. Inde enim hoc habet quod dies ejus transitorii sunt ut umbra. De juventute enim in senectutem transit, et sic ad ultimum moritur. Unde adhuc vanitati videtur similis. Qua enim ratione illud quod transitorium est vanum esse denegetur ? Unde Salomon : « Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccle.* I, 1). »

Ostenso hoc quod Deum benedicit ea occasione quia fidelibus jam innotuit, orat ut salvandis illis innotescat, quibus nondum innotuit. Dixi : Domine, quia magnum quid effecti sunt homines fideles, per hoc quod innotuisti eis. Ut vero cæteri homines salvandi magnum quid fiant te eis notificando et ut eis innotescas, o *Domine, inclina cœlos tuos*, id est humilia prædicatores tuos qui sublimes sunt in scientia. Humilia, inquam, vel sic ut persecutiones pro doctrina pati non suffugiant; vel humilia ut, cum supremi sint in sapientia, ad capacitatem audientium doctrinam suam contemperent, ut dent eis lac potum, non escam (*1 Cor.* III, 2), et sic eis te innotescere faciant. Unde Apostolus : « Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi (*1 Cor.* I, 17). » Et alibi : « Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*1 Cor.* II, 2). » *Inclina*, inquam, *cœlos*, *et* per cœlos *descende* in notitiam auditorum. Et bene dicit *descende*. Cum enim ipsi adhuc in intellectu debiles, ad divinæ contemplationis sublimitatem non valeant ascendere, tunc ad eos descendit divina clementia, cum aliquantulum eos cognitionis suæ radiis illustrat. *Descende*, inquam, ad eos per cognitionem, et descendendo *tange* non solum minores, sed etiam *montes*, id est majores et prælatos ; *tange* interius timore peccatorum suorum, *et* tacti *fumigabunt*, id est fumum emittent ex se, id est lacrymosam compunctionem, quæ ad modum fumi, corporis oculos turbat. Ut autem per cœlos inclinatos ipsi montes tui notitiam plenarius capiant, et tangantur et fumigent, per eosdem cœlos *fulgara*, id est splendescere fac *coruscationes*, id est miracula quæ coruscationes dicuntur, eo quod homines videntes stupidos reddunt ad modum coruscationum fulgurum. *fulgura*, inquam, coruscationes et fulgura. *et* sic *dissipabis*, id est divides *eos* salvandos a conformitate perdendorum. Et, quia miracula non sufficerent, *emitte* quoque per cœlos *sagittas tuas*, id est manifeste mitte doctrinas tuas, primordiales scilicet doctrinas, quæ postquam notitiæ Dei aliquantulum habent, idiotis a prædicatoribus suggeruntur, quæ ad modum sagittarum penetrant usque ad cor, et interficiunt eos in hoc quod mali sunt. Vel sic : Postquam aliquantulum per cœlos ad eorum notitiam descenderis, et jam aliquid primordialis doctrinæ susceperint, ut non ex toto rudes sint, tunc per eosdem cœlos *emitte* in eos *sagittas tuas*, id est præcepta et instituta tua ad modum sagittarum corda penetrantia, illa videlicet magna vivendi instituta quæ post imbutionem primordialis doctrinæ a doctoribus administrantur. *Emitte*, inquam, *sagittas et* sic *conturbabis eos*, scilicet, postquam eos instruxeris quam digna sint et quam sancta præcepta tua, conturbabuntur, id est dolebunt de hoc quod præceptis operam non dederunt.

Facta oratione pro aliis, orat etiam pro se ut ab hæreticis liberetur, sic dicens : Oravi pro aliis dicendo, Domine, *inclina*, etc. Oro quoque pro me cum ab hæreticis impugner, *emitte manum tuam de alto*, id est manifeste mitte mihi auxilium tuum de altitudine potentiæ tuæ. Manus pro auxilio ponitur, eo quod labi volenti manu auxiliamur. *Emitte*, inquam, mihi auxilium potentiæ tuæ. Et sic *eripe me de aquis multis*. Et non mediocriter eripias, sed *libera me de aquis multis*, id est sic me eripias de variis et multiplicibus doctrinis hæreticorum, ut 571 ex toto ex eis me liberes, ut eis libere contradicam, ne in aliquo decipiar. Aquas multas hæreticorum doctrinas dicit, eo quod ad modum aquæ turbidæ sordidæ sunt, et multiplices sunt, et variæ, non in simplicitate fidei concordes. Non solum autem *me de aquis multis*, sed *et de manu filiorum* erue *alienorum*, id est de operatione filiorum alienorum scilicet ne decipiar per simulatam operationem hæreticorum, qui, cum fuissent filii secundum participationem ecclesiasticorum sacramentorum, alieni facti sunt per errorem suum. Hoc autem totum est, ac si breviter poneret sic : *Libera me* sic ab hæreticis ut non decipiar, neque per doctrinam neque per simulationem operum eorum, quæ videntur esse bona, et perversa sunt. Quia liberari se oraverat, et de doctrinis, et de operatione hæreticorum; singulis singulas causas reddit sic : *Libera me*, inquam, *de aquis multis* hæreticorum, *quorum os locutum est vanitatem*, ac si dicat : Neces se est ut orem liberari a doctrinis hæreticorum, qui nihil loquuntur, nisi vana et errore plena. Et ideo oro liberari de operatione hæreticorum existentium filiorum alienorum, quia *dextera eorum*, id est operatio eorum quæ vi-

detur esse *dextera*, id est bona, est *dextera iniquitatis*, id est operatio iniqua.

Unde necesse est ut de utroque orem liberari, ne in aliquo decipiar. Si vero me liberaveris de *aquis multis*, quæ spectant ad vetustatem Adæ, o *Deus*, *cantabo tibi novum canticum*, id est laudabo te novo cantico, fide videlicet integra, quæ per novum hominem data est. Si autem *de manu filiorum alienorum* me liberaveris, *psallam tibi*, id est bene operabor ad laudem tui. Et hoc non faciam invitus, sed *in psalterio decachordo*, id est in anima decem præceptis legis instructa, scilicet in voluntate animæ decem legis præcepta complente, quæ psalterium dicitur, eo quod ut jam sæpe dictum est, ad similitudinem psalterii a superiori laude resonat. Chordæ vero dicuntur legis præcepta, eo quod dulcem Deo melodiam per sui completionem reddant, a similitudine chordarum, dulcem ex se cantum reddentium. Vel sic : *Libera*, inquam, *me de aquis multis et de manu filiorum alienorum*. Quod si feceris, o Deus, *canticum novum cantabo tibi*, id est laudabo te novo cantico scilicet completione illorum sublimium præceptorum, quæ, cum in Veteri Testamento non essent data, in Novo Testamento data sunt, sicut inimicum diligere, sæcularia postponere, et cætera hujusmodi. Unde Dominus in Evangelio dicit: « Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* v, 20). » *Cantabo*, inquam, *tibi novum canticum*, et etiam *psallam tibi in psalterio decachordo*, id est laudabo te bona operatione in voluntate animæ, decem præceptis legis veteris adornatæ. Quod est dicere : Laudabo te completione Novi et Veteris Testamenti. Repetit autem ex nimio desiderio impetrandi orationem quam de ereptione hæreticorum fecerat, ut etiam ostendat quam periculosa sit eorum impugnatio, sic: *Cantabo*, inquam, *tibi et psallam*. Et ut hoc sit *eripe me de gladio*, et quia dicitur gladius sancti Spiritus qui bonus est et utilis, determinat de quod gladio dicat, cum addit *maligno*, ac si dicat: Libera me de hæreticorum doctrina ; quæ gladius malignus est, virtutes interficiens in anima sibi consentiente. Hoc autem idem est quod superius dixit. *Libera me de aquis multis. Eripe me*, inquam, *de gladio maligno*, et etiam *erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis*, hoc, ut superius exponitur. *Eripe*, inquam, *me, et erue*, qui ad hoc faciendum potens es, utpote *qui das salutem regibus* id est fidelibus omnibus, quos sui reges effecisti, das salutem, virtutes scilicet quæ sunt salus animæ. Et *qui* morte filii tui *redemisti* a peccatis originalibus et actualibus *David*, id est unumquemque fidelem, manu fortem viriliter agentem.

David dico factum *servum tuum*, tibi voluntarie obedientem. *Erue*, 572 inquam, *me de manu* et opere *filiorum alienorum*. Quod valde quidem mihi necessarium est, utpote *quorum filii*, id est quorum cogitationes existentes non in antiqua auctoritate Scripturarum, sed *in juventute*, id est in erronea novitate ; *juventute* dico *sua*, id est ab eis inventa, sunt *sicut novellæ plantationes*, id est comparabiles arboribus, vel herbis juvenibus noviter plantatis, ita scilicet semper de die in diem in pejus augmentantur quemadmodum *novellæ plantationes*, quæ semper, dum novellæ sunt crescunt. Vel sic: *Quorum filii*, id est cogitationes sunt *sicut novellæ plantationes*, comparabiles scilicet sunt novellis plantationibus ; et hoc *in juventute sua*, scilicet in hoc sunt similes novellis plantationibus, quod semper juvenes sunt, semper novæ, ne aliquatenus antiquis auctoritatibus innitantur. Dico quod *filii* eorum sunt *sicut novellæ plantationes*, *filiæ* vero *eorum*, id est locutiones eorum *compositæ* sunt, id est ornatæ sic, *ut* dialectice, et rhetorice et urbane loquantur, ut magis decipiant. Ideoque cum valde periculosum sit cum eis agere, oro, *erue me* ab ipsis. *Compositæ*, inquam, sunt, id est ornatæ, et non mediocriter ornatæ, sed *circumornatæ*, id est usquequaque et per omnia ornatæ, *ut*, id est utpote *similitudo templi* existentes, id est fidei quæ templum dicitur, eo quod in ea omnia bonorum operum et virtutum sacrificia Deo offeruntur, sicut in templo sacrificia Deo offerebantur. Hac etiam eadem similitudine fides Ecclesia dicitur, juxta illud Prosperi : « Non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam. » Hoc autem quod dicit *ut similitudo templi*, idem valet ac si dicat: Locutiones eorum circumornatæ sunt, utpote similes verbis fidei. Ita namque loquuntur ut quædam verba dicant, quæ ad fidem pertinere videntur, ut citius fallant, quibus errorem suum latenter admiscent.

Congrue nempe cogitationes *filii*, et locutiones *filiæ* dicuntur, quia cum utraque ab ipsis procedant, sicut filii et filiæ ex patribus, cogitationes tamen digniores locutionibus existunt, cum, locutiones cogitationum signum sint. Ideoque per dignioris sexus vocabulum, per filios scilicet, cogitationes ; locutiones vero, per indignioris sexus nomen, videlicet per filias exprimuntur. Dicuntur quoque locutiones *filiæ*, eo quod ornantur, et ornatu suo auditores alliciunt, sicut filiæ Madianitarum tempore Moysi cum adornatæ a parentibus filiis Israel exponerentur, eos ornatus sui specie deceperunt, et ad stuprum impellendo eos Deum offendere fecerunt; qua etiam occasione a Madianitis superati fuerunt (*Num.* xxv). Ideo etiam oro, Domine, *eripe me* de maligno gladio verbositatis filiorum alienorum, qui *promptuaria eorum*, id est ingenia eorum in quibus continentur pravæ cogitationes, sicut in promptuariis vinum et annona, sunt *plena*, id est referta ipsis pravis cogitationibus, *eructantia* , id est plenarie ipsas cogitationes verbis manifestantia, *ex hoc in illud* transeundo, id est ex hac argumentatione in hanc aliam argumentationem, a similitudine promptuarii, valde pleni, in quo vinum vel annona ex uno vase in aliud transportatur. Quod est ac si dicat : Cum eorum ingenia

www.libtool.com.cn

pravis cogitationibus referta sint, illas multis argumentationibus emittunt. Per quas videlicet argumentationum vires, multo sibi consentire cogunt; ideoque contra ipsos agere nimis est periculosum. Et ideo etiam periculum est cum ipsis loqui, et oro me ab ipsis eripi, quoniam *oves eorum* sunt *fetosæ*, illi videlicet quod sunt principes inter eos dicti oves eo quod minores in errore generant, ad modum ovium, agnos generantium; fetosi sunt, id est multos habentes fetus, multos videlicet filios procreantes, quorum filiorum exemplo plures alliciuntur, fetosi, inquam, sunt, et non in doctrina fidei sunt filios generantes, sed sunt abundantes filiis *in ingressibus suis*, non in ingressibus fidei. Quod est dicere : Cum a fide catholica egrediantur, in hujusmodi egressibus multos sibi conformitatis 573 filios acquirunt, quos secum similiter egredi faciunt. Et ideo quoque deceptibiles sunt et periculosi, et oro ab eis eripi, qui *boves eorum crassæ* sunt, doctores videlicet eorum, superius dicti oves, qui etiam dicuntur boves, eo quod minores blanditiis verborum suorum lactando sibi alliciunt; et illectos doctrinis perversis perversius excolunt; ad modum vaccarum vitulos lactantium et arva excolentium crassi sunt, id est terrenis divitiis impinguati et locupletati, quarum largitionibus sibi plures adjungunt, quos verborum suorum inductionibus, vel argumentationibus superare non possunt,

Et idcirco insuper metuendi sunt, et me necessarium est ab eis eripi, quia, cum maceriam exstruant, id est congeriem argumentationum, quæ maceria dicitur eo quod ex pluribus argumentationibus fiat sicut maceria ex multis lapidibus, facilis *non est ruina maceriæ* ipsorum, scilicet congeries argumentationum ipsorum non facile potest dirui et annihilari(461). Maxima namque vis est in argumentationibus eorum. Oves et boves feminine hæreticos dicit eo quod ad modum sexus feminini in virtutibus sint effeminati. *Non* est, inquam, *ruina maceriæ eorum neque transitus* est ipsius maceriæ, scilicet cum quosdam idiotas perdendos includunt in ipsa concatenatione argumentationum suarum, non inde possunt transire, neque evadere, a similitudine captivi, quod in carcere positus, maceriis circumquaque inclusus, inde evadere non potest. *Non est*, inquam, *transitus maceriæ neque clamor*, id est neque subtilitas et intentio intellectus est *in plateis eorum*, id est in amplitudine erroris eorum, scilicet cum ipsi consistant, non in veritate, quæ certum quid est et arctum; sed in errore qui amplum quid est et infinitum, qui nimirum propter sui amplitudinem platea dicitur, et in inveniendo errorem se subtiles reputent et intensos; nulla tamen in eis subtilitas est, aut aliqua intensio. Nulla namque ibi esse dicenda est intellectus intensio sive subtilitas, ubi nihil est nisi error et imprudentia. Clamor vero subtilitas et intensio dicitur ideo quia, sicut alta voce exteriori corpus, ita quoque suo modo intensione et intellectus subtilitate animus clamat. Unde sæpius in Evangelio Dominus Jesus legitur clamasse, non quod voce exteriori, sed quod subtilitate intellectus et intensione clamaverit. Vel, *non est clamor in plateis eorum*, id est non est manifesta locutio in amplitudine erroris eorum, scilicet non audent manifeste in conciliis, ubi sit conventus Catholicorum, de magnis errroribus suis disputare; sed occulte in thalamis ubi fallendi locus est, inde cum idiotis agunt. Clamor pro manifesta locutione ponitur, eo quod clamantium vox manifestior sit quam vox suaviter loquentium. Et ideo quoque oro me ab ipsorum conformitate eripi quia stulti et idiotæ homines *beatum dixerunt populum* hæreticorum, *cui hæc* supra dicta *sunt* scilicet cum *filii* eorum sunt *sicut novellæ plantationes*, et *filiæ eorum* sunt *compositæ*, et *promptuaria eorum plena*, et *oves eorum fetosæ*, et *boves eorum crassæ*, et *nulla ruina neque transitus* eorum *maceriæ*, conclamant eos vere beatos esse, et hac laude eis plurimi adjiciuntur decepti. Unde me necessarium est orare ne et ego simili modo decipiar. Stulti, inquam, dicunt hunc *populum beatum* esse. Quod pro certo falsum est. Sed *ille populus* procul dubio est *beatus cujus est Dominus Deus ejus*, scilicet cui nullus error dominatur; sed cujus Deus ejus est Dominus, id est qui Deum suum reputat Dominum suum.

IN PSALMUM CXLIV.

Titulus centesimi quadragesimi quarti. *Laudatio ipsius David*. Quod sic exponitur : *Laudatio* hæc, psalmus videlicet iste ascribitur ipsi *David*, Christo. Non quod hic Christus loquatur, sed quia perfectiorum fidelium collectio ut minores ad Deum laudandum instruat, se Deum laudaturum et activa et contemplativa vita promittit. Multis quoque modis eum commendat, referendo ejus magnitudinem, et justitiam, et suavitatem et alia multa de eo gloriosa. 574 *Exaltabo te Deus meus rex*, ac [si dicat : Licet Domine Jesu, te Judæi increduli spernant et solum hominem esse reputent, cum tu tamen *Deus* meus sic et *rex meus*, id est creator et rector meus, qui quiquid in me boni est disponis et regis jugiter in hac vita *exaltabo te*, id est sublimabo et glorificabo te, activa vita mea. Et etiam *benedicam nomini tuo*, id est laudabo te contuiti nominis tui, quod est Dominus, *Benedicam*, inquam *te* benedictione duratura *in sæculum et in sæculum sæculi*, scilicet laudabo te laude contemplativæ vitæ, et in hoc sæculo, et in futuro duraturæ, juxta illud Evangelii : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* x, 42). » Activa vero vita tantum in hoc sæculo durabit. *Benedicam*, inquam *nomini tuo*. Et hoc non in prosperis tantum, vel in adversis tantum; sed *benedicam tibi*, id est laudabo te *per singulos dies*, et prosperitatis et adversitatis, Vel *benedicam tibi per singulos dies*, id est per singulas ascensiones virtutum, scilicet laudabo te ascendendo de virtute in

(461) De hoc pulchre Tertul. in lib. De præscript.

www.libtool.com.cn

virtutem, quæ dies dicuntur, eo quod ad diei similitudinem spiritualiter animam illuminent. Dico *benedicam tibi et laudabo nomen tuum*, id est laudabo te consideratione nominis tui *in sæculum et in sæculum sæculi*. Hoc cum idem sit quod superius dictum est, *benedicam nomini*, etc., ideo repetitum est, ut subdat causas, cur eum taliter laudabit. *Laudabo*, inquam, o auditores, Dominum *in sæculum et in sæculum sæculi*. Et hoc ea consideratione, quia *magnus* est *Dominus* in natura, id est potens *et laudabilis*, id est dignus laude. Et hoc *nimis*, id est supra humanum intellectum. *Magnus*, inquam, est, et adeo, quod *magnitudinis* ejus *non est finis*, id est terminus scilicet non potest terminari, non potest mensurari, neque loco neque intellectu quam magnus sit; incircumscriptus est enim. Vel, *magnitudinis ejus non est finis*, id est æterna est. Dico quod ego *laudabo* Dominum ea consideratione quia *magnus* est in natura. *Generatio vero et generatio* quæ non est sufficiens ad hoc considerandum, saltem *laudavit opera tua*, o Domine, *et* laudando opera *pronuntiabunt* inter se cum laude *potentiam tuam*. Quod est dicere : Illi qui sunt idiotæ et simplices in generatione et generatione, id est in diversis generationibus fidelium, qui non erunt sufficientes videre te magnum esse in natura, considerabunt tamen mirifica opera tua visibilia, solem videlicet et lunam, et cætera hujusmodi, et laudabunt ea, eo quod egregia sunt, et laudando ea, ex ipsis conscensum ad te Creatorem facient, et eorum consideratione te potentem pronuntiando ad invicem tali te occasione laudabunt.

Cum dicit bis *generatio*, datur intelligi de omnibus fidelium generationibus. Et notatur quod laus hæc ex sola generatione operum quæ non est usquequaque perfecta; in hac solummodo vita habebitur ubi diversæ generationes sunt. In alia namque vita simplex erit sanctorum generatio, et in omnibus Dei perfecta cognitio et laudatio, juxta illud prophetæ : « Nemo dicit proximo suo : Cognosce Deum, quia omnes scient me a minore usque ad maximum (*Jer.* XXXI, 34). » Non solum autem pronuntiabunt potentiam tuam contuitu operum tuorum, sed etiam *loquentur magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ*, id est magnificentiam gloriosæ sanctitatis tuæ scilicet laudabunt te, loquendo ad invicem magnificam et gloriosam sanctitatem morum et virtutum, quam in hac vita sanctis tuis das. *Et mirabilia tua narrabunt*, scilicet laudabunt te narrando ad invicem mirabilia, id est miracula quæ per sanctos tuos operaris. Hoc autem totum est ac si dicat : Laudabunt te contuitu morum, et virtutum, et miraculorum sanctorum tuorum *Et* etiam ad tui laudem *dicent* inter se *virtutem terribilium, tuorum* id est virtuosam potentiam terribilium ultionum tuarum, qua hic impios multipliciter punis. Quod est ac si dicat : Laudabunt te occasione potentiæ tuæ, qua hic etiam impios punis. *Et* ad laudem tui, *magnitudinem tuam* inter se *narrabunt*, scilicet laudabunt 575 te narrando magnitudinem tuam, id est magnam promotionem fidelium tuorum in moribus et virtutibus. Quod est dicere : Laudabunt te de hoc quod tuos in virtutibus promoves et moribus. Et non solum hoc, sed etiam ad tui laudem *eructabunt*, id est plenarie referent ad invicem *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*, id est memoriam abundantis *suavitatis tuæ*, id est misericordiæ tuæ, scilicet laudabunt te, plenarie referendo memoriam abundantis misericordiæ tuæ. Quod est dicere : Ea occasione laudabunt te, quia recensebunt te magnificare sanctos tuos in sanctitate morum et virtutum, non ex meritis suis, sed ex memoria abundantis misericordiæ tuæ, scilicet quia memor es per misericordiam sanctificare tuos, quos visus es per Adam oblivioni dedisse. *Et* etiam *exsultabunt justitiam tuam*, id est ad tui laudem exsultanter narrabunt *justitiam tuam*, scilicet hoc apud se dicent quia quod hic impios punis, justo judicio facis, et hac occasione te laudabunt. Non ideo dicit *exsultabunt* quod ipsi exsultent de pœna impiorum, sed quia recensendo pœnam eorum, inde quod tales non fuerunt, exsultabunt.

Unde Psalmista alibi : « Lætabitur justus, cum viderit vindictas (*Psal.* LVII, 11), » etc. Dico, o auditores, quod *eructabunt memoriam* abundantis *suavitatis* Domini. Et merito ; nam *Dominus* est *miserator*, secundum beneficia misericordiæ impensa, *et misericors* in natura, et si nulli benefaceret, *patiens* in exspectando peccatores, quos non statim juste punit. *Misericors* est, inquam, *et* non parum, sed *multum misericors*, plus quam aliquis sufficiat ad exponendum. Ostendit autem quod multum *suavis est*, id est miserator, addendo sic : *Miserator*, inquam et *Dominus*. Et non paucis, sed *suavis*, id est miserator est *Dominus universis*, id est omnismodi hominibus, tam Judæis quam gentilibus, scilicet beneficia misericordiæ suæ plurima omnismodi hominibus impendit. *Et miserationes*, id est beneficia misericordiæ *ejus* sunt *super omnia opera ejus*, id est præsunt omnismodi operibus ejus, ac si dicat : Cum in suis operatur fidem, charitatem, et cæteras virtutes, hoc ex miseratione facit. Cum vero præest eisdem operibus eorum, ut magis magisque promoveantur, in ipsis etiam promotionibus miserationes ejus denotantur. Quoniam dixerat quod opera Domini causa et materia essent quare ipse a fidelibus laudaretur, orat et optat ut hoc sit sicuti superius enuntiavit. Dixi, Domine, quod *generatio et generatio laudabit opera tua*, etc., scilicet quia opera tua, considerata egregia, causa erunt quare a fidelibus in omni generatione lauderis. Et ita sit : *Confiteantur tibi, Domine*, id est, laudent te *omnia opera tua*, id est omnia opera tua considerata materia sint quare a fidelibus lauderis. *Et* quidquid sit de cæteris operibus, saltem *sancti tui*, quos in moribus et virtutibus perfectos facis, *benedicant tibi*, id est laudent te. Quod est dicere : Sanctitas tuorum, sanctorum materia sit laudis tuæ. Hoc vero quod sequitur, non est oratio vel optatio, cum dicit, *gloriam regni*, etc., sed enarratio est ad Dei laudem spectans, quæ sic

www.libtool.com.cn

superioribus jungitur. Dixi quod fideles, in generatione et generatione, *magnificentiam* gloriosæ *sanctitatis*, quam tu Deus hic das sanctis, *loquentur*, et hac consideratione te laudabunt. Et non solum hoc, sed etiam ad tui laudem ad invicem *gloriam regni tui dicent*, id est laudabunt te dicendo et recensendo gloriam, quam in futuro sanctis tuis in regno tuo dabis.

Et dixi quod *virtutem terribilium tuorum dicent*, scilicet ad tui laudem dicent inter se virtuosam potentiam ultionum tuarum terribilium, qua hic impios punis. *Et* non solum hoc, sed et *loquentur potentiam tuam*, qua impios in futuro punies, et hoc contuitu laudabunt te. *Loquentur*, inquam, inter se *potentiam tuam*, ita tamen *ut* aliis *filiis hominum*, id est hominibus ipsam ignorantibus *notam faciant* B hanc *potentiam tuam*, et sic eos ab hac potentia, ne eos puniat cavere per bonam vitam faciant. Et Dixi quoniam inter se dicunt *gloriam regni tui*, *et* sic tamen *ut* aliis ignorantibus *notam faciant gloriam magnificentiæ*, 576 id est magnificam gloriam *regni tui*, et notificando eos ad appetitionem regni hujus attrahant. *Regni tui* dico, quod *regnum tuum* est *regnum omnium sæculorum*, id est durabile per omnia sæcula, scilicet æternum est. Ideoque nimio desiderio est appetendum. Dixi quoque quod *notam faciet potentiam tuam*, ut inde homines caveant. *Et* hæc *dominatio*, id est potentia *tua* durabilis est *in omni generatione* hujus vitæ, *et* usque *in generationem*, post hanc vitam futuram. Ideoque valde ti- C menda est et cavenda. Cum dicit *in omni generatione*, dat intelligere plures generationes, et per hoc innuit totam hanc vitam in qua multiplex est generatio. Cum dicit *in generatione*, aliam vitam notat, in qua non erit generationum multiplicitas, sed una simplex generatio. Non solum autem post hanc vitam potentia Domini puniet iniquos in inferno, sed quandiu etiam tota hæc vita durat, multos eorum punit, ibi jam juste positos. Dico quod *regnum et dominatio* Domini æterna sunt. Quod regnum bonis promisit, et quam dominationem comminatus est malis. Et *fidelis* est *Dominus*, id est verax est *in omnibus verbis suis*, tam in promissione regni quam in comminatione justæ [dominationis], non sicut D quidam de misericordia Domini nimis temere præsumentes solummodo dicunt eum esse veracem in promissione regni, et non in comminatione mortis. Quod nefas est etiam ad cogitandum. Nisi enim malos juste in æternum damnaret, *in omnibus verbis* ejus *fidelis* non esset. Per hoc autem quod cum *in omnibus* esse veracem asserit, consolatur et certificat bonos de regni promissione, et terret malos de damnationis comminatione.

Fidelis, inquam, est, *et* etiam *sanctus* est, id est justus *in omnibus operibus suis*, scilicet et juste operatur salvationem bonorum, et juste operatur damnationem malorum. Hoc autem bene spectat ad laudem Dei, ne, cum videatur in justorum salvatione mitis, in malorum damnatione videretur immitis.

A In hoc autem *Dominus* comprobatur esse *fidelis*, id est verax *in omnibus verbis suis*, quia, cum regnum suum promiserit hominibus corruentibus, inde per originalia peccata et actualia, et per se non possint ad illud ascendere, *allevat Dominus* per adeptionem gratiæ *omnes qui* inde *corruunt*, id est omnismodi homines quod inde corruunt per peccatum originale et per actualia. *Allevat* quidem post corporis mortem, dando eis in ipso regno perfectam beatitudinem, a similitudine boni pastoris, qui ovem quæ de pascuis vel de ovili montis cujuslibet corruit, et non potest per se ascendere, in humeros suos levat, et ad pascua, vel ad ovile reportat. Et bene ponit *omnes*, non quod omnes allevet qui inde corruunt, sed quia ex omni genere corruentium multos allevat, videlicet et de minus graviter, et de magis graviter peccantibus. *Allevat*, inquam, post mortem. Et quia non possent allevari ad hoc regnum post mortem, nisi prius in hac vita erigerentur per peccatorum remissionem, prius *erigit omnes*, id est omnismodi *elisos* tam gravius quam minus graviter elisos, scilicet cum ex toto sint elisi, id est cum in eis confractæ sint virtutes, et liberum arbitrium, propter nimium pondus peccatorum, et per se non possint de confractione hac erigi, erigit eos peccata remittendo, et innocentiam in eis restituendo, a similitudine illius, qui cum de aliquo loco sublimi ceciderit, et graviter elisus per se erigi nequit, a quolibet erigetur. Facit autem apostropham ad Deum ex affectione nimia ad gratiarum actionem sic : Dico, Domine, quod omnismodi elisos erigis. Et *oculi* interiores *omnium* erectorum, id est mentes omnium erectorum, *o Domine*, *in te* misericordem et potentem respicientes et intendentes, *sperant* a te sibi dari escam et salvationem, et custodiam, et sic demum allevationem ; *et tu das escam*, id est spiritalem escam doctrinæ et intellectus, *escam* dico *illorum*, id est illis congruam, ut parvis quidem lac aliis vero solidum cibum tribuas (*Hebr.* v, 12).

577 *Das*, inquam, eis *escam illorum*, et hoc *in tempore opportuno*, id est in hac vita, ubi est tempus opportunum. In alia quippe vita non erit tempus doctrinæ. Dico quod *das* eis *escam*, et hoc non parce, sed *aperis tu manum tuam*, id est apertam facis D et amplam operationem largitatis tuæ, a similitudine largi dispensatoris, qui cum aliquid dat, non contrahit manum, sed ut large det, manum aperit. *Aperis*, inquam, *manum*, *et* sic *imples benedictione*, id est esca benedicta *omne animal*, id est omnes illos qui sunt animalia, scilicet mansueti ad jugum Domini deferendum, sicut boves, quos vulgo animalia dicimus; vel qui sunt animalia, scilicet nondum spiritales, sed adhuc animales, id est carnales. Quod est dicere : *Das* eis plenarie *escam illorum*. Non solum autem, o auditores, dat suis escam, sed etiam *Dominus* existens *justus in omnibus viis suis*, id est in præceptis suis per quæ venitur ad ipsum, scilicet qui nihil præcipit, nisi quod justum est, *et* existens *sanctus*, id est misericors *in omnibus*, id est in

omnismodi *operibus suis*, scilicet qui, cum sit justus in præceptione mandatorum, misericors est quoque operando et complendo auxilio gratiæ suæ eadem præcepta in suis. *Prope est omnibus invocantibus eum*, id est paratus est facere voluntatem invocantium eum. *Prope est*, inquam, utpote Dominus, et cum Dominus sit prope esse debet servis suis se invocantibus. Determinat autem quibus *prope* sit, cum addit : *Prope est*, scilicet, *omnibus invocantibus*, id est orantibus *eum in veritate*, non in vanitate quidem. Ille vero invocare dicitur *in veritate*, qui petit ea quæ petenda sunt, bona videlicet, et sic petit ut petenda sunt, scilicet intensa affectione. Quia Dominum justum dicit et sanctum, hoc ab laudem ejus bene attinere videtur. *Prope est*, inquam, *Dominus*, et non solum paratus est facere *voluntatem timentium se*, sic, ut non faciat, sed etiam *faciet*, id est complebit voluntatem *timentium se* timore casto, id est diligentium se, *et deprecationem eorum exaudiet*, ut eam perficiat. Sciendum quod sancti volunt, hoc idem deprecantur. Sed cum dicit sanctos bene velle et deprecari quod volunt, instruit nos eorum exemplo, ut cum aliquid bene volumus, de hoc eodem, ut fiat, Deum oremus. Exponit autem quid ipsi velint et deprecentur, sic : *Deprecationem*, inquam, *eorum exaudiet*, *et*, id est, scilicet *salvos faciet eos* hic faciendo bene operari quod saluberrimum est. Et cum hanc salvationem adepti sint, *custodit Dominus* secundum perseverantiam eos ne hanc salutem amittant. Custodit, inquam, utpote *diligentes se*, et quia diligentes digni sunt, ut custodiant. *Salvos faciet*, inquam, suos hic ut tandem in regnum ejus alleventur. Ex opposito *omnes peccatores* non resipiscentes *disperdet*, et hic excæcando, et in futuro sine fine damnando.

Ostensis multis causis, quibus Deus laudabilis existat, sicut in principio psalmi se eum laudaturum promisit, ita quoque se eum laudaturum in fine ad majorem assertionem promittit. Ostendi, o auditores, quod *Dominus suavis* est et *magnus* et *justus*, et quod *voluntatem timentium se* facit, et *eos custodit*. Cum ergo talis et talis sit, *laudationem Domini loquitur os meum*, scilicet laudabo eum ore. Per hoc autem innuit quod etiam laudabit eum et affectione et opere. Dico quod laudabo eum ore. *Et* exemplo mei *omnis* quicunque est, adhuc *caro* per emphasim, quicunque scilicet est carnalis adhuc et nondum spiritalis ipse spiritalis effectus *benedicat nomini sancto ejus*, id est laudet eum ex consideratione sancti nominis ejus, quia videlicet *justus* dicitur et *suavis*, et *Deus* et *Dominus*, et multis aliis sanctis vocabulis nuncupatur. *Benedicat*, inquam, *nomini sancto ejus*, benedictione tendentem *in sæculum et in sæculum sæculi*, scilicet laudet eum, et per totam hanc vitam et in futura. Hic quidem benedicant eum affectione, ore, et opere; in futuro vero, sola affectione

IN PSALMUM CXLV.

Titulus centesimi quadragesimi quinti. *Alleluia*. Vox Prophetæ fideles omnes revocantis, ne contuitu temporalium confidant in principibus, in quibus non est eorum salus, et ne confitendo eos adulatorie laudent, et etiam eos fideles attrahentis ad Dei laudem ex multis occasionibus, quas 578 supponit. Ut autem auctorizabilior sit ejus exhortatio, in principio psalmi introducit rationalitatem suam ad Deum laudandum sensualitatem invitantem, et postmodum sensualitatem se laudaturam promittentem. Quæ utraque locutio non est in voce, sed in cogitatione.

Lauda, anima mea, Dominum, ac si dicat : Multi principes sæculares laudant, adulatorie in eis confidendo, et eis mala vita consentiendo. Cæterum, tu, sensualitas animæ meæ, *Dominum lauda* solummodo bonam vitam instituendo. Rationabilitatis exhortatione scripta, sensualitas respondens inducitur, et se Dominum laudaturam jugiter sic promittens. Dicis, o rationabilitas, ut Deum laudem, quod vere faciam, scilicet *laudabo Dominum in vita mea* bona, scilicet bonam vitam instituam, et sic eum laudabo. Et hoc non horarie, sed *psallam Deo meo quandiu fuero*, id est quandiu in hac vita ero, bona operatione mea Deum laudabo. Dicitur autem sensualitas bene operari, eo quod ea vegetante corpus bene operatur. Postquam se Propheta Deum laudaturum ostendit, apostropham ad auditores faciendo, eos ab hominum confidentia removere, et ad Dei laudem ita conatur attrahere. *Laudabo*, inquam, *Dominum*. Unde, vos auditores, Deum exemplo meo laudantes, in ipso Deo confidite, et *nolite confidere* in sæcularibus *principibus*, ut ipsi vobis aliquid ex se possint facere. Nihil enim fit visibiliter aut sensibiliter, quod aut non jubeatur, aut permittatur de illa invisibili et intelligibili aula summi Imperatoris. *In* principibus dico *filiis hominum*, scilicet qui homines sunt non digniores vobis in natura, ideoque satis indignum est vos in eis confidentiam ponere. « Maledictus enim homo qui confidit in homine, et a Domino recedit cor ejus (*Jer.* XVII, 5). » *In filiis hominum* dico, *in quibus non est* pendens *salus* vestra, qui videlicet non possunt salvare vos plusquam vos eos, et idcirco non est in eis confidendum. In hoc autem quod in nullo principe salus vestra pendet, nec in aliquo confidendum est, quia quandoque *exibit spiritus ejus*, id est separabitur a corpore, *et* tunc corpus *revertetur in terram*, ut terra fiat, *terram* dico *suam* materiam existentem. De limo quippe terræ legitur homo factus fuisse (*Gen.* II, 7). *In illa* ergo *die* in qua spiritus principum exibunt, *peribunt*, id est annihilabuntur *omnes cogitationes eorum*, scilicet in irritum ducetur, quod quosdam cogitaverunt deprimere, quosdam autem in divitiis sublimare. Unde palam est, miseros eos esse qui in eis spem ponunt adjutorii. Ex opposito vero, *beatus* ille *cujus Deus* est *adjutor ejus*, scilicet qui Deum suum optat, et expetit adjutorem suum ad omne bonum, non aliquem principem terrenum.

Deus dico *Jacob*, scilicet qui *Deus* est et *adjutor* omnium viriliter contra vitia luctantium. Per hoc autem auditores impellit, ut Jacob esse nitantur.

www.libtool.com.cn

Dico, *cujus Deus* est *adjutor ejus*, et *spes* remunerationis *ejus est in Domino Deo ipsius*, non in principibus. *In Domino*, inquam, qui adeo potens est *quod fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt*, tam spiritus cœlestes, quam homines et pisces et cæteras creaturas. Ideoque cum tantus sit, in eo sperandum est. Nec vane ponitur spes in eo, *qui* nempe non ad horam in promissione verus est, sed *custodit veritatem in sæculum*, id est in æternum, nunquam scilicet veritatem omittit, sed eam semper diligit, a similitudine viri qui hoc quod diligit bene custodit. Cum igitur in æternum verus sit et sperantibus in se salutem promiserit, in eo procul dubio sperandum est. Et si pro eo persecutiones injuriarum occurrerint, non est fugiendum. Ipse namque *facit* justum *judicium injuriam patientibus* pro eo. Sic videlicet eis judicium facit ut eos remunerando digne, eorum persecutores puniat juste. Quia dixerat *in Deo* et *non in principibus* esse confidendum, posset objici : Vere in Deo de bonis cœlestibus est sperandum, sed tamen de bonis sæcularibus *in principibus* est confidendum. Ad hoc ergo removendum, sic additur : Dico quod *facit injuriam patientibus judicium*. Et non solum hoc beneficium facit, sed etiam *dat* 579 *escam* corporalem *esurientibus*. Licet enim aliquando esca detur a principibus, non tamen absque Dei jussu aut permissione datur. Per escam innuit quoniam etiam sæcularia bona omnia tribuit. Non solum autem hoc beneficium confert Dominus ut det escam esurientibus, sed et hæc alia confert quæ subscribuntur, quorum consideratione confidendum est in eo, scilicet *Dominus solvit compeditos*, id est illos qui compediti sunt, et alligati prava consuetudine peccati, volente eos ad peccata trahere, nec facilitatem habent bene operandi. A vinculo pravæ illius consuetudinis solvit, ne eis graviter adeo instet, et facilitatem bene operandi eis concedit, a similitudine viri compediti, qui cum sui libertatem non habeat, si solvatur ab aliquo a compedibus, in sui libertatem restituitur.

Non solum autem *compeditos solvit*, sed etiam *Dominus illuminat* lumine spiritalis intelligentiæ *cæcos*, illos, scilicet qui cæci sunt et expertes intellectus, Et non hæc beneficia tantum agit, sed insuper quod majus est, *Dominus erigit elisos*, scilicet illos qui ex toto sunt elisi per peccata, in quibus ex toto virtutes, et liberum arbitrium confracta sunt et debilitata, erigit ad hac elisione peccata per confessionem indulgendo, et in eis virtutes et liberum arbitrium reintegrando. Postquam vero sunt erecti, *Dominus* illos factos *justos dirigit*, id est promovet de virtute in virtutem, vel, si sit ibi *diligit*, eadem sententia est. Et non tantum eos *dirigit* promovendo, sed etiam *Dominus custodit* per gratiam suam *advenas*, ne ab hac promotione deficiant. Quod est dicere : Perseverare facit in hac promotione illos qui non reputant se cives hujus patriæ, sed advenas, id est supernæ patriæ cives. Si vero de aliquibus contigerit ut ab hac promotione deficiant, et fiant pupillus et vidua, pupillus quidem, Deo Patre carentes, et vidua, a Deo recedentes, qui adhæserunt sæculo contempto, ipsos tamen factos peccando *pupillum et viduam*, et per hoc a gratia ejus repulsos, *suscipiet*, in participationem gratiæ, si per pœnitentiam voluerint redire, a similitudine pii sponsi, qui sponsam quam propter fornicationem a se repulit, ex misericordia suscipit, si a fornicatione desistere voluerit. *Suscipiet*, inquam, eos licet peccatores. *Et* suscipiendo *disperdet* per indulgentiam *viam peccatorum*, scilicet multitudinem peccatorum, per quam ipsi prius peccatores existentes tendebant ad mortem. *Suscipiet*, inquam. Et in ipsis susceptis *regnabit Dominus in sæcula*, id est per omnia sæcula ista præsentia, scilicet ipsi erunt regnum et possessio Domini, quandiu hæc sæcula durabunt. *Dominus*, inquam, *regnabit*, *Dominus* dico existens *Deus tuus Sion*, scilicet quem tu Deum tuum reputas, o Sion, collectio fidelium speculans futura, non attendens præsentia. Et non solum *regnabit* quandiu hæc sæcula durabunt, sed *et in generatione* hac præsenti, *et* durando usque *in generationem* futuram. Quod est dicere : Et hic et in futuro *regnabit* in eis, hic quidem bene promovendo, in futuro vero sine fine beatificando.

IN PSALMUM CXLVI.

Titulus centesimi quadragesimi sexti. *Alleluia.* Vox Prophetæ, fideles omnes ad Dei laudem invitantis, ex consideratione quia Hierusalem cœlestem in futuro ædificabit, et hic dispersiones Israelis congregabit, et ex consideratione cæterorum beneficiorum quæ in hoc psalmo ostendit.

Laudate Dominum Patrem, o fideles, in tempore gratiæ futuri, psalmo, *quoniam bonus est psalmus*, id est utilis est vobis psalmus. Et quia utile vobis est et salutiferum, ut Deum psalmo laudetis, hæc *laudatio* psalmus videlicet existens jucunda, id est Deo delectabilis, *et decora*, id est honesta sit Deo nostro a vobis data ; ac si dicat : Quandoquidem utile vobis est, et ipsi jucundum et decorum, ut eum psalmo laudetis, persolvite ei hanc talem laudationem. Quoniam autem cum 580 psalmus in psalterio fiat est ibi et vox et manuum operatio, per psalmum accipitur et laus Dei in bona operatione, et laus in voce exteriori, scilicet in ore, et laus in voce interiori, videlicet in affectione. *Laudate*, inquam, *Dominum* Patrem. Et hoc ea consideratione quia *Dominus* in futuro erit *ædificans Hierusalem* cœlestem, supplendo ex numero hominum, quidquid per superbiam decidit angelorum. Et ut ex hominibus cœlestis Hierusalem ædificetur, *congregabit* hic unitatem fidei *dispersiones Israelis*, scilicet dispersiones hominum qui futuri sunt Israel. Quod est dicere : Salvandos, ex quibus Hierusalem ædificabitur, prius in diversos errores idololatriæ dispersos, in unitatem fidei congregabit, et sic eos hic faciet Israel. *Congregabit*, inquam. *Qui* etiam postquam congregati erunt, *sanat*, id est sanabit eos factos *contritos corde*. Quod est dicere : Cum post fidei perceptionem adhuc infirmi

www.libroscatolicos.com

erunt ex consuetudine peccatorum, et debiles ad bene operandum, sanabit medicamento gratiæ suæ in eis hanc infirmitatem sic ut eis tribuat bene operandi facilitatem, a similitudine infirmi, qui, cum post evasionem morbi, debilitatem adhuc ex ipso morbo retineat, paulatim ex illa debilitate sanatur, dum in pristinam corporis virtutem medicorum auxilio restituitur. Et ideo sanabit, quia erunt in corde compunctione contriti. « Cor enim contritum et humiliatum non despiciet Deus (*Psal.* L, 19). » *Et* priusquam eos ex hac debilitate sanet, *alligat*, id est alligabit *contritiones eorum*, scilicet consolidabit per baptismum, et per cætera sacramenta ecclesiastica virtutes animæ et liberum arbitrium, quæ peccando confregerunt et destruxerunt. Quod est dicere: Reintegrabit virtutes et liberum arbitrium eorum quæ ipsi peccando disperdiderunt, a similitudine medici, qui cujuslibet ossa contrita sive vulnera alligando sanat. *Laudate*, inquam, *Dominum, qui* postquam contritos corde sanabit, faciendo per illuminationem gratiæ ex ipsi *multitudinem stellarum*, id est multas stellas *numerat*, id est numerabit multitudinem illarum stellarum, scilicet custodiet illos ne deficiant, qui multæ stellæ erunt, lucentes videlicet in medio nationis pravæ (*Phil*, II, 25) et doctrina et bona vita, a similitudine stellarum, nocte in firmamento lucentium. Numerare pro custodire ponitur, eo quod ad hoc res numerari solet, ut numerata custodiatur. *Numerat*, inquam, multas stellas. *Et omnibus eis nomina vocat*, id est vocabula imponet. Quod est dicere: Dabit eis diversa charismata, quorum occasione diversa nomina eis imponentur, ut alii martyres, et alii confessores, seu etiam monachi sive eremitæ vocentur, aut aliis plurimis honestis nominibus nuncupentur.

Quoniam autem naturæ divinæ identitatem ostenderat, ubi dixit: *Laudate Dominum*, pluralitatem etiam personarum ostendit, sic: *Laudate*, inquam, *Dominum*, et hoc ea occasione, quia *magnus* est in natura *Deus noster*, Pater, scilicet potens est, quem nos prophetæ viri auctorizabiles Deum esse reputamus. *Et magna virtus ejus*, id est Filius qui virtus Patris dicitur, eo quod Pater omnia per eum disponit et moderatur. Per has duas personas quas firmat esse magnas, Spiritum sanctum esse magnum innuitur. Ne vero propter vocabula diversa, in natura videretur esse diversitas, removet hoc cum addit: *Et* licet a Patre sit alia persona Filius, tamen *sapientiæ*, id est Filio ejus Patris *non est numerus*, id est diversitas et multiplicitas et varietas in natura. Non enim numeratur alia Patris, alia Filii essentia, sed perfecte est eis eadem et invariabilis natura. Numerum pro diversitate et multiplicitate ponit, eo quod res diversas et multiplices numerare consuevimus. Quia vero et unitatem in natura, et in personis esse multiplicitatem ostenderat, cum hujus secreti intellectus omnibus fidelibus non pateat, omnibusque tamen inde fides habenda. Sunt enim hæretici multi, qui cum hujus tantæ rei notitia ca-

A reant, non cum mansuetudine hoc inquirunt, sed immansueti existentes, fidem 581 habere contemnunt. Commendat fidei mansuetudinem, ostendens quod mansueti a Domino suscipiuntur, et econtrario peccatores immansueti humiliantur, ut sic nos ab immansuetudine retrahendo ad mansuetudinem invitet. Dico quod *magnus* est *Dominus*, Pater et Filius et Spiritus sanctus. *Dominus*, inquam, *suscipiens mansuetos*, qui si statim non intellexerint, fidem non repellunt; sed ad hoc intelligendum qualiter unus et trinus sit, mansuete investigando nituntur. *Suscipiens* quidem *mansuetos*, id est medens eis, ut ignorantiæ debilitatem auferat, et facultatem intelligentiæ conferat. *Peccatores autem* antonomastice, scilicet immansuetos, per subtractionem gratiæ suæ *humilians*, id est dejiciens ab intelligentia *usque ad terram*, id est usque ad terrenum intellectum. Quod est dicere: Ideo quia immansueti sunt, subtrahendo lumen gratiæ suæ humiliat eos Dominus, ut non solum non intelligant, sed ut etiam, quod gravissimum est, de Deo terrene sentiant, utque de quolibet homine de ipso agant.

B

Quoniam ergo mansuetos suscipit, et peccatores, se superbe et immansuete habentes, humiliat, vos fideles quicunque, ut si nondum suscepti estis suscipiamini; si vero jam suscepti magis et magis suscipiamini mansueti existentes, *præcinite Domino in confessione* peccatorum vestrorum. Quod est dicere: In primis peccata vestra humiliter confitemini, quæ confessio dulcis cantus et primus erit Deo. Et post confessionem *psallite Deo nostro*, id est bene operamini ad honorem Domini. *Psallite*, inquam, existendo *in cithara*, id est in mortificatione carnis. Et vere præcinendum et psallendum est Deo nostro. *Qui* nempe cum hoc est quod *operit cœlum* in *nubibus*, id est cum occultet mystica arcana sua in prædicatoribus, qui propter sui sublimitatem cœlum dicuntur, idem tamen cœlum *parat*, id est facit *pluviam*, id est apertam et irrigantem doctrinam *terræ* suæ Ecclesiæ. Quod est ac si dicat: Cum ipse in apostolis et prophetis occultet mysticum intellectum secretorum suorum, ideo ne vilescat, eumdem tamen intellectum fidelibus, qui terra ejus sunt, aliquando per illuminationem gratiæ suæ revelat, ut sit eis in loco pluviæ, scilicet ut eos imbuat et fertiles faciat, ad similitudinem pluviæ, terram rigantis et fertilem facientis. Dicuntur etiam hujusmodi arcana cœlum, eo quod, sicut cœlestia, celantur. Exponit autem quomodo cœlum hoc facit pluviam, sic: *Parat*, inquam, Deus cœlum *terræ pluviam*. *Qui* videlicet illud cœlum existens *in montibus*, id est, in apostolis et prophetis, quos superius nubes vocavit, *producit*, id est aperit et manifestat fidelibus suis, cœlum dico existens *fenum, et herbam*, pro frumento ponit, eo quod dum est viride, herba dicitur. Frumentum autem dicitur mysticus intellectus, qui solis spiritalibus et bene rationalibus congruit, sicut frumentum rationabilium animalium, scilicet hominum est cibus. Fenum

C

D

www.abbaye-cluny.ch

autem quod solis irrationabilibus idoneum est, intellectum ad litteram designat; quo solo idiotæ et rudes fideles utuntur, qui quasi irrationabiles videntur, quos etiam jumenta vocat ad comparationem mystice intelligentium. Exponit autem quibus *producit fenum, et* quibus *herbam*, sic. *Producit*, inquam *fenum et herbam. Herbam* dico datam *servituti hominum*, id est perfectioribus fidelibus, qui dicuntur servitus hominum, eo quod minus perfectis hominibus serviant in doctrina, ut Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, et cæteri tales. Producit, inquam, herbam servituti hominum, id est perfectis. *Qui* etiam *dat jumentis*, id est minus perfectis et idiotis *escam ipsorum*, id est escam eis congruam, videlicet fenum.

Ne vero videretur hoc fenum et herbam dare solis fidelibus ex Judæis, ostendit quoniam etiam hoc dabit fidelibus ex gentibus, sic : Dabit, inquam, escam feni et herbæ. Et non solum fidelibus ex Judaico populo, sed *et pullis corvorum*, id est filiis gentilium idololatrarum, qui similes sunt corvis in nigredine peccatorum, pullis, inquam, non omnibus, sed *invocantibus eum*, id est orantibus eum in puritate fidei, scilicet fidelibus 582 ex gentibus, qui congrue pullis corvorum comparantur. Sicut enim corvorum pulli, dum adhuc patribus nigredine dissimiles sunt, ab ipsis non pascuntur, sed de rore vivere a physiologis asseruntur, ita quoque ex gentibus fidelis qui jam per baptismum ipsorum patribus in nigredine peccatorum dissimiles sunt, non ipsorum patrum erroribus replentur, sed rore doctrinæ spiritalis reficiuntur. Dixi quod jam mansuetos præcinentes et psallentes suscipiet, et dabit eis fenum et herbam. *In fortitudine* vero *equi*, id est in forti equo, scilicet in homine superbo, qui per equum fortem accipitur, eo quod sit animal superbissimum, *non habebit voluntatem beneplacentiæ*. Quod est dicere : Non diliget superbos, neque suscipiet. *Nec beneplacitum erit ei in tibiis viri*, id est non diliget voluptates sæculares hominis alicujus, quæ per tibias accipiuntur, quæ sunt musica instrumenta, ad voluptuosos attinentia; vel tibias viri dicit subteriora hominis quæ etiam crura dicuntur, per quæ luxuriosi homines accipiuntur, eo quod in renibus, qui tibiis contigui sunt, luxuria præcipue dominatur. Cum ergo dicit *in tibiis viri beneplacitum non erit ei*, idem valet ac si dicatur in luxuriosis hominibus beneplacentia non erit ei, scilicet non diliget luxuriosos, neque suscipiet, sed eos juste disperdet. Quod nimirum per visionem præfiguratum est Ezechielis prophetæ, cui Dominus a cingulo superius, in electri specie, a singulo vero inferius in specie ignis legitur apparuisse. (*Ezech.* VIII, 7). Cum enim sic apparuit, formam omnium Christianorum, et salvandorum et perdendorum in se suscepit. Nam per partem superiorem quæ electri claram speciem obtinuit, salvandi ad supernam patriam intendentes accipiantur, qui in virtutibus et operibus boni habentur clari et conspicui. Per inferiorem vero partem, quæ ignea apparuit, superbi signabantur, et mundanis voluptatibus dediti, quod pro delictis suis igni tartareo sunt tradendi. *Non erit*, inquam *beneplacitum ei* in superbis, nec in luxuriosis, *sed beneplacitum est Domino* respicienti respectu misericordiæ *super timentes eum* casto timore. Quod est dicere : Bene placet Domino in timentibus se, quos respicit respectu misericordiæ, ut faciat eos timentes se. *Beneplacitum est ei in eis qui sperant* non superbe in seipsis, sed *super misericordia*, id est de misericordia *ejus*. Non enim sufficit timere, nisi etiam sit sperare. Et e converso. Quod est dicere : Dominus diligit timentes se, et sperantes salutem in eo, non præsumentibus de meritis suis arroganter.

IN PSALMUM CXLVII.

Psalmi centesimi quadragesimi septimi. Titulus. *Alleluia*. Vox Prophetæ qui, cum in superiori psalmo fideles ad laudandum Deum invitaverit ex consideratione ædificationis Hierusalem cœlestis, et congregationis idololatrarum Israel factorum, in hoc quoque psalmo fideles ad Dei laudem adhortatur, ex ea occasione, quia seras portarum Ecclesiæ confortavit, ne valeant ab hæreticis confringi. Et etiam ex consideratione conversionis quorumdam hæreticorum, quam etiam in hoc psalmo ostendit.

Lauda, Hierusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion ac si dicat : Tu, Ecclesia, *lauda Dominum* Patrem eo contuitu, quia Dominus est. *Lauda*, inquam, sic ut sis Hierusalem, id est pacificata, pacem videlicet habens ad Deum et ad proximum, quæ pax est ei summa laus. Et lauda eum eo contuitu, quia est Deus tuus, Creator tuus, *Lauda*, inquam, sic ut sis Sion, speculans scilicet cœlestia, quæ speculatio est et laus, in qua ipse valde delectatur. Dico *lauda Dominum Deum tuum*. Et ideo eum *lauda quoniam confortavit seras portarum tuarum*, scilicet confortatos et insuperabiles faciet contra hæreticos, prælatos tuos, qui erunt seræ *portarum tuarum*, id est munitores Scripturarum prophetarum, ne ab hæreticis valeant dissipari ; qui earum auctoritatem ad nihilum redigere intendent, ut Manichæi et alii plures, affirmantes ipsas esse funditus evacuandas. 583 Dictum est a similitudine serarum, quæ ad hoc portis infiguntur ut eas muniant, ne quilibet raptor domum introeat ad devastandum. Ecclesiæ portæ prophetæ dicuntur, eo quod per doctrinas suas fidei introitus fuerunt, quemadmodum portæ domus alicujus introitus sunt. Per hoc autem quod seras confortabit, ne cedant impugnationibus hæreticorum, *benedixit*, id est benedicet *filiis tuis in te* permanentibus, non ex fidei tuæ communitate per deceptionem hæreticorum egredientibus. Benedicet quidem *filiis tuis*, et augendo eos secundum numerum, et sublimando in virtutibus, qui profecto ab hæreticis dissiparentur, nisi seræ confortarentur. Dico *lauda Dominum*, qui non solum confortabit *seras portarum suarum*, videlicet Augustinum, Hieronymum, Hilarium et cæteros, et non solum benedicet *filiis tuis*, sed etiam *qui posuit fines tuos pacem*

per emphasim, id est qui ponet affines tuos, scilicet hæreticos pacificos. Quod est dicere: Qui faciet hæreticos impugnatores tui tecum pacem habere et concordiam, convertendo eos, ne amplius instent tibi falsis argumentationibus. Affines Ecclesiæ hæreticos dicit, eo quod ipsi in hoc videantur ejus esse vicini, quoniam eisdem sacramentis ecclesiasticis utuntur, et easdem auctoritates, quas male exponendo pervertunt recipere videntur. Ponet, inquam, *fines tuos pacem, et* etiam *satiat*, id est satiabit te *adipe frumenti*, non furfure tantum, videlicet mystico intellectu legis, non eo tantum qui ad litteram est. Adipem dicit frumenti medullam, quæ etiam vulgo farina dicitur. Per adipem ergo frumenti qui interius est, et pretiosum quid et gustu dulcior quam furfur mysticus legis intellectus accipitur, qui interior est, et subtilis et pretiosus et longe dulcior, quam litteralis intellectus, quo fideles Ecclesiæ Christo revelante satiantur. Per furfur autem quod exterius est et grossum aliquid, et non adeo pretiosum, intellectus ad litteram intelligitur, qui quasi exterior, et ad comparationem mystici intellectus grossum aliquid est, et non usquequaque pretiosum, quo solo Synagogæ filii veteres imbuuntur. Unde Dominus ad discipulos testatus est: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Luc.* VIII, 10). »

Exponit autem quomodo ponet Ecclesiæ fines pacem, sic: *Lauda*, inquam, *Dominum, qui emittit*, id est qui emittet *eloquium suum terræ*, id est doctrinam suam terrenis, scilicet hæreticis, ac si dicat: Hoc modo affines Ecclesiæ hæreticos cum Ecclesia pacificabit, quia per fideles Ecclesiæ satiatos adipe, emittet doctrinam fidei hæreticis terrenis sententiis adhærentibus. Non autem erit inefficax sermo doctrinæ ejus, sed *velociter currit*, id est curret *sermo* doctrinæ *ejus*,, id est citissime penetrabit in corda terrenorum, vel velociter curret *sermo ejus*, id est cito promovebitur, et cum summo impetu eloquentiæ fluet, ut non possit a falsis hæreticorum objectionibus impediri, juxta illud de Stephano: » Non poterant resistere sapientiæ, et spiritui qui loquebatur (*Act.* VI, 10). » Curret, inquam, *velociter sermo ejus. Qui* per efficatiam hujus sermonis *dat*, id est dabit *nivem sicut lanam*, scilicet ipsos hæreticos qui erunt nix, id est ad modum nivis nimis congelati, et a charitate frigidi, faciet adeo in charitate fervidos, ut etiam det eos lanam aliis frigidis, scilicet ut eos qui charitate erunt frigidi foveant, et in charitate fervere faciant, ad similitudinem lanæ, ex qua vestimentum fit, ut corpus foveat et calidum reddat. Dabit, inquam, *nivem sicut lanam, et nebulam sicut cinerem spargit*, id est sparget, id est illos hæreticos qui prius erunt nebulosi et in intelligentia obscurati, illuminabit vero fidei intellectu, et eos illuminatos sparget *sicut cinerem*, id est distribuet eos ad prædicandum aliis nebulosis, ut videlicet sint in loco cineris, facientes videlicet eos in intelligentia et bonis operibus fertiles. Quos ipsimet prius per deceptiones suas ab Ecclesia sublatos reddiderat steriles. Dicit autem hoc a similitudine cineris, qui a rusticis 584 in loco fimi super terram spargitur, ut eam impinguando fertilem faciat. Non solum autem dabit *nivem sicut lanam*, et sparget *nebulam sicut cinerem*, sed etiam *mittit*, id est mittet aliis *sicut buccellas*, id est comparabiles buccellis *crystallum suam* factam, quod est dicere: Non solum hæreticos illos, qui nix erunt, id est cito possibiles ad resolvendum de infidelitatis duritia, sicut nix cito potest resolvi, sed et illos qui adeo indurati erunt in infidelitate, ut vix possint resolvi. Unde etiam crystallus dicuntur, præ nimietate videlicet duritiæ suæ. Crystallus quippe, ut physici perhibent, ex glacie per diuturnum tempus indurata efficitur, cujus crystalli tanta est duritia ut vix frangi valeat aut secari. Crystallum autem hanc hæreticos, scilicet ex tanta obstinatione duritiæ resolvit Deus, cum eos per fidelium prædicationem conversos, ad Ecclesiæ communitatem reducit, et eorum corda prius dura, ad fidei perceptibilitatem mollia facit. Hanc crystallum liquefactam tam perfectam in scientia et sanctitate morum reddit, ut eam etiam aliis qui prius ab ea decepti sunt et a fide separati, buccellarum vicem retinere faciat, scilicet ut eos reficiant dulcedine prædicationis suæ, ad modum buccellarum, quibus aliquis esuriens reficitur.

Bene vero dicit eos non panes integros, sed buccellas; ut per hoc innuat, quod nullus adeo perfectus est, qui omnem scientiam vel doctrinam obtineat, sed unusquisque partem aliquam obtinet, ceu buccella panis pars est. Congrue quoque ponit non simplicem *crystallum*, sed *crystallum suam*, ut per hanc vocem determinet, quod non omnem crystallum esse *buccellas* faciet, sed illam tantum quæ sua erit, scilicet quæ jam est ad salvationem prædestinata. Dabit, inquam, *nivem ut lanam*, et *mittet crystallum ut buccellas*. Et tunc *quis* existens *ante faciem frigoris ejus sustinebit* ipsam faciem? Nullus, ac si dicat: Cum ipse eos qui frigus dici per emphasim poterunt, eo quod a charitate frigidi penitus erunt, quod postea frigus in calorem charitatis mutatum, ipsius Dei possessio fiet, ad disperdendum et impugnandum cæteros frigidos mittet, quis hæreticorum *ante faciem*, id est ante præsentem eorum instantiam existens, poterit tantam instantiam verborum et facundiæ illorum sustinere et resistere, ut superetur sic ut non habeat quod contradicat? Nullus. Hoc autem quod sub interrogatione cum majore laudis pondere ponit, æquivalens est ac si taliter poneretur. Cum ipse illos qui prius frigidi adeo erunt ut nix et crystallus dici possint ferventes effectos, ad hæreticos impugnandum mittet, tanta erit eorum sapientia, tanta facundia ut eis nulla possit hæreticorum eloquentia resistere. Quia vero de hæreticorum conversione egerat, vult ostendere hanc conversionem totius cooperatione Trinitatis esse futuram quod sic dicit:

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

Dabit, inquam, Deus Pater *nivem sicut lanam, et crystallum sicut buccellas.* Ut hæc autem fiant, *emittit*, id est emittet *verbum suum*, id est ex se mittet Filium suum ad hoc faciendum. Mittet quidem non localiter, non visibiliter, sed spiritaliter et ineffabiliter. Vel *emittet verbum suum*, id est in aperto mittet Filium suum, quantum ad notitiam. Quod est dicere : Dabit eis notitiam Filii sui scilicet fidem, ut eum verum et Deum et hominem, et sibi cœternum, et consubstantialem credant. *Et* per emissionem verbi *liquefacit ea*, nivem scilicet et crystallum. Quod est dicere : Cum antea valde fuerint indurati, et adeo ut nix et crystallus dicantur, ipse Filio cooperante ex duritia resolvet, et eos liquidos faciet et molles, et ad credendum faciles. Non solum autem hæc per Filium operabitur, sed et per Spiritum sanctum. Nam sanctus *Spiritus ejus flabit*, id est ad nivem et crystallum interius aspirabit, *et* sic *fluent aquæ* facti. *Fluent* quidem, id est proni et fluxi ad fidem et charitatem fient.

Aquæ vero erunt aliis, id est aliquos induratos, ad modum aquarum irrigabunt doctrina sua, et a duritia sua resolvent et fertiles facient, a similitudine austri dictum est, quo flante nives et glacies resolvuntur, et aquæ factæ fluunt. Exponit autem quomodo nix et crystallus resolutæ et liquefactæ aliis efficiantur aquæ, sic : Dico quod Dominus 585 *liquefaciet* nivem et crystallum : et faciet aquas fluentes; *qui* nempe Dominus per has aquas *annuntiat*, id est annuntiabit aliis induratis efficiendis per hoc *Jacob*, id est viriliter luctantibus *verbum suum*, id est notitiam Filii sui, vel *verbum suum*, id est prædicationem fidei. Et post annuntiationem verbi fidei annuntiabit eisdem efficiendis *Israel*, id est Deum in contemplatione videntibus *justitias et judicia sua*, id est justa judicia sua, præcepta videlicet sua quæ dicuntur per emphasim justitiæ, eo quod justa sunt, et complentes se justificant; et judicia dicuntur, eo quod ipse ea facienda esse judicat. Quoniam ergo justitiæ sunt et judicia, enuntiatione sunt digna. Dicit autem quod hæc supradicta beneficia non faciet hæreticis omnibus, sed quibusdam, ut per hoc eos quibus hæc fient benevolos magis, et haud ingratos reddat, Dico quod hæreticos nivem et crystallum existentes resolvet, et etiam eos esse aliis aquas faciet. *Non* autem *fecit*, id est faciet *taliter omni nationi*, id est omni multitudini hæreticorum, scilicet non sic resolvet, et aquas esse faciet omnes hæreticos, *et non manifestabit eis* justa *judicia sua*, scilicet non faciet omnibus manifestum qualiter quosdam per misericordiam resolvere et illuminare judicet; quosdam vero justo judicio suo subtrahendo gratiam induret et excæcet, vel *non* manifestabit omnibus *judicia sua*, id est præcepta sua, scilicet non faciet omnibus manifestum, qualiter ejus præcepta sint complenda.

IN PSALMUM CXLVIII.

Psalmi centesimi quadragesimi octavi. Titulus. *Alleluia.* Vox Prophetæ fideles omnes ad laudandum Deum adhortantis, ex consideratione omnium creaturarum ejus, et contuitu exaltationis populi sui in futuro.

Laudate, omnes fideles, *Dominum*, Christum omnimoda laude, *de cœlis*, id est de consideratione cœlorum quos creavit. Per cœlos hic accipimus ipsos cœlos materiales, et omnes creaturas quæ in eis sunt, tam rationales, ut spiritus cœlestes, quam irrationales, ut solem et lunam et stellas. Materiales vero cœlos dicimus, et aerem, et æthera, et ipsum firmamentum, et etiam septem circulos septem planetarum. Quoniam autem cum simpliciter dixerat : *Laudate Dominum de cœlis*, per cœlos, ut diximus, acceperat et ipsos cœlos, et creaturas illas, quæ in eis sunt, ad exaggerationem divinæ laudis ipsas creaturas designare per partes intendit sic : *Laudate*, inquam, *Dominum de cœlis*, videlicet *laudate eum in excelsis*, id est in consideratione illarum creaturarum, quæ in cœlo sunt excelsæ, id est dignioris naturæ. Exponit autem illas creaturas excelsas per partes, cum addit : *Laudate eum, omnes angeli ejus*, id est o vos omnes angeli, qui tantæ dignitatis existentes estis ab eo creati, estote fidelibus materia laudandi eum. Quod est ac si dicat : Laudate eum, o fideles, ex consideratione angelorum, quos adeo dignos creavit. Nec solummodo vos angeli materia sitis fidelibus eum laudandi, sed etiam *laudate eum, omnes virtutes ejus*, id est o vos omnes cœlestium spirituum ordines, ab eo dignissimi in natura creati, estote fidelibus materia eum laudandi. Per virtutes quæ sunt unus ordo cœlestium spirituum, omnes ordines præter angelos designat, quod ex Hebraica translatione perpenditur, in qua habetur : *Laudate eum, omnes exercitus ejus.* Notandum quod congrue ponit *angeli ejus* et *virtutes ejus*, cum post tamen non dicat, *sol ejus* sine *luna ejus*. Non quod et hæ creaturæ *ejus* non sint, sed cum cœlestes spiritus qui digniores sunt *ejus* esse creaturas affirmat, de cæteris procul dubio constat.

Excelsis etiam et dignioribus cœlorum creaturis per partes denotatis, agit de indignioribus cœlestibus creaturis, quæ tamen, quantum ad sui naturam, satis egregie sunt, cum subdit : Non solum laudent illum angeli et virtutes, sed etiam *Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ.* Quod est dicere : Vos sol, et luna, et stellæ mirifice ab eo compositæ, estote fidelibus materia eum laudandi. Non solum autem sol et luna, et stellæ, secundum hoc quod existunt, sint materia eum laudandi, sed *et lumen* ex eis 586 procedens laudet, id est materia sit laudandi Dominum. Alia quippe consideratio est laudare Dominum de hoc quod hæc existunt, alia vero de hoc quod lumen emittunt. Cœlorum creaturis per partes ostensis, de ipsis cœlis etiam agit cum subjungit : Non solum laudent eum sol, et luna, et stellæ, et lumen, sed etiam *laudate eum*, id est materia estote laudandi eum vos superiores *cœli cœlorum* inferiorum complexivi. Superiores qui cœlos inferiores ambiunt dicit firmamentum et æthera, inferiores vero circulos planetarum

www.libtool.com.cn

et aerem. Et non solum modo cœli Dominum laudent, sed *et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*, id est causæ sint quare a fidelibus laudetur nomen Domini, id est quare Dominus laudetur, ex consideratione magni nominis ejus, quod est Dominus et Creator, qui in hoc valde potens et mirabilis apparet, quod non solum sub firmamento, sed etiam super firmamentum aquas creavit, juxta quod in Genesi legitur: «Divisit Deus aquas, quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum (*Gen.* I, 7). Quare autem ibi creatæ sunt, et si nos lateat, non tamen absque ratione et utilitate maxima factum esse putandum est. Potest quæri: Quare Deum laudabimus ex consideratione solis et lunæ, et stellarum, et cœlorum, et aquarum? Ad quod respondet sic: Idcirco, fideles, cum laudate contuitu omnium horum, *quia ipse dixit*, id est statuit, voluit, disposuit, *et* ex nihilo *facta sunt* quatuor elementa, quæ fuerunt materia istorum omnium. *Ipse* postea *mandavit* in eadem dispositione sua, *et creata sunt* hæc omnia, id est ex his quatuor elementis formata. Postquam vero creata sunt, per eamdem dispositionem suam *statuit ea usque in sæculum sæculi* duratura, id est ita ea stabilivit ut in æternum durabilia sint. *Et præceptum*, id est, statutum suum *posuit* in *eis* quali modo unumquodque se haberet, *et* illud statutum *non præteribit*, id est non exinanietur, sed semper erit firmum et stabile.

Postquam fideles invitavit ad Dei laudem ex consideratione cœlorum, et quæ in eis sunt, ad eamdem laudem eos invitat ex consideratione terræ et creaturarum, quæ in ea sunt addendo sic: Dixi: *Laudate Dominum de cœlis*. Non solum autem eum laudetis de consideratione cœlorum, sed etiam *laudate Dominum de terra*, id est de consideratione terræ ab eo creatæ, sicut superius per cœlos accepit et ipsos cœlos, et quæ in eis sunt: ita hic quoque per terram notat, et ipsam terram, et creaturas quæ continentur in ea. Quas ad cumulum divinæ laudis per partes designat cum sic addit: Videlicet laudent eum *dracones omnes abyssi, et ignis, et grando, et nix, et glacies, et spiritus* excitator *procellarum*, ventus scilicet qui commovet procellas in mari. Quod est dicere: Hæc omnia quæ potenter operatus est et mirifice, materia sint, quare a fidelibus laudetur. Cum autem de terrenis creaturis ad Dei laudem agat, has non incongrue præposuisse videtur. Omnia enim ista et si hominibus sint nociva, hoc ipsum tamen, quod aliquando nocent, justo judicio Dei contingit, qui per harum creaturarum officium, ultionem de offendentibus se accepit. Et quia minus de his constabat, an ad Dei laudem pertineant, de his prius agit; et ecce quomodo noceant. Dracones enim cum igneæ naturæ sint, et inter cætera animantia terræ præcipui, ut etiam elephantes strictione caudæ posse rumpere perhibeantur, justo judicio Dei aliquando ad correctionem peccantium aerem commovent, et flatu suo corrumpunt, sic ut inde clades mortifera oriatur; homines interdum devorant, et eorum pecora, vel flatu suo incendunt. In abyssis vero sæpe homines submerguntur et pereunt, ut in nimiis profunditatibus fluminum. Qualiter autem ignis et grando, et nix, et glacies, et spiritus procellarum homines lædant, cum valde sit expertum, non est exemplis ostendere necessarium. Et cum hæc omnia justo judicio Dei noceant, tamen omnia ad laudem justitiæ ejus spectant. Quia autem hæc ad justitiam Dei attinent,
587 evidenter innuitur cum addit: Quæ omnia dracones scilicet et abyssi, etc., faciunt verbum ejus, id est præceptum ejus nocendo his quibus justo judicio Dei nocere coguntur.

Non solum autem hæ nocivæ creaturæ sint materia divinæ laudis, sed et utiles terrenæ creaturæ Deum laudent, id est materia sint fidelibus Deum laudandi, *montes* videlicet laudent Deum, et *omnes colles* qui necessarii sunt hominibus, quia in eis messes et vineæ sunt, unde homines aluntur et potantur; in ipsis quoque eorum armenta pascuntur. Et *ligna fructifera* laudent Deum quæ in montibus nascuntur, quorum fructibus homines reficiuntur. Non solum aut ligna fructifere, sed *et omnes cedri* laudent Deum. Per cedros autem quæ arbores sunt steriles, cæteras arbores steriles accipit, quæ licet infructiferæ, ad ædificandum tamen domos et ad alios usus hominum sunt idoneæ. Laudent quoque Deum *bestiæ* silvestres, quarum aliæ justo judicio Dei noxiæ sunt, ut leones et lupi; aliæ vero Dei misericordia utiles, ut lepores et cervi. Laudent etiam *universa pecora* scilicet domita animalia, ut boves et jumenta, quæ ad usus hominum sunt utilia. *Serpentes* quoque laudent, quæ justo judicio Dei nocent, *et volucres pennatæ*, quæ prosunt. *Pennatæ* non est positum ad differentiam, sed ad majorem potentiæ Dei laudem. Aliud enim est Dei potentiam laudare, eo contuitu quod volucres existunt, aliud autem quod cum pennatæ sint, ad volandum potentes sunt. Sint etiam materia laudandi Deum, *reges terræ et omnes populi* subditi, et etiam cæteri *principes* minores regibus, ut duces et comites, et non solum principes, sed *et omnes judices terræ*, tam illi qui sunt principes, quam qui principes non sunt. Plures enim sunt minores judices, qui etsi quodam modo principes sint tamen usualiter principes non dicuntur. Hoc autem totum est ac si dicat: In hoc quoque, o fideles, habete materiam laudandi Deum, quod ita pulchre et ordinate genus humanum disposuit ut alii reges, alii principes, alii judices, et alii subditi sint. Quorum quidem regum et principum, alii justa Dei promissione sibi subditos tyrannide sua multipliciter affligunt, alii vero bene misericordia Dei regunt. Sint quoque materia Deum laudandi *juvenes et virgines*, scilicet virilis sexus et femininus. Per juvenes, sexum virilem; per virgines autem, sexum muliebrem designat. *Senes* insu per *cum junioribus laudent nomen Domini*, id est senes et juniores sint materia quare laudetur Dominus, sex consideratione nominis sui, quod est creator et om

www.libtool.com.cn

nipotens: Quod est dicere, Fideles laudent Dominum ea consideratione, quod diversas hominum ætates imposuit tam in masculino sexu quam in feminino. scilicet juventutem et senectutem et cæteras ætates. Cum dicit *senes cum junioribus* dat intelligere similiter de aliis ætatibus, quarum omnium consideratione Deus laudandus est. Et hoc etiam sit materia laudandi Dominum, quia secundum humanitatem *exaltatum est nomen ejus solius*, scilicet ipse solus ex omnibus creaturis habet nomen, quod est exaltatum super omne nomen. Nulla enim creatura, neque homo nec quis cœlestis spiritus, Dominus omnium et Omnipotens dicitur, sed ipse cum sit creatura secundum humanitatem, Dominus dicitur et Omnipotens, in cujus nomine genu omne flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II, 10). Exponit autem in quantum sit nomen ejus exaltatum sic : *Exaltatum est*, inquam, *nomen ejus solius*, et adeo est exaltatum, quod *confessio*, id est laus *ejus* est *super cœlum et terram*, id est in rationabilibus creaturis, quæ sunt super cœlum et terram, in cœlestibus videlicet spiritibus et in hominibus. Quod est dicere : Cum omnipotens sit et omnium Dominus, ab hominibus et ab angelis laudatur. Postquam ostendit, ex consideratione omnium creaturarum, Deum esse laudandum, ostendit etiam eum esse laudabilem ea occasione, quoniam in futuro suos *exaltabit*. Hoc ergo sic dicit : Non solum, o fideles, laudetis Dominum ex consideratione cœlorum et terræ et creaturarum, quæ in eis sunt, sed inde etiam occasionem habete laudandi quoniam in futuro **588** *exaltabit cornu populi sui*, id est exaltabit in æterna beatitudine populum suum propter cornu ejus, id est propter sublimitatem quam habet hic in moribus et in virtutibus, quæ per cornu accipitur, eo quod in animali sublimior hæc pars habeatur, quod est dicere : Merito sublimitatis et virtutum et morum quam hic habet populus fidelium, sublimabit eum æterna gloria in futuro, ideoque dignum est ut hac consideratione a fidelibus laudetur. *Exaltabit*, inquam, *cornu populi sui* in futuro ; futurus tunc *hymnus* id est causa hymni *omnibus sanctis ejus*, scilicet, quem laudabunt tunc omnes sancti ejus, laude æterna dilectionis. Exponit autem qui sint illi sancti per partes sic : *Sanctis ejus* dico, scilicet *filiis Israel*, id est fidelibus ex Judaico populo et etiam *populo appropinquanti sibi*, id est appropinquanti illis filiis Israel, scilicet, populo fidelium ex gentibus, qui per lapidem angularem Christum appropinquabit, id est conjungetur fidelibus ex Judæis, ut ex his dubus parietibus civitas una Hierusalem, videlicet æterna, constituatur. Vel sic, ut determinatio sit. *Hymnus*, inquam, erit *omnibus sanctis ejus*. *Sanctis* dico existentibus *filiis Israel*, id est filiis spiritalibus Deum in contemplatione videntibus, ac si dicat : Secundum eum statum ipsum laudabunt, in quo cum spiritales filii sint, eum in contemplatione futuri, et nunc sunt, scilicet, a longinquo videntes, videbunt. Ne vero sic intelligerentur tunc Israel et quasi per speculum, addit : *Filiis Israel* dico, scilicet *populo appropinquanti sibi* in cognitione. Quod est dicere : qui populus filiorum tunc sic erit Israel ut ei secundum cognitionem appropinquet; ut scilicet, non jam quasi per speculum, sed ut facie ad faciem Deum videant et cognoscant, juxta illud Apostoli : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*I Cor.* XIII, 12). »

IN PSALMUM CXLIX.

Titulus centesimi quadragesimi noni. *Alleluia*. Vox Prophetæ omnes fideles ad cantandum Domino novum canticum invitantis, et quid sit cantare novum canticum exponentis, quæ etiam utilitas sic cantantibus accedet ostendentis.

Cantate Domino Christo *canticum novum*, o fideles, id est laudate novo cantico Dominum. Vetus quidem canticum est actibus veteris hominis adhærere. *Novum* autem *canticum* est novi hominis Christi, inquantum possibile est, conformitatem in novitate vitæ habere, juxta illud Apostoli : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* VI, 23). « Dico laudate Dominum novo cantico, et sic eum in novitate vitæ laudetis, ut in communitate fidei Ecclesiæ sanctorum persistatis. *Laus* enim *ejus* tantum est *in Ecclesia sanctorum*, ac si dicat : Cum vitæ novitatem in virtutibus, et bonis operibus habeatis, oportet ideo vos in fide Ecclesiæ sanctorum perdurare, quia non digne laudatur Deus nisi ab his qui *in Ecclesia sanctorum* sunt. « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccl.* XX, 9). » Ecclesiam sanctorum dicit ad differentiam Ecclesiæ malignorum, quæ Ecclesia abusive dicitur. *Cantate*, inquam, fideles, *novum canticum Domino*. Et quicunque cantantium ad hoc dignitatis ascendet ut jam hic fiat *Israel* id est videns Deum in contemplatione, non ex hoc *lætatur* in se ascribendo sibi, sed *lætatur Israel* quicunque *in eo qui* per gratiam *fecit eum* esse Israel, scilicet, in Domino lætetur, ascribendo ei hoc quod Israel est. *Et* etiam sanctæ animæ jam existentes *filiæ Sion*, id est spiritales filiæ Dei per adoptionem gratiæ ; filiæ dico Sion, id est æterna speculantes, non in se superbe de hoc exsultent, sed *exsultent* **589** *in rege suo* scilicet in Domino exsultent cum gratiarum actionibus de hoc, quod sic eos regit promovendo de bono in melius, ut Sion sint. Aliud quippe est laudare Deum, de hoc quod suos Israel esse facit, aliud de hoc quod eosdem in hac contemplatione regendo perseverare facit. Sanctas animas pro nimia virtutum pulchritudine filias dicit, eo quod major species et pulchritudo insit filiabus quam filiis.

Exponit autem per partes quid dicat *novum canticum* esse, sic : Cantent, inquam, fideles, *Domine*, *novum canticum*, videlicet *laudent nomen ejus*, id est laudent eum consideratione nominis ejus. *Laudent*, inquam, et hoc *in choro* persistentes, id est in concordia dilectionis habendæ ad Deum, et ad proximum. Quæ per chorum accipitur, eo quod chorum proprie dicamus, collectionem aliquorum concorditer canentium. Et *laudent* eum *in tympano*, id est in carnis mortificatione, per jejunia et vigilias, et in removendo a se concupiscentias carnales, quod utrumque per tympanum denotatur, eo quod involvatur mortuorum animalium corio, et a carne separato, et ab omni humore superfluo exsiccato ; et *psallant* ei, id est bene operentur ad honorem *ejus*, operam dando *in psalterio*, id est in vivificatione spiritus per virtutes, qui est dignior et superior pars in homine. Ideo per psalterium competenter intelligitur, quod a superiori sonat. Idcirco vero *laudent* Dominum *in choro*, *in tympano et psalterio*, *quia beneplacitum est Domino* has laudes esse *in populo suo*, quæ sola causa sufficiens esse deberet ad hoc agendum, si nulla alia adesset. *Et* etiam hac alia causa eum sic laudate, quia *mansuetos exaltabit*, id est mansuete sum laudantes, et hic et in futuro valde sublimavit. Et exponit hoc per partes sic : In futuro quidem eos exaltabit, ducens *in salutem* æternæ gloriæ. Et tanta erit illa gloria, quod æterna exsultatione *exsultabunt sancti*, id est mansueti *in gloria*, id est in perfectione illius gloriæ. Ne vero putarentur participaturi gloriamæ qualiter, ostendit quod inæqualiter participabunt, alii plus, et alii minus. Et per hoc magis auditores ad bene vivendum adhortatur, ut hanc gloriam participare possint intensius. Et hoc sic dicit :

Exsultabunt, inquam, *sancti in gloria*. Et sic tamen quod *lætabuntur in cubilibus suis*, id est sibi congruis, scilicet in diversis participationibus illius

www.libtool.com.cn

gloriosæ quietis, quæ per cubilia designatur, eo quod cubilia ad quietis usus idonea sunt, ac si dicat : Ita de ea gloria lætabuntur ut unusquisque prout sibi congruum erit, et meritus fuerit, diverso modo participet, unus plus, et alius minus, juxta illud Dominicum : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » De hoc etiam Apostolus testatur : « Sicut stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum (*I Cor.* XV, 41). » Dico quod in futuro *exaltabit mansuetos in salutem.* Hic autem sic eosdem *exaltabit*, quia *exsultationes Dei* erunt *in gutture eorum*, id est exsultanter erunt sermones prædicationis Dei in gutture eorum. Quod est dicere : Exsultanter prædicabunt aliis doctrinam Dei voce exteriori, quæ formatur in gutture, quod equidem prædicare, magna est exsultatio et magna dignitas, testante Domino in Evangelio sic : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X, 32). » Quia vero possent exsultanter de Deo prædicare, sic tamen ut non esset pronum et facile, ipsum verbum prædicationis pro voluntate sua, et pro capacitate audientium contemperare, nec esset efficax eorum prædicatio, determinat quomodo prædicabunt, cum sic addit : *Et* sic erunt exsultationes Dei *in gutture eorum*, quod *in manibus eorum*, id est in potestatibus eorum erunt *gladii ancipites*, id est doctrinæ verba interficientia homines, secundum quod mali sunt, ideoque gladii dicta. Dicuntur autem ancipites, eo quod ad similitudinem gladiorum ancipitum, ex utraque parte vitia resecant, et per veterem legem, scilicet et per novam. Vel quia duabus de causis in hominibus infidelitatem perimunt, scilicet promittendo 590 credentibus et corporalem sospitatem, et æternam felicitatem. Quod est ac si dicat : Sic exsultanter doctrinæ verbum annuntiabunt ut facultatem habeant eam, prout opportunum fuerit, disponendi, a similitudine strenuorum militum, qui, gladios in manibus habendo, facultatem habent eos, prout eis placitum est, circumquaque vertendi.

Ostendit autem ad quem effectum utilitatis erunt *gladii ancipites in manibus eorum*, cum sic addit : *Gladii*, inquam, erunt *in manibus eorum*, et hoc magna utilitate, scilicet, *ad faciendam vindictam in nationibus*, id est ad hoc urunt in manibus eorum gladii, ut vindictam Dei exerceant in multitudinibus hæreticorum, quæ nationes dicuntur, eo quod in diversis hæresibus natæ sunt. Vindictam quidem in eis Deo prædicatores faciunt, vel cum eorum quosdam conversos Ecclesiæ reconciliant, vel cum alios nolentes converti, anathemate ecclesiastico more damnant. Quoniam autem simpliciter dixerat *ad faciendam vindictam*, ne videretur quod aliquam vindictam sæcularem essent inde accepturi, dat intelligere quam vindictam facient, cum sic adjungit : Et ad faciendas *increpationes in populis*, id est in multitudinibus hæreticorum ; ac si dicat : Ad hoc habebunt gladios ancipites prædicationis in manibus, ut per hanc prædicationem, hæreticorum multitudines redarguendo increpent, et sic in eis vindictam faciant, quosdam, ut dixi, fidei reconciliando, quosdam vero anathematizando. Non solum autem in manibus gladios habebunt, ad devincendos minores hæreticos ; sed etiam *ad alligandos in compedibus* disputationum *reges eorum*, id est principales hæreticos, qui reges sunt et duces perfidiæ eorum. Quod est dicere :

Ad hoc eis dabuntur gladii scientiæ, ut eos qui principes sunt errorum, disputationibus suis superent, et quasi compedibus alligent, ne facultatem habeant resistendi. Et non tantum *ad alligandos* minores principes habent gladios in manibus, sed et *alligandos in manicis ferreis*, id est in multiplicibus fortissimis vinculis argumentationum, unde non possint evadere, sicut de manicis ferreis non potest vinctus quilibet evadere. *Nobiles eorum* hæreticorum, id est illos hæreticos qui nobiles et digniores inter cæteros reputentur, ut etiam facere miracula videantur, prætendendo quamdam speciem vanæ religionis. Quod est dicere : Ad hoc eis ancipites gladii dabuntur ut illis hæreticorum, qui nobiles esse videntur, multis et fortissimis argumentationum nexibus astringat, ne resistendi facultatem habeant. Et ad hoc etiam *gladii ancipites* erunt *in manibus eorum, ut*, postquam reges et nobiles alligaverint et superaverint, *faciant in eis* regibus et principibus *judicium conscriptum*, id est judicium illud ecclesiasticæ disciplinæ, quod est conscriptum, id est in multis auctoritatibus scriptum ; pœnitentibus quidem pœnitentiæ pondus, prout justum est, imponant, non pœnitentes autem, justo anathemate damnant. *Hæc* autem *gloria est omnibus sanctis ejus*, scilicet, hanc gloriam reputant sancti ejus, scilicet fideles quicunque pro summa gloria, ut *laudent* eum *in choro, in tympano*, et *psalterio*, et exaltent in salutem, et alligent *reges* et *nobiles in manicis et compedibus*, et *faciant in eis judicium conscriptum.* Hoc autem ideo dicit, ut magis invitet auditores ad hæc omnia quæ in psalmo admonuit. Hoc autem quod dixit *exaltabit mansuetos*, etc., sic aliter legitur. *Exaltabit*, inquam, ut superius expositum est, *mansuetos*, ducendo eos in salutem æternæ gloriæ, *in* qua *gloria exultabunt sancti*, id est ipsi mansueti, et *lætabuntur in cubilibus suis*, hoc ut superius exponitur. Ut autem *in gloria* exsultent, hic interim *exsultationes Dei* sint *in gutture eorum.* Alioquin enim in futuro *in salutem* non exaltarentur, hoc etiam et cætera quæ sequuntur, ut superius exponuntur.

591 IN PSALMUM CL.

Psalmi centesimi quinquagesimi Titulus. *Alleluia.* Vox Prophetæ adhortantis omnes fideles ad Dei laudem contuitu beatitudinis sanctorum in futuro habendæ, quam etiam per partes ponit, ut magis auditores ad hujusmodi laudem incitet.

Laudate Dominum Christum, et ore, et corde, et opere, o fideles, *in sanctis ejus*, id est in consideratione sanctorum ejus. Determinat autem secundum quem statum sanctorum adhortetur fideles ad Dei laudem, cum addit sic : *Laudate*, scilicet, *eum in firmamento*, id est in consideratione firmamenti *virtutis ejus* ; ac si dicat : *Laudate Dominum* ea occasione, quia sanctos suos in futuro sic in virtute firmabit ut in eis nullus sit ulterius defectionis locus. Qui etsi hic sint fortes, et, ut ita dicam, spiritaliter virtuosi, ex carnis tamen debilitate locus in eis est deficiendi. Ostendit autem ad majorem Dei laudem plures esse virtutes, in quibus confirmabuntur, ne putaretur una sola esse, quia singulariter dixerat *in firmamento virtutis ejus. Laudate*, inquam, *eum in firmamento virtutis*, quæ virtus quidem non erit simplex, sed plures. Ideoque *laudate eum in virtutibus ejus*, id est in consideratione virtutum, in quibus sanctos in futuro confirmabit. Licet enim virtutum effectus tunc non exercebunt, ipsas tamen affectiones, quas virtutes dicimus, habebunt. Nam etsi non restet bene operandi, seu pro Christo patiendi locus, nihilominus tamen naturaliter patientia sive charitas, habebitur. Et de cæteris virtutibus similiter erit, præter spem et fidem quæ evacuabuntur. Non solum autem laudetis *in virtutibus*, sed etiam *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, id est secundum respectum multiplicis magnitudinis, qua sanctos in futuro magnificabit, scilicet, sicut eos multum magnificabit, ita eum multum laudate. Exponit autem hanc magnitudinem per partes cum subjungit sic : *Laudate eum in sono tubæ*, id est in consideratione soni tubæ, scilicet, in consideratione victoriæ, quam suis in futuro dabit, cum eis ulterius neque mors, neque diabolus,

neque illicita suggestio prævalere poterit. Quæ per sonum tubæ accipitur, eo quod, finito prælio et fugatis hostibus, victores soleant tuba canere.

Laudate etiam eum in psalterio et cithara, id est in consideratione glorificationis animæ, quæ psalterium dicitur, et corporis quod cithara appellatur. Anima quidem eo quod superior pars hominis est, per psalterium designatur, quod a superiori sonat. Per citharam vero, eo quod ab inferiori sonat, corpus quod in homine inferius est, exprimitur. Exponit quoque per partes corporis glorificationem, cum sic addit : *Laudate eum in tympano*, id est in consideratione tympani, scilicet in consideratione remotionis carnalium voluptatum, quæ per tympanum denotatur, eo quod super indutum sit corio a carne separato, et ab omni humore superfluo exsiccato ; ac si dicat : Ea consideratione *eum laudate*, quia corpus adeo purificabit ut ab eo omnis voluptas carnalis ad peccatum cedens removeatur. Non solum autem *in tympano*, sed *et* in *choro laudate eum*, id est in consideratione chori, scilicet, in consideratione concordiæ habendæ cum angelis, quæ per chorum exprimitur, eo quod chorum propriæ dicimus conventum hominum concorditer canentium; ac si dicat : Corpus quod tam fragile quid est, et tam debile et gravissimæ naturæ, adeo glorificabit, immortale faciens et agilis naturæ, ut accedat aliquatenus ad conformitatem angelicæ naturæ. Determinat autem per quid ad hoc dignitatis attingent, cum addit : *Laudate eum in chordis*, id est in consideratione chordarum, scilicet ea consideratione qua suos chordis faciet similes. Sicut enim intestina arietum cum 592 prius pinguia sint et grossa, et tunc ad nullum sonum utilia, separata a pinguedine exsiccantur, et ad gracilitatem perveniunt, et sic inde chordæ fiunt, quæ dulcem sonum reddunt, ita quoque sancti cum hic per nimiam afflictionem jejuniorum et vigiliarum graciles in carne fiunt, et macri, per hoc in futuro ad hoc dignitatis attingent ut ad modum chordarum dulcissimum melos puræ conscientiæ et corporeæ glorificationis reddant.

Non solummodo in chordis, sed *et* in *organo laudate eum*, id est in consideratione diversorum meritorum sanctorum, quæ per organum recte intelliguntur. Sicut enim in organo, quod musicum instrumentum est, plures sunt fistulæ diversæ, aliæ majores et aliæ minores, quæ tamen concordem symphoniam emittunt, ita quoque sanctorum merita, licet diversa, alia enim majora et alia erunt minora, ad modum tamen symphoniæ concordis et dulcissimæ, Deo delectabilia erunt. Non solum autem in organo, sed insuper *laudate eum in cymbalis*, id est in consideratione cymbalorum, scilicet, in consideratione sanctorum, qui similes fient cymbalis in corporibus, id est sic nitidi in carne ad similitudinem cymbalorum, quæ, cum sint ex electo aurichalco, nitidi coloris sunt. In cymbalis dico *bene sonantibus*, scilicet, qui sancti dulcem cantum recte conscientiæ Deo proferent, et bonæ devotionis, ad comparationem cymbalorum bene sonantium. Ostendit autem quod non mediocriter Deo cantabunt, cum addit : *Laudate*, inquam, *eum in cymbalis jubilationis*, id est in consideratione sanctorum, qui Deo jubilo intensæ affectionis sine fine cantabunt. Ut autem universaliter dicam, o fideles, *omnis spiritus laudet Dominum*, id est omne spiritale sit vobis materia laudandi Dominum, ac si dicat : Corpora et animæ fidelium quæ ipse gloriosa faciet et spiritalia, sint vobis, o fideles, materia Deum laudandi. Corpora quidem sanctorum spiritus dicit, non quod in die judicii non sint futura corpora vere, sicut nunc sunt, sed quia quodammodo spiritibus in immortalitate et agilitate fient conformia. Unde Apostolus : « Seminatur corpus animale : surget corpus spirituale (*I Cor.* xv, 44). » Et paulo post : « Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale est, deinde quod spiritale (*Ibid.*, 40). » Vel sic : Quia invitaverat fideles ad laudem Domini, occasione corporeæ glorificationis, adhortatur etiam eos ad eamdem laudem, occasione glorificationis spiritus, cum addit : Non solum, o fideles, laudetis Deum in *chordis* et *organo* et *cymbalis*, sed etiam omnis spiritus sanctorum *laudet Dominum*, id est omnes animæ sanctorum, quæ usquequaque glorificabuntur in futuro, vobis, o fideles, materia sint laudandi Dominum. Cui sit honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

Finis tomi primi Operum B. Brunonis psalmorum Davidicorum explicationem continentis

---

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. BRUNO ORDINIS CARTHUSIANURUM INSTITUTOR.

S. BRUNONIS ACTA. 9
COMMENTARIUS PRÆVIUS. 9
§ I. — Quæ vitæ seu acta edenda sint : diversa, e quibus hæc aut confecta fuere, aut illustrabuntur, seu subsidia seu documenta, horumque unum ad actorum calcem etiam edendum *ibid.*
§ II. — Nobile sancti genus, patria, tempus natale. 23
§ III. — Qualis sanctus in pueritia fuerit, canonicus-ne S. Cuniberti, et qua ætate esset cum litteras discendi causa Gallias adiit, et an ibi Berengarium in philosophia magistrum habuerit. 34
§ IV. — Quo sanctus Turonis, Berengario relicto, sese contulerit, quid dum primum egerit, quandonam Remis docere incœperit, et quas ibidem scientias tradiderit, muniaque obierit. 48
§ V. — Quales sanctus discipulos habuerit, qui hos bonis moribus non minus quam litteris informarit. et quæ tunc in eo animi dotes ac virtutes enituerint. 60
§ VI. — Nefandis Manassis archiepiscopi sui conatibus sese opponit : qui hac occasione multa passus sit, monachumque induere proposuerit. 65
§ VII. — Manasses Romæ in concilio causam suam tuetur, suspensionisque sententiam, in se Augustoduni latam, a pontifice rescindi obtinet : quid tum præterea egerit, et qui tandem Brunonem in pristinum honorem restituere jussus fuerit. 77
§ VIII. — Qui et quando sanctus in pristinum aut etiam meliorem statum Remis restitutus fuerit, et an post suum sub Manasse ex hac urbe discessum, aut etiam unquam alias Parisiis docuerit. 88
§ IX. — An a Guiberto de Novigento vera S. Brunonis in solitudinem secessus causa assignetur, et an ad hunc præter emissum monachici habitus induendi votum ratione alia graviori Bruno indiguerit. 102
§ X. — An doctoris Parisiensis anastasis, qua Bruno

fuerit conversus, sæculo præterito, quod pro falsa haberetur, e Breviario Romano fuerit expuncta, et qui hanc vel tunc, vel ante arrodere primum incœperint, et qui hisce contra sese opposuerint. 108

§ XI. — Scriptorum Carthusiensium sæculo XVI antiquiorum de doctoris Parisiensis, qui damnationem suam e feretro publice aperuerit, anastasi testimonia referentur, et quid de adjunctis, huic post adjectis consendum. 115

§ XII. — Testimonia scriptorum sæculo decimo sexto anteriorum, qui Carthusiensis ordinis non fuerunt, producuntur. 126

§ XIII. — An scriptoribus, qui pro doctoris Parisiensis anastasi hujusque adjunctis testati sunt, merito accenseri queat Theodoricus, abbas Trudonopolitanus. 132

§ XIV. — Cæsari- Eisterbacensis testimonicum recensetur, et quid de hoc sit censendum statuitur. 141

§ — XV. — An quid contra anastasim, qua doctor se damnatum publice denuntiarit, ex silentio vel S. Brunonis, vel Guigonis, vel Guiberti de Novigento, confici possit. 151

§ XVI. — Quid de ordinis Carthusiensis, uti id Launoius vocat, et Petri Venerabilis silentio censendum. 165

§ XVII. — Quid de aliorum, quos Launoius præterea laudat, scriptorum antiquorum silentio statui debeat. 176

§ § XVIII. — XIX. Quid contra prodigiosam anastasim qua doctor Parisiensis sese damnatum publice e feretro denuntiarit, universale scriptorum omnium, qui integro primo et forte etiam secundo post rem gestam sæculo labente, floruerunt, silentium valeat, et an hoc stante certam illam aut etiam verosimilem possint efficere testimonia antiqua supra adducta. 192

§ XX. — An prodigium quo doctor sese damnatum publice astantibus denuntiarit, certum aut saltem verosimile, stante universali scriptorum ante dictorum silentio, reddere etiam non possit traditio. 201

§ XXI. — Alia quædam facientia pro prodigio quo doctor Parisiensis sese damnatum adstanti multitudini publice e feretro denuntiarit, nationum monumenta afferantur, et an ex his tandem illud verosimile utcunque non fiat, examinatur. 215

§ XXII. — Opinio, quæ damnati prodigium intra privatas defuncti ædes coram paucis evenisse statuit, proponitur, et an velut inepta noviterque conficta repudianda non sit, examinatur. 224

§ XXIII. — Quam fidem mereatur opinio quæ doctoris damnati anastasim in privatis hujus ædibus coram paucis accidisse statuit, et quid tandem de hac etiam ita considerata censendum. 236

§ XXIV. — Remisne an Parisiis sanctus in solitudinem secesserit, quandonam id fecerit, et an tunc recta Carthusiæ eremum adierit. 243

§ XXV. — Sancti ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum accessus, quales ejus fuerint socii, et an tunc sacerdotio initiatus exstiterit. 256

§ XXVI. — Sanctus Carthusiæ eremum ingreditur; quandonam id acciderit. 269

§ XXVII. — Quid sanctus ejusque socii, Carthusiam jam ingressi, egerint, et quem vivendi modum tenuerint. 287

§ XXVIII. — An sanctus novam regulam scripserit, et an ad ullam ex ante scriptis ac nominatim Benedictinam observandam se suosque discipulos astrinxerit. 296

§ XXIX. — An Victor III papa Carthusiensem ordinem approbarit, et qui sanctus Hugonem Gratianopolitanum episcopum sui reverentem habuerit, Carthusiæque eremum sibi donari impetrarit. 303

§ XXX. — Sanctus, a summo pontifice arcessitus, Carthusiam, rite ordinatam, incolarumque numero auctam, deserere cogitur: quandonam id, et quanto discipulorum Brunonis luctu factum. 309

§ XXXI. — Sanctus Romam ad Urbanum papam venit, discipulis ut Carthusiam repetant suadet, litteras his ad Siguinum abbatem impetrat, archiepiscopatum Rhegiensem recusat, et ut sibi a curia in eremum iterum secedere liceat ab Urbano obtinet. 320

§ XXXII. — An Sanctus a Rogerio Calabriæ comite, venationem exercente, in Calabriæ specu, in quo se cum sociis abdiderat, fuerit repertus; quo, relicta Pontificia curia, primum concesserit, et cur tunc Carthusiam non repetierit. 329

§ XXXIII. — Sanctus Turritana Calabriæ eremo a comite Rogerio donatur, eique deinde a Mesimerio, Squillacensi episcopo, ac post ab Urbano II papa donatio hæc confirmatur. 338

§ XXXIV. — Quid, post factam a Rogerio comite eremi Calabriæ donationem, sanctus egerit, qui hanc deinde Rogerius dux confirmarit, terminisque Rogerius comes circumscripserit. 350

§ XXXV. — Sanctus constructam in eremo Calabrina ecclesiam magno apparatu consecrari curat, et magis ac magis comitem Rogerium benevolum erga se experitur. 357

§ XXXVI — An concilio Placentino, in quo Præfationem de beata Maria Virgine composuerit, Sanctus interfuerit, et cur si ita sit, eo celebrato, ad Majorem Carthusiam non redierit. 365

§ XXXVII. — Gravissimam, absente sancto, religiosi Carthusiæ Majoris incolæ tentationem patiuntur; natum comiti Rogerio filium sanctus baptizat, novoque ab illo beneficio afficitur. 372

§ XXXVIII. — Mortuo Theodoro Mesimerio, Græco Squillacensi episcopo, Joannes de Nicephoro Latinus ut substituatur sanctus suadet, et ab hoc deinde privilegium amplissimum quod a pontifice confirmari curat, Turritanæ eremo, novo jam in hac constructo S. Stephani monasterio, impetrat. 380

§ XXXIX. — Sanctus comitem Rogerium præsentissimo periculo per visionem qua hujus illum monet, in obsidione Capuana liberat, novumque hac occasione quo plurima ei bona Rogerius confert, diploma obtinet. 389

§ XL. — Quo tempore Rogerius comes Capuam obsederit, et an eodem anno, quo id accidit, diploma quod, civitate hac subacta, Brunoni hic princeps contulit, datum fuerit. 415

§ XLI. — Ducem etiam Rogerium benevolum in se iterum sanctus experitur; visitur a Landuino Carthusiæ Majoris priore, perque hunc, quem ægre a se dimittit, ad Carthusiæ fratres litteras scribit. Hæ una cum litteris, ad Radulphum Viridem scriptis, hic producuntur. 415

§ XLII. — Sanctus commentarios in Psalmos et in S. Pauli Epistolas, qui nomine ejus circumferuntur, re etiam vera adornavit; quandonam id et qua methodo fecerit, et quænam præterea lucubrationes certo ei debeant attribui. 425

§ XLIII. — An opera, a jam memoratis diversa, quæ sancti nomine edita sunt, vere eum habeant auctorem. 431

§ XLIV. — Benevolum iterum erga se sanctus comitem Rogerium decretorio morbo jam decumbentem experitur, huncque vita functum haud dudum post sequitur, confirmatis ei antea a Paschali papa donationibus omnibus privilegiisque quæ vel a comite Rogerio vel ab aliis acceperat. 439

§ XLV. — Qua in eremi Turritanæ ecclesiæ sanctus fuerit sepultus, et quid de miraculis sepulturam ejus secutis, aliisque nonnullis ad eum utcunque spectantibus, ac tempus quo in sanctorum, seu potius beatorum, album relatum fuit, prægressis, sit consendum. 449

§ XLVI. — Leo X papa ordini Carthusiensi Turritanum in Calabria Sancti Stephani monasterium jubet restitui, cultumque sancti ecclesiasticum permittit. 461

§ XLVII. — An Leo X papa Brunonem etiam canonizarit, et quænam, ad gloriam sancti posthumam facientia, concessam ab hoc pontifice cultum ei deferendi facultatem, proxime sint secuta. 470

VITA S. BRUNONIS ANTIQUIOR. 481

CAPUT UNICUM. — Occasio conversionis S. Brunonis; solitudinem petere statuit, alios in idem propositum attrahit. Gratianopolim pergit, in Carthusiæ eremum secedit, ad pontificem, ex hoc evocatus, se confert, solitudinem repetendi facultatem ab eo impetrat; in Turritanam Calabriæ eremum se abdit, ibique moritur. *ibid.*

VITA ALTERA. 491

Prologus. *ibid.*

CAP. I. — Occasione defuncti, qui sese damnatum, inter solemnes exsequias e feretro proclamat, in solitudinem secedere Bruno statuit, alios in idem propositum attrahit, iterque cum his ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, suscipit. 492

CAP. II. — Bruno una cum sociis suis ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, venit, Carthusiæ eremum ab eo obtinet, austere admodum in hac vivit, ac post sexennium circiter a pontifice evocatur, vocantique obtemperare statuit. 504

CAP. III. — Sanctus e Carthusia Romam se confert, secutis huc discipulis, ut Carthusiam repetant, suadet, ipseque in Calabriæ, obtenta a pontifice secedendi facultate, recusatoque Rhegiensi archiepiscopatu, deserta sese abdit, benevolum ibi erga se comitem Rogerium habet, novas ecclesias condit, sanctissimeque vivit ac moritur. 513

VITA TERTIA. 525

CAP. I. — Defunctus sese damnatum e feretro publice proclamat; spectaculi hujus occasione in solitudinem ad pœnitentiam agendam secedere sanctus statuit, cum aliquot aliis, quos ad idem faciendum movit; ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, iter arripit, benigneque ab hoc excipitur. 528

CAP. II. — Carrhusiæ eremum sanctus ingreditur, ex hac, in qua sanctissime vivit, ab Urbano II papa evocatur. discipulis eum Romam consecutis, ut Carthusiam repetant suadet. Rhegiensem archiepiscopatum recusat, ac deinde a pontifice repetendæ solitudinis facultatem impetrat. 535

CAP. III. — In Turritana eremo a comite Rogerio invenitur, præsentissimo periculo hunc liberat, duo ibi ejusdem liberalitate monasteria exstruit, in horum altero ad mortem usque sanctissime vivit, post obitum miraculis claret, tandemque, pontifice permittente, a Carthusianis cœlitum honoribus afficitur. 544

EPISTOLA ENCYCLICA. Qua S. Brunonis obitum quaqua versum nuntiarunt ejus in Turritana eremo discipuli, solitaque pro illius anima suffragia postularunt. 553

TITULI FUNEBRES, seu diversæ ad epistolam præcedentem responsoriæ. 555

SECTIO I. — Titulus fratrum montis Amati. *ibid.* — Fratrum Fisciclensis cœnobii, *ibid.* — Rangerii Brunonis discipuli. 556. — S. Frigiani Lucensis ecclesiæ, 557 — Ecclesiæ Placentinæ, *ibid.* — Monasterii Sancti Sepulcri, *ibid.* — Ecclesiæ S. Martini de Petra, *ibid.* — Clusini cœnobii, *ibid.* — Segusiensis ecclesiæ, 558. — Præposituræ Ulciensis, *ibid.* — Ecclesiæ Gratianopolitanæ. 559. — Eremi Carthusiæ prope Gratianopolim, *ibid.* Fratrum Cassæ-Dei subtus Curnillionem prope Gratianopolim, *ibid.* — Fratrum S. Ruffi in Costa S. Andreæ, 560.—Athanacensis cœnobii Lugduni, *ibid.* — Majoris ecclesiæ Lugdunensis, *ibid.* — S. Mariæ Blesensis, *ibid.* — S. Petri Cluniacensis cœnobii, 561 — S. Romani de ecclesia Lugdunensi archidiaconi. *ibid.* — S. Vincentii Cabillonensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Mariæ Belvensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Antonii Conteiensis, *ibid.* — Ejusdem, 562. — S. Petri Carnotensis. *ibid.* — S. Dionysii prope Parisios, *ibid.* — S. Germani Parisiensis ep., 563. — S. Maglorii Parisiensis, *ibid.* — S. Petri Fossatensis, *ibid.* — S. Crucis sanctique Faronis Meldensis, 564. — S. Petri Casiacensis cœnobii, *ibid.*

SECTIO II. Titulus ecclesiæ S. Mariæ Carnotensis, *ibid.* — Versus scholares. 564. — S. Margaritæ cœnobii, 565. — S. Mariæ Novi Monasterii, *ibid* — S. Benigni Divionensis, 566. — S. Stephani Divionensis, *ibid.* — S. Petri Besuensis. *ibid.* — S. Mariæ Castellionensis, *ibid.* — Lingonensis ecclesiæ episcopi, *ibid.* — S. Mariæ Malismensis, 567. — S. Michaelis Tornodrensis cœnobii, *ibid.* — S. Germani Antissiodorensis, *ibid.* — S. Stephani Antissiodorensis, *ibid.* — S. Mariæ et S. Joannis Reomensis cœnobii, 568. — Lamberti abbatis Pultariensis, *ibid.* S. Petri Aremarensis cœnobii, *ibid.* — S. Petri Trecorum, *ibid.* — S. Petri insulæ Germanicæ, 569. — S. Stephani Catalmiensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Petri cœnobii de Monte, *ibid.* — S. Basali, *ibid.* —S. Mariæ Remensis metropololis, *ibid.* — Alius ejusdem ecclesiæ. 570. — Item alius ejusdem, *ibid.* — Adhuc alius ejusdem. 571. — Adhuc alius ejusdem, *ibid.* — SS. Martyrum Sergii et Bacchi Andegavensis, *ibid.* — S. Petri cœnobii puellarum, *ibid.* — Ecclesiæ SS. Trinitatis, 572. — S. Dionysii Remensis, *ibid.* — S. Remigii Francorum apostoli, *ibid.* — S. Nicasii Remorum archiepiscopi, *ibid.* — SS. Martyrum Timothei et Apolinaris. *ibid.* — S. Bartholomæi apostoli in monte. Or, 573.

SECTIO III. — Titulus S. Mariæ Laudunensis, *ibid.* — Alius ejusdem. 574. — Monialium S. Joannis Baptistæ, *ibid.* — S. Nicolai de Saltu Vedocii, *ibid.* — B. Mariæ Noniandi, *ibid.* — Alius ejusdem, *ibid.* — Ecclesiæ Suessionensis. 575. — SS. Medardi et Sebastiani Suessione, *ibid.* — S. Mariæ Blesensis, 576. — Alius ejusdem, *ibid.* —S. Krilefti Blesensis, *ibid.* — S. Mariæ Bernaci, *ibid.* — S. Crucis Aurelianensis, *ibid.* — Abbatis S. Joannis Suessionnensis cœnobii, *ibid.* —S. Symphoriani martyris Belvacensis. 577. — S. Quintini Belvacensis, *ibid.* — S. Luciani Belgavorum apostoli, 578. — S. Fusciani de Sylva, *ibid.* — S. Petri Corbeiæ, *ibid* — S. Quintini Vermandensis, *ibid.* — S. Petri Lehunensis ecclesiæ, 579. — S. Fursei Peronæ, *ibid.* — B. Mariæ Alrenensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Petri Ducurtensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Salvatoris Aquiciensis cœnobii *ibid.* — Cœnobii Marcemensis, 580. — S. Amandi Elnonensis ecclesiæ, *ibid.* — S, Petri Islensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Mariæ Mecinencis ecclesiæ, *ibid.* — S. Mariæ Formosellensis ecclesiæ 581. — S. Donationi Brugensis ecclesiæ, *ibid.* — S. Nicolai Meltensis ecclesiæ, *ibid.*

SECTIO IV. — Titulus S. Petri Pictavis, *ibid.* — Beatæ Mariæ Pictavis, 582 — S. Hilarii Pictavis, *ibid.* — Alius ejusdem, *ibid.* — S. Radegundis Pictavis, *ibid.* — B. Mariæ ac S. Cypriani martyris, 583. —S. Joannis evangelistæ Pictavis, *ibid.* — S. Petri Virsionensis cœnobii, *ibid.* — S. Martini Pieni pedis, *ibid.* — S. Maximini Miciacensis cœnobii, *ibid.* — Alius ejusdem, 584. — S. Mariæ Parisiorum, *ibid.* — S. Petri Resbucensis, *ibid.* — S. Petri Latunacensis, *ibid.* — S. Petri Neocastrensis, 585. — S. Trinitatis Falesiæ, *ibid.* — S. Gervasii ejusdem loci, 586. — S. Mariæ Tornacensis, *ibid.* — S. Petri Blandinensis cœnobii, *ibid.*— S. Leodegarii martyris, *ibid.* — S. Bavonis in Gandavo, *ibid.* — S. Mariæ Connatrensis in Auglia, 587. — S. Audomari episcopi, *ibid.* — S. Pauli apost. Lundoniensis, *ibid.* — S. Petri Cassellensis ecclesiæ, *ibid.* —S. Mariæ Atrebatensis sedis, *ibib.* — Aliæ ejusdem, 588. — S Vedasti Nobillaci cœnobii scholæ, *ibid.* — Alius ejusdem, 589.

SECTIO V. — Titulns S. Mariæ Morlivensis ecclesiæ, 589. — SS. Petri et Augustini Anglorum apostoli, *ibid.* — SS. Edmundi regis martyris, *ibid.* — Alius ejusdem, *ibid.* — S. Mariæ Spalingæ ecclesiæ S. Nicolai Andegavensis, *ibid*, — S. Mariæ ecclesiæ Lincolniensis, 590. — S. Mariæ Eboracensis, 591. — Alius ejusdem, *ibid* — S. Petri Eboracensis Angliæ metropolis, *ibid.* — Alius ejusdem, *ibid.* — S. Joannis archiepiscopi Beverlacensis ecclesiæ, 592. — Ricardi, *ibid.* — Alberti, *ibid.* — Turstani, *ibid.*— Richardi, *ibid.* — S. Petri Castrensis ecclesiæ, 593. — Alius ejusdem, *ibid.* — S. Mariæ et S. Adelmi Malmesbenensis ecclesiæ, 593. — S. Mariæ Rothomagensis ecclesiæ, 594. —S. Trinitatis Rothomagi, *ibid.* — S. Leodegarii, *ibid.* — S. Mariæ Potileviensis, 595.

SECTO VI. — Titulus S. Mariæ Bajocensis ecclesiæ, 595. — Versus scholares ejusdem urbis, 596. — S. Georgii ejusdem urbis, *ibid.* — S. Stephani, *ibid.* — S Vigoris Cerasiaci cœnobii, *ibid.* — S. Mariæ Constantiensis ecclesiæ, 597. — Versus scholares ejusdem, *ibid.* — S. Michaelis de Periculo Maris, *ibid.* — S. Petri Casalis, 598. — S. Mariæ Louleii cœnobii, *ibid.* — S, Juliani Cenomanensis, *ibid.* — Alius ejusdem, *ibid.* — Alius item ejusdem, *ibid.* — Alius adhuc ejusdem, 599. — S. Vincentii Cenomanensis, *ibid.* — B. Juliani de Prato, *ibid.* — S. Mauricii sedis Andegavensis, *ibid*, — S. Florentii Glamnensis cœnobii, 600. — S. Nicolai ejusdem urbis, *ibid.* — S. Mariæ Dolensis cœnobii, 601. — S. Michaelis, eremi, *ibid.* — S. Mariæ Lucionensis, 602. — S. Petri apostoli Maliacensis, *ibid.* — S. Vincentii cœnobii Noliensis, *ibid.* — Schola ejusdem, 603. — Alius ejusdem, *ibid.* — S. Pauli apostoli Cormaricensis, *ibid* — S. Salvatoris mundi sanctique Gildasii conf. Dolensis, 604.— S. Mariæ Tropeiensis ecclesiæ, 605.

APPENDIX seu Supplementum ad gloriam sancti posthumam. 605

§ I.— Veneratio sancto beatis jam ascripto atque ad ecclesiam S. Stephani translato, in Calabria exhibita frequentiaque ad ejus invocationem miracula patrata, quorum aliquot, annum 1600 prægressa, recensentur. *ibid.*

§ II. — Aliquot miracula sæculo XVII, ante annum tamen hujus XXIV patrata, recensentur, et qui tandem sancti cultus ad universam Ecclesiam extensus, festumque ejus tunc Coloniæ Agrippinæ celebratum fuerit, exponitur. 615

§ III. — Fueritne sanctus anno 1623 a Gregorio XV, an serius duntaxat a Clemente X canonizatus, examinatur, reliquaque, quæ ad gloriam ejus posthuman faciunt, magisque videntur notatu digna, in medium proferuntur. 624

OPERUM TOMUS SEU PARS I.

EXPOSITIO IN PSALMOS. 637

FINIS TOMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI SECUNDI.

5503 041

Ex typis Schoutheer, à Arras.

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

THIS VOLUME
DOES NOT CIRCULATE
OUTSIDE THE LIBRARY

www.libtool.com.cn

3 2044 054 760 103

www.libtool.com.cn